

omnia ex his mundi

esto Dei iudex

Magister Vester

Fons Sapientiæ

THOMÆ CAMPANELLÆ

ORD. PRÆD.

DISPVTATIONVM

IN QVATVOR PARTES SVÆ PHILOSOPHIÆ REALIS LIBRI QVATVOR.

PRO REP. literaria ac christiana, idest vere Rationali, stabilienda contra sectarios.

Vnà cum textu instaurato auctoque post editionem Tobianam.

SVORVM OPERVM TOMVS II.

Ad Illustrissimū & Excellentiss.
D. PETRVM SEGVIERIVM, Franciæ M. Cancellarium.

Vnus est Magister vester

Verbum Dei excel.

Grégoire Huret · Fran. de Lubeis

Alla Schola del Primo Senno

Mundum tradidit

PHYSIOL. ETHICA, POLITICA, OECONOMICA, cum quæst.

PARISIIS, Ex Typographiâ DIONYS. HOVSSAYE. An. Dom. 1637. Cum Priuilegio Regis.

Index.

DISPVTATIO Ad Prologum ſcientiarum.

PHYSIOLOGIA Cum Quæſtionibus.

ÆTHICA Cum Quæſtionibus.

POLITICA Cum Quæſtionibus.

Ciuitas Solis.

OECONOMICA Cum Quæſtionibus.

De Regno Dei.



ILLVSTRISSIMO
ET
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
PETRO SEGVIERIO
GALLIARVM
MAGNO CANCELLARIO:
RELIGIOSORVM PHILOSOPHORVMQVE
MECENATI OPTIMO.



OYSES, hominum ſapientiſſimus, leges Hebræis Dei nomine laturus, à Phyſiologicis incepit: quorum geneſim in ſex diebus abſoluit: de hinc humanam texit hiſtoriam ad illa vſque tempora, quibus à Deo legem accepit: cum vt intelligeret omnis homo eundem eſſe Deum qui fecit Cœlum & Terram omniaque quæ in eis ſunt: & qui curat hominum genus, legibuſque ſuum dirigit ad finem: vnde Plato, & Varro Græcorum & Latinorum Philoſophorum antiſtites, non rectè quempiam poſſe leges dare putant, niſi Deum authorem faciat, quo venerabiles fiant, ſeruenturque ex animo: Tum quia moralia in naturalibus fundantur: nec Politicus bonus erit, qui Phyſiologiam, & hiſtoriam humanam anteà non attigerit: naturas rerum hominumque, & mores & inclinationes prænoſcat, atque proinde ſciat quibus indigent legibus, quibuſque tribunalibus. Non quidem Philoſophus eſt, teſte Auguſtino, nec proinde hominum Doctor, qui non eò *De ciuit. Dei lib. 8. cap. 9.* peruenit, vt Deum cognoſceret Authorem Naturæ, lumen ſcientiæ, & fœlicitatem vitæ. Quæ tria in Ariſtoteliſmo non cognoſcuntur, ſed negantur: apud Platonem verò, quos Phyſicus Timæus docet, & Critias

hiſtoricus erudit, eos moralis Socrates regit, & Minos legifer ad viuendum ea ratione, quæ hominem ad Deum ſuum principium reuocat, iuribus ornat. Quocirca eandem ſcientiarum ipſe ſequutus normam ſeriemque, rerum Naturæ, atque Sanctæ Scripturæ, qui duo primi ſunt codices Dei, congruentem, dum ipſas non vulgari ex guſtu pango, ſed ex præfatis Dei codicibus haurio: Scholamque Deo, qui ſolus verax magiſter indubitata fide dignus eſt, non hominibus facio; quæritans cui potiſſimum hoc opus commendarem, Te vnum inueni, cui exactè conueniret. Indiget enim ſapientiæ tuæ iudicio ac tutela Phyſiologia noſtra: probitate tua, moralis ſcientia: Politica verò diuinas humanaſque leges, quibus decoraris, accerſit: Oeconomica tandem tuæ ſolertiæ ſeſe commendat. Quæ ſcientiæ omnes in hoc opere continentur, ſtylo quidem breui claróque, diſputationibus tamen contra ſectarios adiunctis demum armato. Totum autem opus ſimul ac finis operis, pietati, quam parentes auique tui profeſſi, in te abundantius transfuderunt, valde arridebit. Siquidem cum apud ingratos Dominos in ergaſtulis degerem: Deus, cuius nutu omnia fiunt atque ordinantur, me tanto tempore teneri voluit, quantum ſufficeret ad ſcientiarum omnium inſtaurationem, quam præconceperam Duce Deo, nec tamen in vulgari proſperitate aut extra ſolitudinem perficere valuiſſem: & qui corporali mundo priuatus eram, in longè ſpatioſiori mundo mentali ac proinde in Archetypo immenſo, qui portat omnia verbo virtutis ſuæ, ipſe verſabar. Radices altas Animus egit apud perſequentes me gratis humatus, ſed fructus edere licuiſſet nunquam, niſi Deus per miraculum, longè mirificentius, quàm aſtutum facinus Vlyſſis, quod de antro Poliphemi fecit vt exiret, me liberaſſet, quando Colophonem omnibus ſcientiis ſyntagma de ſeculis ſeculorum abſoluebam. Et dum iterum Romæ, & ſi ſummo Pontifici ſapientiſſimo Carus, edere opera diuinitus acta laboro (diuinitus dico: quoniam ad Deum Doctorem, non ad me, nec ad hominem quempiam vocant mundum) iterum perſecutio inuadit me, toto Mundo teſte, innocentem: donec ad liberrimum Galliæ Chriſtianiſſimæ Regnum portentoſo quodam fato me venire cogit. Obtuli fructus primos inuictiſſimo Regi ad fidei patrocinium, hoc tempore neceſſarios pro Atheiſmo, Gentiliſmo, & hæreticiſmo profligandis. Hanc enim curam Regi Gallorum ab initio iniunxit Deus, tanquam primogenito Eccleſiæ ſuæ filio, ac Meſſiæ dextero brachio. Aliud opus de ſenſu rerum ad naturæ arcana & magiam Phyſicam & Moralem pernoſcendam, non ineptum, Eminentiſſimo Cardinali Duci, naturæ & Artis Secretario, dedi. Ratio nunc poſtulat, vt Excellentia tua à me munus acciperet, tum quia muſarum es Protector, tum quia ſummi Regis gratia, ac Mirificentiſſimi Cardinalis iudicio, primum in Republica Gallicana propterea locum tenes, quoniam tanta omnibus gloria dignus, non quidem caſu aut fauore vulgari, reputatus es, ſed Auitis virtutibus ornatus innumeris, tuis verò immenſis, vt ſi quis vellet optimum eligere, non examine præuio, nec Diogenis Lucerna opus eſſet, quippe cum ſeſe

tua virtus cunctis obuia statim optimum proderet. Profecto a Poetis, & Oratoribus, & Historicis Galliæ, audiuimus familiam Seguieriorum, in Gallia Narbonensi, heroum Romanorum & Gallorum sanguine inclyta, multis ante sæculis, Sapientia, Religiositate, ac Iustitiæ administratione præfulsisse. Et Dum Petrum Auum tuum, eiusque virtutes, & honores, ac præclara gesta pro patria & pro Regibus narrant, & quæ sex filii eius, ex virtute potiusquam ex sanguine, eorundem honorum hæredes, & egregiorum facinorum autores, præcipuè Antonium heroico carmine non minus veraci quam eleganti supra Cicerones, & Catones, & Graccos celeberrimum, & Patris tui dignitates & functiones initas pro Regno ac Regibus, dum Gallia nutat, ac de Valoibus ad Borbonios per Seguieriorum prudentiam tuto facto itinere transit: & quæ in te ab illis transfusa sunt, gloriæ & virtutis insignia: vnde & Religiosi & Pauperes & Resp. deliciantur, & ad quæ tu maiora trascendisti: hæc, inquam, dum narrant, & considerant: cogunt me dicere: *Hæc est generatio quærentium Dominum. hoc est semen, cui benedixit Dominus in salutem populi sui.* Ac de Te si quid dicere amplius tentarem, non minus incusabor. quàm qui vellet solem demonstrare illis, qui linguarum peritiam, sermonis elegantiam, scientiarum affluentiam, legum prudentiam, siue cum in Parlamento Consiliarius, siue cum supplicum libellorum magister, siue cum Senatui summo præsides, & siue cum regia curas sigilla: siue tandem cum ad supremam Cancellarii dignitatem scandis, viderunt, audiuerunt, laudauerunt. Hoc sanè vnum mirificentissimum in tam vasto varioque Regno sum admiratus, quod non est qui te non celebret: nec opus arduum magnumque, quod tua dexteritate, ac gratia fœliciter non perficias. Prætermissis egregiis factis, quibus Ioannem Patrem, & Antonium patruelem, & Petrum Auum fœliciter laborantes pro Republica ac Regibus Henrico II. & III. & IV. sicut dignitate, ita virtute videris antecellere: Quæso, patiatur tua modestia hoc vnum recentissimum memorare: quo strenuos Normandos Imperii ac tributorum impatientes, rerumque gestarum in Italia, & Asia, ac dominatus Tancredorum Bœmundorum Rugeriorum, aliorumque principum suorum memoria adhuc tumidos, prolapsos in iram, vsque ad arma, vnica oratione mites obedientesque Regi optimo reddidisti: quod centum millia armatorum nec potuissent. Vnde elogium Ciceronis in te renouatur: *Cedant Arma Togæ.* Et Platonis de legibus scribẽtis, disputatio: vter melior armatus literis homo, vt Theognides Poeta sentiebat, an decoratus armis, vt Phocilides alter Poeta mirus cecinerat, in te facile soluitur. Arma Fortitudinis sunt instrumenta, Lex Iustitiæ (cuius diuina Ratio Christus, est sol) splendores dispensat: sine lege arma bestiarum sunt organa, sine armis Iustitia etiam in solio Dei cuncta moderantis perseuerat. Ex accidenti & in via tantum propter miseriam & peccatum arma sunt necessaria: Lex & in via & in patria ponit finem Iustitiæ pacem. Cuius patriæ præludium in Terra expectamus conflaturum gladios in vomeres, lanceasque in falces: leges in

Candelabro positurum. Iustissimus ergo Ludouicus Rex Iustitiæ viribus tuam progeniem supra innumeros heroas fortitudinis ministros, quantum in Cœlo Iupiter supra Martem, & in Terris Iudex supra militem, anteire non inscius, elegit te tantæ familiæ iubar primum, vt Consilio ac Prudentia difficultates Reip. dissolueres, seditiones sedares, lamentationes populorum tranquillares, Religiosorum iura ac concordiam conseruares, pauperum curam, & pupillorum & viduarum geteres, & cunctis Iustitiam administrares. Id quod tam rectè, tamque ex Iusto Regis Iusti animo exequeris, vt & qui prope, & qui longè sunt alacres, & lætabundi celebrent Seguierium, tanquam Galliarum solem alterum; nec est qui se abscondat à luce eius, nec qui non foueatur à calore eius. Porrò & Ego Peregrinus sorte, Ciuis animo, antequam Gallias intrarem, sub tuum præsidium diuina prouidentia trahebar, & cum propius te considerarem, Clientelæ tuæ me commissum omnino intellexi, vt ærumnosum consolareris, pauperem aleres; & pro fide Catholica contra sectarũ Perfidiã dum certo, adiuuares. Hoc autẽ ita humanitas tua erga me comprobat, vt cum in Psalmodia canimus, *Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius vole nimis. Gloria & diuitiæ in domo eius, generatio rectorum benedicetur. Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Tu mihi præ oculis obuerseris post pia Regũ Gallorũ facta. Ex pietate enim Gallica pendet, etiam communis salus: & ego noui: quæ toties Italiam nostram ac Petri sedem de manibus Tyrannorum atque Infidelium liberauit: vt nostri Historici ac Poetæ non ingrati testantur: qui omissis Cæsaribus, Pompeiis, Fabiis, Metellisque, &c. Suis, vestros canunt heroas. Ipse autem æquè gratus, meos communes agnosco patronos; teque ante omnes. Quem enim Rex tanta charitate sub Tutelam suscepit: & Cardinalis Dux in securitatem, traduxit; Tu Tertius etiam sub prouidentia tua copiosa comprehendes. Eoque libentius, quoniam quæ hic scribo tuæ sunt consona pietati sapientiæque. Videbis hic Patres Ecclesiæ, è Cathedra olim deiectos dolo aut inaduertentia Gentilizantium, suo honori restitutos: Rationem Consuetudini & Experientiam Opinioni nunc Dominantes, quæ olim miserè seruiebant. Et tandem testimonium diuinum tam Naturæ, quàm Scripturæ superpositum omnibus; dum in Scholis hominum errantes ad Scholam Dei infallibilem Campanula mea vocat, Ego quidem falli, sicut & alii homines, possum: Propterea non mihi non hominibus aliis, sed Deo soli Discipulos facio, ergo nunquam fallendos. Hic etiam videbis ingenia Christiana Euangelico lumine illustrata, certiùs, veriùs, breuiùs supra omnes Nationes rerum veritates adepta, oraculo, ratione, & experimento fortiter comprobatas: Vt confundantur, qui nos gentilibus obscuratis errore, seruire cogunt; atque vt non insultet amplius Iulianus apostata, impiusque Macchiauellus, nobis, quòd profitentes Christum Dei sapientiam habere Præceptorem, tamen à damnatis per nos gentilibus scientias mendicamus. Id quod intrantibus ad fidem Catholicam infaustum obicem ponit: Fidelibus scandalum. Item quod

Sancti Patres & Sorbonica Academia Parisiensis, quondam desiderauerunt, statueruntque, iam completum esse in negotio litterario: ac proinde mox complendum in Politico quidquid pro Imperio instaurando, & Republica Christiana promouenda per Pipini successores, pij homines Deo cari, pridem vaticinati sunt. Quæ omnia si in hoc volumine perscrutando certa deprehenderis, me profecto pro Schola diuinæ Sapientiæ certantem victimatum agnosces: & misereberis gratulaberis & tueberis vt Tuam decet Excellentiam longe ampliùs quam ipse petere precarique ausim. Non enim me sed communem in me causam tibi commendo: Tuaque prudentia non exiguitatem meam, nec quid, sed ex quo & ad quid seruus tuus loquitur, magnanimiter respiciet. Valè. Die 6. Aug. 1637.

F. Thomas Campanella Ord. Præd.

AD LECTOREM PRÆLVCIDARIVM.



NS essentiatur Potentia essendi, Sapientia essendi, Amore essendi, tanquam ex tribus primalitatibus, essentialitatibus, seu realitatibus, non autem componitur tanquam ex tribus rebus aut entibus. Ens finitum essentiatur ex potentia, sapientia, & Amore vt ens; vt finitum verò, etiam ex impotentia, insipientia, & disamore, quæ sunt Nihili quasi essentialitates. Omne enim ens sub primo constat ex finita entitate, & infinitis non entitatibus, homo enim solummodo homo est, sed infinita non est entia: non enim est cœlum nec terra, nec arbor, nec &c. nec Deus. Deus autem nullius nihilitatis est particeps. Ex tribus primalitatibus, vt ad extra respiciunt resultant facultates seu virtutes, seu principia dicas, tres: nempe Potestatiuum Cognoscitiuum, & Volitiuum: ex tribus principiis, sex genera Causarum, nam ex potestatiuo vt primalitas est ad intra manat causa seu potentia Actiua, vt ad extra, Materialis seu potentia passiua. Ex cognoscitiuo ad intra Idealis causa; ad extra Formalis. Ex Amatiuo Finalis ad intra, Perfectionalis ad extra. Ergo primalitas est, vnde ens essentiatur, & Ly vnde dicit eminenter. i. vnitius, plenius, & vniuersalius, omnia principia & omnes causas. Principium est, vnde aliquid est, dico Aliquid, non autem Ens, ens enim simpliciter in se & à se, & per se. Continet Principium, primalitates participatiuè, causas eminenter. Causa autem est id, vnde aliquid fit; dico fit, non dico est, aut essentiatur, nisi quatenus continet in se principia, & primalitates participatiuè. Exprimuntur causæ distincto suo Ly vnde. Nam Actiua est à qua aliquid fit, Materialis de qua fit, Idealis instar cuius aliquid fit: Formalis qua fit: finalis propter quam aliquid fit: Perfectionalis secundùm quã perficitur. Vt autem fiant res finitæ naturæ, manant à Potentia Necessitas; ab Impotentia contingentia: à sapientia Fatum, ab Insipientia Casus: ab Amore harmonia, à Disamore fortuna. à Causis autem dum ad causandum feruntur emanant extẽsiones, hoc est, a potestatiuo Potestationes, vt spes, alacritas, constantia, apprensio. quarum opposita sunt ab impotentia. A cognoscitiuo Notiones, vt sensus, imaginatio, consideratio, iudicium: & opposita ab insipientiuo. Ab Amatiuo per causarum extensionem oriuntur Affectiones idest desiderium, Amatio, Gaudium, & per Disamorem opposita Abominatio, odium, dolor. Ex extensionibus autem Actiones, vt facere & deficere, cognoscere, & ignorare, appetere, & odire, &c. Obiecta autem primorum, ad quæ feruntur, per operationes, sunt existentia, seu vita, & mors, seu possib. & impossib. secundorum sunt verum & falsum. Tertiorum, Bonum & malum. Metaphysica ergo est de primalitatibus & essentiatione & principiis, & principatione, & eorum Obiectis, & Influxibus magnis: Physiologia est de causis & causatione, & de ipsorum obiectis, & extẽsionib. Ethica, Politica, & Oeconomica est de extensionibus, & executionibus erga obiecta Tertiæ Primalitatis: quæ quatenus regulantur ad finem sunt virtutes: quatenus dinormantur sunt vitia: Rationalis Philosophia cognoscitiuum & suas extensiones respicit. Mathematicæ simul ad potestationes sunt. Hoc in volumine dabimus Physiol. Ethic. Polit. Oec. olim à Clarissimo viro Tobia Adami correcta, & Philosophicis Apologeticis considerationibus in laudem Autoris roborata. Nunc Autor Annotationes detraxit multas & epilogismum medicinæ, & Apologeticum: quoniam medicinalia eius in lucem prodiere: Et huic disputationes contra Sectarios, & dissertatio pro instauratione scientiarum adiunguntur. Vale.

Approbationes Theolog. Parif.

NOs infrascripti Sacræ Theologiæ Professores approbamus libros duos, quorum Prior inscribitur *F. Thomæ Campanellæ ordinis Prædicatorum Disputationum in quatuor partes Philosophiæ Realis*, libri quatuor pro Repub. literaria ac Christiana stabilienda. Posterior vero nominatur disputatio contra murmurantes citra & vltra Montes in Bullas Sanctorum Pontificum Sixti Quinti & Vrbani Octaui aduersus Iudiciarios editas: in quibus nihil à fide alienum reperimus. Die vndecima Decembris 1635.

ANTONIVS MALLET, Cong. Gallicanæ Ord. FF. Prædicatorum Vicarius Generalis.	F. DV FEV, Minister Prouincialis Prouinciæ Franciæ.

Licentia & Approbatio adm. Reuerendi Patris Vicarii Generalis Congregationis Gallicanæ Ord. Prædicatorum

NOs Frater Antonius Mallet Doctor Parisiensis & Congregationis Gallieanæ Ord. Prædicatorum humilis Vicarius Generalis, vidimus & approbauimus. *Quatuor libros disputationum compositarum ab admodum Reuerendo P. M. Thoma Campanella nostri Ordinis Præd. in quatuor libros Philosophiæ suæ Realis*, vnà cum textu. pro Republ. literaria & Christiana stabilienda, contra Sectarios, maxime quoniam Conclusiones ex S. Scriptura ac Sanctorum Patrum autoritate prius, post modum ratio-
An. D. ne, & experimentis munit; ostenditque veram Philosophiam longe meliùs ac cer-
1204. tiùs & tutiùs ex Christiana Schola, quàm aliarum Nationum libris hauriri posse, iux-
An. D. 1209. ta Decretum Synodi Parif. confirmatæ à Greg. IX. & iuxta votum Sacri Lateranensis Concilii Seff. 8. sub Leone X. cui Religionis nostræ constituriones & ordinationes valdè conformantur. Propterea censemus, & facultatem tenore præsentium ac nostri autoritate officii damus, vt iuxta morem imprimantur & publicentur. Datum Parisiis in Collegio nostro Sancti Iacobi. Die 1. Iunii 1636.

F. ANTONIVS MALLET, qui supra.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAR grace & Priuilege du Roy il est permis à Philippe Borelli Italien de faire imprimer, vendre, & distribuer par tel Libraire ou Imprimeur, & en tel volume & caractere que bon luy semblera le liure intitulé. *Disputationum in quatuor partes Philosophiæ realis libri quatuor cum ipsarum textu instaurato.* Composé par le R. P. Thomas Campanella Stylensis de l'Ordre des Freres Prescheurs: Et ce durant le temps & espace de dix ans consecutifs. Faisant tres expresses deffenses à tous autres d'imprimer où faire imprimer, vendre, ny debiter aucuns desdits Liures pendant ledit temps sans le consentement dudit Borelli, à peine de confiscation des exemplaires & de trois mil liures d'amende, comme plus amplement est porté par les Lettres dudit Priuilege. Donné à Paris se vingt-sixiesme iour de Mars mil six cent trente sept. Et de nostre Regne le vingt-sept.

Par le Roy en son Conseil.

RENOVARD.



DISPVTATIO IN PROLOGVM INSTAVRATARVM SCIENTIARVM.

AD SCHOLAS CHRISTIANAS, PRÆSERT. PARISIENSES.

Vtrum expediat Philosopho Christiano alteram post Gentiles cudere Philosophiam, & vndenam.

QVÆST. I. ART. I.

Quàm multis negatiuà videtur verior.



RIMO, quoniam I. Christus tradidit nobis Theologiam, & bene viuendi rationem, ad vitam æternam dirigentem, & quæ humanam excedit potestatem; cætera vero naturali ratione inuestiganda relinquit, ergo superfluum superaddere. 1.

Secundo, videmur effugere naturales semitas tanquam repugnantes nostræ Theologiæ, sicut Mahometani, idcirco melius est, vt per ipsas ad sacram doctrinam perueniamus. 2.

Tertio, vnusquisque magis afficitur ad fidem eorum, quæ non nouit, per ea quæ nouit, & ipse inuenit & à suis accepit; ergo melius est tradere mundo Theologiam in vase mundanæ Philosophiæ, quàm in alio nouiter fabrefacto; Sic enim & citius credunt, & plenius intelligunt. 3.

Quarto, Sapientia quæ est Theologia vocat omnes scientias tanquam ancillas ad arcem, teste Salomone: Ergo vtendum est scientiis iam inuentis nec amplius Philosophandum. 4.

Quinto spiritu superbiæ ducitur faciens quod nemo facit: nemo autem Philosophiam nouam composuit: Ergo. 5.

Philosophia Christiana nec ex Sacris scripturis sufficienter hauriri potest, neque ex rerum natura vberiùs quam Gentiles hauserunt. Ergo. 6.

Item non habent methodum Christiani sicut Gentiles. Ergo.

Scientia instaurari oportere post Græcorum, & Latinorum Gentilium Philosophiam.

1. SEd contra est Greg. 9. Pontifex Max. in decreto, quod extat in tabulis Vniuersitatis Parisiensis. Et concilium Lateranense sub Leone X. Sessione VIII. affirmans Philosophiam & Poesim Gentilium habere radices infectas, idest, principia falsa, hoc enim sonat radix germinans falsas conclusiones: vbi & aliqua principia eradicari oportere decernit, nec in eis multo tempore immorandum, sicut nec cum peste infectis, sed purgandas esse per Canones & Theologiam: ergo noua Philosophia optatur à Sacro Concilio, quæ conformis sit Sacræ Theologiæ Canonibusque sacris, & consuetudo perniciosa cedat rationi & vtilitati. D. dist. 9.

Idem præcipit Greg. 9. Parisiensi Academiæ, vt relictis Philosophis Ethnicis doctrinas ex patribus hauriant & fieri Theodidacti satagant: damnationem etiam Arist. confirmat factam ab Vniuersitate Parif.

Confirm. 1. Item Tertullianus ait, Philosophos gentiles esse Patriarchas hæresiarcharum, ergo Philosophia Christiana est cudenda, quæ sit officina Catholicorum.

2. Prætereà Iustinus Martyr, cognomento Philosophus, in libro attitulato, *Confutatio Dogmatum Aristotelis*, pronunciat Philosophiam Græcorum esse plenam erroribus: Aristotelicam magis: quæ etiam de rebus quas definiendas sibi suis commentationibus statuit, nihil affert.

3. Prætereà S. Cyrillus 1. lib. contra Iulianum errores Philosophorum damnat, ac Philosophiam datam fuisse gentilibus, inquit, tanquam Catechismum ad fidem; & quæ non cathechizat ad fidem, non esse verè Philosophiam, sed Sophisticam.

4. Similiter Lactantius errores Philosophorum damnat, ac flagellat, maximè autem Aristotelis. Eusebius etiam examinat, & de scholis eliminat Aristotelem, &c.

5. Similiter Clemens Alexandrinus (quem omnes in hoc sectantur, 1. Stromatum cap. 3.) *Lex fuit*, ait, *Iudæis pædagogus ad fidem Christianam: sic Philosophia Gentilibus*; & cap. 4. *Prætereà*, ait, *non particularis secta est eligenda, sed quidquid rectè omnes dixerunt Stoici, Platonici, Epicurei, Aristotelici*, ait, *dico Philosophiam*. Idem Arnobius, Eusebius, Ambrosius, Augustinus & omnes Patres dixerunt.

Conclusio. 1 Argumenti. Igitur, si Philosophia Græcorum habet radices infectas & falsa dogmata non solum in Theologicis, sed in moralibus, & naturalibus, fomentanda non est, sed alia verax construenda, & vndique seligenda; & qui aliter sapit, amat mendacium, aut hæresim, aut periculum mentiendi, & hæreticandi, & illatos errores & damna nutrit.

Argumentum 2. Prætereà præsupponentibus Christianam Theologiam esse veram, & Christianos non modo in naturalibus, sed insuper supernaturalibus donis per Sacramenta ac Dei gratiam imbui; fateri oportet esse aptiores ad inuenlendum Scientias ac verificandum, quoniam gratia perficit naturam, non destruit, & veritas manifestata per scientias Sanctas illustrat veritates Physicas, ipsarumque principia absque infectione pandit, vt Sanctum Concilium docet. Ex quibus principiis, ad conclusiones Theologicas ac Metaphysicas peruenimus; quoniam natura ad eas ducit, vel non repugnat. Quapropter veritas scientiarum Philosophicarum purior & certior haberi potest ab ingenio Christiano, quàm Gentili, quippe cui falsa credulitas obstruit viam. vnde Apostolus ad Rom. 2. de Philosophis Gentilibus. *Obscuratum est insipiens cor eorum, & lux veritatis non est ostensa eis*: aut non amplexa, aut repulsa, non effulget. Ergo scientiæ sunt denuo reficiendæ, & meliorandæ, & perficiendæ, vt mundo sint faciliores, meliores, & quidquid noxii & erroris continebant, eradatur, & ostendatur simul non esse illud ex regulis scientiæ veræ, sed Sophisticæ, & à Diabolo patre mendacij, non à Deo, vt ait Bas. & Cyrillus. Quocirca Apostolus ait, *Quæ conuentio lucis ad tenebras, & Christi ad Belial?*

3. Prætereà duo sunt codices Dei, ex quibus veritates haurimus, videlicet rerum natura, & Sacra scriptura, vt dixit S. Antonius, & Bernardus, & Chrysostomus. Ergo sicuti post Scripturæ interpretationem editam tempore Gentilitatis ad Gentiles, &

Hebræos à 72. Interpretibus Spiritu sancto afflatis, sicuti Patres affirmant: D. Hieronymus putauit corruscante Euangelio nouam fieri oportere: atque ita, Ecclesia nouam Hieronymi translationem acceptauit, imò & aliorum, qui post Lucem Euangelii plenius intelligere potuerunt scripturas, & melius interpretari iuxta propalatam veritatem. Ita post interpretationem naturæ rerum, à Gentilibus factam ad Gentiles, potest & debet fieri interpretatio noua, quæ est scientia humana, & Philosophia: & quidem multo magis: tum propter necessitatem separandi falsum à vero, si quidem in veterum 72. translatione non sunt falsitates, sicut, quantæ, quot, & quales in libris Philosophorum. Item si credimus S. Epiphanio, Iustino, Augustino: Item Philoni & aliis Patribus, in 72. cellis diuisi Interpretes eisdem verbis à Spiritu Sancto afflati, interpretati sunt scripturam, nec etiam secus, tantopere conuenissent. In Philosophis autem errores plurimi manifesti, ipsorumque discordia, spiritum erroris indicant: Ergo saltem expedit, vt corrigatur, quæ facta est primi codicis, id est naturæ interpretatio sub caliginoso tempore, obscuratis, vel minus illustratis intellectibus, & purificetur, vt Hieronymus fecit in 2. Codice: quamuis omnes Episcopi Asiatici, Europæi, & Africani, præsertim Augustinus, contra ipsum exclamarent, longè rationabilius, quàm contra nos recentiores literati, qui nec in libro Philosophorum, nec in libro mundi Philosophantes, sine zelo alii, sine scientia alii, alii sine vtroque, exclamant.

4. Prætereà Dixit Daniel de tempore Christiano, *plurimi pertransibunt: & multiplex erit scientia*: vnde nouæ terræ & noui orbis inuentioni noua Philosophia debetur, Dan. 12. qui ergo scientias inuenit aut reformat, plenius satisfacit huic Prophetiæ, vt fecit Hieronymus in Scripturis, & Iustinus, Origenes, Tertullianus, Lactantius, Cyrillus, Augustinus, Ambrosius, Beda in Scripturis, & in aliis scientiis. Qui autem contradicunt, spiritui gratiæ contumeliam faciunt, & abbreuiant manum Domini in Christianismo, & dilatant in Gentilismo: & vt ait Richardus super Ezechielem, inuidi & inertes hos labores vituperant: vel qui zelum sine scientia habent, vt dicit Apostolus.

5. Prætereà vel fatendum est Philosophos Gentiles non errasse, aut non potuisse errare, vt dicunt hebetes, stupidi, impiique, præsertim Auer. ex parte, & Petrus Abailardus hæresiarcha, & Ant. Mirand. Ast hæc est hæresis damnata à Salomone Eccles. 1. & 8. dicente. *Tradidit mundum disputationi eorum, vt nesciat homo ab initio opus suum, quod operatus est Dominus, &c. Quod omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem: quanto magis, &c.* Vel magis errasse, & stupidioris ingenii fuisse Patres Sanctos, & Doctores Christianos, quàm Gentiles, & putat Iulianus Apostata apud Cyrillum lib. 1. & Abailardus apud Bernardum: sed vtrumque damnatur in Conciliis & in Scholis. Ergo reficiendæ sunt scientiæ ex Thesauro Patrum & Codicum Dei, Naturæ scilicet & Scripturæ.

6. Prætereà temporibus Christianis inuenta est à Christianis Typographia, nouus Orbis, priscis negatus & incognitus, à Columbo, quamuis contradicentibus Theologis ac Philosophis, & habitatio sub æquatore, quam Aristoteles, Virg. & alii multi negarunt, ibi habitari non posse contendentes: item nouæ stellæ per Galilæum, & exorbitantiæ punctorum Cardinalium Apogæorum, & viæ solis per Copernicum, & Peurbachium: & gyrus terræ totius per Lusitanos, qui prius latebat. vnde necesse fuit reformari Astronomiam per Copernicum & Tyconem, ex phænomenis: & Calendarium à summo Pontifice, & anni ciuilis rationem. Item noua Bombardarum inuentio, & magnetis vsus: & pistrinum vento, veru fumo, aliæque artes mirificæ.

Ergo etiam physiologiam oportet nouam facere de necessitate, sicut Picus, & Telesius, Valesius, Paracelsus, cœperunt: quamuis in aliquo errauerint: indicant tamen quòd tota Philosophia debet renouari: cum res inuentæ, & deprehensi errores, & Philosophiam nouam, & correctionem, & Cosmographiam meliorem, requirant. Et quidem tot sectarum agnitio, & horum mores, & naturæ arcana iam aperta, ostendunt priscos Gentiles Philosophos fuisse quasi pueros, respectu Philosophorum Christianorum sicut Theologi Iudæi, teste Apostolo, erant quasi pueri respectu Christianorum

Theologorum noui Testamenti. Qui ergo hoc negat, inuenium neget nouum Orbem, Stellas, & Planetas nouos, & Maria, & bestias, & habitationes, & sectas: & nouā Cosmographiā: Neget etiā Christiana ingenia posse meliora esse ingeniis Gentilibus.

7. Præterea Iulianus Imperator, & Machiauellius Politicus Atheorum officina, improperant Moysi & Christianis, quòd profitentur habere Christum Dei sapientiam, præceptorem, & Doctorem: Nihilominus mendicamus scientias à Platone, Aristotele, & Homero, cęterisque Gentilibus, per nos damnatis. Quod argumentum contra nostram fidem licet non sit Demonstratiuum, est tamen scandalosum, & apud vacillantes in fide apparet plusquam probabile. ergo est eradicandum per instaurationem scientiarum vt Greg. Nazianz. aliique Patres, prohibiti Gentilium Philosophos, & Poëtas legere à Iuliano, noua Poëmata, & Physiologias, & Ethicas doctrinas fecerunt, vt ex eorum libris apparet, & ex Basilii, & Ambrosii Examerone. Cur non liceat nobis tale scandalum post Machiauellismum inter Politicos in ruinam ipsorum, & Principum, & Populorum multiplicatum: præsertim in Germania, & Francia & in Aulis principum serpentem, extirpare?

8. Pręterea cum prædicamus gentilibus in nouo Orbe Euangelium, & in Asiæ atque Africæ penetralibus, cogimus eis multa dicere naturalia: cum autem audiunt nos à Gentilibus idolatris habere naturales scientias, damnatis à nobis etiam in primis articulis de Deo, de mundi creatione & prouidentia, & animorum immortalitate, quæ & iam naturaliter cognosci possunt; & non à Christo Luce, & Sapientia Dei, scandalizantur, & in sua idolatria & erroribus confirmantur, si Theologiam Sanctam etiam & in articulis non naturaliter notis, non nisi per Gentiles, & à nobis reprobatos in cęteris naturaliter notis confirmare proponimus. Et quidem scandalum passiuum saltem est prædicare Gentilibus, Gentiles doctores fuisse Christianis

9. Præterea cum & discipuli nostri instituantur secundum Philosophiam Gentilium, vbi animam esse mortalem, vel vnicam in cunctis hominibus immortalem, & mundum esse æternum, & non creatum à Deo; & non posse corruptibile induere incorruptionem, quia plusquam genere differunt, vt ait Arist. Ex quo contra fidem inuenitur Auerr. & non extare inferos, nec cœlites, nec præmia, nec pœnas post mortem: & Deum esse animam primi Orbis, & non prouidere inferioribus, quoniam vilesceret: nec posse mouere lapidem vnum, sed tantum primum Orbem, & agere necessario & non liberè; & alia huiusmodi quæ apud Aristotelem inueniuntur secundum expositionem Auer. & Alex. & Themistii, & Simplicii, Philoponi, & Auicennæ, aliorumque Arabum, atque omnium Græcorum, & Latinorum multorum: Statim dubitant de fide Christiana; & quamuis lectores publici ex præcepto Conc. Lateran. oppugnent hæc dogmata falsa. Auditores tamen putant hoc fieri metu tribunalis Sanctæ Inquisitionis. Nam Arist. qui in cæteris diuinis habetur dogmatibus, & supra Theologos Christianos à nobis authorizatur, videtur etiam in dogmatibus aliis, in quibus non recipitur, sapiens ac verax esse.

Confirmatio. Præterea saltem omnes studiosi, Religiosi, & plebei, & Principes, his doctrinis infectis nutriti, cum in peccata & scelera ruunt, cupiunt esse vera, qua dixit Lucretius, Auerr. & Arist. & alii Græci, & Arabes, ne reneantur pro malefactis reddere rationem Deo. Voluntas autem hæc taliter affecta, facit veriora apparere argumenta quæ suis fauent affectionibus, quàm contraria, vt patet in omni secta, propria argumenta magnificiente, & contraria vilipendente. Vnde Chrysostomus 5. tomo. *impossibile est, impossibile est, impossibile est*, ter dixit, hos, *hos qui male viuunt, in fide non vacillare*: quantò magis si nutriti fuerint in doctrinis fidei aduersantibus: Vnde non sine causa Concilium Lateranen. præcipit, ne in Philosophia, & Poesi immorentur diu, sed per Theologiam & Canones expurgentur. Quæ cautio praue viuentibus videtur esse astutia Mahometica, ne deprehendantur errores Christianismi, vt ipsi aiunt per Philosophos, quos Petrus Abailardus hæresiarcha Christianis præponit Theologis, & idem faciunt omnes Machiauellistæ, & secta Politicorum & Libertinorum nostri temporis ex huiusmodi scandalosis doctrinis ortum habent. Deinde studiosi fiunt Principum Consiliarii & Reipublicæ Rectores; & cum peccant, &

cum agitur de controuersia Iurium Pontif. & Reg. confirmantur in sententia sua volentes esse vera, quæ dicuntur contra Christianismum. Quapropter nutrimus in Scholis perniciem Christianismi, vt euentus quotidie ostendit. Et quamuis S. Thomas, & Albertus, & alii, in bonum sensum Aristotelem vertere conati sint, & vbi manifestè aduersatur fidei ipsum impugnauerint, tamen non modo Græci, & Arabes, sed etiam Christiani dicunt, S. Thomam Latinum non intellexisse, Aristotelem Græcum, vel torsisse: Theophrastum vero Aristotelis discipulum, Alex. Themistium, Simplicium, & Auerroem, melius intellexisse, & comprobasse: sic dixit [illegible]ndunus, Pomponatius, Marsilius, Burlæus, Anton. Mirandula, Cremoninus, & alii multi expositores Christiani. Et ex suspicione contra D. Thomam, natus est ex Aristotele & Auerroe, & aliis Machiauellismus radix malorum, faciens Religionem *di ragion di stato*, & occupauit thronos Regum & Capita Populorum. Quapropter cum remedium S. Thomæ, & aliorum hoc tempore; quasi nihil prosit, imo malitiosis obsit, & astutis, vt hæreticorum Scholæ, & Politicorum, & Libertinorum ostendunt: Item Principum, aduersantium Decretis Papæ praxis ostendit aulas Machiauellizare: propterea expedit nouam Philosophiam struere, & dogmata praua euertere, ne peccata canonizent Gentilismum, & Atheismum, & refutent ita Christianismum in conscientia, vt tantummodo retineatur in facie apud plerosque Catholicos, apud politicos vero, & hæreticos neque in facie iam: hinc Principibus obedientiam per vim, non sponte præstant, subruuntur politiæ, & regna, & Religio, & Papatus, quod vnicum remedium est contentiones Principum sedandi: & alterum ab alteris iniuriis defendendi, & contra hostes externos infideles vniendi, & iura & titulos tuendi, dandique: & meliores deterioribus præferendi; & hæreses, pestem, & dissipationem regnorum, extinguendi, & ad vnum ouile redigendi mundum totum ergo & ad Deum.

Item impium est lumen ingeniorum nostrorum extinguere, & Lucerna fumigante Gentilium vti, cum neque Cicero ingenia Romana sub Græcis patiatur seruire, & Deus & Sancti eius hoc detestantur. Igitur ex Sole sapientiæ diuinæ, lucerna scientiarum accendenda itetum apparet, vel dicendum est cum Auerroë, quod nihil profuit in scientiis Lex Christiana, sed obfuit. hoc autem falsum est & impium. 10.

Vnde scientiæ sint instaurandæ.

QVapropter quærentibus vndenam instaurandæ scientiæ sint, respondet Papa Greg. 9. ex patribus & Conc. Lat. ex Theologia & Sacris Canonibus. Nam S. Basilius, Ambrosius, Augustinus, Iustinus, Beda, & alii, Theologi, omnes Philosophicas res & morales tractauerunt & dogmata falsa Philosophorum confutauerunt; propterea ab eis petenda est interpretatio veritatum, ipsi autem ex SS. Scripturis, & traditionibus acceperunt. Quod autem in iis inueniantur scientiæ, qui legent sparsim librosq; P. P. nostros coniunctim, inuenient omnes scientias posse hauriri & colligi per Scripturas Dei. Præterea Greg 9. Iubet vt satagant fieri Theodidacti non Philosophi: id est docibiles Dei. ergo in libris diuinis Philosophari. Duplex autem Dei codex, Rerũ natura, scilicet & Scriptura: hi sunt nobis lumen, & quicunque ex his testatur est noster Magister in Schola Dei; qui autem opinatur, est condiscipulus; qui autem soli propriæ phantasiæ inhæret, quamuis laudatissimus à multis, non est accipiendus, sed tantum audiendus, sicut August. & alii P. P. quando negant Antipodas extare: igitur quoniam Philosophi ex primo codice, qui est rerum natura, scientias accepisse profitentur, primus autem Codex Dei non pugnat cum secundo: nam, vt ait Concilium Lateran. *Sess. 8. Verum vero non contradicit*: & Apostolus. *Nunquid diuisus est Christus? Non est Deus dissensionis sed pacis*: Examinandi sunt ex quo errauerunt contra secundum, an in primo errauerint: & corrigendi sunt per eos, qui charitatem veritatis à Christo sapientia Dei, acceperunt; nisi velimus condemnare Sanctos DD. omnes & Columbum & alios veritatum inuentores. *1. Cor. 14.*

Probatur hoc est figura Esdræ, qui consuluit, quando filii Israel ex parte Iudaicè, 1.

ex parte Azoticè loquebantur vt abiicerent vxores alienigenas, idest, scientias seculares vt Orig. & Hier. ad Pammachiũ interpretantur; & acciperent eas ex filiabus Israël, hoc est, ex Scripturis Sactis & Patribus, addendo methodum, quæ eis deest aliquando: hac eadem figura Esdræ vtitur Greg. 9. Papa in Decreto ad Parisiensem Academiam, vbi damnat Arist. & iubet doctrinas ex patribus non ex Philosophis haurire, & Hebraice solum non Azoticè simul loqui, idest, non gentilizare. Nos autem ita fecisse in cunctis comperiemur, ex arcanis scilicet naturæ, & scripturæ; quando Christiani ex parte Christianizant, & ex parte gentilizant. Naturam autem rerum, idest, mundum esse Dei codicem, in quo suas ideas expressit, testatur Bern. Chrysostomus, & S. Anton. apud Nicephorum. Item Sanctæ Brigittæ reuelatum est, quòd sicut liber Platonis vocatur sapientia Platonis; sic mundus ab initio vocabatur Sapientia Dei, scilicet scripta viuis caracteribus, ex qua omnes Philosophi exscribunt, alii rectè, alii non rectè. Qui benè legit autographum, potest emendare ipsorum exemplaria. Stultus autem est, qui exemplari non autem autographo fidem præstat: ac deplorandi sunt, qui homini magis, quàm Deo operam dant; sicut qui in libros Gentilium Philosophantur, nil examinantes autographum, id est, rerum naturam, an rectè scripserint, scrutantes. Imò hæreticum est facere scholam hominibus, & non Deo, vt isti admiratores hominum, pugnantium cum diuino Codice, faciunt. Nostrum quoque esse profitemur, quidquid Philosophi rectè dixerint, vt Clemens Alex. 1. *Strom.* 4. admonet, & Iust. *in Triph.* & G. Nyss. *in libro de vita Mosis*, & Augustinus 2. *de doctrina Christiana* admonent. Propterea nequaquam vni sectario inhærendum, vt Aristotelici faciunt, patres prædicant, præsertim August. 8. *de Ciuitate Dei*, *cap.* 9.

Peccant facientes scholam hominibus & non Deo Ergo qui Scripturam explicant pro sua phantasia.

RESPONSIO AD PRIMVM ARGVMENTVM.

Respondeo ad primum argumentum, quod Christus docuit moralem Philosophiam, nedum Theologiam, & Politicam, & Oeconomicam, quæ omnia habemus in Epistolis Apostolicis plenius, vnde Canones, & leges eliciuntur: in prophetis verò & in hagiographis, & in veteri lege, Philosophicæ, & Morales & Politicæ, magna ex parte habentur. Quapropter, sicuti ex illis elicuerunt patres Theologiam, quam Scholastici methodo adornauerunt: sic licet & alias scientias itidem methodicè ordinare, etiam necesse est ob suprapositas rationes. Dominus autem Iesus est author vtriusque testamenti, & naturæ & gratiæ: est enim Sapientia Dei vera, non sectatiorum opinio. Nec Gentiles rectè eas tradiderunt sine errore, tum quia ex ambitione vel auaritia Philosophabantur, vt testatur Plato, & Cicero, & experientia, & dissidium inter eos, nedum Euseb. Cyrillus, Lactant. Augustinus Iust. Clem. Alexand. & vnusquisque non sapientiæ primæ, sed sibi scholam facere studuit; tum quia lumine Euangelii caruerunt, & gratia supernaturali, perfectiua naturæ; & vt ait Apost. *Cum Deum cognouissent non sicut Deum honorificauerunt; ideoque tradidit illos Deus in reprobum sensum & obscuratum est insipiens cor eorum.* Quapropter ingenia illuminata Deum verum colentia, possunt scientias melius inuenire; atque qui secus opinatur cum Iuliano Apostata, & Auerroe, iniuriam facit sapientiæ Dei ac prouidentiæ.

Rom. 1.

Præterea si post Gentiles non licuit alias struere scientias, cur Boetius scripsit de musica. Augúst. de Musica, Logica, & Grammatica: Beda de his scientiis. & insuper de Astronomicis? scripserat Cicero de officiis: scripsit etiam & S. Ambr. de Officiis: qui quidem peccassent, si non licet amplius, & melius, Philosophari. Peccarunt etiam Lactan. Clem. Iustinus, Eusebius, Origenes, Aug. Chrysostomus, Beda, Basilius, Philosophorum dogmata Philosophica, & Moralia reprobando. Absit. Nonne etiam Cosmographia noua exstructa est ab Ortel. & Merc. per necessitatem? multò magis ergo Physiol.

Ad 2. Quomodo sunt Gentiles recipiendi.

Ad 2. Non effugimus vias naturales rectas, sed vitiosas & Sophisticas, in quibus autem gentiles rectè locuti sunt, amplectimur eos: quin vt ait Iust. *in Triphone*, & Nyssenus *de vita Moysis*, & Aug. 2. *de doctrina Christiana*, extorquemus ab iis, tan-

quam ab iniustis possessoribus: quidquid enim rationaliter & sapienter locuti sunt, est à ratione, sapientiaque Dei effusa super omnem Carnem (vt dicitur *Eccles. 1*) Christus autem Dei sapientia est incarnata. Ergo si extra Christianismum sunt, iniustè possident, quæ à Christo authore naturæ habent, si ipsum etiam authorem gratiæ non recipiant. Philosophia enim est Catechismus ad fidem teste Cyrillo, & Clemente Alex. non autem impedimentum, vt insipienter Peripatetici volunt. Non igitur reprobamus Philosophiam, sed quæ veritati ac Christianæ fidei præstant impedimentum Sophistica dogmata vitamus.

Ad tertium si scientiæ Gentilium carerent falsitatibus, & illuminatæ essent diuino insuper modo, vtique retinendæ essent, quoniam facilem aditum ad fidem darent; sed quoniam scatent erroribus & obscuritatibus, & infectas habent radices vt dicit S. Concilium, & Theologiæ in multis repugnant & maximis. Vnde à principio DD. nostri & cum tyrannis & Philosophis pugnarunt quo Theologiam iuuare & seminare possent, sicut fecit Iust. Origen. Tertullianus, Ambros. Lactant. Clemens, & cæteri PP. Præterea prostrato Gentilismo, & Iudaismo, ne reliquiæ & fumus eorum nos impediat à doctrina salutis, quod maxime hoc tempore facit per Macchiauellismum & Scolarium deprauationem, sicuti Concil. Lateran. conqueritur: propter hoc igitur scientiæ reformandæ sunt, vt optat Concilium, & minuenda autoritas Gentilium & augenda Philosophorum Christianorum in Christi Scola; cuius scolæ veritatem non verbositas Philosophorum, sed miracula, martyrium, Prophetia, Sanctitas, & cætera charismata comprobarunt, vt dicitur *1. Corinth. 12. & 14.* Philosophi autem intrauerunt in scholas, vt testes contra alios Philosophos Dei aduersarios, vt docet S. Thom. *1. q. 1.* non autem tanquam Magistri nostri, sicut scioli opinantur: & vtuntur. *Ad 3.*

Ad 4. verè sapientia vocauit scientias tanquam ancillas ad arcem, in quo veræ scientiæ sunt: in cæteris eas corrigit, resecat vngues, & capillos, vt Hieronymus admonet in Epistola ad Pammachium: sed vbi ancilla superbit supra Dominam suam. *Eiice ancillam, dicit Dominus, non enim erunt hæredes cum filiis liberæ, filii ancillæ*, superbientis iam in Macchiauellismo Auerroistico: ac proinde faciamus nobis ancillas fideles bene seruientes. *Ad 4.* *Gal. 4.* *Gen. 21.*

Ad 5. Superbia quidem est facere quod Nemo, vt Bernard. ait, in vita communi & regulari contra communem ordinem; non autem in aliorum bonorum & fidei tutamen, alioquin Franciscus, Dominicus, Bernard. qui familias fecerunt à vulgari vita sequestratas, vnde admirabiles facti sunt, dicendi ex eo essent superbi, quoniam prauæ consuetudini aduersantur, aut consuetudinem meliorant. *Ad 5.*

Nota etiam quod Episcopi Itali, Asiatici, Africani contra Hieronym. nouam versionem bibliorum facientem, loquebantur quasi contra superbum, & spiritui, cuius afflatu 72. Interpretes diuisi interpretationem fecerunt; iniuriosum. Similiter hoc tempore contra studiosissimum Baronium garriunt, quod historias receptas ab Ecclesia infirmauit, quando veritates elucidat. Alii contra Columbum tanquam hæreticum inuehebantur, quod proposuisset inuenire Antipodas, negatos à S. Aug. Iust. Lactantio, quibus repugnans Episcopus Salisberiæ, priuatus est Episcopatu in Synodo Nationali, vt ex historia Bauarica habetur: nihilominus viuit veritas pro Columbo, & pro Episcopo damnato. Omnes ergo, qui Philosophiam alicuius authoris canonizant ex Theologia, exponunt fidem irrisioni vt docet S. August. & S. Thom. *Opusc. 9.* *Auent. lib. 5. histor. Bauar.*

Præterea hoc quod facimus nos, Patres ipsi superius allegati fecerunt non semel, præcipuè Iust. & Ambros. & Basil. &c. quamobrem nec superbia est, nec singularitas, sed ad fidei & Politiæ tutamen contra infectas radices scientiarum; id quod Concil. Lateran. & S. Pontifex. Greg. 9. & Patres imperauerunt, laboramus.

Adde quod dicitur in decreto *dist. 9. can. 5.* veritati & rationi consuetudo est postponenda: & quod prius factum non est; nunc faciendum est, inuento nouo Orbe & surgente Machiauellismo; & Politicorum & Libertinorum secta; quæ faciunt Principes tyrannos, ac Populos seditiosos ex Gentilismo. *Ad 6.*

Ad 6. Ad 6. negatur assumptum: imò ex Scriptura possunt verius & melius hauriri scientiæ, vt probant PP. ac nos fecimus. Et ratio dictat, postquam tot sectæ patuerunt, & Cœlum nouum, & stellæ nouæ, & planetæ, & lapides, resque aliæ nouæ, & dimidium mundi, quod prius latebat apparuit; & Cœli exorbitantiæ mirificæ, quæ nouam Philosophiam omnino requirunt: Et si nos omnino non id possumus, multo minus potuit Arist. Ait enim Salomon: *Mundum tradidit disputationi vt nesciat homo opus suum ab initio, quod operatus est Dominus*, & alibi, *quanto plus laborabit, tanto minus inueniet*. Hæresis ergo est dicere Aristotelem inuenisse veritatem, neque nos posse vltra Philosophari, & cor obscuratum præferre illuminatis ab Euangelio: exque rerum inuentarum copia, & experimentis in mundo, qui est Codex primus. Methodus autem facilis est iis, qui veritates inuenere: & sicut Theologiam sparsam in methodum Christiani redegere, sic & alias scientias: Difficilis autem res est ignorantibus.

Eccl. 3 & 8.

Vtrum liceat Aristotelismum euertere vel saltem contradicere Aristoteli, & authoritatem minuere.

ARTIC. II.

Videtur quod non.

1. PRimo. Aristoteles enim receptus est in scholis à septingentis annis, & Christiani scriptores Sacri & profani eius authoritate propriam sententiam reprobant, ita vt instabile sit, quod Aristoteles non firmat: impossibile est autem omnes errasse, & me vnum veritatem agnouisse.

2. Secundo D. Thom. & omnes Theologi Scholasti Theologiam ex dictis Aristotelis confirmant, & in ipso fundant, & Aristotelem magnis laboribus exposuerunt, ergo quicumque Aristotelem euertit, Theologiam euertit, & labores Sanctorum Doctorum inanes facit.

3. Tertio non permisisset Deus falsiloquum hominem tam altas figere in Christianitate radices. Quapropter veritatis inimicus, aut inuidia plenus est, quicunque eius euersor, aut magni nominis cupidus, aut hæreses subministrare conatur.

4. Matt. 13. Quarto Dixit Dominus, *Sinite zizania vsque ad messem* (qui est finis mundi) *crescere, nè simul eradicetur & triticum*. Ergo tolerandus est Arist. ne Scholastica eradicetur Theologia. Si quid prauitatis habet propalandum est discipulis, ne incidant in illum, vel meliori interpretatione condiendum, quoniam naturaliter sciri nequibant, quæ ipse perperam docet, vt facit D. Thom. contra Græcos & Arabes, cuius iudicio refragari stultum impiumque videtur.

5. Quinto item Telesius qui nouam contra Aristotelem struxit Philosophiam à sancta inquisitione est prohibitus, ergo. Item nouatores damnantur in Concil. At qui Aristotelem euertit, est nouator. Ergo.

Sed contra est Synodus Parisiensis, celebrata anno Domini 1204. ab Henr. Archiepiscopo Senon. cum omnibus suffraganeis, (vt testatur Ioannes Victorinus in memoriali historiarum, quando damnatus est Almericus Carnotensis ab Academia Magistrorum Parif.) in qua condamnantur opera Arist. & è scholis eliminantur, vt Errorum & impietatis fontes, & condemnatio fuit confirmata à Greg. 9. Hanc mihi nuper relationem Theologus Parisiens. doctissimus & solertissimus tradidit Ioannes de Launoy, & typis mandauit totam (cuius ego partem allegaueram in alia editione.) sic autem dicit in libello suo. *In Rigordo historico in vita Philippi Augusti hæc leguntur ad an. 1209. In diebus illis legebantur Parisius libelli quidam de Aristotele vt dicebantur compositi, qui docebant Metaphysicam, delati de nouo à Constantinopoli, & à Græco in Latinum translati, qui quoniam non solum heresi* (Almarici Carn.) *Sententiis subtilibus occasionem præbebant, immo & aliis nondum inuentis præbere poterant, iussi sunt omnes comburi, & sub*

& sub pœna excommunicationis cautum est in eodem concilio, ne quis eos de cætero scribere, & legere præsumeret, vel quocunque modo habere. Rescriptum autem Gregorii noni ad Magistros Parisienses extat in tabulis vniuersitatis: cuius verba hæc sunt. *Adhuc iubemus vt magistri artium vnam Lectionem de Prisciano & vnam post aliam semper legant: & libris illis naturalibus, qui in concilio Prouinciali ex certa causa prohibiti sunt, non vtantur, quousque examinati fuerint: & ab omni errorum suspicione purgati. Magistri vero & scholares Theologiæ in facultate, quam profitentur se studeant laudabiliter exercere, nec Philosophos se ostendant, sed satagant fieri Theodidacti, nec loquantur in lingua populi, linguam Hebræam cum Azotica confundentes, sed de illis quæstionibus tantum in scholis disputent, quæ per libros Theologicos, & Sanctorum Patrum valeant terminari.* Ex quibus vides Arist. Metaphysicã, & libros naturales à Synodo & ab Academia, & à D. Papa fuisse damnatos, combustos, exsecratos, & ex patribus sicuti nos facimus scientias instaurari oportere, & à Codicibus naturæ & Scripturæ; non à Gentilibus: ne filii Israel ex parte Iudaicè, & ex parte loquantur Azoticè, contra quos exclamat Canus, quod gentilizant & habent Arist. pro Christo, Auerroem pro S. Petro, Alex. pro S. Paulo; & ista Synodus & Decreta & excommunicatio nunquam fuere retractata. Imo propter hoc posteà damnauerunt S. Thomam tanquam Decreto inobedientem, quoniam nimius est in allegando Arist. in Theologia, sed toleratus est, postquam viderunt zelo fidei Arist. expoluisse in meliorem partem, vt infra.

Sed similiter decretũ extat nostris temporibus sub Leone X. Conc. Lateran. *ibidem sess.* 8. præcipiens Scholasticos in Philosophia Aristotelica, quæ tum erat in vsu, & in poëtica, non immorari, quoniam habent radices infectas, sed per Canones Sacros & Theologiam Scholares ab ipsarum maculis purgari oportere: Item Lectores dogmata Aristotelica damnare iubet, ac doctrinam Sanctorum supra Philosophos authorizare & euehere, tanquam purgatiuam animæ, & Reipublicæ perfectiuam, ita iubet quia scientias denuo fieri non potest iubere, sed optare.

Idem habetur in Const. Dominicanorum *d. 2. cap. 14.* quapropter statuo conclusionem.

CONCLVSIO.

In aliquibus, necessarium esse necessitate præcepti ac salutis euertere Aristotelismum, in aliquibus vero esse vtile eidem contradicere, in multis vero licitum.

Prima pars Conclusionis; quod necesse est contra Aristotelem sentire, & agere.

1. PRimum patet in his illius propositionibus. Deus non est Creator mundi, sed mundus est æternus ante & post, ex Arist. 8. *Physicorum, & 12. Metaphys. vbi* D. Thomas *Lectione* 5. ait Aristotelem hanc sententiam firmiter tenuisse, & non problematicè, licet sit problema apud Philosophos Gentiles generatim, vt in Topica Aristoteles dicit.

2. Deus non prouidet rebus inferioribus, imo vilesceret si inferiora respiceret *12. Metaphys. text.* 51.

3. Deus non habet ideam neque cognitionem rerum extra se, nec in se, quoniam pateretur ab illis, ideo nec prouidet.

4. Deus est agens necessarium, & non liberum, quippe qui ab æterno est anima primæ sphæræ, nec potest non mouere ipsam: præterea, nec apud nos potest mouere lapidem vnum *ex* 8. *Physicorum, & 12. Metaphysicorum, & commentatoribus.*

5. Deus non potest mouere infingendo motum actiuè & physicè, quoniam non intelligit quæ sunt extra se, sed mouet tantummodo obiectiuè & moraliter vt amatum & desideratum. *Ibidem textu* 36.

6. Deus inferiorum curam non gerit, propterea que apud nos datur casus, & fortuna; & ideo Ambros. lib. de Officiis, & Origenes contra Celsum dicunt Aristotelicos esse deteriores Epicuræis.

7. Religio est ars regnandi, & retinendi populos in officio, & obedientia; quocirca fabulosos Deos, & obscænum Priapum retinendos esse, atque colendos 7. *& 8. Politicæ*, quamuis vere dii non sint, & sacerdotium deberi militibus veteranis ad quietem, quasi huius sit gratia, non Dei colendi ratione, & ad Deos iter.

8. Item inferos & superos esse fabulas legislatorum 2. *Metaphys. & in 12.*

9. Post mortem nec præmium nec pœnas nec sensum homini remanere, sed fœlicitatem & infœlicitatem cum morte finiri *ex 1. Ethicorum cap 14 & 15.*

10. Animæ hominum particulares moriuntur cum corpore iuxta expositionem Aristotelici Textus apud S. Greg. Nyss. S. Ambrosium, & Augustinum. Item eadem est expressè Auerrois, Auicenn. Alex. Theoph. Simplicii, Themistii, & aliorum Aristotelicorum, Græcorum, Arabum, Latinorum, atque vnam tantummodo, quæ non est forma Corporis, sed assistens cunctis corporibus, immortalem, & contra hanc opinionem Conc. Viennense & Lateranense pugnauit, & decreuit.

11. Nullos extare Diabolos, nec Angelos, nisi motores Spærarum, qui motu beantur, nec possunt non mouere. *In Metaphy. lib. 12. & in lib. de Mundo.*

12. Deum non immittere insomnia, quoniam sapientibus & non simplicioribus, vt accidit, immitteret, *in libro de insomniis.*

13. Intelligentiarum cœlestium idem est intelligere atque esse 12. *Met.*

14. Item *in problem. sect.* 30. docet prophetas omnes sibyllasque non afflari Spiritu diuino, sed melancholico humore insanire, & per insaniam diuinare, vnde impiè, & stultè frater Bart. Monopolitanus, & Henricus de Assia Theologi scripserunt S. Catarinam Senensem, & S. Brigittam non diuinitus, sed ex fatigata phantasia diuinasse, & Anton. Mirand. idem de omnibus prophetis. Similiter Pomponatius: & alii qui demonoplexias, & angelicas suggestiones negat, vt Ioan. Laurent. Ananias *libro de natura Dæmonum* etiam meminit.

15. Hæc sunt quæ necessario neganda & destruenda veniunt in Aristotelismo, iuxta Conciliorum & P.P. præcepta. Item omnes conclusiones ab his infectis radicibus, (vt decretum S. Conciliorum monet) nascentes. Atqui his non negatis statim corruit omnis Respublica, & Regnum, & Ecclesia. Ergo necessario explodenda.

Secunda pars Conclusionis probatur, quod videlicet vtile sit Aristoteli contradicere.

IN multis vtile esse Aristotelem reprobare nos docuerunt Patres; qui idem fecerunt: vtile, inquam, politiæ Christianæ, & Theologiæ, & scientiæ, & veritati.

1. Si quidem Iustinus Martyr, cognomento Philosophus librum cōposuit inscriptū. *Confutatio aliquorum dogmatum Aristotelis:* vbi libros physicos, & de Cœlo, & de Mundo ferè totos confutat, & in prœmio confutationis inquit, *Aristotelem nihil rectè definiisse de his, quæ dicere proposuit.*

2. Idem docet Lact. passim in suis libris, & addit. *Aristoteles contraria dixit & sentit.*

3. Præterea Augustinus Aristoteli, quem vocat sophistam præfert Platonem.

4. Similiter Eusebius *libro de præparatione Euangelica & demonstratione Euangelica*, sæpissime Aristoteli circa naturalia, nedum circa diuina contrariatur.

5. D. Ambrosius *libro de officiis*, Aristotelem reputat deteriorem Epicuræis, & *in exam.* 4. Studiosum impugnandæ veritatis; quoniam lumen & calorem abstulit soli.

6. Quo in casu Aristotelem impugnant, tanquam Sacris literis inimicum; Basil. Orig. Lactan. Iust. Chrysost. Beda, August. Bernardus, & omnes Patres, nullo excepto, cum docet cœlum non habere materiam elementarem; sed de quinta essentia constitutum esse: D. Basil. & Ambros. putant esse hæresim, eum Sacris literis pugnantem, idemque asserunt patres omnes. Quibus Cometarum exortus supra Lunam, & nouæ exorbitantiæ contestantur, & omnes Mathematici recentiores contra Arist. sunt pro patribus.

7. Item cum Arist. negat ideas, reputatur hæreticus ab August. *lib.* 83. *quæst. & 19. de Ciuitate Dei*: quoniam per hoc negat verbum Dei: Nam qui negat ideas negat

Deum authorem rerum, & diuinam artem. Idem docet Eusebius *in libro de præparatione euangelica*, & Scotus *in primum sententiarum.*

Præterea que dixit de materia prima, deridentur à D. Basilio *in exam.* & Iust. *lib.* 1. *Confutationis.* 8.

Præterea rarus est textus in Aristotele, qui non ab aliquo Patrum fuerit reprobatus, vt patet ex quæstionibus nostris Philosophicis contra Philosophos priscos, & recentiores omnium sectarum, per nos factis, ad statuendam Philosophiam Patrum. Quod autem ab omnibus seorsim fit, vtile est fieri ab vno: vt intelligant studiosi, quo in loco Philosophia Aristotelica sit habenda. 9.

Præterea S. Vincentius Ferrer, allegatus à Don Seraphino Firmano super Apoc. vocat Aristotelem & Auerroem phialam iræ Dei proiectam super aquas Sapientiæ Christianæ, vnde factæ sunt amaræ, sicut absinthium: & hoc verè effectus probat. quoniam ex Aristotele prodiere, præter iam dictas hæreses, multæ, imo non est hæresis, quæ in Aristotele non fulciatur. Monophysitæ ex Aristotele prodierunt per Ioannem grammaticum, teste Nicephoro. Porretani ex Gilberto Aristotelico qui trinitatem & attributa Dei per Aristotelem volebat metiri, damnatur in Conc. Rhemens. & à D. Bernard *super Cantica.* At maricus damnatur & Arist. simul in Synod. Parisien. vt discipulus cum magistro. & simul à Greg. 9. Petrus Abailardus Scripturas subiecit Philosophis, præcipuè Aristoteli, & Patres Dixit esse ignorantes, & nihil dictorum suorum probasse, vt patet ex Epist. Bernardi ad Innoc 3. Item Arrius hæresiarcha Aristotelicus, teste Baronio, *tomo* 2. Item Carpocratiani, & Theodosiani hæretici adorabant Aristotelem pro Deo, Baron. *tomo* 3. Non minus faciunt moderni, qui dicunt Aristoteli non esse contradicendum. Propter quod Melchior Canus iratus ait, *habent Aristotelem pro Christo, Auerroem pro Petro, Alexandrum pro Paulo.* 10. *Hæretici ex Arist.*

Sed parum est Aristoteli hæresim peperisse: quamuis D. Thomas in multis trahere ipsum ad bonum sensum conatus fuerit: in quibus potest; in quibus vero non potuit, confutauerit: quemadmodum in Conc. Vienn. & Lateran. deinde faciendum decreuerunt. Nam remedium spretum est à successoribus, asserentibus D. Thomam latinũ non intellexisse Aristotelem græcum; quemadmodum Græci discipuli illius Theophrastus, Alexander, Themistius, quos sectantur Auerroës, Auicenna, & Alii: vel de industria simulasse expositionem, quod etiam Caiet. & Scotus, & omnes Scotistæ illi impingunt, præsertim in expositione libri de Anima, nedum Nyphus, Pompon. Iand. qui, vt ait Nyphus *in principio expositionis de substantia Orbis*, plus credidit simplici verbo Auerrois, quam Sacris Scripturis, & Theologis, & Deo Zimara, Simon Portius, Burl. Zabarell. Cremoninus, & alii innumeri Auerroistæ, & Alexandræi. Vnde posteri eius sectatores impleti sunt malitia, atque vt etiam aduertit Melch. Canus *lib.* 10. *de loc. Theologicis*, exiit Machiauellismus ex peripateticismo, radix peccatorum, & insolentiæ Principum, seditionis populorum, & audaciæ seminandæ hæresis, regnandi causa. A quo enim Machiauellus didicit Religionem esse artem regnandi, & leges imposturas astutorum, Deum humana non curare, nisi ab Arist. Auerr. Alexandro aphrodis. & horum sequacibus? ex quibus prodiere nuper praui consultores Schismatum Gibellini, & Imperiales, vt Marsilius paduanus, Pompanatius, Simon Portius, & alii qui Venetis, & Hispanis, Germanis, & Gallis, Anglis, & Danis consuluerunt apostasiam pro dominatu amplificando. Hinc Secta Politicorum & Libertinorum in Boreali regione, vt apparet ex Bureto, Bellarmino, Stanislao Rescio. Adde Caluinistas, Lutheristas, & Puritanos: proceres enim eorum Machiauellistæ sunt, & Atheistæ, sicut Caluinus & Auerroes, teste Guillelmo Roseo. Tutantur autem Luterũ & Caluinum non ipsorum amore, sed licentiæ & dominandi æstu, & vsurpandi impunè Ecclesiarum, & Xenodochiorum bona. Hoc autem manifestum est; quoniam dicunt Papam esse Antichristum, & tamen ius eligendi Imperatorem ex Papa habent retinentque: Vnde fatentur se esse Antichristianos, si non renunciant iuri: & tamen retinent tanquam æquè non credentes Luthero & Papæ. Propterea exiit liber de tribus impostoribus in Germania iuxta Auerr. & Arist. dogmata, volentium legislatores esse impostores, & præcipuè, vt dicit Auerroës, Christum, Moysen, & Mahometem. 11. *Machiauellismus ex Aristotelismo.* *Met 12. Aue[illegible] Arist accepit [illegible] principes esse [illegible] flores [illegible]*

Et quamuis discipuli audiant reprobari bene positionem Aristotelis de Mundi æternitate, & animorum mortalitate, quod faciunt ægrè plerique imbecilliterque & mussitando, vt Ego audiui: imo & scribendo idem audent, & Iandunus, & Niphus *in lib. de anima*, & Cremoninus, & Altimatus *in principio suæ medicinæ*, dicūt se credere vt Christianos, immortalitatem animæ, sed tamen aliter demonstratum esse secundum Philosophiam. Idemque in omnibus profitetur Antonius Mitand. pro Arist. contra Theologos, *in libro de euers. Monomachiæ, toto*: Omnia dogmata Aristotelis contra fidem comprobans vti putat ex Philosophia: & omnia dogmata Christi, & miracula negans pro Aristotele suo. Vnde sectatores implentur malitia, & quamuis citra dolum lectores impugnarent Aristotelem: Discipuli tamen, cum in peccata cadunt, cupiunt veram esse opinionem Aristotelis, ne sint rei gehennæ apud Deum: vel cum fiunt Principum consultores, aut cum Episcopis habent controuersiam, inclinant in opinionem Aristotelis, ne incurrant reatum apud Deum. Quapropter vtile est, maximéque expediens (inquit Melchior Canus *ibid.*) non solum euertere authoritatem Aristotelis, & Philosophiam, sed penitus restringere, & Patres supra Aristotelem authorizare, imo supra omnes Philosophos. Cuius contrarium iubet, suadetq; Petrus Abailardus hæresiarcha: & obseruatur in scholis hæc suasio, vt præceptum. Nam allegatur Aristoteles contra D. Thomam, & Durand. Scotum, & omnes Patres, tanquam melior & magister, & Doctorum tantorum negatur authoritas; non autem Aristotelis: Sed sedet Iudex inter eos. Qua de re valdè conqueritur Bembus Cardinalis, *in paradoxis*, & rectè, quoniam fouemus serpentem intra viscera nostra. Vnde cum volumus confutare dogmata hæretica, videmur ridiculi, & fide indigni iis, in quorum animis ipsum commendauimus, & possessionem dedimus, & tribunal super nos, adeò quod nefas ducunt Scioli Aristotelem negare; imo ait Melchior Canus iratus, *lib 10. de locis. Habent*, (vt iam dixi) *Aristotelem pro Christo, Auerroem pro Petro, Alexandrum pro Paulo.*

12. Præterea Athenienses, teste Laërtio, Aristotelem propter hoc citarunt ad necem, quam fuga euasit, scientes non posse fundari politicam, ne dum Religionem, vbi Aristotelis doctrina recipitur. Et nos Christiani retinebimus tanquam magistrum, *contra la ragion di stato*, ne dum contra Patres, & D. Papam, & Concilia sacra iubentia, quod iubebant Athenienses, & quod ius naturæ damnat in illis ius Sciolorum authorizabit in nobis? absit. SS. Aug. & Thom. perniciem cauendam valdè hanc Philosophorum authoritatem admonent; nos verò pro salute tenebimus? ab fructibus eum cognoscetis. O Ecclesiæ prudentes Pastores, ò prudentes Principes, vestrum est hanc domesticam perniciem agnoscere, & profligare.

Tertia pars Conclusionis, quod liceat in cunctis Aristoteli, vbi ratio contradicit, contradicere. Probatur.

1. PRimo, quoniam omnes Patres illi contradicunt. Basil. *lib. 1. contra Eunom. hæreticum* allegantem Aristotelem pro se; respondet: *Hæc non ex doctrina spiritus sunt, sed de sæculari, de qua scriptum est. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes. & quæ conuentio lucis ad Belial?* Mirum ergo quod in Aristotele putant fundari Theologiam: qui tanquam fabulosus: & Belial diabolus à Sancto Basilio reprobatus est.

2. S. Iustinus, cognomento Philosophus, *in lib. confutationis dogmatum Aristotelis in proœmio*, falsum Aristotelem in magnis docet; & in his quæ definire accepit, nihil veri docuerit: ergo si nihil veri docuit, & in sapientia cæcutit plusquam alii Græci: cur magister in schola Christi sapientiæ reputatur?

3. Gregorius Nazianzenus *vigesima sexta oratione*, damnat prauum artium Aristotelicarum artificium, vt plagas ægypti in Ecclesia, *& in oratione 33.* detestatur Aristotelem vt euersorem prouidentiæ & immortalitatis animorum.

4. Hieronymus *contra Heluid*, ait, *nec Aristotelis spineta conquirimus; verba scripturarum ponenda sunt. Et in lib aduersus lucifer.* Dicit, *Arianos de fontibus Aristotelis mutuari argumenta, quæ sapientia sæculi est.* Ergo cur Theologiæ Sanctæ ponitur paraclectus?

Epiphanius 2. *aduersus hæreses cap* 69. damnat Arrianos quod fuerint noui Aristotelici, & ab Aristotele veneni iaculationes sibi ipsis affricuerint, relictaque Domini mansuetudine Aristotelem induerint. 5.

Tertullian. *in præscriptionibus* declarans illud ad Colos. *Ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam*, docet hæreticorum Patriarchas esse Philosophos, ex dialectica Aristotelis vana, falsa, operosaque. 6.

Cyrillus 1. *contra Iulianum*; Philosophos errorum causas, præcipuè Arist. ponit. 7.

Idem dicit *Eusebius* 14. *de præparatione*: *& lib. contra Philosophos*; Damnat Aristotelis vitam, mores, Philosophiam moralem, & naturalem, & Metaphysicam; tanquam diras pestes: cæterisque Philosophis, præcipuè Platone inferiorem facit, ingratum, stupidum, petulantem. 8.

Lactantius Firmianus sæpè, præsertim *lib.* 1. *cap.* 4. quoniam fuit sibi & aliis, & naturæ contrarius Aristoteles, ideo contraria dicere, sentire & Sophistam esse vanum Aristotelem sæpe docuit. 9.

S. Thom. 4. *de regimine cap.* 4. quoniam fuit inuidus contra Platonem, & Socratem quorum verba peruertit, & id probat authoritate etiam Simplicii & Eustathii Peripateticorum: & allegat S. Augustinum, probantem authoritate Gellii, quod Aristoteles fuit impostor; idemque docet contra imposturas eius, *in* 1. *Meta. Lect.* 11. *&* 1. *Cæli, Lectione* 22. *&* 3. *Lectione* 2. *&* 1. *de anima, Lect.* 8. plus & minus clarè.

Ambrosius in omnibus ei contrarius, dicit tandem valde fuisse studiosum impugnandæ veritatis *lib.* 3. *cap.* 3. *Hexam.* ita vt etiam calorem solis abnegauerit, cunctorum sensibus manifestum; *& in libro de Officiis*, facit Arist. deteriorem Epicuræis. 10.

Idemque prius scripserat Origenes, *in libro contra Celsum*. Scotus & Franc. dictus. 11.

De Mayronis, quod ignorauerit Metaphysicam, & pugnantia admiserit. 12.

Franciscus Picus, quoniam est plenus subtili verbositate, & tædiosa: in necessariis deficiens, & in futilibus abundans: difficultates varias instar piscis sepiæ fugiens, atramentoque obnubilans. 13.

Durandus sæpe ab Aristotele desciscit, præsertim cum de intellectu agente *in* 1. *dist.* 3. *q.* 5. cum de speciebus intelligibilium est Sermo *in* 2. *dist.* 3. *q.* 6. vtrumq; negat Durandus quod ab Aristotele asseritur. Item Aristotelem secum pugnare sępe monet *dist.* 18. *q.* 3. Item inquit Aristotelem de infinito, & de mundi æternitate loquentem secum diffidere, non solum contra fidem, sed etiam contra rationem naturalem. 14.

Melchior Canus *lib.* 10. *de Locis*. ostendit ex Aristotele apud Italos natum esse Machiauellismum de mortalitate animorum & de improuidentia Dei circa inferiora, Item esse pestem Christianorum probat ex impiis propositionibus. his scilicet. 15.

Prima *in lib. de Somn.* quod Deus non immittit Somnia, quia non sapientibus. 1.

Secunda *in lib. de bona fortuna*. Subtrahit Deo prouidentiam, propter hoc, quod bona malis eueniunt, & è contra. 2.

Tertia *in lib. de Cælo*. Omne incorruptibile esse æternum etiam à parte ante, vnde vel anima mortalis, vel æterna vt Deus. 3.

Quarta *in* 5. *&* 12. *Metap.* Asserit Deum esse animal perfectum, & optimum, quoniam est anima prima Cœli informans, vt etiam D. Thomas concedit. 4.

Quinta *in* 8. *phys.* Omnes motores Angelos infinita virtute donat quoniam ab ęterno, & in æternum mouent. 5.

Sexta, *quoniam in* 12. *Met. textu* 51. Deum non curare inferiora & parua, sed tantum cœlestia. 6.

Septima, quia docet ad politiam retinendam esse fabulam fictam à legislatoribus, quod dicunt de pœnis, & præmiis post mortem. 7.

Additq; contra Aristotelē Canus authoritates Patrum & Diog. Laert. & aliorū, &c.

Octaua quoniam facit Deum causam agentem necessariam, non liberam, iuxta expositionem Græcorum. Arab. & Lat. quorundam. 8.

Nona, quoniam, *in* 7. *Politie*, abortus & nefarios concubitus, ne abundet numerositas, consulit. Item mutilos, & abortiuos fœtus non alendos. 9.

Decima, admittit infinitum numerum animarum, negat creationem & resurrectionem. 10.

Addit Canus alias impietates, & insipientiam Aristotelis.

Alios testes adducere mihi non vacat.

PRæterea neque tam Doctus in humanis est scientiis vt mordicus defendi debeat, nisi ab imperitis.

1. Siquidem tanquam studiosus contra veritatem apertam, teste Ambrosio, lumen solis negat, & Calorem: sed Peripatetici lucem soli restituerunt, non calorem, teste Simplicio, 2. *Cœli* 42. & Auerroë de Substantia Orbis.

2. Præterea motum fieri in vacuo in instanti 4. *Physicorum*. Hoc Diuus Thomas dicit esse falsum, idemque Auempaces.

3. Non vult habitari posse sub æquatore. Contrarium Albertus, & Auicenna, & experientia hodie nauigantium testatur ibi fœliciter habitari.

4. Duo esse principia actiua sentit cum Parmenide, vnum passiuum *in* 1. *phys.* ac duo elementa à duobus actiuis constituta, ac idem Parmenides docet, testimonio Aristotelis. At *in* 2. *de generatione & corruptione* ponit quatuor elementa vnius materiæ, & addit duo alia principia actiua, coactus, vt dixit *in tex.* 33 *&* 34. Propterea Lactantio videtur Aristoteles contraria docere & sentire.

5. Item 12. Met. dicit Angelos imitari Deum mouendo, & sic beati: & tamen contra Deum mouentem ab ortu ad occasum Angelos mouere ab occasu in ortum, & aliis alios reluctari, ita vt nequeant mouere. Ergo non est imitatio, sed contraitio, & infœlicitas.

6. Libros Metap. 12. facit, & tamen in totis vndecim præmia componit; in duodecimo componit Metaphysicam, vbi tot hæreses, quot verba à nobis superius reiecta. Propterea Franciscus Doctor illuminatus de mente Scoti dixit Aristotelem esse imperitissimum Metaphysicum: Nyphus vero alios duodecim desiderari eiusdem libros.

7. At præterea *in* 12. *Met.* ostendit nihil de Theologia & minus de Astronomia scire; recitat opiniones Eudoxi, & Calippi de sphæris & motoribus contrariis, nec addit de suo nisi reluctantes, facientes discordiam cum pœna propriæ immobilitatis. Et ad quæstiones respondet se relinquere solutionẽ fortioribus; & propriam coactus ignorantiam fatetur; & tamen sapientem nos esse, volumus in eisdem.

8. Neque ordo laudatus eius aliquid boni habet: quoniam partitur Philosophiam in libros varios vnum corpus scientiæ non facientes: sicut Timæus naturæ & doctrinæ accommodatius facit. Item *in Metaphys.* ea, quæ non sunt Metaphysicæ tractat in 11. libris, in 12. autem vbi propria tractant, nihil probatur & tot dogmata falsa, & secũ pugnantia ponit, quot res, de quibus est Sermo.

1. Moralia sine methodo scribit, prout accepit ex variis libris, & virtutum numerum ignorat, & scopum vnde agnoscantur, vt patet ex Diuo Thoma, & Telesii lib. 8. Galaxiam fieri in aere dixit tam ridiculè ex vaporibus, vt etiam ab Auerroe suo sacrificulo, nedum Alberto, & tandem à Telescopio Galilæi explodatur cum risu.

2. Item de Cometis tam rudirer loquitur, quod fiant sub Luna, & ex vaporibus accensis, quorum duratio non esset in momento: durant autem per menses, & annos: vt ab omnibus ingenio Sophisticus deprehensus derideatur, præsertim Tychone, Galilæo, Santuccio, Beda, Seneca, Thelesio, & aliis.

3. Libros de animalibus accepit ab aliis, & ex relatione militum, & venatoribus: & de partibus, & vsu partium, ridicula scribit, & falsa (à Capriccio) vt Galeni experientiæ probant: non dignatus anatomen facere, sed propria ex phantasia describit, quæ non vidit, nisi vt Lanius.

4. Opiniones Antiquorum non tam iniustè damnare conspicitur, quam non intelligere, vel nolle intelligere, vt testatur S. August. Gellius, D. Thomas, Simplicius, Eustathius, Patricius, & Platonici, & Scholastici nostrates.

5. Item furari aliorum dicta, illosque proscindere maledictis, ne furta eius quis deprehendat. Vt ex Plutarcho, & Galeno, *de plac. tis Phorum.* Scimus, & D. Thom. in 4. de regimine Principum fatetur. Cap. 4.

6. Vitam eius libidinosam, impiam & ingratam contra Alexandrum, quem veneno necandum curauit, & aras positas Hermeæ, quas vt Poeta cecinit.

Mente vacans vacuus ponit Aristoteles.

Pudet referre; licet Eusebius enarret tanquam signa ingenii praui, Sophisticique, non sapientis hominis.

Licet ergo illi contradicere in multis; in aliquibus expedit, & aliquibus est necessarium, vt à Principio dicebamus. *Conclusio.*

RESPONSIO AD ARGVMENTA PRIMA.

AD primum respondentes, dicimus, Tria.

Primum quòd nullus est Philosophus acceptatus in Scholis Christianis, tanquam magister indubitata fide dignus. At ex omnium Philosophorum Scriptis Theologo Christiano seligendum esse id, quod bene ac fidei ad hominem declarandæ consonum dictum esse, examinando, plene cognouerit.

Secundum, quod si quis Philosophorum est acceptatus, vel acceptandus, ille est Plato, vel alius, non autem Aristoteles.

Tertium, quod fato diro introductus est Aristoteles, vt sit sciolis magister, qui sapientibus solum fuit aliquando testis contra suos.

Probatur prima pars Assertionis.

PRimò ex authoritate omnium Patrum, & Scholasticorum asserentium, quod doctrina Christiana habet testimonium à Spiritu sancto in scripturis Sacris & certis traditionibus SS. Conciliorum, & SS. Pontificum decretis. Quod autem hæc à spiritu Sancto sint, probatur miraculis, martyrio, prophetia, sanctitate, & successione Charismatum, & concordia horum inter se, & cum primo Dei Codice, qui est rerum Natura: à quo secundus non discordat, sed commendatur, vt sui perficiens, quemadmodum in 1. Theologiæ ostendimus, vbi asserimus hæresim esse Abailardi dicere, quod Theologia fundetur in aliquo Philosopho, quamuis declaretur per Philosophiam. 1.

Quoniam Theologia vocat omnes scientias, vt ancillas ad sui cultum: ergo & omnes Philosophos; in quo bene seruiunt: in quo male, reiicit, corrigitque, vt dictum est ex Origene, & Hieron. *in Epistola ad Pammach.* Data est enim gentibus, vt ait Clemens Alexandrinus & Cyril. Philosophia, vt Catechismus ad fidem ab Authore naturæ, fideique, à quo dicimur rationales naturaliter, & Christiani ex fide supernaturali. Ergo vbi fidei aduersatur, reiicitur vt pseudophilosophia. Non enim dicimur ab Christo Christiani, vt à Platone Platonici, & si æquali dicendi modo, vt declaratur in 6. Synodo: Christus enim non est sectariorum erectorum vnus, sed prima ratio, prima sapientia: primaque æternaque Philosophia: vnde Raimundus Lullius *in libello ad Philippum Regem Franciæ*, introducit Philosophiam lamentantem, quod falso sibi imponebatur discordia cum Theologia. *Non enim, ait, Ego Philosophia, sed Aristoteles & Auerroes pugnant cum Theologia.* 2.

Ait Clemens Alexand. 1. *stromat. non particularis secta est eligenda: sed quidquid omnes dixerunt Stoici, Platonici, Epicurei, Aristotelici, hoc tantum selectum dico Philosophiam.* 3.

Melchior Canus *in 9. de locis.* Docens quo Authore Philosopho vtendum, ait, *Non more vulgi doctrinam Stoicam, aut Platonicam, aut Aristotelicam Philosophiam appellamus sed studium sapientiæ, &c.* Et quoniam Christus est sapientia, non quidem vnius sectariorum, sed Dei: quidquid sapienter alii dixerunt, extorquendum est ab eis, vt nostrum. 4.

Idemque docet Iust. Martyr, Philosophus cognominatus, *in Dial. contra Triphon.* 5.

Item S. Aug. *in 2. de doctrina Christiana.* 6.

Item S. Gregorius Nyssenus in lib. de vita Mosis iubentis rapi vasa aurea, & argentea Ægyptiorum in huius figuram. 7.

Item Tertullianus *de præscriptionibus 7. viderint,* indignatus ait, *qui Christianismum Stoicum, aut Platonicum, faciunt.* 8.

Proptereà D. Thomas *in opusc. 9. cap. 2.* docet, monet, probatque nullum ex Phi- 9.



losophis esse sequendum Christiano Philosopho, ita vt ab illo probati dogmata fidei velit, vel eius dicta tanquam à fide probata defendat, ne simus irrisioni aliorum Philosophorum, sectis contrariis, præcludamusque aditum intraturis ad fidem.

10. Addit S. August. testimonium *1. super Genes. cap.* 18. *&* 19. vbi alia S. August. affert argumenta contra eos qui Philosophos patronos adsciscunt. At quod suo electo Philosopho est contrarium, subito explodunt cum magno Theologiæ nostræ dedecore ac iactura, præsertim vbi deprehenditur falsus, quem sequimur, vel statim, vel lapsu temporis, ne & postea etiam nostra Theologia falsitatis sine culpa arguatur; sicut post inuentionem noui hemisphærii S. Augustinus & Lactant. arguuntur. Idem Aug. *in 6. de Ciuitate Dei* probat ex omnibus Philosophis omnium Nationum Theologo eligendum quæ bene scripserunt, &c. Vnde & S. Thomas *in quolib. 4. art. 3.* monet non esse coarctandam S. S. ad sensum aliquorum Philosophorum; & in Epist. ad Thess. docet hoc esse adulterium spirituale, vel tyrannidem spiritualem, vel insaniam spiritualem.

Propterea quando Patres disputant pro fide vtuntur testimonio omnium Philosophorum, vt patet in Iustino, Clem. Alex. Arnob. Hierony. & ex Diuo Thoma *in 4. libris cont. Gent.* vbi non solùs Aristotelis vtitur opinionibus, sed etiam Platonis, Galeni, Senec. Pythag. &c. Qui ergo coarctat ad vnum, non modo patitur quæ in præcedenti diximus argumento, sed etiam priuat Theologiam armis ac testimoniis, &c. Vide ergo quàm stultè scioli putant Aristotelem, aut alium Philosophum esse ab Ecclesia authorizatum: cum nec concilia nec Canones hoc afferant, sed contrarium, imo Synodus Parif. & Acad. & Papa Gregor. 9. explodunt & excommunicant Aristotelizantes; & Patres omnibus Philosophis, non vno vtendum, modò, at nullis seruiendum, docuerint. Vide quæ scripsimus in 1. art.

Conclusionis pars prima repetitur.

Pars secunda probatur.

1. NOn ergo intrusus est Aristoteles præuio examine tanquam optimus Philosophorum in Scholas Christianas, sed expressè exclusus ab Acad. & Synodo & S. Pontifice omnes etiam Patres illi prætulerunt Platonem, nedum Seneca, Plutar. Cicero, & tota Gentilitas.

2. Vnde Clem. Alex. vocat Platonem Deum Philosophorum.

3. Chrysostomus vero antistitem.

4. D. Thomas anteponit Aristoteli Platonem, Pythagoram, & Socratem.

5. Iustinus martyr idem etiam olim statuerat, qui de Plat. dixit *in Apol. 2. quod nihil distat à Christianis, &c.*

6. S. Aug. *in libro de Vera Religione*, ait, paucis mutatis est Christianus.

7. Et Ambrosius commentis illustrauit Timæum Platonis, in quo Philosophia naturalis continetur, vt illa Christiani vterentur potius quam aliorum; præcipuè Aristotelis: quem dicit deteriorem Epicuræis fuisse vt Aug. testatur.

8. Qui etiam in 8. confess. cap. 20. refert Simplicianum S. Ambrosii præceptorem, lætatum esse, quod August. Platonicos libros, non autem aliorum Philosophorum adiisset. Ex his enim facilius agnoscuntur dogmata Christiana quàm ex aliis Philosophis à veritate dissentientibus: & propterea à Victorino Christiano Platonicos latinitate donatos.

9. Item S. Iustinus refert se in Gentilismo quæritantem veritates veras à Peripateticis in impietatem tractum fuisse; & Pythagoricis per longas vias actum, ab aliis alia passum: & à solis Platonicis in arcana fidei Christianæ catechizatum fuisse.

10. Præterea idem August. *in 8. de Ciuitate cap. 6.* in tantum recipit alios Philosophos, in quantum Platonizant. Cum enim *in cap. 6.* probasset quod Plato præcellit omnes Philosophos in Physicis, propterea quod agnoscit Deum causam rerum naturalium, *& in cap. 7.* quod sit omnibus præponendus in Logicis, & rationalibus disciplinis, quoniam artem tradit mirificam, & Deum lumen veritatum agnoscendarum præficit, *& in cap.* 8. quod in cunctis superemineat etiam in moralibus, propterea quod agnoscit Deum summum bonum, ad quod virtutes sunt viæ: tandem *in cap. 9.* volens ostendere,

ostendere, qui Philosophi cæteris sint anteponendi, & Theologo Christiano acceptandi post laudatos præ cunctis Platonicos, ait, *Quicunque igitur Philosophi de Summo Deo, & vero ista senserunt, quod & rerum creatarum sit effector, & lumen agnoscendarum, & bonum agendarum, quod ab illo nobis sit, & Principium naturæ, & Veritas Doctrinæ, & fœlicitas Vitæ, siue Platonici accommodatius nuncupentur, siue quodlibet aliud sectæ nomen imponant, siue tantummodo Ionici generis, qui in eis præcipui fuerant, ita senserint; sicut idem Plato: & qui eum bene intellexerunt: siue etiam Italici propter Pythagoram & Pythagoricos: & si qui forte alios eiusdem sententiæ indices fuerunt: siue aliarum quoque gentium: qui sapientes, & Philosophi habiti sunt Athantici, Lybici, Ægyptij, Indi, Persæ, Chaldæi, Scythæ, Galli, Hispani, aliique inueniuntur, qui hoc viderint, & docuerint, eos omnes cæteris anteponimus: eosque nobis propinquos fatemur.* Hæc ille pro Platone, & Platonizantibus mirificè scribit. Igitur Arist. qui hæc tria negat, videlicet Deum Creatorem, Doctorem, & Beatorem hominum, tribus primalitatibus correspondentia; abiiciendus ergo est de Scholis Christianis secundum Aug. & Patres, & S. Pontif. Concilia Sacra. Nec ab Ecclesia inthronizatum fuisse Aristotelem sequentia demonstrabunt.

Stultè igitur quidam dixit; Propterea quod Plato est vicinior nobis, non legitur in Scholis Christi ne ista vicinitas affricet nobis eius errores: quod non est timendum de Aristotele, propter distantiam à Christianis. Si enim hoc valeret, Epicurus potius inthronizandus esset distantior, qui etiam minus esset perniciosus, vt Ambrosius; & Origenes supra dixerunt. Præterea Augustinus suscipit Platonem vt meliorem, quia vicinior. Et per Platonem intrauit ad fidem Iustinus: & nunc isti homines volunt, Aristotelem, quia distat, ea nimirum de causa, qua explodandus erat: vt omnes Patres fecere, & argumenta primi ac secundi articuli probauere, pandentia morbos, & ruinas, quæ ex Aristotele eueniunt. Ergo non Ecclesia, sed mutatio dira sæculi barbari Aristotelem inuexit in scholas.

Hoc dictũ tribuitur Bellarmino à P. Filogasia.

Ratio iudicandi Opiniones Philosophorum.

QVis & quomodo potest definire de dubiis opinionibus Philosophorum in Schola Christiana? Respondet Apost. & cum eo Bern. in apologia, *qui habet zelum & scientiam*, defectu scientiæ enim Iudei aliqui non acceptant Christum, & Synodus damnauit Episcopum Salisberiæ propterea quod afferebat Antipodas negatos à Patribus. Defectu boni zeli Theophilus Patriarcha cum monachis Antropop. damnauit Origenem propterea quod Deum asserit incorporeum.

2. Quando Philosophi aliquid demonstrasse veracibus rationibus profitentur, non subito à Christianis est refellendum, tanquam scilicet literis contrarium, nisi vbi adhibitis omnibus glossis, & rationibus & circunstantiis, constiterit ita esse contrariũ, vt nullatenus concordare possit. hoc docet Aug. 1. in Gen. c. 18. & 19. per tres regulas. 1. Si quid rerum ratio certa demonstrat, adhuc restat incertum, vtrum S. Scriptura alium non minus verum sensum habeat. 2. Si contextus scripturæ aliquem vnum sensum contineri in textu demonstrat: adhuc quærendum est & non afferendum, vtrum etiam omnem alium sensum excludit, & non admittit. 3. Si alium sensum posse textui adaptari inuenerimus: tunc incertum adhuc debet teneri, quemnam eorum S. Scriptura contineat determinatè: vel putandum vtrumque sensum contineri, si vtrisque circunstantię suffragantur, vel saltem non refragantur. Idem docet cap. 9. At cum multæ sunt opiniones de eadem re, illa magis amplectenda, cui fauent diuinæ literæ, donec aliud certa constet demonstratione, inquit Aug. in 1. Gen. c. vlt. & addit. Cum autem expresse vni opinioni fauent & contrariam respuunt expresse, & necessaria consequentia. Tunc illa sententia est tenenda cui fauent, & cuius contrarię refragantur. Pro quo assignat tres alias regulas. p. In tanta multitudine verorum intellectuum, qui de paucis diuinorum librorum verbis eruuntur, & sanctitate catholicæ fidei muniuntur, eum potissimum deligamus, quem certum est tenuisse Scriptorem, quem legimus. 2. Si autem hoc latet, quem circunstantia scripturæ non impedit, & cum sana fide concordat. 3. Si Sacræ scripturæ circunstantia discuti non potest,

,, eum solum, quem sana fides præscribit. Aliud enim est nescire quid sentiat Author:
,, aliud à pietatis regula errare. 4. Si vtrumque videtur, perfectè se habet fructus le-
,, gentis. 5. Si vtrumque vitari non potest, etiamsi voluntas scriptoris incerta sit: tene
,, sententiam S. Fidei. Istis regulis addo, quicunque opinionem falsam, vel deinde deprehensam falsam, ex S. Scripturis conati sunt probare, aut determinauerunt esse de fide: pepererunt hæreticos centenos, & millenos irrisores fidei: quales sunt, qui Aristotelem de fide prædicant. Item si quis propter opinionem aliquam Sanctorum condemnat eos, qui aliter sentiunt, & si non æqualiter, certè valde peccat, vt qui damnarunt Episcopum Salisb. & qui Origenem circa Dei incorporeitatē & Philastrius eos, qui suam Cronologiā non sequuntur. Has regulas omnes nos præ oculis habebimus.

Tertium assertum, quo declaratur, vnde Aristotelis fulcimentum & authoritas apud nostrates.

ERgo casu diro Aristoteles introductus est in Scholas Christianorum, sicut olim in Hierusalem introductus est, quando Antiochus Alexandri magni successor, discipulus Aristotelis & ipse aperuit Gymnasia Philosophiæ Græcę contra Moysen, vt eradicaret de ipsorum mente legem Dei: quæ incipit: *In principio creauit Deus Cælum & Terram*; contra quam Schola Aristotelis personabat. Æternum est Cœlum, & Terra; nunquam factum ęst à Deo. Et contra hanc Scholam surrexerunt in typum fratrum sub quinto sigillo Ecclesiæ, Machabæi fratres; & obtinuerunt legem de manibus Gentium in quinta Synagogę ætate: sic in nostra Hierusalem Romana, cum Gothi, Vandali. Heruli, Hunni, Longobardi, & Saraceni, Bibliothecas Philosophorum in Italia, & Gallia, & Hispania, & Africa cremassent, & perdidissent; in quibus periit etiam Commentum Sancti Ambrosii supra Timæum. S. Iust. autem adhuc Græcus erat, & Plato: Tunc surrexit Carolus Magnus, & post prēlia aperuit Scholas iam dudū silentes, quando iam vix sciebant legere Clerici: & ipsi Cardinales, vt testatur Ioannes Villanus, tanta ignorantia laborabant, vt nollent Pontificem (credo) Syluestrum II. sepelire in Sacris, propterea quod inuenerant in eius cubiculo librum Mathematicis figuris exaratū, & putarunt esse Necromantiam. Tanta erat huius sæculi ruditas, quando Arist. intrusus est, cum non reperirentur aliorum Philosophorum Codices, excepto Aristotele, & ab Arabibus aduecto; vt Franciscus. Patricius in historiis probat. Plato enim vt D. Thomas queritur *in 3. pol.* quod suis temporibus non inueniebatur paulo ante 100. annum in Conc. Florent. sub Eugenio Papa 4. à Græcis ad nos delatus est. Nec potuit Aristotelem regnantem, quamuis annitentibus Mediceis Principibus (quibus multum debemus, vt vindicibus ingeniorum Christianorum) deiicere, sed tantummodo authoritatem minuit, ne damna prius serpentia ex adorata Aristotelis autoritate magis excrescerent. & hoc valde profecit: si quidem vigebat opinio, quod Theologia esset fallax & contraria Philosophię naturali circa mundi æternitatem, animorum mortalitatem, de religione, inferis, & superis, Angelis, & dæmonibus, sicut Rogerius Bacconius; & D. Thom. *in Opusculo de vnitate intellectus*, & Albertus *in Opusculo eiusdem tituli*, & Raymundus scribēs ad Regem Francię super hoc, & alii innuunt. Ac propterea celebrata sunt post inualidarum remedium Parisiensium & Greg. 9. etiam alia duo Concilia contra tales opiniones scilicet Viennense sub Clemente 5. & Lateran. sub Leone X. Ast antea quatuor, vel quinque Synodi Parisienses, quæ post Magistri sententiarum Codicem apponuntur: & Concil. Rhemense contra Petrum Abail. & contra Gilbertum Porret. Peripateticos.

Quapropter non est introductus tanquam optimus, nam vt probatum est, omnes Patres, Iustinus, *in Trifone*, Orig. *contra Celsum*, Chrysost. *in epist. ad Rom.* Aug. 8. *de Ciuit. Dei*, Basil. & Greg. Nyssen. *in Exam.* & D. Thomas *in 4. de regimine Principum c. 4.* Platonem, Pythagoram, & Socratem Aristoteli prætulerunt in sapientia & probitate. Similiter & Seneca, Cicero, & Plutarch. & omnis antiquitas idem senserunt. Quapropter non mirum quomodo intrauerit non bonus in tempore ruditatis, & deinde retentus fuerit: quoniam homines, vt ait Horatius.

Turpe putauerunt parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere senes perdenda fateri.

Idem dicit Hieron. & Aug. de his quæ suo tempore nolebant recipere doctrinas, & interpretationes meliores. Et hoc iterum verum est, quoniam & Auerroës Atheista, & Alex. Aprod. aliique huius farinæ Sophistæ venerantur in scholis, partim consuetudine, partim imperitia, partim Machiauelistica impietate firmati: vnde iratus Canus ait, quod *pro Petro Auerroëm, pro Paulo Aprodißiensem, pro Christo Aristotelem* scioli nostri æui habent. Cum tamen verum etiam sit quòd scholastici à principio non habebant Aristotelem pro Magistro, vt ait D. Thomas, sed pro teste contra alios Græcos, præsertim Peripateticos: probántque propriam sententiam ex Aristotele, contra consimiles Aristotelicos; imo assero, hæreticum est, & impium dicere, quod Theologia aut fundatur, aut firmatur in Aristotele, quem reprobant Patres & Concilia, tanquam inimicum Theologiæ, quamobrem in nullius hominis auctoritate, aut ratione innixam esse velint. Sed veritates Theologiæ habentur per reuelationē, vt probatur *in 2.2.q.1.* & *1.contra Gent.* apud D. Tho. demonstrationes verò quod reuelatio sit à Deo prima veritate, habentur ex Miraculis, Martyrio, Prophetia, generibus linguarum, & aliis charismatibus, quæ sunt demonstrationes fidei per signum & manifestationes Spiritus. *1. Corinth.* 12. Quæ omnia negantur à Pomponatio, & Auicenna, & Auerroë, & Peripateticis, & dicunt fieri ex temperamento. Idem dicit vel ea negat Mirandulanus *in lib. de euersione Monomach.* Et Iandunus, qui vt ait Nyphus *in lib. de Orbis substantia* scribendo, omnes Religiones spreuit, propter minima verba Auerrois, contra quos scripsi Antimachiauellismum.

Probationes Theologica, quæ & vnde.

Declaratio verò potest fieri ex Philosophis, non per se, sed ad hominem, imò vt D. Thomas probat *Opusculo* 9. ex authoritate August. 1. *in Gen. cap* 18. & 19. non licet exponere Theologiā & sacram scripturā secundū vnius Philosophi tantū doctrinam. Tùm quia potest esse falsa, & videbimur inniti falsitati: tum quia aliæ sectæ Philosophorum contrariæ sectæ, cui innitimur, irridebant Theologiam nostram, & fidem, vt inquit Aug. quasi propter tales rationes crederemus. Imò S. Thom. *in Psal.* 49. probat esse tyrannidem, aut adulterium spirituale: Si quis trahit sensum scripturæ ad sensum alicuius Philosophi assertiuè prorsus: sicut cum dicitur, *Sapientiæ* 18. *stellarum limpidæ flammæ*, exponeret, *id est*, lucidæ, quoniam secundum Aristotelem, non sunt calidæ, proptereà Philosophorum authoritas, (vt docet D. Thomas 1. *p. q.* 1. & Canus Alfonsus de Castr. *Contra hæres lib.* 18. & alij Patres, cum allegatur in Theologia, non ex propriis, sed extraneis, & nihil probat contra Christianos Doctores, sed tantùm contra Gentiles & sequaces illorum, est enim ad hominem inde argumentum, non ad rem, & secundum Caietanum est nobis nulla.

Theol. declaratur per Philosophiā ad hominem, non per se. Cur non exponenda secundum vnā modo sectam Philosophorum trahere Theol. ad sensum Philosophorum est tyrānnis aut adulterium aut insania spiritualis.

Quapropter non est introductus in scholas Arist. vt Iudex, nisi apud imperitos, vel impios, neque vt arbiter nisi apud eos, qui ipsum assumunt pro lite aliqua dirimenda non iuxta veritatem certam, sed iuxta sensum Aristotelicum: neque vt testis contra Christianos Doctores, plus enim valet authoritas cuiuslibet ex Patribus quam Aristotelis, apud rectè sentientes. Idcircò non rectè sentiunt, qui Aristotelem inthronizant, aut Platonem aut alium, contra regulam sancti Basilij, *in 1. contra Eunom.* & Aug. *primo super Gen.* & D. Thom. Opusc. 9. quod perniciosum & maximè cauendum admonent: & contra hos Tertul obiurgato Aristotelismo *de præscriptionib. cap.* 7.) indignatus ait: *Viderint qui Stoicum & Platonicum, & Dialecticum Christianismum protulerunt.*

Iuxta D. Thomam, Aristoteles non est optimus Philosophorum, & cur ab ipso exponitur & allegatur.

AD secundum negat D. Thom. 4. de Reg. 4. Aristotelem esse optimum Philosophorum, sed subscribit Patribus, Augustino Chrysost. Ambrosio, & aliis, quod Socrates, deinde Plato sit optimus cuius carentia, intrusus est Aristoteles impostor, ait, & imperitus, & inuidus, præsertim si Platoni comparetur: & in 3. p. q. 42. a 4. Py-

thagoram & Socratem nihil ſcripſiſſe quoniam fuerunt excellentiſſimi DD. ſimiliores Chriſto. Neſcio quid ſcioli de eius mente dicunt,quamuis etiam ſi ipſe diceret,nos haberemus mille Thomas pro vno, quibus ipſe deferendum magis, quàm ſibi docet, neque poteſt etiam enernare omnium Patrum decretum, qui Platonem præferunt Ariſtoteli,nec putandus eſt tam ſtudioſus Patrum ſectator contrariũ illis ſenſiſſe.

Negat D.Thom.ſe Ariſtotelem allegare in Theologia ad fundationem, vel ad confirmationem fidei & Theologiæ,cuius demonſtratio credibilitatis ſunt miracula & Prophetia,martyrium, & alia chariſmata. Vt paulo ante diximus de mente illius *22.quæſt.1.& 2.Theſſ.1.lect.1.& parte 2.* ſed ſolum vt teſtem contra Gentiles ſuos præſertim Ariſtotelicos, vt docet, *in 1.contra Gentiles,& p.1.q.1.art.*8. vbi Caietanus dicit,*quod argumentum ex ſacris literis eſt demonſtratiuum, ex Doctoribus ſacris probabile, ex rationibus Philoſophorum eſt extraneum & probabile:ex authoritate Philoſophorum eſt nullum.* Cur autem audent Ariſtotelis in authoritate nunc dicere fundatam aut comprobatam Theologiam?

Caietan. ſententia optima de nullitate authoritatis Ariſtot.

Hoc eſſe pernicioſum dixit 1.*contra Gentes*:ideo cauendum non modo ſi authoritas,ſed etiam ſi ratio Philoſophorum afferatur pro abſoluta confirmatione. Poteſt tamen allegari Philoſophus ad declarationem in his,quæ putatur bene dixiſſe,vt vbi ait D.Thom. præſertim vbi circa articulos fidei primos. *Deus eſt,& Rerum factor, & gubernator.* Quod cum neget Ariſt. conceſſum ab aliis Philoſophis, non poteſt adduci ad declarandum; ſed ſolum alibi, vt teſtis contra: nemo enim tam falſus eſt,qui non dicat aliquid verũ,ex quo poſſis contra ſuos argumentari. & quamuis citat D. Thom. Ariſtotelem ſæpè contra ſcholaſticos, hoc facit,vbi ſcholaſticus Ariſtoteli adhæret, tanquam contra Ariſtotelicum,vel vbi putatur Ariſtoteles naturã ſequutus. Sed decretum Greg.9.& regula D.Thom.& Aug.quod ſit crimen tyrannidis & adulterii ſpiritualis,torſio ſcripturæ,ad ſenſum Ariſtotelis,& quod pernicioſum & impium ſit dicere,quòd fundatur Theologia, aut confirmatur ab Ariſt. aut quod ſit alicuius momenti authoritas eius, vel ratio,niſi contra ſuos, ad hominem; ſtat inuicta: & hanc propriam regulam non eſt putandus D. Thomas eſſe tranſgreſſus quamuis Pariſienſes murmurent & ſcribant contra D.Thomam, *in appendice ad librum ſentent.* quod nimius fuerit in allegando Ariſtotelem: & verum dicunt. Sed D.Thomæ zelum fortè non penetrarunt.

Narratio.

Sciendum eſt quod Temporibus S.Thomæ & Alberti adeò inualuerat ſub rudi ſæculo doctrina Ariſtotelis & Auerrois, vt ſtultus putaretur; qui illis contradiceret, ſicut teſtantur articuli damnati per Pariſienſes:& Segerius Bacco, & D. Thom. *in Opuſc.de vnitate intellectus*,tam anxius ad tollendos errores ex Ariſtotele manantes, & Auerroë: cumque libelli multi de vnitate intellectus, mortalitate animorum, & æternitate mundi,& Religionis vanitate iuxta Philoſophiam publicarentur, cœpit Theologia pro falſa haberi, tanquam contra naturæ dogmata vera, proponens falſa; omnes enim ſequebantur errores,ex Ariſt. iſta afferente ſecundum Alexandrum, & nemo(ait Auer.) Peripateticus dicebatur,niſi prius Alexandræus fuiſſet apud Græcos: ita apud Arabes,& Latinos,niſi Auerroiſta:proptereàque vocatus Auerroes magnus Commentator: & ipſe in ſcholis Latinis regebat Cathedram, & erat prouerbium, *Dixit Auerroes,ergo & Ariſtoteles: Dixit Ariſtoteles ergo & Auerroes*, vt Iandunus tradit. Quapropter labeſcenti Chriſtianiſmo ſuccurrit Deus,excitans SS.Dominicum, Franciſcum,& Fratrum ordines poſt Monachos, qui tanquam Machabæi Fratres in quinta Synagogæ ætate,ipſi in quinta Eccleſiæ ætate, & ſigillo (extunc enim aperiri cœpit,Si credis Ioachimo,*ſuper Apocalyp.*) auxilio fuerunt. Albertus ergo & Thomas, & alii tunc temporis zelo fidei ſcripſerunt libellos bis de vnitate intellectus pro immortalitate,& pluralitate animorum; dolentes (vt ipſi aiunt) quod ex Ariſt. tã praui mores & opiniones pernicioſæ graſſarentur: & ſub eo tempore Raymund. Lullius librum edidit, de Lamentatione Philoſophiæ apud Regem Franciæ, in quo introducitur Philoſophia conquerens, quod dicerent homines ipſam eſſe contrariam Theologiæ, quando, aiens, *non ego Philoſophia verè, ſed Ariſtoteles & Auerroes contrariantur, Theologiæ.* Albertus, & Thomas non confidentes zizania euellere Auerroiſtica,

Græcorum, & Arabum (superseminata agris Euangelii absque tritici damno) statuerunt Aristotelem ex ponere, dantes illis interpretationem vtilem, in quibus textus erat quasi anceps iuxta Bedæ placitum, dubia in meliorem partem interpretando. Ita Theologiam bibendam mundo in suo cratere Aristotelico dederunt, nempe Theologiam etiam ex dictis Aristotelis declarantes ad homines tantummodo, ostendentes quod Aristot. Philosophia non modo non euertit Theologiam, vt mundus dicebat, sed posset ipsam confirmare: & propterea etiam videtur imprudentibus quibusdam magnis doctoribus D. Thomas nimius in allegando Aristotelem. Et idem non rimatus Scot. & Caiet. cum eo, dixerunt D. Thomam non intellexisse Aristotelem in libro de Anima: & errauerunt, quoniam vtramque exponentem & quid vere sentiret vidit S. Doctor. Propterea quo breuiter, & clarè exposuit Aristotelem, necubi valerent alii expositores hostes fidei; cum tamen esset ingeniosior S. Thomas, quam 1000. Aristoteles: sed non philosophatus est ex professo, quoniam intendebat tantum Theologiam exaltare, & mortuus est iuuenis ipse, atque Scotus. Attamen vbi Arist. absque remedio apertè loquitur contra fidem Catholicam, castigat eum, sicut seruum malè seruientem Theologiæ, quæ vocat ancillas ad arcem: & nunc scioli volunt esse dominam, & plus credunt Aristoteli, quam Theologis doctissimis. Non tam abiecti animi erat S. Thomas, vt fieret Aristotelis commentator nisi in fidei gratiam: Nec testatur iuramento Aristotelem esse veracem: sed tantum exposuit, veluti si quis Virgilium aut Mahometum exponeret, sed in multis castigat, & ex textu libri de Anima, plurificat, & inmortalizat animas contra alios expositores, & de mundi æternitate positionem conuertit in problema & si *in lib. metap. lect.* 5. dicit Aristotelem firmiter tenuisse mundi æternitatem: alioquin nec Deus esset, si motus & mũdus non esset secundum Aristotelem æternus: & hac æternitate negata, vt fides iubet, negatur in Aristotelismo esse Deus, vt admonet idem Thomas. Quapropter *in opusc. 9. & in prima parte* cum exponit opus sex dierum, dat nobis licentiam sequendi quem volumus ex Philosophis, vt mox patebit sicut Aug. & Clemens prius decreuerant. Scioli autem nos infrænare volunt, & (quod solis sacris litteris datur) Aristotelem non errasse vnquam volunt, non absque imperitia magna quidem, maximaque impietate: & execrata inobedientia aduersus decreta Patrum, & conciliorum, & S. Pontificis.

Quamuis Aristotelis textũ non Arist. sed proprium interpretauit.

At nunc propter humanas imperitias videtur S. Thomæ labor, & aliorum fratrum Machabæorum labescere, nam sicut dixit Daniel. *subleuabuntur auxilio paruulo:* ex Aristotelismo enim postea ortus est Machiauellismus. Etenim in scholis plus creditur Græcis, & Arabibus quam D. Thomæ; quem dicunt astutè voluisse Aristotelem baptizare. In scholis Europæ, & Italiæ luget veritas mussitando, & imbecilliter defensa, & S. Vincentius exclamauit, quod Aristoteles est phialarius Dei super aquas sapientiæ Christianæ proiecta; & allegatur à Dom. Seraphino *super Apocaly.* & nos in prophetalibus ostendimus Aristotelismum Auerroisticum esse vnum de 7. Capitibus mysticis Antichristi: qui sub Machabæis contra Moysen, nunc contra Christum in Scholis cornu erigit, donec de medio fiat, sicut S. Epiphanius posuit Græcismum Antichristianum caput, qui maxime pertinet ad Aristotelem, vt ex suis dogmatis & P. P. querelis superius narrabamus: & Raymundus, & Canus contestantur. Ergo nos pro Theologia pugnamus & gladium inimicum, qui peruenit vsque ad animam, repellimus sub D. Thomæ, & Patrum vexillo & iussionem Concil. Vienn. & Lateran. & Paris. capessimus.

Cur S. Thomæ labor pro Theol. liberanda ab Aristotelismo nũc non sufficit.

Vtilitas Philosophia instauranda.

Nec labores D. Thomæ euertimus, sed instauramus: imo etiam si post noui orbis & cœli & artium, & sectarum & mundi totius inuentionem, nos quid vlterius, & melius philosopharemur, supra priscorum opiniones, responderet D. Thomas meis suggillatoribus: sicut Moyses Iosuæ zelanti pro ipso, cum alii prę̨ter Moysen Prophetarent, *quid æmularis pro me? quis det vt vniuersus populus prophetet, & det illis Deus spiritum suum:* Cur & nobis de spiritu S. Thomæ explorandi veritatem, iuxta eiusdem D. Thomę consilium, & imitationem, non concedunt? bone Deus? *qui putat se omnia, & prorsus inuenisse,* ait S. Leo, *non quæsita reperit, sed inquisitione defecit.*

D. Thom. pro nostro labore.

quantò magis qui putat Aristotelem omnia inuenisse? & D. Thomam etiam idem sentire? ergo nec nouus mundus inuentus est, nec stellæ, nec Artes post Arist. Item nec Deus tradidit mundum disputationi nostræ, sed præceptis Aristotelis? hoc autem hæreticum est, teste scriptura & Patribus, & rerum natura, &c.

Diuus Thomas non est Peripateticus.

PRætereà affirmo D. Thomam non fuisse Peripateticum sed Christianum Philosophum, quamuis Aristotelem exposuerit, vt errandi occasiones, acceptas, & datas aliis auferret.

1. Probatur: nam Greg. 9. paulo ante 100. fere annos confirmauerat damnationem Aristotelis ab Academia Parisiensi, & à Synodo factam sub anathemate, & combustionem Librorum Aristot: ratam habuit, & præcepit ne legeretur. at D. Thomas fuit obseruantissimus authoritatis Papæ, & doctor Parisiensis: ergo nullo pacto putandus est Aristotelizasse: Sed tantum exposuisse Aristotelem, vt occurreret malis per Aristotelem illatis: & crederem, cum licentia Pontificis. Quapropter doctè ac non satis prudenter damnatus est D. Thomas à quibusdam Pariensibus, vt inobediens concilio & Papæ & vt Aristotelicus ex animo &c.

2. Item 2. Probatur quia in Constit. frat. Præd. de quibus D. Thomas erat *in dist 2. cap.* 14. cauetur, ne fratres prędicatores studeant in libris Philosophorum, & Gentilium propter errores, qui sunt in iis, contraponentes meliorem Christianorũ Philosophiam, & propter rationes à nobis positas *1. art.* D. Th. autem fuit obseruantissimus regulæ & constitutionum: fuisset autem contrarius: non tantum si fuisset Peripateticus, sed etiam si incubuisset Philosophiæ Peripateticorum sola animi gratia vt ibi innuitur: Ergo propter hoc tantum legit, & commentatus est Aristotelem, vt occasiones errandi aliis auferret, vel saltem minueret.

3. Prętereà *in Cronic. Prędicat. p. 2. l. 1. cap.* 10. declaratur ordinatio, quod sequendus est D. Thom. Dominicanis in Theologicis, & moralibus, non autem in Philosophicis, nec vllam posse teneri doctrinam contra Patres in materia fidei & morum: vnde non esset sequendus D. Thom. contra Patres refutatores Aristotel. secutus Aristotelem: Ego tamen dico vt supra D. Thomam non esse contrarium Patribus, ergo neque est Aristotelicus: alioquin crederet Aristotelis errores esse veritates. Et si D. Hieronymus tanquam Ciceronianus, verberatur ob solas Ciceronis phrases, quantò magis D. Thom. ob falsa dogmata, si Aristotelicus esset?

4. Præterea scripsit sæpè, præsertim *in 4. de Regimine c. 4. & 3. p.* quod Plato, Pythagoras, & Socrates, sint Aristotele meliores, & sapientiores. Ergo sicut non se fecit Platonicum, multo minus Aristotelicum: Si non elegit meliorem, ergo nec deteriorem, sine maxima culpa.

5. Quoniam ipse D. Thom. *in opusc. 9.* docuit cum Augustino, non esse assentiendum alicui Philosopho in Schola Christiana, sed ex omnibus decerpendum quod rectè dixerint. Ergo ipse non est Aristotelicus magis, quam non.

6. Item etiam probatur quod non sit Aristotelicus, quoniam aliter docet, eum exponit Aristotelem, & aliter cum de propria loquitur sententia in Theologia.

Et primo nulla opinio Aristotelica contraria fidei est, quæ ab eo non oppugnata sit, vt patet *in 8. Phys. & metaphys.*.

Secundo omnis expositio trahens ad sensum contrarium fidei à D. Thoma est expugnata, vt patet in omnibus commentis contra Auerroëm, ac Simpl. & Alex. & Themistium, & Auicennam, & alios.

Præcipua dogmata Aristotelis, & maxime propria eius sunt à D. Thom. derelicta vel oppugnata, ergo &c.

Probatur antecedẽs. Hoc dogma primum & proprium, & maximum est in Aristotele, quod cœlum non sit de natura Elementorum, nec generabile, nec corruptibile, nec materiale, & ita docet in exponendo libros de Cœlo, & mundo. Nihilominus *in 1. part. q. 68. art. 2. & seq.* dicit veriorem esse opinionem Empedoclis quod Cœlum constet ex 4. elementis, quàm Aristotelicam, de quanta essentia incorruptibili: tum quia magis con-

sonat textui Moysis, quod sit factum firmamentum sidereum, Cœlum secundo die ex materia prima, quam Arist. excludit à cœlo: tum quia ad literam saluatur verbum Mosis, quod firmamentum diuisit aquas ab aquis: sed secundum Arist. oportet illud intelligere metaphoricè (quod esset adulterium Spirituale vt idem dixit *2. Cor. 4. lect. 1.*) secundum Platonem vero, quod sit de natura ignis, melius satis fit Moysi, longè melius autem secundum Empedoclem: & quidem hoc tempore per Telescopium detegimus in cœlo maculas siderum, nebulas solis, & cometas fieri supra lunam. Vnde manifeste opinio Empedoclis, & Pythagoræ comprobatur, quem vel ex hoc S. Ambrosius confirmat fuisse genere Iudæum, & Clem. Alex. circuncisum in Ægypto, ad Sacra vt Sacerdotum admitteretur. Item ait D. Thom. neminem Philosophorum tanquam ex fide explodendum aut tenendum: quod & August. *lib. 1. in Gen. cap. 19*, Et D. Thom. *quolibeto 4. art 3.*

Item *2. Ethic. lect.* 8. pugnans pro Aristotele tribus rationibus, probat virtutes omnes non reduci ad quatuor virtutes Cardinales, vt faciunt Stoici, & Platonici, Seneca, & Cicero. Sed posteà *in 1. 2. & q. 61. art. 2. & per totam 22.* secutus Aug. Ambrosium, Chrysost. omnes virtutes ad 4. Cardinales reducit, & addit alias additas à Cicerone, & Andronico, & Plotino & Seneca, & S. Greg. ostenditque Aristotelem esse diminutum in assignandis virtutibus, & in ordinandis imperitum; Ipse vero mirificè ordinat, & tota Ethica Aristotel. iam apud D. Thomã est inualida: imo misericordiam ac verecundiam, quas Aristoteles non facit virtutes, facit D. Thomas; & Nemesim, quam facit Arist. negat D. Thomas: & alia multa. 2.

Item *in paruis naturalibus, & in libro de anima.* Sentit D. Thomas cum Arist. quod cor sit primum in homine membrum, & sedes animæ, & neruorum principium & sensuum. Postea vero in 3. p. q. 8. ar. 10. vbi quærit, vtrũ Christus sit caput Ecclesiæ, ostendit caput esse sedem animæ & principium sensuum, & neruorum, & operationum, sicut etiam vult Ambrosius *in exam. 6. cap. 9.* & Chrysost. *homil. 5. in 1. Thess.* 3.

Item dum exponit Aristotelem, docet in omni corruptione fieri resolutionem vsq; ad materiã primam, & nihil esse cõmune genito & corrupto idem numero, & adueniente anima rationali destrui organa fabricati corporis, & animam sensitiuam aboleri; & similiter adueniente forma cadaueris omnia destrui, nec quidquam manere idem numero. 4.

At *in Ver. q. 3. de creat. art. 6.* remanere spiritum sensitiuum, & organa, & calorem eundem numero docet, & *3. p. q. 2. art. 2. & 5.* docet perfici & non destrui sensitiuum aduentu rationalis, & *q. 5.* eadem organa & cicatrices numero ponit in Christo viuo & mortuo; quamvis verè fuerit cadauer, similiter *in 4. sentent d 44. q. 5.* docet animam cuiusque hominis proprium numero corpus resumpturam in resurrectione, quoniam dimensiones interminatæ præsunt in materia, dum anima vnitur: & remanent post: & ideo non ex quacunque materia fit reparatio, vt putat Durandus, & vere, si resolutio vsque ad illam prorsus fiat. 5.

Item *4. contra Gent* 44. *Non decuit Vniri verbum*, ait, *informi corpori, nisi animato, sicut anima nec corpori nisi organizato.* Ergo manentibus his organis, sicut ibi remanet anima. Sed clarius *in opusc. 42. cap. 6.* probat materiam esse corpus de genere substantiæ, nec formam vnini materiæ nudæ, sed corporeæ.

Item *in Comment. supra Aristotelem*, negat vbique ideas cum Aristotele, *sed in p. 1. q. 15.* asserit easdem contra Aristotelem cum Platone, cum Augustino.

Item *in paruis naturalibus*, tenet cum Aristotele, quod semen non animatum, nec cedit in materiã fœtus, sed excernitur. At *in 4. contra Gentes cap. 15. & 46.* ex semine spiritu animali prædicto, fieri corpus, & organa statuit, sicut etiam sentit Basilius, Ambros. Nyssen. & alii.

Item, *in lib. de anima* putat cum Aristotele animam humanam & brutorum esse formam corporis, sicuti grauitas rei grauis. Sed *in 3. contra Gentes, cap. 20.* docet animam & vitam brutorum esse spiritum ex corde in cæterã membra diffusum ad viuificandum: spiritum autem esse vaporem dixit. Et hoc sentit Ambrosius *in 6. Exam. & libro de Isaac.* Similiter August. & Nyssenus, & alii citati in qq. Physicis.

Occurritur obiectioni.

Hinc videas tam ex Patrum testimonio, quam ex D. Thomæ Sententiis Aristotelem vocari ab ipso Philosophum per antonomasiam vulgarem ex sui temporis consuetudine, non quia Philosophus supremus esset, quem postposuit aliis, & sæpè dereliquit: sicut narrauimus.

Item adde, quoniam in naturalibus etiam ipsum deseruit, eius vt minueret authoritatem, quemadmodum in Phys. 4. negat motum instantaneum in vacuo, affirmatum ab Aristotele: & 1. *meteor.* Galaxiam fieri in aere: vt Aristoteles docebat *& in 2. de Cælo.* locat Solem in 4. sphæra, positum ab Aristotele, *in 2. & 12. Metaphys.* animationem Cœli aliter ponit. Item intelligere Angelorum non esse idem quod ipsorum esse. Et eiusmodi alia plurima legentibus peruia.

Hæc & alia multa sunt, quæ manifestant D. Thomam, non Aristotelis, sed sapientiæ Christianæ discipulum, & confundunt sciolos aliter docentes, qui eius honori detrahunt, vt ipsemet dicit de Doctoribus Ecclesiæ, quando facimus eos Platonicos, & Peripateticos *in epist 9.*

Imò S. Hierony. verberatus est, vt Ciceronianus. At Cicero Stoicus credebat plurimis fidei dogmatibus, quibus repugnat Arist quanto magis verberandi sunt qui volunt esse Peripatetici?

Conclusio.

Non ergo D. Thomæ aduersantur, qui Aristotelem impugnatum à Patribus impugnant, si D. Thomas Patribus non contrariatur: & insuper Aristotelem impugnauerit, authoritate priuauerit. Imò Diuo Thomæ placet, qui pro gloria & luce Christianæ gratiæ contra gentes pugnat.

Historia quod PP. sanctissimi laudauerunt authorem insurgentem contra Arist. &c.

Et quidem anno 1698. interrogatus Ego à Patribus in S. Officio de Opinionibus, quas contra Arist. scripseram in libris, furto mihi sublatis, datisque S. Officio ab impiis sciolis, & præcipuè de sensu rerum, pro quo Apologiam feci postmodum: nec reprehensione vocali nec præcepto, recedendi ab impugnando Aristotelem, nec rationibus Patres doctissimi me obiurgarunt, sed laudarũt, præcipuè Cardinalis Sanctorius, & Bernerius, & Sarnanus, quod PP. SS. ab iniuria Gentilium vendicarem. Nescio cur nunc alii murmurant scioli? Videant processus in S. Officio & meas opiniones ibi examinatas.

Responsio ad 3. argum. princip.

Ad 3. dicimus, quòd etiam Deus permisit Pharisæismum in visceribus Christianismi radices agere, teste Bernardo *super Cant. sermo* 30. vt etiam Aug. docet *in libro de Vera Religione*, & permittet antichristianos occultos, & hæreses, ad bonorũ probationem.

Præterea pugnauit D. Thomas Aristotelem rectificare: nos medelam ipsius non respuimus, sed Auerroisticum Aristotelem, & id, quod est officina Machiauellismi. Præterea abiicimus vxores alienigenas cum Esdra, & Christianas adsciscimus ex SS. Patribus, & Papa Greg. 9. ne amplius partim Iudaicè, partim loquamur azoticè, nec insultent amplius pseudopolitici cum Iuliano, & Machiauel. quod illustrati sapientia Christi ab obscuratis corde Gentilibus sapientiam mendicamus.

Nec putandus est inuidus, aut hæresum seminator, qui pro Patribus pugnat, & in militia Machabæorum: sed qui Gentilizat cum Iasone, & Menelao: qui etiam nomen, & rem pietatis abhorrent. Nam sicut ille de Iesu Iasonem, & alius de Onia Menelaum, aliter se vocari fecerunt, & magis similes fieri Gentilibus, vt dicitur *in 3. Machab.* quàm SS. Patribus volebant in cunctis. Ita isti in consimili Ecclesiæ ætate sub Fratribus cupiunt magis Aristotelici quàm Christiani esse Philosophicum Patribus: & vt inquit Ariost. *in satyra*: alius de Petro in Pierum se transnominari vult, alius de Ioanne in Ianum: alius de Iacobo Sannazario in Actium Sincerum, vt in omnibus figura figurato, & ætas ætati correspondeat. Et nos Fratres Machabæis, qui contra Gymnasia Gentilium, officinam hæreticorum inuehimur.

Neque nominis ambitiosus est, qui mille insidias & damna ab Aristotelicis patienda suscipit, sicut S. Iustinus à Cinicis, & honoris, & libertatis iacturam pro veritate excusanda, vt Machabæi pro testamento Patrum, toto mundo teste. Vide Augustinum lib. de vera Religione, pro hoc meo studio, pugnantem, & Richar. in Ezech.

Responsio ad 4. princ.

Ad 4. Christus monet in illa parabola, non funditus auferri à Deo, quoniam permittet ad nostri probationem, vt docet Aug. *in libro de Vera Religione.* Probatio autem

nostra

nostra est, an assentiamur, an extirpemus. Vnde Apost. ait, *Oportet & hæreses esse*. Palam autem est nomine zizaniorum hæreses etiam intelligi; illas autem conamur extirpare per sancta Concilia, & tribunalia sanctæ Inquisitionis, & per Laicos Principes, & sæpe in Conciliis legimus doctrinas erroneas esse zizania, scandala, & ideo viribus Côciliorum extirpanda, & doctrinis Patrum nostrorum, prout valemus. Deus autem non prout valet, sed sinet illos vsque ad diem visitationis, ne fortè eradicetur triticum fidei, nisi exerceretur contra sophistas, & contra errores, teste Augustino *ibidem*.

Ad secundam partem argumenti dicimus, quod horum doctrina, quæ videtur sine bello, quale ab hæreticis, & tyrannis pertulimus, est omnium perniciosissima, vt docet Bern. *in Cant. Sermone* 30. exponens illud: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*. Nam & scholarium animos, & gubernantium, Iudicum, & Principum implet malitia, & suspicione contra fidem. Vnde Politicorum secta, & hæreticorum, & libertinorum, & Machiauellistarum. Scio quosdam in studio Patauino post Lectionem Aristotelis, & Auerrois de anima, apostatasse & ad Turcas desciuisse, vt ibi potentes fierent, vt bonorum corruptibilium saltem potirentur. Quod autem interpretatio D. Thomæ non omnino prouiderit, sequentia iam dicta mala indicant, & contentiones de Iurisdictione: concussus enim animus dictis Aristotelis, cum in contentionem de iurisdictione venitur, labitur in Aristotelis ruinam, & populi horum exemplo seditiosi fiunt, & Principibus rebelles. Principes vero Aristotelici omnino tyranni fiunt, frenum conscientiæ, idest, Religionem contemnentes, &c.

Excusatio Aristotelis, quòd non potuerit veritates quas impugnauit, agnoscere: fallax.

Qvod vero aiunt, non potuisse Aristotelem agnoscere ea, quæ notauimus, mendacium est: nam & Plato eius magister fuit annos 20. & docuit etiam has veritates: scilicet quod mundus est factus à Deo: quod animæ sint immortales, quod extant, inferi, Angeli, Dæmones, paradisus, infernus, & Purgatorium: & quod Religio constat natura, non arte & astu: quæ omnia ex ratione causalitatis rerû & Iustitiæ, & prouidentiæ esse probauit. Omnes etiam Philosophi, exceptis Epicuræis, præsertim Stoici, Pythagorici, & Platonici, legislatores etiam nationum, agnouerunt, & probauerût mundi exordium, animorum immortalitatem, pœnas, & præmia post mortem corporis, Dei prouidentiam, Religionis naturalitatem, quibus Arist. imperitè & impiè aduersatur, quandoquidem cognosci poterant: vt ex rationibus Platonis, & Athenagoræ, & Senecæ videri potest: & ex S. Iustini, Clem. Alex. & aliorum, Chrysost. & Aug. & testimonio. Imo D. Paul. *Rom.* 2. & Salom. *Sap.* 13. alioquin enim essent excusabiles Philosophi circa hæc errantes: sicut dixit Apost.

Ad 5. respondeo, quod Telesius non est prohibitus, quia contradicit Aristoteli, alioquin prohibendus esset S. Iust. & Basil. & Beda, & alii Patres ei contradicentes: sed quia sunt quædam dubia in eo clarificanda: & ideo dicitur in indice, *donec expurgetur*. Nec omnes libri eius, sed tres tantum, quorum doctrina est in aliis eiusdem non prohibitis libris, contra Aristotelem pugnantibus: Ecclesia enim permittit Gentiles, quoniam palam est eos in multis errare. In Christianis vero nullam permittit maculam, quoniam filii sunt, non extranei: & in nouitate doctrinæ cauit multum, ne praui quid irrepat, sed cum expurgabitur ab omnibus amplectetur, zelo veritatis, non autem auaritiæ, & ambitionis, vanique timoris, spiritu ductis. *Responsio ad 5. princ.*

De Nouatore.

AD 6. non omnis nouitas in Republica & in Ecclesia, suspecta est: imò omnia noua placent, redduntque admirabilem politiam & Religionem, & subditos in officiis libentiores continent, & extraneos ad sui admiratione, & obedientiam trahunt. Sic Christophorus Colûbus repertor noui Orbis, negati olim à Philosophis, & Theologis, Aug. Lactantio, Chrys. & aliis. Qua etiam de causa Episcopus Salisberiæ, propterea quod asserebat Antipodas, priuatus est Episcopatu in Synodo nationali, tanquam hæreticus contrarius dictis sanctorum, vt in Bauarica historia narratur: Nihilominus Christophorus Columbus hanc veritatem inueniens non detrupauit, vt puta- *Responsio ad 6. princ.* *Ioan. Auent. lib. 3.*

bant Episcopi illi Synodi, sed decorauit, & exaltauit politias & scientias Christianas. Similiter Galilęus inueniens noua sydera per Telescopium, & Flauius magnetis vsum mirabilem, & alius Bombardarum; nec propterea sunt nouatores exosi. Similiter nec nouator est qui veritates inuehit vetustati minimè damnosas, alioqui Benedictus, Dominicus, Franciscus, Ignatius nouatores essent, victum, & vestitum, & cõuersationem nouam inuehentes. Similiter & institutorum, & scientiarum reformatores. Sed propriè nouatores dicuntur in Concil. quia noua cudunt ad destruenda vetera benè præiacta: non qui ad statuendum, resarciandum, reformandumque, quę rationabiliter instituta sunt. Hæretici vero destruentes doctrinam Patrum dicuntur Nouatores. Vnde Hieronymus sæpè laceratus ab Episcopis, & ab ipso S. Aug. proprio & aliorum, nomine, quòd post interpretationem septuaginta duorum à Spiritu sancto dictatam, ipse nouam faceret, respondebat multis in locis, præcipuè in prologo Salomonis, *Non ita cudimus noua, vt destruamus vetera, sed vt statuamus.* Porrò & Deus indiuidua quotidie generat multa, postquam quieuit ab omni opere, quod patrarat: non vt faciat aliquod nouum in specie, vt enim ait Salomon, *nihil sub sole nouum: sed Deus instaurat quod abiit:* hoc est, ad conseruationem specierum. Quapropter nouator non est, qui scientias iterum format, aut reformat, non contrarias doctrinis Sanctorum; sed ex codicibus Dei

Rom. 1. duobus, scilicet ex natura & scriptura erigit scientias sub Gentilismo collapsas, *quia cum Deum cognouissent non sicut Deum honorificauerunt: ideo obscuratum est insipiens cor eorum,* vt inquit Apostolus: *& traditi sunt in reprobum sensum*: Idque probauimus ex omnium PP. autoritate præcipuè loquentium contra Aristotelem, vt ex iam dictis manifestum est: præsertim verò cum Conc. Sacrum & S. Põtifex id optat ac præcipit. Non ergo nouator, sed instaurator scientiarum ad stabiliendam Philosophiam Patrum, qui taliter philosophatur, existimandus est: itemq; vtilissimus ad confundendos sectarios, & euellendos errores, & illustrandam supellectilem Christianorũ, videri debet, & de Tyrannide Gentilium vindex est ingeniorum Christianorũ, vt ex dictis liquidò constat. Inertes ergo sponte sunt, propriique cõmodi solius amatores, & Reipublicæ desertores, seruili, non herili ingenio præditi ij, qui currenti moneta, quamuis falsata, ex nouo aurichalco confecta, furtim ad Regni perniciem clam, & palam nos vti debere opinantur, reformatoresque ex auro Patrũ antiquo, optimoque non recipiendos esse contendunt, eoq; abusu tolerant, quo Deos falsos, gentiles Philosophi retinendos esse etiam contra conscientiam putabant, vt Cicero, & Arist. & Plato, & Iustin. testantur.

Epilogus considerationis ad Principes sacros.

ARistotelis doctrina adeò Reipub. & Religioni repugnat vt simul ac promulgata est à Senatu Atheniensiũ, ius naturę tuente, dãnetur neci, vt fugit, mox erigitur in Ierusalem ab Antiocho anti-Christi præcursore in Gymnasiis contra legẽ Dei erectis: profligatur à sanctis Machabæis. Resurgit temporibus Christianis, & adoratur ab hæreticis Carpocratianis & Theodotianis. Damnatur à Catholicis, à Iust. Orig. Tert. Ambr. Chrys. & aliis. Et expugnatur à Theologis etiã in Physicis, ex quibus ad Theologicos errores transitur. Damnatur à Schola & Synodo Paris. & comburitur: & damnatio à Papa Greg. 9. confirmatur. Diro fato resurgit tanquam phiala iræ Dei, teste S. Vincentio post inundationes barbarorum in sæculi ruditate. Corrigitur à fratribus sub. D. Thoma, & retinetur, vt testis: & damnatur in Concilio Viennensi, & Lateran. vt pestis, at iterum erectus vt Iudex in Scholis, parturit Gibellinos, Machiauellistas, Libertinos, & nouos hæreticos. Nos insurgimus contra hoc idolum pro testamento patrum, cur non recipimur, ò beate Pastor Ecclesiæ: de vultu tuo iudicium meum prodeat & de Sanctorum Decretis. Miror quod prudentissimi Veneti latentia introspicientes, hanc diram pestem adhuc non animaduerterunt, & quid mali in eorum peperit animis, & quæ ex his in remp. erupere, & eruptura sunt non cauent.

APPENDIX.

Præterea aduerte ex iam dictis, quòd maximè aduertendũ est, quod iam literatorũ turba non modica, plorantibus bonis doctisq; eiecerũt de Scholis Patres Christianos, vt Arist. introducerent, & in Cathedra collocatũ confirmare possent: siquidẽ quando

cum eis disputatur, præsertim contra Arist. Si allegas SS. Doctores quãuis in scientiis cõsummatos, Aug. Basil. Ambr. Cyrill. Iustin. Hier. Cypr. Bedam, Gregorios, Chrys. Isid. aut alium ex cæteris Sanctissimis atque doctissimis, statim exsibilant, negant, eiiciunt; affirmantque hos Patres ignorasse Philosophiã. At si Aristotelem allegas, statim tacent, acquiescunt, venerantur, tanquam textum sacrum, & qui errare non potuerit. vt doctus Mel. Canus indignabundus aduertit quod *habent iam Aristotelem pro Christo, Auerroem pro Petro, Alexandrum pro Paulo*: & de proximo est vt de templo expellant eosdem Patres, quos de scholis expulerunt, retineantque vnum Aristotelem, non absque magna impietate, & Christianismi, & SS. Conciliorum collapsione, & vituperio, & infidelium gaudio, & pridem etiam Cardinalis Bembus & facetè, & lamentabiliter prædixit; & S. Bernardus deplorauit in Abailardum.

ARTICVLVS III.

Vtrum iurare in verba Magistri sit licitum. 1.

VIdetur quod sic; Magister enim melior est discipulo; meliori autem subdi licitum 2.
est. ergo, &c.

Seneca ait *Epistola* 34. quod non multis libris operam nauare; sed vni optimo; vti- 3.
lius: ergo, & iuramento adstringi.

Præterea multitudo Doctorum confusionem parit & lites. Ergo optimis adhæren- 4.
dum per iuramentum; vt hæc vitentur.

Louanienses, & Salmaticensis Academia iurant in verba Sanctorum Augustini, &
Thomæ. Parisienses verò Doctores iurant sustinere B. Virginis Conceptionem im- 5.
maculatam: non est autem possibile istos Doctores errare, ergo licet. 6.

Dominicani autem paucis ante annis iurant in verba Sancti Thomæ. ergo.

Sed cõtra est Dom. Matthæi 23. *Nec vocemini magistri: vnus enim est magister vester, qui
est Christus.* Id autem facile patet, quia Christus est Dei Verbum, sapientia & ratio; *ra-
dix autem sapientiæ est verbum Dei in excelsis*, vt dicitur *Ecclesiast.* 1. *Et omnis sapientia à
Domino Deo est.* Vnus ergo & solus magister est Christus, nemoque magister, nisi de 7.
doctrina sapientiæ primæ.

Præterea vt dicitur *in Psalmo* 115. & repetitur. *Roman.* 3. *solus Deus verax: omnis autem homo mendax;* vel ex ignorantia, vt August. cum negat Antipodas: vel ex fragilitate, vt cum Plato asserit colendos Deos patrios, ne reus impietatis in senatu fieret: vel ex malitia, vt cum Arist. negat solis lucem & calorem, vt docet S. Ambros. *Exam.* 4. *c.* 3. & D. Thom. 4. *de Regimine Principum*, *cap.* 4. & Augustini, Gellii, Eustat. Simplicii testimonio monet, Aristotelem ex inuidia non plene & veraciter verba antiquorum, quos accusat, retulisse. At iuramentum debet esse verax cum sit allegatio Dei in testimonium veritatis assertæ, vel promissæ. Ergo non debemus iurare in verba magistri, cuius veritas non est, aut infirma est, dubiaque.

Pro quo sciendum, quod iuramenti comites tres sunt, *Ieremiæ* 4. *iurabis in veritate, in iudicio, & in iustitia*, quorum vnum si defecerit, dicitur periurium, vt S. Hierony. exponit, & comprobat D. Thomas 2.2.q.69. & q.98. Igitur cum verba magistrorum continent aliquam falsitatem, iuramentum per illa est impium periurium contra veritatem. Cum vero incertum de veritate ipsorum in aliquibus propositionibus est periurium contra iudicium, sicuti quando iurat quis Romæ degens quod pluisset Neapoli hodie, sicuti Romæ: potest enim non pluisse. Cum vero non cõstat de veritate & falsitate, & iuratur in verba magistri, æquali vel minori fide digni, quàm cæteri, aut iuratur in alicuius malum, iniuriamve, periurium est cõtra Iustitiã. Quapropter dicendũ.

Conclusio Prima.

IVrare in verba magistri, vel illorum, quos pro certo credimus, aut scimus reuelationem accepisse à Deo, est sanctum ac licitum iuramentum. Omnes ergo illi quibus dictum est. *Nolite cogitare quid loquamini, non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*: Sunt digni in quorũ verba iuretur; quoniam iuratur in verba Dei. Talia sunt verba scripturarum veteris, & noui testamenti, & Conciliorum legiti-

morum,& Papæ,cum ex Cathedra Petri quid determinat: nam in iis promiſſa eſt aſſiſtentia ſpiritus, & illis de quibus dixit Apoſtolorum Princeps. *Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines* Falsò ergo dixit Ariſt.oportet addiſcentem credere,hoc enim eſt verum in artificialibus,vt Alphabetum,& in diuinis magiſtris; non autem in humanis. Vnde Aug. ait, *verba Dei crede, vt intelligas; verba mea intellige vt credas*. Ariſt. autem ait, mea verba crede,&c. Imo in diuinis ait Ambroſ. *Nos non credimus vt credamus, ſed vt ſciamus*. Idem dixit Iſaias, & Petrus. Ariſtotelici autem adæquant Ariſtotelem Euangeliſtis ſupra Aug. & Amb. &c. teſte Cano, & praxi.

Concluſio Secunda.

IVrare in verbá eorundem Sanctorum, in quibus non habent reuelationem, non licet, quoniam deeſt iudicium, vnde cum Apoſtolus promiſit Romanis ſe iturum in
Rom. 15. Hiſpaniam, & non iuit, & cùm detineretur in carcere, affirmauit ſe expeditum iri ad
Philip. 1. viſendos Philippenſes, & Philemonem; nec tamen iuit,quamuis diceret illis, *Scio quia manebo* (ideſt non moriar ante) *& permanebo omnibus vobis ad profectum veſtrum,*
Philem. *& gaudium fidei vt gratulatio veſtra abundet per meum aduentum iterum ad vos*; & Philemoni: *Para mihi hoſpitium: nam ſpero per orationem veſtram donari me vobis*. Similiter in Conciliis quæ non determinantur *conciliariter*, vt docet Martinus V. in Concilio Cõſtantienſi,non ſint iuramento tenenda,præſertim cum dicitur non determinatiuè,ſed recitatiuè,& perſuaſiuè abſque decreto ſub anathemate; vt patet in Nicæno 3. vbi Angeli dicuntur corporei ab Epiſcopo: & propterea poſſe pingi: & tamen hæc doctrina tenetur non de corporeitate, ſed de pictura,ſuper quam ſolum cadit decretum. Similiter cum Pontifex loquitur,vt Doctor, & non vt Papa, non eſt iuramento tenendus, vt benè determinat Ioannes 22. in Extrauagante. *Quorumdam*.

Concluſio Tertia.

Mat. 10. CVm iuratur in verba eorum, quibus non eſt dictum. *Nolite cogitare quomodo, &c.* Sicut Apoſtolis, ſed *dum venio, attende Lectioni, & exhortationi, & doctrinæ*, ſicut Timotheo 1. c. 4. Et ſi enim habent ſuggeſtiones ſpiritus, haud tamen reuelationem, per quam non poſſunt errare: & ideo in horum verba iurare, eſt periurium ex triplici defectu: vt etiam elicitur ex D. Auguſtino 1. *Geneſ.c.*19. & Decretis Pariſienſ.

Primò ex defectu veritatis: nam omnes iſti errorem aliquem incurrerunt. S. Cyprianus, qui 1. loco autorizatur, *in Decretorum diſt.*15. *in cap. Sancta Romana*, damnatus eſt vt errans in doctrina de repetitione baptiſmi & in Epiſtola quam ſcribit contra Stephan. Papam. Similiter Hieronymus valde laudatus, non tenetur ab Eccleſia in diſtinctione de bigamia ante baptiſmum, & poſt: nec à Scholaſticis de ceſſatione legalium, in quo impugnatur ab Aug. *Epiſt.*19. *ad Hieronym.* Item Auguſt. ipſe falſum dixit, dum negat Antipodas,& fecit tractatum de lapſibus ſanctorum, & ipſe in multis ſe retrectauit, & in multis non acceptatur à ſcholaſticis. Quapropter iurare in
1 Cor. vlt. verba eius, eſt iurare pro falſitatis defenſione (Apoſtolus autem ait, *nihil poſſumus contra veritatem*. Vel pro dubiæ veritatis, quod ſimul eſt contra iudicium,vel pugnantia eſſe vera. Propterea, ipſe dat regulam contra Hieronymum, Scribens *epiſt.* 19. Quod non debemus credere infallibiliter niſi in ſcripturis Canonicis, quando Hieronymus allegat pro ſe Origenem, Chryſoſtom. Et iterum ait, *verba Dei crede, vt intelligas, verba mea intellige vt credas*. Similiter D.Thomas fecit librum de Concordantiis dictorum ſuorum, vt varius eſt, ſæpéque, vt Caiet. monet,ſe retractauit. Item fallitur cum dixit (non quidem ex ſuo ſed Ariſt. penu.) ſub æquinoctiali non poſſe homines viuere, vbi eſt zona torrida,& tamen hodie poſt nauigationem Luſitanorum inuentum eſt nullibi fœlicius habitari: quod magnus etiam Albertus, & Plinius, & Auicenna prius opinabantur. Nolo alios errores manifeſtos pandere: pudenda enim Patrum tegenda ſunt: Hæc autem dixi vt videant, qui iurant, nec ſciunt, in quid.

Secundo ex defectu iudicii, ideſt diſcretionis. Non enim iuramento aſſerendum eſt leuiter id, de quo dubitamus, tam in promiſſoriis, quam in aſſertoriis: ne ſicut Herodes, & Iephthe, & Agamemnon, vergat in exitum malum aut in falſitatis periculum,

quapropter qui iurasset in verba D. Thomæ contra conceptionem, sicut sub S. Bernardi tempore Albertus magnus decretum fuisse à Parisiensibus pro sanctificatione contra conceptionem, narrat, is absque iudicio iurasset. Nunc enim Ecclesiarum consuetudo, & Pontificum priuilegia, & decreta inclinant ad conceptionem. Et S. Thomas 4. *contra Gentes*, narrat fuisse suo tempore opinionem communem, quod substantia panis in Eucharistia annihiletur: nihilominus noluit ipsam tenere. Similiter quamuis Aug. & omnes PP. dicant Angelos esse corporeos, exceptis Dionys. Chrysost. & Cyrillo, nihilominus Scholastici dissentiunt ab Augustino & aliis, ergo sine iudicio iurat quis in verba Augustini.

Similiter omnes PP. habent sequaces & oppugnatores suos. Aug. torquet eos pueros in gehenna, qui decedunt absque baptismo: Sequitur ipsum Gregor. Ariminensis: scholastici verò omnes contradicunt; Ergo sine iudicio quis stabit iurans pro Augustino: multa docet D. Bern. & Bonau. quæ Scotus negat & alii Scholastici. Iurare ergo in Bernardi verba, est exponere se periculo fallaciæ, & erroris & deceptionis.

Item D. Thom. 1. *p. q. 61. art.* 3. docet solum Athanasium, & Greg. Nazianz. nunquam fuisse ab vllo doctore erroris notatos: nihilominus vterque sustinet Angelos ante mundi creationem corporalis multis sæculis creatos esse, quod negat Aug. & Concil. Lateran. sub Innocen. 1. Item vterque negat potuisse mundum, vel aliquid aliud creatum, fuisse ab æterno. At D. Thomas 2. *contra Gentes, & p. 1. q* 44. & Aug. 2. *de Ciuitate Dei*, contrarium docent. Non possunt autem vterque dicere verum: ergo iurare pro Augustino vel pro Nazianz. pro Athanasio, est sine iudicio. Ergo periurium. Multò ergo magis pro cæteris, quorum doctrina impugnata est; sicut D. Thom. à Scoto, Durando, & Parisiensibus. Et in multis non est secum S. Bonauen. & B. Albertus, nec Patres.

Ex defectu iustitiæ, quæ vnicuique ius suum tribuit, siue enim quis iuret pro Scoto, aut Bonauentura, aut pro Thoma, aut pro Augustino, aut pro Egidio, vel pro alio quocunque Doctore approbato; tunc ille iniustitiam facit aliis approbatis, & contrarium sentientibus. Ex quo enim iuras pro Scoto: iniuriam facis D. Thomæ, quoniam aut deceptum aut mendacem facis Bonauenturam, aut Thomam, aut alios, quibuscum pugnat Scotus. Similiter qui iurat pro D. Thoma, quamuis sit Doctor Ecclesiæ, iniuriam facit Bonauenturæ, Augustino, Hieronymo, & aliis qui in multis contrarii sunt D. Thom. & à Bonifacio 8. Doctores Ecclesiæ in 6. decreto scribuntur. sicut D. Thomas à Pio 5. & Bonauentura à Sixto 5. Idémque docent articuli Parisienses, contra eos qui D. Thomam ita approbatum dicebant ab Vrbano 4. vt sit suspectus de hæresi, qui illi contradixerit; approbatus est vt Doctor vtilis, dignúsque lectione, non autē indubitatæ fide, sicuti sacra Scriptura & Canones. Ergo & suspicio illa non cadit in Scotū, & Durandum, sed in eos, qui dogmata fidei, prout à sancto Thoma exponuntur, non recipiunt, sed torquent ad alium sensum, qui sapiat hæresim, alioquin isti omnes Doctores de hæresi suspecti essent. At verius multi negant hoc factum, decretum esse à Pontifice.

Præterea sunt contrariæ opiniones inter D. Thomam, & B. Aug. in rebus Physicis & Metaphys. quoniam ille plus Aristoteli, iste plus Platoni tribuit. Iniuria autem fit Augustino, si quis iuret pro D. Thoma: & è contra similiter inter omnes Patres, sunt variæ Sententiæ de Cœlo, & de Elementis, de motibus, & Angelis, de peccato, de Physiologismo dogmatum fidei: concordant enim solum in dogmatibus omnes, in quibus non concordant hæretici. Vnde impudenter Caluinus obiicit nobis discordiam Babylonicam, qualis est inter hæreticos, sed multiplicitas expositionum eiusdem dogmatis potius est signum fœcunditatis Spiritus sancti, in condendis scripturis, & facilior via ad respondendum hæreticis, vt D. Aug. docet, 1. *de Trinitate cap. vlt.* Patrum ergo & scholasticorum varietas est propter hoc laudabilis, & ad ingeniorum exercitium, & varietatem, & libertatem, & inuentiuam facultatem augendam. Non sunt ergo alii propter alios spernendi, vti iuratores indiscreti faciunt, & superbè iudicantes, & inuidiosè, & audacter, & citra artem & iudicium certum. Quis iustè audebit Iustino, qui Philosophus cognominatur, Basilium præferre, vel Basilio, cuius

scripta, teste Nysseno, solis cedunt canonicis scripturis) præferre Gregor. Magnum? & Gregorio Magno (cui columba suggessit multa) præferre Chrysostomum, & Chrysostomo (cui D. Paulus visus est in aures insusurrare) præferre Augustinum ab eo discordantem in multis, aut Hieronymo (cui Gelasius Papa tribuit plusquam cæteris) præferre Ambrosium, noratum nugacitatis à Hieronymo: aut Ambrosio, cui plus quàm cæteris defert August. & cui Peripatetici visi sunt deteriores Epicuræis, præferre scholasticos peripatetizantes?

Item Concilia Patrum vestigiis se inniti protestantur, cur illis Scholasticos anteponemus iuramento? Osculandi sunt Doctores, & venerandi omnes, non autem per iuramenta iniuriis afficiendi.

Cant. 4. Prætereà qui vnum adciscit spretis aliis, Ecclesiam nudat defensoribus, & non verè scriptum esset, *mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Sed tantùm vnus clypeus; & vnus fortis; vale

Conclusio quarta.

IVrare in verba Philosophorum Gentilium, videlicet Aristotelis & Platonis, vel Senecæ, vel Parmenidis, vel aliorum, est hæresis, & periurium, & impietas maxima, vt probatum est in quæst: vtrum liceat nouam cudere Philosophiam; est enim contra veritatem, à qua recedunt manifestè, dum fidei contrariantur: & sub Anathemate in Concil. Lateran. vetamur sentire cum eis. Et Psal. 115. Omnis homo mendax.

Contra iudicium dum inter se adeò dissidenr, vt nemo nemini credat: vbi autem discordia; non est veritatis certitudo. Item contra iustitiam, si vel nostrorum (in quibus gratia perficit naturam) ingeniis, vel aliorum, meliorum præteritorum, vel futurorum fit iniuria, vt ibidem probatum est.

Item contra Patres & Concilia pugnant, qui pro eis pugnant, vt ibidem.

Item sic clauditur via ad melius Philosophandum & inueniendum quod S. Leo, & omnes PP. detestantur, & Salomon dicens, *Tradidit mundum disputationi eorum*, non autem præceptis Aristotelis, vel Platonis, vel, &c.

Prætereà S. Thomas oculatissimus omnium Patrum verba venerantur, ne cui fiat iniuria, & errores tegit, sicut Sem & Iaphet pudenda Noë, vt docet *in opusc. de erroribus Græcorum*. Itē omnes Philosophos, vbi non contrariantur, fidei amplectitur, & nulli adhærendum decernit, vt probat, 1. *p. q.* 68. *&* *in opusc.* 9. *&* *quol.* 4. nos eius institutum in hoc sectamur; & est D. Aug. *in Genes.* 1. *cap.* 18 *&* 19. Imò Theologia, pugnans contra omnes sectas, omnem Philosophorum doctrinam, & quod in eis selectum est, haurire debet, vt possit ex omnibus respondere; proptereaque S. Thomas *in lib. contra Gentes*, non vtitur solo Aristotele: sed omnibus, sic August. & Clem. &c. & id etiam Canus doctissimus aduertit.

Prætereà vtile non est Reipublicæ claudere ingenia sub vno libro: sic enim inuentionibus nouarum rerum, & scientiarum priuatur & hebetatur.

Principibus etiam expedit occupare ingenia in philosophando, ne regimini ipsorum vigiles sint non commodi: maximè autem Papatui prodest multiplex studium, vt alibi ostendimus ad sui verificationem, & ampliationē, & illuminationem populi, &c.

Prætereà nec quia vnum Doctorem modò sequimur, vitatur lis & confusio, nam quisque propriam molitur expositionem, & altercatur de Aristotelis aut sancti Thomæ verbis; atque ad inueniendum veritatem fiunt minus apti, quàm qui in Codice naturæ, & sacræ scripturæ, quærunt ex nouitate honorem. Hoc experimur in Aristotelicorum discordiis, & inter Thomistas dissidentes, & qui plures habent sequaces, plures habent dissidiorum duces.

RESPONSIO AD ARGVMENTA.

AD 1. respondeo, quod cum magister est particeps magisterii Christi, id est diuinæ sapientiæ, & loquitur vt testis in schola Christi; credendum est illi: & pro illo iurandum. Sed vbi loquitur opinatiuè, non est iurandum pro illo, sed sentiendum cum illo, donec meliora à Deo, & certa ex ratione acceperimus.

Ad 2. verum est quod dicit Seneca, vbi constat de optimo. At quis sit optimus in

omnibus & singulis propositionibus non constat. Potest D. Thomas esse optimus scholasticorum in multis & plurimis, non tamen in singulis. Porrò Senec. ita monet, vt habitus scientiæ acquiratur absque impedimento, dum alter impedit alterius disciplinam intrare. At vbi quis habitum acquisiuit potest alios Doctores adire. Sic S. Hieronymus, omnium Philosophorum sectas secutus est, se Aristotelicorum, Platonicorum, Stoicorum, & similiter omnes libros Theologorum, se Origenis, Basilii, Nazianz. Didymi, Iustini, & omnium. Consilium ergo Senecæ est ad pueros, non ad prouectos. Idem fecit Orig. Aug. Euseb. & Clem. qui eius sectas examinant. Item ad eos, qui ingenio mediocri pollent: nec amplius supra cæteros Philosophari apti sunt, non adaptiores. Vnde Cicero, *in 3. de Oratore*, ait ad Brutum, *neque priscorum Philosophorum scientia Platonem à philosophando inquirendoque deterruit, nec ipse cæterorum studia restrinxit*. &c. Sic inquam & Ego) nec Basilio metam Iustinus posuit, nec Basilius Ambrosio, nec Augustino; nec ipse alius, nec Patres Scholasticis; sapientia enim Dei tanta est, & tam multiplex, vt, *qui putat se inuenisse, non quæsitum reperit, sed in inquisitione defecit*, inquit magnus Leo Papa.

Præterea, opponimus Senecæ, Clem. Alex. Gregor. Nyss. & alios supra citatos, qui non vnum esse sequendum Philosophum, sed ex omnibus seligendum quod rectè dixerunt.

Ad 3 dicitur, *Daniel. 12. multi pertransibunt, & multiplex erit scientia*. Si quis Doctor adeò excellens esset, vt nemo addere, nec supra quid intelligere quiret, huic soli deberetur sequela, sed quoniam non reperitur, quamuis sanctus, quamuis doctus absque errore. vt docet Aug. *de lapsibus Sanctorum, & Psal.* 115. vt quotidiana experientia monet: quotidie enim nouarum rerum experientia scientias magnificat, & instaurat, non est negandum studium multiplex: Alioquin nec nouum hemisphærium nec nouæ stellæ, nec Telescopium, nec magnetis vsus, nec Typographia, nec bombardorum inuentio, præcluso philosophandi multiplici conatu, nobis comperta essent. Tollenda est confusio & litigium Sophistarum, & dogmata fidei non retinentium vnanimiter; non autem studium Philosophorum. Vnicus codex adolescentibus, & ingeniis mediocribus prodest, non autem prouectis, & inuenire aptis altiora, melioraque: proptereà non iurandum in verba vnius Doctoris, sed prouidendum ne libri edantur eadem repetentium, quæ prisci docuerunt, vsque ad nauseam, in Theologiam, & legibus fori exterioris & interioris, extra fidem Catholicam vagantium. Inuenire autem nemini præcluditur via, cum præsertim superflua non transeant sæculi iniuriam: moriuntur enim cum authore suo: noua necessario durabunt semper: non ergo timendum. Tempore Virgilii plusquam 100. Poëtæ scripserunt; quorum vix octo extant. Post Magistrum Sententiarum plusquam 60. scripserunt in eius libros: nunc vix 10. extant.

Ad 4. Louanienses, & Salmanticenses, non iurant in verba Magistri quod sint vera, vt corde tenus ita credant, sic enim æquipararetur humana authoritas diuinæ quod impium est: sed iurant se legere & declarare D. Thomam aut Aug. sicut & Complutenses Durandum. & hoc iuramentum non est illicitum: fit enim ad tollendas lites, confusiones discipulorum, & Magistrorum Cathedras ascendentium, multasque discordias: Parisienses quoque iurantes pro conceptione non iurant, se sic de fide sentire, sed talem opinionem se defendere in exterioribus congressibus. Similiter Dominicani Fratres non iurant se tenere verba D. Thomæ, sicut Euangeliorum verba: hoc enim esset hæresis, sed defendere & legere in scholis D. Thomam, & circa Theologica, & sua, non etiam aliena, quibus vtitur. Quod pluribus ex causis euenit. Primò, quò fratres conueniant in vnitate doctrinæ: Secundò, vt possint adolescentes & mediocres ingenio proficere absque confusione. Tertio vt D. Thomas, quoniam eminet inter scholasticos gloria sibi debita decoretur à suis. Quarto, quoniam solidior est cæteris in communi, licet non in singulis, meliusque nostratibus vni probato adherere Doctori, & sic proficere, quam permultos vagari sine profectu, donec possint meliora inuenire. Si enim cordetenus iuramento tenerentur, tunc vel omnes essent periuri, quando discordant Thomistæ de sensu D. Thomæ,

aut vnus tantum extra esset periurium. At erga alios Doctores, & doctrinam iurarent, absque iudicio, & iustitia, & veritate.

Propterea *in Chron. Præd.par.2.lib.*20. declaratur Fratres nostros Patrum doctrinis de fide, & moribus, non autem in Philosophicis obligari, æquè ac D.Thom. vide art. præcedentem, & Aug. *de Ciuitate lib.*8. *cap.* 9. Vbi qui Philosophi sunt nobis sequendi, docet, & quatenus similiter Clem.1.*strom.* & Canum *lib.*9.*de hoc.* Tandem nolunt D. Thomam retineri, nisi prout vult ipse D.Thomas, qui *in Opusc.* 72. dixit se varia & dissonantia scripsisse in variis libris, videlicet, in summa, in sententiis, in lib. contra Gent. in quæstionibus disputatis, datque licentiam, vt eligamus quam consonantiorem veritati sententiam iudicabimus, prout nobis videbitur: & ex hoc altercationes inter Thomistas, tum de sensu verborum, tum de opinionum electione.

Præterea, neque nos obligauit dictis suis tanquam Canonicis, multo minus Aristoteli aut cuiuis Philosopho, vt *in Opusc.*9. *& quolibeto* 4. *art.* 3. *& p.*1. *q.* 68. palam docet. At Scioli, qui eius mentem ignorant, obligant se dictis eius tanquam oraculis, quod est impium: aut solis dictis, in summa Theologiæ, tanquam testamento vltimo: qui liber cum non sit perfectus, nec editus ab eo, poteratque ante mortem meliorari; non habet tantam authoritatem, quantam alij perfecti, editique; sicut Æneas Virgilij, quam non perfecit, non est paris authoritatis, cum Georgicis, & Eglogis. imo ipsemet comburendam testamento legauit.

Præterea in hoc quoque errant, qui putant se Caietani, & Capreoli, aut Soti expositioni addictos. Quod si verum esset, non in verba S. Thomæ, sed discipulorum iurassent, & in hoc sunt corrigendi; quòd soli D. Thomę incumbant, omnes eius libros percurrendo. Præterea valdè errant, cum obligant se D. Thomæ, plusquam Diuus Thomas vult, aut Augustino plusquam vult Augustinus: qui dixit *verba Dei crede vt intelligas, verba mea intellige vt credas.* Cum ergo intellexeris opinionem D. Thomæ non esse falsitati subiectam, tunc tenenda est: at cum manifesta esset falsitas, non obligat iuramentum. Cum enim dixit in zona torrida non viuere homines, etiamsi iuraueris, patefacta iam veritate, non debes defendere falsitatem. In materia de Sacramento, Crucifixus dixit: *Bene scripsisti de me, Thoma*: Nec propterea Scotus & Durandus, & Suares, & alii dissentientes sunt hæretici, nec de fide suspecti, quoniam ipsorum conscientia non acquiescit D. Thomæ in omnibus, ergo multo minus in cæteris; nec dictus Thomas dissentiens in Philosophia ab Alberto magistro suo, (cui B. Virgo scientias supra cæteros impetrauit à Deo) peccat: aliter enim sua conscientia D. Thomæ dictauit: nec istę reuelationes sunt de fide omnino. Præterea nec sibi nos obligauit in conscientia: nec Ecclesia reuelatis Sanctæ Brigittæ obligauit, sicut Hieremiæ: quamuis sint probata in concilio tanquam à spiritu Dei. Cur opinionibus nunc humanis per iuramentum adhærebimus? Ideo verum est quod Academiæ non iurent in conscientia se defendere doctrinam illam, sed tantum legere discipulis ante alias, nullam tamen iniuriam cæteris DD. nec veritati propalandæ facientes.

Abstinendum tamen, puto ab his iuramentis, quoniam plebs habet tanquam de fide, quæ non sunt de fide: & hæretici irrident nos tanquam adæquantes verbum humanum diuino. Et hoc D. Thomas, & Augustinus aliique Patres valde cauerunt, & præmonuerunt.

FINIS.



THOMÆ CAMPANELLÆ STYLENS. ORD. PRÆD PHYSIOLOGIA EPILOGISTICA.

Proœmium ad Academicos del Primo Senno.

QVONIAM vobiscum vitam ducere, charissimi, non datur veluti auidissimè cupitis, vt simul proximi Deo Optimo Sapientissimo Maximo per virtutem efficiamur: cui soli Scholam non autem hominibus, degenerantium filiorum more, proptereàque nos odio prosequentium, ipse facio: nè tantus amor frustretur penitus, oblectare vos his in paginis, quod alibi *A* luculenter præstabo, nunc compendiosè decreui: vbi intellectum meum haurire, & simul gaudere, si quid diuinum sapit, ritè poteritis. Sæpè etenim Amantes vel amasiæ imaginem si verum desit obiectum, iucundè intuentur. Nec secus ego dum Primum Numen in *B* vestigiis imaginibus, & statuis diuinis, atque proprio in eius codice, qui est Mundus ipse, non in codicibus hominum contemplor.

Vide quæst. Totam super Prol.

Huiusmodi autem contemplatio Philosopia nuncupatur: vbi enim deficit sapientia, supplet amor, cum Philosophia sapientiæ amor sit. Et profectò vbi torpet Amor, a sapientia excitatur: Siquidem Amor culices & formicas non appetit: Ast vbi mens artem considerat, qua & ad quid facta sunt, erigit nos ad tanti artificij dilectionem; & quocunque fertur amor, Sapientiæ occasionem præbet & cognoscendi Deum in rebus amatis, consideratisque: quòd si omninò assequi non datur in magnis voluisse sat est.

Philosophiæ quidditas nominis.

Ad *C* quæ mecum vos perducam de similitudine in similitudinem, sub ducatu scientiæ, ac Fidei, quæ adhiberi debet viris sanctis, *D* quando loquuntur sicut testificantes ea, quæ didicerunt in Schola & codice sapientiæ primæ, non autem

A Quæ in hoc textu aphoristico non satis probata videntur, luculenter habemus in appositis Quæstionib.

B Rerum vniuersitas eiusque partes, sunt codex, statuaque Dei: Creatura rationales Imagines: Irrationales vestigia, ex sancto Augustino, de Trinita. Mundum etiam Dei Idem dixit codicem, & à principio vocatum esse sapientiam Dei scriptam, reuelatum est sancta Brigida. Et sanctus Antonius ad Imperatorem apud Nicephorum: Idem scripsit S. Bernardus, & Chrysost.

C Proprius sensus obiectorum & Fides, quæ est sensus alieni nobis adscitio, sunt Duces scientiarum. Nam cognitio sensibus propriis & alienis hauritur: ex cuius obiectis praecognitis ratio transcurrit ad incognita tanquã eadem, quia similia.

D Sancti indubitatam faciunt fidem, quando loquuntur tanquam testes eorum, quæ à Deo didicerunt: scientiã verò quãdo tanquam testes libri eius, qui est Mundus: quem experientia legimus ex multis sensationibus constantem: opinionem verò, quando ex propria coniectura.

ficut opinantes in fcholis hominum: quifane ex illo exfcribunt, alij rectè, alij perperam. Atqui originalem legit librum, emendare poteft exfcripta etiam exemplaria.

Senfus corrigunt fcientiam, & dubitationes experientia foluunt, dilucidantque, & alter alterius fupplet defectum: & fenfatio præfens corrigit præteritam; & res cognitæ ignotas demonftrant ob vnitatatem cognitionum ad inuicem, & ad primam caufam.

Quæft. 4. art. 1.

Cuius *E* Ars *Q.* rebus indita, & ad proprios fines illas deducens, appellatur Natura. Vocabulum ex natiuitate Rerum ad artem, quę in ipfa natiuitate inditur, tranflatum. Quæ verò Ars deducit res ad fines noftros dicitur extrinfeca natura. Præfens autem fcientia, id eft Phyfiologia de re naturali eft, ex qua auroram naturæ indagamus, omnium entium principium, finemque. Itaque rogare decet Opificem Mundi, vt nobis parcat, fi de ipfo parabimus fermonem per tranflationes analogias ac fimilitudines, quæ ipfum in rebus noftris repræfentant: non verò fecundum id, quod eft in fua entitate incomprehenfibilis, infinitufque: à quo maximè diftamus etfi nobis proximo, intimoque. Ita adiuuet ipfe fcientiam noftram, & ignorantiam ignofcat; eoque fit contentus, quod poffumus poffe, fapere, & amare, intra *E* fyftemata illius, quæ per fimplicem emanationem producta, tranfeunt, tranfmutata perfæpè in inuicem abfque tamen annihilatione: *G* Prout caufæ agentes, à quibus fiunt res: & materiales, de quibus fiunt: & ideales, quarum inftar fiunt, non cafu: & formales, quibus fiunt: & finales, propter quas fiunt: & perfectionales, fecundum quas perficiuntur; à primo Poteftatiuo principio, & primo cognofcitiuo, & primo volitiuo emanantes, ferunt: & principia iidem à Primalitatibus funt. Primalitates autem effentiant Ens.

Inuocatio.

E De fyftematum permutatione, vide Metaphyf. p. 2. & 3. De caufis q. 3.

F Sex genera caufarum: duæ à poteftatiuo, Agens & Materia: duæ à cognofcitiuo Idea & Forma: duæ à volitiuo, Finis & Perfectio. Principia autem tria à tribus Primalitatibus. Vide Metaph. p. p. lib. 2.

Cur Deus creauit Mundum, Effentias ad exiftentias educendo.

CAP. I. Art. 1.

Quæft. 2. art. 1.

Dicam *A* ergò per fyllogifmum, Sapientia & Fide illuminatum, *Q.* Ens primum *B* Potentiffimum, Sapientiffimum, & Optimum. Poft (fi poft, & antè in eo noftræ exiguitati æternum capere non valenti affignare fas eft) infinitas glorias, quibus in immenfa fpatiofitate fuæ diuinitatis, omni voluptate perfruitur, in voluntatem propendiffe (nouam rebus extrà infinitum producibilibus, antiquam verò intrà infinitum) fabricandi *C* ftatuas quafdam & imagines immenfa illius bona fimulantes. *D* In quibus ipfum nos contemplamur, admiramur & laudamus, qui etiam illius ftatuæ & imagines fumus. Non enim aliud Ens extrà ipfum erat, quod ipfum admiraretur, fed factura illius cum fit viua, in femetipfa factorem admiratur, & à femetipfa in illum erigitur. *E* Qui nimirum fcit quia poteft: vult autem quia fapit, & poteft. Hæc ergo facra Monotrias Deus *F* cum per fapientiam fuam profpiceret poffe fub infinitate fua finitam Entitatem rerum produci per effufionem idearum, id eft effentiarum ad exiftentias. Quoniam ipfa bona erat, non inuidit propriæ Potentiæ gloriofam productionem ip-

A Quoniam in Metaph. oftendimus ex Mundi conftitutione fuarúmque partium neceffe effe illas præcedere totum, quod cōponunt. Nec hunc ex fe ipfo potuiffe cōftitui contrariis ex rebus, nec cafu oriri, cum in ipfo fumma Ars reluceat: neceffè fuit illi principiū affignare, & autorem nobiliffimum: de quo fermocinari per propria non valemus, fed per fimilitudinem artificum humanorum. Hanc rationem creationis affignauimus: quamuis multa fint alia nobis ignotiffima fibi verò notiffima.

B. Caufa efficiens rerum. B In Deo non eft ante, & poft, nifi fecundum modum intelligendi humanum. C Caufa Finalis. Caufa Idealis. E. Ens quodlibet vult effe, & agere quia fcit & poteft: fcit verò quia poteft, & quod, & quomodo poteft. Cum autem non poteft aut nefcit, aut non amat effe vel operari ftatim annihilatur effe, vel operari.

Hinc innotefcunt operationes diuinæ: unā naturali fciētia agnofcitur Poteftas, Sapient. & Amor, & emanationes ab inuicem: cum vbique hæ confpiciantur. At non paternitas, Filiatio, & fpiratio, reuelata in Theologia; cui deferuit hic liber. Vide Metaph.

F Res omnes in Deo prima caufa habent Ideas, quas Theologi etiam effentias vocant: & exemplaria deducendarum ad exiftētiā: exiftit enim quod extra propriam caufam extat: effentia verò eft, non exiftit, nifi participio exiftentium.

G Nihilum quod eft pura priuatio eft generationis terminus, à quo: non autem Principium phyficum, vt putat Arift. productionis vel producti; fed vtique oppofitum. Vide q. 8. art. 8.

ſarum rerum. Nec facturæ illam Entitatem,ſecundum quam produci quam maximè poterat ad ſimilitudinem primi Entis.

Namque ſanè totus Mundus, & quælibet particula illius conſtituitur ex ſapientia, Potentia,& Amore, ac vnà ex earum obiectis, quæ ſunt Veritas, Exiſtentia,& Bonitas,quædam clarius,quædam verò obſcurius. Veluti eas conſtitui Prima Bonitas amauit,Prima Ars diſpoſuit,& Prima Potentia effecit. Quando nulla res adhuc in nullam rem tranſmutata erat,nec hoc Ens ſuo Nonenti ſucceſſerat.Non enim eſſentiæ venerant ad exiſtentiam extrà primum Ens, vbi perſonantur accidentibus,mutationibúſque.

Quandò creatus eſt Mundus.

De loco, & Tempore, exiſtentiarum Comprincipiis.

Art. 5.

VIdere igitur videor,quamuis à longè nimis, Primum Opificem in principio *A* durationis ſucceſſiuè, ſeu viciſſitudinis, quam appellamus Tempus q. (imaginem ſemper idem permanentis æternitatis à qua fluit fluentéque Nunc indiuiſibili generatur,vt linea fluẽte puncto punctualiter,& Motus momento)extendiſſe ſpatium penè infinitum,in quo ſuam hanc ſtatuam collocaret,receptaculum ſanè exiſtentium extrà cauſam eſſentiarum ideatarum ab ideantibus æternis.

De tempore q. 5. a. 1. De loco. qu. 6. q. 7. art. 4.

Hoc *B* eſt locus, *ç*. baſis exiſtentiæ, in quo pulchrum Opificium, hoc eſt Mundus, ſedet: quem ſi non eſſe imaginabimur, fateri oportet ſpatium vacuum illius remanere. Locus ergò eſt *C* ſubſtantia prima,aut ſedes,aut capacitas immobilis,& incorporea apta ad receptandum omne corpus. Hic eſt Mundus Mathematicus interior & anterior ad omnia corporalis Mundi ſyſtemata; ſicut Mentalis ad ipſum: Ad Mentalem autem Archetypus ſolus infinitus,portans omnia verbo virtutis ſuæ.

A Cum ens omne naturale fundetur in loco, ex loco oportuit exordiri: quoniam ens in cauſis eſt cauſa: In intellectu eſt intellectus: at in loco propriè res exiſtens extanſque.

B Nomen ſubſtantia dicta à ſubſtando conuenit loco, ac materiei ſubſtãtibus: Deo, & Angelis, & Animæ, eſt improprium teſte Aug. 7. de Trin. Sed nomen eſſentiæ conuenit illis magis.

Idcóque Firmamentum locus noſter eſt,dicitúrque: ſi enim moueatur,conturbabit locata. Item iret in alium locum,qui nec eſt: niſi & entium. Item eſſet locatum, & non modò locus. Propter eáque longum, latum, & profundum incorporaliter,quo poſſit corpora longa,larga,& profunda abſque mutua penetratione corporali concipere,quibus quidem omnibus eſt ſimile,& proportionatum.

Prætereáque voluit Deus,vt nulli Enti ſit contrarium,neque ſibi ipſi, ſed omnibus eſt vndique perſimile. Igitur dextrum,ſiniſtrum,ſurſum,deorſum,antè, retrò,ſunt voces à nobis adſcriptæ diuerſitati locatorum corporum, non autem ipſius loci: neque enim ignis ad ſuperum fertur locum,eo quod fugiat inferum locum,ſed inimicam Terram; atque omne corpus de loco in locum mouetur,quoniam quæritat ſimile,aut fugit,perſequiturvè contrarium corpus. Ac dum mouetur,penetrat corporaliter locum,& penetratur à loco incorporaliter, quatenus locus eſt baſis interna incorruptibilis, impartibiliſque totius Entis corporei, non autem *e*. ſolius circumferentiæ, quæ ad ſuperficiem aliorum corporum terminatur, & non ad locum, niſi quatenus ipſe vtriſque ſubeſt tanquam prima ſubſtantia immobilis, inalterabilis,& incorruptibilis. Quæ tamen rerum compoſitionem non ingreditur cum eis ſubſiſtendo,ſed cum eis exiſtendo, & ſub eis intrinſecè. Neque enim res *D* raræ ex pleno vacuóque componuntur, etiamſi vacuum inter foret illis.

Ex inani ſpatio, & pleno, non componitur corpus, vti vult Democritus.

Quæſt. 6. art. 3.

Tantoperè *E* gaudet ſpatium locus ſubſtare Entibus quòd abominatur vnquam etiam fieri vacuus omninò,idcircò perpetuò trahit ad ſe corpora minus renitentia,veluti rara,& ſibi ſimiliora,nè vacuus ipſe remaneat, tametſi crebrò, licet non natura,vi vacuus fiat,veluti in Nubium ſciſſuris experimur,& in vaſis plenis aëre,mox congelato,& in anguſtiorem mox redacto locum, & in follibus obſeratis poſt expreſſum Aërem,ac vi eleuatis ab inuicem; & in ſyringis extremum

Quæſt. 6. art. 2.

foramen pice obclusis; vnde per vim intrapositum stylum, gossipio obuolutum attractúmque, mox spoutè sibi relictum ad replendum recurrit vacuum. Nec locus modò vacuus remanere non vult, sed & ipsa corpora locata vacuum non admittunt, quoniam mutuo gaudent contactu, tanquam ab vna materia, vnóque sensu & consensu, quasi Animal vnum, constituta. Idcóque vacuum, quod ipsa diuidit, abhorrent. *Q.* Proptereàque in Clepsydra contentæ Aquæ, quo Aër ingredi nequeat, occluso foramine superiori, deorsum non cadunt, nisi grauioris sint molis veluti mel, sæpè quoque sursum feruntur breuissimo tempore ad implendum vacuum, sicuti in scientia de spiritalibus palam fit.

Quæst. 5. art. 2.

Apud vitruuium.

De Materia.

Art. 3.

Causa materialis. Quæst. 7. de Mat. S. Iust. in libro confut. dogm. Arist. de Materia. Item S. Basil. Hex.

INtus locum posuit Deus *q.* quid totum *A* corpus informe, numeri, & figuræ, & actionis expers, & iners: quod tamen aptum esset suscipiendis ideis, actionibus, numerisque, ideoque fieri vnum & multa, id est vniri & diuidi, extendi & contrahi, qualificari, & omnem suscipere figuram, & actionem, & artificium, sicuti cera omne sigillum, datque formis esse materiale, & recipit ab eis esse formale tantum, & non simpliciter esse, ipsa enim recipit, non autem recipit, nisi prius sit secundum Naturam. Non ergò per se vnum est, quia non diuideretur: nec Multa, quia non vniretur. Vtrumque ergò est potentia. Nam secatur in minutissima corpuscula imaginatione in infinitum, sed ad sensum diuisio eius finem sortitur in minutissimis atomis, quæ apparent in radio solis per spiraculum ingredientis Domum: vnitur etiam in densa raráque, entia, & Media: At necesse fuit ita esse, quo Quantitas, quæ est *B* terminus intrinsecus, ac mensura Tantitatis huius substantiæ, sicut Quantitatis Talitatem figura mox qualificat; posset omnem paruitatem, ac magnitudinem sortiri, & omnem positionem ex particulis constantem: ac *q.* transmutaretur in omnem formam & modum, prout opus esset virtutibus Agentibus, in ipsam seminandis.

Quæst. 7. art. 2. *Corpus non diuiditur in infinitum.* Quæst. 7. art. 4.

Quæst. 7. art. 3.

Hoc est Materia, secunda substantia, basis situalis Mundi formarum, variarum susceptione, Principium passiuum compositionis rerum, corpúsque vsquequaque terminabile, ac passibile, quoniam ex non corporibus corpora non fierent. Quòd non generatur, nec corrūpitur, sed fit in eo formarum generatio & corruptio, ac per hoc totorum compositorum. Nec augetur, nec minuitur, nisi sui additione & detractione per Artem: at insuper expansione & constrictione per naturam: non intensione remissionéque actiuorum more: à quibus rarescit, spissatúrque indicibiliter & inimitabiliter.

S. Iustin. in lib. Cōfut. dogm. Arist.

Porrò cum sit iners, inuisibilis est: non enim agere potest in visum. Igitur nigra est, ac tenebricosa: tenebræ enim ita sunt inuisibiles oculis apertis, vt clausis, & essentiæ materiei nil repugnat conditionem habere passiuam, sed actiuam. Verum & combustæ res, vnde albus color exhalauit, & frigus tetrum expulsum est, manifestant nigredinem materiei faciem: propterea cognoscitur ex analogia ad formas adulterina quadam ratione: dum incessanter nouas recipere intuemur formas, non autem dare.

Ratio 1. *Occurrit obiect.* Ratio 2. Quæst. 7. art. 3. Ratio 3.

Item *C* vbi ipsa non benè exsuperata est à virtute mouente, neque ab immobilitante, sibi relicta, cadit deorsum ad fulcimentum terræ, quòd & lapides, & accensi carbones, terræque contrarij etiam faciunt; qui accelerant huiusmodi casum instar Animalis, fugam in fine cursus concitantis, quasi exosum inertiæ materiei, natæ aptæ moueri: at non mouere; neque sistere se ipsam aliudvè Ens.

Quæst. 32. *A Quandò transubstantiatur huiusmodi*

Porrò enim omne corpus, *q* qua corpus, tendit ad proprij systematis conseruationem: ergò ad vnionem: ergò ad concentrationem: sic partes solis ad centrum Solis, Lunæ ad Lunæ, & cæterorum ad cæterorum. Centrum enim indiui-

ſibilis vnitas maximè vnit; ergò & ſeruat, ſicut diuiſio deſtruit: ſed qua formatum, tendit corpus ad ſitum ſuæ formæ conuenientem, vt aër ſurſum, arboris ramus ſuprà terram, & in latera, &c. ſed cum præualet corpulentia ſuper formam, cadit, accelerátque caſum duplici ex cauſa iam dicta.

corpus in Eucharistia remanet quantitas, quæ eſt extremitas illius, miraculosè, & pondus, & menſura eius ſequaces Quapropter æmuli contradicere mihi non poſſunt, niſi & D. Iuſt. & Baſil. & Petro Aureolo, aliiſque Catholicis cōtradicant, faeientibus Materiam corpoream ſicut ego. Et D. Tho. in Cont Gent. 3. & 4. ſent. & in opus. 42. corporeitate ſubſtantiali interminata illam donat. Calor natiuus Panis tranſubſtantiatur vt ego ſentio & Lactantius, & alij Theologi ponentes calorem eſſe ſubſtantiam: nec obſtat nobis ſapor & guſtus caloris in pane, quoniam guſtus fallitur dicit D. Thom. remanet verò calefactio & calor externus, non autem natiuus. Vide q. 8.

B Res non cadunt deorſum accelerando motum in fine ob terræ ſimilitudinem ſicut quidam dicunt, cum res accenſæ terræque contrariæ ſimiliter accelerent: nec quia ab aëre ſemper maiori grauantur; cum aer ſubcadente pondere condenſetur magis, magiſque ſubſtinere debeat: at tandem ergò propter materiam quærentem fulcimentum acceleratur huiuſmodi caſus, ſicut animal in fine fuga: cum entia omnia ſenſum ſuæ conſeruationis habeant. Materia verò ſe tuetur, dum patitur, non dum agit. Corporibus tamen iſte motus omnibus ineſt, vt dicitur in textu propter conſeruationem totius. De quo vide Metaph. & q. 32.

C Triplex propenſio in quolibet, corpore, Totalis, Formalis, & Materialis.

De Principiis actiuis, & Elementorum origine.

Art. 4.

IN hac corporea mole, tantæ materia ſtatuæ, dixit Deus ideator, *q.* vt innaſcerentur phyſicæ poteſtates duæ, non plures, nec pauciores incorporeæ, ſed *A* corruptibiles & generabiles, ideoque non potentes niſi in corpore ſubſiſtere: *q.* nullarum phyſicarum formarum organa (cum etiam abſque illis per ſe operentur extra ſuum ſubiectum, quod organis haudquaquam datur) ſed formatoris tantummodò Dei. Idcircò creati calor & frigus Principia *B* actiua, ideoque ſuæ virtutis *q.* diffuſiua propriæ conſeruationis potentia, ſenſu, & amore naturali prædita, ſtatim *C* inimici fuerunt mutuò, dum vterque cupit totam ſubſtantiam materialem occupare.

Productio actiuorum Principiorum. Qu. 8. art. 1. Lactant. de Opif. *Baſ. in Hexam.* Quæſt. 8. art. 4. Quæſt. 16. art. 13.

Hinc *D* contra inuicem pugnare cæperunt, prouidente Deo ex huiuſmodi diſcordia ingens bonum, & ecce calor deſtruxit, id eſt, in fumum, tenuitatémque magnam materiæ partem conuertit nutu Dei corripuitque per ſpatium ſecum diſtrahendo, totam ſibi ſubiicere cupiens: & vndique exhalauit per circuitum in ſpatij portionem hanc, quam peripheriam vocamus; & eo vſque tendens, quo finitum incidit in locum, vel quo vſque ab inimico frigore vires extendi contra ipſum non poterant: cæpit *q.* in gyrum agitari, ac tantum ita ſuæ molis explicauit, quanta totum occupauit ſpatium firmamentúmque commune. Atque huiuſmodi pertenuis expanſa moles ex formatione ſua vocata eſt cælum: craſſiuſcula verò, Aër: craſſa tandem portio tenuitatis attolli non valens, quæ ſudor eſt, Mare.

Forma generationis Elementorum. Quæſt. 10. art. 1. *Conſtitutio cæli per calorem.* *Forma genitorum Elementorum.*

E Frigus autem, quod in conflictu duriter nutu Dei perſiſtebat, cum ſe vndique ab inimico exhalante vndequaque calore ſuperbo ſuam attenuante molem in medio circumdatum ſentiret, collegit ſe ita in *q.* medio Firmamenti cum propria portione materiei: at ſingulæ particulæ ſubiectæ molis cupientes ab inimico cælo recedere, concurrerunt in *q.* globum ſimul vnum rotundum. Veluti Aquæ guttæ ab aëre aduerſo, & omne inimicum à pluribus inimicis circundatum facere ſolent. Hoc amplius non ſe mouit, ne inimico propinquaret cælo. Remanſitque denſum, durum, & immotum, & ob hanc rem à Prima ſapientia ex ſua formatione, vocata eſt terra. Ad *F.* quam omnes partes propendunt, ſicuti ad cælum ſuæ. Pondus enim eſt ad cognatum propenſio, vel ab exitio ad ſalutem.

S. Baſil. in Hexam. *Conſtitutio terræ per frigus.* S. Chryſ. ad Rom. Quæſt. 10. art. 1. *Vndè rotunditas Terræ.* Quæſt. 14. art. 1. *Vndè immobilitas.*

Huiuſmodi fuit *G.* origo duorum primorum corporum primorum elementorum Mundi, conſtitutorum à duabus ſubſtantialibus Principiis *q.* contrariis acti-

Epilogus productionis Elementorum. Quæſt. 9. art. 1.

Q. 7. art. 5. q. 7. a. 2.

uis, vnoque ex passiuo, non contrario ipsorum vlli: quæ quidem contrarias largita sunt conditiones huic in duas secto partes.

Q. 8. art. 2.
Omnis contrarietas reducitur ad calorem & frigus, & vna sufficit vni mundo.
Lact. lib. 2. c. 13.

Quoniam re vera omnis contrarietas ad *H* primam reducitur *q.* contrarietatem, calorem frigúsque, nec aliam Physiologi inuenire potuerunt. Et dicebat sapientia, quod ad transmutandam vnam materiam primam sufficeret vna prima contrarietas, vnde rerum varietas pendet. Et dixit Deus, quòd si alij creandi forent Mundi, eorum quilibet sortiturus esset vnam Materiam primamque, vnamque primam contrarietatem, vt ex quolibet fiat quodlibet vicissim & non seorsum.

Q. 9. & 10.
Telluris princeps causa.
Dispositio.
Quæst. 14.
Operatio facies.

Igitur in terra a frigore constituta, regnat Frigus *q.* tanquam princeps causa: inest & densitas, tanquam sedes ab ipso sibi per vnitionem concinnata, & quies, tanquam operatio sua vitalis; ac Nigredo *q.* tanquam eius *r.* facies. Contentum enim videtur fuisse materiæ, in qua insistit, facie inimica luci.

Cæli facies.
Dispositio.
quæst. 13. art. 1.
Operatio.
quæst. 7. art. 3.
Facies.

Hanc enim cælo lucem indidit calor proprio elemento: quod calidissimum ab ipso calore principio actiuo: & *q.* tenuissimum ex rarefactione, quoniam sedes eius est tenuitas apta motui: ac mobilissimum per operationem caloris; & tandem candidissimum, quia moles ab ipso deuicta, sua facie donata est, quæ lux vocatur, viuus candor, suique amplificatiuus.

quæst. 9. art. 1. & 2.
Cælum & Terra.
Cur duo Elementa.
Lact. l. 2. c. 13. Ratio 1. Ratio. 2. Ratio 3. Ratio 4. Ratio 5. Ratio 6.
q. 9. art. 2.
Rationis tertia amplïatio.

Et hæc duo *q.* Elementa fuerunt prima, non plura, nec pauciora, quoniam in ipsis morantur duo contraria actiua, duo ergo passiua; ergo duo corpora substantialia prima. Et ipsa sunt maxima Mundi corpora; ac maximè actiua, ideoque maximè sensibilia, nimirum maximè valentia sensum immutare, vt sunt sui diffusiua: omnia faciunt, non fiunt ab alio priori Ente corporeo. nec ex alterutris sicuti secunda Entia: & tandem vires potentissimas habent; secunda vero languentes, *q.* qualis Aër & Aqua, primorum appendices. Cælum quidem immensum est, Tellus verò in ambitu 32400. millia, in diametro, quasi 10800. millia habet milliaria.

A Quod primo factum est, spatium est, immortale & inalterabile, & indiuisibile: Quod 2. Materia immortalis, sed alterabilis, & diuisibilis. Quòd 3. Principia actiua, mortalia sunt, nedum alterabilia 4. composita sunt mortalia, alterab. separab. q. 8. art. 3. & 4.

B Principia formalia, substantia appellari non debent ab Arist. sed Principia actiua: cum non subsistent, sed insistent agantque: séque multiplicant effundantque, quod non facit substantia.

C Ex amore construationis, zelus regni, ex zelo, regnique insufficientia, pugna, & contrarietas: ex contrarietate dualitas Elementorum, & oppositio.

Prima enim pugna & contrarietas à Deo ordinante, non faciente: sed à zelo regnadi in Materiam. Contrà Manich.

D Quoniam videmus assiduum à sole effundi calorem, ac lucem in Terra, omnésque ignes ab eo generari, & intrà terram, & in profundo maris. Item etiam terram ab eo attenuari, nostráque Entia, fierique vaporem calo similem. Item mox moueri, & albescere: Arbitramur solem esse calidissimum candidissimum tenuissimum, ac mobilissimum, vt opera eius testantur. Item quia nouimus calorem in speculis vnitum, & ex lapidibus extrusum, & lignis confricatis, & in nube coactum per se generare ignem, indicamus ipsum esse causam agentem principalem: lucem verò eius faciem, propterea quod cum flammis, in quibus est vnitus, lucet: ipsis verò disgregatis ac factis inuisibilibus, non lucet. Patet etiam motum eius esse operationem, nam quamcunque molem occupet attenuat mouetque. Ergò & tenuitas est dispositio, quam ipse dat molive possit ipsam mouere. Hinc rationabile fuit existimare cælum a calore constitutum, sicut ex sacris literis sancti Patres declarant, vt S. Basil. S. Ambr. Orig. Ber. aliique vocantes cælum Empyreum, hoc est, igneum.

E E Contrà observantes summum frigus è terra effundi, & Aquas gelare, ac destruere quod non faceret si ipsarum natura esset. Item aërem occupare, & res à calore genitas immobiles reddere, ac nigras. Item tenebras è terra in cælum expandi, indicauimus frigus esse Principium terræ minus robustum calore, illiusque operationem esse quietem: tenebras verò faciem: densitatem tandem dispositionem, quam terra indidit, vt ipsam immotam seruare posset.

F Pondus est grauitas non modo ad centrum, sed etiam sursum, vbi vocatur leuitas: & ad quancunque positionem ergà salutem mobilis: nam venti grauitant in obliquum, homo ad rem amatam, &c. Vide q. 32.

G Duo prima elementa testatur Moyses, cæteráque Entia esse ornatus eorum, scilicet cæli, & terra. Idem S. Basil. Lact. lib. 3. c. 13. & alij, qui in fine Mundi hæc duo tantum mansura docent, vt Beda. Item si duo sunt Principia actiua, ergò duo Elementa: Oportet enim illa semper manere: at vbi manent, nisi in primis Elementis? Ergò duo Elementa, vt concludit Arist. in p. Physic. cum Parmenide, licet sibi contradicat in 2. de gen. tex. 33. ponendo 4. Elementa addendo humorem, & siccitatem, passiuas qualitates tanquam actiuas, & constitutiuas actiua, prima contrarietate, cum Ocello, & Hipp. Vide q. 8. & 9. & 10.

De Origine Stellarum Fixarum, & errantium.

Art. 5.

POst hæc cum sentiret, instinctu Dei à virtute *q.* vnita frigoris se posse oppugnari, collegit & ipse se ipsum in suprema Regione, vbi inimicus non poterat collectiones eius turbare. Ibique copiosè vnitus in globos faciem *q.* suam, id est, lucem reflexit effuditque. At tot apparentes vnitiones vocatæ sunt stellæ.

quæst. 10.

Non potuit illas calor facere in imo cælo, quoniam quamuis quidquid è terra in supremam vsque peripheriam extenditur, totum sit Æthereum, cælúmque vnum; nihilominus in inferiori cælo interpellabatur ab vmbra, & à frigore: tunc autem maximè, quando Sol potentissimus non adhuc illic resistebat: quapropter propè terram tot stellas constituere minimè poterat. Attamen septem Planetas cum quatuor Asseclis Iouis, & duobus Saturni effinxit, qui & ipsi calores sunt in tenuitate collecti magis: *q.* & ob similitudinem partium mutuam quælibet collectio sphericam adsumebat figuram, eóque præsertim quod esset aptissima motui earum. Lux *A.* quidem transpicua transuecta res in opposito Aere colligitur, & vt ignis collucet, & comburit, indicans magnæ tenuitati copiosum potuisse indi calorem in supremis partibus ac mediis purum, nullâque grauitate commistum, suo aduersa motui. Si tamen stellæ non sunt omnibus ex rebus congregata systemata. Imò materia in tenui magis lucet calor, quam in densa, sicut in flammis magis quam in ferro, & in purioribus magis, quam in impuris.

quæst. 14.

q. 10. & q. 15.

[At si *B* stellæ systemata essent, vt colores diuersi & maculæ *q.* earum perennes, à Sole nondum purgatæ, vt pareret: & magnitudines maiores solari, & motus varij fortè suadent, & perspicillum mirabile eas grandiores & viciniores repræsentans crescentes alias & decrescentes instar Lunæ, & alias detegens impuritates; & hoc reuelaret Deus, & patres qui stellatam spheram immobilitant: tunc affirmare oporteret Solem è purissima materia à calore constitutum fuisse: è crassa verò stellas plurimas, quæ in vaporem & liquoribus adiacentibus lucem illius excipiunt, reddúntque. Itaque non in centro vno crassitiem resedisse, sed in plures portiones sectam, dum pugnatur, abiisse: moueríque stellas circa Solem centrum Amoris quo cum circa odij centrum in eius obsequium voluntantur; ab ipsisque elati vapores in cælum conuertendi circà Solem, Telescopio reste, rotantur. Quæ autem in stellis entia sint fiantque, Metaphysica pandet coniectura: stat interim sententia, quòd Sol pater sit, terra verò mater nostrorum Entium tantum, Luna nutrix, stellæ pedisequæ commumem vim modificantes donec alios vsus assequamur: nunc ad rationem constitutionis iam inceptæ redeamus.]

quæst. 10. art. 2. & 4.
Q. 10. art. 3. & 4.

A Igitur non opus est ponere in sole soliditatem terrestrem in qua vniretur calor, vt luceret, veluti putauit Plato & Timeus: cum lux copiosa tenuitati magna insidere possit. At si stellæ essent systemata grandia continentia in se ipsis quidquid in terra, & in aëre, & aquis nos habemus in systemate nostro veluti Aristarchus & Philolaus putasse videntur, & Copernico dicere conuenit, alius Philosophandi modus opus esset. Nec densitas terrea lucem faceret sed reflexio ex denso in diaphanum aërem & aquam systematis, ac vnio raritatis, & æqualitatis.

Luna autem eo quod proxima esset terræ multo calore puroque lumine priuata fuit; retinétque maculas subnigras quasdam, quas in conflictu sortita est quando fumus ex massa exhalabat, & in cælum & stellas conuertebatur, nisi systema sit terreáque. Itaque in Luna materia benè purificari nequiuit, ac veluti nubes remansit, & expers manifestæ lucis, vnde à Sole dimidium ipsius perpetuo lumine collustratur. Sed interdum videtur plena, quandò illi est opposita nosque in medio sumus. Interdum nihil nobis lucet, quando cum Sole incedit, & opposita nobis pars sua illuminatur. Ac sæpè Solis faciem nobis tegit, quoniam impura est, nec sinit solis lucem ad nos per corpus suum transilire: quod eclypsario dicitur, sicut & Telluris vmbra impedit lucem solis interdum, lunámque plenam obscurat in diametro illius, aliàs semiplena apparet: aliàs magis, minúsque secundum quod magis minúsque à Sole distat, ac oculi nostri inter eos mediant. Hæc autem Lunæ varietas vtilissima fuit iuxta consilium diuinum inferiorum rerum diuersitati, & nè consumeretur terra.

Luna quasi lux aliena eiusque maculis. q. 10. art. 1.

Cæteri verò Planetæ non tantum caloris sortiti sunt, quanto stellas superiores

Luna semper semiplena est: at nobis

varietatem lucis facit pro situ eius ad solem, & ad nos.

Quomodo fiat Eclypsis solis posita luna inter nos & solem: lunæ verò per umbram interposita terra inter ipsam & solem.

Visus varietatis lucis lunaris.

Planetæ minus caloris ac fixæ habent, & ratio huius duplex

S. Basil. & S. Ambr. in Hexam & S. Ber. in ser. de Assumpt.

q. 4. art. 1.

Stella cur in die non videntur.

Duplicis Planetarum motus causa efficiens occasio & finis.

S. Petrus Epist. 2.

æquarent, quoniam propinquiores contrario facti sunt, & sapientia ita prouidit, vt non destrueretur Terra, & Mundana structura corrueret. Quòd non efficitur à superioribus, quoniam distant nimis ab illa. Attamen quintò Planetæ lucem ac calorem copiosissimum indidit, (vndè potestas eius oculos præoccupat, nec stellas videri permittit) quo oppugnaret, ac vinceret aduersarium. Quam collectionem & conatum cupiebant caliditates propius D terram facere: sed non potuerunt, ipsa resistente. Nihilominus & vbi nunc est Sol terram exureret.

At quoniam quandò creatus est in medio Mundi vbi Æquinoctialis signatur circulus, & in gyrum perrexit cum cæteris Planetis, moueri cæpit non vno tantum motu ab ortu ad occasum, sed ab Aquilone ad Austrum vsque ad punctum, quem vocant Tropicum, idest, reuersionem Australem vndè necesse habuit reuerti ab Austro ad Aquilonem vsque ad vltimum Tropicum, vocatum borealem declinando ne frigori, tempus daretur destruendi quidquid ipse disposuerat ibi, vt fieret cælum; ac nunquam per eandem viam cingendo terram, sed contendendo per omnes vias ipsam inuadere, factum est, vt per nullam viam ipsam incenderet, sed paulatim transmutaret, & Entia secunda faceret, quæ plantæ, lapides, animalia, liquores, & vapores appellantur. Atque pedetentim modo descenderet ad terræ destructionem in rerum finem ordinatum. At neque nunc, neque nunquam Sol & Planetæ, & Tellus, & quidquid in statua vniuersali continetur, mutabunt viam cursum, & esse: donec omne Ens in omne Ens mutatum fuerit, sicuti modò in exorbitantiis apparet, & consummabitur totum in bonum, à prima Sapientia iterum, purgato orbe per ignem.

B Postquam Galilei obseruationes legi, capi amplius hæsitare, nũ stella systemata sint, quemadmodum Pythagoricis videtur, & hanc in textu parenthesim induxi; vt intelligas quod etiam si stellæ puri ignis non sint, Philosophia nostra de rebus, quæ sunt in systemate nostro, non corruit. Sed in quæstionibus huic operi adiectis & in Metaph. latissimè de his disputatur, & Origenes laudatur, qui stellas systemata posuit luce solis illustrata, & agitata. Ideóque Mundum perditum iri, cum Deus solis lucem auerterit frenarisque: tunc enim (sicut Sybilla, Seneca, & Lucanus scribunt) sidera sideribus obuia motibus cadent. &c. Vide Metaph. & hic q. 10. ar. 4.

De Rerum natura.

CAP. II. Art. 1.

Quæst. 4.

Natura Telluris.

A Nomen Fati, à Fonte Deo conceditur ab Augustino, non autem necessitate stellarum: idem D. Thom.

Elementa igitur ac Elementata ità manebunt: quoniam quidquid sortita sunt in primo conflictu pugnantia, voluit Deus, vt illorum esset natura. Tellus igitur in medio pensilis constitit timore caloris; at immobilitas sua facta est natura, ibique quiescit natura; & quidquid ipsi inest, similiter eo quod recepit illud in natiuitate in qua inditur esse quod res habere poterant, & Potestas, & sapientia, & Amor conseruandi illius, ipsius simul natura sunt. Calor etiam versus est in gyrum vt terram exureret & ob iam dictas necessitates se se collegit in stellas, motúque suam donauit molem: & vt ad ipsum redderet aptam eidem indidit raritatem & quidquid fecit primò remansit illi tanquam propria natura ex fatali B necessitate, à sapientia prima effluente, quæ inseruit Harmoniam, & correspondentiam omnium partium, & actionum hoc magisterio suæ operatæ Artis. Nec modo enim causæ mutua pugna & concursu, sed causationes & actiones modificantur quodam casu, sibi, qui Dei est prouidentia, vt fiat Rerum distinctio varietas, & res iuxtà Dei voluntatem.

De

De Prouidentia Diuina in Physicis: cuius instrumenta sunt Necessitas, Fatum, & Harmonia.

Art. 2.

SIquidem *A* Terra extrà cælum extitisset: aut fugere necesse habuisset ab inimico: itaque nec Mundus pulchram distinctionem sortitus esset; quam duo prima corpora efficiunt. Aut si fugere non potuisset, altera ex parte remansisset combusta, quam igneus globus inuaderet: exaltera verò frigidissima, quorsum fugit, ac se se colligit minus robustum contrarium: nec ergò pulchra entia, quæ nunc fiunt, euenissent, quod nimirum frigus contrarium necessariò cedere calori debuisset, & extingui. Aut æqualibus adsistere viribus, vndè nec tertium ens fieri potuisset.

At cum remanserit in medio contrarij nunc vincens, nunc victum vicissim, contingit fieri secunda entia absque destructione contrarij minus robusti: etc. nim circumeuntis cæli non possunt partes raræ, ac languentes terram vincere. Nec quidem collectæ partes, ac vigentes: eo quod remotæ sint satis, ac continuò mutent situm, aliásque ob dictas causas.

Sol verò qui vnus terram exurere potuisset, rapidissimo fertur motu, Tellurem in varias Zonas *D* distinguendo ex altero in alterum Tropicum (æquidistantem vtrinque ab æquatore gradibus ferè 23. à Polis verò qui videntur stare immoti, super quibus reuoluitur cælum 66.-- par. ferè. In quorum 360. distinxerunt cælum, vt doctrinam relinquerent) & vincit ergò vbi præsens est, vbi verò absens, vincitur; & ita perficitur efformatio diuinæ statuæ.

Præsens *E* lux diem efficit, tenebra autem extensa in Pyramidem *F* ex base Telluris (eo quòd Sol eius magnitudinem longè exuperet) efficit Noctem, ac perpetuò Nox & Dies, Vesperi, & Mane in terra fiunt, circumgyrante luminari victore, tenebrisque opposita in parte regnantibus, consequentibus: similiter quælibet hora ex 24. simul extat, ad alias tamen partes terræ, & alias.

Itaque *G* veluti in reuolutione ab ortu in occasum duas efficit vicissitudines principales, scilicet Diem & Noctem in 24. horis, ita etiam à conuersione à Tropico in Tropicum eodem in tempore efficit Æstatem, & Hyemem illam Diei, hanc verò Nocti correspondentes: ver enim & Autumnus ipsarum termini sunt, vt mane, & vesperè horum. Etenim vbi proximus est, ac perpendicularis Sol eius lumen in terram insiliens, resilit *H* vnitum collectúmque multiplicatum auctúmque, ideóque nimium efficit calorem, quod vocatur æstas: vbi verò obliquus, remotúsque imminet, præualet frigus, faciens hyemem. Itaque vbi in aliquo terræ situ dies est, aut æstas: in *I* opposito Nox est, aut hyems, licet hęc sub Polo horizontali opposito verè fiat, vt simul omnis Anni ętas sit in toto tamen gyro. In quibusdam Regionibus, nimirum sub æquatore semper duodecim horas lucis, & duodecim noctis habent; quoniam circumferentia visionis incolarum quæ *K* vocatur Horizon, terminatur in duobus Polis, cum ipsi morentur in medio terrę substantis medio cęli: ipséque horizon diuidat omnes parallelos, qui sunt vię diarię 365. Solis, semper in duas partes æquales, ita quod semper immoretur tanto tempore super terram, quanto sub terra respectu illorum. In aliis autem Regionibus fiunt dies, & noctes semper varię secundum quod declinant ab æquatore ad Polos. Crescunt autem aut decrescunt iuxtà distantiam & propinquitatem Solis, & obliquitatem suorum horizontum secantium ideò vias Solis semper in partes gradatim inęquales continuò, donec perueniatur ad suppolarem terram, vbi sex Menses nostri sunt vnus Dies, aliique sex nox vna. *L* Sol enim menses sex commoratur citrà ęquatorem tribus ab eo ad Tropicum excur-

quæst. 16. art. 4. & q. 19. art. 1. & 2.

De Mistione.

q. 19.

A Constructio Mundi ordinatissima efficit ut contraria se se mutuò destruant Elementa dum destructionem mutuam fortiter & instanter, & incessanter curant: proptereàque sol duobus motibus delatus terram nō exurit.

B In nostra Astronomia, quæ tollit sphæras concentricos & excentricos, & Epicyclos, ostenditque propinquationem solis assiduam Telluri: declaratur, cur singulis annis sol descendat decem tertiis, ideóque Tropici stringuntur; mutantur eclipses; & anticipantur multis secundis Equinoctia & solstitia: & imagines calestes mutant situm, & Apogea Planetarum: Eclipsica autem stringitur.

Nota quomodò sol Tropicos constituit sua reuersione circulos: Omnis circulus partitur in 360. gradus, omnis gradus in 360. minuta, omne minutum in 360. secunda, & hac iterum, sic omne tertiū sinè fine, &c.

C Diei ac noctis di-

rendo, tres verò ad æquatorem regrediendo, quo in tempore incolæ suppolares continuò ipsum supra Horizontem aspiciunt gyrantem, ac gyrate facientem vmbras: eo quòd horizon sit illis ipse æquator. Similiter è contra alterius incolæ Poli Antarctici vocati, oppositique nostro, vocato Arctico. *M* Qui propterea quod plures stellas, ac splendentiores habet & diutius ad ipsum Sol immoratur, videri debet Mundi dextrum; oppositum verò sinistrum; quod Orienti, ac Occidenti conuenire nequit, cùm idem punctum verticale sit simul Oriens, Occidens, & Meridies, relatum ad diuersos simul terræ situs.

Dixit Sapientia, vt *N* vniuersa habitaretur terra nè sit frustra. Idcircò sub æquatore fælices sedes moderatis Entibus, quales sunt Homines, æqualitas diei ac noctis perpetua efficit. *O* Sub Tropicis verò, eo quòd Sol ad ipsos peruenit & regreditur, ideoque plus temporis simul immoratur, duplicátque vires, Entia nostra sunt semi combusta & in cinerem redactæ sedes: versus Polos autem extrà Tropicos calor frigusque magis minúsque occupant sedes iuxta propinquitatem maiorem aut minorem ad Solis viam, ipsósque ad Polos. *P* Vbi sanè frigus præualet magis, vndéque effunditur vsque ad climata nostra statuam temperandi gratia, & quatenus sub Polis generatio fieret oportuit (dicebat Mens Actiua) Solem immorari super eorum horizontes, idcircò Tellus plurimum ignis in Gruthlandia consimilibúsque Regionibus concepit, Ac vbique fiunt res necessariæ, quas Deus libero præcepit consilio. Angeli spontè capessunt: Elementa verò amabili necessitate, cum quidquid necessariò euenit, in bonum ipsorum quoque cedat.

stinctio ex luce solis, & terra vmbra circumeuntibus.

D Quandò corpus lucidum est æquale opaco, vmbra extenditur in figuram cylindroidem: quando maius in pyramidem, cuius basis fit in corpore opaco, veluti in terra fit à sole. Quandò minus, fit in fine vmbra basis, & in corpore opaco conus obtusus.

E De æstatis & hyemis temporumque cõstitutione notandum. Nam vespere & mane sunt confines Noctis, & diei: ita Autumnus & ver, æstatis & hyemis; non autem tempora principalia respondẽtia Elementis: nam & qui sub Polis habitant, habent diem vnicum pro æstate noctem verò pro hyeme. Vide q. 9. art. 1. in respon. ad 7. argum.

F In diametro nostri Poli horizontalis quando nobis est nox & hyems; illis est æstas & dies: at habitantibus in nostro climate sub alio Hemispherio est dies, non autem hyems.

G Horizon est circulus disterminans hemispherium superius ab inferiori, & visus terminatio. Paralleli circuli facti à sole intrà Tropicos reuoluti dicuntur respectu nostri; sed re vera insunt spira.

H Cur noctis vnius menses sex sunt sub Polis, sexque dies vnius & Annus est vna dies vnáque nox.

I Arist. perperam posuit Orientem dextrum, & Occidentem sinistrum: sed potius contrarium ex sacra scriptura habetur, quamuis ratio assignata doceat Septentrionem dextrum. Homo fictus ab Arist. cum dextra in Oriente & sinistra in Occidente, furor est: nam à nobis non sumitur sic Mundi constructio, sed nostra à Mundo. Item date quod benè: nos ambulamus ab ortu in occasum, dextram porrigentes ad Septentrionem, & sinistram ad Austrum, ergò, &c.

K Arist. & Virg. & Ouid. *& alij errantes negauerant habitationes sub æquatore & sub Polis; cum ibi lux & vmbra æquali vicissitudine temperiem perpetuam faciant, sub Polis verò lucis diuturnitas temperat tenebrarũ diuturnitatem. Rectius diuinauit Auic. & Alber. vt hodierno tempore nautæ experiuntur, &c.*

L Quare sub Tropicis maior æstus, quam sub æquatore. vide q. 9.

De Tempore.

Art. 3.

Quæst. 5. art. 1.

HÆc successio diei ac noctis, caloris ac frigoris, vnitatis & multitudinis motus & quietis, mutationis & stationis vocatur *q* Tempus, quod nobis innotescit per motum Solis manifestissimi. Hunc modum concessit nobis Mens prima mensurandi res per partem ipsarum nobis notissimam. Verumtamen mensura omnis præter id quod habet esse mensuram, aliquid est in se ipsa cui accidit, vt nos illa vteremur mensuræ loco: veluti palmus prætet esse mensuram panni, est in se manus expansa.

Diuersitas rerum ab Elementis iuxta Ideam primam.

Art. 4.

Porrò dum agerent viciſſim contraria, effunderentque ſe ſe ex propria mole aduerſus inimicum (dicebat Intellectus actiuus, qui ſtatuæ ſuæ fabricam ordinabat) fiet vt inimica nunquam cogantur vi ad amicitiam; & vt dum ſe mutuò deſtruunt perpetuò, nunquam penitus ad interneccionem vſque ſe deſtruant: at modo in aliqua Entia conuertantur, plurima quidem ac diuerſa iuxta gradus innumerabiles *A* primæ ideæ in ipſo Deo, in quo relucent modi omnes Entitates, & operationes rerum ab ipſo emanantium; *B* Angelorum diſcipulorum miniſterio in materiæ portionibus inceſſanter exprimendarum, conſtituendarúmque. Non enim Elementa ſui modò curantia conſeruationem rerum ideationem capeſſerent. Eſt enim idea in Deo ſicut in Autore & magiſtro, in Angelis ſicut in Diſcipulis: in cæli figuris ſicut in ſigillo: in Elementorum principiis, vt in inſtrumentis: in Elementis, & creatis cunctis, vt in ſuſceptiuo.

Quæſt. 19.

A In Deo vna eſt Idea, quam vocant Theologi verbũ æternum, in quo ſecundariè Entia relucent, ac diuerſi gradus participabilitatis ipſius ſicut Idea rerum in ſua actione per creationem rebus communicata.

B Angelos naturalium generationi & transſmutationi praeſſe, ſicut Faber in officina & Molendino palam eſt: cum Elementa ſuam modo conſeruationem & amplificationem intendat, nec arte operantur: quam miram experimur in Elementatorum ſtructura & formatione. Idem ſentit Auguſt. Orig. & D. Thom. p. p. q. de Gubernat.

De Stellarum motibus & vſu.

Art. 5.

Hoc quidem neceſſariò contingebat ab origine rerum iuxta primum conſilium: etenim *A* non vnus modò Sol per varietatem motus recti diurni que 24. horarum, atque Annui 365. circulationum obliquatum, quibuſdam additis minutis, ab altero in alterum Tropicum declinando, efficit in materia diuerſitatem, reſpondentem gradibus ideæ primæ: ſed & Planetæ in terram agunt, intercipiúntque alter alterius actionem & variant diſpoſitiones, quibus Sol terram afficit. Et quidem maiori varietate, dum ipſi obliquo voluuntur motu intra æthera, vti Sol: quidam tardiori, quidam verò velociori. *B* vnde videntur hi contra illos fieri: continuò quoque eleuantur & deprimuntur, fiunt veloces, tardi, ſtationarij, retrogradi, & ſecum ad mutuam, & ad fixarum coniunctionem deueniunt, & infinitis penè modis configurantur, lati ſemper intra Tropicos & æquatorem. In *C* ſpatio immenſo, vbi locatus eſt Mundus deſignatus eſt Æquinoctialis circulus eo in ſitu, qui diuidit cælum in partes æquales, & ſimiliter terram, at non in cælo, neque in terra. Hic circulus ſecatur in 360. partes ab humana ſapientia. Cælum verò ſtellatum in hoc ſpatio reuoluitur totum in 24. horis, deſcribendo 365. partes, veluti Galaxia *D* manifeſtat, quæ cælum ſtellulis viſum effugientibus compactum magis, & veluti lac lucem oſtentantibus, vti Orionis enſis, & præſepe, & Coma Berenicis, quo in terra diuerſitatem faceret, ac viam vitabus cæleſtibus, videri poteſt.

Extrema *E* puncta, ſuper quibus voluitur cælum Poli vocantur; linea à Polo in Polum per terræ centrum extenſa, dicitur Axis. Atque quo partes cæli ſunt propinquiores Polis, eò ſunt tardiores: ſimiliter & quo ſunt centro proximiores, quoniam anguſtiorem deſcribunt circulum, idémque euenit ex cæleſti rota ideali, ac Mundiali cunctis aliis rotis, vt videlicet velociores ſint in circumferentia, & in medio, tardiores verò in centro, & in Polis; quo enim immobili ſunt propinquiores, eò ſunt immobilitatis participantiores; ergò tardiores. Idem euenit ponde-

Quæſt. 11. art.

A Ptolomeus ſignat in cælo ſtellato Æquatorem ac Tropicos: ſed cum in eo varientur, alibi aſſignandi ſunt. Nec quidem in terra, vt opinatur Copernicus: nam & in ipſa variantur: ergò in ſpatio. Zodiacum eſſe viam ſolis & inſtabilem: variatio iam fixarum in latitudine quæ ſit tanta, quanta eſt Zodiaci ad Æquatorem inclinatio continua iã demonſtrat:

ribus ad centrum ponderis in ſtatera tardioribus; ad brachium velocioribus. Similiter & in Leua, & in principiis motuum ab immotis.

Num cæli *F* machina vniuerſa cum ſuis Polis moueatur, ignotum eſt ſenſui noſtro; at exorbitantiæ oſtendunt ipſius quandam inſtabilitatem in machina mũdi fortaſsè, & aliorum ſyſtematum extrà mundum noſtrum, nobis ignototum.

Partes *G* tamen ſupremi cæli collectiores, ipſæ nimirum ſtellæ in ſe ipſas circumgyrant præter motum, quem habent cum toto, etenim cum ſint calidiores, ac vigentiores, motu communi contentæ videri non poſſunt præſertim verò Polares ſtellæ, quarum velocitas parua eorum vigori non ſatisfacit. Idcircò videntur omnes ſcintillare, & veluti titubare. At Planetæ cum ſint Telluri propinquiores, minúſque vigentes, poſitique intra Tropicos, ordinario motu contenti apparent abſque reuolutione in ſe ipſas. Quòd Luna docet *H* ſemper nebuloſam faciem eandem oſtendens nobis, eodemque ſemper ſitu: excepto Sole, qui communi tantum motu non videtur contentus, atque in ſe ipſum reuoluitur, eo quod copioſiſſimum, robuſtiſſimumque calorem habet, quod in ſpeculis Aquæ ſubterpoſitis, & in Ortu & Occaſu ſuo, & in macularum recens agnitarum, circumuolutione, palam fit.

Sub ſtellato cælo circumferuntur *q.* Planetæ, non à cælo tracti, ſed à ſe ipſis, veluti Aues in Aëre, cùm ſint cælo calidiores. Nec poſſit cælum in ſpheras ſecari diuerſas, quales diuerſitati motuum ipſorum conueniunt, cum *q.* totum ſit æquale continuum, ac tenue, ita vt longè minus quam Aër, aut Aqua, quæ diuiſa ſubitò vniuntur, diuiſionem admittat.

Omnium *K* altiſſimus ſub Fixis graditur Saturnus, poſt ipſum Iupiter, deinde Mars, deinde Venus, *L* Cui ſubeſt Sol, quem ſequitur Mercurius. Poſtremò autem nobis citima eſt Luna. Ideóque non modò Solem, ſed & omnes Planetas & Fixas ipſa inter eos atque nos poſita obſcurat nobis. Non ita inſtabilis irregularis, ac temerè motus ſtellarum fit, ſicut Auium: quoniam ſtellæ non quæritant cibum, nec commodas Regiones, nec fugiunt moleſtias, vt inimica entia; nec vndique quacunque imaginatione agitantur: Verum longo poſt tempore & ipſorum irregularitas manifeſta fit, quæ tamen in ſeriem reducitur æternam, eorum motoribus animis ex parte notam.

Mouentur *M* omnes ab Ortu in Occaſum vnà cum Fixis; at declinant aliquãtulum alternatim ad Boream, & ad Auſtrum, ac extrema puncta declinationis vocantur Tropici, Borealis & Auſtralis. Medium verò commune, vnde excurrere cęperunt, vocatur Æquinoctialis circulus: omnéſque huiuſmodi circuli in ſpatio immenſo ſignati ſunt. Via autem declinationis recta non eſt, ſed obliqua; vocatúrque Zodiacus, vel circulus obliquus, via Solis. At Planetarum viæ, quibus à Solis via decuſſatim declinant intra Zodiacum, non habent nomen. Proptereáque obliqua horum via *N* eſt & in 360. gradus partita, quoniam non æquè velociter cum ſtellis fixis circumeunt; at ſemper paululum retrò relinquuntur; alias recta illorum eſſet via ex altero in alterum Tropicum, & non niſi ſeptem fermè & quadraginta graduum.

Hæc *O* autem derelictio, motus *q.* non eſt, ſed defectus, & ſubdeficientia vocari debet. Quapropter dum Fixæ in 24. horis 360. partes æquatoris imaginari in ſpatio perficiunt, Saturnus peragrat tantummodo 359. & min. 58. Iupiter autem 359. m. 55. Mars verò 359. min. 29. At Venus, Sol, & Mercurius 359. min. 8. ferè; quoniam Venus & Mercurius ſatellites ſunt ipſius Solis, ducis in bello aduerſus terram. Luna tandem 346. m. 57. ferè in motu ab ortu in occaſum. Ita quòd ſubdeficientia Saturni eſt duorum minutorum: Iouis, quaſi quinque; Martis quaſi 30. Veneris, Solis, & Mercurij min. 59. & ſecundorum 8. fermè. Hoc autem rationabile fuit, vt quo propinquiores ſunt Empyreo ſtellato cælo, motum vitalem velociorem ſortiantur, & quo diſtantiores, tardiorem. Item ne perpetuò vna currerent, ſed ab inuicẽ ſepararentur, coniungerentur, ſæpè *P* intuerentur diametro, Trigono, Quadrato, Hexagono aſpectu, aliiſque configurationibus,

nec id Coper. animaduerterat.

B Galaxia. Vide q. 26.

C Quid ſunt Poli & Axis.

D Ignotum eſt an Machina cæli recto motu moueatur: nec enim vlla ratione inueſtigari poteſt. Peremonus autem moueri 184. Mundos dixit, de quo vide Metaph. p. 3. lib. 5.

E Manifeſtè conſpiciuntur inerratica in ſe ipſas conuolui, & ſol; nec ſcintillatio eorum ob diſtantiam fiat, vt Ariſt. & Copern. ſcripſerunt. tũc enim Saturnus ſcintillaret magis quam Mercurius, cuius contrarium experimur.

Quæſt. 12.

Quæſt. 11. art. 2.

Quòd non tracti, ſed ſe ipſis mouentur Planetæ.

S. Chryſ. & *S. Theo. ponunt cælum vnicum non ſectum in ſpheras ſicuti & ego: at dici cælos pluraliter in lingua Hebraica ſicut nuptia in Latina: adde & diuerſas ob regiones ſicut vna terra dicitur orbis terrarũ.*

Quæſt. 11. art. 1.

Regularitas motuũ Planet.

F De ſitu & ordine Planetarum.

G Solem quinto loco aſſignauimus, quoniam Venus & Mercurius ſæpè Apogei ſuprà ipſum viſuntur: qua de re Timeus, quem Ariſt. & Plato ſequuntur, ſupra ſolem eos locauit. Ptolomeus verò infrà quoniam iidem Planetæ perigei ſub ſole nobis propiores vidẽtur. At illi, atque iſti errauerunt; quià in diuerſo ſtatu, & non in omnibus obſer-

itaque variarent Entia, quæ in terra nascuntur, ac renascuntur, & participabilitas infinita primę ideæ reciperetur per modos infinitos dispersos, ac designatos ex multiplici varietate virtutum agentium & patientium impedientium, & moderantium iuxta fatalem ordinem, a prima sapientia pręscriptum.

Luna *Q* rationem subdeficientiæ palam facit: nam hoc vesperi si conspicitur cum Sole sub Horizontem Occidentalem occumbere, crastina die quando Sol in eodem Horizontis puncto reperitur, ipsa duodecim gradus ab ipso Orientem versus distare conspicitur. Perendie verò gradibus ferè 24. & collustrata magis: sed cornua eius versus Orientem. Etenim Sol ex parte superiori & Occidentali ipsam intuetur, ita quod eius illuminatæ medietatis parum videre datur nobis, qui ab imo inferiora eius spectamus; cornua verò obliqua sic porriguntur. Hæc autem Lunæ subdeficientia à Sole, non est motus ab occasu in ortum, cum semper natura videatur ferri in Occidentem: sed quia à Sole præcurritur, sicut piger viator à velociori: similiter tertium post diem reperietur 37. ferè gradibus retrorsum, quoniam adduntur gradus tertiæ diei superationi duorum præcedentium dierum, ita quod die septimo conspicietur in medio cęlo 90. gradibus à Sole distans, & dimidia *R* plena lumine, posteà plenior magis, deindè magis, quousque quinto decimo die omnino plena apparet, quoniam Oculi nostri inter ipsam & oppositum Solem quantam accipit ab eo lucem contueri possunt. At habitatores, si qui essent superiorum stellarum vident ipsam obscuram, quoniam pars superior ad ipsos spectans lumine vacua est. Sexto verò decimo die incipit minui lux Lunæ ex parte, quæ Occidentem respicit, quoniam Sol plusquam dimidium itineris illam exuperauit, ita quod iterum ipsam adsequi incipit, veluti socij duo, qui in circulum ambulant, alter piger, alter verò velox, sæpè coniunguntur, separantur, opponuntur, & varijs se mutuò contuentur aspectibus. Ita quotidiè quatuor quintis ferè partibus horę Sol Lunam exuperans, tandem ipsam consequitur *S* post dies 29. & dimidium. Itaque duodecim coniunctiones in Anno consortiuntur, vndè annuus circulus in duodecim menses diuisus fuit, ac Solis via in signa duodecim; denominata à figuris animalium in illa imaginatorum, quę sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, & Pisces: & quidquid Luna subdeficientiæ patitur relata ad Solem, *T* consimiliter Sol, Luna, ac Planetæ omnes patiuntur relati ad Fixas, ex quibus ipsa Luna subdeficit grad. 13. & paulò plus, à Sole verò 12. quoniam vnus gradus subdeficientiæ solaris subtrahitur: idcircò subdeficientia illius à Fixis post dies 27. & horas 8. completur, quo in tempore simul obliquitatis suæ motus absoluitur. At Mercurius, Sol, & Venus, subdeficientiam & obliquitatem propriam à Fixis in vno Anno solari perficiunt, composito ex duodecim lunationibus, & diebus vndecim, & quadrante ferè. Mars in duobus, Iupiter in duodecim, Saturnus in triginta, quoniam aliorum potentissimus est eundi cum Fixis.

Quæ *V* Fixæ etiam inerrantes dicuntur, quoniam perpetuò eadem via feruntur, oriendo, culminando, occidendo. At diuturnum longè post tempus quædam obliquitas innotescit. At ab inuicem distantiam immutare & ordinem non videntur, tanquam si affixæ essent simul in eadem sphera, etenim cum remotissimæ sint, ab inimica terra non interpellantur, nec occasionem accipiunt præliandi & ordinem deserendi & discrepandi in diuersas vias, vt Planetis intra ipsorum ambitum contingit. *X* Nisi fortè alij Planetæ ipsam ambiant, vt Solem, ignoti nobis, & ipsorum regularitas nota, mensura est nobis erraticarum. *Y* At Sol, quia notissimus & propinquior est nobis, ac dominus Planetarum motu suo nobis omnes metitur motus. Ideóque Luna ab ipso motum habet, cæterique Planetæ mensuram numerúmque. *Z* Porrò vt varietas in rebus multiplicaretur, placuit Deo vias Planetarum diuersas esse à via Solis: quia annua obliquitate æquatorem intersecando, recedit ab eo 23. gradibus, & dimidio ferè. Ac simul via illius intersecatur ab itineribus aliorum Planetarum, aliam latitudinem habentium ad

nauerunt. Ego verò posui Venerem supra solem, & quod a sole recedere lōgius quam Mercurius inuenitur: conuenit etiam solis satellitium perpetuum esse, ipsum circūdantium: non autem solum stipantium.

Omnes circuli non in cælo, sed in spatio vbi locatum est cælum.

Quæst. 11. art. 1. ad 2.

H Motus Planetarum fecit Tropicos & Zodiacum.

I Cur videantur Planetæ ad fixas contrariis mouere motibus.

K Motus in ortum est subdeficientia: nec enim imaginatione assequitur animus, qui idem cæleste corpus contrariis simul feratur motibus, & qui vt placet Ptolomæo & Aristotelicis violentus fiat in 24. horis: naturalis verò in Luna diebus 29. in Saturno Annis 30. & quin corpus nō dissoluatur, in quo violentia praualet Natura. Idcircò abstulimus motum violentum cælo, ac restituimus amorē ipsi Toti, Motumque dedimus naturæ, artificium motus Angelis differentia motuum.

Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

Quæst. 10. art. 2.

L Aspectus stellarum Astrologici quinque sunt ☌ ☍ □ △ ✶

M Ex notiori lunæ subdeficiētia ignotiores notificantur aliorum Planetarum subdeficientiæ.

N Semper luna semiplena est: sed nobis non sic apparet quia ipsam ad omnem eius partem non videmus.

Austrum & Boream, sicuti Luna manifestè declarat. Ita quod ipsorum vnusquisque proprium habet Zodiacum, propriosque Tropicos, qui sunt distantia maximâ hinc indè à Zodiaco Solis, veluti solares Tropici extrema sunt puncta viæ, ab æquatore distantissima. Habent etiam proprias sectiones Planetæ, quas intersecando viam Solis sortiuntur, vulgò caput caudáque Draconis nuncupatas: Ac huiusmodi nodi manifestiores sunt in Lunæ itinere. *A A* Mouenturque in interiora signorum, anticipando semper intersecationes proprij æquatoris, veluti nodi lunares tribus minutis in die: solares verò quasi octo tertiis gradus; aliorum verò alia quantitate. Hinc fit vt æquinoctia anticipentur 50. secundis ferè quotannis: similiter Solstitia, & Cardines non sint amplius in Ariete, Libra, & Capricorno, & Cancro stellatis. Et *B B.* in 25816. ferè annis posset Zodiacus totus, totum excurrere æquatorem, ac terminari Mundi cursus fatalis, si huiusmodi mensuræ non alterarentur. Verum variari exorbitantiæ deprehenduntur in diuersis sæculis insensibiliter penè, ac sortiri irregularitatem. Quoniam non perpetuò secundis 50. sed pluribus paucioribusque Cardinalia puncta anticipantur. Huiusmodi *C C.* quoque Anomalia non absoluitur semper in 1717. Annis, sed variatur semper, ita vt detur Anomalia Anomaliæ. vt hinc agnoscere cogamur, à Deo motum cæli mensurámque vitæ vniuersi, suarúmque partium dependere: non autem à natura ad vnum agendi modum determinata. Intelligamúsque mundum per ignem interiturum. Cùm præterea Sol quotannis propinquior fiat terræ, quasi decē tertiis gradus. Propterea que eius obliquitas semper abbreuiatur quasi septem quartis gradus, eo quod Sol non necesse habet multum excurrere Polos versus, sicuti in sæculis priscis, cum iam disposuerit Tellurem magis ad accensionem. Ergò Zodiacus *D D.* inclinatur ad æquatorem; quod variatio latitudinis Fixarum à Zodiaco, & inuariabilitas à primæuo situ inter se, docent, veluti in Autare, & Regulo, & Vulture, & stellis in fronte scorpij obseruationes iam indicant. Sol *E E.* ergo viam constringit & terram magis afficit, & cum proprias terram circumferatur annos reddit breuiores, quoniam gyratio est angustior. Mundus verò veterascit, disponitúrque per febrem ardentissimam paulatim ad mortem. At *F F.* quoniam huiusmodi appropinquatio irregulariter fit nequit certo sciri quando inferior mundus comburetur. At etiam si regulariter fieret, nec etiam sciri posset punctum appropinquationis: in quo Sol terram exurere potest. Hoc autem Deus in arcanis suis clausit.

Idem Planetæ seruant; nam cum Sole descendunt, obliquitatem abbreuiant, propria æquinoctia & stationes similes solstitiis præueniunt, & dixit Sapientia, vt *G G.* vnusquisque illorum motu suo metiretur entia quædam, ac varias ipsorum vitas, nobis ignotas: nos autem solari motu omnia metimur: eiusque annus nobis est ad illum vsum, ad quem aliorum circulatio aliis entibus in cęlo & in terra est.

Creatus *H H.* est Sol principio in æquatore, itidem & Planeta omnis in proprio æquatore. At Sol factus dux illorum, moueri cæpit ab ortu in occasum, ac continuò declinare versus antarcticum Polum, vbi dispositam Tellurem liquefecit multam, ampliauitque Oceanum mare; quod mundum ambit & substat Australi Tropico, vbi nimirum Sol paululum deorsum delatus, dictus est perigeus, vt terram exuperaret. Inde verò necesse habuit regredi ad Arcticum, cum nutu Dei persentisceret hic frigoris vires præualere, ac continuò sublimior factus æquatorem intersecauit, ac Ver. *I I.* instituit nostris Regionibus: deinde excurrit aliis 23. gradibus ac paulò plus versus Polum nostrum, & in fine cursus sublimatus, se Apogeum fecit, atque diebus octo moratus est plusquam in Tropico Australi, quoniam ad Boream frigus copiosius robustiusque absente Sole, factum erat, ita quod in obliquatione, quam fecit sic excurrendo Tellurem intra Hispaniam & Africam hinc, ac inter eas Americámque illinc transmutauit, magisque in fluorem vertit, ampliauitque Atlanticum mare, insequente Oceano Meridionali motum Solis, & cum eo inundante ad Boream; fecitque simul & Oceanum intra Chinam & Iaponem, & Quiuiram. Ac persistens ex terra Boreali, quæ iam

Proptereà videtur nobis crescere vsque ad diem 15. & in sexto decimo decrescere.

O Quælibet 29. post die cum dimidio fit coniunctio luminarium, & cũ sint solares Anni dies 36. exuperant dies lunationum duodecim, diebus vndecim; qui vocantur Epacta.

P Quota subdeficiõtia Planetarum ad fixas.

Q Cur non mutant fixa viam, situm, & ordinem.

R Arbitrantur quidam Pythagorici omnes ferri alios Planetas. Vide Metaph. p. 3. & hic q. 11. art. 1. & 2. & 3.

S Cur solis motu omnia tempora, & motus aliorū metiuntur.

T Omnes Planetæ habent proprios singulis Tropicos, & Zodiacos ad viam solis, & sectiones, vocatas, caput & cauda Draconis.

V Excursio solis ad Tropicos sub Ptolomeo fuit grad. 23. & min. 52. Nunc est grad. 23. & min. 31. ex Thycone. Causam in tex. Vide.

X Nodi mouentur ad anteriora signorum id est ad occasum.

Æquinoctia solstitiáque non fiũt in Ariete & libra, & cancro, & Capricorno, vt olim, sed 28. antè, id est in secundis gradibus præcedentium signorum.

Y Copernicus dicit in 25816. Albategnius paulò minus. Ptolo. ponit 3600. annis quoniam sub aliis partibus. Alphonsus in 49000. ferè, quod no Abaco repugnat ex

in lentorem, ac lubricoſitatem, non autem in liquorem verſa erat, conſtituit montes ingentes, altiſſimóſque: qui ab ortu ad occaſum porrecti diſtinguunt climata vtriuſque Hemiſpherij.

Verumenimuerò *K K.* mora octo dierum prolixior, ac ſtellarum multarum ſplendidarúmque in noſtro Polo auxiliantium, in cauſa fuerunt, vt Sol funderet terram ſub Polo, Oceanúmque conſtitueret intrà Eſtotilantem, & Gruthlandiam, ac intra nouam Zemblam, terramque Arcticam, donec per fines Scythiæ, deuenitut ad Arſaret, coniunxitque vtrũque Oceanũ, videlicet Atlanticum cum Oceano Quiuiræ & Iaponis, adiuuante ſimul aquarum copia ex meridiano in Boream inundante. Hoc autem naturale Soli remanſit ab origine vt ſemper ita percurreret & conſimiles moras faceret, & paulatim deſcenderet diſponendo terram ad incendium ordinatum à Deo in fine ſæculorum. Idcircò *L L.* & Sol Perigei & Apogei locum de ſigno in ſignum perpetuo mutat, quoniam aliis tot Regionibus mutationis varietas continua vtilis eſt. Figuræ autem cæleſtes non in eodem ſitu, in quo nomenclaturam acceperunt perſeuerant: ſed enim vbi fuit Taurus, nunc eſt Aries, in ſpatio vniuerſali, vbi autem Aries, nunc Piſces &c. Voluit enim Mens actiua, vt ſolſtitia & æquinoctia non ſemper ſub eiſdem Fixis fierent ſtellis, ſed continuò ſub aliis, ita vt perpetuò inferior mundus ſuſciperet varietatem. Angeli beati mirabilius huiuſmodi artificium intuentur, quam Homines. Similiter *M M.* & Planetæ habent Tropicos ſuos, æquatorem, Nodos, abſides cum eleuantur, vbi ſympathiam cum alis ſyſtematibus extrà mundum habent. Aut has patiuntur mutationes ſecundum fatales menſuras, & ſecundum ipſorum vſum, quaſi mallei multi ab vno Fabro adacti, plures habente manus ſuper magnum ferrum laborando eleuantur, deprimuntur, concitantur, tardantur, minantur, iuxtà artificium ſapientis Fabri. Res mirifica huiuſmodi artificium ſcrutantibus.

Prætereà *N N.* mouentur Planetæ circa terram, quaſi proprium centrum, atque opus, in quod propriam effundunt actionem. Et præter hunc, alium habent motum, quo Solem circumeunt, ab ipſo lumen ac vires captando. Igitur habent centrum odij & centrum amoris; & quo magis ad Solem accedunt, eò plus lucis accipiunt, & ſurſum eleuantur magis. Ideóque videntur minores, & tardiores motu vero, quoniam circulum ampliorem deſcribunt. Ideoque Mars, Iupiter, & Saturnus, quando vna cum Sole mouentur, apparent altiſſimi, parui & tardi in antecedentia ſignorum; veloces verò in ſubdeficientia. Mox verò ſubdeficiente Sole à motu eorum (non quod minus calidus, minúſque robuſtus ſit, ſed quia tam lento contentatur motu, eo quod cum ſit Dux belli neceſſe habet lento ferri gradu, vt ſubdeficientiam à Fixis ſeruaret: Verumtamen virtutem eius magnam recompenſat motus circumgyrationis in ſe ipſum, quo Planetæ cæteri carent) tunc ergò ipſi Planetæ videntur paulatim grandiores fieri, & velociores in antecedentia, quoniam lucem amittunt ſolarem, & deſcendunt deorſum magis, vndè videntur grandiores. Igitur & plus itineris abſumunt, ac ſubdeficientia minuitur. Itaque regulariter paulatim priuantur influxu, augentur lumine, ad viſum tamen noſtrum, ad ſe verò motu. Donec cum peruenerit Sol ad Saturni diſtantiam gradibus 108. ferè, Iouis verò 118. ferè, Martis autem penè 133. repetunt iter ita feſtinum circuli breuioris quòd primò videntur matutina antè Solem ſtatione quaſi ſtare ſub eiſdem Fixis, quoniam æquali motus velocitate cum ipſis feruntur. Mox verò fiunt velociores illis: ac dicuntur Retrogradi à motu *O O.* ſubdeficientiæ perdito. Quando verò perueniunt ad Solis oppoſitionem in gradibus 180. ſunt velociſſimi, & telluri proximi, quoniam ad Solem inclinantur, vnde virtutem accipiunt: & cum ſit Tellus in medio ipſorum ac Solis, videntur nobis viciniſſimi, & lumine ac quantitate maximi, atque exuperant plurimum fixas motu, ac ferè tantam diſtantiam habent à Sole quantam habebant quando cum ipſo coniuncti erant; & ſurſum eleuantur. Poſt hæc adſequentes Solem, denuò ipſi ſicuti Sol Lunam in eadem propinquitate, ac numero, modoque incipient eleuari, ac motum in anteriora tardare, & Fixis *P P.* æquari, ideoque veſpertina, poſt ſcilicet

Albatengio excripto: ſuperſtitionem ſequitur Hebraicam. Vide noſtram Aſtronomiam, & Metaph. p. 3. lib. 1.

Z Copernicus abſoluit in 1717. At ipſe vnam modò Anomaliam obſeruauit ab Hipparcho ad ſe. Verum ex vno non poteſt idem concludi in omnibus; ſed plures oportuiſſet notaſſe. Nec intellexit cauſas mũdanæ mortis per ignẽ ex Euangelio. Idcircò opinatur ſolem reuerſuram ſurſum; & obliquitatem, quæ ſemper ſtringitur, dilatatum iri. At verò nũquam obſeruatum eſt ſæculorum obliquitatem dilatari, nec ſolem vnquam aſcendere, ſed perpetuò illam ſtringi, hunc verò deſcendere. Ergò errat per fallaciã petitionis principij, & ponendo non cauſas pro cauſis, ſicut Mathematici omnes ponentes Epicyclos & excentricos, & motum in terra ad ſaluanda phenomena, ſoli Deo notum eſt qui fiunt. Nos autem noſtris Phyſicis accommodauimus. Abſtulimus violentiã, Epicyclos & Eccentricos; & reuerſionem ſolis ſurſum, & motum terræ; ac oſtendimus omnes apparentias à ſolo Planetis euenire: ac Æquinoctiis & ſolſtitiis à ſuo deſcenſu ad comburendam terram; & detegimus veritatem Euangelicam, quòd nimirum huiuſmodi Phænomena, & exorbitantia cæperunt paulò antè quam ſapientia æterna ad Incarnati[illegible]

Solem statione stare. Posteà verò subdeficere ab eis, donec reconiungantur Soli ac rursus fiunt Apogei & sublimes. At non illa *Q Q.* sublimitate, quam habent à Fixis, aut à systematibus paulò antè narrata, sed ea, quam à Sole habent; vnde noscitur distantia situsque trium superiorum Planetarum. Porrò à temporis magnitudine, & graduum numero, in quo fiunt stationarij Sole recedente ab eis, cognoscimus Saturnum altissimum esse omnium, minus altam tenere Iouem regionem, ac sub illo Martem.

Venus *R R.* quoque ac Mercurius circa Solem tanquam centrum amoris voluuntur, & quasi exultantes, & psallentes ipsum ambiunt, idcirco semper cum eo progredi apparent, quoniam ipsi sunt proximi amicique. Venus supernè, Mercurius infernè, porro hac lege circumeant, quod quando cum Sole sunt, eleuantur in Apogeum præter primum Apogeum à Fixis, ac diuersam habent latitudinem, quoniam ipsorum circelli mutuo se intersecant circa Solem. Ac tardiores sunt in antecedentia, quoniam sublimiores. Mox quoniam circulum arripuere ampliorem, subdeficiunt à Sole, & apparent in ortu vespertino post ipsum semper recedere, donec Venus ad 47. grad. Mercurius ad 24. elongati videntur, paulatimque deprimi, & fieri maiores & lucentiores, ac cum Fixis mouentur in angusto circulo, & fiunt stationarij à subdeficientia, mox humillimi in perigeo, dicuntur retrogradi in posteriora, ac in anteriora velocissimi ob breue itineris spatium, cum sint terræ propinquissimi, non tamen visuntur ob Solis lucem tectam eos atque oculos nostros ferientem, sub quo dicuntur habere vespertinum occasum. Postmodum Sol plus vigoris in hac rectitudine illis effundit, ita quod incipiunt in anteriora ipsum præuenire, circulum breuc peragrando, sicque mane apparent antè ipsum in ortu matutino, deinceps plus roboris accipientes, eleuantur in eadem distantia; & paulatim sublimantur & tardantur, donec redeant rursus ad Apogæum, quod sortiuntur Soli coniuncti. Quem circumdant hilares, & cum quo obliquum motum in Zodiaco vna perficiunt, ac ideò omnes quamuis retrogradi obliquo feruntur gradu, quoniam ad Solis numeros principis eorum sequuntur.

Luna tandem & ipsa à Sole consimilem nacta est varietatem. At nequit *S S.* tantum roboris concipere quod præcurrat Fixas, dicatúrque retrograda. Verùm in Synodo ac diametro sursum eleuatur, quoniam rectam exeipit, & exuberantem lucem, & cum Sole subit, semper eleuatur. At in quadratis deprimitur quoniam tunc non eo suscipit robur modo, quo ipsa roboretur. Cæteri *T T.* deprimuntur in oppositione ob circuli angustiam, & quoniam Solem ambire amant, Luna verò cum sit terræ citima, non descendit in diametro, quoniam ab inimica terra vmbra offenditur, idcircò eleuatur ad alias stellas, vnde vigorem suscipit, non autem ad Tellurem, à qua læditur ob propinquitatem mutuam, & propriam debilitatem. *V V.* At Planetarum calor cum sit nimis, ipsâque distantia magna, liberat eos metu terræ in depressione. Porrò & in quadratis, & coniunctionibus, & oppositionibus, & trigonis, interdum altior, interdum vero humilior, quin & tardior, & velocior consueuit fieri Luna: vnde aliud perigæum Apogeumque proprium videtur habere ab eo quem à Sole sortitur, eo quod ipsum ab origine, ac cum varietate accepit, ac statis quibusdam temporibus sympathiam habet huiusmodi cum entibus suprà ipsam situatis, vndè aduenit ad illa eleuari, proindéque descendere.

Hic verò *X X.* æternus intellectus mirabilia arcana cælauit, quæ non sufficit humana sapientia adire. Hem Dei mirabilia, qui tot luminibus, & caloribus, & viis, & mediis multiplicibus naturali voluptate, & non vi omninò administratis, tantam varietatem in rerum vniuersitate inducit: Vtitur calore & frigore tanquam instrumentis mirabilis varietatis. Hæc verò amore & odio, voluptate ac dolore reguntur. Voluptas autem ac dolor à sapientia oriuntur & temperantur: non enim odit, neque amat qui non sentit malum, à quo destruitur, nec bonum, à quo seruatur. Omnis autem sensus à prima est sapientia, omnisque amor ab Amore primo, omnis quoque Potestas à Prima Potestate. Quæ Monotrias per Fatum,

nem prodiret, attonita Rerum machina ad nouitatem miraculi vel postquam, ipse dixit; virtutes Calorum mouebuntur, &c. & stellæ de cælo cadent, &c. Vide Astron. & Metaph. & Artic. Propheticales.

S. Thomas in 2. de gen.

A A Nota contra Copernicum quod ex eo quòd latitudo fixarum à Zodiaco eadem semper sibi visa fuit, putauit ad Zodiacum inclinari Æquatorem & hūc esse in terra, illum in cælo. Cum autem Tyconis obseruatio contrarium moneat in omnibus fixis, in quibus Antiquorū Abacus falsificatus non est, sequitur Zodiacum esse mobilem pro solis excurrentis ad Tropos varietate, & in cælo, & sicut ego semper coniecturaui deceptum esse Copernicum circa latitudinis inuariabilitatem, meamque Thycho coniecturam confirmauit. Tanta enim deprehenditur mutatio latitudinis fixarū quanta via solaris restrictio, ita quòd aliæ sunt viciniores, aliæ remotiores à Zodiaco, quàm prius erant; quod Copern. negat. BB Vt in Astronom. & Metaph. docuimus descensus solis in causa est vt stringatur Zodiacus; breuietur Annus: Siquidem in circulo angustiori delatus anticipat sectiones Zodiaci, & stringit limites & terram immutat magis ad exustionem & Mundi Machina veterascit, sicut docet Dauid Propheta, & Princeps Apostolorū.

tum Necessitatem,& Harmoniam res adigit ad faciendum non quod vellent, sed quod volunt.

Quoniam verò *YY.* Deus solus est per se Ens infinitum: res verò creatæ, entia non sunt per se, sed per ipsum, & finitam Entitatem habent, ac infinitam nihilitatem. Homo namque est solummodò Homo, sed non cælum est, neque terra, neque lapis, neque Sol, & cætera infinita: ergò infinitas non entitates habet, terminantes, ac finientes suam humanam entitatem. Idcircò Deus, cuius natura & esse, est omnis natura eminenter, & causaliter, & cuius nomen est omne nomen, & excedit sine fine omnes naturas ac nomina, edixit, vt res caducæ de nihilo natæ, ac compositæ ex Ente & non ente in Metaphysica compositione, ℞ ℞. mensurentur motu *q.* subdeficientiæ signato in circulo obliquo Solis & Planetarum. Motus verò quatenus est nihil, est simul delator caloris ac lucis, quæ nostris Entibus essentiam præbent: tanta igitur varietas in cælestibus esse opus fuit, ad tantam varietatem in inferiorem mundum inducendam. Stellas quoque errantes septem cum suis Asseclis, fixas verò 1021. notas, infinitas verò ignotas, & earum imagines 49. ac plures cum omnes agnitæ fuerint etiam alterius Hemisphierij. Et ita per se feruntur ad terram comburendam Planetæ sub Fixis. At cum nequeant calore, lumine, & conditionibus, quas imprimunt illam consumere, *q* euenit solummodo generatio, corruptio, alteratio, augmentum, decrementum, transformatio, aliæque mutationes mistæ inter se, & cum operationibus & passionibus, donec totum transmutetur, & conuertatur ad Deum, qui solus hæc intelligit.

Vide Prophetales nostros.

CC Cur ignoratur tēpus interitus Mundi per ignem.

DD Motus Planetarum in Zodiaco vitas sublunarium metitur; manifestè enim sol facit Annum correspondentem diei, & lunationi in quatuor punctis: & ætati animalium, quorum pueritia veri, & manè & prima septimanæ. Iuuentus æstati meridiei, & secunda septimanæ. Senectus Autumno vesperi & tertia septimanæ. Decrepita ætas mediæ nocti, hyemi, & vltimæ lunari septimanæ correspondent, & nisi aliorum Planetarum motus hos dictos variaret, & Eclypses & exorbitantia, & Cometæ & suscipientis materia variatio res omnes eandem vitam haberent in Mundo inferiori. 2. Pet. 3.

EE Omnis Planeta creatus est in proprio Æquinoctiali. & cū sole excurrerunt ad antarcticas Regiones: vt manifestat aquarum immensarum Oceani in ea generatio, & ampliatio qua est inter Africam & terram antarcticam: similiter inter Asiam & eandem. Et excursus aquarum ab Austro in Boream, licet Arist. dicat à Borea in Austrum. Vide q. 10. art. 3.

FF Cur borealis Regio montibus, australis verò aquis abundet.

GG Ratio constitutionis maris magni sub Arctico Polo, & cur dies octo in hac plaga plus moratur sol quam in altera. Item maris ad latitudinem terræ intrà Americam & Africa Hispaniamque, & intra Asiam Americamque.

HH Solis Apogæum moueri, fuit ignotum Ptolomeo, & antiquioribus. Copernico manifestatur ex obseruatis suis & priscorum nos causas addidimus.

Theorica trium Planetarum superiorum.

II Mutatio solstitiorum & æquinoctiorum priscis ignota, qua ratione à Deo instituta sit.

KK Planetas etiam mutare absides, & eleuari certis in locis, vel ad exterioris systematis amorem ibi correspondentis: aut ex fatali ordine agendi vnà cum suis instrumentis à primo opifice operante viam in omnibus, & eadem de causa fiunt tardi & veloces, vt infra.

LL Planetæ habent terram pro centro odij, circà quam comburendam vnà cum sole mouentur: habent & solem pro centro amoris, à quo accipiunt lucem & vigorem, & ideò ferri circà illum simul videntur: & proptereà nobis positis inter solem & Planetas fieri hos propinquiores Telluri, positóque sole inter Planetas & nos fieri distantiores, ex his consequi passiones iam dictas, vt videantur tardi, veloces alti, humiles, medij, stationarij retrogradi.

MM Quod Astronomis videtur retrocessio, nobis velocitas nimia ponitur; quoniam præcedunt fixas ad anteriora. Vide q. 10. art. 1.

NN Cum fixis æquantur, dicuntur stationarij Astronomis, quoniam motu proprio illis dicto, nobis subdeficientia, non mouentur.

OO Sunt Apogei & Perigei solum à Fixis, vel systematum sympathia, & antipathia. At à sole non modò Apogei & Perigei, tardi & veloces, stationarij, retrogradi, Matutini, & Vespertini. Motum à Fixis vocant Astronomi in excentrico: à sole in Epicyclo.

PP Eadem ratio est motionum veneris & Mercurij, atque superiorum: hoc tamen differunt quod Venus & Mercurius semper ambiunt solem, quoniam quandò ab eo ad certos gradus separantur, amittunt vigorem, & deprimuntur, Venus in grad. 47. Mercurius in 24. non autem sic Saturnus Iupiter & Mars, qui non nisi post, 108. gradus elongationis notabiliter deprimuntur sua virtute confisi: qua etiam Asseclas fouent, manifestos iam in Saturno & Ioue, licet latentes in Marte ob paruitatem adhuc etiam Telescopio: & ideò latent Mercurius & Venus nedum in Apogeo, sicut Mars, Iupiter, & Saturnus: sed etiam in Perigeo: dicuntur etiam Mercurius & Venus Epicyclos circà solem habere. Vide Astronomiam nostram.

QQ Cur luna non preuenit Fixas vnquam, nec dicatur retrograda à subdeficientia: hoc de sole non inquiritur, quoniam ipse est causa harum passionum.

RR Cur cæteri Planetæ in solis diametro deprimuntur, non autem luna, duplex ratio.


SS Luna à sole habet Apogeum in synodo & diametro: Perigeum in quatratis aspectibus. At à cælo alios etiam habet

vndè excentricum illi assignant mobile non stabile, vt cæteris: alij verò duplex Epicyclum, vt in Astronomia.

TT Nec Aristotelici per homocentricos circulos: nec Ptolomaici per excentricos & epicyclos: nec Copernicus per Telluris motus tres, & nouos epicyclos: nec Thyco medians inter eos, exactam rationem constructionis Mundi, motuum stellarum & phenomenorum adhuc reddidere. Galilæus in hoc laborat: vtinam quid melius nobis adducat. Vide q. 21. Post hæc scripsit: sed nil de exorbitantiis.

VV Ens & nonens principia Metaphysica rerum finitarum. Ens constituitur ex Potentia, Sapientia, & Amore Nonens ex Impotentia, Insipientia, & Disamore. Defectus harum singularum Primalitatum dissoluit esse & non esse. Vide Metaphysicam nostram.

Cur motus sub deficientia mensurat vitas mortales: motus primus non est causa perpetuitatis generationis & corruptionis, nec obliquus diuersitatis mutationis, sed delator est solis & stellarum, ac proinde caloris lucisque: cuius est operatio: quæ calor est vera causa mutationis, perpetuitatis verò est motus in circulum, quo reuertitur ad easdem vias sol remeandas, inquantum ipse calor verè agens repetit præteritas actiones, quas ab origine cepit Dei consilio. Veruntamen semper varias vsque ad Mundi mortem, quam mortem exorbitantia irregulares etiam ostendunt contrà Arist. negantem cœlo irregularitatem, ideóque tribuentem eidem immortalitatem vt in q. 2. art. 3. Quæst. 16. art. 3. Quæst. 16. art. 4.



De Operatione.

CAP. IV. Art. 1.

OPeratio *A* est inditus rerum actus, quo ipsæ in suo esse conseruantur, idcirco fit cum voluptate in ipso operante, nec finitur vnquam, nam deficiente operatione, deficit & ipsum esse per illam actuatum, conseruatúmque. Idcirco *B.* operatio *q.* cæli est motus: terræ *C.* verò quies, nam quiete seruatur, ipsáque priuata destruitur, veluti & ignis amittens motum extinguitur. Operatio forsan melius vocatur Actus, ne videatur opus exterius recipere: Actúsque extensus in patiens est actio.

A Operatio non est actio, nec passio, vt putat Arist. sed habitus quidditatis: ideóque cum sit conseruatiuus non potest cum mutatione (diuisa in generat: corrup. aug. decrem. alterat; quæ destruunt subiectum) poni in eadem definitione: non ergò semper motus est actus entis in potentia, sicuti mutatio, sed actus entis in actu, quando est operatio. Vide q. 16. art. 2. & 3.

B Quies terræ, sicut eius operatio vitalis, non autem torpor. Vide q. 10. art. 1. Quæst. 16. art. 1.

De Actione & Passione.

Art. 2.

ACtio *A* est effusio *q.* similitudinis Agentis in Patiens: quod oportet ergò illi esse contrarium, aut diuersum, si enim simile est omninò, non patitur ab eo, quoniam agere est quoddam assimilare sibi id, quod est dissimile. Quòd si iam simile est, assimilatum est. Cessat *q.* ergò actio, quæ est assimilatio; propterea sidera non agunt in sidera, sed in terram, & omne contrarium in suum contrarium, aut difforme. Itaque omnis Actio naturalis laborem habet, & omne Agens finem desiderat actionis: qui finis si fuerit cum victoria, iucundus est, quoniam Agens multiplicatur, & tutum redditur à contrario destruente, redirque ad suam liberam operationem. Ideo omnes ignes in terra geniti, reuertuntur in cælum victores, vt ibi cum iocunditate suo simili iugantur, mouentúrque: sin verò cum detrimento fuerit, dolorificus est oppositis de causis. Passio ergò est receptio similitudinis alienæ: aut *B.* naturalis: veluti cum Tellus calefacta calida fit, similis cælo calefacienti; ac Homo genitus similis est generanti: aut Mentalis, veluti hæc scriptura similis est sapientiæ meæ, & hoc scamnum simile est ideæ Carpentarij.

De Act. & Pass. q. 16. art. 3. & 7.
Quæst. 16. art. 8.
Quæst. 16. art. 7.
Quæst. 16. arg.
Quæst. 16. art. 7.

A Duplex similitudo scilicet naturalis, & mentalis: adde Transcendētalem.

Mundus *C.* verò similis est ideæ diuinæ, quamuis Deus in se eminenter contineat similitudinem mentalem & naturalem in quadam vnitate maxima diuináque ex qua effunduntur.

Hinc *D* agnoscitur, quòd veluti hæc scriptura non est similis calamo instrumentali Agenti, sed mihi Thomæ Campanellæ agenti principali per meam scientiam dependentem à sapientia prima: sic & Mundus non est similis calori, ac frigori, instrumentis Dei, sed diuinæ ideæ: cum tamen verum sit ex parte, & in partibus similem esse instrumentis, per quæ Ars diuina rebus imprimitur, toti ipsarum vniuersitati mirifico artificio. Veluti hæc quoque scriptura similis est gracilitati calami, & colori atramenti, in figuratione: Menti verò meæ in sensu & doctrina.

D Effectus est similis causæ proximæ principali vniuocæ, non autem remotæ, nec istrumentali, nisi extrinsecè: & quatenus coagit.
Quæst. 16.

Est quidem *E.* passio per se, vt caloris calefacere: datur & propter se, sed non per se, vt caloris est attenuare: datur nec per se, nec propter se, sed per accidens, vt caloris indurare & nigrefacere: & propterea aliquando per accidens opponitur ei, quod dicimus per se; vt Homo scribit, & calor frigefacit. Aliquando ei, quod propter se, vt Homo seruit, & calor generat plantam: similiter distinguitur & passio. Omnia ergo entia secunda per accidens, id est, præter intentionem fiunt ab calore frigore, à cælo & terra; propter se, id est, secundum intentionem ab Intelligentia.

De Mutationibus.

Art. 3.

Quæst. 16. art. 1.

A Motus est operatio. sed accipitur etia pro mutatione: abusiue distinguitur eius significatio, non res significata.

DIstinguitur ergò *A* motus significatio in operationem seu actum, & actionem: quæ quatenus in patiente subiecto recipitur, est passio, vel *B.* receptiua respectu loci, & subiecti, vel perditiua respectu regnantis in ea virtutis & formæ. Et simul actio, à dante.

De spec. Mutat. Quæst. 16. art. 11.

B Transformationē ab aliis Philosophis omissam ponere libeat formæ transeunt in alias materiales respectu subiecti, non autem formæ ideales neque actiua.

Omnis quidem passio transmutatio est, vel totius esse, & hæc vocatur corruptio præcedentis esse, ac generatio subsequentis, vel partium materialis temperamenti; & hæc vocatur augmentum rei, sicut adiunguntur, & decrementum rei, cui auferuntur. Vel est mutatio in aliam speciem, siuè in aliud ideatum non corrupto antecedenti, hoc est, non deperdita forma substantiali, & sic vocatur *C* transformatio: sicut cum ex verme serico fit Papilio, & ex formica aliger, & ex palma pugnus. Puto etiam transformationem dari quomodo triangulus in circulum ampliatur; non quidem annihilatur; ergo transformatur omnis forma passiua, & materialis terminus, non autem actiua: non enim calor fieri potest frigus, sed linea recta fit circulus.

D Diuisionem, & vnionem Philosophi non omiserunt excepto Arist. sed necessariam esse Physiologo palam est. Imò est omnium mutation. conditio & origo: nec enim calor calefacit, nisi patienti vniatur: nec passiones materiæ fiunt vlla sine diuisione & vnione.

Datur & *D* diuisio & vnitio in natura: sed quā sequitur disgregatio, congregatio. rarefactio, condensatio; quæ mutationis in quanto, & quali speciessunt. Item vnitur Agens patienti, & tangit, vt agat, & ab alio separatur.

Omnis mutatio quando est totalis ponitur in cathegoria rei, quæ mutatur: at quando non perficitur est in omni Prædicamento, & dicitur Alteratio, seu Variatio, sicut cum ex iuuene fit senex, & ex albo magis album, aut minus vel magis, &c. nam datur etiam mutatio actus in actum, vt de motu in quietem: sed motus acceleratio est alteratio eius qualitatis. Qualitas autem est in omni Prædicamento, & analogum, non vniuocum genus: sunt etiam mutationes in cæteris cathegoriis, sed sequuntur ex absolutis. *q.* Nec est Prædicamentum, in quo non fit mutatio, vel per se primo, vt ex calido fit frigidum: vel sequens ad calefactionem, frigefactionémque: & ad vnionem, & separationem, qualis est auctio & diminutio, transformatio, generatio, & corruptio, transsubstantiatio & mutatio de simile in dissimile, & de Patre in non Patrem.

Quæst. 16. art. 6. & 13.

Quæst. 16. art. 13.

De Mistione q. 18.

Hinc agnoscere licet motum localem violentum lapidis non esse operationem, sed passionem: At quando fit ad commoditatem agentis, aut patientis, veluti Nauta mouet nauim, & spiritus corpus, quamuis primaria vtilitas sit ipsius Agentis, vocatur semper gestatio, aut vectatio ex actione & passione mista.

Hæc conuentes intelligimus qua ratione duo elementa contra inuicem agūt atque Elementata constituunt contrahendo conditiones Elementorum remissas castigatásque, ad modum agendi, & operandi, veluti & ipsa à Deo didicerunt quādo ex nihilo creabantur, ac simul ideam primæ sapientiæ excipiunt. Omnis motus finis & principium duplex, scilicet intrinsecus & extrinsecus: intrinsecus est primum momentum & vltimum; sicuti lineæ primum punctum, & vltimum. Et temporis primum nunc & vltimum. Extrinsecus vero vltimū non esse est principium, & primum non esse est finis; nec mediat tempus, aut motus, aut linea vt sophisticantur infinitatores.

A Calor per se calefacit: per accidens occidit frigus, &c.

Ordo communicationis primorum contrariorum in passiuas causas.

Art. 4.

CAlor igitur, qui est cælestis agens causa, primò, ac per se calefacit, hoc est, imprimit communicátque se ipsum in Elementum terrestre extraneum, eo quod virtutem diffusiuam a prima Potentia accepit, interficit ergò simul frigus

per accidens: secundò subeundo molem attenuat, & rarefacit: 3. si potens est portionem attenuatam sursum mouet. *4*. Postcà verò albefacit, illuminàtque, sicuti nubes robusto calore eleuatæ adhuc nigræ, docent: sin verò blandus est calor, vel etiam robustus, sed clausus, vt non possit exhalare, primò albefacit, postea mouet exuperatam molem: At quoniam cum agit à frigore retunditur (cuius ordo agendi est primò frigefacere. Secundò condensare. Tertiò immobilitare. Quarto nigrefacere) comminuitur ipse, eiusque conditiones & impurificat: ac proindè res imminutas, & non purè cælestes facit.

De Rerum differentiis iuxta entitates ac conditiones earum.

CAP. V. Art. 1.

Itaque ex calore imminuto omnes *A* gradus caloris ac vires rerum mistarum ortum habent: qui innumerabiles planæ sunt, at ex saporibus manifestantur, & ex vi actionum, operationum, resistentiarum.

Ex luce verò ac tenebris omnes constituuntur colores: etenim retusa ac occupata lux à densa mole, amittit viuacitatem, & fit albedo, quæ lux est demortua: veluti è contra lux est albedo viua, quæ se se extra subiectum effundere potest. Mox parum fœdata à materia nigra fit albida: sique plus materialitatis addatur, fit punicea; si plus, crocea; si plus, viridis; si plus purpurea: si plus cærulea: si plus, lutea: si plus, fusca: & tandem multa moles à paucissima caloris virtute occupata, aut à plurima deuicta, nigra conspicitur, si tamen calor exhalauit, veluti *B*. carbo declarat, ex quo abscedēte igne cum sua tenuitate albefacta, quę mista nigredini materiali efficiebat rubedinem, vel croceitatem; remanet ille niger, detecta facie materiei, ac remanente calore impuro exuperato in facie sua, à corpulentia, quamuis non in virtute. Veluti è contra remanet in niuibus calor victus in potestate, ac victor in apparentia seu facie, cum non in sit illis nimia corpulentia, sed frigiditas multa.

A Gradus caloris respondent gradibus virium ipsarum rerū, ac in mistis innotescunt ex copia, ac vehementia actionum, & ex saporibus.

Ortus virium.

Ortus colorum.

B Cur nix & carbo ambo calidi, tamen altera alba, alter niger sint.

Ex motu caloris & torpore materiei, & quiete frigoris, oriuntur omnes operationes mistæ & aptitudines, & inertiæ ad agendum, tarditates, & velocitates.

Ortus operationum.

Ex raro & denso, fiunt omnes materiales passiones, & dispositiones, vel temperamenta; *C*. vt lentor, viscositas, &c.

Ortus dispositionū.

Figuræ *D*. subindè sunt termini, ac testes temperamenti stabilis, virtutúmque actiuarum, temperantium positionem particularum materiei variis sub formis, prout opus est gradui vitæ illorum specialis, ac indiuisibilis: vultus autem figurarum colores sunt.

Nihil præter vires colores, operationes, & dispositiones, horúmque temperamenta, confracta ab actiuis passiuisque principiis, reperimus in Physicis rebus, nisi ideationem, & Primalitatum participium.

C Voco temperamentum non ipsam mistionem contrariorum Arist. Galenóque positam, mihi visam impossibilem; sed gradum passionis materialis Cum suo certo calore, vt sit temperies habitus agentis patientisque causa in modo suo ad ideam relato.

D Figura stellarum rotunda est propter motum, & propter similitudinem partiū: oculi verò causa videndi circumquaque: pedis verò plana causa sustinendi: ossium incauata partim procedit in eminentias, vt se mutuò subeant,

---

Gradus inter rarum, & densum, primiores, & quæ ex his sequuntur corporum differentiæ passiua, n. istaque: ac subindè formationes, formæque.

Art. 2.

Recta procedens calor ex denso in tenue, Primò facit paululum lētescere molē, ipsam explicando, & hæc raritas prima vocatur lentor 2. Deindè ipsam dissoluens magis, suóque concinnans modo, conuertitur in mollitiem, quæ magis tactui cedit, eo quod partes explicauit magis, vndè possunt in se ipsas spissari, quod



est cedere. 3. Deinde vertitur in viscositatem, quæ est repugnans densum rarefactioni, vel liquidum repugnans condensationi, sicuti aquosus liquor mistus farinæ A siccæ manifestat. 4. deinde agēte calore magis, soluitur, in lubricositatē, quę est viscositas fluēs, discurrēsq; 5. deindè in fluorē, qui est liquor, calore per accidēs condensabilis. 6. Deinde in non spissabilem liquorem, magisque fluentem. 7. Deinde in vaporem, seu fumositatem, quæ amissa corpulentia attollitur sursum. 8. Et tandem in tenuitatem inuisibilem agitur, quæ continet pauciores partes in ampliori spatio, sicuti è contra densum continet plures in angustiori. Hi gradus seruant ordinem ergà centrum: nam densitas aliis subest: super ipsam natat lentor; super lentorem mollities: super hanc viscositas: super hanc fluor: super hanc liquor: super liquorem fumus: super hunc tenuitas per se: sed per accidens aliquando lentor supernatat liquori, vt Planta aquæ, quoniam admistam habet fumositatis plus quam lentoris: qua extracta, submergitur etiam palea, & omne lignum: pumex etiam natat, sed in puluerem acta expresso aëre, submergitur: volatque in aëre fumus; sed expressa tenuitate, cadit sub aërem. Non potest ars naturam ex toto imitari: propterea nec stringendo aërem facimus aquam, sicut facit frigus & consensio ex vi primalitatis: nec vitrum in minutias atomas redigendo facimus vaporem sicut facit calor; Nos enim diuidimus & coaceruamus: natura vero intendit & remittit. Propterea expansio & raritas à natura non fit per vacui interceptionē, quod tantopere natura abominatur, sed per extensionem nobis indicibilem: nec condensatio expressione vacui aut particularum diuisarum vnitione, sed intensione, non imitabili: Adhibito tamen frigore & igne, Ars attingit naturam in cunctis hisce passionibus. Diuiduntur etiam istæ passiones in plus & minus: nam datur tenue, tenuius, & tenuissimum: molle, mollius, & mollissimum; & sic de cæteris. Tenuitatem, seu raritatem, sequitur subito leuitas, & subtilitas, & humiditas: sicut densitatem grauitas, crassities, & siccitas, & ideo siccitas cum sit valde vnita habet terminos proprios, & difficile suscepit alienos vt Lapis: Humidū è cōtra est expansum, & potest propter hoc vniri, & terminos suscipere alienos, vt Aër & ignis. Ex his commistis *q.* exoriuntur secundæ corporum differentiæ passiuæ innatæ, & illatæ: concretile & inconcretile: eliquabile & indiquabile: coctile, & incoctile: arefactibile & inarefactibile: natabile & mergibile: tingibile, & non tingibile: opacum, & tersum: flexibile & inflexibile: frangibile, & infrangibile: friabile & non friabile: trahibile & non trahibile: ductile & non ductile: impressibile & non impressibile: fissibile & non fissibile: secabile, & non secabile: commassabile & non commassibile: combustibile & non combustibile: congelabile & non congelabile: coagulabile, & non coagulabile: sonabile & surdum: odorabile, & non odorabile: saporosum, & insipidum: visibile per se, & inuisibile: & cætera si qua sunt passim in sermone de secundis corporibus declaranda.

A Farina est siccum cuius fra mminsensibila minuta.

De graui & leui. Qu. 32 art. 1. De natab. & Merg. q. 32. art. 2. & 3.

De sicco & humido. Vide q. 8. art. 9.

De passio. corpor. secundorum. q. 31. art. 1. & seq.

Porrò omnes secundæ materiæ aliquem ex illis octo primis temperamentis, ad quorum misturam sequuntur aliæ differentiæ, habent tanquam formam substantialem: est enim substantialis forma vltimus gradus positionis, & ordinis particularum cum virtutibus actiuis simul constituta, quæ accipitur in fine generationis, veluti vltimus *r.* gradus raritatis ipsius liquoris calore dissoluti dum in Aërem transit, fit forma ipsius Aëris cum illo caloris gradu, qui secum permanet, adducitúrque, & simul ideantur. Huiusmodi enim finalis habitus terminus generationis, est gradus participationis æternæ ideæ: vnde Potentia ita essendi, ac Sapientia se conseruandi, & Amor sic viuendi, in talem contrahitur statum modúmque, hoc est, formam. Ac harum Primalitatum vnitas indita, est Natura, Ars diuina. *q.* Porrò forma alia materialis est, vt tenuitas: alia actiua, vt calor: alia totius, vt igneitas, ideę participium totius: & propriè essentia.

De formis. qu. 7. art. 3.

De differentiis actionum caloris blandi robustique.

Art. 3.

LOngè plures sunt gradus, *A* qui ex prædictis componuntur, ratione, quam diximus, a calore moderato seruari, vt in cera patet. Verum robustus calor simul ac materiam explicauit, tenuem facit, & exhalare, ita quod prædicti gradus non discernuntur, licet fiant.

Atque *B.* si materia composita est ex partibus similaribus, videlicet, ex æquè mollibus, vel æquè liquidis cunctis, dum exhalat calor, nulla remanet portio illius, veluti aqua vinis, & alia paucissima entia ostendunt. At *C.* si constat materia ex partibus dissimilaribus, nimirum crassis, tenuibus, lubricosis, ac viscosis simul, cuiusmodi sunt omnia ferè entia nostra ob actiones diuersas quas excipiunt à Sole, & stellis, motu, modo, & tempore multipliciter variatis, aduenit, vt ab agente robusto calore induretur. Etenim minus duras portiones, minúsque resistentes in tenuitatem vertit, suámque substantiam sursúmque vehit: partes verò densiores fiunt, ac relinquuntur duriores, veluti in luto igni applicato conspicitur, nam cum priuetur molliori parte aquea, cui durum terrestre mistum latebat, exhalante illa, hoc manifestatur. Quapropter calor per accidens, atque nolens indurat, inspissatque; id est, duritiem ac densitatem manifestat; veluti & multus calor videtur nigredinem generare, dum ipsam detegit, partes attenuatas à se albefactaque con ducendo sursum, nec permittendo illas remanere ad disponendum portiones crassas, relictas, ad albedinem, & tenuitatem, veluti blandi calores efficere consueuerunt; qui non valentes prædictas portiones educere, remanet cum illis intra molem occupatam, perfectiúsque coquunt Tellurem, ac simul ex crassa tenuique plura entia constituunt: id quod ver docet tepidum generationique oportunum: opposirum feruenti æstati, ac destructioni debilium generatorum oportunè.

A Gradus illi, 8 expansionis & constrictionis, dum fiunt à calore blando discernuntur: non si à robusto.

B Materia similaris dum expanditur peruenit aquè tota ad tenuitatem inuisibilem.

C Dissimilaris verò partem exhalat, partim indurata remanet per accidens: præsertim à calere & aperto in loco. In clausura enim eductas partes tenues separare nequit: ideóque illa victa non victis vnita disponunt has ad æqualem expansionem: vt accidit generanti salsam aquam.

De dispositionibus secundarum materiarum in actu generationis cuilibet secundorum entium signatarum coaptatarum.

Art. 4.

ENtia cuncta intra cælum, & terram generantur ex his dispositionibus commistis. *A.* Etenim si calor liquefacit terram, aquam generat, aliosvè liquores, iuxta caloris varietatem: robustus namque calor ex terra densa, ac dissimilari liquores efficit crassos, & impuros, ex similari verò densáque, crassos, purosque. At ex terra molli, ac similari, liquores educit tenues, purosque: ex molli verò ac dissimilari, impuros, & tenues: calor autem blandus, siue crassa, siue laxa sit materia, semper pauciores generat liquores: sed ex illa densiores; ex ista verò densos minus. ex liquoribus autem, & lubricositatibus, & lentoribus, fiunt lapides, ac metalla.

Si vero calor *B.* in vaporem vertit terram, generat ventos, pluuias, cometas, aliáque entia, quæ in aëre fiunt, iuxtà materiam ipsorum signatam. Calor enim robustus ex materia densa dissimilarique, vapores educit crassos, impurosque: ex similari verò puros. At blandus calor ex densa materia vapores educit tenues, ac puros: ex molli verò crassos, & puros, interdum magis, interdum minus si fuerint similares. Cùm verò indurat, compingitque extracta prorsus mollitie, lapides gignit: non extracta verò, metalla.

Si verò crassum ingenerat vaporem, qui egrediens vestitus viscositate ac lentore, ex matre tellure, ita quod ad terræ superficiem egressa induratur exterior portio interior verò sursùm crescit à calore attracta, ac simul deorsum ab appetitu sugendi terrestrem liquorem sibi similem, vnde originem ac nutrimentum sugit.

A De liquore quatenus materia aliarum rerum.

Generatio liquorũ.

B De vapore in quãtum materia rerum.

Generatio vẽtorum & eorum, quæ fiunt in Aëre.

Generatio lapidum, metallorúmque.

Generatio Plantarũ.

Generatio animalium.

At si intrà liquorem multiplicem compositum ex lentore, mollitie, viscositate, & lubricositate, genitum in medio alicuius crassitiei, generat calor tenuitatem, quæ vocatur spiritus; qui agitando se molem suam circumdantem se ex terra separat, & intrà illam nutu Dei viuere decernit, & quod de foris frigus sentit, robustioremque calorem, suum habitaculum destruentem: ideóque instrumenta fabricatur potestatoria, sensoria, & operatoria, & appetitoria, idonea ad motum, & agnitionem, & vitam, & ad instaurationem ex materia simili illi quæ ab eo exhalat, veluti omnes faciunt, tunc generat animal. Et ex his generibus rerum sub diuersis dispositionibus genitarum ac coniunctarum diuerso modo à calore agente, & frigore resistente diuersa generantur Entia ad distinctionem, & pulchritudinem Mundanæ statuæ passim declaranda.

Num alia genera rerum ab his, quæ conspiciuntur in Mundo, fieri potuerint.

Art. 5.

A Res ortæ sunt ratione approbante, & non casu, vt putat Emped. res monstruosas natas in Mundi origine, at non seruatas. Hoc enim error esset Artificis Rerum. Quapropter inquam ab ipso præcognitas, sed non approbatas fuisse. Quidquid extra mundum hunc ab ipso sit approbatum, ignoramus, tametsi multa imaginemur.
S. Chrys. in Thes. c.

PRæuidit Primus intellectus speculatiuus multa rerum genera producibilium, ac productarum multa, quæ non sunt, quæ nos tamen imaginamur, & Pictores fingunt, veluti Chimeram, Sphingem, Briareos, Vitoliuam, Hircoceruos, aliasque animalium species, ac Plantarum, & lapidum, coniunctas, diuisas, longè plures cognouit intellectus, quam nos conficere possimus: attamen ea non approbauit, quoniam, dixit statuam non posse plures consistentias vitales comportare, nec eis seruari, ac propagari. Etenim iussit Deus, vt in quibusdam consideratis modis respondentibus participationi suæ ideæ, sol esset Pater & terra Mater secundarum rerum: & quod hæ secundæ parentum imitantes actionem discentium à prima Sapientia, mox generarent alias sibi similes, in numero, pondere, & mensura.

Ab vno calore multipliciter remisso auctóque, & ex vna Materia variis immutata modis, posse entium multitudinem oriri, ac sine frigoris mistione.

Art. 6.

Non datur mistio cõtrariarum conciliatorum.
Quæst. 18. art. 1.

CÆterum qui tanta Entium varietas fiat ab vno calore solari diffuso in terram absque frigoris contrarij mistione (ipsum q. enim non ingreditur opus naturę, eo quod duo contraria conciliari, & deponere odia ad vnum tertium Ens componendum, nequaquam possint, alioquin contraria non essent, sed oblita propriæ entitatis, aliam haberent) operæpretium est videre (dicebat Sapientia) considetanti calorem, ac frigus sese effundentes è duobus Elementis contrà inuicem ex se ipsis agentes, aliud non intendentes quam propriam amplificare naturam cuius nimirum diffusiua sunt, cum sint principia rerum actiua. Porrò quicunque fit caloris frigorisvè gradus imminuitur & augetur absque terminis gradibusque signatis, ità vt vno emenso in alium transeat, sed quasi per infinitum fluxum absque terminis gradibusque signatis, quamuis nos doctrinæ gratia tot significamus gradus, quot sunt rerum species, ac temperamenta in illis. Prætereà quilibet gradus quacunque in materia genitus, studet ipsam attenuare, ac sursum trahere ad augmentum cæli: ideóque nusquam vbi imprimitur, manere cupit in terra, at

semper

contendit redire sursum cum præda deuictæ materiæ, fugiens inimicum, & quærens amicum cælestem ignem, vnde originem habet. Etenim *C.* omnes ignes à Sole emanare etiam declarat qui ex lapidibus percussis confricatisque excitatur: qui nimirum retusus demortuusque iacebat sub materiæ densitate, eaque relaxata per plagam suscipit vim agendi ac se ipsum manifestandi, idcircò vnica plaga ex silice plures educit scintillas, olentes sulphure, & cum cinere, quam ex communi lapide percussio plurima. Idem docet ignis in speculis ex luce solari collecta genitus potiusvè robustius factus: similiter & ignes intra terram geniti non aliundè quam ab ipso Sole, qui occlusus in ea adunatur, multiplicatur, & incendit, oriri possent. Nec huiusce originis suę calor vnquam obliuiscitur, ideóque in cælum incessanter attollitur. *E.* Qui motus ad naturam regressus vocari debet, & ad cognata corpora, vbi mox naturali motu in gyrum fertur. Motus verò grauium deorsum videri debet, aut vnio ad conseruationem totius: aut ad cognatum regressus: aut casus, & delapsus corpulentæ materiei se ipsam sustinere, aut mouere non potentis, non autem operatio, nec actio, seu frigoris, seu caloris. Frigus è contra effunditur etiam absque certis gradibus sursum: ac conatur compingere, & indurare res à calore genitas, & in terram vertere, & ad suum elementum redire: ex quo ad defendendum se, & offendendum inimicum vicissim cum calore effunditur: haud tamen in terram conuertere illa potest, cum non eas habeat vires, quibus propria entia constituere valeat, nisi fortasse in cauernis terræ post duos mille passus nobis aliqua ignota generarit: nam superiores terræ portiones omnes à calore transmutatæ sunt, vt color, & dispositio, & rerum generatio participantium calorem ostendunt.

Qu.10. ar.1.
Qu.8.ar.3.

C Sol origo ignis omnis: lapidis percussio non generat ignem, sed excitat inditum à Sole, ac aperiendo materiam constipatam, quæ ipsam stringit, præbet ei vim manifestandi ac multiplicandi.

Qu.10.ar.1.& q.18.

Rursus *F.* oblectabatur sapientia prima videns quòd calor ex visceribus terræ erumpens in montes ipsam eleuaret, ac intus copiam liquorum per ipsam fluentium generans, valles, & flumina constitueret, ac maria. Profectò si exquisitè rotunda Telluris superficies esset, minus capax multitudinis rerum esset, atque nunc, montibus, vallibusque distincta. Approbabat & quod vsquequaque effusis viribus contrarium in contrarium agendo, dum cupit illud destruere, accidit, vt conseruet: etenim calor dum terram indurat, reddit ipsam solidiorem, ac sibi aditum aufert subeundi vsque ad consumptionem illius. Item dum ipsam alibi liquefacit, humorem præbet aliis portionibus ad instaurationem: ipsa quoque se ipsam instaurat, vmbram ac frigus vicissim effundens. Item dicebat Deus perferantur in gyrum luminaria, etenim adigentur *G.* ad faciendum non quod ipsa cuperent, dum intra terram eorum vires remanent, nec sistunt, quoniam ad destructionem terræ anhelant: idcircò faciant oportet quæ nollent. Item absque hoc quod vi cogantur efficient, quæ ipse decerno per Fatum voluntatis meæ. Hinc accidit vt existente materia difformi in partibus suis crassis, ac tenuibus, ita ab antiqua actione discretis, & in viscosis, & lubricis, duris, & mollibus, altis & planis, magnis & paruis, continuis, contiguis, vnitis, & diuisis &c. ex quibus eius portionibus corpora constructa videmus, in numero pondere, & mensura ad ideam sapientiæ Dei: calores etiam varij ac difformes fiant: etenim alij agunt aliter in alias materiæ species, sicuti palam est in cera, quam liquefaciunt, & luto, quod indurant, & aliter in toto, ac in partibus, & in particulis partium, sicuti manifestum est in vna herba, in vno pomo, in vno Animali, quæ diuersissimis, variatissimisque constant ex partibus.

F Proprius ignis motus circularis est: potest quoque omnes motus sortiri vt opus est: ac tantum quietem contrariam habet. q. 10.

F Vsus varietatis figuræ terrestris, & partium eius, & corporum adiacentium.

G Res velint, nolint, voluntatem Dei exequuntur.

Agnitio mirabilis successus rerum in particulari, omnisque varietatis earum.

Art. 7.

ÆTernus intellectus *A.* quando seminauit Fatum, Harmoniam, & Necessitatem in mundum se ipso affectum, dixit. Putabit calor efficere

A Opera Naturæ sunt ab intelligentia non errante.

Qu.19 ar. 1. & 2.
B Posse, Sapere, & Amare, sunt Primalitates Metaphysicæ. Fatum, Necessitas, & Harmonia, sunt influxus ipsorum, vt in Metaphys. & præcedun: calorem, & frigus, Materiam, & locum, principia Physica.

perpetuò cælum, frigus verò terram, non autem media entia: at ego dimittam eos laborare. B. Fatum etenim dependens à mea sapientia, corriget eos per Necessitatem emanantem à mea Potestate, ita quod in Harmoniam temperabuntur mea ex voluntate pendentem. Nam permeans Sol perpetuum in gyrum, necessitate suæ naturę in qua per motum seruatur, non poterit se totum imprimere terræ, sed caloris partem, qui cupiens alterum efficere Solem, terræ interiora occupat, laborátque. At frigus superueniens illum, circumdabit, perimere putans; verum colliget magis in vnum, & roborabit, vnde fiet, vt ille terram concinnans efficiatur semen Plantarum, ferarum, lapidum, aliarúmque rerum, vtque Tellus sit mater ipsarum, quæ in die à Sole subagitatur, suscepitque semen; in nocte verò concipiet semina cogente frigore. Itidem vt in quolibet terræ puncto diuersa entia concipiantur. Sol etenim Orientalis calefacit quamlibet terræ partem vno modo; at cum sit matutinus obliquè agit, calefacit magis, accedens deinceps ad meridianum calefacit magis partes medias, Orientales verò minus, aspiciendo illas altera actione transmutante priorem: ac paulò magis Occidentales, vnde euenit variari actionem primam, ac virtutem inditam in cunctis, variari quoque ens nasciturum, suasque partes: similiter ad occasum perueniens, aliis modis expandit radios in eandem Telluris; quin in idem pomum, aut flosculum: & diuersificat precedentes actiones, ac entium concinnationem. Mox nocturnum frigus aduersus agens alias inducit varietates. Hoc autem efficit Sol in quolibet cæli puncto. Itaque quilibet gradus, qui nimirum sunt infiniti augendo, & imminuendo vicissim, maximam parturit difformitatem.

Præterea non erit Tellus æqualis in portionibus suis, vndè variabitur actio in eisdem partibus dissimilaris materię ex densis, mollibus, tenuibusque compositæ. Hinc fiet vt ex vno semine efficiantur ossa, nerui, cartilagines, pili, intestina, frondes, stipites, flores, cortices, &c. ob partium diuersitatem, in quibus actiones agentésque causas oporteret variari.

Differt enim à calore calor robore, & copia: in tenuibus, mollibúsque copiosior est: in siccis verò rebus robustior, quoniam collectior vt in ferro ignito. Ac harum proprium est vrere mordaciter, illarum verò calefacere copiosè ac blandè.

Præterea terræ superficies æqualis non erat, sed alta, plana, rotunda, montuosa, & vallicosa, &c. qui situs, ac partes diuerso modo excipiunt lucem. Planities enim ac valles colligunt calorem roborántque: montes verò & altitudines accipiunt, ac dispergunt, vnde & languidiorem reddunt.

Præterea eadem portio terræ, quæ prorsus plana apparet, fanè distincta est in monticulos penè inuisibiles, minus lucis, & in fossiculas plurimas, plus lucis accipientes, idcircò hæ plus caloris quam illi obtinent, & interdum rectà, interdum obliqua conspecti luce, varietatem multiplicant.

Præterea quidquid hodie calor facit, hac nocte à superueniente frigore variatur: & crastina die ab altero calore, & deinde frigore per vices innumerabiliter.

C Eleuatio & descensio Planetarum fit à copia, vel inopia lucis, à Sole communicata: non autem ab excentricis, & epicyclis. Apparentes quoque sæpè fiunt à visu, & à nubibus, & à raro magis minusque crasso. q.11.
De Astrologismo.
Vide q.24.ar.9.& q.28.

Præterea Planetæ obliqua via gradientes, alij tardiores, alij velociores, fit vt coniungantur cum Fixis, & cum se inuicem plurimis configurationibus, itaque multiplicabunt, ac variabunt caloris vires. Magis autem luna suis augmentis, & decrementis, ac nubes interpositæ, & distantiæ, & propinquitates diuersificabunt caloris opera, vnde maxima varietas.

Eoque magis quod Planetæ C. accipientes à Sole nunc plus lucis, nunc minus; nunc fiunt terræ propinquiores, nunc distantiores: item velociores, tardiores, stationarij, variique cum ex diuersis cælo constellationibus, & actionibus, atque ex resistentiis Telluris rerum varietas oritur.

Qui intelligere potest quo in gradu virtus in illis recipitur, ac quanto tempore viuificabitur à cælestibus caloribus illi consimilibus, consimiliter in terram impressis, ac quomodò, à dissimiliter sparsis eadem fatigetur: & qui intelligit omnes præteritas mutationes in ipsarum materia, & causas, & dispositiones:

hic agnoscere poterit, quidquid in morte, ac in vita rebus eueniet ipsis. Sed cum infinita sint accidentia earum, quis poterit bene intelligere ipsarum periodos, & euentus, nisi ego, dicit Dominus. Nihilominus aliqua *D.* multa conijcere poterit ratione qui luminaria hæc cælestia spectabit, statuas paruas ideæ primæ.

D Astrologiam non posse prorsus diuinare, sed ex parte, quia considerat causas cōmunes: non autem particulares: nec passiones singulas sui subsellii modificatiuas causarum & causationis.

Præterea dicebat sapientia, si Sol summum effundere voluerit calorem, comburet superficiem eius, conuertendo subitò partes minus resistētes in tenuitatem, ac redibunt sursum antequam penetret, relinquendo ipsam incrustatam detectis partibus durioribus, illa spoliatis. Imò findet ipsam terram dum cum tenuitate exhalat, vnde eueniet quòd si quis calor in interioribus retinetur, egrediatur foras. Itaque vbi nimius æstus affuerit, interiora terræ fiunt frigidiora, veluti ostendunt aquæ, & antra, eo tempore frigida magis quam in alio, ac omnis materia foris assata intus verò cruda, fit à calore præpotente: vbi Sol languidiorem calorem impresserit, intus remanebit, eo quod nequeat celeriter attenuare, & cum præda reuerti. Ideóque hic occlusus disponit terram in entia multa, quæ pulcherrimum ordinem ad distinctionem faciunt in mundo, variásque delitias.

Quapropter quocunque agat modo contrarium in contrarium, continget, vt non fiat quidquid ipsum cupit, sed quod ego præscribo. Igitur ex prouidentia mea, & casu *q.* eorum respectu simul mundus temperabitur: cum casus, & fortuna, sint euentus præter intentionem, aut voluntatem particularis causæ. Ego enim omnia excogitaui ac volui. Igitur mei respectu, causæ nimirum vniuersalis, nihil casu fiet, sed omnia ex arte, quam nec effugiunt peccantes contra legem meam: coactus igitur calor necessitate remanendi intra molem, in quam agit, amabit in ipsa viuere, ac nutriri ex vicino ente, similique. Vnde odium orietur inter omnes caloris gradus, ac inter omnia secunda entia: quod cum ab amore conseruationis cuiusque entis ortum ducat (desiderat enim vnumquodque semper esse id quod est persimile meæ ideæ, me imitando) fiet vt temperies amoris, & odij vbique fit; quoniam hoc ad illam ordinatur: malum verò non erit essentiale, sed respectiuum: omnia enim bona à maximo bono prodeunt. Verum diuersitas, ac varietas, ac multitudo, quæ fit extra vnitatem primi entis, repræsentabit in hac statua (nam colorata est) quasi vmbram quandam, quæ dicetur malum, ac odium non est malus ignis in suo esse. terræ autem malus videtur, non autem mundo, nec vipera mala est, licet Homini sit mala. Ita de omnibus idem prædico. Mors quoque rei cuiusque, si natiuitas est multarum rerum, mala non est. Moritur panis manducatus vt fiat sanguis, moritur sanguis, vt in carnem, neruos, & ossa vertatur, ac viuat. Neque tamen hoc vniuerso displicet animali, quamuis partibus mors ipsa, hoc est, transmutatio dolorifica sit, displiceatque, ita vtilis est mundo transmutatio entium particularium noxia displicénsque illis. Totus Homo compositus est ex morte, ac vita partialibus: quæ integrant vitam humanam mortalem. Sic mundus totus ex mortibus & vitabus compositus est, quæ totius vitam efficiunt, & dicebat Deus quod omnia essent valde bona: malum verò nihil esse, nisi abusum boni, aut defectum. Idcircò non habeat essentiam, sed à non esse originem trahat. Deus enim bonus non potest dare entitatem malo: nec duo Dij esse possunt, duo que prima maxima entia infinita omninò repugnat esse. Verumenimuerò hoc Homines non intelligentes, errabunt in contemplationem mei. Egò verò in bonum omnia perducam.

Qu. 19 art. 1. & 2.

Amor est odij causa per accidens.

Quare entia mortalia.

Ita ipse loquebatur; & hæc omnia succedebant: ac lucerna mundi cum suis luminaribus gyrabat, ac fiebat ex tot actionum modis, ac renitentiis patientum, & ex tot varijs luminibus, & caloribus multipliciter distinctis, & ex conditionibus cæli, ac terræ oppositis, tanta entium varietas consurgebat, quam nimirum cernimus intra & extra Tellurem, in qua colores multi in seminarium agunt, ipsi scilicet blādiores: alij verò sursum feruntur, quia robustiores: vndè fiunt in hac cæli parte, quam Aërem appellamus, entia plurima, plurima quoque in terræ superficie, sed corpulentiora, de quibus omnibus implorata sapientia prima, vt nos doceat Artem, quam in originem illis indidit, qua ad varios fines ducuntur, concordes tamen in vnum, habebimus sermonem.

Inuocatio.

De Mari & aquis & Fontibus, & Fluuiis, & Telluris partibus, & distinctione.

CAP. Art. 1.

Hier. in Iob 38.
De Orig. Maris.
Quæst. 20. art. 1.
Omnis Aqua caloris effectus & calida.
Quæst. 20. art. 3.
Quæst. 20. art. 1.
A Mare nō est Elementum primum, vt putat Arist. sed corpus secundum.
B Nec Aër: generatur enim à sole: nō habet calorē summū, ac diffusiuum: non ergò est Elemētum sed pars cœli impurior.

MAre, dixit Deus, vt primò nasceretur, quasi vrina de vulua, nam exhalantem calorem sursum cum *B* tenuibus partibus ad expandendum cælum, minus tenues insequebantur exsudante terra abundè nimis, eo quod tanto calore introrsus esset affecta. Ac ille sudor super ipsam remanebat. Etenim sursum ferri crassities non permittebat illius. Et accidit, vt huiusmodi sudoris tanta esset copia, quæ terram meridianam vndique circundet, ac nobis partiatur simul Aquilonem versus inundans per latitudinem in duo Hemisphæria, ac in illam immergatur vltrà centum passus in maxima profunditate, propterea quod intrà tellurem caloris moderati maior est, quam robusti copia. Idcircò plus aquæ quæ ab illo constituitur, quam aliarum rerum fit ab hoc: tametsi in principio robustissimus calor tantam ætheris molem effecerit. Mox decurrerunt aquæ in imas partes terræ, vbi nimirum iminuta erat, eo quod liquores non possunt se ipsos in sublimi sustinere: lapides verò duri ex quibus altissimi constant montes, ossa quidem mundani animalis, sursum sua soliditate erecti remanserunt, quo crescebant, at vegetabant.

C Vt reficeret sol quod amiserat in Aquilone quando primum excursit ad Austrum, multiplicauit circulationes in Plagam Aquilonarē versus: ideóque plures dies in cancro, quam in Capricorno moratur: & hoc sibi tanquam natura relictum est.
Quæst. 20. art. 1.

Et quia quandò primum genitus est sol (dicente Deo) sub Æquatore cæpit reuolui, declinando versus Antarcticum Polum, peruenitque ad Tropicum Capricorni. Vndè cum rediret, diuino instinctu retrosum *C* versus arcticum, timens ne frigus totam Regionem Arcticam occuparet; accidit vt Tellus multa plus liquesceret in Australi regione; idcircò magnum Oceanum totum circundat orbem terrarum sub Tropico Australi vltrà Æquatorem, quorsum primò sol cucurrit, non sinè causa, videlicet roborandi gratia portionem sui cæli minus potentem, eo quod in Polo Antarctico stellæ sint pauciores, ac minores. Eandem ob causam Aquilonaris Regio plus Telluris obtinuit, pluresque Montes, qui nimirum ex crassioribus constituti sunt liquoribus à calore minus vigente derelicto in primo generali conflictu. Ac mare boreale copiosius est, magisque sub Polo, vbi sanè stellarum est frequentia, & robur adiuuantium calorem in terra relictum ad generationem illius. Meridionale vero ; magis sub Tropico est, quam sub Polo, ob dictas causas. Ac fortassè inde decurrerunt aquæ in valles Septentrionales per mare Arcticum peruenientes ad angustiam intrà Scythiam & terram polarem, ac per angustias, quæ sunt inter Iaponem, & Quiuiram ex mari Australi. Ità quod remâsit bis in latitudine tellus in duo distincta Hemispheria, bis cincta aquis in lōgitudine ad Capricornum, & sub Arctico: Quorū Hemispherium alterum continet Americam Peruanam, ad Meridionalem situm, cordis figura ferè præditam, in 60. gradus longitudinis, & 70. latitudinis intrà Tropicum æstiuum vltrà hyemalem porrectam ad Magellanicum vsque fretum, in mucronem terminatam. Ad Borealem verò, Americam Mexicanam, distinctam à Peruana Isthmo Panamæ, quo efficiuntur duo peninsulæ in octauo gradu ab Æquatore. Hæc autem Borealis Regio habet quasi 130. gradus longit. à ducentesimo vsque ad 330. latitudinis verò 65. imitatúque ex parte scalenum. Alterum verò continet Africam intrà Tropicos totam cordis figura signatam, sed gradibus ferè 12. extra brumalem Tropicum fastigiatam: octuaginta habentem maximæ suæ latitudinis gradus ex Mediterraneo Mari ad Promontorium Bonæ spei Australem, iam dictum terminum. Maximæ verò suæ latitudinis etiam grad. 70. ab insulis fortunatis ad Erithrei ostia maris.

Duo Hemispheria.
America peruana.
Americ Mexicana.
Africa cordis figura signatur.

Continet insuper Europam ad Occidentem versus Boream, diuisam ab Afri-

ca per mare Mediterraneum: quod nimirum excurrit ex Gadibus versus Orientem vsque ad Cyprium & Syriacum mare, quod cum Erithreo efficit Africam peninsulam, ac deinde inundauit versus Aquilonem & restrictum in grad. 45. ad Bosphorum dilatauit se in amplum, Euxinum dictum vsque ad fauces Tanais. Itaque ipsum cum hoc flumine determinat Europam ab Asia. Continet Europa figuram Draconis habens, maximæ longitudinis gradus ab Hispania ad Bizantium quasi grad. 65. latitudinis verò maximæ quasi grad. 35. ex Peloponnesso ad Scithiniæ Mare.

Europa continet figuram Draconis.

Ad Orientem verò Asiam similiter & ad Boream, distinctam ab Africa per mare rubrum, excurrens intrà terram ab Oceano Australi, ac per suum Isthmum. Habet autem latitudinis maximæ gradus 120. ab Ægypto & Propontide in Cinas: latitudinis verò 76. ex Promontorio Malachæ ad Mare Scythicum.

Asia.

Sunt præterea aliæ terræ portiones duæ, distinctæ ab omnibus terræ portionibus sub Polis Arctico, & Antarctico, per Oceanum Boreale & Australe: sed Australis ignotior & benè magna sub Polo ad diuisionem alteram Hemispheriorum spectantibus exporrecta vsque ad circulum Capricorni per gradus 66-:- sed in medio in partibus ad alteram diuisionem, quæ est inter Africam & Peruanam restricta vltrà Antarcticum circulum gradibus suprà duobus.

Terra Antarctica & Arctica.

Pars septima borealissima quinque gradibus suprà Antarcticum circulum distinguitur ab Asia, Europa, & America Septentrionali, per mare glaciale; quod cingit terram ab ortu in occasum Zona, graduum quasi sex; secaturque in quatuor Magnas insulas quasi triangulares: per quarum medium intrant canales maris, donec in vnum coeant amplum mare sub Polo, rotundum 12. grad. in diametro habens, quod videtur perpetuò intra viscera terræ per voraginem influere sorberique sub Polo. Ergò septem sunt terræ partes, sicuti in cælo Planetæ septem. Omnia igitur Maria continuata sunt inuicem, excepto Caspio, in terminis Armeniæ ad Arctoum posito spatiosissimo ac salso, sicut & cætera Maria, nisi fortè sub terra cum illis continuetur.

Vbicunque fit, ex terra oritur q salsus huiusmodi liquor: calor enim in profundis visceribus terræ collectus ipsam in vaporem conuertit, qui egredi prohibitus cum sit in interioribus cauitatibus occlusus, combustis portionibus, vndè ipse exhalat, admiscetur. Itaque disponit illas ad liquefactionem, quibus posteà simul vtrisque in fluorē conuersis salsi fiunt fontes ex terra nimirum combusta ac liquefacta & profunda. Vnde plana Tellus, qualis Appula, salsis crassisque scatet aquis. Oritur ergò salsus humor ex nimio calore adurente ac liquefaciente intra claustra huiusmodi, sicut vrina nostra, & sudores salsi manifestant. Idcircò super terram fontes salsi frequenter reperiuntur, quoniam in profunditate ipsius oriuntur à calore aucto vnione liquefaciente materiam ambustam, vbi ipse consider, nihil foras egrediente, quià loci angustia non permittit.

De Aqua salsa. Quæst. 10. art. 2.

De salsedine maris. Quæst. 10. art. 4. Iob. 38.

Ast vbi calor blandus est, nec terram comburit, idemque copiosus, & copiosè Terram liquefacit, fluores crassos, E insipidósque gignit, ex quibus segregata particula indurescit in lapidem: & quidquid talibus inmergitur fontibus vestitur lapidem, sicuti stylus, aut stuppa in ceram liquidam immersa, ceream assumit vestem. Hæc autem seorsum à communi mole indurescit, quoniam calor communis in sua fluxibilitate ipsam non seruat: proprius verò à frigidiusculo aëre superatur nec mollem ipsam seruare potest. Quibus autem imbibitur fluor crassus siue petrificus, siue salsus, vt patet in palis super quibus Veneti fabricant domos, temporis diuturnitate ea ligna lapidescunt. Nec autem eo quod in exteriori superficie Tellus liquescere non conspicitur, existimandum est in visceribus liquescere nec posse. In superficie enim agens calor, vt primum aliquam illius portionem soluerit, & attenuauerit, in cælum fertur, nec alias expectat, donec liquescant. Nec illas disponit cum deuicta mollitie ad fluiditatem, idcircò hic incrustat, aut in minuta frustula terram reddit, dum ipsam dirumpit, vt exhalare possit, veluti castaneis & ouis torrefactis euenire solet, eo quod ingenita tenuitas copiosa per poros

De aqua petrifica.

In Musæis F. Imperati Neap. & Mutiet Parisiis vidimus ligna & frumenta in lapidem versa.

De puluere & Arena.

anguſtos tota ſimul egredi nequit: idcóque magno impetu facto, ipſa diſrumpit. Verum in terræ cauitatibus calor agens non vehitur ſurſum cum ſua tenuitate, ſed remanet ad laborandum: Idcircò varios efficit liquores.(Nam fornax ignem reuerberans lapides & lateres in fluores agit) ſicuti & in ventre animalis calor efficit intrà clauſtrum humores plures, videlicet, ſanguinem, choleram, flegma, melancholiam, vrinam, ſputum, adipem, differentes conſiſtentia, calore, ſapore, & colore, quos extrà non poſſet.

Quapropter intrà terram clauſus calor ex vniformi materia non combuſta, ſi moderatus eſt, aquam efficit lapidoſam; ſin verò vrat, poſteáque liquefacit blandè, aquam generat ſalſam.

De fontibus calidis ac mineralibus & ſulphureis.

At ſi materia accenditur nimis, intercluſáque eſt, vt vapores craſſi accenſique exalare nequeant, ſed in aquam ſuffocentur dum flammæ ſunt, tunc ex aqua ambuſta, ac frictà in accenſis cruſtis profundatæ telluris, fit ſulphur, fiunt & aquæ bituminoſæ, aluminoſæ, vbi in nitrum, aut alumen, aut bitumen Tellus conuertitur, ac intrà huiuſmodi accenſiones aqua generatur calida; hinc foras egreditur affecta calore, ac ſapore mineralis.

De oleo petroleo.

Sæpè quoque ex pingui bituminoſáque terra expreſſæ tenuiuſculæ portiones in oleum, ac fontes oleoginoſos concreſcunt.

De aquis dulcibus & fontibus & fluuiis. Quæſt. 10. art. 8.

Aquæ tamen dulces oriuntur non ex ambuſta, ac liquefacta terra, ſalſarum ritu; ſed ex vaporibus conſpiſſatis in cauernis terræ veluti in caldariorum operculis denſantur in aquas. Ex quibus originem habent fontes: & ex fontibus flumina.

Egrediuntur aquæ ad fontium orificia poſt vbi ex vaporibus concretis genitæ ſunt, & quod præcedentem tenuem vaporem exhalantem, quo cum craſſiuſculi, ex quibus fiunt aquæ perpetuò generantur, ſequuntur tanquam cognati; & nè vacuum intercipiatur. Veluti & ſanguis ſpiritum producentem ſecta vena ſequitur. Idcircò & ſuper montes cum vehementia exſiliunt.

De fluminibus.

Porrò in montium appendicibus plerunque fontes fiunt, & lacus; ex his flumina: Etenim concauitates multæ in quibus vapores in aquas denſari ſolent, intrà montes dum eleuantur, factæ ſunt. Deus autem id voluit, vt ex illis laborentur ad irrigandas planities. Auſtrali ſub terra aquæ tenuiores ſunt, ac dulciores Aquilonaribus; quoniam ex tenuibus fiunt vaporibus ac per terram ſiccam, purgantúrque decolantur.

Mare natura eſſe natum ſalſum calidum, & decem millibus & octingentis partibus terra minus probatur, non violenter, aut miraculosè. Et Ariſt. erraſſe qui natura æternũ, dulce & frigidum & & decuplo terra maius poſuit, ſed per vim mutatũ à ſole. V. de q. 10. a. 1. 2. & 3. ex S. Scriptura, & prioribus, & ratione inuicta.

Ingentibus fluminibus nimirum Indo, Gange, Tigri, Nilo, Eridano, Iſtro, Orilianæ, Maragoni, Plattæ, Tanai, aliiſque pluribus, quæ in ſeptuaginta leucas latitudinis expanduntur, & profunditatem quaſi æquam Mari Mediterraneo obtinent; origo aſſignari debet itidem ex terra liquida ſed non combuſta; vel ex ambabus, cum nec ſalſa, nec craſſa, nec amara ſint, vti mare.

Quod mare licet à ſole continuo imminuatur, partibuſque tenuibus, ac dulcioribus priuetur, non tamen vnquam ſuam amittit magnitudinem, ac ſalſedinem dum tanta fluminum moles illi reſtituitur: ac ſalſus ex propriis profundiſque fontibus humor: quæ moles intrà ſpatium vnius anni æquat maris magnitudinem, ſuperátque.

Cur mare non ereſcit miſtione fluminum. S. Baſil. in Hexam. Eccl. 1. Quæſt. 10. a. 1. & 2.

At non propterea augetur mare vnquam. Etenim tellus magnam illius exſugit partem, ex qua fontibus ſubminiſtrat humorem; pars verò ſurſum exhalat, ad ipſumque reuertitur mare, & in terrà perpetuo circulo. Nec dulceſcit vnquam, nam cum ſit aqua ſalſa omnis craſſior, ſufficit illius particula multam aquam incorporatam afficere, & permeare. Salſus quoque humor ex propriis ſufficitur fontibus. Ac mirabilius eſt, quòd non dulceſcat, neque augeatur, quam contrarium. Aqua quippe ſalſa calefacta ſalſior efficitur: dulcis verò dulcior, eò quod rareſcat. Igitur mare nunquam dulce fuit, nec à ſole ſpoliatum eſt dulcedine, alioquin fontes, & lacus ſalſeſſerent & ipſi: quòd non euenit, cum ſint ex ſimilaribus partibus conſtituti. Nec ſalſa ſiccáque exhalatio cum pluuiis in mare cadit, vndè ſalſeſcat. Hoc enim ſimiliter lacus, & fontes reprobant, ipſæque pluuiæ dulces & exhalationi tenuiſſimæ negata ſiccitas, deorſúmque caſus. Natum mare ſalſũ, amarum,

& crassium est; tale enim nascitur adhuc suis è fontibus, naturaléque illi est longè minor é, quã tellus, magnitudinem habere, cum eius sit sudor, ac in eius vallibus morari, non autem ipsam tegere; quoniam quod primò indutum est vnicuique rei nascenti, eius natura fit; ac perpetuò tantum talèque erit. Sicuti prima Sapientia dixit, vt sit solum nauigationibus, sedes piscibus, restauratio telluri; veluti sanguis in iecore, & venis animalis: ac copula cæli & terræ: si enim tanta moles aquarum in fontibus, fluuiis & maribus non esset non educerentur vapores è terra nisi tenuissimi ac paucissimi, & post breue tempus ferè nulli; tunc recederet cælum à terra, & spatium, in quo est aër, fieret vacuum, ac constructio maximi animalis, quem mundum appellamus, dissolueretur: veluti deficiente sanguine in animali, ex quo nutriuntur spiritus, qui sunt portio cælestis, & irrigatur corpus portio terrestris, per Hecticam consumitur soliditas, ac spiritus exhalat, & compositum dissoluitur. Idcireò in Mundi morte per ignem, mare non est amplius.

Iob. 38 nascitur mare ex terra sicut vrina ex vtero. Vide ibi Hieron. ethic. q. 10. art. 1. & 2.

Vsus maris.

Apoc. 10.

Quantitas Aquarũ.

Sunt etiam sub terris planis aquæ, nedum imis, at etiam sub montium planitie fiunt, vnde implentur putei. lacus non pauci: quoniam vapores ingenerati conspissantur in aquas. At non sic in superficie, neque sub illa aliquot passibus, eo quod exhalant, remanetque siccitas.

Nihilominus non attingit aqua ad centum passus sub terra. Verum licet ad plures tenderetur, nullatenus quidem terræ quantitatem æquare videri debent. Veluti neque sanguis corporis humani æquat magnitudinem. Porrò maris profunditas nullibi porrigitur ad centesimum passum, esto ad millesimum. Telluris verò semidiametri profunditas 5400. & plura milliaria continet, computando diametrum tertiam partem circuli, cuius nongintamilliaria correspondeant vni ex 360. cælestibus gradibus: at fortassè aliter. Itaque profunditatem aquæ excedit tota telluris profunditas decem millibus, ac pluribus milliaribus, & terræ superficies aquæ superficie sextuplo maior est. Verum ø, quamuis ab ipsa vndique tegeretur, elata quoque milliare vnum, quasi nihilum moles aquæ esset ad terræ molem. Item mons vnus liquescens vnum penè efficeret mare.

Quæst. 10. art. 2. & 3. Esdræ. 4.

Præterea montium altitudinem non habet, quamuis se ipsum contineat globosum nè diuidatur, cum diuisio omnis sit corruptiua, veluti aqua in cyato conglobatur dum potest; ac semper globosius fiat ventorum à terra vi impulsum: & cùm tellus, & aqua vnam efficiant spheram, pendentes aquæ omnes ad centrum, nisi se in globum continerent, non centrum versus, sed circum ferentiam versus abirent: quòd fieri nequit. Etenim entia nostra habent omnia centrum tanquam imum: cælum verò tanquam summum, vndè nauigatio fit in gyrum orbis terræ, & semper pedes pedibus contraponuntur: capita verò vndique cælum spectant: illi terram centrumque: ista verò cælum summumque respicientia.

S. August. & Lact. putauerunt semper deorsũ sub nobis iri, negãtes Antipodas, non tanquam testificantes. Errat Arist. & alij in hoc: non autem Plato. & Orig. Sapientissimi.

De motibus Maris.

Art. 2.

Maria ø, omnia ab ortu in occasum continuo feruntur motu, quoniam à sole rarefiunt, intumescunt, & ideò præcurrunt veluti aqua feruens in caldario ibi tumescit, vbi ignis applicatur, & ad oppositam fugit partem; atque si ignis in gyrum apponatur, ac moueatur, & ipsa in gyrum ibit atqui cælum aër, & mare, omnia hac incedunt via, alterum altero insequendo. Nihilominus vbi aër in montes quippiam impingit, aliam torquetur in viam. Sic & Adriaticũ mare ad Venetum sinum delatum, reuertitur in circulum, eo quod occasum versus exitum non habet, & mare Athlanticum inter Peruanam & Mexicanam Regionem ad sinum Nominis dei percurrens, retrò voluitur ad Boreã, vsque ad Estotilantem: diuersó-

Primus motus maris ab ortu in occasum ex motu cæli.

Quæst. 10. art. 3.

que fertur motu. Similiter hinc indè occurrentia Maria sibi mutuò in angustiis Siciliæ, Gadum, Magellanis, Anian, & Zemblæ, voragines efficiunt, dum inuicem impingunt, acconuoluuntur in gyrum voraginosum.

Secundus motus fluxus, & refluxus à Sole. q. 20. art. 5.

Dum q rarefaciente A Sole intumescit Mare, fit vt sex horis augeatur, sex verò decrescat, quoniam in quatuor diei quartis eius vigens actio has feruoris distinctiones in mare efficere potest, vbi præsens est, & in eisdem partibus ipso absente fiunt depressiones hoc ritu: quòd vbi Sol perpendicularis imminet, feruet Mare, & eleuans feruore ingenitorum vaporum aquas in altum, efficit ipsas decurrere per partes globosi Mundi laterales, quousque mutuam occurrant in obuiam in oppositis Soli, ac feruori partibus: vbi nimirum est media nox. Itaque in hac & in illa parte sex eisdem horis mare attollitur, in hac ob aquarum concursum, obuiámque; in illa verò ob feruorem; atque in lateribus hinc indè oppositarum partium decrescat, & deprimatur oportet: quibus videlicet feruor non adest, neque concursus: non secus ac in feruente olla aquas eleuari in ea cernimus parte, cui ignis apponitur, ac simul in ea, quæ feruoris & ignis diametrum obtinet, hoc est, in ansa ollæ: in lateribus verò deprimi. Accedente vero Sole ad sequentem quartam cæli, quæ latus aspicit, in quo Mare non feruebat, attollitur in hoc latere, deprimitúrque in priori quarta, cui imminebat Sol, & simul in opposita prioris, in qua fiebat concursus, transitque idem concursus in partem oppositam secundæ quartæ per sex horas diei. Itaque de quarta in quartam permeante Sole perpetuò euenit eandem Maris portionem sex horas attolli, ac sex humiliari: veluti permeante igne gyrum feruentis ollæ, duas efficit eleuationes, duásque oppositas depressiones.

Variatio fluxus & refluxus, unde accidat & vbi.

Verumtamen huiusmodi fluxus & refluxus variari solent, dum mutuam obviam occurrunt in angustiis, aut in promontoria illiduntur: etenim ad littora Ghineæ & Burdegalensis freti non sex horis alternatim fit augmentum decrementúmque, sed præter consuetum ordinem.

Præterea Mare Pisanum, ac Genuense, & ferè totum Mediterraneum, tali fluxu & refluxu caret; quoniam tenuiora sunt, ac vapores intra ipsa geniti, quibus intumescit Oceanum, facilem habent exitum, nec ideò exagitant Maria.

Mare Pacificum non hac de causa silet: sed quoniam ab Americana Australi & Boreali terra prohibetur communicatio motus Maris Orientalioris, & per angustias & anfractus Magellanicos retunditur: & Mons Cordillera Solem multo tempore vetat eidem exoriri.

Crassiora quidem Maria in æstate intumescunt; in hyeme verò quiescunt: quãdo è contra tenuia exagitantur Maria, quoniam paruus languénsque calor est Hybernus, vt in crassioribus nequeat vapores ingenerare, in tenuibus verò possit; verum non educere foras, vnde conturbentur oportet: æstiuus verò è contra, crassa exagitare, quoniam ingenitos vapores non educit, veluti ex tenuibus, id quod Persici, ac Indici Maris differentia manifestat. Erraticæ stellæ varietatem motuum Maribus indunt, quibus obliquo adstant motu: situs quoque terrarum variat motum, prout secundat, aut obstat.

Resp. ad argum. Ciampol. Galilei.

Nec vrens calor, qualis ad feruorem ollæ requiritur ad feruorem maris. Olla enim subitaneo indiget nobis, ideóque potentissimo: Mare ab initio, ita cæpit & incedit incessanter eodem blando amploque intra molem tantam, cohiberi ineptam, primæuo calore: indicat etiam Musti æstus in doliis copiam spiritus absque ardente calore elationes ac depressiones facere posse: nam etiam vasa disrumpit, per vim nostro tactui non satis patentem.

Qu. 20. art. 6.

Tertius motus maris à Luna q 20 ar. 5. & 6.

Præterea Maria Gothica manifestè, & Germanica, crescente Luna, præter ordinem turgent: quem enim à Sole habent tumorem, consuetus est illis: ac decrescente Luna, decrescunt similiter ipsa & omnia Maria, & aquæ omnes. Potestas quidem Lunaris caloris proportionata, aptáque est ipsa rarefacere & agitare, cum non tanta sit, quanta ad ingeneratos vapores educendos sufficiat. Ideoque Animalium cerebra, præsertim Marinorum, omniáque humida entia, sunt humidiora, ac

pleniora

pleniora in plenilunio. Ideoque facilè admittunt per raritatem frigus & contra veritatem opinionem inducunt, nimirum frigidam esse Lunam: qua mox deficiēte, deficiunt tumores humidorum. Et propterea si fluxus accidat crescente Luna, maior fit, quam si decrescente, & è contra refluxus. Patiuntur enim aquæ à Luna modicum, quod à Sole multum, nedum bis quindenario, sed etiam sexhorario cursu. Stellæque similiter agunt, & ideò ortus & occasus Fixarum, & synodus, & diameter, aliique aspectus cum Planetis & motum aeris, & aquarum, & spirituum, & ventorum variant.

De Aquis pluuialibus, & de Tonitruo & Fulgure.

Art. 3.

EX Maribus & Terra, omnibúsque ex rebus in ea genitis, solatis calor vapores in aërem multigenos attollit: tenues nimirum, crassos, puros, & impuros, mistósque: qui materia sunt omnibus, quæ fiunt in hoc cælo *A*. Igitur si crassiusculi vapores eleuantur, cum à ventis contrariis conspissati fuerint, aut ex mutuò *B* contactu, aut à frigore, aut ab angustia Regionis, in aquam pluuialem conuertuntur. Quæ nimirum fumus condensatus videri debet, se ipsum in sublime sustinere non valens.

Quapropter cadit deorsum, instaurat tellurem, ciúsque entia sicuti dixit Deus. Idcirco non fiunt in æstate in Climatibus nostris Tropico propinquis: tunc enim vapores adeò tenues fiunt, vt condensationi sint inepti. Nec quidem in hyeme pluit multum: etenim cum sint crassi vapores ab obliquo languente calore geniti, sursum attolli nequeunt. Idcircò tellus sæpè multa caligine obuelata est, ac guttas minutas, raráſque excipit.

At vere, & Autumno mediocriter crassi sunt, quia solis distantia mediocris est, facilè itaque inspissantur, coque *q* magis quum misti sint tenuibus calidisque vaporibus ex sicca, & minerali terra, & rerum portione exhalantibus: qui dum conantur ex crassioribus, à quibus comprimuntur, egredi, dirumpunt eos: simulatque *C* ex fragore eruptionis fiunt tonitrua. Prima sapientia iubente, vt animalia præmoueantur, & Dæmones contremiscant. Ex luce verò, quæ ex accensis vaporibus erumpentibus coruscat, fit fulgur. Etenim vbi intercluduntur, colliguntur, roborantur, accenduntur, rumpunt ac lucent, tunc partes reliquæ crassæ colliguntur magis, timentes diuisionem, ac proindè destructionem (omnia enim entia proprium commodum, atque incommodum sentiunt) priuatæ quoque portione tenuiori, condensantur magis: hinc in pluuiam benè crassam vertuntur, at non durabilem: crassities enim subitò decidit. In hyeme quidem prolixior est pluuia, quoniam tenuitas languido constituta calore, non satis egredi valet, ac paulatim conspissatur, ac repugnando: propterea tonitrua, ac fulgura pauca hyberno tempore fiunt, at sæpè minutæ pluuiæ: etenim in nubibus immista tenuitas, non habet potentem exhalare calorem, nec celeriter. At vere & Autumno plurima fiunt, & impetuosa: paucissima verò in æstate, cum tantummodò tenuitas in aëre sit, nulla autem crassities, vnde vi superetur, exceptis paludosis Regionibus minusvè calidis, sicuti in Gallia Cisalpina & Patauino in Agro, vbi vapores multi in æstate ex Lacunis egredientes, prohibiti ab Euganeis Montibus vltra progredi, in grandes conspissantur pluuias, præcedentibus tonitruis ingentibus: similiter ad Montes Arabiæ, & Æthyopiæ.

A Qu. 20. art. 9.
Aqua super Firmamentum teste D. Bas. & S. Aug. lib. imper. sup. Gen. sunt pluuiales. Nam aër Firmamentum dicitur, quia est densior, ac firmior cali pars & Deus diuisit aquas ab aquis, quia iussit alias fieri super terram, alias super aërem: vel stellæ sunt systemata.
Qu. 20. art. 8.
Qu. 22. art. 1.
Quid pluuia.
Vsus pluuiæ.
B Contra Arist. videtur sufficere condensatio ad faciendam aquam ex vapore absque frigore, vt patet in Alembiccis, & in capitibus animalium.
Qu. 20. art. 8.
Qu. 22. art. 1.
De Tonitruo.
qu. 22. ar. 1. & ar. 2.

De inundatione Nili, aliorúmque Fluuiorum.

Art. 4.

Vide quæst. 10 ar. 7. de Inundat. Nili & aliorum Fluu.

QVia verò ad Montes Casates & Argentes, vnde oritur Nilus vltra Æquinoctialem gradibus duodecim, quando Sol est citra in signo Cancri sub Mense Iunio, fiunt ingentes pluuiæ ibidem, & propè alios fontes eiusdem fluuij: nam cum nobis est æstas, ibi hyems est ex principio Aprilis incepta, contingit aquas illius nimium exuberare, quæ in Ægyptum decurrentes adiuuante nitrosa euaporatione soli inundant Regionem, reddúntque fertilem, sicuti Sapientia dixit, quoniam ibi pluuiæ non fiunt, cum vapores sint perpetuò tenues. Eandem inundationem efficiunt Pegu, ac Menan in India, & cæteri Fluuij ex distanti Regione excurrentes exindè, vbi est hyems, illuc vbi est æstas. Verum flumina à Borea in Austrum fluentia, inundant opposita ratione in æstate, quoniam nimirum Sol in Cancro liquefacit Mare Scythicum glaciatum hyeme, quo subterraneo fluuij propè ipsum caput habentes augentur. Ac simul quoniam tunc & niues & glaciata Tellus, & glaciati lacus funduntur; & vapores plurimi insuper eleuantur, qui Montium cacuminibus arctati in pluuias ingentes vertuntur: omnésque simul Aquæ Caniculæ æstuant additione. Ergò & Caspij Maris, & fontium Menan Pegu, & aliorum, longissimè decurrentium.

De Grandinibus.

Art. 5.

De Grand. qu. 10. Art. 9.

GRandines verò ex vaporibus crassis calidísque fiunt in locis temporibúsque calidis. Non enim frigore primitus gelantur, sed vnione crassiorum vaporum, dum tenuioribus & calidioribus spoliantur. Ita quòd simul ac amittunt calorem, & tenuitatem, dum veluti illam sequuntur nolentes separari ab ea, neque à seipsis, stringuntur, & compinguntur, & indurantur. Et quocumque B paruo frigore ex indè magnam sortiuntur constipationem. Frigus enim densitate gaudet, & in ipsa multiplicatur. Ideò antequam grandinet, tonat, fulgurátque cælum; quod nimirum tenuitas ex crassitie erumpens, separetur. Veluti in Lombardia æstate feruente innotescit.

B *Hac ratione Acetum refrigerat, ac Nitrum similiter.*

De Niuibus.

Art. 6.

De Niuibus q 10. ar. 9. & q. 22. ar. 1.

NIues autem frigidis in locis, ac temporibus post tepiditatem succedentibus fiunt. Porrò quandò Auster multos calidósque in aërem attulerit, ac simul Aquilonare frigus superuenerit, eosque oppugnare cæperit, ac paulatim occupat, superat, gelátque, huiusmodi consistentiæ visuntur. Quapropter non in maritimis Regionibus, calidioribus ex luce in aqua multiplicata resiliente, fiunt niues sicut grandines: neque in æstate, vt illi: nec sæpè in Autumno, aut vere, sed in montanis, & hyeme nullis ferè præcedentibus tonitruis, eo quod ex crassitie tenuitas non erumpit; sed cum ea remanet, eiusque calor & vapor à frigore non exprimitur, sed ligatur; qui calidam albámque niuem, mollémque reddunt, cum à frigore indurati non permittant omninò.

Niues, omnésque liquores, quamuis gelatos interius calidos esse.

Art. 7.

NIues omnes sicut & cæteræ aquæ, natiuo, blandoque constituuntur *A.* calore: quamuis externo frigore oppugnante tactui nostro frigidæ sentiantur ob illud; & ob id, quod nos ipsis calidiores sumus. Nihilominus niues impinguant campos, mollésque sunt, albæque, caloris scilicet dispositione, facieque donatæ, ita quòd excæcant intuentes non defensos oculos, disgregando humores spiritusque inclusos facilius passibiles, ac aliæ nostri corporis partes. Nec quidem vinum & oleum dum congelantur natiuum calorem amittunt, quamuis eius operatio ab externo frigore ligetur, impediaturque: ita ens aliud nullum, nullusque liquor. Quilibet liquor seruatur calore blando; à præpotente verò destruitur in vaporem: similiter & à frigore, quod nimirum liquore ex molli fluente, humidoque, durum, immotum, siccumque ens generat, glaciem scilicet, crystallum, terrámque. Igitur liquores essentiam blando à calore habent. Mare quoque vniuersum calidum est, cum sit salsum. Omnes prætereà aquę à calore genitæ sunt ex fumo calido inspissato, habentque dulcem saporem nostro blando calori propinquum, aut insipidum, linguę calori persimilem. Gaudent motu, operatione caloris, quiete verò corrumpuntur. Item debilis Piscium, & aquatilium calor à potentissimo aquę frigore extingueretur. Nunc autem seruatur tanquam à simili, in quo Deus seruari consuluit.

At neque extinguit ignem aqua, actionem inimicam effundendo: sic enim *B.* ipsum in aquam verteret; at copia, & viscositate ipsum suffocando, dum videlicet occludit meatus lignorum ardentium, vnde flamma, pars scilicet tenuis, fumosáque egreditur, ita quod non sinit ignem exhalare, vnde moriatur oportet: quod & à vino calido, & ab aqua salsa, & ab oleo copiosè iniecto similiter patitur, & a vapore crasso dum motu priuatur eruptionéque intra occlusa ænea vasa. At quidem visuntur ignes in bitumine, ac pice accensi, aliisque in materiebus non porosis, nec dissimilaribus, inter aquas ardere, augerique. Quin & incendia maxima aquis nutriri, veluti Ethnæ ignes, ac Vulcani. Nullum quippè ens apud nos existit, in cuius compositione frigus intrinsecè ingrediatur. Verum cum nascantur omnia ex terra calefacta transmutatáque, calida perpetuò sunt, donec in terram puram, quam non videmus, reuertantur. Frigus quidem terram seruat, ac tutatur, calorem imminuit, & in gradus agit; at non componit. Duo etenim contraria neque robusta, neque languentia conciliari possunt vnquam ad constituendum tertium ens. Hoc enim foret obliuisci propriæ naturæ, quam Sapientia prima, primáque Potestas, ac primus Amor condidit illis. Cicuta & oppium non inducunt somnum, nec venenant ad mortem, quia frigida, sed quia viscosos, multosque vapores emittunt in ventriculo calefacta, qui nimirum meatus capitis, ac cordis, per quos spiritus feruntur, replent, efficiuntque somnum, dum spiritum vocant ad interiora ad prælium ac ipsi vincuntur: verum si vicerint ipsum, suffocant in crassum ens, mortemque afferunt. Si enim frigore has passiones inducerent, nec vinum calidum fumum afferret, nec frigida Nix magis, non occideret magis, quam Cicuta.

De calore Niuis, & Aquarum, &c. q. 20. ar. 3. & q. 9. a. 1.

A Visa est nix in iugis Appenini ex vaporibus è Mari delatis fieri ac salsa perseuerare, nedum dulcis vt Marina glaciata. Item eius qualitates blandum, calorem eius innatum docent, id est, pinguedo, albedo, disgregant, & rarefacient visum, destruensque, quod nimirum est opus caloris.

B Ligna viridia non accenduntur, vt sicca, quia humore crasso abundant occludente meatus, nec permittente ignem subire ad agendum. nec aërem; idcirco submerguntur pondere in aquam. At sicca plena sunt aëre, idcirco natant & admittunt calorem intra poros, non ergo quia humor igni sit inimicus, non comburantur viridia, &c. Item entia bituminosa in aquis ardent, quia non habent poros, ex quibus flamma egreditur, claudendos ab aqua, sed aquè accenduntur: & ab aqua nutriuntur incendia, quam conuertunt in flammam antequam ad poros perueniat, obstrúatque. Item omnis à calore liquor generatur, & fit liquidus: à frigore verò destruitur, & fit durus: à feruore, fumus, sed eius natura est liquidum perpetuò esse: igitur & ipsius natura est vt sit calidus semper, blando quidem calore: nam & robusto soluitur in fumum.

De Rore ac Pruina.

Art. 8.

FIt Ros ex vaporibus paucis exilibusque, à calore diurno extractis, à frigore verò nocturno occupatis, Vtile sanè frugibus, sicut dicit Deus: magis autem

Qu. 20. art. 9.

in Regionibus quibus non pluit, veluti in Arabia, ac climatibus consimilibus, vbi abundè huiusmodi liquor fit. Quòd idcircò accidit, quòd calor ibi nimius est, omnésque vapores in aërem facilè soluit, cum sint è terra sicca educti, ideóque pertenues, vnde reliquiæ modò, quæ vesperi relinquuntur aptæ sunt in Ros verti, non autem in pluuiam, neque in tonitrua, cum sint aut puræ, aut non dissimilares. Fieri quoque potest, vt fumi egredientes conspissentur in Ros anteqùam sursum eleuentur: veluti aër frigidum vitrum, aut marmor circumdans, constipatur, gelatúrque, & stillat: vnde & arbores montanas nostræ Regionis editioris, perpetuò aquas stillare videmus, quoniam ex duobus maribus hinc indè vapores à ventis in Apenninos eleuantur, qui vltra progredi prohibiti ab arboribus Montibusque, addensantur in aquas: quæ denuo euaporantes, ac iterum quodam circulo recondensantur; quod in Fortunatis insulis arbores quædam similiter & magis patiuntur. Pruina idem est quod Ros: sed à nimio frigore hyberno tempore concretum, quod in æstiuo tantummodò conspissatur.

De Manna & Melle.

Art. 9.

Manna naturalis nō de cælo, sed de fraxinorum, & ornorum succo ortum habet. q. 21. ar. 1.

MAnna, quam in Calabria & Arabia fælici legunt, non de cælo, sicut quam dedit Deus Moysi, defluit; sed q. ab ipsis Arboribus apricis, instar gummi ex quibus colligitur: quæ nimirum in die benè digestum liquorem quendam per pedunculos ipsorum ad folia exprimunt, qui repentè in inuisibilem resoluitur tenuitatem: ac noctu deindè insequitur eadem via eum, qui à nocturno frigore cogitur in Mannam sub fine veris, donec Sol in Mense Iulij talem humorem euanescere fecerit, quandò iam legi desinit. Consueuerunt stipitum Fraxinorum cortices vesperi à Rusticis parum incidi, ex quibus incisuris gumma egreditur nostra, quæ mane colligitur, quam Mannam corporis vocant: vnde manifestum fit ex arboris succo Mannam prodire, non autem ex aëre, alioquin & aliæ arbores fraxinis, ornisque propinquæ, mannam exciperent, quin & ipsi lapides, cælo defluentem: licet & hoc accidat quando in aëre diurnus liquor in vaporem versus, inspissatur iterum, caditque etiam in, vnde non exhalauit, plantas.

Mel non est saliua stellarum nec exactio aëris, vt Putat Plin.

Mel quoque succus est ex particulis constans, nostro gustui qualificatis, ex floribus caloris opera eductus, qui nimirum ex fumosa parte puriori, benéque digesta constituuntur: omnésque ideo odoriferi sunt flores, exsuctique mel reddent, quod Apes colligunt, sibique seruant: idcircò sub tectis quoque flores positi, vbi eis Mel ex aëre influere nequit, visuntur interiorem partem mellifluam habere, veluti & ficus per sua oscilla proprium emittunt mel, puriorem nimirum sui portionem. Propterea non omnes arbores, sed quædam, & non in qualibet Regione ac situ, & tempore, nisi certis in locis, & in Mense Maij, atque Iunij scaturiunt Manna, ac aliæ in flore, vti Rosmarinum; aliæ in fructu, vt ficulnea; aliæ in stipite, vti arũdo sacchari, mel emittunt. Fieri quoque potest, vt Māna A in aëre ex vaporibus fiat similaribus, purificatisque interdum ex blando calore, & materia æquali, ope frigoris compacta; vel propriarum partium tenaci similitudine complexa. Hoc autem accidit, quando vbique super quacunque arbore, & lapide Manna reperitur. Eadem Manna, aut Mel à robustiori calore in aëre decocta amarescit ac contaminat fruges, in quas decidit. Fit etiam consistentia quędam ex vaporibus fœtidis, fuliginosisque congregatis in aërem, absente Sole, qui mox defluentes sua impuritate venenosoque æstu tenella semina vrunt, occiduntque. Idem facit fuliginosa nubes in fine Maij à robusto calore genita ex terra combusta, madefactáque.

A Manna, de qua loquuntur scriptores Arabes, non quotannis, nec in eodem loco fit, sicuti nostra in Calabria.

De Succis.

Cæterorum succorum, qui ex arboribus & fructibus exprimũtur generatio persimilis est sanguinis animalis generationi: ex floribus, n. cibisq; ex succis plãtarũ

calorem ad sui rationes immutatis varij fiunt pro officinæ, & distillatorij, & calorum varietate, alij vnctuosi alij, viscidi, alij acres, alij dulces, alij amari, prout ex Aquarum generationibus patuit, vtque ex dicendis cum de sapore fiet sermo patebit. Vinum & Resina & oleum præ cunctis celebrantur.

q.21.ar.1.in Append.

Aër ergò alembicci naturæ pileus est, sol ignis; Angelus rector, & distillator. Tellus aqua, Mineralia; Plantæ, Animalia, & quidquid cælo subest aëreo, simplices species sunt ex quibus vapores eleuantur varij, multiplicésque, Sulphurei, bituminosi, fuliginosi, puri, crassi, tenues, odiosi, amorosi, subiectarum specierum affectus, & naturam referentes. Propthereáque in ignes fulmina, ranas, aquas, niues, & rores, mel, mannámque, &c. constipantur. Nil mirum ergò si rores ex herbarum transpirationibus, & mel & manna ex arborum halitibus etiam in Aëre fiunt nedum in arbore. Cuius succum non lectum sol, eleuat, noxque cogit, inquelapides, & vicinas plantas non suas, demittit; & mistura aliorum vaporum & arborum nouas medicasque inducunt vires. Ex herbis autem floribusque etiam Luna & Astra vapores educunt, quos vnà cum aliis in rores nox conspissat, Medicinis & venenis haud ineptos.

Mirabile Artificium naturæ vndè Homo suas destillationes didicit.

De rebus ex vapore & in vapore genitis.

CAP. VII.

De Ventis, eorúmque vsu.

Art. 1.

VT perferantur calor ac frigus in Regiones, quibus magis opus sunt ad rerum generationem, & vitam; vt deferantur Nubes quorsum diuino subseruiunt artificio, vt agitentur Plantæ, earúmque vis seminalis augeatur, vt seruetur Aër in sua puritatate alibi, ac ventiletur, vt deferantur eo pluuiæ, vbi sunt necessariæ, vt inuitentur Animalia ad cibum quæritandum per odorem à longè delatum, vt conducantur Nauigationes ad fines Hominum; iussit sapientia prima Ventos generari ex Vaporibus non æquè crassis ac illi, ex quibus aquę nubesque fiunt: nec adeò tenuibus, quod sursum eleuari possint nihil proficientes præfatis vsibus. Quamobrem nec hybernis, nec ęstiuis caloribus fiunt sæpè, sed in medioeribus, & ex crassiusculis ità quòd remaneant in superficie terræ ad vsus Dei.

q. 22. ar. 1.
qu. 21 ar. 1. & 2. & 3.
S. Basil. in Hex.
S. Chrys. super Iob.
Causa finalis ventorum.
q. 11. ar. 1.
q. 17. ar. 5.
q. 27. ar. 1.

At vbi copiosè congregati dum angustia loci proprioque contactu stringi se sentiunt (quòd contrà Naturam, ac mors tenuitatis eorum est, veluti è contrà crassitiei mors est expandi) diffugiunt in gyrum quæritantes spatium capax ipsorum amplæ raritatis, donec aut in inuicem impingentes, aut à Montibus repressi spissantur in aquam, aut è contra, propria agitatione attenuati superiora cæli spatia petunt ampliora, & capaciora: eoque sunt vehementiores quo locus generationis in Regione, vndè nascuntur, maiorem fumi copiam subministrat, ita quod constringi magis ac exitio dari persentiunt. Vndè maiores adhibent conatus quo illa ex Regione in alias dissiliant. Veluti puluis bōbardæ, in cauitate accensus, in tenuitatem actus quæritat amplius spatium, egrediturque impetuosus in aërem, secumque rapit quidquid obuiam habet. Idcircò in Pelago ad ostia fluuiorū semper ferè Ventus perflat, propterea quod facilè ex aquis ducitur copia vaporis, quæritantis spatium vitæ suæ proficuum: & fluminis impetu cientur.


A
Stupidus Arist. error quòd Venti ab aëre agitentur in gyrum cū aër motu languidissimo feratur, qui nec arboris folia moueat quo pacto igitur Ventis illum dabit motum qui demolitur Turres, & Arbores euellit, &c. Ergò mouentur sè ipsis quæritantes spatium vitæ, &c.
Secunda causa agens generationis ventorū.

Fieri quoque potest quod aër aquæ ritu ebulliens, expandatur, ac dum impetuosè expanditur, efficiat eum, quem Ventum dicimus fluctum aëris; non

in æſtate, quoniam hic feruoris centrum fit vbi ſol imminet perpendicularis ac proinde aër aliorſum diffugit ad circuitum. Nec in hyeme, quoniam longè diſtat principium feruoris à nobis. At Autumno, & vere validi ad nos ſpirant Venti ab ipſorum Centro, ſub æquatore cum grandiori mole, eo quod propiores ebullitionis circulo ſimus.

Mane, ex orientali Plaga, vbi ſol aërem rarefacit, aut vapores mouet, leuis flatus ferè perpetuus ad nos ſpirat; qui deſinit perueniente ſole ad Meridianum noſtrum, quoniam hic fit tunc vaporis, & feruoris centrum, ac ventus difflat aliorſum. At ſerò cum ad occaſum deuenerit ſol ſpirant ab eo flatus vehementiores quam ſit aura matutina; quoniam feruor occidentalis ad nos effluens additur Vapori ex oceano Hiſpanico educto.

q. 27. ar. 3.



De Eteſiis.

Art. 7.

HOc euenit perpetuò ferè omnibus in climatibus. At in Regionibus Mari propinquis in meridie venti ſpirant blandi in æſtate, quos Eteſias vocant; non quidem ex aëris feruore, qui apud nos centrum habet. Sed ex Mari: etenim tunc percutitur rectis radiis Meridiani ſolis: ideóque copiam ventoſorum vaporum emittit. Propterea que ſub meridie tunc mare placidum eſt, quod à præpotenti ſole ità rarefit, vt vaporibus ingeneratis facilem præbeat exitum: at mane & veſperi radiis obliquis percutitur, & vapores ingenerati egredi non permittuntur, eò quod mare non ſufficienter rarefit. Ideircò eo in tempore non flant, ſed aquas exagitant. Quapropter mane ac Veſperi turbari mare videmus. At verò paludoſis in Regionibus, velut Neapoli quoniam mare craſſius eſt, exagitatur modò in meridie quandò educitur Vapor vertendus in Eteſias: mane verò ac veſperi in æſtate placatum conſpicitur, quoniam non ità patitur ab obliqua luce, vt vaporem multum concipiat, quo agitetur.

De Ventorum qualitatibus, sitibus, & nominibus.

Art. 3.

Ex quibus spirant sitibus venti nomina sortiuntur, vndè Orientales, occidentales, Meridionales, & septentrionales dicuntur. Item ab intermediis Regionibus, vndè spirare videntur n obis nominantur. Sic ex Græcia Græci ex Lybia Lybices, & in qualibet ferè Prouincia, propria habent nomina: nam in Apulia Sclauones, qui ex Sclauonia, Calabri qui ex Calabria flant, dicuntur. At sæpè fiunt venti in nostramet Regione: nos verò indè nomen imponimus, vndè spirare videmus. Sub Æquatore perpetuus spirat ventus vniformis ab ortu in occasum non autem è contrà præsertim in Mari. Sol enim *A* efert vaporem ac feruorem tum aëris, tum Maris. At extrà tropicos vndequaque spirant, & quorsumlibet, pro vt vaporum locus, vndè egrediuntur, reperitur, quiquacũque & quorsumuis quæritant spatium; & à Montibus aliorsũ reflectuntur & a se ipsis aliundè spirantibus. Ex *B* quatuor Mundi cardinibus, & ex quatuor punctis oppositis tropicorum, octo venti signantur diuersis nominibus in diuersis Regionibus distincti: at in medio ipsorum alij signantur multi vsque ad triginta sex, quos doctrina, nauigantium ad vsum seruat. At sub Polis venti omnes sunt Australes: sub Tropicis verò Polares magis, qui indè expirant in latitudinem sub Æquatore ab ortu in occasum recti.

q. 27. ar. t. 2.

A *Agitatione regredientis Maris ex sinu Mexicano spirant Zephyri ad nos, qui nascuntur etiam in Regionibus proximis.*

B *Sermo est de ventis spirantibus in latitudinẽ terra à Polis & à Tropicis non autem.*

Adducunt venti qualitates Regionum, vndè ad nos exsufflant. Propterea Australes ex Africa æstuosa, & serpentibus plena, & per mare ad nos spirantes, sunt crassi, & venenosi, aquosi, & humidi: Septentrionales ex niuosis, frigidisque montibus fluentes, sunt tenues, sereni, quoniam vapores in aëre gelant ac cadere in terram efficiunt, aut meridiem versus expellunt. Orientales sunt vehementes calidiusculi. Occidentales verò vehementes frigidiusculi, quando ex vaporibus fiunt in Regionibus pellentibus contrà nos. Verum quibusdam in locis hi salubres sunt, in quibusdam verò illi iuxtà qualitatem, quam in transitu adsumunt. In Apulia Zephirus, proficiuus cunctis ferè Regionibus, noxius est, effectumque Nothi inducit, cuius est caput replere, auditum aggrauare, ventrem soluere, herbas contaminare, quas alibi Boreas, ipseque Zephirus, qui & Fauonius, viuificat; serenat caput, distillationem ad pectus procurat, colligit calorem natiuum ad melius digerendum, animumque ad contemplandum. Venti omnes siuè puri, siuè impuri calidi naturâ sunt, à calore nimirum geniti: at in nos frigus quandóque impellunt, impellendo aërem: omnis verò aër, siuè aqua agitata membris nostris frigus adducit eò quod expellit partem aquæ, vel aëris nos tangentem, ac à nostro calore calefacientem; adducitque subindè aliam minus calidam nobis frigidiusculum sensum afferentem continuatione, ac vicissitudine quadam: id quod & flabella faciunt. At aqua calida & aër calidus, si agitentur, plus ibi caloris adducunt, quoniam prima aqua calida, quæ nobiscum fecerat symbolum, & minus vrebat, consequitur calida, nouum non symbolicum adducens calorem.

De qualitatibus ventorum.

Vbi spirant venti contrarij, in inuicem obuiam facti conglomerantur vnà, nec segregari potentes cõuoluuntur in gyrum, (veluti fluctus aduersi in angustiis Fretis voragines effieiunt,) ac in aërem eleuant quicquid facilè mobile in medio eorum inuenitur, sicuti sæpè videmus rotare paleas, & puluerem, ac sursum ferri. At si quandò vehementes fuerint huiusmodi ventorum turbines in mari, naues in aerem eleuant, veluti Caribdis, aquarum aduersarum turbo deorsum deglutit consimili ex causa.

Q. vtrum motus generet calorem an frigus, an vtrumque: & cur. Vide q. 8. & 10.

De turbine.

De Terræ motibus.

Art. 4.

Quæst. 27. & q. 9. & 10.

CVm vapores copiosi sub cauitatibus terræ ingerantur, angustiam exosi, egredi ad spatiosum cupientes locum, impetum faciunt in terræ soliditatem, quousque exitum inueniunt: propterea pro qualitatibus ac roboris magnitudine & copia, magis minúsque terram conquassant, & sæpè findunt, montes demoliuntur, ciuitates submergunt, aliáque detrimenta afferunt, quæ in Sicilia, & in Agro Puteolano visuntur magis, vbi nimirum cauernosa est tellus indito sole imminuta in penetrabilibus; ac magis in insulis, quam in continente, eo quod in illas insluit mare aquas in vaporem terræ concussorem vertibiles: magis autem in Regionibus sub terra ignotis, calidis scaturientibus laticibus, ac mineralibus ex vaporum copia, quæ intus non capitur, nec simul per angustos meatus egredi valens; eruptionem facit: sic vapor recentis vini obturatum dolium frangit; Oua quoque ac castaneæ torrefactæ tantum concipiunt vaporis, qui egredi per poros angustos totus simul prohibetur, erumpit ac in puluerem vertit solidam impeditricem materiam. Puluis quoque bellicus in cuniculis accensus demolitur montes ac ciuitates cupiditate vitalis amplitudinis erumpens, non aliena vi extrusus, vt quidam arbitrantur: eadem ratione ex tenuibus vaporibus sulphureisque intra nubem crassã collectis, accensísque, fiunt in aëre tonitrua prolixa ac tarda ex vapore exili paruóque calore: breuia, ac impetuosa ex multo vapore, robustóque calore.

Democ. & lucr.

De Fulminibus.

Art. 5.

Quæst. 22. art. 3.

Fulmen 1. generis.

A. Lapis 33. librarum cum huiusmodi accidentibus decidit apud Castrouillarũ tempore nostro. Vnde palam Arist. fallitur dicens à ventis hos lapides sursum ferri, ac deinde cadere. Non enim ventus extrahit in altum, sed in gyrum. nec fieret tonitruum, & ignis, & sulphureus odor cum huiusmodi lapide, vt videmus.

QVandò tenues valdè accensique vehementer vapores in nubibus, in corpora inferiora adiguntur, penetrant subtilitate nimia vbicumque poros inueniunt; nec nisi resistentes consistentias, qualis est omnis liquor & gluten & metallica dutities, calore vehementi subito attenuant absumuntque in momento per poros inuisibiliter omne humidum glutinósumque attenuatum educendo: remanentes verò partes siccas erectas relinquunt in propria figura: veluti fulminatis accidit Animalibus, quæ paululum agitatæ in puluerem collabuntur. Sic oui luteum albumque extrahunt non oblæso putamine poroso. Et enim in aëra antè suntmè attenuatum educunt, quam liquescere sinatur. Vaginam verò non lædunt poris dantem vias.

Fulmen 2. generis.

At cum accensi crassiusculi fuerint partes exteriores vrunt, vt pilos, folia vestimenta; intra verò penetrare propria obtusitate non permittuntur.

Fulmen 3. generis.

Quid fumus, flãma, & fuligo.

Fit insuper tertij generis fulmen bombardarum instar pilas iaculantium ignitas. dum enim præpotens calor materias terrestres vrit, flammæ quæ vapores sunt accensi, aut vapores, qui sunt flammæ demortuæ ingeneratæ intra res combustas ex partibus illarum minus resistentibus, egredientes foras per poros solidioris partis vertunt ipsam materiam in minutos atomos, visceraque, ita quod soliditas illius in minutias, quæ fuligines appellantur, conuersa, sursum vehitur cum exhalante fumo. Quorsum ire minus posset, nisi in minutissima frustula secta eleuataque fuisset.

Hęc quidem est materies fulminum, quę fiunt post multum æstum ex vaporibus viscosis, ac fuliginosis sulphureisque simul, tenuibus, crassisque plurimisque Quibus accensis ob collectionem tantæ molis, tenuitas effugit, viscosę verò fuligines complectuntur in vnum simul liquescendo ab accensione,

sione & compinguntur in ferrum aut in lapidem, aut consistentiam in aliam, cui similiores sunt, quę secum fert sulphuream accensionem. Itaq; discurrit per vias tortuosas, dum ab accensione sursum trahitur, à corpulentia verò deorsum, sicuti & fulgura arte confecta, ac concutit quidquid opponitur & liquefacit terram in quam mergitur afficiendo simul ipsam sulphureo odore: non ergò conglobatus aër id efficit, nec odores, nec foramina vt vidimus mutorũ, imò & secundas insuper ruptiones, cũ à quouis duro repulsus resiliat, diffluatq;.

De Stellis cadentibus, & ignibus qui in aëre apparent & Fulgetris.

Art. 6.

Quæst. 23. ar. 1. & 2. & quæst. 24.
De fulgure & Tonitru. q. 22. ar. 2.

VApores tenuiusculi quando seorsum, at non intrà nubes accenduntur in Æthere vidẽtur quasi stellæ cadentes: quia nimirum flamma ex principio ipsorum ad finem discurrit, veluti titiones in aërem proiecti noctu repræsentant. Sæpè quoque vapor vnitus, accensusque visus celeritatem anticipando, apparere facit quasi longam flammulam, quæ breuis est vnitaque veluti accensus stylus in gyrum velociter commotus, quamuis in vna modò partè gyri sit, videtur tamen in omnibus simul esse: Fiunt inflammationes aliarum figurarum iuxtà vaporum positionem ac consistentiam. Nam domus ardentes, dracones tortuosi, capræ saltantes, & alia simulacra huiusmodi conspiciuntur. Interdumque accidit in sepulchris mortuorum videri lampadas acensas noctu. Ex his enim exhalans calidus vapor in die, à frigore nocturno vnitus, accenditur. Equi & homines interdum vehementer spirantes aut loquentes: emittunt vapores ita ardentes in aërem frigidiusculum, quod ab ipso percussi collectique inflammulas vertuntur.

Hoc accidit l. Martio milites in Hispania ad pugnam inflammanti.

G. 23. ar. 1.
Porta coruscationem facit ex vapore accẽso, sed fallaciter.

Coruscatio *G* verò, seu Fulgetrum non ex vapore accenso fit, qui in tantam latitudinem exporrigi non potest; sed ex iis, qui extrà vmbram telluris impulsi, lucem Solis excipiunt, atque ad nos qui intrà vmbram sumus, reflectunt. Nam & plurima fiunt in momento, quòd accensis non congruit & sine sono, & per horas multas, & plerumque ad omnes Horizontis partes fulgentia: dum scilicet peruolitant vapores ab vmbra in lucem, quam circumgyrant; & è conuersò.

De Cometis.

Art. 7.

SVrsum elati vapores à sole illustrati, Cometæ fiunt, sic dicti, quoniam Comam emittunt in partem oppositam solari collustrationi per transilitionem, quæ parallaxim ferre potest. Veluti ampulla aquæ plena soli exposita ostendit. Idcircò eclipsari (si vera ferunt) visi sunt ab vmbra terræ Cometæ: ac ità permanent per quinque, aut septem dies, & per mensem & annum plus minusuè, donec vapor protsus attenuetur in cælum, aut dissoluatur. Non autem per reflexionem dumtaxat: sic enim ex amplo reflexæ vapore ad alios situs alibi apparerent, & vix locum sciremus; nec vndique idem & in eodem loco Cometes spectaretur.

Quæst. 24. p. art. 1.
paralixim apparẽtes res non habent. Sed Cometes habet: quoniam in vapore statuitur.
Quæst. 24. ar. 1.

At si vapor Cometæ accenderetur, vt quidam opinantur, non duraret ad horæ dimidiam. Id quod stellæ cadentes docent, & puluis bellicus accensus, res nimirum crassior exhalatione Cometæ, subito desinentes.

Quæst. 24. ar. 1.

B Fieri Cometas supra lunam, parallaxis diminutio docet, at in Regione stellata, totalis carentia. Quapropter ex systematibus aliis fortè vapores illuminandi eleuantur, quos tellus nostra eousque non profert.

Quæst. 24. ar. 2. & 3.

Quæst. 24. ar. 8.

Motus Cometarum.

Quæst. 24. ar. 6. & 7.

Fiunt Cometæ *B* sub & super lunam, & vsque ad Iouem: sed sub luna non visuntur ab omni parte orbis terrarum, quem circumeunt, nisi ab illis, in quorum vertice fiunt: & per duas plus minusvè horas. Suprà lunam verò vndique, & quanto Planetæ & fixæ, tanto tempore super terram spectantur, vt si sub æquatore, 12. horis, si sub capricorno, octo, si sub Cancro, quindecim apparent nobis ad latitudinem graduum 42. degentibus, quoniā in cælo fiunt Planetarum. Porrò sæpè superiores ex parallaxis diminutione, & apparentiæ tempore visuntur, ac ferri simul cum errantibus aliquando etiam cum Fixis, quasi ipsarum barba vel Cauda, quibus cum sympathiam, aut similitudinem commodumvè sortiuntur.

Mouentur quippè, quò commoditas ipsarum rapit: nolunt enim dissolui, ne perdantur: nec condensari, ne moriantur: tenuitatis enim mors est cōpressio. At plerumque mouentur quorsum exhalatio tenuitatis plus habet, quandò obliqua aliavè feruntur via. Et interdum in Boream, alias ad austrum in nostra Regione. Qui enim fiunt extrà Capricornum habitantibus, illic visibiles sunt transilitiones, & reflexiones hic. At perpetuò ferè ab ortu in occasum simul cū cælo vagantur, matutini alij, alij vespertini ad solem emittentes comam, non sursum alioquin cum essent in vertice, Coma non appareret. Apparet autem flexa, illorum in occasum, istorum in ortum, solari semper auersa luci. Sæpè quoque immoti stare videntur, proptereàque dum ipsi in antecedentia feruntur impetu propriæ tenuitatis lucisque solaris ipsos præuenientis, retinentur à motu cæli in posteriora acti ità quod stent, vbi Sapientia æterna certam mutationem fieri prouidit.

Quæst. 24. ar. 3.

Figura Cometarum.

Figuram sortiuntur ex transilitione lucis, & vaporis dispositione; & quantitate; & ex prouidentia ad opus, & significationem.

Color.

Colorem verò aut clarum, aut fuscum, aut mistum, ex vaporis puritate & impuritate, & crassitie, lucem plus, minusvè fœdantibus, vti & in nubibus fieri consueuit, collustratis.

De significatione Cometarum, non Eclipsium.

Quæst. 24. ar. 8.

Tanta exhalationum copiā cum in æthere colligatur, quantam stellam huiusmodi, ac ità coruscantem constituat, necessariò mutationes insolitæ terrestribus rebus accidunt, veluti & deficiente solari luce, aut lunari in Eclipsi, ingentem varietatem decernit, cum sit Rerum vniuersitas temperata instar Horologij, cui quæcumque subtractio aut additio mutationem affert, idcircò penuriam, bellum mortalitatem, in magnatibus conspicuam magis, etsi omnibus communem, prædicunt cometæ. Quippè quæ fieri nequeunt, nisi magno ab æstu. *C* Propterea addentes ipsi propriam lucem insolitam aëri, quem animalia inspirant, fit, vt excitent iram, cupidinem vindictæ, prælia, fastidium rerum præsentium, auiditatem nouarum, aliasque affectiones sensuales, ex quibus affectionibus emanant actiones immutando rerum dispositionem, & statum, siccitatem quoque & sterilitatem pariunt vndè fames ac pestes suboriuntur: & quæ ex his in politiam succedunt.

C Homines plerumque sensu, ac passione à cælo ingenerata reguntur quam à ratione libera: que & indirectè à cælo mouetur, teste D. Thom. idcircò Astrologi plerumque diuinant. idem Beda. & alij vide ar. 8.

Quæst. 24. ar. 4.

Vide 3. par. Metap. pro hac dubitatione.

At si blando disponent modo res humanas, in statum meliorem perducunt. Etenim aliæ luces, alieque exhalationes aliis conferunt rebus; aliis verò noxiæ sunt. Quapropter non sinè causa Planetarum varietates, quibus assimilantur, atque affectus afferre vulgò dicuntur. At num tanta moles excedens stellas & tellurem, ex nostro Solo vsque ad Iouem deferatur, an verò ex aliis systematibus nobis ignotis à cælo eælatis, sicuti & luna lumine vacua nihilā cęlo distincta colore apparet, prodeat, quis intelliget?

Fieri quidem stellas nouas qualis sub Hipparcho, & Thycone etiam in sphera fixarum, parallaxis carentia prodit, & in sole nubeculas propè circumuolui iam videmus; quas è nostra tellure impossibile est educi, & eo vsque & tantas incessanter efferri.

De Pariliis & Area.

Art. 8.

PEnetrantes luces solares, præsertim matutina, & vespertina per vaporum multitudinem tantisper disgregatorum, porriguntur in virgas croceas, virides, rubras, puniceasve, prout ab illis in transitu fædantur. Suppositi lunæ vapores ab eaque collustrati aream quandam lucis repræsentant: interdum verò plures, prout in pluribus illorum consistentiis ipsa se ipsam contuetur. Apparet area lunę magnitudinem excedens, quamuis longè minor sit, propterea quia illa terræ propinquior, hæc distantior est. Similiter & sol in vna vel in pluribus nubibus consistentia non ità Crassis quin transpareant, sese contuendo efficit alterum, aut plures soles, vti in vitro, & in aquis semer referre solet.

De Iride.

Art. 9.

AT cum nubes opponitur, aut supponitur soli, etiam si rorida non fuerit lucem colorando, iridem reddit; quæ nimirum ex obliquis solis portionibus relucēribus oritur: ideoque in oppositione semicircularis est quoniam portiones circularis solis superiores non expandunt radios rectos ad nubem, sed aliorsum. In suppositione verò est circularis, quoniam radij decliues vndique in nubem, licet id rarò fiat, inferuntur. Quæst. 25.ar. 1. & 2. Art. 3.

Effundit sol lucem quocunque ex quocunque sui puncto, atque quorsumlibet rectam, & obliquam; at ex partibus mediis solis, quæ rectam lucem in nubem expandunt radij præpotentes albique defluunt, fædari, ac colorari non se permittentes. Ex partibus verò solis inferioribus horizontem spectantibus huiusmodi radij obliqui effluentes in nubem roridam fædantur ab huiuscemodi materia perpetuò nigricante. Et *B* propterea mane & vesperi eleuato sole parum super Horizontem iris apparet semicirculo maior, sed angustioris circuli portio, quoniam à multo propè terram vapore tingitur lux vicinior medio soli ideoque angustior & maior. At sole magis eleuato videtur iris semicirculo minor, sed amplioris portio, quoniam lux obliquior, & à medio remotior sola tunc est apta fædari; quæ ampliorem circulum sed ob decliuitatem non completum reddit. Semper *C* enim fuscatur minus viuidior lux rectiorque, ita quod fit vt primus circulus iridis, quia propinquior est radiis albis ex medio sole manantibus, puniceus fit, hoc est, parum deuictus à facie materiei: secundus verò angustior lucis circulus, croceus est; eoque languidior cum fit, fædatur magis. Posterior tandem fædatior idcircò viridis, cum fit obliquus magis & angustus: Postremus alurgus ex luce languidiori, ac fædatiori fit. Accidit etiam cum vaporum eleuatorum copia affuerit sic, vt propè medios, nedum obliquos solis radios fædare queant fieri etiam colores alios, id est, purpureum ceruleum, luteum, &c. Nam qui puniceus erat in aliis hic viridis existit; & vbi erat albedo, ibi puniceus, & flauus. At ex mediis coloribus intrà nigrum albumque multi renascuntur ex mistura, vt sertorum rosæ variæ commutantes colorem relatione declarant. Profectò in serratili vitro triangulari id licet intueri, vbi lux angulo minus corpulento propinquior, punicea; subsequens crocea, succedens viridis; deindè purpurea, hinc cerulea, ac fusca fit, vbi duo Anguli basis trianguli plus materiæ intercipiunt, quàm ipsa latera.

B Cur maior & minor iris appareat in diuersas solis eleuationes.

C Non modò tres colores iridis vt putat Arist. sed perpetuò quatuor esse: & interdum plures.

D. Duplicis iris rationem non eſſe declaratam Peripateticis. Vide quæſt. 25. ar. 2. queſt. 25. ar. 1. Gen. 5.

Sæpè *D* inuenitur & alia iris ſuper hanc, at oppoſitis tincta colotibus quod nimirum circulum minimum puniceum habet, cuiuſmodi ipſa maximum: medij æqualem: ſed alurgus minimus inferioribus iridis & maximus ſuperioris propterea quod ex parte obliqua Solis ſuperiori radij in ſecūdam iridem effunduntur ità quòd minimus circulus propinquior eſt medio Soli, vndè lux viuida albaque inter duas irides profunditur: circulus verò medius croceus eſt tertius autem viridis recedendo paulatim magis à rectà lucè potentiſſimáque, quę ſpatium inter duas irides album efficit eo quod non ſinit ſe fædari.

E. Ariſt. & Ptol. non recte arbitrãtur iridẽ non fieri niſi antè & poſt pluuiam; & ex nube ſolum rorida: cuius contrarium ſæpè videmus. Quæſt. 25. ar. 1. in quæſtiun culis 1. 5. 3.

Antè, *E* ac poſt pluuiam iris fit eo quod primitiæ ac reliquiæ vaporum humidorum aptæ ſunt lucem fædare. Fit etiam nullis pluuiis præcedentibus, aut ſubſequentibus, quandoque poteſt lux fædari aduerſa nube. Fit iris & ad lunam vaporibus ſpectantibus, ſed albidior; quoniam minus poteſt penetrare vapores, quibus fædatur. Item in aſperſionibus aquæ, ſubeunte Sole feneſtras. Item circà lucernas in fumis corpulentis eiſdem rationibus. Atquidem in oculis noſtris luce candelæ perfuſis non extrà fit iris. Non enim fieret rotunda, cum in candelæ imo ſub luce non adſit vapor. Item enim ſi manum inter oculum & iridem mediam poſueris, citrà manum videbis alteram mediam iridem, ſi inter oculum & lucem rectà ponis digitum, nec lux nec iris circà lucis ſpatium non occultatum, vbi ſpectabatur, & ſpectari debet ſi fit non in oculo, ſed circa lucernam, amplius ſpectatur. Vt dubium non ſit, in circulis vueæ, & corneæ ad aquei humoris confinium, vt in plenis cyatis etiam fit, ex luce reſiliente ex Cryſtallino fieri. Eſt iris ſignum vnionis cæli, & terræ, & proptereà in aère fit nubiloſo.

F. Ariſt. & Mathematici opinantur non recte. vide q. 25.

Hec priſcis ignotum.

Nec ſemper *F* centrum iridis eſt oculus noſter atque ſolis, niſi vbi ſola reſilitio lucis, abſque tranſilitione ex certis circunferentiæ viſionis punctis refertur, vti via lucis ex more: cum ſæpè in ſuppoſita nube & in non aduerſa, & in aſperſionibus aquæ & alibi ad dextram, & leuam ſolis fiat iris, non poſitis nobis ipſam inter & ſolem.

Vidimus etiam in Orientali nube irim fieri, poſito ſole ſub occidentali Horizonte: atquidem ex nube magna ſuper Horizontem eundem colluſtrata, tranſmittenteque ad Orientem.

De Circulo lacteo.

Art. 10.

QVandò iubente Deo extendebatur cælum magna portio ſurſum exhalauit magis in hunc, quam alium ſitum, vndè inæqualem conſiſtentiam ſortita, ſtellulas inuiſibiles formauit: quarum collectio fecit quandam lucidam viam, quæ circulus ex ſua ſpecie lacteus appellatur, non rectus abſolutuſque, ſed quaſdam tortuoſitates, & diuerticula habens, variaſque ſpiſſitudines, ordinatas à prima ſapientia, vt efficeret varietatem in terra; vtque fortè oſtenderet cælum quoque, & non ſtellas modo, ignitum conuolui: alioſque ob vſus cælicolis notos, quibus fortè deſignat iter. Conſpicitur in eodem ſitu perpetuò ex omnibus noſtri mundi Regionibus in ſuprema ſemper cæli Regione ſtellata ſicuti & Orionis Enſis, & Præſepe Coma Berenices & aliarum ſtellarum greges lac ſimiliter referentes, & non ſe ipſos. Nec vnquam ſitum, aut diſpoſitionem, aut tenuitatem mutauit: nam quod ab initio rebus euenit eorum natura fuit tam cælo ac terræ, quam partibus eorum. Ergò in aëre fieri, ac durare, minimè poteſt.

Dicendum restat de Rebus ex liquore & fluore genitis, cum dictum sit de genitis ex vapore multipliciter.

CAP. VIII.

De lapidibus & fossilibus.

Art. 1.

AD Telluris *A.* defensionem, ac fulcimentum, quasi illius ossa, ex tanto lapideo genere montes multi facti sunt, vtque sint Animalium sedes, ad multiplicationem nidorum & feminum apti: Ad fulcimen fyluarum, quæ eleuata duritie se contineant, vtque plurium Entium Tellus fit capax: & Regiones differminentur: & Ars, quæ secunda est Natura, materiam habeat: facti sunt lapides (sicut dicebat Deus) qui in tantam altitudinem creuerunt. Facta sunt & metalla in vsum commutationis Rerum, culturæ telluris, arma Hominum, vt domentur lapides, & arbores, & Animalia ad ipsorum vsum, aliásque ob causas. Omnia quidem ex terrestri fluore, veluti de ipsorum origine loquuti sumus.

Nascuntur lapides ex liquefacta terra viscositatis & tenuitatis minus participe, à frigore constipante indurata, sicut glacies, & crystallum declarant; aut à calore partes tenues eleuante: ideoque crassioribus coeuntibus in vsum, & simul ob conseruationem ipsarum, sicut lapides in Renibus, & Vexica Hominis ostendunt: aut à frigore, & calore vicissim agentibus, sicuti Animalium cornua, & Plantarum ossa docent, & propterea frangibilia sunt fossilia omnia, non autem flexibilia: sicut quæ viscositatem simul & duritiem habent.

A Prepono semper causam finalem, quoniam ipsa est vera ratio entium genitorum ab arte, & intellecta. Causa verò Physica vt calor & frigus, & materia sunt media ad finem, de quo loquemur in Metaphysica. At qui Mundū æternant, aut casu generant omittunt finē, cum Democrito, & Arist. qui asserit, & non vtitur.

Qu. 29. art. 1. & per totos.

De lapidibus imperfectis.

Art. 2.

SVnt lapides imperfecti, arenosi, friabiles, disgregatiles in frustula, eo quod tellurem, ex qua oriuntur, non benè liquefacit æquè in cunctis portionibus calor, cum esset difformis, isque exhalans in tenuitate, vique erumpens, soliditatem in Arenam ac puluerem dissipat: remanentes verò portiones liquidæ, dum compinguntur intra se, arenam concipiunt. Hinc magis, minusvè duri fiunt huiusmodi lapides prout plus, minusvè fluoris ipsos conglutinauit, sicut in tophis, aliisque glareosis consistentiis palam est. Sæpè etiam glarea, ac lapilli admiscentur, ex quibus ac fluore benè compactis fiunt scopuli rigidi, & alpestres: inter quos cum franguntur, testæ conchiliorum, fragmina lignorum, pannorum, & pileorum conspiciuntur: propterea quod in prima ipsorum compositione aggregata casu fuere; coquemagis quod vbi nunc tellus est, Mare olim fuit, ac maritimæ res idcircò reperiuntur: sicut in Ægypto, qui fuit olim Mare, & ad Ostia Padi, ac in Agro Patauino, à quo viginti milliaribus recessisse Adriaticum ex tempore Titi Liuij Mare notauimus vsque ad nos: aliisque in locis. Atque è contra, vbi olim terra fuit, nunc mare est, veluti apud Paludem Meotidem, vbi Mare augetur, quoniam apud Venetias imminuitur. Ita mundus contralibratur. Incendia quoque vniuersalia, ac Terremotus terram, ac Mare, & fontes, & fluuios, & Montes alterauerunt.

De lapide grauido.

Art. 3.

DVM condensatur lapis in exteriori tunica, in interiori potest liquida remanere, cum præsertim pars tenuis à frigore in centrum cogatur; quæ temporis diuturnitate indurata separatur ab exteriori adiacente consistentia: fitque lapis intra lapidem.

De lapide perfecto eiusque speciebus singillatim.

Art. 4.

q. 29 ar. 1. q. 29 ar. 3. *Quatuor lapidum species simplices.*

PErfecti lapides æqualis consistentiæ *q.* fiunt ex solutis fluoribus, diuersis tamen iuxta diuersitatem liquescentis materiei, liquefacientisque caloris. Quas ob res *q.* alij sunt transpicui, & albi, nō transpicui, veluti cortex oui, Marmor, Alabastrum &c. Alij transpicui, at non albi, vt Pyropus, Smaragdus, Topatius, &c. Alij, nec albi, nec transpicui, vt Cianeus, Pipetnus, Silex, &c. Alij varij, vt Porphyrites.

De lapide albo transparente.

Primi generis lapides ex liquoribus fiunt benè exuperatis à liquefaciente calore ex materia æqualis temperiei, vt caloris ex victoria albedinem sortiantur, ex attenuatione autem æquali, trāspicuitatem. Ita vitrum vniforme ex materia in ci nerem acta, hoc est, in minutias deuicta, ac deindè fusa à robustissimo calore, eodémque recedente indurata, generantur. At sal, & Alumen, quæ non tantam habuere transpicuitatem, duplici ex liquore fiunt, altero ex condensatis vaporibus constituto, altero autem ex liquefacta terra. Proptereàque consistentiæ omnes, quæ ab aqua soluuntur, talem habent originem, sicuti saccharum, sal, alumen. Id quod palam fit in gemmationibus quæ concrescunt in syrupis, aqua succo, & saccaro confectis; ex quibus exhalante tenuitate, consistentia remanet similis gemmato sali. Fieri potest quòd ex vaporibus gelatis in aquam, parua admista corpulentia, lapides huius generis generantur. *q.* At à frigore, aut à calore possunt indurari, aut ab vtrisque.

q. 29.

A Plato solutionem salis ab Aqua, & lapidum ab igne, dat triangulis, de quo. vide q. 29. art. 6. Canon, vnde qui à calore, qui à frigore, & qui ab vtroque indurati fuere dignoscitur.

Siquidem *A.* dum soluuntur à calore, in liquiditate seruantur & à se ipsis spontè non indurantur, affirmandum est frigoris ope illos induratos esse, quod nimirum & crassas & tenues partes simul ligat, compingitque. Ideóque in liquorem reddi- tæ caloris opera crassæ ac tenues sibi restitutæ, simulque mistæ, liquidæ remanent. Attamen huiusmodi eum differentia; quod si quocumque calore funduntur, à paruo frigore induratas esse oportet, veluti glacies soluitur in liquorem, à quocunque calore, remanetque liquida. At verò si non nisi à vehementi, vniformi, diuturnoque calore in liquorem soluantur, oportet à prepotenti frigore, ac diuturno induratas esse: sicut crystallum in Alpibus frigidissimis repertum testatur; quod ab huiusmodi solutus calore, non amplius condensatur. At verò consistentiæ, à calore solutæ, si iterum spontè indurantur, à calore constitutas fuisse oportet, qui eam tenuitatem eduxerit, quæ materiam in liquiditate seruabat. Hanc originem habuit crystallinus oculorum humor hoc est, ex materia non similari. Eandē habuit & sal, aliæque ingemmationes; cum hac tamen differentia, quod si à copioso robustoque calore liquescunt, ac postmodum spontè indurantur, moles illius à calore indurata erat non diuturno; ipsáque similaris potius erat. At verò si diuturno, difformi, robustoque calore non liquescit consistentia aliqua, sed à blando, vniformi diuturnoque maximè, hæc materia ex dissimilari, hoc est ex compositis liquoribus, tenuibus, crassis, lubricosisque orta est, ex quibus diuturno calore paulatim exhalando in tenuitate, partes reliquæ quasi illam insequendo, ac complectendo induratæ sunt. Proptereaque magno calore non funduntur; nam partibus tenuibus nunc etiam euaporantibus, reliquas duriores fieri eadem ratione necesse est, quòd Ad-

amanti euenit à blando nimirum diuturnoque solubili calore: sic enim æquè simul partes soluuntur omnes, nec deuictæ priores exhalant absque posterioribus. Idcirco sanguine hyrcino melius funditur, quoniam paulatim ab illo penetratur, atque aperitur: & quidquid calescit, attenuatur que, permanet admistum portioni reliquæ disponens illam ad solutionem, detentum quippè ab huiusmodi sanguine proportionato in certo gradu, contrapolito illius conglutinationi

Verumenimuerò existimandū est ignem vehementem intra fornacem reflexū posse omnem soluere duritiem tempore diuturno, etiam adamātinam, prius tamen ipsam calcinando, si partes inæquales habet, sed penitus fundendo, si æquales. Igitur crystalla diuturno tempore concreta in Alpibus, & Borealibus Regionibus, fiunt frigore permagno Adamantes verò plerumque sub tropicis & æquatore, tametsi crystallum alpestre originem habet à liquefaciente calore, ac proindè ingemmante; vnde vegetat crescitque in formam cubicam, & quinquangulam, nihilominus ab externo frigore constipatur, quod non aduenit pretiosis lapillis, nisi fortè vicissim vtroque contrario agente, indurescant. Ex lapide quoque perstillatus fluor quasi radicem faciens supernè, attollitur in crystallum.

Lapides igitur tertij generis ex eisdem liquoribus consimiliter dispositis, generantur, à calore, vel frigore, vel ambobus indurescentes. Quicunque enim ab initio transpicui sunt, necessariò albissimi quoque sunt. At rubri, aut virides, aut crocei fiunt, propterea quòd alius quispiam liquor proprio conspersus colore, ipsis admiscetur. Ac sepè paululum nigredinis perfusæ albo liquori magis minusvè efficit ex se ipsa, & liquore albo colores magis minusvè distantes ab albedine vel nigredine, sicut dicebamus in Iride. Quapropter videre est vas plenum vini albi à modico vino nigro ob huius crassitiem materialem (nigredo enim materiæ est facies) maculari: & prout magis minusvè nigrum hoc ipsum est vel magis minusvè apponitur, magis, minusvè fædare album vinum, ac ad plures perducere colores. Omne nigrum cum sit crassum penetratur, ac soluitur ab albo, quod est tenue. Idcircò ipsum album vsquequaque palliatur, & commaculatur à nigro, quod subit, veluti & dulce à salso propter hoc quod etiam crassum est. Quamobrem visus est interdum Pyropus ex parte rubeus ac ex parte simul albus, eo quod candidus fluor non totus fuerat à rubro perfusus: nihilominus transpicuitas remanet huic lapidum generi propterea quòd rubeus fluor, aliusvè qui admiscetur, non est omninò opacus: si enim fluor omnis à calore fit, necessariò aliquam habet transpicuitatem, & cum à candido fluore rarescat, amittat oportet parum opacitatis, quod habuisset.

De lapidibus 3. generis.

De lapide albo non transpicuo.

Secundum lapidum genus fit ex lubricositate, ac liquoribus albis, sed crassis, ideoque non transpicuis, quia à diuturno calore, ac blando geniti fuerunt; qui nimirū intus remanens albā reddit materiā: ac, cum nequeat attenuare, dimittit opacū superueniēte deindè calore, aut frigore, aut ambobus externis, induratur. Quapropter dentes animaliū, cortices Ouorū, marmor, alabastrum, omniáque ligna, & metalla, nō ex perfectis liquoribus, sed ex lubrica consistentia, & ab origine non æquali temperatura prędita, & à calore vniformi prius genita ex terra non similari, sed molli, lenta, dēsa, originē habuisse, ac cōponi, existimandū est. Proptereaq; huiusmodi lapides cū à calore, vel à frigore, vel ab vtriusque vicissim agentibus indurescant, quando igni apponuntur, non soluūtur in tenuitatem, aut in liquorē æqualiter portiones omnes. At *A* remanens ipsarū dura soliditas non deuicta, sed aliquantulum immutata, & in minutias conuersa, ab exhalāte erūpentéque tenuitate, sicut cinis, ac fuligo huiusmodi entium testantur. Lapides verò huius generis priusquā fūdātur calcinātur, etenim calx est ipsorū cinis, veluti è cōtra cinis est lignorū calx. Siquidē cū ipsi compositi sint ex lubricositate & fumositate, agente calore, separatur liquor, versus in fumum: ac mox liquescit lubricositas, ac densitas remanēs agitur in cinerem, aut in calcem discedente liquore tenuefacto, erumpente ac disgregante, qui remanet in frustula. At quando super cinere & calce magnam calor in hac separatione edidit actionem suæ similitudinis effusionem, mox liquefaciendo ipsam, efficit vitrum; transpicuum quidem ob caloris victoriam super

A Cinis non est pars terrea, vt dicit Arist. sed terrea moles destructa in minutias à calore, ideotrum transpicuum, quo funditur in vitandemque resoluitur. Errauit Porta mecum disputans, asserendo terram non fundi, cum lateres & cineres, ac terra immista minerali ferreo, fundi videatur in Fornacibus manifestè. Vide q.29.art.6.

materiam vniformem, vnde difformitas abſceſſerat. Ac omne Ens ita compoſitum, non funditur prius quam calcinetur.

De lapide non albo, nec tranſpicuo.

Tandem fiunt Porphyrites, aliique lapides ſpeculares, diuerſis ex liquoribus vna confuſis, idcóque varios colores ac tot referentibus quales, & quot liquores habebant, naſcentes diuerſis ex materiebus diuerſo modo ſolutis, & huiuſmodi annumerari poſſunt in quarto genere, non albo, nec tranſpicuo.

De lapide nec albo, nec tranſpicuo.

Naſcitur ergò hoc genus ex liquore, & lubricoſitate ſimul, non deuicta penitus à calore moderato: at & miſta aliis fluoribus, vel ex nimis ambuſta materia, nigrefactáque, ac mox aliis miſta liquoribus, propterea fluores non æquales in partibus, nec ab vniformi geniti calore, nec à blando, à quo albi opacique fiunt: at ex difformi robuſto calore, materiáque, in qua, aut ab aliqua materiæ parte, aut à tota, facies caloris eſt obruta, abſcedente tenuitate, in qua albus caloris vultus inſidet, conuertuntur in res non albas, nec tranſlucentes; veluti ſunt metalla, pili, & ſimilia. Itidem cum fuerit ſparſa tenuitas minutiſſimis atomis inuiſibilibus conſperſa, cuiuſmodi eſt fuligo; egrediente ab ipſa aliqua portione, caloris opera educta, remanẽt minutiæ craſſæ addenſatæ in Entia diſſimilaria penitus. Atque omnes fluores è terra orti, aut non æquè à calore deuicta, aut ægrè deuicta, vertuntur in res duras, opacas, & minimè albas, quamuis ex admiſtione participent quendam alborem, ac tranſpicuitatem, ſicut Argentum. Porrò quò fuerint nigriores, ac craſſiores, ac fractu difficiliores, eò ex corpulentiori mole, ac ex terra minus ſuperata & ex commiſtione diuturno tempore condenſata vtriuſque contrarij opera ortæ ſunt.

Art. 7.
De augmento lapidũ.

Augentur lapides omnes interna vegetatione, nedum appoſitione, ſicut dens, & teſta lymacis, & conchyliorum, & oſſa manifeſtant, dum ſuæ origini adhærent: ſeparatis enim venæ nutritionis obſerantur, & fluor non adeſt nutritiuus.

De Metallis.

Art. 5.

De Argento viuo.
Qu.30.

ERgò Argentum viuum ex terra benè ſuperata, ac maximè ſimilari ſuper quãcumque aliorum metallorum, & ſpiritali, genitum videtur ex potentiſſimo, & vniformi calore. Ideoque totum mobile eſt, ac ſi igni apponatur, exhalante vna ipſius portione, omnes ſimul exhalant, eo quod conſimiles ſint, aut valdè conglutinatæ ſpiritales cum corpulentis, ac eadem actionis vi calor eundem effectum inducat in omnes, qua eaſdem concorporatáſque.

Differentia materialis inter lapidem, Plantam, & metallum.

De Plumbo, & ſtamno.

Plumbum verò, ac ſtamnum, ex partibus craſſiuſculis minuſque deuictis, lentore viſcoſitate, fluore, vaporéque conſtantibus, fiunt, denſatiſque exhalante calore, non tamen cum tota tenuitate, ideoque flexibilia ſunt, veluti & Plantæ, in quibus fumoſitas, ac viſcoſitas, flexibilitatis cauſa, ſunt. Hic manifeſtum fit lapides cõſtare materia denſiori, quam metalla, magiſque ſpoliata tenuioribus portionibus, cum illi frangantur, hæc verò flectantur. Atqui flexibiliora materiam habent denſam magis, viſcoſámque magis, ſicuti ſtamnum plumbumque ex molli materia abſque ariditate teſtantur. Attamen plumbum partes habet plures molliores, ac impuras, tenuéſque ſimul. Idcoque ſæpè liquefactum vertitur in ſtamnum, purius nimirum, duriuſque Ens, eo quod in liquefactione ſcoria ſeparetur, ac tenuitas educatur.

Qu.30.art. 4.

De Argento.

Stamnum ſæpius liquefactum, vertitur in Argentum, ens purius duriuſque eaſdem ob cauſas. Deinde ex ignito argento partes puriores liqueſcunt in Aurum, tenuiores in fumum, impuriores in æs: rem quidem aridam poroſam, ſiccámque vertuntur ratione eadem.

De Auro.
q.30.art. 6.

At verò ſi ſtamnum æri additum ſimul fundantur, efficiunt metallum, vulgò dictum Bruntium, quod vocabimus æramentum: res robuſtior vtroque: nam cum frangibile fit æs, ſuam ob poroſitatẽ ex ambuſtione inditã, aut ex arida terra, in ipsũ liquefacta,

De Ære.

liquefacta, cumque stamnum flexibile sit ob æqualitatem suæ materiei mollis, fumosæque dum miscentur, consortiuntur, illud ab hoc plenitudinem suorum porotum, hoc verò ab illo neruosam stabilitatem. Quapropter efficiunt quoddam solidum compactum magis, magisque tenax, robustumque. De Æramento.

Ferrum ex liquefacta ortum terra impura, dissimilarique, versa in lapidem ferè, ac deindè soluta in liquorem: mox concretum in rem quidem flexibilem, ob sequestrationem suæ arenosæ, aridæque soliditatis: si sæpius liquefactum fuerit immersúmque in aquam, præsertim conspersam marmoreo puluere, vertitur in calybem, rem duriorem, minúsque flexibilem, sed frangibiliorem ferro, eo quod in liquefactione tenuitatem amittit. Et à frigore vicissim agente, rigiditatem accipit, & simul ex marmoreis atomis frangibilitatem, vigoremque, sicuti & à vitreis. De Ferro & Calibe.

Vndè elucescit quod lapis constet ex materia densiori priuata tenuitatibus; metallum verò ex lenta, non omninò spoliata illis: & ideò grauior lapis quià vnitior per se, sed per accidens leuior metallo, quoniam porositates habet plures, vt pumex ostentat. Sed neutrum carbonatur, licet ignescat ob æqualitatem maiorem, quam in ligno: lignum enim ex lubrica fumosa, lentáque indurata minus, constat materia: fumositas flammescit: lentor deinde rarus retinet ignem; tametsi in quolibet trium nominatorũ generum insit densitas, lentor, mollities, lubricositas, liquor, ac fumus: & in aliis plus, in aliis verò minus singularum dictarum dispositionum, quam aliarum: propterea lapis non ducitur, nec flectitur, sed frangitur. Metallum ductile, ac flexibile, non frangibile est ob tenacitatis misturam viscosæ, qua & flexum permanet, nisi vitrescat, vt calybs: non autem Planta, quia ex duritie frangitur, & reflectitur: ex mistura viscositatis flectitur, sed non permanet. Natat verò ex fumositate; penuria cuius lapis, metallumque merguntur. *Corollarium de differentia materiali lapidum, metallorum, & Plantarum.* Quæst. 31. a. 2. & 13.

Redeuntes igitur videmus argentum in se habere portiones stamni, & quidem induratas magis abscessu tenuitatis sicut induratur stamnum sæpius liquescens. At verò quidquid remansit, calidum est ac tenuitatem habet aliquantam mistam materiei vniformiter consolidatæ; Idcóque album est, & quasi lucidum. Nihilominus nigredinem imprimit in paginam albam, eo quod materia, quæ cunctis inest entibus nigra sit. At verò plus metalla tingunt nigredine, propterea quod flexibiliora sunt, vndè communicantur magis, magisque imprimuntur. Non tingit chartam albore ipsum argentum, eo quod album non agit in album sibi simile, quin etiam si communicetur, confunduntur, nec discernuntur. At in lapide probatorio, qui est niger, discernitur argenti candor, aut auri pallor: minimè autem nigredo ipsorum, quia confunditur cum nigredine lapidis. C Respondetur ad Argumenta sancti Augustini de Ciuit. Dei.

Cùm cornu nigrum sit ex multa opacitate, compactum paruáque conspicuitate, illius partes vnà compactæ nigredinem ostendunt. At corrasæ eius scobes, ac minutiæ, ostendunt alborem: propterea quòd à luce diei eorum penetrabilis superficies perfusa, deuictáque æqualiter albedinem ostendit: hoc est lucem ex illis reflexam cum albedine natiua, quæ prius toti commista in quo nigredo compacta præualebat, non apparebat. Idem accidit vitro nigro deindè in frustula contuso, mox albentia, ratione eadem.

Aurum q. tandem ex putioribus partibus, atque æqualioribus præ cunctis metallis componitur, sed induratis exhalante calore, fuluisque redditis à remanente calore, in gradu non satis exuperato ab eius mole. Quapropter flexibilius est Argento ob partium mollitiem similarem. Ac ponderosissimum metallorum; quoniam partes ipsius sunt vnitissimæ, nec porositatem habent, per quam aër subeat, conferens leuitatem: liquescens Aurum nihil ponderis amittit quia partes ipsius æquales sunt, nec tenuiores habet, quibus exhalantibus, quæ remanent sint pauciores, veluti aliis accidit metallis, ex inæqualibus compositis. Nec rubiginem vomit, aut patitur, propterea quod partes ipsius puræ sunt, ac similares, ità quod calor occultus agens in omnibus rebus innatus quandò auctus egreditur, non extrahit partes impuras, quibus Aurum caret, quæ sunt ipsa rubigo, quæ ferro aduenit. Quod nimirum ex rubra terra Quæst. 30. art. 6. Iterum de Auro, eiusque conditionibus, & perfectionibus.

non benè deuicta, in fornace liquefacta, constituitur. Proptereáque ex excrementis, tenuitatibus, & liquoribus, & lentoribus mediocribus compositum est: quarum partium dissimilitudine facilius funditur, ac tunc tenuitas separatur & rubigo. Res enim per similes mutua indita amicitia sequestrari non facilè permittit. Quapropter cornua, & ligna facilius ad ignem mollescunt, eo quòd tenuitas in ipsis remansit, quandò ex communi matre egredientia à frigore, & calore in soliditatem ligantur; quæ mox obedit igni.

De studio Chimicorum. Qu. 30. ar. 3. & 4. ex 5. & 7.

Liquores, vndè tot nascuntur Entia, ab initio Mundi hucúsque à sole geniti sunt concinnati purificatique innumeris modis; Idcircò difficile Ars breui tempore (quæ nimirum non intelligit gradus vniformes, aut difformes virtutum, ad partes materiæ æquales, vel inæquales imponere: etsi semel diuinat, secunda in actione aberrat) q. perficiet transmutationem metalli absolutam, penitúsque verâ; tametsi in cunctis pars Auri abscondatur, quæ puritas ipsorum metallorum est. Extrahique possint liquores purificatissimi vehementes efficaces ad transmutandum, sicut rabidi canis spuma, quos mordet in canes vertit: non autem sani, nisi núsque vehementis spuma. Siquis occiderit spiritum Argenti viui, non tamen & glutinum ipsius penitus, vt vitrescat, aurum faciet purum ex relicta mole similati.

De Augmento lapidum, ac metallorum.

Art. 6.

Quæst. 29. art. 7.

AVgentur lapides varias in figuras grandescendo, cubicas scilicet, pyramidales, pentangulas, sexangulas: veluti Plantæ in suas. Nec enim maximi montes sicuti Alpes & Apennini, Riphi, Acroceraunì, Pyrenei, & Taurus, & Lybanus, simul in tantam molem, & altitudinem porrigi potuerunt. At existimandum est eos crescere, veluti in Aufidio ac Sarno fluuiis experimur intrinsecus, extrinsecúsque. Conchylia, marina, ostreáque testas habent lapideas, quæ manifestè crescunt, sicuti & limacum. Hinc marmora in fodinis, liguriæ, Hispaniæ, & sales in Calabris, & si continuò extrahantur, ac consumentur, temporis tamen spatio refici, augerique videmus. Non crescit lapis in Pariete, eò quod tes tunc modò crescunt, cum suæ matri adnatæ coniunctæque manent: at ab illa cum separantur, perduntur venæ, vndè succum, quibus nutriuntur, attrahunt. Idcircò erutus dens non crescit, neque os, neque ipsæ arbores. At dum telluri matri colligatæ sunt, nutriuntur, augentúrque. Nec de foris modò superadditione crescunt lapides sed ab intus nutritione. Additio enim diuersam consistentiæ speciem facit. At lapides similares sunt, ac maximæ magnitudinis. Atque vbi nascuntur, tales fiunt, ac tanti, proptereà quòd natiuus calor ipsorum liquorem sibi similem, ex quo nascuntur, iuxta ipsos genitum exugit paulatim. Sic & metallorum venæ, ac fodinæ vegetant, & in se se conuertunt terram adnatam dispositámque sui similitudine ad conuersionem; & in montibus Styli crescunt lapides manifestè in formam quadratam oblongam, diuisi altera ab altera in cacumine, quasi arborum rami. Quapropter existimandum est ipsorum imas radices non penitus duras esse, sed lentas, nam & coralli, & ossa nascentia, lenta sunt, molliáque. At à matre segregata, duritiem nancifcuntur. Magnes nutritur ex ferri scobibus atomisque, iuxtà quod ipse nascitur, ac fine huiusmodi cibo consumitur.

Inest quoque lapidibus, metallisque sensus naturalis amicitiæ, inimicitiæque, veluti magnes, & ferrum declarant: Argentum viuum cum auro; lapis Astroites, & trochites, & alij multi, qui aceto perfusi sponte mouentur, excito spiritu.

De his, quorum materia est lentor, fluor, liquor, & Spiritus.

CAP. VIII.

De Plantis.

Art. 1.

DIxit deindè Sapientia, vt ad Mundi pulchritudinem ad animalium nutritionem, & sedes, & ad substantiam præstandam artibus terrestribus maritimisque, pluresque alios ad vsus, Plantæ nascerentur eo ex blando calore qui terram etiam mollem lubricamque fumosamque simul fecerat (vnde nec in luto sine spiritu & lentore, nec in arena sine mollitie spirituque fiunt) intrà cuius lubricitatem, quædam tenuitas cum retenta esset à crasso humore lentoréque exteriori, ab ipso separari nequibat. Idcircò secum ipsum extrahebat. At subitò cum exiret in superficiem, à circumstante frigore per aërem vagante, addensata est crassities: tenuitas verò intrà ipsam remansit: Quapropter in cupiditatem ibi viuendi, fatali necessitate incidens; eo quod ab exteriori frigus, calorque sibi dissimilis ipsam infestabant, ne deficeret esse suum, exhalante ipsa tenuitate inuisibili, ac imminuta remanente solidiori portione, cæpit eisdem ex locis, vndè ipsa prodibat trahere ad se, ac nutriri ex propinquis succis, reddendo illos similes tenuitati suæ, ac crassitiei, calore consumente deficientibus, quæ nimirum spiritus sunt, & corpus: qui spiritus quatenus calidus per se attenuat, fugitque incessanter ad solem cognatum, & per accidens animat corpus: sed quatenus factus est animasticus, per accidens exhalat ad solem; & per se nutrit seruátque proprium habitaculum corpus. Ac dum sursum peteret, cum sibi aggenerato, assimilatóque liquore terrestri copioso, dum plus transmutatur ex terra in propriam substantiam, quam ex propria substantia foras educatur à suo extraneóque calore in aërem; crescebat in stipites, ramos, frondes, flores, & tandem in fructus conuersa est. Etenim, & ipsa volebat cum aliqua sui diffundere portione, quæ nimirum in alteram se ipsam verteretur, ità quod moriens in sua simili viueret perpetuò, cum in se non posset. Hoc *A* etenim consilium Sapientia dedit Appetitui existendi illius ingenti, quem suis ex principiis, cælo, scilicet, terráque contrahebat.

Qu. 33. per totum.

Quæst. 33. art. 1.

Quæst. 33. art. 2.

Amor innatus, & illatus.

Amor generationis vnde oriatur.

A Deus natura, & Ars prebentes desiderium finis, prabent media, ac modũ perueniendi ad illum intrà & extrà opificium ipsorum; nec deficiũt, nec superabundant.

Lapis & metallum, eo quòd materiam densiorem habent, difficilè putrescentem, iniuriis resistunt magis, diuturnóque viuunt tempore: idcircò carent appetitu generandi natos similésque, nec sensum huiusmodi generationis habent; nam corruptionem propriam, duritiei propriæ confisi, non satis persentiscunt. Idcóque nec modum habent generandi simile, in quo viuant, cum ex ipsorum duritie decidi semen non possit. At Plantæ cum ex mollitie, duritie, ac spiritu componantur, qui perpetuò exhalat, ac propriam sentit destructionem in Planta, cõsumptionem partium solidarum, quæ illius sunt domus, instrumentum, & corpus, nactæ sunt potestatem, appetitum, sensumque producendi similes. *B* Propterea res putrefiunt *q.* quod calor natiuus à se ipso, vel ab aëris calore auctus, emollit, & relaxat, ac macerat partes materiei crassas, cui insidet, fluidásque in crassos vertit vapores; qui crassitie sua aggrauãt tenuitatem spiritus nostri, caliditate verò nimia vim eiusdem spiritus exuperat. Et hoc est fætor. Idcircò sal, qui calorem elabi facit, ac materiam indurat; idemque ipsum frigus interficiens calorem, à putrefactione præseruant. Igitur tellus putrescens in Plantas ac vermes conuertitur à calore retento intrà crassitiẽ, ac viscositatẽ: omniáque Entia nostra cum sint calida, meatus habẽt, porosque vndique inuisibiles, per quos ipse calor cũ tenuitate in aërem continuò elabitur propriæ originis nunquã oblitus. At quædã magis, quædã verò minus. Plantæ tamẽ plurimos habẽt poros, quapropter & aquæ supernatant:

Quæst. 33. art. 6. & 7.

B Causa putrefactionis non est eductio caloris natiui ab externo, vt Arist. putat; sed augmentum caloris superantis suam molẽ præter ordinem consuetum, vndè ipsam laxat, rumpit, vertitque partim in vapores crassos, qui nobis fœtent, eò quòd aggrauant sua crassitie tenuitatem spiritus nostri & calore

magna nostrum calorem exuperant: & hoc est fætor. Item generat vermes, ex relaxata mole, intra qua spiritus genitus denuò impetum facit, nec egredi potens, ipsum organizat. Quapropter ignis magnus vrit, nec vermes gignit cum retineri nequeat vaporesque elabentes attenuat sic, vt non proinde fæteant, cum fætor ipse crassus sit vapor.

paucis densissimis exceptis, nimirum Ilice, & Ebano, aliisque id genus, ex minerali terra nutritis.

Vacuitas & nodi arundinum & herbarum vnde.

Tempore generationis plantarum.

Æstas plantarum.

Generantur Plantæ quædam ex benè deuicta, lentaque terra, ità quòd multa tenuitas in medio crassitiei ipsarum reperitur, quæ illam eleuando dilatat, vndè fit vt stipites ipsarum perforati sint, ac quibusdam nodis distincti, occlusique interpositis quocunque spiritus interior impetum faciens impellit ipsas ad crescēdum, interpolatis sæpè viribus, conatibusque; quòd herbis multis accidere videmus: quæ cum sint fragiles, vitam non habent anno prolixiorem; propterea quod nimius calor æstiuus exitum spiritui ipsarum natiuo accelerat, partésque lentas exiccat, relaxatque viam virtuti earum. Propterea huiusmodi herbæ non multum crescunt, nec viuunt vltrà medium, vel totum annum, atque accelerant semen, quia mortem propinquam præsentiunt, sicuti frumentum, Auena, arundo, ac similes.

Omnes quidem blando generantur calore, ideóque vere quandò sol blando calore terram afficit, grauidátque, ipsæ assurgere solent; & similiter in Autumno. At vernales, Plantæ crescunt, quòd succedens Æstas fouet eas, cogitque crescere, ac semen maturare. Autumnales verò minimè, quia succedit frigus hybernum, cogens calores in radices, occidensque: tametsi quædam Plantæ radices densas, robustasque habeant, quæ à sole æstiuo, quamuis vratur stipes, seruantur in radicibus, ac postmodum vere germinant, veluti fœniculum & carduus, &c.

Plantæ aliæ perforatæ sunt, sed plenæ medulla, sicuti sambucus, & Robetum: ac huiusmodi viuunt ad tres, & quatuor annos, nec subitò semen ferunt, eo quod nascantur ex materia densiuscula, ac copiosiori, atque ex spiritu abundantiori, ità quòd calor æstiuus non illas omninò penetrat arefacitvè: sed augmentum cessare tantum facit, foras educendo partes molliores versas in fumum, quæ in ipsorum substantiam transmutabantur. Vndè fit vt crescere desinant: quandò tamen propè aquas natæ non fuerint. Attamen in Autumno perdunt folia, proptereà quod frigus in aère effusum, ipsas quasi vanas inuenit, educta spirituum magna parte. Quapropter calorem ad radices vbi fiat semen noui Anni proximi, reuocent, necesse habent de consilio Sapientiæ Dei. Quo calore non amplius trahente nutrimentum ad partes externas, folia, deficiente victu, minuuntur, ac pallescunt, eo quod à proprio extrunc óque calore coquuntur: Ac humor, qui caloris faciem tegebat, ac viriditatem faciebat, consumptus adeò est, quòd decidant priuata opibus oportet.

Amissionis foliorum ratio & retentionis.

Vita plantarum.

Quæst. 33. art. 3.

Aliæ Plantæ plures viuunt annos, puta viginti, triginta, centum, trecentos, &c. prout magis minusvè æquales sunt partes, ex quibus constituuntur, ac prout magis minusuè densæ sunt, potentes resistere nimio calori, nimioque frigori, quibus inimicæ sunt caliditates moderatæ omnes, à quibus viuificantur Plantæ, atque tardiores sunt ad sementandum, diuturnitati proprię vitæ confidentes: huius generis sunt Arangia, Quercus, Abies, Cupressus, Oliua, Pinus, dictas ob causas. Ideóque folia non amittunt, quod iniuriis reniti queant: nihilominus Quercus folia amittit, non autem Arangius, propterea quod Arangius materiam habet spissam, viscosamque, & æqualem ità extensam vsque ad ramorū extremitates. Idcircò calor inditus illis sua mole defensus non timet frigus æstumque externum; sed remanet in ipsa tota, nutriens, viuificansque stipitem, ac folia. Proptereáque non nascitur in frigida Septentrionali Regione, quod calor multus superans terrestrem molē copiosus ęqualisque requiritur ad concinnandā materiam in nutrimentum, ac vitam illius: quòd facere nequit, nisi copiosus calor, vniformisque robore, & actione: qui in Regione frigidiori reperiri nequit, vbi nec vites generantur, cum mole spongiosa, laxáque constent, quę non defendit calorem natiuum, pręsertim tempore Hyberno. At quercus quamuis materiam multam, duramque, aptam resistere circunstantibus malis obtinuerint, nihilominus viscosum, tenacemque ęqualiter non habent, sed extremitates ramorum teneras. Ideoque sēper sursum crescentes, quod teneritudo spōgiosa meatus habet apertiores, vndè amplius enutriuntur: qui Citriis Arangiisque non insunt. Propterea etiam defluunt quer-

cum folia, quòd extremitatibus inhęrent, & quibus calor in stipitem densum aufugit, frigore superueniente. Item nimius ęstus, quandò relaxantur, extrahit partem caloris natiui, tel inquitque imminutũ; quod non accidit Oliuæ, etsi fragiliori, quam quercus, propterea quod partes habet crassiusculas, vnctuosas, viscosásque æqualiter: Ergo & calorẽ per totã infusum abundè irretitũ defensumque qui non timet sicuti nec Arangius, nec lentiscus; qui tamen non adeò crescunt, quòd quercum adæquent, eo quod ipsorum calor ab extraneo imminuitur, & à viscositate interna cohibetur, veluti & hominibus contingit: cũ meridionales sint nigri, ac parui, eo quòd calor natiuus exhalat à sole eductus: Borealiũ verò à frigore externo cogitur, qui eos albefaciat augeatque. Abies ac Cypressus crescunt in altum, quià meatus habent rectos, plenósque roscida pinguedine, qua constipantur; nec vnquam foliis defluunt, nec ramos in circuitu expandunt propterea quod ipsorum gummosa materia facilè condensatur, nec in latera porrigi potest, sed sursum impellitur à robusto calore: nec folia cacuminum defluuns, veluti in quercubus, eo quod pinguedo viscosa seruat calorem in partibus quoque tenellis ac frondes paruę sunt ob calorẽ robustum, materiãque minus expandibilẽ, minúsq; fluidã.

Quòd Plantæ sint Analogicè animalia. Art. 2.

SVnt Plantæ ferè animalia, quoniã (Sapientia dixit) illa mouentur, quæ necesse habent procurare cibũ, ac nocumenta declinare. At Plantæ adeò crassũ habent corpus quod illas ab iniuriis tutetur: Spiritum quoque crassiusculum, humorésque obtusos, qui nutriri possent ex terrestri liquore. Idcircò remanent infixæ ad exugendũ illũ per radices, vbi nascuntur, nam & magnam copiam ibi inueniunt à Sole genitã cõtinuò similiter, vti genuit & illã, ex qua Plãtæ prius constitutę sũt.

Quæst. 33. art. 3. Albertus Magnus in lib. de Homine plãtas sensu donat cum Pythagora. Item Bal. A han. & Euse. & D. Thom. in Iob. 14. lect. 2.

Insunt Plantis radices, quasi bucca; caudex vt venter; rami vt brachia; frondes, vt capilli; cortex, vt corium, ac intus insunt fibræ, neruisque plurimi, pleni *B* spiritu, ac venæ plenæ succo, earum sanguine, ac deinde interius os durum, plenum medulla, qua nutritur. Igitur *q.* secto cortice toto per circuitũ, arbor arescit omnis, non autẽ si stipes, vsque, & vltrà dimidiũ feceiur, excepto subero ex pluribus corticibus cõstante, ob cuius intersectionẽ perficiendã oportet pertingere vsque ad vltimum corticem, cui subsunt venæ, ac nerui plenæ spiritu, ipsarum anima.

Quæst. 33. art 3. & 4.
A Plantas esse animalia immota dicimus, motu locali progressiuo tantum.
Quæst. 33. art. 4.
B Pars tenuis intrà corpus crassum dicitur anima plantarum, & brutorũ eo quod animat: foris autem spiritus est, hoc est ventus & aër: sed quià spirat & flat in mouendo corpore, dicitur etiam spiritus, ac manet sicut nauta in naui in corpore sua domo instrumẽtóque.

Edunt plantæ fragiles inopésque, & humiles, quibus se defendant ab animalibus, spinas; & quędam grandiores armantur quoque quãuis non sic necesse habeãt: quædam verò paruæ non armant, nisi semen; veluti frumentum & hordeũ aristis vtitur contrà passeres, licet & pilosa spinosáque excrementa contrà limaces habeant, vt & omnes herbę: at spinaces tribulis contrà ferusculas: viticæ verò aculeis; Castaneæ semen vestiunt æchinis spinosis cõtrà mures & glires: sunt & plantæ, quę nihil armantur, veluti multæ nationes hominum preliantur nudi, Vites, & Cucurbitæ, & cæteræ huius generis, quæ habent os tenerũ, debiléque sibi manus annulosas parauerunt, quibus complectuntur Palos & Arbores fortiores queis fulciantur: hedera verò barbas emittit, quibus cuilibet porositati infigitur. In omnibus tandem inuenitur mirabilis impressa diuinitùs ratio, ac ordo nascendi, viuendique à prima Sapientia indicus, Item discretio nutrimenti proficui à noxio: hilaritas adueniente pluuia post æstum: sympathia, & antipathia mutua, & cum cæteris Mundi rebus, etiam cęlestibus, vt patebit.

De partibus plantarum analogis animalium partibus.
De defensiuo & offensiuo plantarum.
Quæst. 33. art. 4.

De fructificatione. Art. 3

FRuctificant *q.* plantæ omnes sub vere, propterea quod tunc ab appropinquante Sole sopitus ipsorum calor, ac veluti in veternũ deiectus, excitatur, fouetur-que. Calidis nutriuntur pluuiis, proptereáque eo in tempore, vel prius aratur & foditur circà eas, quò solares radij possint faciliùs ad ipsarum radices penetrare, virtutemque illarum viuificare, terram fundere, & liquores generare, ex quibus nutriantur, epulenturque. Tunc calor ad extremitates effusus, adiuuante Sole,

Quæst. 33. art. 8.
Cur vere fructificatio.

extrahit fumum, liquoremque per venas benè digestum, qui nimirum sunt pars absoluta magis, magisque decocta ipsius arboris: quæ mox in molles conuertitur flores; qui itaque olent omnes: cum odor sit vapor benè digestus à natiuo calore, nostro spiritui similis. Ità prius flores Amigdala, hinc frondes emittit ad tegendos flores, ne à calore nimio, aut gelu lædantur, at cæteræ plantæ quasi prudentiores non subitò florent, sed prius spinas emittunt gratia defensionis, deinde folia ex crasso humore: deinde sub foliis flores ex magis decocto attenuatóque sudore qui cum ex tenuiuscula constituantur mole, expanduntur multifariam: Cumque viscositati irretiti adnascantur, ipsam secum extrahunt; quæ postmodum in fructum conuertitur macerato iam flore, euanescente calore, ac fumo gracili, quem insequitur crassus, materia fructuum.

De fructibus.

Art. 4.

Quæst. 33. art. 8.

FRuctus in centro suo optimam sui portionem habet, vbi temperie natiuus calor, & entitas, & Idea plantæ seruantur: hanc adiacens durities tegit ab iniuriis, quæ respondet Ossi plantæ, sicuti nucleus medullæ, ac substantiali puritati: duritiem ambit pulpa respondens carni ipsius plantæ, apposita vt defendat, nutriatque semen, quod & decisum ab arbore non exiccetur aëris iniuria. Cæterum semina grandiora ac solidiora non indiguerunt tanta pulpa, sed ossea tantum cortice, sicut glandes, & castaneæ; quæ & spinosam induerunt vestem contrà glires ac mures. Arbores prolixioris vitæ solidiorisque materiæ ferunt pleræque semen absque pulpa: quo & animalia vescuntur. Sapientia enim non modò plantarum propagationi prospexit sed, & animalium nutritioni, scilicet entium perfectiorum. At fructus continentes plura semina parua, nascentesque fragili ex materia, veluti vua, ficus, & pepo, &c. pulpa indigent magis ad sui defensionem, qua & nos vescimur.

A Entia imperfectiora sunt gratia perfectiorum. Ergò plantæ gratia animalium: animalia propter homines. Homines propter Angelos, &c.

De Maturatione. Quæst. 33. art. 8.

Plantæ fragiliores q. æstate maturant semen, propterea quòd Sol ipsas penetrando adiuuat conceptionem, & absolutionem seminis. Ac mox aperit, euanescere facit tenuitatem: atque mortem accelerat. Robustiores verò maturant in hyeme, veluti Oliuæ, Arangij, Cypressi, Lentisci, Castaneæ, &c. nam calor æstiuus hoc tantum valuit, quippè mouere virtutem, ac densum humorem ipsarum ad fructificandum nutriendumque fructum: non autem ad maturandum. At superueniente brumali frigore, calor fructus atque arboris vnitur. Itaque coquit auctus, ac maturat pleniùs fructus, sed in aliis citius in aliis tardius: nam lemones & Arangij vsque ad nouum Veris calorem non maturant, eo quod copiosa, densáque, & acida ægrè coctibilis materia ipsorum sit.

De seminatione, & foliorum defluxu.

Absoluto semine caloris natiui, atque æstiui ope, superuenit æstus, exiccat humorem, qui perpenduneulos fructuũ instillabatur in alimentũ fragilibus in plantis, itaque decidit in terram ipsum semen, sicuti & folia: quo operto à pluuiis, & agitationibus terræ, & à frondibus, vnitur calor eius, totoque Hyberno tempore roboratur, propterea quod niues ac glacies ipsum ad ima cogunt efficiuntque radices altas defigere, ac mox fructificare melius; si tamen frigidissimæ non fuerint, ita vt occidant, veluti in Germania & Moscouia, vbi propterea seminant in mense Aprili, & colligunt in Iulio nobiscum, nam prolixitas dierum ibi recompensat amplitudinem temporis Regionis nostræ. In qua accedente vere, calor natiuus seminis à Sole excitus, foras effunditur, trahitque viscosam portionem, in qua erat irretitus, ac regressus cum ea incipit plantam efformare. At in principio nutritur ex pulpa, quæ putrescebat iuxtà ipsum tanquam ex re similiori, ac proficua magis suæ teneritudini (nam & ad hunc vsum ipsa deseruit) deindè vero ex terra huiusmodi per putrefactionem disposita in liquorem similem ipsi ope

Solaris attrahit, surgit, nutritur, & crescit. At veluti operabatur in matre sua efficiendo stipites, ramos, cortices, frondes, ac flores, illósque nutriendo: ità operatur in conuertendo propriam molem ac terram adiacentem in Plantam: seruat enim Ideam, ac similitudinem suæ genitricis: quæ ab Idea primæ Sapientiæ originem duxit. Itaque discit nutu Dei operari, & esse proprio modo, ac similem generare veluti mater operata est, ac genuit, iussu, consilióque diuino, autore naturæ, artis internæ rerum. Peritus Cytharedus nil immoratur cogitando ac cōsiliando, quo pacto Fides Cytharæ pulset, alteram post alteram: hoc enim consilio vtebatur quandò discebat. At subitò pulsat ex arte quamcunque Musico ritu absque noua consideratione, propria tytonum: Ità & natura Ars diuina non vtitur nouis consiliis in producenda hac, vel illa Planta, & in distinguendis partibus, ac figuris earum, cum non sic addicens, sed iam docta à non errante sapientia ad exequendum. Si intrà stipitem esset Ars fabricandi nauem, arbor cresceret in formam nauis. At quià inest Ars formandi Plantam, crescit in formam Plantæ; ac Plantam generat, in qua concluditur: vndè aduenit mirifica harmonia ex necessitate calorum à Solis reuolutionibus; qui nimirum nolens, casu quodam tot res generat, sicuti prouidit Sapientia, cui nihil est à casu, cuiusmodi nobis ignorantibus aut nolentibus dicitur euenire. Sapientia enim omnia voluit, ac sciuit antè sæcula. Non ità sol tellus, & ipsorum Entia, sed aliquid, veluti placuit summo Enti in contuendo tantam herbarum varietatem, arborúmque tot formis distinctarum, ac viribus; quæ perpetuò frondent, florent, ac fructificant in orbe terrarum, at non eodem in Climate. Ver C etenim Æstas, Autumnus, & Hyems, accessu recessúque Solis in diuersas Regiones effecti, diuersas vicissitudines, hoc est, tempora rerum ferunt ac perpetuò huiusmodi vicissitudines sunt alibi semel, alibi bis in Anno. Item omnis hora & omne tempus perpetuò. Quapropter qui omnia vidèt voluptate longè abundantiori quam nos qui vnam modò vicissitudinem præsentem habemus, oblectantur: & veluti aliquæ Plantæ Sapientiores distinguebātur in sexum maris & fæminæ, sicuti Siliquæ & Palmæ: D Aliæ verò cum Sole gyrabant, sicuti lupinum & heliotropium, spiritu Solari magis donata: Aliæ verò latitudinem eius motus imitabantur, vt salices, & oliuæ: Aliæ amicitiam seruabant mutuam vt Mirtus, & Oliua: Aliæ inimicitiam sicuti Brassicæ, ac Vites: Rosa & Cæpa, vt putà contrario donata temperamento, dixit Sapientia.

D. Thom. 2. Phys. lect. 12.

C Sub Æquatore in Martio, ac Septembri æstas fit in aliis verò Climatibus semel in Anno post tropicos. Intrà bis sed nō æqualiter, simul est dies nox meridies, & prima & secunda, & omnis hora in aliis Regionibus circà terram. Similiter æstas, hyems, & media quæque tempora omnia sunt simul.

De plantarum sensu & dissensu inter se & cum cælestibus. Quæst. 34.

De Animalibus.

CAP. X.

De origine & structura animalium organica generatim.

Art. 1.

VT quoniam nequirent, propter immobilitatem exercere animalia hæc immota affectiones cunctas, fierent & aliæ Plantæ mobiles. Quoniam verò motus est caloris operatio, calor verò moueri nequit, nisi in tenui, agilique subiecto, præcipiente Sapientia, ingeneratæ sunt tenuitates, vocatæ spiritus intrà terram liquidam, viscosam, lentam, duramque, expeditæ ab ipsa magis, quam spiritus arborei, quæ mox in ea agitatæ ac exire non valentes vel timentes, simulátque cohibitæ ab aëre, qui insufflabat intra meatus illos, ex quibus ipsæ tenuitates exire contendebant; interclusæ remanserunt. Quoniam verò ab huiusmodi inspiratione retrusi spiritus intrà molem, in qua generabantur, consumebantur se ipsis suamque molem attenuando, ac ædificium corruebat; cæperunt circumagitari, atque in longum extendentes se molemque ambientem, quam ex terra segregarant per agitationem, aut alia ex materia, cui innascebantur, simul organa quædam effor-

Quæst. 34. per totam.

A Inspiratio in exordio, viuificat Animal, deinde verò conseruat.

Occasio nutritionis, cur & quomodo fiat.

mare, ac foramina, per quæ non modò ipsi ex aëre sibi simili, sed etiam opificium, quod corpus vocatur ex consimilibus corporibus nutriri, instaurarique posset. Calor quatenus calor perpetuò agitatus calefaciensque omnem cui insidet, molem vertit in tenuitatem, consumitque in ea exhalando: quocircà prouidus instinctu Dei spiritus interponit alia corpora intra illud, eàque calefacit, & immutat in illud ea ratione, qua propriam concinnauit molem; Itaque ea illis similia reddit aggeneratque. Dehinc enim per meatus occultos in eas transfundit partes, ex quibus particulę attenuatæ molis exhalabant, vt ibi illarum suppleant locum. Cúmque maior copia transfunditur in corpus, eius instaurando substantiam, quam ex ipso exhalat, in tenuitatem cõuersa, fit augmentum; cũ minor, decrementum: dum verò æqualis, fit status, ex quibus vicissitudinibus periodus vitæ constat. Idcircò omne corpus viuum indiget nutrimento, omnisque spiritus viuificans B effingit corpus cum organis aptis ad vitam huiusmodi.

Quæst. 58.

Quatruplex organorum ratio; ex tribus Primalitatibus seorsum, & simul.

Quorum organorum, alia spectant ad Potestatiuum, ex quo habent Ideationem; alia ad Cognoscitiuum: alia ad Volitiuum: quibus addita sunt communia pertinentia ad Motiuum, ac proindè ad Exequutiuum.

De exequutoriis. q. 61.
De Appetitoriis. q. 56.

Itaque exequutoria idest Pedes, motus arbitrarij gratia ad quæritandum alimentum, ac fugiendum inimica. Manus, atque os, ad suscipiendum tractandumque: Addens Appetitoria, vt ventriculum, visceràque ad coquendum: Iecur ad perficiendum distribuendumque per canales omnes membris omnibus: Cor ad conuertendum in spiritum: Pulmonem ad accensionem retentionemque ignis natiui, quo omnia opera naturæ perficiuntur: & foramina ad purgandum; interior spiritus, actus Necessitate Fatóque Dei in Harmoniam, efformauit.

De Potestatoriis. q. 38.

Item Potestarotia primum organa, hoc est ossa ad sustentandum statuam: ligamenta, neruosque ad colligandum. Vasa ad continendum spiritum & humores: Corium, carnemque ad muniendum, & defendendum à nociuis: Cornua, vngues, rostrum, dentes, ad pugnandum contrà hostilia, mirificè ædificauit.

De Sensoriis. q. 34. art. 4.

Quoniam verò inter Entia amica, & inimica, apta ad instaurandum, fouendumque, & imminuendum, contristandumque natus est spiritus, ipsumque animal; spiritus tenuis fuit idoneus ad mouendum, sentiendum, ac patiendum omnia, suam ob tenuitatem mobilem, passibilemque, ac dum tangeret res infestabatur, si inimicæ erant; si verò amicæ, seruabatur: Sapientia, quæ per necessitatem docebat illum artem fabricandi corpus, instruxit quoque vt sensoria aliqua idest oculos & Aures ædificaret: in quibus non res ipsas, sed lucem aëremque à rebus affectos à longè mouentibus, perciperet, ac Cognosceret quæ vtiles, quæ ve noxiæ forent.

Quoniam verò ex rebus non modò lux, motúsque in animal, aduenit, sed etiam tenuitas, quę omnibus ex rebus, cum omnes sint calidæ, expirat, vocata odor; aduenit etiam calor, ac frigus extrinseci rebus, intrinsecique, qui nomen saporis habet, debebatque cum ipsa mole suscipi in ore, vt sentiretur; suasit etiam nasum & linguam fabricari, in quibus internam substantiam, aut exhalantem, quę est odor; aut permanentem, quæ est sapor, sentiret. Proptereáque tot vias, totque cognoscendi organa sibi spiritus affinxit, quot sunt sensibiles res ex obiectis venientes ad potentiam sentientem. Igitur alia sunt organa motus, alia potestatis, alia sensus, alia nutritionis, quoniam ex Potestatiuo & cognoscitiuo & Volitiuo corporatis essentiatur animal.

Quid anima & quid corpus. Quæst 38. art. 6. Iuxta omnes Philosophos.

Hoc compositum substantiali vnione ex spiritu & corpore in partes, organáque distinctum, appellatum est animal. Anima enim est ipse spiritus agens, tenuis calidus, mouens, & sentiens, & appetens: corpus verò substantia est, & instrumentum viuum organizatum, siuè Domus, & tegumentum, in quo operatur, actionesque tot edit, totque modis, gratia se conseruandi cum illo, ea in entitate, quam casu, respectu sui, sortitus est: ratione verò respectu illius sapientis Opificis qui per necessitatem & Fatum, elaborabat in Mundi harmoniam. Hoc sic esse factum est natura animalis, propterea quod in natiuitate sortitum est illud.

De gradibus animalium, & ratione eorum ex motu, & structura percepta.

Art. 2.

q. 34. art. 4. Vtrum sint quatuor gradus An m

De Ostreis, conchiliis, & spongiis.

ANimalia quædam sola dilatatione,& cõstrictione mouentur, veluti spongia, ostrea, & conchilia, quæ falsò ex humore in lapidibus nascuntur marinis: sal enim cum luce acumine suo ingenuit spiritum intra crassam limositatẽ copulorum sppositam: hic verò corpus formauit molle ex adnato humore solidiusculo. At crassities eius, quæ scopulis impacta erat, agitata, segregata, mouente spiritu, & incrustata est, vnde spongiæ tãquam animatæ Plantæ, duritiei colligatæ remanserunt. Carnuminũ spiritus eiusmodi motu contentus esse potuit. Dixit .n. Sapiẽtia, quòd nutriendus esset ex marino humore, qui nunquã in loco, vbi nascitur defecturus esset.

De Limacibus.

At ex spiritu intra fluorem terrestrem circundatum à mollitie viscosa, indurationi apta, ortum habuere lymaces: namque ipse agitatus in gyrum, nec egredi ob inimicũ valens efficit ex humido ipso mollique spiras multas: quæ mox agitatæ magis ex ventre illo terreo, in quo creantur, sequestratæ sunt. Itaque à frigore & calore vicissim agentibus indurata est extremitas ipsorum, quam circumducunt vectántque persentientes humidum nutritiuum in terra, ex qua nascuntur, defectũrũ propter recessum, accessúmque solis, nunquam eodem modo eandem rem temperantis. Hinc animal huiusmodi moueri cæpit, & non stetit, ac Sapiẽtia dixit, ipsorum teneritudini non conuenisse domum minus solidam. Vbi verò spiritus genitus est intra lubricam materiam, quam non renitentem extendit, non in gyrum, sed in longum, agitandoque ex communi mole sequestrat; nec benè vectare potẽs, in annulos duros, mollésque distinguit illam; cõstantem ex membrana illis idonea, itaque dilatando ac cõstringendo annulos, concinnat, temperatque ad suum vsum. Igitur huiusmodi vermes dilatationi & constrictioni apti sunt propter mollitiem cohærentem duritiei: sub qua etiam collecti se defendunt.

De Annulosis insectis.

Ratio motus Reptilium & Natatilium.

De Reptilibus & Serpentibus.

Quæ verò æquè dura fuerunt, sicuti serpentes, Pisces, & alia squammigera animalia, aliam mouendæ suæ domus rationem diuina ex prouidentia sortita sunt: nã cùm habeant ipsa intrinsecus spinam, distinctam in vertebras multas, consolidatas, aptas gyro, non autem constrictioni annulorum, in quibus mollities intra duritiem extrinsecus insinuatur: munierunt terrestria se se pedibus cartilaginosis, ac breuibus æquè latisque, sicuti serpentes: aut manibus, vt lacertæ. Aquatilia verò, ac volucria, alas Deo duce sibi finxerunt. Quæ expansæ mobilis spiritus impetui commoditatem præbent, adnitendi, sustinendique se in liquido solo; ac leuitatem continendi se ac transiliendi in complectendo aërem, & aquam multam pinnulis interioribus. veluti muscæ, taphani, scarabei, sardæ, ac tinchæ, manifestant. Iussit proinde Deus, vt animalia fierent perfectiora, magisque recedentia à Plantarum natura (nam in complenda statua eius non licebat de extremo ad extremum, nisi per medium trãsire) ita quod Equos, Cete, Aquilas, Elefãtos, aliaque innumera voluit fieri in mari, & in terra, & ex spiritu copiosiori, robustiori, plusque sapientiæ Primalitatis participante. Itidem ex materia benè transmutata, ac variata, alienatáque ex materna terrestri. Item præstantiori lõgè artificio composita operepretium erat videre, ac contemplari huiusmodi machinas animatas. Idcircò laudauit eas Deus tanquam bonas, & pulchras, non autem malas vllas: veluti aiunt, qui ignorant ipsarum finem & vsum, similitudinem, ac differentiam inter se, & cum toto. Itaque in Mari tot Entia genita sunt, quot in terra, siue à Natura, siue ab Arte, vnde & Piscis Episcopus inuenitur, & Atramẽtariũ, & Lorica, & Catena, & Priapus, & Pileus, &c. In terra verò quot in cælo sunt Entia. Quot autem in cælo sunt, eminentius sunt in Ideis Angelorum: eminentissimè verò in Deo datore entitatis, potestatis, cognitionis, & amoris rerum, nobis notarum magis in animalibus similibus nobis, quam alibi: quibus omnes repleuit *A* Regiones, prout Hominibus opus erant, & ipsa seruari poterant, & mundi requirebat formositas: digna quidem quæsitu, & inue-

De Natatilibus in Aqua & Aere.

De perfectioribus gressibilibus, & volatilibus.

A In Apulia boues: in Capadocia Equi: in Arabia Cameli: in Africa Elephantes: in Quatra consimiles bestia &c. & in &c. necessaria sunt.

S. Bas. in Hexam.

ſtigatu per vias in Mari & in Terra à Deo paratas, quo omnium Rerum participes ac cognitores facilè eſſemus in gloria eius.

Rationes vniuerſales quòd omnibus in Rebus ſenſus inſit, extractæ ex primo libro noſtro de ſenſu Rerum.

Art. 9.

DIcebat æterna Sapientia operepretium fuit, quòd rerum vniuerſitatem Potentia, ſenſu, appetituque donauerim. *A* Nunc enim Animalia ſentientia ex non ſentientibus elementis minimè fieri poſſent.

Item perfectio opificij mei requirebat, vt ego quodlibet ens tanto ſenſu ditarem, quantus rerum conſeruationi ſufficiat in entitate, qua me imitantur, *B* fruſtrà etiam aut non propium appetitum eſſendi rebus largitus eſſem, niſi etiam noſſent quid proſit, quidque obſit ipſarum vitæ, vt illud appetendo aſſequi, iſtud odio declinare queant.

Item diſtinctioni Rerum ita neceſſè fuit: quod nec ignis ſurſum peteret niſi ibi noſceret ſimile, quo cum ſeruatur, corpus eſſe; nec afficeretur dolore ab inimica terra, niſi ipſam ſentiret; nec itaque aufugeret. Item nec tellus deorſum tenderet, vbi quieſcat: & delectetur, delectatione in ea exiſtente, & non in alio: ergo ſenſu in ſe, non in alio, qualis in ſagitta. Nec enim ego appeto, quod ſcis tu.

Item nec vacuum attraheret ad ſe plenum, niſi pernoſſet ſuum eſſe defectum manere inane. Item nec aër, nec aqua accurrerent ad replendum vacuum, niſi ſentirent diuiſionem Animali mundano inimicam vnitatis, ergo & entitatis, deſtructiuam, aut propriæ dilatationis voluptatem. Item nec materia agentibus cauſis obediret. Item nec frigus contra calorem armaretur, niſi ipſum ſentiret ſibi inimicum eſſe. Nec proindè alterum contrariorum in alterum ageret, nec ſubindè generatio & corruptio fierent: nec Sol verteretur in gyrum, nec terra ſtaret: ac vbi primò creata ſunt principia actiua, ibi remanſiſſent in *C* Chaos. Item ſi ego ſubtraherem illis ſenſum, in Chaos reuerterentur, veluti accidit hominibus, cum ego illis conſilium aufero propter peccata eorum; quin longè deterius. Sentiunt ergò alia magis, alia minus, prout magis, minuſque opus habent vt me imitentur in eſſendo. Itidem ament omnia viuere in proprio eſſe præcognito vt bono, ne corruat factura mea: ſed amet me, entis fontem pluſquam ſe riuulum: quantum enim habent de bonitate tantum de amore: quantum de veritate, tantum de ſapientia: quantum de vita & Eſſe, tantum de potentia participant.

Et ſubdidit, non deceat vnquam me operibus interioribus rerũ Angelos deputare, qui ſint lapidum, Plantarum, calòris, frigoriſque motores, aut vires internæ, cuiuſmodi anima corporum humanorum, brutorũmque. Etenim vileſcerent pulchræ intelligentiæ, & iniuria fieret animalibus. Quæ autem ſint nobilius Opificium, non habent intus cauſam actiuam operationum illis naturalium niſi calidum ſpiritum. Quare non conueniat ventos, lapideſque Angelos habere motores internos, qui etiam edant eas operationes, quas ipſorum formæ ſubſtantiales dum ſentiant, edere poſſunt, nec defraudandæ ſunt ſuis actibus; & ſolo inſtinctu exteriori agantur vt agant, ſed ſimul agant.

Itẽ nec Angeli obedire noſsẽt, niſi ſentirẽt iuſſionẽ. Item nec deceat rebus ſubtrahere operãdi facultatẽ, ac me operari abſque ipſis, quod ab ipſis opus modificari cõgruũ eſt. Igitur omnino conuenit omnia sẽsũ naturalẽ habere aliã clariorẽ, vt cælũ vẽtus, & animalia: alia verò obſcuriorẽ, ſicut tellus, Plantæ, lapides, oſſa, quòd tamẽ ipſorũ amicitia indicabit, & inimicitia, naſcẽtes ex notitia ſimilitudinis, diſſimilitudiniſque inter eas. Nec *D* omnia organis indigebunt ad ſentiendum cum hæc requirantur ad deferendum a lõgè rem ſenſibilem & introducendũ ad intus ſentientem portionẽ. At liquores & vapores vẽti tãgendo ſentiunt: Itẽ facilè declinãt malũ. Plãtæ quoq; ac lapides exili sẽſu prædita ſũt. Ideoq; parũ dolẽt. Itẽ

Vide lib. 1 de Senſu Rerum, & Apolog. pro illo ex omnibus patribus & philoſophis & hic. q. 4. ar. 1. 2.

A Nullum Ens dat quod non habet, quidquid eſt in elementis eſt in elementatis, purius, aut eodem modo, aut alio, præter compoſitionem, qua ta non reſpõdet Ideæ opifici. B Nihil appetitur, niſi præcognoſcatur: nec cognoſcitur, niſi poſſit cognoſci, nec poteſt niſi ſit. Ergo in eſſentia fundatur poteſtas cognitio, & appetitus. eſſendi, & operandi.

Prima ratio *ex animalium ortu.*

Ratio ſecunda *ex rerum conſeruatione.*

Ratio 3. *ex appetendi pot.*

Ratio 4. *ex rerum diſtinctione & motu.*

Ver. q. 22. 1. D. Tho. ex Dion. 4. de d. n.

Ratio 5. *ex vacui prohibitione.*

Ratio 6. *ex materiæ appetitione.*

Ratio 7. *ex contrariorum actione.*

Ratio 8. *ex ſeparatione.*

Ratio 9. *nè ſint ociosi Motores.*

Occurrit obiectionib. Qu. 24. art. 1. & 2.

Omnia viuunt. Eccl 42.

C Rectè dixit Anax Mentem diſtinguere chaos, & generatione facere: ſin. ab illa ſenſum non participari contraria, non agerẽt inuicem, ac proinde nec generarent, nec res propria loca peterent: ergò in chaos, confuſè permanſiſſet, aut remanerent.

D Th p. 2. q. 105 a. 3.

Omnis creatura amat plus Deum quam ſeipſam. Amat autem, quia ſentit. Hier. in Mat. 8. *Omnis creatura ſentit creatorem. D. Nec Deum, nec Angelos, conuenit eſſe formas naturalium vt Rab. Moyſes vult: nec eas facere operationes quas naturales formæ operari poſſunt, vt Mahometes vult, ſed id quod formis eſt impoſſibile: atque ipſi ſicut Miniſtri Dei exequuntur, vt probatum eſt in 2 Metaph.* Ex Hier in Mat. 8. & Ezech. 10. *Occurrit obiectioni.*

iuxta se habẽt alimẽtũ, nec indiget à lõgè quærere, nec ergo à lõgè sẽtire: ergo nec organis visus & auditus, & huiusmodi. Itẽ nec indigẽt pedibus ad motũ, nam hi requiruntur ad vsum spiritus inclusi intra machinã grauem, cuius medietatẽ firmando super vnam vt in homine, aut plures bases, vt in boue & centipede, mouet alteram medietatem, super quam mox inhæret vicissim ad mouendum alteram. At Aër, aliaque Entia similaria absque renitentia grauitatis mouentur, & absque indigentia fulcimenti. Pisces & Aues super Alis vicissim sustentantur, aggrauantibus Aërem. Sensus ergò non est oculorum, aurium, aliorumvè organorum, sed ipsius spiritus, ac principiorum rerum ipsarum: & idem est dicere res non sentire, quia non habent sensoria, ac ventos nõ moueri, quia non habent pedes. *D* Datur itaque sensus naturalis, quo malum ac bonum percipiunt, vnde fugiunt, aut sectantur: Animalis verò addit speciem sensilis rei, & extimationem vt participio rationalis est, non vt sensus est. Rationalis sensus, discursum, intellectualis ideas vniuersales, diuinus omnem cognitionis fontem.

Comparatio analogia.

D Si Mundus Animam habet, quam S. Aug. lib. Imper. sup. Gen. ad lit. & S. Basil. in Hexam. dicunt cum Platonicis, adhuc etiam opus est, & sensum particularem suis partibus adscribere, & vnicuique Animali propriam Animam, sicut enim Vermes in ventre Hominis proprium sensum animamque habent, non autem intelligente: sed sen- sicut iecur, cor, ner-

Animalia ergò sunt intrà mundi ventrem, Animalis magni, sicuti vermes in ventre ipsius Hominis, qui Hominis Animam non intelligunt, nec Hominem sentire putant. Deputentur nihilominus Angeli gubernationi Animalium omniumque Entium, in quo ipsorum essentia non sufficit, aut non cognoscit. Item & operationibus supra ipsorum naturam; omnisque species & communitas proprio Rectore donetur. Regiones verò singulæ vno, aut pluribus. Verumtamen humanæ speciei cogitauit singulis indiuiduis propriũ assignare, antequã oriretur tũc homo.

rationalem vt homo: ita nos & animalia in ventre Mundi non animamur anima mundi sum à sensu Mundi contrahimus, vti calorẽ à calore Mundi, & cæteras qualitates aliter cõcinnatas: uus: aliaque partes nostra sensu corticis varie concinnato participant.

De origine Hominis.

Art. 4.

q 54. per Totum.
q 61.
q 54 art. 2. & 3.

CVm laudans Deus, quam oportunus fuerit sensus rebus instigatis, *A.* actis ad operationes, & actiones ab illo, quem ex natura, seu natiuitate sortitæ sunt: subdidit, vt ad propriam similitudinem, & imaginem fieret in complementum totius opificij ens quoddam, in quo contineretur quidquid omnibus in rebus magnam statuam integrantibus, reperitur. Idcircò iussit ex terra fieri Animal constitutum ex corpore maximè absoluto, ac concinnato, ex spiritu maximè perfecto ac præstanti super cætera Animalia: organisque distinctum gracilioribus, artificioque præstantissimo conditis. Quod nimirum vultum in cælum haberet erectum ad contemplandam magnam diuinam statuam, artificèmque admirandum. Ideóque pedes anteriores conuertit in instrumentum quoddam, mirifici artificij, vocatum Manus, quo illud vti volens rebus statuam componentibus, corpora ad libitum tractare posset. Adeoque huiusmodi opificio delectatus est, vt præter vitæ spiritum communem huic, cæterisque animantibus, voluerit imm ittere *B.* Animam à se immediatè creatam simplici emanatione absque materia, ab eo dependentem sicut & Angeli creati sunt, vt esset immortalis. Entia enim à calore, & frigore mortalibus agentibus genita, moriuntur omnia intra corpoream contrarietatem; ex qua diuinitus condita Mens eximitur, quia simplex, & quia à Deo, & quia non componitur sed essentiatur, Potestate Sapientia, & Amore indissolubilibus per realem identitatem, contrarij expertem; & coinexistentiam mutuam essentialem, vnde vita est, & non participio vitæ, sicut spiritus corporeus has Primalitates participans. Hoc Animal Homo vocatus est. Mox distinctus est in duplicem sexum à Deo quatenus generare posset, veluti & alia Animalia ob hoc ipsum distincta erant.

A Alius instinctus supernaturalis, vt in prædestinato, alius violentus, vt in sagitta. Alius directiuus vt in Basilo à Rege: alius Naturalis ab innato Appetitu. Ad ignotum autem sibi finem nemo impellit, nec impulsum it, sicut nec sagitta ad scopum it, nisi à vi cognoscente iacta. Quoniam verò natura omnis est Art, aut forma essentialis indita rebus, omnèque Agens naturale propter finem agit præcognitum, necesse est, quod Ens omne sentiat, noscatque. Atque instinctum esse impulsum sentientis virtutis. Item & inesse in his, quorum finem cognoscens: appetitus eiusdem finis: alias essent naturalia mouerentur,

Appetitus est finis, Igitur & cognitio eiusdem: nec ponenda est intelligentia solum animavè mundi, petitus verò & non etiam sensus in ipsa re operante. Idem enim ens appetens, cognoscensque sit oportet sent sicut ego, & tu: quorum non potest alter appetere, alter verò nosse simul eundem finem: vel tur, vt sagitta. Vide in Metaph. quid contra Auic. Aphrod. & Arabes de hoc scripsimus.

B. *De immortalitate Animæ humanæ rationes quinque.*

De perfectorum Animalium origine, & modo multiplicationis, & aliorum differentia.

Art. 5.

Q. 24 art. 3.

A Auic. Epic. Diod. Democ. & alij asserunt Solem posse hominem producere: at rationes nostræ contrarium docent. Præterea saltem aliqua in Regione nasceretur Homo aliquando, sicut Mus. At nunquã hoc conspicitur, nec historia certa id narrat, nisi per coitum propagare. Sic Auer. affirmat, qui & Arcã in hoc dignificat, & Homines semper fuisse ab æterno. Cæterum quia Homo ex elementis constat, elementa verò tempore antecedunt elementata. Igitur primus Homo à Deo factus ex elementis contra Auer. & Arist. hoc negantes. Nec Homo coæternus Mundo sit, cum ex elementis & cum tempore constituatur post ipsa.

NON poterit (dicebat Sapientia) Sol Hominem *q.* generare per se, non Elephantem, nec perfectum aliud Animal, etenim moderatus calor agens, iuxta mensuram Ideæ Humanæ, aliarúmque rerum, in me præexistentis, requiritur æqualis, diururnus, ac multis vicibus partibusque vario temperamento donatis, laborans ad architectandum opificium perfecti animalis: Sol autem si motum sistere ob hoc deberet, vim pateretur. Item vbi stabit, comburet: vbi verò aberit, præualebit frigus destruens omnia. Quapropter permittatur soli suum continuare cursum, sicut cœpit. Sic enim ea generabit Animalia, ad quorum constitutionem vnus dies, aut hebdomada, aut mensis sufficit, aliáque entia paruo artificio, indigentia. Ego verò viam inueniam, qua perfecta Animalia reficiantur perpetuò ex se ipsis succedentia. Hinc diuisi omnia in masculum & fæminam, illum calidiorem robustiorem, aptum ad agendum, ad defendendum, & resistendum: hanc minus calidam, debiliorem, aptam ad compatiendum, nutriendum, fouendumque teneram prolem. Masculum similauit Soli; fæminam telluri: vt pars totum, & effectus causam referret.

Diuisio sexuum ab Autore Naturæ, non à sola natura potuit esse.

De propagatione prolis animatæ, & fœtus formatione mirifica, & vsu Partium.

Art. 6.

Ratio genitalium partium.

QVapropter deindè veluti Sol calore suo grauidam fæcundamque terram reddit, ita masculus fæminam grauidaret, cumque is non esset satis potenter virtutis diffusiuus, sicuti Sol, canalem similem radiis ipsius accepit, per quem semen effunderet, dum in vterum feminæ intraret. Atque quo excitaretur semen ad exitum, indiguit aliqua commotione, qua effunditur in vterum fæmineum: qui introrsum constitutus, actusque veluti marsupium contrahitur, & corrugatur, auiditate fruendi blando seminali calore: ac ita obseratur, vt nec stylus quidem gracillimus ingredi queat: tanta est voluptas ibi à sapientia indita. Etenim noluissent ad huiusmodi copulam hæ duæ Animalis portiones conferri, in qua spiritus, ac substantiæ partem amittunt, languidioresque fiunt, eo quod careant virtute pura simplici robustáque, qua *A* Sol exuberat, ideoque se ipsum effundendo, non minuitur, quia non emittit simul propriam corpulentiam. Quapropter vt allicerentur de fonte summi Boni voluptas eiusmodi conuentionis instillatur quæ nimirum fit à mutuo consimili calore vtriusque partis, altera, alteram fouente; atque ex transitu caloris mordacis per neruosam substantiam minus calidam. *q.* Ergò cum semen animosum abundauerit, atque spiritus in vasis mordicatur à nimio collectoque calore occluso, hinc titillatio oritur, appetitusque declinandi mordicationem. Hinc in sui consimilis confricatione pars robustior delectata pruritum extinguere simul cupiens agitatione quadam semen emittit: hinc & frigidior fæmina semen emittit intra proprium vas, vbi nimirum opus erat, ipséque mas in idem; ipséque vterus concluditur, intus calescit, ita quod semen liquescat. *q.* At quoniam dissimilaribus semen partibus constat videlicet pinguibus, viscosis, li-

A Cum Sol absque materia de se effundat, non patitur diminutionem, quam patitur Animal: sed multiplicationem tantum.

q. 35. art. 2.

q. 35. art. 2.

quidis ſpiritalibus, dum ſpiritus circumſeptus in ipſo agitatur, exitum patans, ergò efficit ampullam grandiuſculam & informem: ex qua impetum faciendo amplius diffundit illam in multa fila ex partibus viſcoſis deducta, quæ perforantur, & continentur abſque ruptionis periculo. Harum autem illæ, intrà quas ſpiritus, qui eas fundebat, copioſus cucurrit, perforatæ remanſerunt, quædam magis, quædam minus (hæ ſunt venæ & arteriæ) illæ verò, intrà quas viſcoſitas confluxit vnà cum ſpiritu, ab ipſorum principio dilatãtur magis, fiũtque inteſtina, & arteria vocalis. At verò collectæ portiones magis, magiſque tenaces, multis ex filis compoſitæ nerui euaſerunt. Pingues verò facilius extenduntur, quibuſdam in locis rumpuntur, ac diſtinguuntur, & aliquantulò magis indurantur, agitatione facta a ſpiritu retento in partibus tenacibus, ſuper pingues extenſis. Hinc fiunt oſſa, à neruis ità colligata, quod à compoſitione non diſſiliant. Quamobrem inſuper viſcoſitate quadam in iuncturis adoperta ſunt, ne diffugiant, ſed in ordine remaneant ſuo, quaſi fundamentum, ac firmamentum ſtatuę animatę: ſuper quibus nerui, arterię, venę, ac membranę tenduntur; ac deindè carnibus replentur ad ſtatuę, vt dicemus complementum & munimen.

Illa autem Maſſa prima, vndè extendi cæperunt huiuſmodi canales, & Originem fortiti ſunt nerui, Oſſa & Arteriæ ac Membranæ (quæ fiunt etiam ex eodem liquore viſcoſo in planum ſparſo veluti & cutis ſuper extenſa & addenſata viſcoſitate fit) caput effecta eſt totius Opificij, cum ſit pars prima vniuerſaliſque, hac ratione, quòd ſpiritus in maſſa ſeminis irretitus, à calore vteri excitus auctuſque, ſicuti ſeminalis calor plantarum terreſtri calore fæcundatur, egredi cupiebat: cumque non poſſet quaſdam cauitates ac ventriculos, attollendo, molem ambientem, efficit. At prius vniuerſum maris ſemen complexum fæmineo *C* (ſi ſolum ipſum non ſufficit opificio) areſcendo partim circum & duas membranas conſtituerunt, alteram denſiorem, alteram moliorem, veluti exterior interiorque cortices Oui: quæ complantatæ, affixæque ſunt prominentiis venarum matricis per canales, radiceſque exugentes ab illis. *D* Ac vnà intrà huiuſmodi ouum ſpiritus incluſus ex viſcoſo ſemine dum exire conatur, parauit cerebri ventriculos duos in ſincipite, vnum in occipite, quo ſpiritus accurrebat, deindè exitum quæritando & ideò quaſi multis globulis compoſitos. Quartum verò in medio, vndè cæpit facto impetu fundere, ac diſtendere maſſam in oſſa, arterias, neruos, venas, membranas, fibras, & corium. Quæ nimirum partes oriuntur ex partibus ſimilaribus conſimilibus ipſius capitis; videlicet, oſſa ex oſſe, vocato caluaria, quæ fuit pars exterior indurata; medulla ſpinalis ex ipſo molli cerebro: & ex hac nerui, qui nimirum medulla ſunt in longum extenſa, ampliuſque areſacta: membranæ ex membrana, quæ cerebrum ambit: cutis ex cute cingente os capitis abſque ruptione, eò quod ipſi cedat. Et tandem quaſi viſcus tumefactus extenſum eſt inteſtinum & Arteria vocalis. Item alia fila canales, velamina, panniculi, foramina, à ſpiritu effecta, dum deorſum exitum parat, quem ſurſum nanciſci nequit.

Quapropter numquam penitus egredi potuit ideoque ibi vitam traducere coactus ſæpè reuertebatur in caput, ibique quieſcebat, ex quo ſomnus habet ortum: ſæpè quoque per canales excurrebat, & viuificabat, & mouebat partes exteriores, vndè vigilia.

Mox auctus ſpiritus proprium paſcebatur corpus, ac conſumebat, proptereà quod in tenuiſſimum, inuiſibilemque fumum ſemper eius calor exhalat, nunquam oblitus facere quod primò fecit in conflictu, ſemperque facit, hoc eſt, ad cognata corpora ſurſum attolli. Itaque abſumpta fæminei ſeminis fluiditate, *E* ex qua maſculeum primò nutritur, cæpit ex radicibus, quæ cotnibus matricis, quo iecur quaſdam venas prominentes demittit, inſertæ ſunt; ſugere purum ſanguinem; qui per radices defluens in foramen, vocatum vm-

4. 36. ar. 1.

Capitis formatio p. Venarum & arteriarum.

Inteſtinorum & arteriæ magnæ. Neruorum & oſſium.

Quæſt. 2. ar. 1. & 3. q. 19. ar. 1. & 2.

B Ariſt. negat ideas, proptereà quod negat mundum factum eſſe ab artifice ad ſimilitudinem mentis ſua. Sed manifeſtè errat tota reclamante natura.

Omnium partium ex capite origo quomodo fiant.

Quæſt. 36. ar. 1.

De prima & 2. mẽbrana.

C Quia mulieres aliqua antequam ſemẽ emittant concipere dicuntur, poteſt ex ſemine maſculino ſi multum fuerit totum Opificium conſtrui, vt diximus in 2. diſput. contrà Peripateticos vide q. 36. ar. 1.

D Dum egredi conatur ſpiritus ampullas attollit, non autem dum cupit occultari, vt putat Galen: cum proprium ſit ſpiritui exhalare extrà anguſtias. Ac cerebrum ex monticulis globoſiſque conſtat, actis ex eleuatione ſeminis, aut à ſpiritu impetum faciente ad egrediendum.

De cerebri tribus cellis & cerebello.

Quæſt. 36. per totam origo venarum neruorum arteriarum ex capite q. 36. ar. 2.

Occaſio quietis & vigiliæ.

Nutritionis origo.

belicum abundanter in principio intrà ventriculum ac feptum tranfuerfum, quo pectus ab Abdomine feparatur, ibi fontem efficit, vbi venæ omnes, & arteriæ multæ affixæ funt ad fugẽdum fanguinem: ideoque *F* ibi latiores factæ funt quam in capite, ipfarum principio, ab haufto fanguine. Huiufmodi fons aliquantulum indurefcens dum priuatur tenuitate à venis haufta, factus eft iecur, prorfus fimile coagulato fanguini.

Dum coqueretur in iecore fanguis ex ambufta fpuma & ramẽtis facta eft vexica fellea, quæ idcircò trahit nutriturque huiufmodi liquore, bile vocato: Fex verò fanguinis delapfa vlterius ad finiftram ventriculi, ibi coagulata eft, factaque lien. Pars purior fanguinis per venam latam, quam dicunt Portam, fparfam in ramos multos ad inferiorem ventrem atque inteftina, tantum decurrit ad nutrienda vifcera inferiora.

At prius quam fierent ifthæc vifcera, fanguis fluxit per venam benè amplam, quam dicunt Cauam, furfum, & in medio pectore, quo ex capite porriguntur fibræ, ac neruiculi multi fimul cum arteria magna, & cum eadem vena, inhærente coniunctioni coftarum cum vertebris, effufus eft in ipforum medio fanguis ille, atque compactus, colligatufque & membranis, quæ intrà ipfum conspiciuntur, poft ibi factus eft cor ex carne, folida, denfaque reddita caloris exagitatione. Attrahit cor ficut in principio fanguinem ex vena caua immerfa finiftro eius fonti, dum ipfum dilatatur, contrahendo fibras rectas & extendendo tranfuerfas ex quibus in textum eft. Ita quod dum dilatatur cor, ne vacuitas relinquatur, intrat fanguis per foramen, cui membranula pendula fuperadhæret: moxque dum conftringitur, fanguinem per arteriam venalẽ *G* furfum tranfmittit, clauditurque foramen in dilatione apertum à membranula dicta, aliudque aperitur foramen, *H* cui alia membranula fuperftat, cogiturque cedere à compreffo, ac furfum faliente fanguine. Eadem ratione fanguis ex finiftro ventriculo per foramina occulta intrat in dextrum, in cordis dilatatione; in conftrictione verò ex dextro ingreditur in magnam arteriam, ibi infertam, ac fimul per totum expanditur corpus, quia ipfa quoque per totum fparfa eftficuti & vena caua; & ope flatus in cor influentis ab ore, huiufmodi fanguis fit fpiritalis valdè. Hinc puriori ex parte conuerfa in tenuitatem nutritur fpirituum vniuerfitas, habitans in capite, dum nimirum fanguis fpiritalis per arteriam in ventriculum cerebri inferiorem fertur: *I* fubitque plexum quendam ex ramis arteriarum retis formam referentem, ibique pulfus agitatufque ab vniuerfitate fpirituum, coquitur magis fitque purus, ficuti & fpiritus funt, in quos vertitur. Qui aucti decurrentes deindè per neruos, venas, arterias fibras, mouent, viuificant, & fenfificant corpus totum, vitæ inftrumentum.

Exfudans ex venis arteriifque fanguis, adhæfit neruis, offibus, aliifque vafis, & abfcedente tenuitate folidatus eft in carnem, quæ veftit portiones omnes humanæ ftatuæ: eftque illi puluinaris loco, & tutamen à frigore caloreque, ne arefcat, rumpaturque: vtque ligamenta repleret, in multa partita ligamina, quo vna continerentur, nec diffugerent, cum ftatua flectitur, extenditurque. Huiufmodi caro cum ligamentis Pifcis fortitur formam, aut muris, idcircò vulgò Pifciculus nuncupatur, vniuerfaque ftatua iis veftitur vario motuum vfui deftinatis dum dilatantur, & conftringuntur, quo membra extendantur & flectantur. Quoniam verò blandus viuufq; cordis calor molis craffitie obtundebatur exhalabatque, iuffit Deus, vt ex eodem fanguine florido arteriali,

F Latiores funt venæ in iecore & arteriæ in corde, non quia ex ipfis oriantur vt Galenus affirmat: fed quia aperiuntur & expanduntur, vt poffint haurire fanguinem exilibs, poftquam ex capite deducta funt, veluti Riui in fua origine parui, longius excurrentes dilatantur. Nam cũ fint partes albæ & exangues nequẽt ex iecore, & corde & rubris, fanguineifq; oriri, ficut Gal. cõtra Arift. bene dixit in lib. de fem. ergò & cõtra feipfum. Vide. q. 36. ar. 2. & Medicin. lib 1.

Fellis & bilis origo.

Origo lienis & melancoliæ.

De vena porta.

De caua.

Quæft. 36. ar. 4.

Quæft. 36. ar 1. & 2.

Cordis origo.

G Sanguis influens in arteriam venalem conftituit Pulmonem. dicitur arteria quia ex tribus tunicis, ficut arteria cõponitur: venalis verò quia fanguinum continet abfque notabili pulfu ficut vena.

H Flatus ex pulmone dilatato per canalem influit in dextrũ cordi fontẽ dũ dilatatur, ac fimul recipit fanguinem ex finiftro finu, & flatum ex pulmone: & dum conftringitur membranula occludit Pulmonis canalem, cui eft affixa & aperitur arteria celeste fanguini membranula, quæ intrà ipfum pendet. I Plexus retiformis factus eft, vt pluribus in partibus fanguis plurimus agitetur fimul, ac plures fpiritus fierent, qui corpus viuificent moueant fenfificentque.

Non omnes mufculi neruo fed arteriis venifque omnes donati funt, quibus irrigentur. membranaq; veftiti continentur, dum nodis ftringuntur, colliguntur que, partes corporis, quibus adhærent, extenduntur: dum verò explicantur, è contra contrahũtur flectunturq;. Nafcuntur Mufculi ex fine offis cuiuflibet iunctura, & amplantur fuper os fubfequentis ad iunctura partis, inferuntur q; ei ibi in Caudam (quæ femper coit definendo in anguftiorem magnitudinem) vndè mufculi fequentis iunctura oriuntur.

Pulmo mirifico attificio cuius opera viuificetur, alaturque, fieret. Qui nimirum inflatus ab arteria magna, in qua fit vox, ramificata sparsaque per ipsum Pulmonem, cordis retineret, nè elebatur, ac excitaret calorem, ac viuificaret; instar follium, quæ flammam libenter exhalantem retrudunt, eoguntque intra lignorum poros ingredi, eaque accendere magis. Hunc preter alios ob vsum os concauum factum est in capite inter duas maxillas, quæ iunguntur occludentes aditum aëri, disiunguntur verò relaxantes; ex quo originem habet vocalis arteria, sparsa in Pulmone, secto duas in partes instar vngulę bouis, super duas membranas, quæ intrà eius fixuram copulatæ dilatantur ab inuicem discrepando vsque ad septum transuersum, cor intrà se tegentes, ac tutantes. Alius arteriæ ramus ex sinistro pulmone deriuatur in sinistrum cordis fontem quæ dum dilatatur, attrahit sanguinem ad nutriendum Pulmonem, veluti attraxit quandò ex eo ipsum effinxit. Ideoque arteria venalis nuncupatur.

Ex dextro Pulmone defluit alter canalis per membranam interpositam, immergiturque in dictum fontem cordis deferens inspiratum aërem in eleuatione Pulmonis, metu vacui subeuntem, qui viuificat, attenuatque sanguinem, & propè spiritum efficit: *M* qui sanguis delatus in arteriam magnam diffusam ex capite per totum corpus, viuificat venalem & machinam vniuersam, spiritalio rem efficiendo, aptamque nutriri simul ex sanguine venali; ita quod dilatatum cor trahit sanguinem ex vena caua, & simul aërem ex Pulmone. *N* Constrictū verò emittit sanguinem in Pulmonem, & in arteriam magnam, ac fuligines expellit in coctione genitas quæ in lingua febricitantiū manifestæ sunt magis.

Arteriæ omnes perpetua constrictione, ac dilatatione mouentur; propterea quod spiritus sentiens se grauari sanguine ex corde influente, quasi pondus declinare cupiens ipsum attenuat, efficitque spiritum augetque se omni in parte, præcipuè in capite. Igitur stringendo Venas, attenuat sanguinem, expellit fuligines & excrementa, ac sudorem sanguineum ad viuificandum venalē educit. In dilatatione recipit sanguinem, suique proinde augmentum ventilationem amplificationemque. Propterea igitur pulsus deficit nunquam, quod immediatè deseruiat instaurationi spirituum continuò imminutorum. Item nec Animal iubere potest, quòd cesset Pulsus. *O* Nam propriam iuberet destructionē. Imo quandò putredo aut fuligo intrà corpus generatur, aut cruditas, ipse spiritus Pulsum efficit calidiorem grandiorem velociorem, & frequentiorem, quo possit humorem molestum attenuando expellere aliudvè noxium: veluti in febri accidit. Quæ nimirum est feruor accensioque spiritus contrà malum pugnantis. Eaque ratione bona est Febris, qua bellum, remediumque postremū.

Tandem inspiratio propterea *P* quod necessaria est ad retinendum ignem cordis (quem *Q* in Piscibus vsum præstat Aqua) & accendendum eundem ignē ad spiritus generandos, nunquam deficit: at quia non tantum necessitatis habet ipsius vsus quantum pulsus, potest animal suo arbitrio paululum non respirare. At mox cupiens intermissum reficere vsum simul multum aëris attrahit, multumque extrahit in momento: & hoc discitur suspirium. *R* Reficit respiratio statim: & eius vsus est spiritus refectio per caloris elabentis intrusionem: cuiusmodi insufflamus ignem accendere volentes. Quandò sanguis calidus nimis, plurimusque spiritus cordi inest, fit respiratio magna, prolixa, & tarda, quo nempè pacto consueuimus insufflare gratia accendendi seruandique ignē, quandò multus grandisque est. At verò cum fuerit calor languidus imminutus euanescensque veluti in æstate, aut post calorem, aut post cursum impetuosum fit respiratio parua, breuis, & crebra, nè magna calorem disiiciat extinguatque. Crebra verò vt subitò instauret paulatim excitatum, sed nō excussum: veluti consueuimus ignem paruum insuflare artificiosè accendentes, crebritate auferentes illi tempus elab endi; paruitate verò occasionem dissiliendi.

Respirat. vsus q. 50. Quæst. 26. ar. 2.

L Arteria vocalis manifestè ex eat. teoritur, vbi & spiritum amplissimum habet: agitur & alia. Sunt enim eiusdem substantiæ & originis.

M Non fit pulsus ebulliente sanguine, vt Arist. putat: nã enim æquè fieret in omni arteria, ac parte: nec venæ ipso carerent.

Quæst. 51. ar. 1.

N Pulsus editur à spiritu Animali, qui vnus est continuatus à capite ad omnes partes: idcircò in Apoplexia, & Epilepsia morbis capitis, deficiunt pulsus. Itaque lætitia magna spiritus Animalis augentur. Ergò non à corde manant vt Galeno placet, nisi quatenus cor subministrat sanguinem agitandum vertendumque in spiritū. Idcircò excepta solo Arteria, non pulsat in parte caput spectante: at pulsat in ea qua cor spectat, sicut scripsi in lib. Apologico de vnica anima substantia contra Med. ad & in Med. lib. 4. & hic q. 51.

Pullus ratio q. 45. ar. 2.

Febris ratio.

O Hinc respondetur Gal. putanti Pulsum non esse arbitrarium motum, quia non sistitur ad arbitrium animalis. Redditurq; ratio quare non sistatur, quia vsui instaurationis immediatè deseruit, &c. Itē nec animal potest non sētire, nō pēsare: & nihilomin⁹ hi actus arbitrarij sūt Gal. ratio ergò vana. Item & febris propter melius est, cū sit bellū, sine quo cedit morbo ac moritur. Vide 7. lib. Med. De respitatione. *P Respiratio nō fit gratia refrigerādi calorē cordis vt Arist. Galenoq; placet: sed excitandi augendique.*

De motu arbitrario.

Q Non indigent respiratione Pisces, quæ intro agat natiuum calorem ad viuificandum corpus, generandosque spiritus: ab aqua enim ipsorum spiritus retinetur, retunditurque nè exhalet: nec calore adeò robusto præditi sunt, qui fuligines gignant, ac proinde respiratione necesse habeant.

R Suspirat spiritus, vt vnico motu intermissos multos motus simul recompenset. q.38. art.1 & 2.

S Motus non fit ab anima, nisi sit ipsa mobilis: non enim dat quod non habet: nec vt putat Arist. imaginatio sola efficit calorem, & frigus ac per hoc dilat. & constrict. q.36. art. 5.

At quidem Q neruorum motum totiusque machinæ potest animal ad libitum sumere, ac intermittere: is enim non est gratia instaurandi spiritus immediatè, quod absque illo deficiat, sed gratia deferendi corporis quocumque opus fuerit, fugere, aut sequi res incommodas, commodásque, & ad vsum vitæ anim. Iis accómodare: quo facto indiget quiete. Nam (dicebat Sapientia actiua) cum sit animal compositum ex spiritu, perpetuò mobili, cælestique, & ex corpore ad motum inepto, terrestrique, necesse habet in beneficium vtriusque nunc moueri, nunc motum sistere: continua enim quiete spiritus marcesceret; continuo verò motu corpus diuersis ex partibus gracilibus obtusisque compositum dissolueretur. Spiritus ergò delatus per interiora ligamina musculorum, atque neruorum (ex multis ideò filis compositorum, spiritusque plenorum, nè si vnum porum latum haberent tantum, in flexione spiritus distingueretur, ac doleret) quorsum edit impetum, edit & motum, impellitque corpus, in operando.

Cumque varios ob vsus indigeret etiam variis moueri modis, sortitus est (iubente Sapientia) molem super ossibus fultam. Quæ ex capite orientia diuiduntur in 34. vertebras, spinosas, complectentes, R complexasque mutuis incatenatis, sinubus, & eminentiis, processibúsque: continuatasque membrana, ambiente ipsis interfusam medullam, deductam ex cerebro per foramen ipsis communem: coniunctasque aliquibus intermediis appendicibus cartilaginosis, quo facilius flectatur animal, antè, & retrò, & conuoluatur, & curuetur.

De ossibus de spina dorsi.

De medulla.

Scapulis humeris brachiis, manibus.

Ex septima verò vertebrarũ componentiũ collũ, ortæ sunt clauiculæ terminãtes pectus cum collo, hinc & scapulæ, & humeri, ex quibus brachia, & ossa manuum.

De costis.

De lumbis.

De Osse sacro.

De coccyge.

De iliis, femoribus tibiis, pedibus.

Ex vertebris vero inferioribus deindè vsque ad decimam nonam costæ deriuãtur, quæ pectus sepiant defendantque: sub illis deindè deorsum quinque aliæ crassiores factæ sunt vertebræ in situ lumborum, quo sua magnitudine costarum ibi defectum compensarent: deindè adiunguntur sex complentes os sacrum: deindè quatuor Coccygem: ex quo oritur cauda in animalibus. Ex coccygis medio egressa sunt ossa lata valdè, sinubus magnis donata, ex quibus deriuantur femora vsque ad genua: ex femoribus verò tibiæ: ex quibus 26. ossa vtrinque ordinatim constituunt Pedem. Vertebra inter omnes media hinc inde excipitur, non autem excipit contiguas sibi, vt sit centrum, & magisterium motus.

De neruorum numero, & vsu.

Ex capite septem paria neruorum orta sunt, ac simul spinalis medulla, quæ ex singulis vertebris producta par neruorum in singulis efficit gratia colligandi corpus, atque mouendi: ex cuiuslibet verò iuncturæ fine, vbi immerguntur per foramina Sapientiæ consilio ipsis præparata, egrediuntur ligamina.

De ligamentis & musculis.

Hæc autem ligamenta repleta carne, nè arescant, ac venis vt nutriantur, & arteriis vt viuificentur, & fibris, ac neruis, vt moueantur: S quando stringuntur extendunt portionem iuncturæ, cui inserta sunt. Quandò verò dilatantur, flectunt eandem versus iuncturam, ac ita fit animalis motus, à Mobili spiritu, non ab immota anima, nec ab immoto membro.

De æsophago ventriculo & intestinis.

Præuidens in Sapientiæ instinctu spiritus, quòd alimentum ab vmbelico sibi defuturum esset, quia mater aliundè illud hauriebat, deriuauit & ipse ex capite sub vocali arteria canalem amplum, vocatum œsophagum, compositum ex fibris rectis & transuersis, quòd contrahendo illas & dilatãdo istas, attrahit cibum: cõstringẽdo verò istas, & extendendo illas, transmittit in ventriculum; qui pars eiusdem est, dilatata magis ampliataque orbicularis sub septo trãsuerso, supposita iecori, ac suspensa neruis, manantibus ex sexta coniugatione, præbentibus sensum, ac motum. Item conspersa venis, arteriisque, quæ intra vterum præstabant ipsi alimentum. & extra vterum ab ipso recipiunt, quoniam in ipso coquitur cibus à spiritu. Quapropter fibris obliquis intextus est ventriculus, gratia retinendi cibum, rectis verò transuersisque, gratia attrahendi, & educendi, postquam maceratus est in alterum canalem, sibi continuatum in multos sinus, ac flexuosos extensum; cuius prima

pars

T At media inter omnes vertebras hinc inde excipitur, non autem excipit contiguas sibi, vt sit centrũ & magisterium motus. Colligantur quoque vertebræ membrana ambiente medullam ipsis infusam, & appendicibus cartilagineis inter ipsas adnatis, & quo animal melius flectatur, & conuoluatur absq; luxatione ossium, & absque discontinuatione. Non indiget vt moueatur animal immota parte tanquam centro, sicut Arist. scribit. q.38. ar. 5.

pars pendens à dextro latere ventriculi, ibi paulùlum eleuati, nè cibus excideret inuito ipso, duodecim digitorum mensuram, nomenque habet. Ab hac verò portione deducitur sinistrorsum alia portio canalis quam vocant ieiunum; proptereà quòd amarus humor ex felle coinfluens, efficit vt stringatur subitò ad expellẽdam amaritudinem: vnde fit vt simul transmittat cibum insubsequentem, maximè prolixum, angustúmque canalem: in pluras spiras productum: ac globis distinctum: colligatum totum membranis pinguedine plenis, pendentibus ex lumborum spina: corpusque facientibus, vocatum Mesenterium. Huic intestino ideò angusto, vt vndique succus possit hauriri, adiunctæ sunt contextæ venæ multæ in ramos sparsæ, vocatæ miseraicæ, ex vena Porta manantes, quæ exugunt dulcem tenuémque liquorem, deferentes in iecur: crassus verò excrementitius expellendus remaneat. At ne noceat erumpendo spiritus nutu Dei prouidè intestinum, Y mox dilatauit subsequens, ac diuerticulum amplum effecit exitu priuatum, idcircò cæcum appellatum in quo reponerentur fæces, donec foras expelli deberent: subindè deductum est sursum huiusmodi intestinum ex dextro latere vsque ad ventriculum, vbi flexum ad sinistrum reducitur deorsum in centrum Z ventris inferioris. Atq; ibi parumper eleuatum ne fæces cogeretur emittere, quando minus vtile foret (cuius causa, ac simul extrahendi reliquum succum sursum tanto gyro extensum fuerat) regreditur deorsum, versus coxendicum ossa, & regreditur retrò ad Nates, vbi musculo inserto aperitur, & clauditur emittendi gratia fæces, fumúmque fœtidum retrorsum absque offensione partis anterioris nasi, aliorúmque sensuum, vtque plenius occluderetur fuerunt ibi clunes ita carnosæ. Item vt iacens homo in ipsis tanquam in puluinari fulciretur, aliosque ob vsus.

De Ieiuno.
Duodenum: Ieiunũ.
De Mesenterio.
Y Hic est colus, cuius diuerticulum vocatur cæcum instar ventriculi formatum ad fæces recipiendas.
De Cæco.
De Colo.
De Recto.
de Ano.
Z Vocatur & Abdomen à Medicis.

Venæ deindè succum ex intestinis ac ventriculo ad iecur trahunt: cuius calore coquitur melius. Abscedente tenuitate rubescit: nam albore spoliatus, materialis vultus manifestatur magis omni in re. At portio cocta magis, & fæculenta fit nigra, quam spiritus in liene ab ipsa ortum habente, reponit, cuius puriorem portionem lien in suum alimentum vertat; impuriorem verò, & in alium vsum expellat. Pars verò spumosa supernatans, in qua multus calor remanet, ideoque, & quia tenuis, crocea est, reponitur in felle ab ipsa orto nutritóque: ex quo cum plenum fuerit, expanditur ad intestina, quæ eius amaritudinem auersantia constringuntur opera spiritus, fibris, quibus contexta sunt, inditi: hinc vtilitas sequitur quod simul & stercus excernunt. Veluti dum venenosam Medicinam cupit spiritus expellere, expellit, & vna fæces, & humores venenosos, attractos vi Medicinæ, illique persimiles, nimirum irritato spiritu, impeditóque huiusmodi laboribus; quos non aggrederetur, nisi amaritudine ac metu stimularetur.

z Non sunt diuersæ facultates Attractrix, contentrix, & expultrix, vt Gal. opinatur: sed actus sunt eiusdem spiritus diuerso editi modo, aut diuersis instrumentis conseruationis gratia, vt patet.
De sanguificatione.
De Atrabili & liene.
Vsus flauæ bilis.
Medic. lib. 5.

Item ex liquido purificatóque sanguine, segregatur cinis ex quo constituti sunt, ac nutriuntur Renes. Sanguis mistus sero egreditur ex porta vena in cauam (nam in iecore coniunctæ sunt) ibique serum, quasi vehiculum transitus inseruit; quo munere terminato pars eius salsior per duos ramos venæ cauæ extensæ super spinam interiorem, vna cum arteria magna, decolatur per Renes, ibi partem cineritiam relinquendo: ac mox per duos canales decurrit ad vexicam vrinariam, in fine ventris inferioris positam, ortam ex ossibus coxendicum, & ex Peritoneo: membrana nempè quæ ambit totum Abdomen, ac ventrem in quo sepiuntur iecur, lien, ventriculus, & intestina. Quæ quidem vexica cum plena fuerit, pondere stimulat spiritum; qui colligitur, ac contrahendo fibras rectas, & transuersas dilatando ex parte anteriori, ac ex posteriori stringendo, exitum vrinæ præbet per foramen in canalem deductum ad genitalia. Hoc fit post exitum fœtus ab vtero: sed enim anteà vrinam emittit per foramen aliud in canalem procurrentem in vmbilicum: ex quo egrediens vrina lacum efficit intra primam secundamque membranam, quibus vniuersa statua continetur, & ambitur. Hoc autem consuluit Sapientia, vt ex genitali egrediens salsus humor tenellas carnes non vreret, ac

De Renibus.
De vexica vrinaria.
De Peritoneo.
Lotij eiectio post natiuitatem.
Eiusdem antè natiuitatem.
Nutritur fœtus per vmbilicum, ideo non facit fæces.

vt craret. Quam etiam ob rem consuluit, vt nutriatur non faciendo stercus. Ideò enim sanguis fœmineus non transit per ventriculum, & per intestina, vbi fæces cacandæ remaneant: at immediatè per vmbilicum in iecur decurrit, vbi coctus distinguitur ab excrementis, quæ sunt bilis, melancholia, cinis, serum: ex quibus antedicta vasa fiunt, ac nutriuntur. Puriorque pars iecoris constitutioni deseruit, & cordis, & carnis. Et quidem purificatur magis blando fœtus calore, quam in Matre. Igitur ex iecore deindè pars vtilis diffunditur per venas ad nutriendum corpus totum.

Vsus fontium cordis.
Spiritus non perpetuo vti Mens.

Porrò & in corde duo fontes pleni sanguine perpetuò sunt, qui deficiente cibo, adhuc remaneret quasi horreum ad nutritionem spirituum capitis. Qui nunquam iidem sunt, nam alij exhalant, alij verò fiunt similes exhalantibus, veluti flammæ lucernarum semper eædem apparent, quamuis aliæ in inuisilem actæ tenuitatem dispareant: aliæ verò continuò aggenerentur ex oleo subministrato per actiuitatem caloris sui. Idem euenit corporis portionibus licet lentiùs aliis portionibus exhalantibus; aliis verò ex cibo succedentibus. Ac dum hæ fuerint plures quam illæ, fit augmentum: dum pauciores, decrementum; dum æquales, status.

De occasione nutritionis, & augmenti, & decrementi.

Occasio vasorum futuræ nutritionis.
Ratio duplicitatis tunicarum Arteriarum.

Igitur pernoscens in Sapientia Autoris naturæ spiritus defuturum nutrimentum sibi ab vmbelico, parauit actus Influentiis Primalitatum illius, sibi Os, & Intestina, Oesophagum, Ventriculum, aliaque viscera apposita hisce vasibus destillandi gratia futuros crassos cibos, & transmittendi quò opus esset, & mundificandi. Idcircò venæ, arteriæ, intestina, vexicæ, omnes fibris contextæ sunt transuersis rectis, & obliquis, transmittendi, attrahendique gratia, & retinendi. Arteriæ verò solidiores fuerunt ex tribus compactæ tunicis, eo quod retenturæ erant sanguinem subtiliorem: Venæ verò ex duabus, quæ crassiorem. Nerui autem multam sortiti sunt densitatem, vt motui resisterent, & spiritum tenuem ne elabatur, continerent: multaque fila: in quorum singulis retinerentur spiritus, non autem vno in poro lato; vbi nimirum multam vim facere ad motum futurum, necessarium ad quæritandum cibum, nequisset facilè, ac sine detrimento.

Vsus atræ bilis ad appetendum.

9 *Fames est appetitus solidi gratia implendi: calidi verò gratia dilatandi, cum constrictio sensus sit frigoris. Nihilominus sæpè frigidi appetuntur cibi post calidos assumptos, qui iam dilatarunt ventrem. Item & post febrem, & labores, &c. sic & potus &c. qui tamen per se calidus esse deberet gratia coquendi, & transmittendi cibum, & roborandi naturam, vt optimè scripsit optimus, ac doctissimus amicus Antonius Persius. Vide nostram Apologiam.* & q. 57. ar. 1. & 2.

Vt verò post exitum ab vtero stimularetur ad quæritandum cibum, parauit canalem ex liene in ventriculum, quò, cum vacuus fuerit, influit liquor melancholicus, acidus, & subamarus, quo dum mordicaretur venter, stringeretur, ac fastidio afficeretur; quod vt amoueat, desideraret repleri, cum item deficiente sanguine venæ & ipsę exugant ex ventriculo, magisque illum corrugent. 9. Huiusmodi sensus molestus efficit appetitum cibi, vocaturque fames. 9 Quę est passio constrictionis, ac desiderium rerum solidarum quę impleant, & calidarum plerumque, quæ dilatent. Cum plenus fuerit venter, accurrit tanta spirituum copia, quanta sufficit ad calefaciendum industriosè cibum. At cum omnes concurrant, vt reficiantur, valdè ventriculus calefactatur & exiccatur ob nouam accensionem in cibo factam. Quapropter cum nil videatur proficere spiritui, sed officere, si incensum cibum expellat, cum ab eo augeri iuuarique se sentiat, cupit tantum mox extinguere calorem nimium, ac proindè humorem, quo liquefacere cibum, iam indurescentem queat & elixare, & bene coquere. Humidum enim facilè recipit calorem, ac defert intra solidas cibi partes, maceratque funditque, ac deindè coctum asportat facilè, per vasa ad quæ nutritionis causa deferendus est, agglutinatque, &c. Hoc desiderium vocatur sitis, ideòque aqua, aut vino, aut liquore aliquo calido, vel frigidiusculo exsaturat huiusmodi appetitum humidi, amouetque ardorem accidentalem additi caloris, ipsumque calorem efficit copiosiorem. Quapropter melius coquitur cibus ac transfertur eidem liquori incorporatus facilius ob lubricositatem ex potu ciboque nascentem factus diffundibilis. At verò si accidentalis ardor non fit, potus vtilior est calidus, confertque magis cunctis vsibus. Attamen paulò post manducationem frigidiusculus confert, gratia colligendi calorem, ac

fumos comprimendi, ne sursum in caput eleuentur.

Os igitur propter cibum, & inspirationem aëris, suscitaturi natiuum calorem, factum est. At quoniam sæpè cum dormitur, occlusum manet, aut occludi alias oportet, facti sunt duo meatus ex naribus ad fauces admissuri perpetuò aërem. Ne autem cibus aut potus in arteriam mearet (vbi cum mica intrat, summa molestia afficitur atque remouere impetu aggreditur) fabrefacit spiritus industriosè operculum arteriæ orificio, persimile fossium operculo. Ac supernè pendere ex faucibus carunculam quasi columnulam, quā dicunt Gurgulionem, curauit: quæ & voces distinguat: quæ fiunt quando aperto operculo in Pulmonis & arteriæ constrictione egreditur aër inspiratus ad purgandam cor, vocémque formandam. Dentes anteriores acuti nascuntur secādi causa cibum cum opus fuerit. Maxillares verò plani, molendi gratia; lingua mundandi gratia os, & transmittendi deorsum reliquias cibi, ac gustandi probitatem ac prauitatem ipsius; & verberandi aërem, aliáque instrumenta, formandique tot modis sonos, quot opus sunt. Tandem cunctæ partes animalis fabricatæ videntur conseruationis gratia totius. Caput verò totum est animal. Reliquæ partes sunt eiusdem organa, ac fulcimentum. Illud cælum, hæc verò terra.

Recapitulatio de Organis Speciatim.

CAP. XI. Art. 1.

Ex dictis liquet corpus esse habitaculū organūq; animæ coniunctū substātiali cōiūctione. Mox quoniā Mēs ex Potestatiuo essētiatur, & Intellectiuo, & Volitiuo, spiritusq; ei deseruiēs: has Primalitates participat, organa ipsorū, *A* triplicia erūt. Alia.n. Potestatoria: Alia sēsoria; alia appetitoria formaliter. At materialiter in omni organo tria ista reperiūtur; quoniā Primalitates sūt idē essentialiter: & mutuò in se ipsis coëxistūt: licet formaliter distinguātur & relatiuè: intranea relatione ab inuicem, extranea verò versus obiecta. Igitur quēadmodum cognitio cōmuniter est in spiritu: & tamē speciales habet noscendi modos, quos in specialibus exercet organis erga specialia obiecta: videt.n. per oculum, audit per Aures: sic etiā Potestas & Appetitus sunt in spiritu: atque spirituales potēdi, & appetendi modos in specialibus exercent organis, erga specialia obiecta.

q. 39. quæ falsò à Typographo tit. 38. *A Philosophi antiquiores de organis sentientis Animæ modò loquuti sunt; de organis potentis, & appetentis, dixerunt nihil: sed solum sedem potentiæ cor, appetendi iecur tribuerunt: & tres Animas perperam fecerunt: cùm Anima vna ex his Primalitatibus essentietur: quarum doctrina hucusq; latuit.* Vide Metaph. qu. 38. art. 1. & 2.

De Potestatoriis, & Potentatu.

Art. 1.

Qvoniam Potentia pro obiecto habet possibile vinci, quod cōtra proprium esse, & cōseruationē opponitur: tot erunt potentatus, & organa, quot obiecta possibilia, quēadmodū tot sensus & sensoria, quot in genere sensibilia. Opponitur autē Potentiæ animali. 1 Mors: quæ extinctione caloris natiui, aut elapsu accidit, & partium compositi defectione ab esse, vel ab vsu: & cōtra hoc est potentatus vitalitatis. 2. pondus proprij corporis ipsum contra proprium nixum impellentis deorsum, & hoc potest vincere ossium erectione organica, & fleartificiosa ne corruat. Item quoniam ossa distincta sunt, vt possit animal flecti, & ne inflexione corrueret statua, & compositio eorum cum aliis partibus, indiguit & colligationis organis: qui sunt nerui & ligamenta.

Item effusio & dissolutio contentorū humorū & spiritus, & cōtra hoc vasorū compagine Potentatus vtitur organica. Item lesio partium confricatarum inuicem, & exterarum obuiarum rerum, cui opponitur potentatus munitionis per carnem, corium, & vestem.

Poſtremò ab hoſtibus occiditur, quibus pugnatiua iuuatur: tandem mors, cui generatiua vis medetur.

De ſuſtentatiuo Potentatu & ſuſtentatorio.

Art. 2.

Q. 39. per totum. *Facultas ſuſtentatiui in Neruis, & Oſſibus duritiei: inſtrumentaliter: in ſpiritu principaliter, Organum eſt os.* q.39.ar.3.& 4. *Facultas ſubiẽt.* q 39. art. 2.

Moles carnis cæterique ſolidi continuò deorſum trahit: modus potendi hanc ſuſtinere machinam fit per oſſa, ſinè quibus erectum corpus non ſtat. Molliores enim partes non ſunt adeò vnitæ addenſatæque inuicem, vt poſſint non flecti. Oſſa autem dura ob vnionem, & partium cohærentiam ſunt. Neque oſſa ſuſtinent, niſi ſpiritus inſit: cadauer enim ruit; & quamuis oſſa nõ eſſent diſtincta, etiam rueret quouis impellente. Poteſtas ergò ſuſtinendi eſt in ſpiritu habitante neruoſum genus, quibus oſſa colliguntur, & ſpinalem medullam, qui ope oſſium ſibi applicatorum ſtatuam tenet & contra impellentia eam flectit, vt ſuo pondere contra pondus iuuetur. Pondere quoque funambuli æquilibrantur vtrinque ne cadere queant: & quo caſus imminet, inde in aduerſam ſe ponderat partem. Vndè pondus, quod cauſa eſt caſus, fit cauſa ſtandi per ſolertiam animæ opponentem id impellenti obuio, vel ruenti parti.

Obiectum huius eſt. q.39.ar. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. *Impropriè ab Archimed. vocatur aliud grauius ſpecie, aliud mole pondere, quod enim eſt grauius mole eſt etiam ſpecie per ſe: licet per accidens ſecus videatur.* q. 36. art. 10.

Obiectum huius Potentatus eſt Pondus. Pondus *q* autem eſt propenſio cuiuſcunque rei à ſuo deſtructiuo, ad ſuum conſeruatiuum. Proptereáque omnia corpora ad ſui ſyſtematis centrum, vbi ſimul ſeruantur, & vniuntur, ſicut omnes animalis partes ad ſui animalis vnionem, & communionem, ſe conferunt, & vacuum diuiſiuum abominantur. Eodem enim ritu Lunaria corpora ad Lunam, Saturnina ad Saturnum, Iouialia ad Iouem, &c. quo telluralia ad tellurem, contendunt pari conſpiratione. Quę autem ex tellure ponderant ſurſum, vt lignum ex fundo aquę magis autem inflatus vter, impetuosè, vt teneri non poſſit, quin ad aërem egrediatur ponderans, & ignis ex quovis loco ſurſum; & venti in latera obliquè ad ſuum ſimile tendunt, & pelluntur à diſſimili, aut fugiunt. Et ſi enim omnia corpora noſtratia quo corpora centrum communis vnionis petant: tamen quæ corpulentiora ſunt, & vnitiora plus ponderant deorſum, quoniã plus iuris habent ad vnionem vt aurum, plumbum, terra. Quorum naturalis appetitus validior, & iniuriis minus obnoxius: tenuia autem minus corporis habent, idcircò cedunt validioribus, & omne grauius, vel grauatius vi, penetrat minus graue, vt mel aquam, & clauus parietem.

Omnia corpora, quà corpora, tendunt deorſum ad vniuerſitatis conſeruationem: & denſiora magis & vnitiora per ſe, licet per accidens ſecus fiat. Quæ verò formata, ad alios ſitus ſibi conuenientes feruntur. q.36.ar. 12.

Si enim terram in aquam iacias, aquam ſurſum aſcendere expulſam videas, ſic & aliæ res, quo corporeæ: at hoc ritu: quoniam denſitas in imo ſubſidet: Lentor verò cedit denſitati, & elongatur magis à centro: ſic ſuper lentorem elongatur viſcoſitas: viſcoſitati ſupernatat fluor: fluori liquor: liquori fumus: fumo tenuitas, regulariter: per accidens tamen è contra fit plerumque, quando craſſitiei tenuitas ita cohæret, vt ſuprà liquores ligna, & ſuprà tenuitatem fumos extollat, ſed quoniam inſuper formas habent varias, & compoſitiones, & appetitus, & ſentiendi modos varios ipſa corpora, proptereà etiam alios habent motus. Ignis ergò ſurſum tendit quoniam calidus. Calor autem à Sole eſt, & ad Solem rapit victam corpulentiam, vt & vapores circumuolantes nuper deprehenſi in ſolari Diſco, indicant. Neque enim fas eſt putare è puriſſimo eos egredi Sole: neque ignem propterea tanto impetu tellurem euertere, & ædificia grãdia, quia extruditur à fortioribus, cum etiam intra vertiecoſos locos, vbi non permittitur, omnia conterat, nec vllis, ne euolet, machinis teneri queat. Porrò *q*. neque grauior ligno aqua quęlibet, & quantulauis, & tamen egreditur ſurſum lignum quoniam aërem inditum habet, qui ad ſuam ponderat plus vniuerſitatem quam craſſities ligni ad terræ ſymbolum: ſi autẽ fiat cinis lignũ, videas eũ cerẽ pedetẽtim ad aquæ fũdũ ſubmergi, ſic etiã carbones & Pumices, qui ſupernatãt ob aërẽ, in poris cõtẽtũ, ſi in minutias frãgãtur, immergi: quam ob cauſã & nix natat & glacies. Paleas quoq;, ex quibus expreſſeris aërẽ, & benè

Contra Democr. De Natabili & Mergib. vide q.32. ar.1.2.3.& q 36.a.12

maldidas reddideris ſignaq; tracefcêtia in aqua,vndè aër ſecernatur,fundū petere videmus: proptereàq, naues veteres grauiores. Ergò omne corpus craſſius & vnitius, quãuis minimæ ſit quãtitatis,& vix graue milij grauitate,ſubmergitur intrà minus vnitū niſi teneatur copioſiori & longè minus vnito. Auri enim lamina, & ebani & plumbi,natant, ſi concaua ſint aëris plena, & item ſi in planitie ſua aëre hamato intrà ipſorum folliculas teneantur. Si autem aquæ ſtilla vngantur, ſubmerguntur, quoniam à tenente aëre ſeparantur; in ſuo autem cognato nil grauat, quoniam non ponderat ad id, in quo eſt: vndè & in aëre lignum grauat: in aqua perdit grauitatem ob incluſum aërē præualentem. Nam in Ilice & ebano non præualet. Cadauer,cum ceperint humores in aerem verti, natat: viuum ſubmergitur, niſi manibus præueniat expanſis & motu ſubmerſionem,Piſcium more & auium: in inſpiratione enim natat animal, in expiratione ſubmergitur, proptereà folliculus aëre plenus piſcibus & ſerpentibus a natura datur. In fundo aquæ natans homo grauitatem molis aquæ non patitur, quam in aëre non ſuſtineret, quoniam in ſua cognatione partes aquæ tenētur,nec habēt quò ponderent. Sic & partes corporis non grauant contra partes:ſed totū contrà aërem grauat deorſum & ſpiritu ſuſtinetur erectū. At vbi nō eſt propenſio hæc,omnis minima vis ſuſtinet mouetque quolibet quorſumlibet corpus, vt fortè in vacuo extrà ſyſtemata. Nauem in mari pariter capillo per planum horizontis mouebis, ſi formata abſque ferramentis & ità erit, nè aquæ infigatur ſuſtinenti, nec ventus adſit. Quid mirū ſi extrà mundi limites beata corpora grauia Dei beneficio nō eſſe prædicātur. Imò ibi poſita nil mouentur quæcūque corpora, quoniam non habēt quò ponderēt. Vel mota ſemel perpetuo mouebuntur, cum nil reſiſtat minuens vim primam motus: niſi corpus ſit animatum ad animæ voluntatem ſtans aut iens. Motus ergo quem primò dedit Deus celeſtibus non ceſſabit vnquam, ſi inuicem non offendunt: vti nec Troci motus ceſſaret, ſi aër non obſtaret obuius: veluti & cunctis proiectis accidit, quibus vis indita paulatim minuitur, nūquā minuenda, niſi ab oppoſito. Sicut nec calor vnquam abſque contrario moueretur. Suſtinet etiam animal oſſibus non modò propriam machinam, ſed pondera quoque alia ſuprà caput, & manus, & ſcapulas, quod non faceret, niſi ſubſtratis oſſibus.

Vtuntur loco oſſium Cartilaginibus Piſces,vocati molles. Cancri has cruſtationes habent exterius; lymaces etiam extrinſecus. Anquillæ, ſerpentes ſola ſpina, & capitis oſſiculis vtuntur, quoniam prona ſerpentiaque non erecta, grandiaque corpora habent, quæ durioribus ſuſtententur. Sardæ pennulis & aqua, pondus ſuſtinent. Spina enim partium cohærentiam, & robur facit,qui vſus in nobis etiam ineſt Vermes annuloſis cruſtis dilatant expanduntque corpus à tellure ſuſtentatum. Erectum omnino corpus animal gerit nullum niſi homo, diuinum ſanè, vt omnia contueatur, & cæleſtia contempletur vi mentis per ſenſoria ſpectantis. De oſſium numero ac ſtructura dictum eſt prius.

De Potentatu Colligatiuo, & Colligatoriis.

Art. 3.

Oſſium ſtructura conſiſtere non poſſet, niſi colligarentur: ſed quaſi lapidum aceruus, collaberentur, nec ſitum, nec formam ſeruando: quapropter indiguit animal ſecundo potentatu, qui dicitur colligatiuus, ſeu colligamentum. De colligatione q. 40. per Totam. Facultas q. 40. 1. 4. 40. ar. 3. Neruoſum genus.

Facultas colligans eſt in ſpiritu intrinſecus ambiente, aut complectente, implantato ligaminibus, vinculiſque.

Inſtrumenta enim colligatiui ſunt aut viſcoſitas, aut membranæ ambientes,

aut musculi, & tendones colligantes, aut nerui innodantes.

Membrana. Inter ossa adnata mediat vtrinque sub tendo viscosus tenaxque ex intima ossiũ medulla emissus, ad seruandum situm colligationis, ne facile luxentur, vt

Subtendon. patet in articulis magnis.

Articuli etiam ossium ambiuntur tenaci membrana, vt seruent configurationem, vt patet in brachiali: alij verò etiam subcinguntur intrinsecus, vt spinæ.

Musculus. & costæ: & Caluariæ ossa.

Præterea insuper musculorum capita inseruntur in finibus vnius articuli ex altero osse, & extenduntur vsque in alterum finem adnati ossis, & fibulis super-

Neruus. positis conteguntur, vt ossium structura confirmetur.

Præterea Neruorum etiam patia septem è cerebro emittuntur, & 32. ex spinali medulla ad colligationẽ statuæ mirificã: per quos liber spiritus inambulat.

Est enim neruus substantia lenta tenaxque ex cerebro in longius deducto arefactoque ortum habens: & quoniam cerebrum per spinam influit vsque ad Coccygem, ex cunctis vertebris neruosa substãtia, ad colligandum emanat.

Primum par oculos appendit, perducitque spiritum ad videndum. Secundum palpebras & genas colligat. Tertium in maxillas & gingiuas tẽditur. Quartum in Aures protenditur ad auditum, indeque ramificatur. Quintum caput & Iugulum, & laringem, & linguam copulat compleċtiturque. Sextum ad Pulmonem, & cor, & ventriculum, & intestina ramificatur. Septimum ad interiora Thoracis delapsum etiam quinto pari coalescit ad omnes functiones præstans auxilium.

Nerui ex vertebris soli musculos tenẽt & pectus & scapulas, & clauiculas. Ex Thoracis vertebris cingunt costas, & ipsarum musculos. Ex lumbis partis inferioris ventris & Genitalium. Ex osse sacro ilia & coxendices, & vsque ad crura, & pedes diducuntur.

Præpreteà ossa etiam continentur in inuicem sinubus, processibus, & concatenationibus osseis, itemque suturis, vt patet in caluariæ ossibus, ità commissis, vt alterius eminentiæ in alterius Cauitates contiguas immittantur.

Obiectum.q.40. ar. 2. Obiectum colligatiui est omnis pars colligabilis, siuè glutino, siuè fascia, siuè conclauatione.

Et ideò solidæ partes tantum sunt eius obiectum. Nam spiritus & humores non possunt colligari; effugiunt enim, sed tamen contineri.

De Potentatu Contentiuo, & Contentoriis.

Art. 4.

De cõtent.q. 41.per Totum. NOn sensu & appetitu solo continentur in vasis res & corporis compago; sed etiam vasorum, & ligaminum potestate. Omne autem durius, & vnitius continet intra se minus vnitum ne dissiliat. Sic nerui spiritum è cerebro spiritus sede deducto arefactique, quò enim tenuior est res, eò acutior ad penetrandum, & agilior ad fugacitatem; tenuiora ergo tenacioribus, & vnitioribus vasis tenentur; sanguis cæterique humores venis, & visceribus, minus densis,

In cap.10.art.6. quoniã minus fugaces minusque tenues, quà per rimas egrediãtur. Sed arteriæ dẽsiores, quĩ sanguis arterialis spiritalior. Horũ fabricã anterior sermo docuit.

Tota autem statua viscera continet intus, ipsaque compagine ossium, & ner-

Obiectio. Amb. hex. 6. uorum ligamine, & carnium repletione, & membranarum adstrictione, & corij conclusione continetur. At quomodo spiritus continetur? si enim se sponte neruis inclusit, vti nos in domo, neruosum genus erit vas tutans, ergo non

R. doctrinalis, ex parte. continens. Si fato aliquo, aut à Deo, erit munimen, & carcer, contrarius Potestatiuo inhabitanti: & non suarum organũ viriũ? Hoc in Metaph. disputandũ.

Deus autem dixit, hanc esse animalis naturam ab origine quæ sine conti-

nentibus dissoluitur, ideò potestas spiritus vnitur,& roboratur in his vasis, defenditurque, propterea vsum particularē per hæc organa suæ potestatis tribuimus. Vera potestas contentiua principalior spiritus est;qua omnia vasa ad suos continet vsus, & se in eis: instrumentaliter verò est vasorum fabrica; obiectum est res contenta, non autem spiritus contentus, nisi quo mentis, vel Dei minister est: contineturque vt subtilis, & calidus; in cæteris continet vasa, & seipsum,quatenus est animasticus;vnde sine spiritu intestina collapsione fæces emitrunt, sic cetera vasa; nec nisi materialiter mox continent, instrumentaliterque vt nauis absque nauta. Omne autem materialiter continens vnitius est contento quatenus continet. Nam tete paleis vnitius, & Cauea aue in partibus tenentibus: non autem in reliquo.

De Munitiuo Potentatu & Munitoriis.

Art. 5.

ORgana quibus munit spiritus se, & partes cunctas, ne lædantur externis obuiis rebus, sunt coriū,caro, pili, vt dictum est prius,vbi vsum & essentiam explicuimus. In brutis adde squammas,plumas,cortices,quarum loco homo sibi loricam, vestem, scutum parat per mentis vim: glandulæ muniunt venarū ramificationem, ne tumpantur quasi puluinar,& adeps intestina ob idem.

Potestas Munitiua principalis est in spiritu fabricante, resistente. Hinc post vestiariam ars fabricandi domos, ciuitates,& castra instrumentaliter munientia emersit. Obiectum est læsiuum, sicuti obiectum oculi lux, omne enim lædens prædictis organis excipitur, & vitatur.

Omnis læsio est,aut perforatio,qua sanguini,& spiritui cōtinentia rūpitur;aut incisio qua eriā plus continuitatis soluitur;aut contusio qua fabrica, & eius materia,quassatur: aut intemperies, qua symmetria,& forma gradus existētiæ tollitur: aut fractio,qua substentatiuum afficitur.

Perforatio fit à corpore duro,acutoque in minus durum minusque acutum. Nec potest illi obuiari, nisi per durius: durities ex materiæ vnione,& densitate solidi fit;minus dura sunt vnita minus. Idcircò patiūtur ab illa disgregationem; vndè omne solidius disgregat minus solidum. Propterea aqua descendens frāgit aërem, foratque aquam lapillus, & tellus, & lignum; tellurem mollem tellus durior: quoniam plures habet partes vnitas. Pluralitas autem validior, & vnione potentior; dixit æterna Omnipotentia Quādo verò tenuè,& minus durum, penetrat solidum, hoc non facit potestate, sed quia inuenit in illo foramina, vel inuisilia,& sua exilitate potest in illa intrudi. Sic aër penetrat parietes per rimas, & lignum: ignis verò omnia, quoniam tenuior, sed *A* non disgregat ea nisi augeatur ex disgregatis particulis, vt in ligno, aut copia caloris, cuius est se ipsum augere, & sic ignis liquefacit aurū,& tes omnes durissimas,non quà corpus,sed quà calidū,& conuersiuum crassitiei in tenuitatem absolutā, vel imperfectam. Contrà corpus acutū non valet ignis mollis acumen, sed alia acuties durior, & quælibet durities;sed angulata, magis, quoniā ictus effugit,& nititur lateribus duobus. Huic succedit rotunditas, quæ ex obtusis quasi angulis penè fit,& opponit plures partes cōtra paucas;namoppposita ferienri acuto, innititur aliis tetrò, & lateraliter simul sibi positis, & vna vi resistentibus. Idcircò ouum intra manus cauitates in fastigiis cōpressum rumpi non potest; sed in lateribus potest. Propterea omnipotentia diuina corporibus plantarū,& animaliū,figurā rotundam dedit vt plurimū:acumina addidit in offensiuis partibus, & quæ forare necesse habēt aërē, aut aquā,vti carina nauis; patet hoc in rostris & pectoribus auiū,& cornib⁹: ossa omnia rotūda ictibus magis resistūt ob plures coeuntes partes,& à paucioribus defenduntur quoniā interior circulus minor. Plana superficies vitādæ perforationi ineptior;quoniā paucioribus partibus icta pars iuuatur: sed curua pessima:quoniā plures partes paucioribus viribus cōcutiun-

Marginal notes:

De Munimine q. 42. per totum.

Art. organum 2. & 3. & 4.

Potentia art. 1.

Obiectum ar. 5. & 6.

Hæc genera læsionum chirurgus curat.

De perforatione.

A Democritus & Galil. putant ignem, quà acutus, dissoluere aurum: sed profectò nulla acuties nisi dura, & impulsa aperit, dissoluitque, nec totum sed partem, quam vi cōtingit. Ignis autem acumen est rei mollis nec soluit quà tangit, nec per impulsum, sed totum soluit vi potestatis suæ absque impulsu: ergò non acutie materiæ suæ, sed caloris sui, qui nō est acomaacuta, sed vis diffusiua, suique multiplicatiua vt probauimus in q. & in Metaph. contra Platonem & Democr.

aut musculi, & tendones colligantes, aut nerui innodantes.

Membrana. Inter ossa adnata mediat vtrinque sub tendo viscosus tenaxque ex intima ossiũ medulla emissus, ad seruandum situm colligationis, ne facile luxentur, vt patet in articulis magnis.

Subtendon. Articuli etiam ossium ambiuntur renaci membrana, vt seruent configurationem, vt patet in brachiali: alij verò etiam subcinguntur intrinsecus, vt spinæ, & costæ: & Caluariæ ossa.

Musculus. Præterea insuper musculorum capita inseruntur in finibus vnius articuli ex altero osse, & extenduntur vsque in alterum finem adnati ossis, & fibulis superpositis conteguntur, vt ossium structura confirmetur.

Neruus. Præterea Neruorum etiam paria septem è cerebro emittuntur, & 32. ex spinali medulla ad colligationẽ statuæ mirificã: per quos liber spiritus inambulat.

Est enim neruus substantia lenta tenaxque ex cerebro in longius deducto arefactoque ortum habens: & quoniam cerebrum per spinam influit vsque ad Coccygem, ex cunctis vertebris neruosa substãtia, ad colligandum emanat.

Primum par oculos appendit, perducitque spiritum ad videndum. Secundum palpebras & genas colligat. Tertium in maxillas & gingiuas tẽditur. Quartum in Aures protenditur ad auditum, indeque ramificatur. Quintum caput & Iugulum, & laringem, & linguam copulat complectiturque. Sextum ad Pulmonem, & cor, & ventriculum, & intestina ramificatur. Septimum ad interiora Thoracis delapsum etiam quinto pari coalescit ad omnes functiones præstans auxilium.

Nerui ex vertebris soli musculos tenẽt & pectus & scapulas, & clauiculas. Ex Thoracis vertebris cingunt costas, & ipsarum musculos. Ex lumbis partis inferioris ventris & Genitalium. Ex osse sacroilia & coxendices, & vsque ad crura, & pedes diducuntur.

Præpreteà ossa etiam continentur in inuicem sinubus, processibus, & concatenationibus osseis, itemque suturis, vt patet in caluariæ ossibus, ità commissis, vt alterius eminentiæ in alterius Cauitates contiguas immittantur.

Obiectum.q.40.ar.2. Obiectum colligatiui est omnis pars colligabilis, siue glutino, siue fascia, siuè conclauatione.

Et ideò solidæ partes tantum sunt eius obiectum. Nam spiritus & humores non possunt colligari; effugiunt enim, sed tamen contineri.

De Potentatu Contentiuo, & Contentoriis.

Art. 4.

De cõtent.q.41.per Totum. NOn sensu & appetitu solo continentur in vasis res & corporis compago; sed etiam vasorum, & ligaminum potestate. Omne autem durius, & vnitius continet intra se minus vnitum ne diffiliat. Sic nerui spiritum è cerebro spiritus sede deducto arefactique, quò enim tenuior est res, eò acutior ad penetrandum, & agilior ad fugacitatem; tenuiora ergo renacioribus, & vnitioribus vasis tenentur; sanguis cæterique humores venis, & visceribus, minus densis, In cap.10.art.6. quoniã minus fugaces minusque tenues, quã per rimas egrediãtur. Sed arteriæ dẽsiores, qm̃ sanguis arterialis spiritalior. Horũ fabricã anterior sermo docuit.

Obiectio. Amb.hex.6. Tota autem statua viscera continer intus, ipsaque compagine ossium, & neruorum ligamine, & carnium repletione, & membranarum adstrictione, & corij conclusione continetur. At quomodo spiritus continetur? si enim se sponte neruis inclusit, vti nos in domo, neruosum genus erit vas tutans, ergo non R. doctrinalis, ex patte. continens. Si fato aliquo, aut à Deo, erit muniunen, & carcer, contrarius Potestatiuo inhabitanti: & non suarum organũ viriũ? Hoc in Metaph. disputandũ.

Deus autem dixit, hanc esse animalis naturam ab origine quæ sine conti-

nentibus diſſoluitur, ideò poteſtas ſpiritus vnitur, & roboratur in his vaſis, defenditurque, propterea vſum particularẽ per hæc organa ſuæ poteſtatis tribuimus. Vera poteſtas contentiua principalior ſpiritus eſt; qua omnia vaſa ad ſuos continet vſus, & ſe in eis: inſtrumentaliter verò eſt vaſorum fabrica; obiectum eſt res contenta, non autem ſpiritus contentus, niſi quo mentis, vel Dei miniſter eſt: continetutque vt ſubtilis, & calidus; in cæteris continet vaſa, & ſeipſum, quatenus eſt arimaſticus; vnde ſine ſpiritu inteſtina collapſione fæces emittunt, ſic cetera vaſa; nec niſi materialiter mox continent, inſtrumentaliterque vt nauis abſque nauta. Omne autem materialiter continens vnitius eſt coutinto quatenus continet. Nam rete palcis vnitius, & Cauea aue in partibus tenentibus: non autem in reliquo.

De Munitiuo Potentatu & Munitoriis.

Art. 5.

ORgana quibus munit ſpiritus ſe, & partes cunctas, ne lædantur externis obuiis rebus, ſunt coriũ, caro, pili, vt dictum eſt prius, vbi vſum & eſſentiam explicuimus. In brutis adde ſquammas, plumas, cortices, quarum loco homo ſibi loricam, veſtem, ſcutum parat per mentis vim: glandulæ muniunt venarũ ramificationem, ne rumpantur quaſi puluinar, & adeps inteſtina ob idem.

De Munimine q. 42. per totum.

Art. organum 2. & 3. & 4.

Poteſtas Munitiua principalis eſt in ſpiritu fabricante, reſiſtente. Hinc poſt veſtiariam ars fabricandi domos, ciuitates, & caſtra inſtrumentaliter munientia emerſit. Obiectum eſt læſiuum, ſicuti obiectum oculi lux, omne enim lædens prædictis organis excipitur, & vitatur.

Potentia art. 1.

Obiectum ar. 5. & 6.

Omnis læſio eſt, aut perforatio, qua ſanguini, & ſpiritui cõtinentia rũpitur; aut inciſio qua etiã plus continuitatis ſoluitur; aut contuſio qua fabrica, & eius materia, quaſſatur: aut intemperies, qua ſymmetria, & forma gradus exiſtẽtiæ tollitur: aut fractio, qua ſubſtentatiuum afficitur.

Hæc genera læſionum chirurgus curat.

Perforatio fit à corpote duro, acutoque in minus durum minuſque aucutum. Nec poteſt illi obuiari, niſi per durius: durities ex materiæ vnione, & denſitate ſolidi fit; minus dura ſunt vnita minus. Idcircò patiũtur ab illa diſgregationem; vndè omne ſolidius diſgregat minus ſolidum. Ptopterea aqua deſcendens frãgit aërem, foratque aquam lapillus, & tellus, & lignum; tellurem mollem tellus durior: quoniam plures habet partes vnitas. Pluralitas autem validior, & vnione potentior; dixit æterna Omnipotentia Quãdo verò tenuè, & minus durum, penetrat ſolidum, hoc non facit poteſtate, ſed quia inuenit in illo foramina, vel inuiſilia, & ſua exilitate poteſt in illa intrudi. Sic aër penetrat parietes per rimas, & lignum: ignis verò omnia, quoniam tenuior, ſed *A* non diſgregat ea niſi augeatur ex diſgregatis particulis, vt in ligno, aut copia caloris, cuius eſt ſe ipſum augere, & ſic ignis liquefacit aurũ, & res omnes duriſſimas, non quà corpus, ſed quà calidũ, & conuerſiuum craſſitiei in tenuitatem abſolutã, vel imperfectam. Contrà corpus acutũ non valet ignis mollis acumen, ſed alia acuties durior, & quælibet durities; ſed angulata, magis, quoniã ictus effugit, & nititur lateribus duobus. Huic ſuccedit rotunditas, quæ ex obtuſis quaſi angulis penè fit, & opponit plures partes cõtra paucas; nam oppoſita ferienti acuto, innititur aliis retrò, & lateraliter ſimul ſibi poſitis, & vna vi reſiſtentibus. Idcircò ouum intra manus cauitates in faſtigiis cõpreſſum rumpi non poteſt; ſed in lateribus poteſt. Propterea omnipotentia diuina corporibus plantarũ, & animaliũ, figurã rotundam dedit vt plurimũ: acumina addidit in offenſiuis partibus, & quæ forare neceſſe habẽt aërẽ, aut aquã, vti carina nauis; patet hoc in roſtris & pectoribus auiũ, & cornib⁹: oſſa omnia rotũda ictibus magis reſiſtũt ob plures coeuntes partes, & à paucioribus defenduntur quoniã interior circulus minor. Plana ſuperficies vitãdæ perforationi ineptior; quoniã paucioribus partibus icta pars iuuatur: ſed curua peſſima: quoniã plures partes pauciotibus viribus cõcutiun-

De perforatione.

A Democritus & Galil. putant ignem, quà acutus, diſſoluere aurum: ſed profectò nulla acuties niſi dura, & impulſa aperit, diſſoluitque, nec totum ſed partem, quam vi cõtingit. Ignis autem acumen eſt rei mollis nec ſoluit quà tangit, nec per impulſum, ſed totum ſoluit vi poteſtatis ſua abſque impulſu: ergò non acutie materiæ ſuæ, ſed caloris ſui, qui nõ eſt acoma acuta, ſed vis diffuſiua, ſuique multiplicatiua vt probauimus in q. & in Metaph. contra Platonem & Democr.

tur, & cessioni paratæ sunt ex tali figura suo pondere arridentes; quam figuram natura in animalibus abominatur; & vbi adest, pilis muniuit, vt sub axillis, natibus &c. Hinc patet cur minori vi impulsum corpus magnum, si acutum, plus forat, si obtusum plus contundit, quam patuum, nisi fiat contra propensionem: illud enim pondere iuuatur si deorsum; si in obliquum itidem, quoniam pluribus partibus anterior iciens adigitur; grauitas enim additur ab impellente, & quando a longè impellitur, vires augentur motu, & propensione etiam in obliquum, quoniam & rotæ partes exteriores plus mouentur interioribus eadem vi simul pulsis.

De incisione. Incisio similis est, perforationi, sed latior: vtrisque corij duritiec opponitur, & tenuitas illi iuncta, ne frangatur. Friabilia enim sunt omnium deterrima ad muniendum, quoniam tenuitate carent, atque dissoluuntur ictu, sicut materia. Tenacia parum mollia ictui cedunt, ne lædantur, nisi longum acumen, quale ensis immersum, serræ more trahatur, tunc enim fossiculas ouias intrat dentulis minutis, & lacerat. Pilus iuuat, quoniam ictus hos & intrusiones dentulorũ effugit. Propterea sapientia fuligine per poros à calore transpirante factos, obliniuit contra calorem, & frigus externum, & ex ea simul pilos constituit ad idem, & contra ictus cæsiuos, & foratiuos, & contusiuos.

De Contusione. Contusio fit à corpore non acuto impacto in aliud non acutum, & quo crassius, & multarũ partium, eo plures fabricæ partes quassat, præsertim duræ quoniam vna tenet fortiter alteram, & dũ ipsa quatitur, conquassata quas amplectitur. Lapides concussioni inualidi, lignũ, & lana melius, & metalla; & tamen omne durius metallum secat, & tundit minus durum. Aurum licet grauius ferro, quoniam magis vnum, nec poros admittit, haud tamen durius; ferrũ enim seclusis poris magis vnum est, sicut pumex magis quã aqua, si poros, aëre plenos non concipias: sicut ergo aquam forat pumex, sic ferrum aurum. Potestas contusioni duritiem mistã viscositati opponit. Vnitio *B* ex similaritate partiũ fit, vt in auro: vnitas ex conformitate: non autẽ ex figuris vncinatis tantum in atomis. Dissoluũtur enim subitò nisi consensu cõtinuentur, & amore, ergo & potentia.

B Contra Democr. qui continuationem facit ex tactu atomorum vncinatorum exquisito absque primalitatum vi.

Crustas dedit cancris natura; sed vt moueantur, iuncturas addidit, homini crustas, non dedit, vt flectatur, & erigatur quorsumlibet, vtque sensus non impediatur. Spinas echinis, sed quæ neruositate in sui principio teneantur ad motum: squammas piscibus contrã ictus, vt flecti corpus, & muniri simul possit. Loricam nos instar fecimus. Tractio seu distentio lacerat vt incisiua. Compressio contundit, vt contusiua.

Varia munimina animalium & ornamenta.

De Intemperie. Intemperies fit dũ augetur ac minuitur calor, & forma existentiæ eius in materia, per calorẽ robustũ eas dissoluentẽ, & tenuitatẽ adducentem, & reliquas exiccantem, aut per frigiditatem gelantem humoris, caloris extinguentem, ac reliquas partes quasi crematas exiccatas reddentem: vrit enim calor gluten humiditatem eliciendo. frigus vrit eandem exsiccando & destruendo. Vstio enim humiditatis extinctio, vel eductio est, vtrisque plus fuga resistit, & panni calidi contra calorem, non enim vno aculeo, sed innumeris simul perforat, non corporeis, sed incorporaliter. Quæ enim incorporea subsistunt, immobiliaque penetrant corpus absque læsione, sed non absque occupatione, vt locus & Angelus: quæ nõ subsistunt nisi in corpore, vt calor, cum occupatione, & læsione: corpus autem qua corpus occupat, non lædit, demptus impulsibus, & propensionibus. Ex his constat quatuor tota natura, ex opifice, basi, materia, & instrumentis actiuis.

Virg. dixit Penetrabile frigus adurit.
De Penetratione loci, & caloris, & corporis in corpus.

De Pugnatiuo Potentatu. Art. 6.

Pugnatiua vis pro obiecto formali habet non læsiuũ quoduis, sed Hostilitatẽ quam ab animatis præsertim rationalibus patimur. Hostis enim est propriè qui ex proposito odio, aut paruipensione, aut commodo suo nos occidere, aut affligere parat. Venatores hostes sunt feris, non hostibus nisi

Ad pugnã q. 43. per Totum.

nisi præposterè, vt earum carnibus alantur. Contra hostem irascibilis vis Potestatiui nos armat. Arma ergo sunt organa huius potentiæ cunctis datafere animalibus; quibus cornua, vngues acutæ, longæque spinæ, dentes exerti, aculei, rostrum: homini verò negata. Vngues enim finientes partes in extremum, ne dissiliant, aut lædantur, vsui sunt illi modo. Et cum priuata armis Omnipotens donarit agilitate, vt lepores, aut alis vt columbas ad salutem, homini etiam hoc negauit, illum Sapientiæ committens, quæ sub luculento sui participio sic dotauit hominem, quo pisces natatu, aues volatu, elephantes robore, leones violentia, herinaceos, testaceaque munimine, superaret; Idcircò manum munitam digitis contrapositis robustiori digito, ad tractationem ignis, & omnium corporum, & armorum, & omnium instrumentorum, organum addidit. Et ne contrà inuicem pugnent, nisi rationibus, arma negauit innata; vngues enim potius finitioni defensiuæ venarum, arteriarum, & neruorum prosunt, & ne caro extrema in complectendo corpora retrocedat: Baculum sustentatiuo: domus & vasa cōtentiuo: aromata vitali, ollas, & ignes concoctiuo, amicos & seruos augmentatiuo, equos & nauigia motiuo, vestes & thoracem munitiuo; lanceas, gladios, bombardas offensiuo, sibi parant homines per manum.

Art. 6. Art. 7. Art. 10. De Manus vsu. Art. 50.

Eadem instrumenta omnia plantis data sunt, excepto pulmone; sensoria, de quibus mox, negantur, excepto gustatiuo. Appetitoria insunt proportionaliter. Generatiuum vtrisque. Sed de eius vi in Appetitoriis.

Appendix.

TRansmutationis Potentatus, quo aër, & cibus in substantiam corporis, & spiritus conuertuntur, & superfluitates expelluntur, est in omni membro, sicut sensus tactus, & appetitus nutritiuus in omni corporis parte, proptereà de isto nunc non est sermo, sed cum appetitoriis complicatur.

De Vitalitio Potentatu.

Art. 7.

QVoniam vita est conseruatio omnium partium in suis officiis, & mutuis vsibus, quæ omnia spiritu, & calore exercentur. Spiritus autem quà calidus continuò ad cælestia exhalat cognata corpora, vndè originem habet, & cuius originis non obliuiscitur vnquam; cum sit in aliena sede factus vita, & animasticus; ex consilio rerum opificis retinendus fuit, calor quoque accendendus, ne vel à frigore, cuius sedem occupauit, extinguatur, vel à proprio appetitu, pascendo corpus, quod incessanter attenuat, cum tenuitate elabatur in cœlum. Quapropter optimus opifex excogitauit organum, quo ipsemet spiritus; qui aufugere vult, quatenus calidus innato desiderio, seipsum retineret, quatenus factus est animasticus illato desiderio, & vi; itáque calorem accenderet, & includeret, & per calorem retentum simul seipsum generaret perpetuò, quoniam perpetuò exhalat.

Hoc Pulmone assequitur, follium ritu constructo, prout superius declarauimus, quo aërem inspirat in cor quasi per folles, & spiritum generat ex sanguine, & calorem, ne elabatur, retinet, intruditque in cor, & arterias; & ventilat, augetque ipsomet aëre, & ne suffoccetur & fœdetur fuliginibus, expirando expurgat; & ne extinguatur retentus, accendit, quoniam vita permansio est caloris natiui radicaliter, licet omnium conseruatio in sua existentia partium sit vita totalis.

A Vita est consensio omnium partium solidarum, humidarum & spiritalium mutuis emolumentis, & officiis: quæ calore natiuo exercentur. Arist. dicit quòd vita est permansio caloris natiui, quod verum est causaliter instrumentaliter, sed sibi contradicit: Si enim anima est forma, qua viuimus, vita erit animæ permansio, aut actus, non autem caloris. Organum. q. 50.

Potestas hæc spiritus fibris pulmonis inest, & neruulis, quibus alligatur. Organum Pulmo; modus vtendi inflatio, & ratione vacui attractio, & oppositionis expiratio, opus accensio, ventilatio, retentio, & spiritus generatio, obiectum calor vitalis, vt exhalabilis in corde, ex quo per arterias in totum corpus expansum viuificat pulsando, coquendo, transmutando, augendo, & purgando.

Facultas. Organum. Ratio opus obiectū.

Piscibus pluribus non dedit pulmonem, quoniam aqua calorem sepit, retinetque ne exhalet, branchiæ enim sunt ad exprimendum aquam, ne simul cum hausto intra ipsam cibo in ventriculum subeat, aquam alij per canalem supra fontem emittunt.

Fabrica cordis ac pulmonis, & communicatio per arteriam venalem, & venam arterialem, & modus attrahendi aërem, & expirandi, dicta sunt prius.

De Potentatibus non organicis.

Art. 8.

Potentatus non organici sunt vis, alacritas, spes, confidentia, constantia, ira, quorum entitas, & qualitas ex operationibus agnosci potest, & ideo cum de illis erit sermo. Potestas ab omnipotenti omnis deriuatur. Vis non potest explicari quid sit, nisi ex impetu, quem facit operando; vt autem possit sic ab vnitione spiritus solet euenire. Vis enim vnita fortior, quoniam tendit ad ens, dispersa languidior, quoniam tendit ad non Ens, vnde omnis multitudo impotens est, nisi vniatur, & entificetur; Vnitas enim dignitas entis est; Diuisio verò non entis; Femininilitas vi, seu virilitati opposita, huic magis accedit. Alacritas est ad porendum aliquid elatio, Socordia verò depressio. Spes ad possibile extensio, desperatio verò recessus, illa in viribus suis, vel alienis sibi appropinquati sedem locat; ista in defectu virium. Confidentia similiter se habet, excepto quod est sine motu, eius oppositum est inconfidentia. Constantia est perseuerantia in viribus, & actibus virtuosis ex subministratione potestatis. Inconstantia è contra. Ira est vis intenta contra Destructiuum. Timiditas est recessus à pugna in Destructiuum; & quidem difficile ista sciuntur nisi ab operationibus exterioribus: possidere est potentia retinere. Amittere est impotentia à possesso excidere. Et de his postea; Nunc ad sensus organicos, & inorganicos.

De sensibus exterioribus, sensoriisque in communi.

CAP. XII. Art. 1.

A Non fit sensus per informationem vtputat Arist. nec est virtus sentiens Potentia pura, sed ens actu, quod non patitur à sibi simili Ente, vndè nec aërem spiritus noster videt, nec sonum eius audit, nec, &c. ergo per immutationem.

Qu. 44. a. 1. 2. & 3.

Quoniam animal est spiritus insertus intra crassam molem organizatam modis variis in figura, ac dispositione ab ipso, & distinctam in partes continuas, & contiguas, prout opus erat conseruationi ipsius spiritus primariò, eiusque domus secundariò, necesse habet moueri, acquirendi gratia res, quibus depstruitur: & prænoscendi vtrumque genus. Quod cum fieri non possit absque multo sensu, sentienti spiritui sensoria opifex summus excogitauit. Sentit quidem spiritus, cognoscitque res tangendo, dum ab aliis mutatur, adeò quod possit immutantes ipsarum discernere vires. Quoniam verò non omnes res, à quibus patitur spiritus in animali, sed illas modo, quæ pertingunt ad transmutandum ipsum spiritum iudicem transmutantium rerum: Proptereà dicimus sensum esse iudicium de re sensibili ex perceptione illatæ ab ipso passionis. Nec fieri ità per informationem, quòd spiritus transmutandus sit in substantiam obiecti, atque informandus forma obiecti: sic enim sol fieret, dum sentit solem, & tellus dum tellurem, & tabula, & lapis, & frigus, &c. Verùm sufficit, quòd immutetur non totus, sed aliqua pars ipsius, cum sit corporeus, nec quidem totaliter, sed aliquantulum; ità quòd non est immutari ac proinde mori ordinarius sensus: sed paululum affici, ac deinde discernere ex iudicio illatæ paruæ passionis reliquas vires obiecti in ipsum agentis. Quaptopter sentiens aliquantulum ignis calorem, & quod propinquior illi factus; transmutatur magis ab illo, iudicat mox præpotentem virtutem illius; itaque sentire admistum videtur esse iudicio rei sensibilis. Ac per totum corpus

diffusum est, præcipuè autem in cute neruosa: orta ex capitis cute; plena spiritu sentiente vario modo in variis partibus. Quapropter in ventriculo est sensus famis, atque sitis; in genitali verò, veneris; in aliis portionibus, aliorum obiectorum.

At quoniam ad sentientem spiritum, quæ ex rebus ad nos veniunt non poterant admitti; oportuit organa admittentia fieri, in quibus assistens spiritus sentiat, non vt forma organi, sed operator per illa, à quibus etiam recedit in somno, & accedit in vigilia. Et *A* quoniam diuersum non patitur, ergò nec sentitur à diuerso, neque simile persimili: Idcircò tot sensoria fabrefecit spiritus, Deo duce, quot à rebus ad se entitates consimiles in natura, sed non in gradu communicantur. Et quoniam spiritus est lucidus, subtilis, calidus, mobilis, propterea ædificata sunt illi organa, alia, quibus lucem admittit simplicem, & coloratam, vt oculus, alia, quibus motum, & hunc promouentia obiecta, vt auris: alia, quibus tenuitatem exhalantem, vt nasus: alia, quibus substantiam temperatam calore, vt linguam. In toto autem voluit calorem, & frigus, tanquam semper, & vbique agentia, sentiri tactione.

Sensoriorum organorum occasio.

Art. 3.

A Omne obiectum est simile facultati in natura, sed non in gradu: contra Arist.

Aliud à rebus non aduenit, & si aduenit, non est perceptibile nobis; neque hæc nisi in gradu potentiori, vt possint agere in minus potens. Etsi enim sensus non sit passio, tamen ex passione sequitur.

Art. 4.

Et ideò sunt alia per se sensilia, vt calor, & lux, & odor, & sapor, & sonus, alia per aliud, vt calida, illuminata, odorantia, saporosa, & sonantia, alia per accidens mista his, vt homo, campana, arbor, cælum, corpus, substantia, & anima, & amicitia; ad quæ ex sensatis discurrendo sensum extendimus, eáque quasi sentire videmur.

Sensib. per se: per aliud: & per accidês. Art. 4.

De Tactu.

Art. 2.

VNus est sensus spiritus diffusus per corpus totum cum illo intrà substantiam neruosam, fibrosamque, ac totus vocatur tactus, eò quod non fiat, nisi sensibile tangat sentientem portionem. At pili, vngues, & ossa, quia non communicant ob solidam obtusitatem ipsorum spiritui, in capite regnanti, suam sensationem, videntur non sentire. At dentes manifestè à frigore, & acetosis, absque carnis adnatæ contactu, affecti, ostendunt se sensu donatos. Item si huiusmodi partes nutriuntur, secernunt nutrimentum, gaudent, & appetunt, sentiant oportet; sic & sanguis extra vena prosiliens, si tangatur, non communicat tactum interiori spiritui, nam cum fluxibilis sit, separatur ab eo, & non redit. Hoc autem æquum fuit vt eximeretur animal multis passionibus infælicibus. Igitur si spiritus in suo esse seruatur à re, qua tangitur, & augetur, quoniam sibi similis est, commodáq; corpori, suo organo, oblectatur, vt à blando calore, & sapido cibo afficitur. At si mutetur in rem sibi dissimilem, dolet; Itaque voluptas, & dolor omnibus in rebus sentientibus, quæ suæ conseruationi prosunt, aut obsunt, inueniuntur. Illa tanquam sensus boni conseruatiui, ista verò vt sensus mali destructiui, affectio.

Qu. 45. per totam.

A Cum pili & ossa trahant ad se nutrimentum, appetantque, sentiant oportet, alia magis, vt dentes alia minus vt pili. At sanguis totus spiritu sentiente abundans. Vndè fallitur Arist. his partibus negans sensum.

Quæst. 34. 35.

B Transmutari in ens dissimile subitò, non paulatim est dolor; in simile verò, dum augetur simul, est voluptas.

Calor & frigus sunt tactus obiecta per se, nam ante, retrò, supernè, infernè, & vndique in omnem situm ad agendum in sensum per se effunduntur. At passiones materiales, vt graue, durum, magnum, paruum, lapis, tabula, aliaque entia ex materia difformiter ficta, constituta à calore, non agunt nisi per ipsum; ergò per accidens: Humidum & siccum non sentiuntur per se effectiuè, sed mista sentienti tactui argumentanti ex hoc quòd cedunt, aut non cedunt, & ex fluxione, & stabilitate per visum.

De obiecto Tactus per se.

De obiectis per Accidens.

Quæst. 8. art. 9.

Graue quoque non effundit grauitatem, sicut calor calorem, sed grauat positum suprà sensum, & ità positum, vt possit deorsum trahere. Lapidis sentimus frigus per se, duritiam verò per accidens, hoc est, stringentes ipsū, atque reniti, &

non cedere, experientes: vndè argumentamur lapidem esse, si oculis certi non reddimur; Idem dico de aliis sensibilibus, quæ immutant non spiritus vires, quæ est calor, sed dispositionem; quæ est tenuitas, positioque particularum suarum in suo toto. Ac sentiuntur non sensu simplici, sed discurrente simul, proptereà quòd mista sunt sensibilibus per se obiectis, non autem à se ipsis agendo.

Spiritus non omnes sentit caliditates, sed suam excedentes tantummodo, non autem æquales, quoniam simile non agit in simile, cum omnis actio assimilationis gratia sit. Hoc autem iam assimilatum est.

Quæst. 45. *De organo Tactus: quod non est caro, nec neruus vt putant Peripatetici, & Galenistæ, sed omnis particula sensu corporato effecta.*

Non habet tactus carnem, aut neruum pro organo, cum etiam in dente, in sanguine, vena, iecore, &c. fit sensus tactus: sed vbicumque vis tactiua reperitur, & secundæ primalitatis participium, nedum in animali, sed etiam cunctis in rebus, sensu, potestate, & appetitu naturaliter præditis: præualet tamen vbi spiritus detectus est magis.

De Gustu.

Art. 3.

Qu. 46. per totam.

QVasi pernoscens spiritus sed instinctu Dei, quòd in extremis sui instrumenti partibus tactis, proptereà quòd solidæ sunt, non poterat pati nisi à robustioribus rebus: nec ipse illis modo seruatur. Item res multæ non videntur quales sunt; A qua enim ac vinum, multáque alia natiuo calore calida sunt, at tactui frigida videntur, quia frigore externo occupata sunt, natiuum calorem ligante, & obtundente: Parauit sibi vsque ad se aditum in lingua vbi non modò sentit exteriorem naturam, ac præpotentem rei comedendæ, aut contrectandæ, sed etiã internas illius facultates, quibus nascens donata est, & hoc fit per saporem.

A Sapor non est forma vt Arist. putat imagoque, sed actiua vis cum propria mole; quasi est in elementatis, sit oportet in alia proportione in elementis.

Qui nimirum est calor imminutus, moderatusque rebus inditus vnà cum mole sua, & non solus effusus (sicut calor ignis sttenui effunditur) ad agendum, cum qua penetrans cauitates spongiosæ linguæ, non modò calorem spiritus inhabitantis immutat, vt consueuit robustus calor, sed etiam dispositionem, hoc est tenuitatem spiritus. Ideóque sentit ipse, num proficuus sit cibus intrà ventriculum immittendus, conuertibilísque in suam naturam probè ac substantiam. Quia non modò ciborum, & potuum calor vtilis est, sed etiam moles, vt fiat spiritus attenuata, ac conuertatur in molem ipsius, atque corporis, inspissata. Itemque necessaria est ad instaurandum id, quod perpetuò cum exhalante calore in cœlum ascendit. Igitur dum spiritus blandè immutatur à sapore, afficitur voluptate: inconcinnè verò, aspereque, dolore; mediocriter verò à mediocribus afficitur saporibus.

Quæst. 46. art. 2.

Quæst. 46. art. 3. *Simile non patitur à simili augmentum roboris, sed copia tantum, licet mox, & robur sequatur, destructionem autem non nisi per accidens, dum extrahit simile ad se ex subiecto, in quo irretiebatur.*

C Ergò sapor amarus est dulci proximus cõtra senteut. Arist.

Insipidus est nostro calori natiuo similis, ideóque non agit, quod simile à verè simili non patitur transmutationem, sed augmentum copiæ: omnis autem sensus in transmutatione est. Quando nascitur fructus, repentè insipidus est, vt prunum, mox parum decoctus à suo, ac solari calore, fit stipaticus: quia linguæ appositus constipat, replendo, claudendoque poros sua mole copiosa non digesta, sed parum suo calore illam immutando: deindè decoctus, magis fit acidus, nam magna ipsius pars attenuata est à calore, acutè penetrando spiritum, quasi dilacerat, qui ne patiatur, colligitur, stringiturque. Igitur ob spiritus fugam: & quia quò pertingit suo acumine exhalare calorem facit, & quod remanet vniri: ideò aptus est hic sapor ad seruandum à corruptela, quod remansit constipatum. Deinde amplius coctus, fit ponticus. Qui nimirum acidus est aliquantulum dulcescens, quia partes crassæ digestæ sunt iam magis: tenues verò acutissimæ exhalauerunt. Reliquæ verò æquales redditæ sunt acumine deperdito. Deinde sequitur dulcis, cum illius partes magis calefactæ ad æqualitatem vberem redactæ sunt. Ideóque delectat valdè gustum nostrum, cum nos temperatissimo spiritu vigeamus: Ac ipse vim habeat liquefaciendi partes aridas linguæ, & exiccandi partes molliores & ab-

ſtergendi viſcoſas, omneſque æquandi. Deinde amplius coctus, ita quòd tenuitas exhalet, fit amarus C in parte fæculenta, aridáque, veluti appia mala fraceſcentia oſtendunt, ac iecur ſenis induratum amareſcens. At portio dulcis ipſius exhalans copioſè, ſi in liquoris conſiſtentiam vertatur, aut pinguedinis, fit ſaporis vnctuoſi, ideóque aptiſſima nutriendo igni; poſitaque in lingua dilatat ſua blanda vi, ac tenuitate, adeóque rareſacit, quòd nauſeam affert; idcircò vnctuoſus liquor aceto commiſtus, temperiem ſpiritui valdè placentem faciunt, dum alter dilatat, alter verò conſtipat; ſic olei amurca amara eſt, quoniam fæx eius corpulenta eſt, quæ meatus linguæ ſtringit ſpiritum aggrauat, contriſtatque naturam eius tenuem conſtringendo: oleum verò dulce eſt, & vnctuoſum, ac leue ob tenuitatem, & æqualitatem ſuarum partium.

C Sapor amarus dulci proximus contra Ariſt.

Quæſt. 46. 3.

Tandem ſi amarus coquatur magis, ac in acutam temperiem redigatur explicatis ſuis omnibus portionibus vi caloris æqualiter vincentis, vertitur in ſaporem ardentem, aromaticum vocatum, & ſtipticitatem etiam habet, ſed digeſtam valdè, calidamque, & horum alius acrior, qualis in pipere, alius minus acer, qualis in cinamomo. Ac deinde combuſtus magis, conſumptúſque, reliquiæ ſalſę temperiei fiunt, ignitæque quæ citò penetrant attenuando, & ſtatim, ideò adſtringendo.

Quoniam verò penetrat vſquequaque calor, ac ſecum defert eius ſubſtantiam; idcircò cunctis dapibus, cibiſque cōgruit ſal; qui ſua caliditate attenuat, diſijcitque partem craſſiorem, & venenoſam, ac calefacit particulas omnes, & conſequenter ſapidas reddit. Ex omnibus cineribus educitur ſal vi ignis, ac ex terris combuſtis, non vt præexiſtens principium, ſed vt effectus ignis comburentis.

Quæſt. 18. art. 2.
Contrà Paracelſum, qui ſal facit principium.

Sunt etiam alij ſapores penè infiniti, at hi ſunt noti magis, qui expanduntur in magis minuſque ſalſum, acidum, dulce, &c. Omniſque rerum ſpecies proprio dotata eſt ſapore, optimo nuncio eius corporatæ eſſentiæ: Atque neceſſariò valdè in Medicina. Ac conuenientiæ, & contrarietates ingentiores ipſarum rerum agnoſcuntur ex ſimilitudine & differentia ſaporum, obiectorum ipſius guſtus, qui tactus eſt exquiſitiſſimus.

Eſt ergò ſapor actio caloris natiui ſubeuntis cum propria mole in linguam & immutantis non modò facultatem, ſed & diſpoſitionem ſpiritus intrà neruiculos linguæ, ſui organi ſenſorij, diſcernentis. Propterεáque res nimis calidæ, nimiſvè frigidæ ſaporem non habent, quòd minus calor, minuſvè frigus occultat actionem caloris natiui temperati in materia ſapida: ac ipſum præuenit, ſicut lux ſolis ſtellatum luces. Item tranſmutat vires ſpiritus, antequam diſpoſitionem. Quapropter gelatum vinum, ac laganæ calidæ nimis, non manifeſtant ſaporem ſuum in ore. Itidem niſi frangantur in minutias ſiccus cibus non manifeſtat ſaporem, quia obtuſa craſſities nequit ſpongiam ſenſus penetrare. Itaque natura ſagaciter vtitur ſputo ad mollificandum ſiccum cibum: quod ſputum oritur ex vaporibus ex ventriculo ſurſum exhalantibus, prohibitiſque ad faucium cauitates vltrà progredi, condenſatiſque propterea in aquam. Quæ caliditate ſua, & aëre ab arteria expirato, repletur tenuitate, fitque ampulloſa, ſicut apparet, & linguam humidam ſeruat, ne contrahatur agitationibus exiccata (quod præſtat cordi pericardium, & aliis membris deſtillatio, & adeps, & ros) vtque admittatur cibus, & tranſglutiatur lubricitate illius facilè. Hoc fuit ſanctæ Monatriadis præceptum primum, vt omnis ſuperfluitas, omnéque malum cederet in bonum vſum, veluti de ſpuma etiam, & de cinere, & de fæcibus, & de ſero ſanguinis iam dictum eſt: non ergo ſapores extremi ſunt amarum & dulce, neque amarum ex ſiccitate, & dulce ab humiditate fiunt, cum mel ſtatim amareſcat, & ſicca multa ſint dulcia, vt saccarum, & liquida multa amara, vt bilis; & omnis ſapor ſit actiuus in linguam, ſiccitas autem, & humiditas paſſiuæ qualitates.

C Non is ſputi vſus eſt, vt det ſaporem rebus ſiccis ſicut Ari. putat, non ſaporoſis, niſi & humido ſimul ſiccum miſceatur. Nam & ſimul ſiccam ſoliditatem oportuiſſet dari lingua, quà & humida res ſaporem acquirant. Errauit ergo æſtimãs ſaporem eſſe compoſitionem ſicci, humidique ſimul.

Art. 3.
Qu. 47. per totam.

De Odoratu. Art. 4.

Qu. 47. per totam.

INtellexit Sapientia quòd dum linguæ admittuntur guſtabiles res, prauæ quidem, ac venenoſæ potuiſſent afferre exitium', aut ingens malum; quodque cibi putreſcere incipientes non ſubitò ſaporem amittunt: Ideoque poſſunt animal ità decipere, quod deuoret, & proinde ægrotet, & quòd res proficuæ à longe, & abſconditæ non ſentiebantur, & quod lingua bumoribus perfuſa amaris, aliiſque prauis, infeciſſet amaritudine cibum maceratum; Ideoque quamuis probus, potuiſſet prauus apparere. Propterea fieri voluit aliam ſentiendi viam res, antequam linguæ admitterentur. Quapropter naſum fabricatus eſt duabus cum naribus, quod per duos meatus cordi aërem immittit, & per os quoddam ſpongioſum depuraret aërem, & in cerebrum admitteret, ventilandi gratia, nutriendique ſpiritus. Ac ſimul cum aëre intraret ſubſtantia rerum tenuis, vaporoſaque, per quam ipſe iudicat ante guſtus iudicium. Igitur (dixit Sapientia) fiat huiuſmodi ſenſorium ſpectans deorſum, propterea quòd terreſtribus ex rebus, quibus alitur animal, perpetuò in cælum pars *A* tenuis cum calore exhalat, quæ naſum obuium ſubiens, vbi aër natiuus ſpiritus continetur, ſi ipſi addita augebit, ac roborabit ſpiritum in ipſum conuerſa, intelligat vtilia eſſe entia, ex quibus talis exhalatio educitur, & quæritabit; ſin autem aggrauabit, lædetque ſpiritum, exuperando ipſum caloris copia; & graui craſſitie onerando, auerſabitur ipſa tanquam praua, noxiáque. At ità factum fuit. Igitur odoratus eſt quidam guſtus ſpiritalior; quia non admittit ſicut lingua conſueuit, craſſam cibi molem, aliarumque rerum, ſed tenuem. Item nec odoratus ſpiritum in neruoſa craſſititie interclusum habet ſicuti lingua, ſed in cauitatibus liberum, in quibus mouetur, atque afficitur odore, & aëre, tranſeuntibus per mammillares neruos extenſi cerebri. Ineſt etiam ſuper nares cella aëris plena, qua incluſus odor multiplicatus ſentiatur magis, ſicuti lux aqueo humore intra oculum augetur magis.

Quæſt. 47. art. 1.

A Ariſt. vult odores fieri ex elementis non odorantibus & ex qualitatibus paſſiuis. Vide q. 47. a. 2. & 4.

Art. 4.

Sunt tenues ſubſtantiæ ipſi vapores, odores vocati, proptereàque ſi ipſorum moles, ex quibus educuntur, putrida eſt (cum putrefactio fiat aucto natiuo calore, qui partes ſolidas propriæ materiæ deinde attenuat, ſecumque copioſo facto euaporare cogit) ſunt graues, craſſi, moleſtique, quod proprio calore copioſo ac nimio exuperant ſpiritus calorem, ac mole ſua craſſa aggrauant molem tenuem ipſius ſpiritus. Sin autem materia ex quibus educuntur viuida eſt, nobiſque ſimilis, vtiles ac iucundi ſunt, propterea quòd in noſtrum vertuntur ſpiritum, roborant, augentque: ſi ex nimis calida ac tenuiſſima educuntur vapores, diſplicent, proptereà quod mouent nimis, & inflammant ſpiritum, ac interdum calore, & robore exuperant, præſertim cum exilis eſt paruuſque. Idcircò acutus thuris, ac piperis odor moleſtus eſt in æſtate, quando ſpiritus imminutus eſt, patuuſque ac facilè ſuperatur. Iucundi ſunt vero in hyeme, quando multus eſt ſpiritus, victorque: ergo ex calore & tenuitate odores cõſtant actiui, non ex humido, ſiccoque paſſiuis.

Addit Auerr. cum Ariſt. odorem eſſe ſpeciẽ intentionalem, non autem realẽ ſubſtantiam. Vide art. 5. Odor nutrit. Art. 6.

Alitur odoribus ſpiritus, non autem cæteræ corporis portiones, quia craſſæ ſunt, nutriunturque craſſioribus ex rebus; tenues verò, quales ſunt odores, nequeunt craſſeſcere, ac tranſire in ipſorum ſubſtantiam, veluti in ſubſtantiam ſpiritus tenuiorem ipſis, attenuari poſſunt. Quapropter nos poſt laborem, & laſſitudinem, odorem ſentientes, confeſtim refocillamur, propterea quòd tenuis eſt odor, noſtro ſimilis ſpiritui, ac repente in ipſum conuertibilis, eiuſque portionem labore perditam, denuò refici ex odore, atque creari dicimus, & vulgò recreari non inepte. Plane potus vini generoſi reficit afflictos ſua ſpiritalitate extemplò, recreatque perditos ſpiritus.

Aliquarum rerum odor bonus eſt, iucunduſque, ſapor verò prauus, veluti liliorum; Idcircò non ſatis in naſo confidit natura tantum, ſed & ad guſtum confugit ſimul. Qui non modo tenuem materiam rerum, quæ perpetuò ferè iucunda, probaque videri poteſt, ſed & craſſam diſcernit. Ità in iudicio putrefactorũ entiũ non confidit guſtui, ſed ad odoratum recurrit, ergo cognitio ciborum mirifica ratione duobus teſtibus demandata eſt.

Odores nobis sensibiles oriuntur ex rebus calore robustiori, quàm spiritus noster naribus superastans donatis: idcircò aqua vaporem emittit, non autem odorem nobis & est sicut insipidum gustui ipsa olfactui: canes odores idest vapores ex hero & ex bestiis manantes olfaciunt, & equus insidiantes, nobis non perceptos, & Apes à longe flores: & omne animal eos, qui suæ vitæ, & destinato muneri sunt necessarij. Art. 4.

Sunt odores stiptici, qui veluti obuelant spiritum, ac pontici, qui aliquantulum, penetrant, & acetosi, qui pungunt, & dulces qui adæquant spiritum, & salsi, & amari, qui constringunt, & demum effectus saporibus similes inducunt: ideòque ab ipsis nomen elaturam mutuant, non tamen omnis odor proprio correspondet sapori; nam tenuis substantia sæpè melior est, quàm crassa; veluti in rebus ex calore moderato, materiaque ex molli bene deuicta, sicuti flores plurimi sunt; Item in rebus compositis magno ex calore, atque materia ex densa benè deuicta sicut thus, & cipressus: vapor confortat, roboratque sapor verò infestat, affligitque combustam ob materiam, linguam adstringentem. Quarundam verò rerum molli ex materia constitutarum, sapor vtilior, & iucundior est, quàm odor. Hinc enim nimis copiosus exhalat, & aggrauat proinde spiritum sicut euenit ex carnibus primò putrescentibus.

Differentia inter odores & sapores.

Differentia odorum & saporum non sibi correspondentium vnde sit.

Non modò igitur nutritur spiritus ex vapore sanguinis arterialis & ex vaporibus cibi ex ventriculo per interiores nares sursum elatis, sed etiam ex aëre per nasum in cerebrum ingrediente. Quapropter salubris aer tenuis, ac ventilatus, animalia seruat sana, robusta, ingeniosaque: crassus verò impurus ac piger stupida reddit, graula, somnolenta, & ægra.

Aug. in lib. 4. de anima & eius origine spiritum aëre nutriri etiam docet. Quæst. 47. art. 3.

Plato ex aëre, & igne facit odores meliori ratione ac Arist.

Hinc est quòd odores ex terra arefacta in caput obeuntes occidunt; spiritus enim inuertere in sui substantiam illos non valet, cùm sint valde dissimiles sibi, grauesque. Cumque copiosi fuerint, suffocant spiritum animalem, aut meatus, in quibus mouetur, intercludunt, & replent cauitates, in quibus ipse moratur, veluti accidit ad antrum Acherusiæ, & in ædibus obseratis, in quibus accensi carbones adsint, non benè ab igne deuicti aut elycnij non bene extincti, qui faciant non tenues vapores, sed crassos, fuliginosos, impurosque, sic etiam aër palustris, aut vbi post bellum multa remanent cadauera, grauem emittentia odorem inficit, infestat, pestéque perimit spiritum. Quoniam sua fuligine tingit lucem spiritus, sua crassitie aggrauat illius tenuitatem, & motu priuat, & calore improportionato calorem spiritus exuperat.

Quæst. 47. art. 4.

Cur odores enecant & saluant.

De pestis causa & ratio; & cura. Vide Med. lib. 6.

Remedium contra ipsum est, coelum mutare aut attenuare rumoribus bombardarum, vel potius campanarum, citarum fluoribus thuris, ventilare, & rectificare aërem, comburendo herbas benè olentes, ac cibis delitiosis, odoriferisque vesci. Humores verò non purgare, si solummodò infectus est spiritus, prauéque propria obire munia potest. Dum enim ità oppressus iacet, nisi à vapore subito suffocatus fuerit, accenditur ipsius calor in vapore pestilenti ad vincendum. Vndè fit diaria febris, quæ ad diem durat, aut quousque vaporem exuperare potens est.

De putrefact. q. 33. art. 7.

Remedium contra pestem ex toto, vel ex parte.

Febris enim est ira interior, idest feruor spiritus accensi, ideòque & permoti magis, & velocius, & crebrius soliro contra vaporem aut humorem molestum. Interdum accidit, quòd spiritus aëre infecto grauati, mutatur vis caloris, & dispositio, adeò quòd non possit escas coquere, sanguinem purgare fæcibus, fuliginibus, & spuma, veluti consueuerat, vndè fit, vt huiusmodi excrementa intra vasa abundent, ac putrescant. Ideoque cogitur spiritus feruescere, vt illa extrudat; ac huiusmodi feruor febris est pestilentialis: quod si humores copiosi fuerint, subsequi solent apostemata, quæ fieri consueuerunt in inguinibus, & sub axillis, & sub auribus; quas per partes, quia porosæ sunt, graciles, calidæque, assueuit natura purgare ventrem inferiorem pectus & caput, partes compositi animati principales. Hoc fit quando morbus interius roboratus est, non potente spiritum ipsum expellere. At cum infectio non fuerint adeò valida, si accensio fiat in sanguine fiunt maculæ rubræ, crassæque in pueris, quas paruo feruore spiritus emittit ad cutim.

Quid sit Febris. Med. lib. 7.

Febris diaria fit in spiritu, putrida in humido: hectica in solido.

Vide lib. 6. Med. de pustulis, Erisyp. &c. causas & curam.

Vide 3. & 6. lib. Med.

Si verò accenſio fiat in flegmatico, ſeroſoque humore extruſo foras, efficit tubercula ampulloſa, albaque pueris peculiaria. At verò cum fæces, aut ſpuma ſanguinis accenſione efficiuntur, ſi intus retinentur, ſpiritumque exuperant, occidunt; alioquin foras expulſi producunt ſcabiem, lepram, ac huiuſmodi ſcaturigines. Qua etiam ratione fit morbus venereus ex fœtido vapore inficiente ſpiritum, ac proinde ſanguinem: Deinde verò ſeſe effundente per corpus totum, reducentéque in alterum habitum, temperamentumque alienum.

Quapropter ne huiuſmodi lues alantur, cibare conuenit patientem ſiccis eſcis. Humidæ enim facilè tranſeunt in alimentum vaporis craſſi, infectique per corpus ſerpentis: At ſiccus cibus tenues vertitur in vapores, quibus & vapor peccans attenuatur; Item quò foras extrudatur, vtilis eſt labor, quo vapores ſpiritus attenuantur, exhalantque & attenuantur humores, coguntúrque exſudari. Idcircò & balnea conferunt, præſertim odoribus probis conſperſa, ſic enim egredientibus vaporibus, humoribuſque prauis, corpus remanet attenuatum, nouáque temperie affectum, ſed debile, imminutumque, indigetque confirmati interea nouis ſpiritalibus vaporibus, qui roborent ſpiritum, redigántque in ſuum priſtinum habitum aptum ad nutriendum ſe & corpus, vti prius antequam ægrotaret.

Igitur ex ſola ſpiritus mutatione peſtilentiali totius corporis temperies in prauam mutari poteſt: vtque ſibi reſtituatur, opus eſt ipſum immutare vniuerſum, hoc eſt partes tenues, & humidas, & ſolidas animalis; veluti febris declarat, quæ incipiens in ſpiritibus, vbi eſt diaria tranſit in humores, & fit putrida, & ab his in partes ſolidas, & fit hectica, quam ſi curare volueris, neceſſe habes totum temperamentum immutare: ergò prius odores, atque aërem reſpicere opus eſt.

De Viſu.

Art. 5.

Qu. 48. per totam.

Vſus viſionis, tam ad animalem, quam ad mentalem vitam.

DIxit Sapientia. Non ſufficiunt viæ iſtæ duæ ad cognoſcendum proficua, noxiáque animali; res enim diſtantes valdè non mittunt odores, niſi ventus eos deferat. Ac ſæpè nimius calor nimium frigus reddit ipſos inſenſibiles, vt dicebamus de ſaporibus. Nec modo cibis indiget, ſed & locis commodis ad deponendum corporis pondus, quieſcendumque. Atque ſcire incommodos, in quos poteſt offendere, cadere, ſtatuam rumpere, aut maletractare. Item & præſentire moleſtias, ab aliis imminentes animalibus, aut ex diuerſitate telluris montoſæ, foſſoſæ, lapidoſæ, lubricoſæ, priuſquam offenderet. Idcircò edixit vt ſpiritus natiuus actus Neceſſitate Fato, & Harmonia, fabricaretur oculos adſiſtente intelligentia inſpiciendo in ipſius Ideam; vtque locatet illos in ſuprema capitis parte, vndè à longe ſpecularetur quorſum animal progreditur, atque obuiam habere poteſt commoda, incommodáque, nam & ob hoc caput ex à corpore multo collo ſeparauerat; quo delator luminum eſſet, arciſque ſpiritus, quocunque opus foret animali. At homini vt cœleſtia inſuper ſpectaret, addiſceretque vndè & de cæleſtium natura oculis inſtillauit aliquid Sapientia prima.

Situs oculorum.

Fabricæ oculi ratio, & occaſio.

Lucis ingenium per ſe viſilis, & deferentis viſilia ad videntem animam.

S. Anſelmus 3. in lib. de nat. & grat. lucem deferre vultus rerum intra oculum.

Fabrica oculi.

Membrana vnde oritur cornea, cerebrum & totam interius munit ſtatuam.

Quapropter ſpiritus in idæa edoctus inſtinctu Dei, conſpiciens lucem quacumque perambulare, in omnes res inſilire, omnibuſque tingi, ac dum inſilit in aquas, aliaque in entia tranſpicua, colligi magis, ac viuidiorem fieri, ampliorémque: Item in illas deferre ſolere, ac repræſentare rerum vultus, qui non ità lædere poſſent, vt ipſe res ſentiri quoque, ac declarari per lucem à longè antequam in ipſas iretur. Quas ob res vt à longè diſceret, amica, inimicáque entia, parauit conſilio, auxilioque Dei, ſibi ſpeculum, ac feneſtram ſpecularem (quin duas vt melius diſcerneret) ſuæ arcis, quod caput appellamus, & tanta arte illas fabrefecit, quòd opificium formoſius ſpectari nequeat.

Siquidem ex membrana quæ caput interius munit tamquam periſtoma cubicu-

li

li, cui quasi lectus, ac puluinar spiritus ipsius, cerebrum, in quatuor cellis distinctum inhæret; quæque postmodum per collum ingrediens in pectus expanditur, ambiendo simul omnes costas, earumque musculos, ac diuiditur inter iecur, & cor; proptereáque ibi nomen septi transuersi sortitur: & ex qua etiam membrana inferiorem ventrem muniens, & peritonæi nomen accipiēs, deriuatur; ex illa, inquam, membrana capitis extendit duas portiones in fenestras, quasi marsupia duo crispata, angustáque in foraminibus, per quæ egrediūtur, at dilatatas in globum in cauitatibus oculorum; excogitatis à sapientia ad excipiēdum hasce portiones. Hæc igitur membrana quoniam foras educta indurescit, atque perpolitur instar cornu, Cornea vocatur in parte anteriori, vbi transpicua, prout visioni opus fuit, nam reliqua alba est, opacaq; sicut origo sua. De adnata.

Item ab alia tunica in sinu ossis hæc cingitur, ne fortè dum voluitur, corrodatur. Intra Corneam ab interioribus cerebri decurrerūt omnes humores, vaporesq; qui in aquas ab angustia densati sunt. Ipsorumque pars anterior magis in aërem excurrēs, attenuata est. Itaque cum sit liquida vocatur acutus humor. In cuius medio tetendit circum circa ex interiori cornea spiritus reticulum ex subtilibus instar serici contextum neruiculis, quod rotundum est, & in medio foramen habet vocatum pupilla, in quod terminantur retis lineæ ex peripheria quasi in centrum, ac & simul flectuntur introrsum circumdantes laqueolum quemdam; qui sicut marsupij laqueus stringitur & dilatatur, prout placet spiritui admittere volenti plus, minusvè lucis. Hinc videmus quando quis intuetur solem, laqueolum contrahi, ac foramen angustius fieri, quò nimia lux humores non liquefaciat & opificium quoquo pacto non dissipet. At vesperi & intra aulas dilatari, ampliusque foramen fieri. Tunc enim & ibi languida lux admittenda est, valentiorque desideratur transire per aqueum vsque ad crystallinum humorem, qui sanè in centro oculi sedem habet. Est densus translucidus rotundus non omnino, sed lentis figuram habet, stipaturque hinc indè mēbrana in ipsum terminata, ac deriuata ex gracili mēbrana corneæ interius adnata, intraq; cerebrū simul expāsa, quasi secundū eius velamē, ad teneritudinē ipsius.

Marginalia: Humor aqueus. De vuea. De crystallino. De membrana stipatæ. De vitro.

At in oculo distinguit ergo humorem Aqueum à Vitreo in quorum medio interiacet crystallinus, excipiendæ gratia lucis, tinctæ vultibus rerum ac iudicandæ. Porrò crystallino adiacet ex parte interiori membranula, Cæpe velum referēs, opaca, ne lux penetret in vitreū, sed vt reflectatur cū imagine, qua est affecta sicuti & nos speculis solemus apponere ab interiori plūbū, argentūvè, terminādæ lucis gratia, ac reflectendæ ad nos imaginis reduplicandæq; forsan & lucis.

Post ipsum positus est vitreus humor persimilis oxizonio, vt & nutriatur crystallinus humor ex parte eius densiori, Aqueus verò ex liquidiori. De opticis.

Subinde interius ex cerebro deducto, exiccatoque duo oriuntur nerui se mutuò intersecantes, *B* ne duplicetur visio, [id quod etiam nunc patitur dum alter oculus situm mutat] sed vniatur situs, ac visio, per quos neruos spiritus vigil ad fenestras suas effunditur gratia admittendarum visibilium rerum, quæ sunt ipsamet lux illis tincta, ac simul percurrit intra membranam, neruiculosque. Cumque opus fuerit per angustum foramen inspicere, spiritus totus ad alterum oculorum colligitur altero obserato.

B Nerui optici intersecant se mutuò, quò res vna non videatur duæ. Hoc negat vesallius contra. Vide q. 48. ar. 8.

In nigro oculi.

Interior pars corneæ à copia multorum spirituum, qui ad formandos oculos egressi sunt, quando impetum facientes, vt exhalarent, cerebri cellas efformauerunt, ac simul ad huiusmodi globos marsupia excurrerunt, quasi adurentes, nigra remansit. Idcircò per ipsius transpicuitatem nigredinem quamdam videmus in oculis. Itaque homines nigriores oculos habentes, habent & spiritus tenuiores ab originali caliditate, ac propinqua benè vident obiecta, ægrè verò longinqua. In quibus verò non multus ardens spiritus ab origine repertus est, remansit multus, copiosusq;, qui ideò melius à longè videt, quā propè. Quare & horum oculi non nigri sunt, sed cerulei, tametsi varietatem addāt multam humores, ac tunicæ magis, minúsve purgatæ, ac perpolitæ, qui nimirū

L

deseruiunt vsui multiplicandæ lucis vnici obiecti visus. Cornea polita est, translucidaque admittendæ gratia lucis.

Oculi orbicularitas. Quoniam verò vndique videre opus est, facta est rotunda, dura autem, ne res penetrare queat, gracili artificio noxia, cuius de causa & palpebræ super extensæ sunt, membrana spirituosa, subitoque mobili, quo protegeretur prima speculi facies noctu, & quando puluis circumuolat, aliæque res

De palpebris. maculantes, aut infestantes, vndè & nos specula tegere telâ edocti sumus Quidquid enim intra nos natura facit imitatur ars postmodum ab ipsa exorta.

Comparatio capitis cum palatio regio. Quapropter veluti spiritus fabrefecit ab intus corpus suum hospitium instar ciuitatis, cuius arx est caput: & instar palatij, cuius suprema ædes sit caput: membrana verò peripatesma, cerebrum mollis thorus ne offendens

Cerebri cellæ quatuor. in caluariam, & in membranam mollissimus spiritus, dominus ædium, infestaretur. Duæque aulæ sunt in sincipite, vbi spiritus spatiatur, & res exteriores negotiatur; & cubiculum posterius in occipite, circumdatum esse solidiori, quo secedit ad cogitandum, distans à sensibus, & cenaculum veluti est cubiculum inferius cerebri, vbi sanguinem manducat, qui ibi implexu retiformi quasi super mensa, in ipsum conuertitur; & infundibulum, per quod pituitam ex fumis in cerebrum ascendentibus, ac conspissatis factam, expurgat, transmittitque ad fauces. Ità & deforis fabricatus est domum, & ciuitatem, ac illi fenestras ædificauit, oculis correspondentes, lectum cerebro, cubicula cellis, vbi initur consilium, vbi deambulatur & vbi manducatur. Corporis quoque reliquum exemplar & ipsum fuit rerum inuentarum ad vsum hominum, nam caminus ori, est œsophago; olla ventriculo; alembicca intestinis, horreum iecori, coquina cordi: cloaca podici; lapides in fabrica ossibus, calx glutino, quibus colligantur: agger interius carnibus; anterius cuti, arma vnguibus, & cornibus; equi vectores, pedibus; funes, neruis, naues thoracibus auium; remi alis. Ac sigillatim res omnes exteriores interioribus persimiles sunt; & artes

Vsus adhærentium oculo partium. naturæ, natura verò intellectui diuino, vndè addiscit, refertur.

Redeuntes ergo dicimus, palpebras quoque factas esse gratia vniendæ lucis, pili verò ab ipsis pendentes complectẽdi gratia superiorem inferioremque palpebrã, ac admonendi si quando res propinquat, cum facillimè à moto aëre moueantur. Supercilia verò sunt congregandi gratia quidquid per fenestras intrat; vt melius apprehendantur: cutis in fronte musculosa fuit, vt possit contrahi, & dilatari, ac supercilia eleuare, vt melius oculi aperiantur, & grauare, vt melius claudantur. Caput sine carne fuit, ne impediret sensum, &

Oculus pilorum. ne grauaret spiritum: & pilis consitum est, vt sint leue tegmen, aptumque sensibilitati. Qui nimirum nascuntur ex fuliginibus ex interiori capite eductis, aliisque excrementis viscosis, indurescentibus in exitu ex poris. Tandem quidquid fit, necessitate fit, propter melius quoque fit. Consulta dein quo pacto *E* visio facienda foret, dixit Sapientia, non esse bonum quòd spiritus ad alterandum aërem ex oculis egrederetur, atque ad faciendum synodum externæ lucis cum se ipso, nec quod in cælum vsque & stellas euolaret, quas videmus: nam corporibus consimilibus allectus in cælum totus euolasset, non reuersurus, aut, ventorum, pluuiarumq; vi turbaretur. Nec res ipsamet visibilis, in oculũ peruenire potens est, nã res cunctæ volucribus oculos cũctis animalibus perturbarentur; nec etiam tantæ molis cũ sint, intrà oculũ caperentur; nec possent propriis spoliari formis, vel colorib⁹, quos nec dimittere in oculos valent, nec est virt⁹, quæ cõueniẽter mun⁹ expoliãdi ipsas, deferẽdiq; vultus earũ in oculũ obire, queat.

Lux sola per se obiectum est oculorum. q. 48. ar. 3. Igitur melius *F* est inquit, vt lux sit obiectum oculorum, nullaque res videatur nisi ipsa, nam dum ipsa videtur, omnia visilia videntur, ptopterà quòd ipsa mobilissima est incorporea, suique multiplicatiua, cum sit ipsemet calor apparens, principium diffusiuum. At quocunque insilit resilit in lineas infinitas vel imaginarias; [nam re vera effunditur quacumque, & quocumque, lumine, non radiis, vti apparet, interdum propter hoc quod videmus per foramen ipsam in-

gredi, & extendi quasi in fila; & dum palpebras claudimus, ipsarumque pilis illā in radios distinguimus.] Itaque & dum reflectitur, defert secum apparentiam, hoc est colorem, & proinde quantitatem rei per ipsam visibilis, nam cum simplicissima sit omni vultu apta est tingi, atque colore, veluti in flammis, & in nubibus declarat; tingitque propria tinctura lucem spiritus; & sic spiritus affectus videt. Quapropter cum nos in luce sumus non videmus hominem, qui contra est in tenebris, eò quod lux ad nos non reflectitur ab illo, colorata eius colore. Ipse autem videt nos, eò quod ex nobis ad illum lux refluit vndique sicuti eius in oculos quis intente intuens experiri potest; sic si vultus noster in vmbra sit, speculum verò in luce non videmus vultum intra ipsum, videmus autem è contra eandem ob causam. Qui *G* digitum oculo superponit, quamuis non fiat sensatio nisi sensibile tangat sensum cum omnis fiat actione, & passione, quæ fiunt per contactum: tamen non videt, propterea quòd non potest ex digito in oculum reflecti lux, quæ sola visibilis per se est.

E Excluditur opinio Plat. & Matematicorum dicentium radios ex oculis, ad visionem faciendam exire. Galeni spiritus emittenteis, & Arist. asserentis speciem in oculos intentionalem, aut formas rerum venire ac solummodo lucem obire munus actuandi, disponendique aëris ad receptionem eiusmodi formarum sed vide q. 48. ar. 4.

Delectatur spiritus valde ipsa luce, reali realiter, tum quia ipse lucidus, cælestisque est, tum etiam quia ab ipsa omnia dicta ratione addiscit. Siquidem intra humorem crystallinum intuemur imaginem rei in oculo hominis alius ipsam aspicientis. Qua ex luce didicit colorem discernere, ac quantitatem & figuram rerum, quibus lux est colorata, ac proinde quantificata, & figurata. Ex natiuitate animal vsquequò scitum fiat, conferendo, quod videt his, quæ sentit in aliis sensoriis, ita addiscit.


Humores sunt gratia excipiendæ lucis, ac multiplicandæ, vt speculum, non autem gratia videndi per se; sed spiritus est qui videt, dum tangitur, & tingitur à luce tincta. Ideoque cum quis attentè intuetur aliquid aut cogitat vehementer, non videt, propterea quod spiritus non vacat mensurandæ tincturæ lucis, dum aliò intenditur. Item qui dormit apertis oculis non melius videt, quam speculum carens spiritu, eò quod spiritus intra caput recessit; vndè nouimus virtutem sentientem non esse formam organi sed spiritum; & eumdem esse spiritum qui audit, videt, tangit, gustat, & cogitat continuatum in cunctis vasibus cum illo, qui intra cerebrum moratur; forma enim non discedit ab eo cuius est forma; spiritus corporeus est, mobilis, lucidusque ac tenuis, ideóque potest eodem in tempore simul colores contrarios videre, eò quod diuersæ ipsius partes tinguntur luce tincta diuerso modo in diuersis ipsius partibus.

F Habent oculi spiritum lucidum, sed non ipsius lux efficit visionem quamuis existimentur feles propria luce noctu videre; quod fieri potest, ipsarum luce copiosa egrediente, vti videmus, atque illuminare rem visibilem, sicuti effusa à lucido spiritu. Animalia nocturna nigra spiritum habent tenuem, oculumque proportionatum luci nocturnæ aëris.

Nos intuemur res extrà nos vbi ipsæ sunt, non quia ex nobis in ipsas aliquid defluat [nec enim agillima lux ex nobis vsque ad stellas porrigi posset. Sin autem in medio viæ sisteret se, videremus res propinquiores quàm sint] sed quia lux à longè languida venit, vicina verò robusta, quod & distantiarum dat indicium. Lux enim tincta est, quod videtur initialiter, & quò videmus completiuè, res extrà nos per continuatam relationem ex illa ad has quasi in momento temporis. Videnturque res in luce recta in nos ab eis resiliente, propterea que nisi lux ab aeu contrapostia resiliens in crystallinum humorem, recta insiliat, colligaturque intrà eiusdem sinum *K* (ideircò enim lentis figuram habet) videre nequit. Videtur etiam pictura plana, variis conficta coloribus emittere ad nos ita lucem, quod videatur non plana, sed exposita, eminensque veluti statua, propterea quod ex coloribus nigro proximiori languida reflectitur, ac distans proindè apparet illorum situs: ex coloribus verò albo propinquioribus (lux demortua in crassitie est) reflectit viuidior non satis tincta ac proindè propinquus istorum situs apparet quapropter ex lucibus vicinis, distantibusque conspersa pictura, statua apparet.

Tiberius Cæsar noctu parumper propria luce videbat. Ego quoque plerumque ita video. At non ideo interna lux causa est visionis, nisi quatenus apta est recipere lucem exteriorem aut quatenus illuminat visibile, & reflectitur, quod lux solis facit, si videt; videre potest res sol propria luce non directa, sed reflexa ex rebus etenim ita fit visio, non per illuminationem propriam sed obiecti. Vide q. 48. ar. 1.

Colores ex luce, tenebrisque intra materiam confusis fieri dictum est prius: albedinemque esse ipsam lucem demortuam: quam sequaturmox albidus color: quem croceus, quem viridis, quem purpureus, quem ceruleus, quem luteus, quem fuscus sequuntur. Ideoque maria profundissima cum alba sint, nigra apparent, quod lux in tanta mole immnuitur deficitque ac materiæ deinde facies apparet magis. Minus verò profunda cærulea: minimè verò flagua, aut colore suppositi soli ostenduntur affecta. Sic & montes à longe conspiciuntur cærulei, quod lux ab ipsis in nos resiliens in tanto spatio interiectæ molis aëreæ fædatur, & flaccescit. Cælum quoque etsi candidissimum cum sit materiale, ac lux in immensam sui profunditatem expanditur, à sole tandem flaccescit fædaturque vsque ad gradum cæruleitatis.



G Fallitur Arist. quod sensibile ob.ectum positum supra sensum non sentiatur: e contra enim assero, tunc modo sensationem fieri, cum sensibile sensum tangit, at digitus oculo superpositus non videtur quia ipse per se non est obiectum visus, sed ipsa lux quæ tunc intermediare nō potest, ita vt reflectatur à digito in oculum. Deferatque digiti colorem per accidens visibilem: at si ipsa lux superponatur oculo, videbitur, nisi potentissima sit, vt simul destruat. Vitrum quoque superpositum videtur, quia &c.

Non modò rerum distantia in oculorum speculo sicut in aliis speculis repræsentatur, sed & spatium aëris intrà visum, ac visibile positi; nam cum sit aër transpicua moles, ex quolibet ipsius puncto atomoque quorsumlibet expanduntur, ac resiliunt pyramides radiorum ex lucis multiplicitate multiplicatorum. Itaque partes aëris oculis vicinæ, apparent vicinæ, distantes verò distantes; mediæ tandem mediæ repræsentantur. Sic intra speculum videmus in superficie nostrum imaginem, si ipsi propinquemus; sin verò recedamus, videmus imaginem nostram intra speculum quasi in profundum remotam, veluti vltra speculum, quantum nos ab illo remoti sumus, ac recedentes & propinquantes, ipsum recedere, & propinquare ex interiori profunditate ad superficiem exteriorem contuemur. Propterea quòd non modo vultus noster, sed spatium intra nos atque speculum positum, in ipso recipitur. At verò in concauis speculis conspicitur pars superior inferior, ac dextra sinistra, eò quod ex cono pyramidis, cuius basis est vultus noster conus verò fit in speculo, transfundantur radij alterius intersecati. Ita quòd intra in opposita parte faciunt alteram basim alterius simul affectæ inuersæ pyramidis: quæ habet radios superiores prioris inferiores sui, & dextras prioris sinistras sui: veluti manifestum fit clauso cubiculo ingrediente sole per foramen vitreum angustum in opposito speculo, in quod radius incidat illius. Non videtur autem aër tinctus rerum imaginibus innumeris vndique non solum rectà ad nos resilientibus, quoniam tunica cornea & humores crassi illis sensibiliter pati apti non sunt; at qui habent laxas tunicas & spiritus tenues etiam propriam imaginem ab aëre reflexam vident.

Colorum generatio. quærit. 48. ar. 5.


H Lux per se visibilis est, color verò per illam isto tinctam: per colorem proinde visibilis est quantitas, atque figura, conspersa colore, Motus non videtur, sed mobile, aut quia à re immota recedit aut quia accedit ad illam, sentitur motus ipsarū coloratarū, & quidem nimis per accidens, & per discursum ferè.

I Cur possumus plura videre.

Visio spatij intermedij qui fiat.

k Telesius arbitratur visionē fieri in humore vitreo, crystallinum verò flexuosum esse gratia augendæ lucis, transmittendaque post vbi in ipso conum faceret prima pyramis in alterā censa pyramidē inuersam intra vitreum, ita quòd partes sinistræ fiant dextræ, dextræ sinistræ, & superiores inferiores in ipso vitreo: ac facta basi intra vitreum vbi sunt nerui optici reflectatur foras; atque rursus format conum nouum in crystallino tertiæ pyramidis. Quæ postmodum partes dextræ iterum fiant sinistræ, atque superiores inferiores videantur, cum in speculis nostra dextra sinistra appareat. Vide quæst. 48. ar. 2.

Cur in concauo speculo res inuersæ videantur.



Res visuntur quæ magnæ sunt, magnæ, propterea quod lux ex illis, tanquam ex basi resiliens in oculo angulum efficit magnum. Paruæ verò paruæ, quia angulum paruum efficiunt, lucem angustam reflectentes; quæ coït semper vsque ad oculum in pyramidis morem. Ideoque & res magnæ à longè conspiciuntur paruæ, non modo quæ per lucem alienam visuntur, sed & luminosæ per se visibiles. Itaque Sol pater spirituum, fons lucis, majestas omnium rerum corporearum, non videtur quantus est, quin nec videtur nisi colorato vitro fœdatus, propterea quòd præpotens illius lux humores oculorum dissoluit, & spiritus attenuat, absumitque. Mons vnus, & cælum non ingreditur simul totum in oculum angustissimum, quamuis vnica visione videri appareat, eò quòd tanta velocitate oculus conuoluitur, spiritusque visiuus, quod simul ac vnam *K*. montis partem intuetur, voluitur in aliam, ac repentè in aliam, & reuoluitur per totum, non percipiendo se se simul mutasse situm, nam proprium, natiuumque motum non attendit, sed rem visilem: Idemque accidit moto visili ac visu; ita cum stylus accensus in gyrũ mouetur, oculo apparet igneus circulus, cum tamen stylus in vno tantum puncto circuli, non in toto cõtinuo sit: & cũ mouetur visus in naui, videtur moueri turris in littore. Nõ modò distãtia ergò facit vt maiora appareant minora, sed et ã mediũ tenuius, quæ per crassum maiora erãt. Item cauitas minuit, quoniam stringit lucem tinctam, quã conuexitas dilatat: planum verò æquat. Sic Telescopio duplicati vitri, cuius conuexum spectat ad obiectum, magnificat obiectum, ergo minuit distantiam: è contra, minuit obiectum, augetque distantiam, hinc Ars ocularium incepit. Quæ nimirum sua densitate vel raritate, vel conuexitate, vel cauitate emendant, vel corneæ, vel Aquei humoris, vel crystallini, laxitatem, vel spissitatem, vel figurationem: Aut spiritus puritati, aut impuritati, aut tenuitati, aut crassitiei, aut luciditati maiori, minorivè attemperant puram obiectam lucem; aut obiectorum facie affectam, ac proinde ipsorum delatiuam ad videntem Animam.

De quantificatione visibilis in vidente.

Res magnæ non videntur vnica visione.

K Exempla duo varia quoniam eadem apparẽtia fit moto visu, ac visibili, ideo qui naui vehitur tellurem moueri conspicit.

Nota totam Artem faciendi ocularia instrumenta.

Aliæ quippè res videntur recta visione sicut lucerna; Aliæ verò reflexa, & hæc duplex, nam vel ab obiecto vnica fit reflexio, vt res omnes à luce tincta delatæ, vel duplex reflexio fit, sicuti lux à nostra facie in speculum, & è speculo ad oculum nostrum reflexa, faciem repræsentat nostram. Aliæ verò etiam refractione, veluti pomum intra vas plenum aqua, quod nimirum grandius, & in superiori loco apparet, eo quod eius lucem aqua multiplicat more specilli, *L* quam nos admitrimus. Itidemque in situ superiori ipsius vasis, hoc est vbi lux ex aqua refrangitur egrediens in aërem, & ex crasso in tenuem: proptereàque remus intra aquam fractus videtur; quòd pars eius remota propter lucem in aqua duplicatam, appatet propinquior. Item pomum intra vas aqua plenum videtur in superficie à conspicientibus à longè, quibus eiecta aqua non amplius videretur.

Triplex modus videndi.

L. Habentibus spiritus tenues, exilesque, aut crystallinum liquefactum opus sunt specilli, qui res paruas efficiunt, adstringentes lucem vice crystallini addensantis. Specilli rari expandentes lucem conueniunt habentibus spiritus plurimos, humoresque liquidos.

Aliis animalibus alia lux proportionata est; namque alia in luce potenti vident, alia in mediocri, alia in imbecilla, veluti nocturna, quando nimirum longa itinera ad aëris cælique lucem conficiunt. Fortasse etiam ex obscuro furno propria luce plurima emissa, vsque intra oculos nostros (alioquin non videremus illam) ergo & ad obiecta, Feles noctu vident, non vt emissa, sed vt reflexa ab obiectis, per ipsam illustratis, nisi fortè sicuti & Sol emissa contuetur omnia: ac proptereà forsan pupillam, quæ obiecta admittit, quatratoblongam, aut binangulam feles habent, vt eluceant aptis modis: muscæ autem reticulatam habent corneam extrinsecus ad plures visiones. Præterea sympathia sensus cum certo sensibili, & communicatio exterior aliqua negari nequit in apprehensione obiecti: quæ tamen in iudicio certa est: refertur enim iudicium vsque ad sensibile, quamuis remotum, sensu rerum dante viam.

Melius vident noctu: & à longe illi, quia modica lux illis proportionata est, istis verò magna, qui paucos, densosque humores habent, & de die, ac prope vident melius.

Apes, muscæ, & aranea minutissima, ac subtilissima vident entia, exilitati spiritus ipsorum proportionata, & idcirco forsan reticulatos oculos habent, & strictis ocularibus indigerent. Alia verò crassa, grandiáque, sicut equus, & asinus, spiritibus, humoribusque crassis donati, à minimis rebus minimè patientibus. Attamen ex sympathia sentiunt omnia sibi necessaria, non autem reliqua: vnde distantia Aquila videt, gallina propinquius, Pisces alium videndi modum habent; nam illorum crystallinus rotundus est, eò quòd intermediâ vident aqua, quæ res grandiores multiplicata luce, aut à sua crassitie, repræsentat. Admiramini, ò mortales (dicebat Sapientia) huiusmodi opificium visionis quomodò fabrefit manu Dei à spiritu calido meam in rebus aspiciendo, Duce Angelo, artem, addiscendoque magnis influxibus actus.

De Auditu.

Art. 6.

Q. 49. per tot. *Necessitas Auditorij organi.*

Art. 1.

Fabrica auris.

Artificium auditionis.

DEinde subdidit. Quoniam non sufficit oculus cognoscendis rebus, nisi quæ rectam lucem ad ipsum reflectunt, non autem quæ à tergo, aut aliundè deueniunt: Itidem in tenebris nihil sentit. Propterea opus est ad rerum cognitionem alia sentiendi organa fabricari. Itaque (dixit) adeò mobilis est spiritus, quòd vndecunque quacunque in Spheram subitò expanditur: ergò commotis rebus, ac percutientibus aërem, oportebit vsque ad animal ipsum impelli. Fiant ergò organa duo in temporibus, ipsum excipientia, ac deferant eius sonum ad spiritum intra caput habitantem; & ecce caput in temporibus forari, ac foras enittere ex tenero osse cartilaginem aridam, quasi os, in aliquos canales, & spiras, anfractúsque effinctam, foras in aërem expansam; collectam verò in sui exordio in quandam cauitatem, quò facilè moueri posset, ac colligere in se sonum repentè, & per meatus illos intrò capere, admitteréque ad centrum spirarum, vbi tympanum paruum spiritu plenum manet: cui superastat caruncula instar mallei; quæ impulsa simul pulsat tympanum magis, minusvè, prout magis minusvè ab aëre externo ipsa impellitur. Itaque spiritus hac deueniens per neruos auditorios, ex cerebro extenso, induratóque factos, expansósque in tympanum, percipit sonum, hoc est motionem aëris, atque discernit magnitudinem, paruitatem, gracilitatem, crassitiem impellentium aërem, prout magis, minusvè verberatur; ac pro diuersitate figuramentorum motionis agnoscit qualitatem, ac vim mouentis: & multiplicata experientia addiscit, quod sit, & quale mouens quodcumque.

De sonorum quantitate ad auditum, & audientis spiritus affectiones.

Sonos prægrandes vitat, quoniam impellunt ipsum vehementer in concauum capitis, & condensant, ac proindè infestant, cum sit ipse rarus; vitatque peracutos sonos, quia ab illis penetratur: res molesta valdè suæ continuitati; gaudet verò sonis suo motui natiuo similibus. Spiritus enim natura mobilis est, sempérque mouetur; priuatúsque motu perit; ergò gaudet motu tanquam propria operatione, qua conseruatur in suo esse: quia sonus inuitat ipsum ad motum, cum sit & ipse motus perceptus sensu hoc, ac proindè ad suam conseruationem quoniam adiuuat ipsum ad operandum, mouendumque se secundum suam naturam. Idcircò magnopere gaudet musica sibi proportionata.

A Pythagoras bene scripsit motus cælestes edere harmoniam. q. 49. art. 1. §. 1 Cæli musica.

Nulli debet *A* videri dubium quod mundus totus sit harmonia, etenim vbique rerũ est motus; omnis autem motus dum fit vocatur motus, dũ verò aure sentitur, vocatur sonus. Cælum quoque moueri harmonicè, suumque opificem (cui res omnes reuerenter concinunt suo quæque modo, & omnes adorant, & benedicunt omnia opera Domini Dominum) delectare, suosque ministros diuinissimos, simul rationabile videtur. At nos cœlicos sonos minimè percipimus, quia sonos in quibus nati sumus (quoniam nobis similes facti sunt, ac simile à simili non patitur) non sentimus. Quapropter pharmacopolæ non benè odores sentiunt, nec coqui appe-

tunt satis dapes, quatum odore aluntur. Nec incolentes vbi Nilus ab alto cadens, magnum edit rumorem, voces nostras consuetas percipiunt, cum sint aliis grandioribus, vel adnatis assuefacti sonis: ita, & molendinarij surdastri sunt. Nec nos aëris motum perpetuũ in gyrum lati percipimus, nisi vbi manũ auri apposuerimus: Tũc enim aër manum verberando cauam (insolitum nobis) mouet non solito ritu ipsum spiritum. Minus quoque humores intra corpus nostrum contentos sentimus, nec concoctiones, & separationes alimenti ob similitudinem ipsorum cum partibus, in quibus iacent: ac solitum ob tactum. Cum verò aqua intrat, aut cibus, sentitur: sique humores à propria solida temperie alienentur, passiones sensusque insolitos in nobis efficiunt. Veluti ergò qui sub aqua sunt sonos aëris minus sentiunt, & qui proprios habent, alienos non percipiunt; ita & nos sub crasso aëre propriis perturbationibus assueti cælestes motus vix videre, minus autem audire possumus.

Fateamur igitur Sapientiæ æternæ non placuisse vllam sonorum in vniuerso discordantiam. Totum ergò musicam esse omnibus ex consonantiis, tonis, & semitonis compositam. At nobis non omnes musicam voces faciunt, eò quòd particularia sumus entia, spirituque calido, non æquè ac Sol, motu vehementi gaudens, donati sumus, nec languido quanto aqua gaudens pigro tantum motu: sed temperatus nobis proprius est, qui illis gaudemus motibus, qui non valdè nostro motui dissimiles sunt, sed paulò vehementiores, quatenus excitemur ad robur, & amplitudinem. Ex his igitur languidis motibus languidam excogitauit musicam humanus spiritus, vtens pro mensura, quæ regulat quantitatem sonorum musicalium magnitudine nostri pulsus. Acuti soni penetrant spiritum, acutisque angulis *B* percutiunt. Propterea cum vehementes, ac striduli sunt, veluti Tintinnabulorum, & incisionum suberis, infestant nimis. Graues verò obtusique angulis obtusis, multóque aëre percutiunt spiritum quasi per planum intra caput adigentes: sique strenui fuerint, validique nimis, infestant nimis ipsum condensando, & discontinuando, sicuti bombardarum, atque campanarum corpulentarum. Igitur non graues nimis, nec acuti nimis musicam humanam efficiunt, sed mediocres; qui cum componuntur simul, alij recta spiritum acie impellunt, alij plana quasi facie. Ac ventilant, purgant, amplificant, & roborant. Ideóque ipse voluptate perfunditur, cum voluptas sit boni sensus. Bonum autem id quod conseruat, è contra dolor sensus mali, malum verò id, quod destruit illum, cui est malum; non enim omnibus.

De Musica humana.

B Arist. veritate cõuictus non negat sonũ esse ens reale, quo potentia mouetur auditoria. Quapropter sni necesse habent omittere species intentionales, & incorporeitatem sensus.

Huiusmodi ingenio suo perdoctus spiritus, mentis sub magisterio inuenit in præliis, & in templis sonos; at illos asperos, variosque vt nimirum ipsum exagitent, moueantque ad iram contra hostes: hos verò suaues, consonantesque, ita vt leuiter mouentes, inuitent spiritum ad colligendum se in caput ad contemplationem diuinorum. Cæterum lætæ nimis, iucundæque consonantiæ quæ diuersis in partibus spiritum mouent ventilando absque laceratione, ac altera ipsarum alteram consequitur, non nimis impellendo, condensandoque, ac diuersis modis ipsum repetendo, ac titillando, inuitant ad gaudium, hilaritatem magnam. Quocirca collectus in caput vniuersus, vt musica fruatur, sese seruante, dormitat. Hoc autem somnus. Qui intellexerit, dixerat Sapientia, temperamentum humanum, virtutem, & mensuram sonorum, imprimet sonando quamcunque voluerit in animali passionem: nam qui asperas audit voces, indignatur, qui placidas placatur, & variis variatur. *D.* Consueuerunt homines vti sonis in tripudiis, & saltationibus: sonus enim mouet spiritum, opemque fert ad mouendum corporis pondus quibuslibet modis. At si sonus motum quempiam inducat, veluti quem dicunt Gagliardam, non poterit saltator iuxtà alium saltillare, quem vocant vulgò Spagnolettam: nam spiritus hoc mouendi modo corpus concinnare volens, à sono citharæ in alium trahitur, agiturque.

Vsus multiplex sonorum multipliciũ.

C Damon cantu sanauit ebrios, & Pythag. furios. propterea quod mouendo spiritum illorum musica ratione, remouebant illum à motibus temerariis, ac simul purgabant vapore prano, &c.

Timoteus inducebat variis sonis quamcunque passionem voluisset.

Aspectum *E.* sonum edunt res aridæ inæquales, flexibiles, ac vibrabiles quacunque, veluti bracteæ, quæ in qualibet sua multiplici flexione, diuerso modo, multiplicique simul aërem verberant. Consimiles sonos res reddunt æquales, eò quòd dum flectitur vna ipsorum pars, omnes reliquæ eadem ratione eodem mo-

D In Apulia sono curantur quos momorderit aranea Tarentia; qui nimirum eo oblectatur sono, quo

mouentur ad proportionem inditi affectus, atque saltationibus agitati exudant venenum simul, & enrantur. At si quando alios ob id saltantes, aut sonum eundem conspexerint, recordatur passionis præteritæ, & recidunt in morbum eundem refectum, veluti qui passus est in Mari nauseam, ac vomuit, & recordatus iterum vomit.

Elisæus Propheta, vt spiritum attenuaret, & purgaret, & redderet obedientem Prophetiæ mentis, fecit sibi pulsari Cytharam, & Dauid in spiritum Saulis.

uentur, veluti lamina argentea bene solida. Graues sonos reddunt res corpulentæ crassæque eò quod ipsarum partes pariter, vnáque aërem multum verberant sicut campana, roburque ingens. Acutos duræ, tenuésque simul modicum, & citius ferientes, quarum nempe partes inflexæ aliquantulum retrorsum à percutiente, subito reuertuntur ad situm priorem, aut expanduntur, extenduntur que magis, offendentésque denuò in aërem, quasi punctim, veluti cyathus vitreus, qui etiam si tangatur, nec pendulus tunc sit, non reddit acutum sonum, quia non extenditur in reflexione ab inflexione super aërem, at super tangentem rem terminatur, impediturque Sphera motus reuertentis. Res crassæ, quia non inflectuntur aliæ absque aliis partes, verberant æquè omnes aërem quasi per planum, non reuertente altera ad verberandum absque aliis, cum ipsæ solidam habeant continuitatem. Idcircò crassæ chordæ in cithara grauem reddunt sonum; quia dum tangitur vna pars, omnes partes eiusdem chordæ consectantur eundem motum, quia compactæ simul benè sunt, cumque sint ipsæ portiones plurimæ, plurimum aërem & simul commouent; è contra gracilis chorda parum aëris, nec omnes illius partes percutiunt, quia facilè altera absque altera flectitur, cum non tanta soliditate compacta continuentur.

Quæ res quem sonum edant.

Plus soni edunt res aridæ, quàm molles; idcircò chordæ ex ære in fila extenso confectæ, quàm quæ ex intestinis conficiuntur, reddunt ingentiorem sonitum: propterea quod sicca res non cedit aliqua in sui parte aëri, mollis verò cedit, nec vrget.

De Echo.

Mouetur aër in Spherã, veluti aqua, quando iniicitur gutta ipsi intra vas contentæ ostendit. Ex rebus concauis, reflectitur, reditque vox, eò quòd circulationes aëris retrorsum redeuntis vocem restituant, sicuti circulationes aquæ ex centro conchæ effusæ ad peripheriam peruenientes mox reuertuntur ad centrum sui motus, à cadente acti gutta. *E.* Ita fit Echo reuerberato aëre ex vallibus, antris, cauisque ædificiis, in quæ impulsus offendit, reuertitúrque. At ex planis non reuertitur, eò quod diffundatur in latera non retrorsum vndè impellebatur. Audiuntur autem vltima verba Echo, non prima: prima enim non reuertuntur obuiam occurrentia sequentibus.

Qua ratione cognoscimus vtrum sonus sit à distanti vel propinquo mobili.

Cognoscit spiritus vtrum à longè vel propè vox adueniat, non quidem ex magnitudine, vel paruitate soni; nam grandiores voces possunt propinquiores esse, & distantiores: at quidem ex multitudine aëris. Nam quando à longè vox accedit, aërem multum mouet, nam primò mouet partem aëris adiacẽtem ici sonum edẽti; illa verò aliam mouet partem sibi proximam, quæ & aliam subsequentem mouet, aliaque aliam, tandem vsque ad contiguam auribus. Quapropter auris propterea quòd à multa aëris quantitate præuenitur (nam primo sentit motum contiguæ partis aëris; deindè alius, deinde illius, quam mobile sonum emittens tetigit) subindè iudicat ipsum mobile distans esse. Manifestè quidem priusquam in nos perueniat vehementissimus à longè rumor, non modò auris, sed & totum corpus afficitur, tremitque ictum ab aëre præueniente. Cum verò mouens res propinqua est auribus, confestim agnoscimus, eò quòd simul absque præcedentia surdi soni, sonum mouentis eodem in tempore sentimus. Omnis particula, omnéque aëris punctum in omne ipsius punctum reflectit sonum vsquequaque, & quorsumlibet idcirco circumstantes omnes eumdem haurimus sonum. Potest & ventus auferre, alioque deferre, propterea quod sonus est motus aëris, quem aërem, sonúmque ventus aliorsum impellere potest; cum pendeat sonus ab aëre; At lux quæ & ipsa quorsum vis vsquequaque reflectitur ex aëris puncto quouis, non pendet ab aëre, sed à corpore luminoso, quod perseuerat lucidum perpetuò vniformiter. At sonorum corpus cum vnam sui partem emiserit, illam amittit statim, quia non remanet apud ipsum semper deriuando. Propterea quæ lux à ventis auferri non potest, quia est incorporea; ac velocior sono est. Itaque bombardæ distantis accensæ videmus lucem paulò antequam audimus sonum.

De Loquutione & Sermone.

Art. 7.

EXpertus spiritus aërem omnifariam sonare, *A* studuit in aëre, in respiratione egrediente tot motionum figurationes efficete, quot ab ipsis patitut rebus, ipsas imitando, ergò & exprimere aliis, quibuscum viuit. Itaque ad passiones simplices interiores significandas, atteria tantum vocali vtitur, impellendo aëtem ad vocem: ex quo nouimus scribere literas vocales. At res compositas externas, à quibus alios patitur motus multiplices, significare volens, multas figurauit percussiones lingua, palato, dentibus, labiisque: ex quo ortum habent literæ consonantes. Adeò quòd similes sunt suæ motiones illis, quas à rebus accipiebant. Igitur ex sono tup. tup. quem lignum efficit, alterum percutiendo, Græci habent verbum, typto, nos verò vulgariter Batto, & ex verberatione lori, verbero; volentes significare rei cuiuspiam celsitudinem, dicimus, *Altum*, tangentes mucrone linguæ in partem palati sublimissimam &c. Quapropter huiusmodi percussiones vocalium organorum figurant aërem, quocunque modo, simili ipsis rebus. Ideóque characteres in pagina exprimentes voces huiusmodi appellantut consonantes, eò quòd semper aërem ab atteria sonantem offendendo vnà cum illa sonant. Illa verò cartilaginosis cum sit composita annulis non perfectis, sed interruptis, continuatis tamen membrana arictiori, ac molliori spectante ad œsophagum, ne & hoc à duritie affligatur; potest contrahi, ac dilatari, & simul acuere, & expandere, stringendo, aut dilatando plus, aut minus aëris, multi, vel pauci, expressi in operculum ipsius arteriæ: vbi duos habet, annulos perfectos gratia commodius recipiendi aërem expellendique foras, vbi figuretur in ote opeta columnulæ, aliorúmque organorum.

A Motus est passio mobilis impulsi, atque aëris simul, & actio mouentis. Sonus est motus audibilis. Vox est sonus auditus ad significandum. Idcircò animalia cuncta vocem habent nedum sonũ; & colloquuntur. Vide q.49. art. 2.

Constructio vocalis arteriæ.

B De vocalium & consonantium literarum ortu, & ratione.

Quando (dixit Sapientia) homini vt imponeret nomina tebus subsistentibus, & & actionibus passionibusque, id est motibus carentibus subsistentia: extemplò ipse homo secundum proptietatem ipsarum rerum, quibus mouebatur, ac proindè cas agnoscebat, formauit in ore motiones consimiles; talesque expressit, quales sunt. Proptereàque voces naturaliter significant. At quoniam diuersis in regionibus diuersi sunt imitandi modi, nam Septentrionales coarctant spiritus à ftigore timentes, ac reuerberant multum aëris multis consonantibus caracteribus, veluti Germani, & Poloni &c. Meridionales verò relaxati nimis, apertique calote regionis, emittunt voces prolixiores, vocalibus plenas, sicut Arabes: vndè & Hispani voces habent latas, prolixásque, & pronunciant vulgò Adelante; Primeto, Notario, non autem Auanti, Primo, Notaro: sicut Itali in minus calido climate pronunciant. Quin & Solum peculiarem efficit differentiam; nam Veneti in liquido solo nati, absque consonantibus ferè pronunciant; *frio*, non freddo, *peccao*, non peccato, *caui*, & non caualli. Lombardi confines illis pronunciant truncata voce consonantibus pleniore, ob soli duritiem: & quia spiritus egrediens in frigidum, inimicumque aërem, quasi timens regreditur intrò, nec complet pronunciationem totam; ideò dicunt *Pan*, *vin*, non, pane, vino, sicut Neapolitani. Hoc etiam intueri licet in mollitie linguæ infantium, & soliditate virorum, & ariditate languida senum, videlicet variari pronunciationem. At in Nationibus longè magis. Hinc fit, vt dum commiscentur simul nationes, varientur voces, vt quæ significent natura, videantut ex placito significare, eoque magis quòd homines plerumque res à quibus nullum patiuntur motum significant per illas, à quibus patiuntur: nam appellamus Deum spiritum, à vento mutuantes vocabulum, & ab anima; Piscem quoque canem, quia cani est similis. Interdum etiam confunditur res, vnde imponitur ex natura vocabulum, cum re, ad quam imponitur ex placito. Principes inepti, ac vulgus, imitationis artificiosæ ignauum, imponunt nomina proprio arbitratu in-

B Motiones notantes entia vocantur nomina, notantes verò actus, motusque ipsarum, verba.

An voces significent naturaliter, vel ad placitum.

Æquiuocatio, Synonimitas, analogatio, & diuersa pronunciatio, & impositio incerta, efficiunt obscuritatem scientiarum.

S. Ioa. Chrysost. ser. 4. super Io.
S. Aug. de cog. ver.
S. Tho. 3. cõt. Gent. cap. 4.

consultis Legislatoribus, Philosophisque naturæ, Deique imitatoribus. Propterea mundus vniuersus corruptus est ita in sermone, sicuti in scientia, præsertim rerum, quæ addiscuntur loquendo magis, quam inuestigando. Caput Tyrannorum Nembrot cupiens vsurpare rem alienam, ac Dei, miscuit linguas, confuditque volente Deo, quòd peccatum sequatur pœna. Bruta autem magis naturaliter significant. Oues enim inter multa agmina percipiunt distinguuntque voces agnorum, quælibet suorum, & sine voce non possunt conuiuere Apes, grues, canes, &c.

q. 49. art. 4. Nunc sequantur sensationes non organicæ ad complementum doctrinæ de sensibus.

De modo sentiendi verè, & fallaciter, & corrigendi sensationes.

q. 44. art. 1.

CAP. XIII.

Art. 1.

A Sensus est principium cognitionis, & certitudinis, & agnoscit deceptionem sui per alium sensum, vt visus à tactu docetur remum in aqua non esse fractum, & ab alia visione extra aquam. Hinc monetur ad quaerendum cur ita videtur. Ergò prima certitudo est à sensu, nam & quidquid imaginamur, cogitamus, ratiocinamur, & intelligimus, incertum habemus, donec experientia sensus certi reddamur. Ita orbis nouus incertus fuit vsque ad experientiam Colũbi: nec quia decipitur sensus, nulla sit sciẽtia vt Sexse Empiricus dicit: nã & hoc sensus nouit. s. se decipi, ac se corripit ex aliis sensationibus, aut sensoriis, aut sensibus aliorum hominum, sed de hoc in primo Metaph.

AD fabricam sensoriorum insequebatur fabrica Appetitoriorum, sed prius vt fierent sensationes interiores non organicæ, edixit Sapientia æterna in animalibus; quod manifestum fit, cum modus sentiendi, & deceptio sensus prius declarabuntur. Porrò spiritus calorem non sentit, nisi ipse calefiat, frigus, nisi frigefiat; nec motum, nisi moueatur; nec lucem, nisi illustretur; ergo sentire est per immutari, & propterea se ipsum ignorat ab illatis sensationibus immutatus ex notitia sui, suóque ex esse in alienorum.

In Potestatiuo recipitur mutatio, ex qua illicò cognoscitiuum sentit obiectum immutans, & Appetitiuum ex sensu immutato afficitur voluptate, aut dolore, propter realem entitatem ipsorum; fit autem cum voluptate immutatio, quando in melius: cum dolore verò, quando in deterius ac subitò. Verum si paulatim fiat, sicuti famis deficientibus insensibiliter particulis corporis paulatim, vnde cupido repletionis oritur, non sentitur dolor; nec voluptas, quando paulatim instauratur sanitas, vt in sanatione vulnerum palam est: sentitur verò, cum restitutio sanitatis confestim fit, sicuti blando calore affecta manu, & cibo sapido lingua: è contra vulnus repentinum carnem dolore afficit. Animal enim moderato temperamento, blandóque calore constat, & melodia seruatur blanda, vel ad conseruationem disponitur; à nimio verò calore, vel sono destruitur, aut disponitur ad destructionem, quippè cum à propria temperie alienetur.

Quoniam verò *B* non eadem cunctis apparent hominibus, nec cunctis animalibus, nec sanis, & ægris, iudicium sensus non est de rebus secundum naturam ipsarum, sed quòd sic nobis apparent, Tympani rumor displicet ægroto, eò quòd nimis ab illo eius exilis spiritus agitatur: sanis verò idem placet, quoniam ad arma inuitantur, & attenuantur: Quando tamen non tantus est, qui defatiget. Insuper dulce, & amarum; consonantia, & dissonantia, fœtor & odor, non sunt in mundo sic prorsus, nisi respectu sensus nostri, quodam temperati modo, cui alius omnis dissimilis est: & propterea omnes res sentientes dissimiliter sentiunt; ecce quod fœtet nobis, bene olere cani, ac porco, & tamen canis sagaciorem habet odoratum, quàm nos; experimur genistam amaram gustui nostro, dulcem capreæ: quis scit vtrum dulcis sit, an amara secundum naturam? an neutrum.

B An res sint quales & quanta, & sicut apparent sensui nostro, an sicut brutorum, an neutro modo.

Præterea excrementa animalium, & sudores nobis sunt odoramenta, illis verò fœtores: calida est mihi manus medici: sed febricitanti frigida. Igitur vel calor & frigus non sunt in natura, vel non sunt in gradu, quo nobis apparent.

C Necessario fatendum calorem, & frigus esse in rerum natura, & non modo ap-

Non *C* probem quidem calorem, & frigus non extare in natura, cum in cunctis rebus operetur calor, & frigus, simpliciter quidem, & non vt apparens titillans causa, quæ non est aliqua natura titillans, sed nobis, sic, & ibi pati aptis; omnia enim calor, & frigus immutant per totum naturam in elementis, & elementatis,

non modo in nobis sic & ibi pati aptis. Sic odor, sapor, color, & musicus *D* sonus, agunt, ergo sint in natura, non tamen prout nobis apparent in gradu quo apparent; & hoc non potest, nisi Anima à Deo immissa, animaduertere: Nam & quòd erret animal in gradibus iam dictis obiectorum, non spiritus, sed Mens percipit, & omnes hosce errores corrigit præsentis sensus per præteritas sensationes: aut per præsentes, proprijs, aut alienis, discurrendo vtens. Quando *E.* omnes sensationes præsentes, præteritæque concordant nostræ atque alienæ, certa fit scientia; quando verò multæ, opinio. Nec quia decipitur sensus, non sit scientiæ autor, & ianua; nam & hoc corrigit per sensationes alias suas, & alienas, præsentes, præteritas, & futuras. Obiecta ergo sunt Deo prout sunt nota; nobis verò prout capere possumus: sunt ergo in se simpliciter: ad nos cum respectu simul: quæ autem fiunt sensationes in spiritu libero, & non in organis, nunc requiramus.

parenter vt putat Democritus, at non in gradu, quo nobis apparent, sed in reali existentia. Vide q. 8. & Metaph. 1. p. lib. 2.

D Sapor, odor, sonus sunt in natura, & non prout nobis apparent, nec in essentia, nec in gradu.

E Ortus scientiæ certæ & opinionis.

Sensum esse ianuam scientiarum, & originem, & certitudinē.

DE SENSV NON ORGANICO.

De Memoria & Reminiscentia.

q. 53. per totam.

Art. 2.

MEmoria est sensatio anticipata, etenim mobilissimus cum spiritus sit, corporeusque aptissimus ad sentiendum, atque recipiendum res diuersas, simul gaudet *A* sentiendo, eo quod sapiens euadit illarum rerum, quibus seruatur, & quibus destruitur: simul ac, quia sæpè inuitatur ad suam conseruationem, dum mouetur, ipseque seruatur motu propria operatione. Huiusmodi motiones in ipso manent, etiam cum recedit ab organo, vndè eas hausit, veluti in mobilissimo aëre perseuerare videntur. At superuenientibus alijs, alijsque motibus infinitis è rebus quas sentit, videtur amplius illas non dignoscere motiones, quia remanent sopitæ in ipso spiritu, qui si iterum ab illis, aut similibus non mouetur, penitus obliuiscitur. Proptereà quod spiritus, qui immutatus fuerat exhalat, nec communicat spiritui, nouiter genito, nisi motiones, quas in actu habet, aut habuit vehementi ex impressione, eo quod pluries sentit illas, aut semel fortiter. Ideoque ingens prælium, atut percussio sæua, & festum solemne nunquam obliuioni traditur, quamuis semel euenisset.

A Sensus non est passio perfectiua tantum vt putat Arist. nam & dolor sensus est destructiuus, sed gaudet sensus doloribus post transactis, quia euadit ab illis prudens, non quia illos cupiat

Qui sint immemores, & qui memores valdè.

Qui rudes.

Quibus spiritus inest calidissimus, tenuissimusque, quia in corde, & in iecore nimium calorem habent, promptissimi ad sentiendum sunt. Huiusmodi enim spiritus ex quantulacunque re, & cominus, & eminus, quia tenuissimus est, patitur; ipséque *B* aër, in quo res omnes fiunt, affectus illis facilè intrans per nares in cerebrū, communicat spiritui non modò præsentes res, sed præsentibus succedentes, sicut effectus causis. Huiusmodi homines prophetia naturali pollent propter tenuitatem spiritus facilè mobilis, atque sagacis, subitò causas sentientis, ac subitò in ipsis causis præsentientis effectus, ex simili motione, notitiáque ad similis motionem, notitiámque simul discurrentis: propterea quòd omne simile inquantum simile est vnum cum suo simili. At tamen memoria non retinent (vti propheta Dei) quas senserunt res: eò quod sentiens calidissimus spiritus exhalat, antequam communicet suas passiones spiritui succedenti ex sanguine in ipsum conuerso: non subiectus vt diuino vati.

B Sentire effectus in causis opus est discursiui spiritus velocis: ac sentire causas præparatiuas celi sub ambitu, proprium est tenuitatis spiritus communicantis cum aëris motibus debilibus: discurrere autem est sentire in simili, & in causa, vel in effectu, &c.

Qui autem spiritu crasso donati sunt, eò quòd ipsorum viscera non nimis calida sunt, quod possit attenuare, difficilè sentiunt, eò quod non bene mouetur spiritus ipsorum, nec patitur nisi à rebus vehementibus, magnisque; nec memoria retinent, nisi communes res, vt ly homo, quas continuò sentiunt; aut particulares, impressionem strenuam facientes: vt plaga. Ineptique sunt ad scientias speculatiuas: ita aqua retinet, recipitque motionem ægrius quàm aër.

Fælici pollent *C* memoria qui calore moderato donati sunt, spirituque non adeò tenui, vt exhalet subitò antè retentionem, nec crasso, vt subitò non apprehendat mouentia obiecta, veluti sunt gentes habitantes temperata climata,

C Spiritus purus non compositus ex tenuitatibus, crassisq; partibus retinet motiones distinctas absque cōpositione, tenuitas facit ipsum habilem suscitari ab omni præsenti simili præterito motui, & carentia fuliginum facit vt totū apprehendat, & motus Reminiscētiæ non interrumpantur.

Qui sint benè memorantes.

corde modificato prædìti,ac iecore blandi caloris; qui cibos æqualiter fundit.

Igitur memoriæ thesaurus est spiritus puritas, tenuitas, mobilitasque: mediocres motiones verò remanent in ipso,non sicut species aut figuræ in tabula pinguntur. Aliæ enim aliarum impressiones euerterent,aut respuerent, nec in re indiuisibili tot figuræ imprimi possent.

Quis thesaurus sciẽtiæ.

At remanent *F.* sicut passiones in re mobili,quæ facilius sentiat postquam passa est, quæ prius ex occasionibus consimiliter euenientibus: omne enim patiens pronius est ad patiendum,quod aliàs passum est,quàm ad nouã passionẽ. Memoria enim non fit,nisi affectione mobilitatis; motionibus enim succedunt notiones.

Quid Reminiscentia,& quotuplex.

Reminiscentia autem excitatione motuum,passionúmque anticipatarum: est enim sensatio renouata. Bifariam alicuius rei recordamur,aut volentes, aut casu: non possumus velle moueri, nec casu mouemur secundum præteritas motiones, (quod dicitur reminisci,& memorari)nisi per similitudinem nouam,quæ suscitat sopitam similitudinem anticipatæ passionis; proptereaque quot similitudines sunt,tot reminiscentiæ sunt,veluti & discursus. Profectò cum res lætas meminisse volumus,instrumenta lætitiæ assumimus: similiter exultantes casu obuiam facti præteritarum exultationum nobis excitant memoriam: & cum ea quæ didicimus,recordari cupimus,libros inspicimus,in quibus ipsorum signa exarata sunt: similiter intuentes lampadem,solis meminimus; & cum patimur molestias, præteritarum molestiarum recordamur,siue nostrarum, siue alienarum: & cum video hominem similem fratri meo,reminiscor fratris mei. At si motus scientificus fratris ex me exhalauit in tenuitate spiritus,aut sopitus est,& veluti in veternum deiectus in crassitie spiritus,non reminiscentiam,sed nouam scientiam acquiro,cum fratrem iterum video. Sic olim pestilentia Athenienses sanati,nec proprij nominis reminiscebantur,sed denuò addiscebant.

Memoria igitur sensus anticipatus est. Reminiscentia verò est renouata affectio scientifica,hoc est anticipatus sensus à præsenti sensu excitatus casu,vel industria; ideoque non est ita vehemens sicut præteritus. Meminimus nauseæ,ac vomitus,quem passi sumus nauigantes,ac minimè ita nunc vomemus, vti tunc temporis,sed afficimur modicum.

Mens immortalis excitata vestigiis Dei Creatoris sui recordatur, aut contemplatur Deum in huiusmodi effectibus ad ipsam per spiritum sentientem,aut reminiscentem per repassionem intrantibus: quos Potestatiuo recipit, patiturque; Intellectiuo,iudicat,agnoscitque; & volitiuo afficitur. Vndè errãt,qui intellectũ pati, aut affici per se putãt,eo quòd primalitates non distinguũt,identitate reali decepti.

F Qui passus est aliquid, aptior est ad similis passionem vel ad præterita. At qui figuram habet impressam, vt tabula rasa aliam superuenientem non admittit, aut prima abijcit. Errant ergo Peripatetici, & Galenistæ ponentes memoriam in cerebro molli apto ad excipiendas figuras: nam pueri humidi cerebro minus apti sunt ad apprehendendum, quàm sicci, vt melancholici: qui ob spiritus tenuitatem, & non ob cerebrum stupidum apprehendunt. At retinent, non quia siccum habent cerebrum, cum sicci parum retineant ob tenuitatem ac fuligines, vt probaui, sed retinent ob mobilitatem equalem spiritus apti ad recolendos præteritos motus.

G Reminiscentia mentis consimilis est *reminiscentiæ spiritus, ac fit per motum spiritaliorem.* Ex Thucid. & Lucret. S. Aug. de extensione Animæ. *Intelligere non est pati, sed iudicare; pati enim est Potestatiui, & affici volitiui: scire intellectiui.*

De Fide assentiente, & dissentiente, & de opinione, & suspicione.

Art. 3.

Art. 2.

Quid est credere.

NOn sufficiebat scientiæ sensatio ac memoria;non enim omnia propriis sensibus sentiri possunt,ergo indigemus fide,qua assentimur illis,qui senserunt, & experti sunt: Itaque vt sciremus Romam esse, & Cæsarem fuisse, & Adam, & nouum orbem,opus fuit animali rationali,illis fidem adhibere,qui viderunt,atque annunciauerunt nobis voce vel scriptura. Credere enim est sentire alieno sensu, non proprio. Ita de diuinis rebus credere oportuit Moysi,Ptophetis,& Apostolis, testibus non deceptis,nec deceptoribus. Quoniam verò mens assentitur spiritui, quando est verè testificans, & non opinans: testimonium verò humanum sæpè mendax est: opus fuit miraculis confirmantibus fidem rerum diuinarum, quæ à

A Fides est assensus animi propriis sensibus, aut alienis testificantibus quod certò perceperunt. Testes fide digni sunt qui possunt, & sciunt & volunt dicere Verum, & non timent. Idcir-

solo Deo fieri possunt: vtque ratio de illa iudicaret, & de incredulitate: aliatũq; rerum ex emplo in memoria retentarum, aut recens perceptarum. Itaque homo credit Romam esse, assimilando illam aliis ciuitatibus, aut suæ patriæ. Illas credimus res, quæ tamquam certæ ptoponuntur nostro, vel alieno sensu, quibus experientia non repugnat, nec sensus aliquis anticipatus aut in se, aut in simili, testesque habet non deceptores, nec deceptos, qui sciunt, volunt, & possunt dicere verum: opinamur verò res quibus aliquis repugnat sensus aut ratio; aliæ verò consentiunt; quoniam similitudo non est vniuoca, nec semper, sed plerumque. Suspicamur verò id, quod non perfectè in simili, causaque nec certa sentitur: verum iudicamus id, cui plures sensus, ac rationes fauent. Idcircò palam est, quid sit opinio, & fides, & suspicio.

cò omnes homines cum sint mendaces, alij ex ignorantia, alij ex malitia, alij ex timore. Solus Deus est verax; Pater optimus, sapientissimus, fide indubitata dignus. Aliis credendum est, quatenus sunt testes eius, aut per reuelationem, aut experientiam factam in mundo eius codice, sicut dixi in 1. Metaph.

Conditio testium.

De Discursu.

Art. 4.

Discursus autem est sentire aliquid in alio; etenim vnà cum fide ita cognitio nascitur, vocata Discursus, aut Ratio, propterea quòd notis ex rebus discurrit ad scientiam rerum ignoratarum similitudine duce, quæ est inter eas. Ità scimus quod si dragma vna continet grana frumenti 12 Vncia vna cum sit dragmarum octo, continebit grana 96. hoc est octies duodecim; Atque si brachium est continens palmos duos, vlna continebit octo. Propterea quòd omnis dragma similis est aliæ dragmæ, & omnis palmus alij palmo, experimento duce; quòd multarum sensationum, ac memoriarum confirmata est scientia. Innatum est nobis ex notioribus ad incognita procedere. Hinc est quod grano duplicato quoties opus fuerit, metimur *A* pondera: digito verò, ac palmo magnitudines. Propterea quòd palmus, & grana res notissimæ nobis sunt; quoniam verò solis motus nobis notissimus est, mensurat nobis motus omnes cælestium. At horologij motu nobis notiori, solarem quoque motum dignoscimus. Ità in rerum natura intelligo quomodo fiat planta, ex eo quòd video quomodo nascuntur pili, & lapides ab osse, & Lycurgum à Solone in affirmatiuo discursu cognosco. Quot *B* verò sunt similitudines, tot sunt dicursus, ac syllogismi; & similitudo originis, & temporis, & loci, & materiæ, & actionis, & passionis, & operationis, & dispositionis, & formæ, & accidentis (hoc est rei aduenientis extrà essentiam, aut extrà potestatem, aut extrà intentionem, aut extrà voluntatem) & oppositionis etiam, nam contraria per contrarium cognoscimus: sicuti si calor est albus, infersimus, ergò frigus est nigrum. Est etiam similitudo similitudinum, sicut proportionalitas; vndè scio, quòd sicuti se habent quatuor ad duo, ità se habent sex ad tria, & qualis est cibus carneus lupo, talis est herbaceus pecudi. Qui benè has similitudines nouit, bene discurrit, & addiscit omnia facilè: propterea quòd ex notis similibus ad ignota procedit, & quò notiora sensibus ipsa similia sunt, & quò similiora, eò perfectior fit scientia discursiua, certiorque. Itaque melius cognoscũtur humani corporis partes inspiciendo in Anatomia partes porci, quàm legendo ipsam descriptam in codice Medicorum, ob similitudinem; notitiamque maiorem: sic Hispani melius quam Moschouitæ norunt Æthiopes à sole nigrescere, propteteà quòd in Hispania quidam similes sunt Æthyopibus, &

Quid est discursus. q. 53. ar. 2.

A Metiri & numerare est inuestigare ignotã quantitatem in altera nobis nota, & illi persimili. Vide log. lib. 4.

B Ad cognoscendum quodcumque ens, decẽ inspice prædicamenta. 1. originem seu naturam, vbi considera principia, ex quibus oritur. Vires, locum, tempus & modum nascentis 2. materiam particularem, qua est cum quãtitate propterea & numero, & dispositiones, si sit densa aut rara aut mollis, &c.

3 Operationem, si mouet se; si stat partim, aut omnino, aut totũ. 4. figuram extrinsecam nunc iam intrinseca, positura particularum in toto cum tẽperie causa agentis, & regnantis in ea.

5. Actionem, si valida est aut languens, si cum materia si sine materia, & sapore &c. & in quid agit & quomodo.

6. Passionem si facilè patitur, à quo & quando, & quomodo, sed sensuum obiecta omnia. 8. Quid sibi accidit post completum esse, & si casu, aut arte agit, patitur, figuratur, coloratur, nascitur. 9. Quibus opponitur in operatione actione, principiis, figura, aliisque. 10. Quibus est simile in natura, operatio, passione, &c. Tria sunt relatiua ipsorum principiorũ, absoluta septem. Similitudo autem est via ad omnes, & omnium notitia, & circuit omnia prædicamenta. Vt in prima parte Metaph. scripsi contra sectarios.

benè noti magis, quàm in Moschouia. Hinc palam fit Reminiscentiam esse notitiam noti præteriti factam per simile præsens. Discursum verò notitiam futuri, aut absentis non noti per simile præteritum notificatum: ac fidem esse cōsensum alienæ cognitioni.

Contrà *C* fiunt discursus negatiui, proptereà quòd expertus spiritus in anticipationibus, quòd contrariæ causæ contrarios faciunt effectus, quandò scire vult, quo res aliqua differt ab alia, quatenus differens, intuetur omnes modos differentiæ, hoc est originis, temporis, loci, materiæ, Actionis, passionis, dispositionis, figuræ accidentis, similitudinis, ac oppositionis. Et *D* fundatur super duabus regulis. Omne simile inquantum simile est vnum cum suo simili: & quatenus dissimile non est vnum, & quidquid affirmatur de vno, in quo simile, affirmatur de alio in quo simile, & quidquid negatur de vno in quo dissimile, negatur de alio, in quo dissimile, non autem affirmatur in quo dissimile, nec negatur in quo simile.

D Regulæ syllogismorum affirmatiuorum, & negatiuorum. Vide Logic. lib. 3.

E Ex quibus procedit syllogismus demonstratiuus & probabilis, & suspicatiuus.

Discursus demonstratiuus certus fit ex simili essentiali, & vniuoco; probabilis ex accidentali, & vt plurimum, suspicatiuus ex accidentali, & rarò contingenti.

F Vnde fit discursus ad cognoscendum entia, quæ non habent cum nostratibus similitudinem vniuocam. i. Theologica.

Est *F* rursus alia similitudo analoga, qua sunt quædam proportionaliter vnū, aut si dicuntur in re spectu ad vnum, & per hanc similitudinem procedimus ad cognoscendum res diuinas, intelligentias, & mundi mentalis entia, similia entibus mundi corporalis, & res vnius systematis rebus alterius: vti piscis lorica, & veretrum, similis est loricæ, & veretro nostris. Fælix qui has similitudines assequitur, dixit, Dominus.

G Qui homines benè Syllogizant, & qui malè ex spirituum differentiis.

Qui spiritu lucido, puro, non valdè tenui, nec valdè crasso donati sunt; ad discurrendū aptisunt; proptereà quòd in tenuibus valdè exhalat notitia præteriti, antequam per ipsam conspiciamus similia sibi, cōtratiaque. Et proptereà in cerebro tenues valdè spiritus pauci sunt, ac fuliginosi, cò quòd multo calore sanguinē adurente, fuliginesque educente cum tenuissimo spiritu, in fine actionis facti sunt, veluti tenuissima est flamma in fine incendij magni. Quapropter dum spiritus motiones aggreditur præteritas, in quibus inuestigat rem similem ignotamque in altera cognita, eius motus à fuliginibus intercipitur. Item quocunque aëris motu aut viscerum, tenuitas eius, discursusque incommodatur. Huiusmodi sunt homines sub Tropicis, acuti ad sentiendum, debiles memoria, interrupti discursus, timidi, ac suspicaces, quia fuligines intercipiunt motionem discursus, & terrent spiritum lucidum.

Crassi verò spiritu, ac corpulenti, difficilè mouentur de similitudine in similitudinem, & quanquam memoriam habent tenacem, quando tamen crassitudo multa non est, quæ penitus sopiat passiones: non tamen discursum habent sincerum, nec velocem, sicuti experimur plerumque in Germanis, & Tartaris, ferocibus ex copia spirituum, & memoria tenacibus, quia non exhalat portio spiritus antequam altera generetur: ac pauci discursus, & obstinatæ sententiæ in scientiis speculatiuis, cò quòd spiritum à corpulentia liberum non habent admittentem rationes meliores. Proptereà quoque aptissimi sunt ad mechanicas artes. Pueri memoriam non habent, non quidem ob tenuitatem spirituum, sed quia non consueuerunt scire quid prosit memoratio. Item quia crescunt multum, ac continuò tanta spirituum copia illis additur, quòd passiones præcedentes obruit, sopitque veluti vapor motū aëris impedit, & sicuti vinum vaporosum obnubilat spiritum, & inebriat; multumque alimentum, immutat etiam aliti saporem, sicuti herba paludum degenerat à montanis. Item & quia habent cerebri cellas non benè adhuc distinctas, sed carnosas, vbi spiritus non potest præteritas motiones in præsentibus recolere. Ideoque nec discurrere possunt. Quando corpulentia spirituum magna est, nec memoriam quidem habent quia motiones prætetitæ in ipsis non

manent, nisi vehementes valdè fuerint, has ob causas humidi Aquilonares multi immemores sunt.

De Abstractione & Intellectione.

Art. 5.

INtelligere est intus legere in rebus sensibilibus id, quod foris latet, & per discursum ex his quæ patent: & hoc obscurum est in brutis; in homine eminificum & clarum. At vulgo intellectio reputatur illa diminuta cognitio, quæ abstractione constat, non quidem facta ab mente actiua purificante obiecta, vt putant, hoc Deus enim solus posset, sed à diminutione cognoscibilitatis, & impotẽtia cognoscẽtis, sicut oculus potest sentire colorũ pomi, non sentiendo saporem; at non quia abstrahit actiuè illum ab hoc, sed quia nõ potest etiam hunc sentire, vel sentitum retinere, & hoc proprium est puerorum, & bestiarum, & à longè sentientium. Intellectus enim quà intellectus est intus legit omnia, etiam minimas singularitates (alioquin intellectus Angelicus & Diuinus istas non sentiret) & non solum vniuersalitates, immò & vniuersalem ideam, nedum vniuersale ideatum, & hoc inest homini. Sed imbecillitas est spiritus animalis, ista abstractio, quam non rectè vocant intellectum cum non legat intus latentia, & plenè, sicut Angelus, sed extrinseca cõmuniaque sicut puer: quare potius apprehensiua virtus dici deberet, etenim ista fit intellectio; quando spiritus sentit in se res communes absque ipsarum particularitatibus vt hominem non intellecto Ioanne, Martino, aliisque & quæ latent in eis non penetrando, quod proprium est diuini intellectus attingentis intrinseca medullarũ: hoc autem ideò euenit, quòd in multitudine similium sunt entitates communes omnibus similibus in eo quòd similes, veluti hominibus figura, sentire, loqui, ratiocinari communeest omnibus; sunt etiam entitates particulares in eadem communitate rerum, eò quòd alio modo formata est figura Petri, alio Pauli, alio Socratis, & animatio & cogitationes eorum variæ & innumeræ. Item alio modo sentiunt, loquuntur, operantur, & negotiantur, alioque colore, & passione donati sunt: quamuis omnes in his rebus communiter conueniant, quia facti sunt ex eisdem principiis materialibus, actiuisque; sed diuisis in partes, & diuersis temporibus, & locis, & causationibus: itemque difformibus copia & robore: igitur in spiritu per sensum repræsentantur huiusmodi entitates cõmunes, in quibus concordant. Et particulares, in quibus disordant. At in memoria retinentur magis communitates, quia pluries, & in pluribus obiectis sentiuntur, ideoque & plus mouent; vt in Petro, & Paulo, & Socrate, ac aliis contuemur esse humanum, sentire, loqui, figuram, nasum, &c. At non in omnibus esse talem hominem, sentire acutè, loqui grauiter, aut graciliter, figuram altam, aut humilem, nasum simum, huiusmodi oculos, huiusmodi actionem, &c. Ideoque magis memoria tenentur vniuersalitates, quàm particularitates, quæ non in omnibus sunt eædem, vt illæ; nec proindè magis mouent, pluriesque, nec magis ergò cognoscuntur. Verumtamen idem spiritus videns Petrum, videt hominem, & talem hominem, hoc est vniuersalem, & particularem, hoc est id quod habet Petrus simile aliis, & id quod habet proprium dissimile illis. Itaque spiritus nomina imponit rebus, quæcunque mouent ipsum, notando ipsas sibi, & significando aliis; ergò quod commune est in Petro, & Paulo, & aliis notat communi nomine, dicendo Homo. Particularitates verò, dicendo propriis nominibus, *B* Petrus, crassus, Agrippa, Naso, &c. ex differentiis indiuidualibus. Attamen nequit oua *C* particulari nomine notare, ob nimiam ipsorum similitudinem, & communitatem; nec hanc, nec illam aquam, nisi experimento diuturno cognouerit particularitates

Quæst. 53. ar. 2. & 54. & log. lib. 1.

Quod sensus & intellectus non sint pura potentia; & vtrumque percipiat vniuersale non faciendo, sed deficiendo: & immutatione non informatione. Nec detur intellectus aut sensus agens abstracta pars animæ humanæ. Nec sine forma prorsus corporata. Nec vnus intellectus in hominibus cunctis sed cuique suus contra Arist. Auer. Alex. & alios. Vide q. 54. ar. 1. 2. 3. & Metaph. p. 3.

Quid est intellectio?

veluti fæmella custos Gallinarum discernit, ast & distinguit aquas vase, aut fonte, eorumque nominibus. Deindè quia hominem vidit conuenire cum equo, aliisque brutis in motu, & sensu, & sensoriis, & anima sentiente, consimiliter notat omnia hæc nomine communiori, & dicit Animal; omnemque communitatem minorem contentam sub hac, notat nominibus minus communibus, dicendo equus, leo, canis; Deindè apprehendens sicut vnum id in quo conueniunt animalia & plantæ, quod est viuere: vno quoque nomine donat, dicendo, Viuens; illud quoque quod simile in animalibus, & in plantis, & in lapidibus cognoscit, vno donat nomine vniuersaliori, & dicit, Corpus; & quia omnia sunt, dicit, Ens, communissimo nomine. Deindè communitatem indiuiduorum vocat Speciem, vt homo, transferendo vocabula ex communitatibus politicis ad animasticas: communitatem verò communitatum aliquarum Genus, vt animal; & communitatem omnium communitatum transcendens, vt Ens &c. Species igitur est similitudo multorum indiuiduorum apprehensorũ vt vna res, & propterea vno donatorum nomine: quia quatenus similia, vnum sunt, quamuis sint multæ res similes. Genus verò est similitudo multarum specierum apprehensarum, vt vna res in eo quod similes, quamuis multæ sint res nomine generali notatæ vnico, quia vnum sunt, quatenus similes.

Vide Logicorum lib. 1.

Sunt etiam similitudines nominum, & rerum, quæ non sunt essentiales, & faciunt æquiuocationem, & analogiam, & metaphoram, prout maior, minor ve similitudo est; & ideò omnia vno vocabulo donantur, quod est Ens, res, vnum, &c. Quamuis huiusmodi vnitates multorum similium fiant in spiritu corporeo, quia mouetur ab illis, & afficitur consimiliter vno eodemque motus consimilis modo, quibus omnibus ipse postmodum vnum imponit commune nomen, imitando vna voce per instrumenta vocalia motum, quem ab illis accepit; nihilominus correspondet huiusmodi communitas vni ideæ diuinæ mentis. Sunt enim similia vnum, quoniam ab Vno Primo, vndè omnis rerum communitas emanat in gradu propriæ participationis. Contemplari tamen ideã, quæ est multiplex participabilitas primæ ideæ, proprium munus est mentis à Deo homini inditæ, quæ excitatur ad intelligentiam idearum ob similitudinem, quam in his ideis inuenit, quæ in spiritu fiunt, apprehendente communitates rerum. Propterea bruta cum habeant spiritum corporeum, habent etiam hanc cognitionem rerum similem, vniuersalisque non tamen ità perfectam, sicuti in spiritu humano fit. Etenim non modo spiritus humanus ab immortali mente perficitur, sed in seipso quoque blandior est, puriorque non nimis tenuis, nec nimis crassus; & habitat in cerebro spatiosiori, & in cellis longè melius efformatis in capite humano, vbi melius moueri potest, ac discurrere, quàm in brutis. Quæ tamen discursum habent sensitiuum, quem vocant extimatiuam, sed non mentalem, vti palam apes, & formicæ ex memoria preteritorum operantur in futurum: symię, ac Cercopetici disciplinabiles sunt, quia memoria retinent motiones, ac præcepta, in quibus assuescunt, sicuti & pueri assuefactione scientes fiunt, qui & antequam particularitates pernoscant, tribuunt commune nomen omnibus hominibus, dicendo Patrem, & omnes fæminas vocant Matrem; Deindè assuescunt distinguere indiuidua, & pedetentim addiscunt cognitionem, & verba significatoria particularium. Ità vidimus canem ex Polonia in Italiam aduectum, non intelligere linguam Italicam insuetam, nisi quis Polonicè cum allocutus esset: Quamuis *H* non loquantur bestiæ vti nos loquimur, quia non habent os

S. Th. p. con. Gen. & in p. p. & 1. sent. docet cognitionem vniuersalis esse languidam, imperfectã, Deumque omnes singularitates nosse ideoque verè scire.

B Romani periti & Hebrei nominabant à proprietatibus, aut à naso, vel pede, vel, &c. & non casu, vti nos vtentes proprio amore & non sapientia.

Hinc prodiit C Indus alearum, factarum similium deforis ne agnoscatur earum particularitas, sed vniuersalitas; ergo pater peripat. Vniuersale esse nihil, & nisi similitudinem, particulare verò dissimilitudinem.

Arist. & Porph. nescierunt definire quid sit species & genus in se, sed quid sint in vsu creationis: dum aiunt genus esse, quod dicitur de pluribus, &c. ego verò dico.

Vide logic. lib. 1. Vniuersalia E Aristotelicè intelligere conuenit etiam brutis, quibus decit David non esse intellectum, id est, mentem à Deo inditam; non autem cognoscitiuam vniuersalis languidam vim cum Iob dicat Gallum habere intelligentiam, & S. Aug. dat intelligere potentia æstimatiua, & cogitatiua, quæ est in brutis. Teste D. Tho. & Salomon sensui cogitare tribuit, corpus, inquiens, deprimit sensum cogitantem; vbi accipit

os effinctum, humano persimile modo: sicut psittacus palatum concauum, quale inest homini, habens, ac discens humanas formare voces; nihilominus omnes loquuntur suo idiomate, variantque voces, correspondentque, existimant, & apprehendunt, quod in nobis discurrere & intelligere dicitur, nam equi cognoscunt vniuersale, simileque, quoniam non hordeum hoc, aut illud noscunt tantum, sed omne hordeum, aliàs hoc vnum manderent tantum; & canis latrat contra hominem vniuersalem in nocte, sed cum appropinquauerit & nouerit herum, hominem particularem, blanditur: vidi canem, qui ad emendum panem mittebatur ab hero, nec discedebat a furnario, nisi reliquos Carolini Tornenses, & panem illi reddidisset. Quamuis huiusmodi intelligere, & discurrere est prudentia, omnisque brutorum virtus sensitiua sit tantum, non mentalis; Porro & anima, quæ mens est à Deo hominibus modo indita, dicitur etiam Intellectus, & spiritus, sicut accidit, quãdo ignotum discimus, ac nominamus à noto simili. Item etiam plerumque proprium alicui facimus, quod multis commune: sic ergò homines intellectuales, ac rationales dicimus, non autem bruta, *F* quamuis intelligant, sentiantque discurrendo, obscuro quidem modo, quoniam omnis cognitio à prima Sapientia est; idcircò nobis & illis similis est. Intellectio igitur ideæ sicut sigilli propria est Menti: ideæ vero sicut sigillati sensus interioris, ac languida cognitio videri debet, eo quod commune apprehendit, retinerque, non autem particularitates teneie potest, quoniam illud in similibus multis, ergo multoties mouet; hæ verò in paucis, ergo & raro mouent: idcircò & minus memoria retinetur. Verè Sapiens est non qui modo nouit Petrum esse hominem, sed qui suas particulares proprietates temperiei, figuræ, virtutum, vitiorum, actionum, passionumque minimarum, ac peculiarium pernouit. Sapientissimus Deus est, quia omnes singularitates minimas rerum, & omninò cognoscit, in se ipso conspiciendo: vndè ipsæ deriuantur, sicuti opificium ab opifice. At homo a rebus scientias acquirens, non potest retinere, nisi commune, quod reperit in illis: à quo ergo pluries mouetur, imprimiturque, non autem proprietates minutas, & intrinsecas, atque à sensu distantes, quas per similitudinem inuestigat, cum non sit ipsarum opifex, sed cognitor tantum: huiusmodi vniuersalis cognitio est quidem obiecti non præsentis ita sensui interiori, sicut exteriori. Nã cũ procul sensus hominẽ videt, dicit, quod video, Animal est; deindè appropinquante magis, dicit, homo est. Tandem de maximè propinquo, sensus ait, Petrus est. Hinc *H* palam fit, cur sensibile robustum destruat sensum, sicut Sol oculos, & ignis manum, at intelligibile robustum confortat intellectum; intelligibile enim dicitur absens obiectum, & à longè: idemq; præsens, & propinquum dicitur sensibile: at verò qui distantem rem videt, melius vicinam videre potest, sed non è contra, quia distans minus mouet sensum, minusque afficit: nam & qui paruam facilè passionem suscipit, potest & magnam suscipere facilius, fortius ferientem. At sensibile vicinum magis mouet, & qui magnam passionem sentit, non potest paruam sentire. Pueri vero è contra antequam addiscant particulare, non tamen applicare sciunt, eò quòd non discernunt particularitates, ab vniuersalitate, idcò appellant omnes homines Patres.

sensum pro mente, aut pro spiritu eius ministro, & D. Th. dicit animalia habentia memoriam habere prudentiam, & in 2.2. cogitationem esse partem consiliatiuæ particularis.

Equus scit omne hordeum esse bonum, sed nescit hordeum esse simile ideæ æternæ sicuti nos, quibus Arist. tollens mundo opificem, tollit idearum intellectum sicuti Euseb. S. Dion. S. Iust. & S. Th. disputant benè contra eum.

F Vniuersales propositiones sunt epilogus singularium, & definitiones sunt compendium scientiæ particularium.

Si Sapientia & intellectus esset vniuersalium & non particularium intellectus diuinus & Angelicus particularia ignorarent, ergò est defectus scientis & scibilis notitia vniuersalis.

H Animalia ad inuicem loqui, & sese mutuo audire.

q. 49. art. 2.

Propterea ergò multæ memoriæ eiusdem rei sensu cognitæ efficiunt experimentum, quod est vniuersale ipsum, atque principium doctrinæ, quam tradimus aliis: sed particularia sunt principium scientiæ, quæ inuestigatione addiscitur. Propterea que est spiritus puri, & agilis omni motu mobilis, ac discurrentis ad omnes similitudines promptè: ita quod sufficit semel intuitum esse rem, vt retineat, & simul conferat alteram alteri, faciatque scientiam, inuestigando essentiam ab actionibus, aut actiones, & passiones ab essentia, & ex vna actione alias actiones, ac passiones, prout prius sibi affertur res hæc, quàm illa, & huiusmodi conditio prius quàm illa. Ergò discurrere est in aliis sentire, intelligere verò est sentire languidum, & à longè in spiritu animali, & cortices rerum: in mente verò insuper est Analogicum, & ideale superioris ordinis, quoniam vniuer-

De principiis scientiarum doctrinalium & inuentiuarum.

sale sapit rerum, & temporum & ideas, & nucleos rerum quod sensui nõ datur. Vnde Hominem non per magis & minus, sed etiam per ordinis superioris ac inferioris discretionem præstare cæteris animantibus, palam fit.

De Iudicio. Art. 6.

A. 53. & q. 54.

De iudicio sensibilium.

A Obiectum cognoscitiui sunt Verum & falsum. Inuestigatio dicitur syllogismus, & discursus. Determinatio partialis, est Nominatio, Totalis Definitio, & Axioma.

B Nomen est iudicij partiales, sensitiuique effectus.

Definitio est iudicij totalis & mentalis.

Vide. Log lib. 1.

De iudicio Appetibilium.

C Obiectum volitiui est donum & malum. Inuestigatio dicitur approbatio, & reprobatio.

De partiali & totali iudicio apprehensibilium.

POst intellectionem sequitur iudicium in anima de vero & falso suis obiectis, si perfecta iam est inuestigatiua cognitio de re per ea, quæ intellectus intus de essentia legit, penetratque per sensus organa, præcedentesque sensationes, memorias, fides, & discursum & argumentum. Est enim intellectus quasi iaculum discursus vel sensitiui; *B* & tunc elicit Iudicium partiale, quod per sensoria incipitur; ex hoc enim quòd manus calefit ab ignis parte, iudicat sensus totum ignem esse calidum, & insuper omnes ignes, & dat illi nomen ab eo, quod patitur ab ipso, Nominare enim est ex iudicio decretum facere de re scibili. Vel intellectus est iaculum discursus Mentalis post omnium sensoriorum & memoriarum, & fidei, & discursus notiones; & tunc elicit iudicium totale, quod dicitur Definitio, aut descriptio, aut axioma, aut declaratio, probatioque: quæ sunt fines inuestigationis, & principia doctrinæ, seu scientiarum theoricarum. Est enim nomen definitio imperfecta, definitio verò nomen perfectum, & eorum inuestigatio dicitur argumentũ, & syllogismus.

Quando *C* inuestigatur obiectum, quod spectat ad volitiuum. 1. Bonitas, & malitia rei ad finem, ille tunc discursus vocatur examen, sicuti in veritatis, & falsitatis inuestigatione vocabatur syllogismus, ratiocinatio. Et quidem examen non ex notionibus sensoriorum, & fide, & rationis modo fit, sed etiam ex affectionibus organorum appetitoriorum, quæ sunt ventriculus, & lingua, prout ventriculo deseruit in approbatione cibi & potus: pudendas partes prolatorias generationis, & organa appetitoria expulsionis, aliaque stimulantia ad idem; medici etiam iecur, & omnia nutritionis vasa examinant, tandem voluntas, quæ ad hæc se habet, vt ratio ad sensoria. Item aliorum fides, & memoria.

Porrò tunc subsequitur iudicium partiale quandò sola appetitoria interrogãtur; sed eum etiam voluntas, totale; non enim quidquid ventriculus, & mẽtula cupit, statim approbamus. Iudicium elicit ex his laudationem, vituperationem, approbationes, & reprobationes; & propositiones facit volitiui respondentes definitionibus, & axiomatibus cognoscitiui. Quæ approbationes vocantur decreta; fines inuestigationis, & principia scientiarum moralium, persuasiones, & electiones.

D Obiectum Potestatiui sunt Possibile & Impossibile. Inuestigatio dicitur Perpensio Determinatio dicitur vere determinatio, & mensura, & numerus, vel particularis, vel totalis.

Cùm verò *D* inuestigatur res pertinens ad potestatiuum, vt an sit possibilis, facilis, magna, potens, ponderans, parua, imbecillis, leuis, ille discursus vocatur perpensio, & commensuratio, quo interrogantur organa Potestatoria quid valeant, & quid res aggredienda. Sunt autem Potestatoria organa, vel ad substentandam corporis nostri machinam, vt ossa, vel ad continendum humores, & spiritus, vt venæ, Arteriæ lien, vesica intestina, fel; cerebrum, nerui: in quibus attractiua, retentiua, & expulsiua. 2. Potestas quanta sit perpenditur, & quanta vis obiectorum contentorum. Vel ad transmutandum, vt iecur, cor, venter, retiforme; vel ad defendendum corpus, & sic pedes interrogantur, & locus, in quo habent ambulare. Aues, & Pisces etiam alarum perpendunt facultatem. Vel ad pugnandum, & sic dicursus perpendit vires brachiorum, & vngues, & spinæ robur sui, & inimici pariter. Bruta verò dentes exertos, cornua, & vngues an valeant contrà hostes perpendunt, alioquin fugiunt.

Vel sunt organa ad defendendũ, & sic interrogatur coriũ, caro, capilli, & pili, & vestes. Bruta etiam squamas, spinas, pilos, plumasve, homo autem non modo instrumenta naturalia in his interrogat, sed etiam ars adsciuit, vt in defensione lanceam, gladium; in delatione equum, currum: in sustentatio-

ne, Equum, currum: in sustentatione baculum: in continentia non habet quid vnitum, nisi domum, nauim, sedem; sicuti neque in sensoriis omnibus, etsi enim habet ocularia, & auricularia, haud tamen nasaria, pudendalia, &c.

Ex horum perpensione sequitur partiale iudicium. Sed cum etiam interrogat vires Potestatiui, sic egreditur totale, quod vocatur determinatio, quia terminum suarum, & obiecti virium ponit, & finis est inuestigationis: vndè dicitur appretiatio, paruipensio, magnipensio, & æquipensio; & sunt principia doctrinæ operationum œconomicarum, militarium, & Politicarum, & Physicarum. Vndè illud, cum Leone non est inermi pugnandum, quoniam viribus impar cum homine æquali pugnantem non satis vires posse, sed cum minori. Pondus mille sextertiorum non est aggrediendum. Et Mechanicæ artes, Mathematicæ ex determinationibus principia habent, sicut morales ex sententiis, decretisque, & theoricæ ex definitionibus thesibusque.

Iudicium de executibilibus & operabilibus.

At quando *E* aliquid est agendum, nec nè, discursus præcedens vocatur, Consilium, quo non propria organa modò interrogantur ad executionem, vt manus artes tractans, & corpora nobis pellens, & appellens, & musculi, & iuncturæ, organa motus, quo indigent omnia organa in suis executionibus: at etiam Sensoria, Appetitoria, Potestatoria, in partiali iudicio: sicuti in totali interrogantur notiones cognoscitiui, sententiæ volitiui, & determinationes potestatiui, de se, & de obiectis; & ex hoc consilio egreditur iudicium, quod vocatur electio, & deliberatio, quia liberè fit, & liberat à dubio inquisito. Potest enim homo aggredi ex solis passionibus Potestatiui, vel cognoscitiui, vel affectibus sensitiui, vt faciunt bruta, & tunc casu aliquo posset obtinere finem bonum: sed talis operatio vocatur præcipitatio, opposita consultationi, & eius deliberatio dicitur electio solum, quia non liberat ab omni dubio, idcircò etiam dicitur temerarium iudicium. Ergò bruta in his cunctis iudicium perfectum non habent, quia carent mente, & intelligentia: sed id quod vocatur æstimatiua, quæ illis est loco intellectus, iudicij, & mensurationis.

E In agendis actionibus obiectum est factibile & non factibile, inuestigatio consilium determinatio dicitur deliberatio.

Animaduersio in voce Iudicium.

Nos autem vocauimus iudicium id quod ex ratiocinio egreditur, & debebat dici Intellectus, & quod ex perpensione, & dicendum erat Collatio, vel mensura: iudicium enim est solius volitiui. Iustitia enim virtus est communitatis, iudicans quid boni, & quid mali vnicuique pro meritis debeatur: sed cum iustum sit idem quod æquatio debita, extenditur etiam ad Verum, & falsum ad Possibile, & impossibile. Etenim Veritas nostra est æquatio intellectus ad rem, & rei ad diuinam ideam intellectus diuini; vndè in sacris literis iustitia etiam veritas vocatur. Similiter cum vires nostras, & rerum mensuramus, vtrum sit iusta, vel iniusta aggressio, id est æquata ad obiectum, decernitur: ergò possibilitas nostra est æquatio Potestatiui nostri ad possibile, & possibilis ad diuinam potentiam. Quod enim sine Deo possumus, impotentia tribuit, vt peccatum in me: & cum de malo & bono iudicamus, vtrum fini suo adæquetur, nec nè, an contrarietur, consideramus; & malum hoc, illud bonum dicimus, siuè nostro, siuè Reip. fini. Qui rursus adiudicamus. i. æquamus pœnam, vel præmium. Vndè bonitas nostra moralis est æquatio nostræ voluntatis ad finem, & finis ad diuinam voluntatem, absque qua nil bonum, vt in Metaph. diximus. Sic & Physica, & Metaphysica bonitas se habent, vt in sequenti libro patebit.

Quid est consideratio & contemplatio cogitatio, & Meditatio.

Consideratio est ratiocinium multa conferens ad iudicium, vt sydera Astrologus, vndè nomen sortitur. Contemplatio est multorum simul attenta intellectio intuitiua. Cogitatio, & meditatio ad imaginatiuam pertinet, quæ laborat, vbi ex prædictis certitudo haberi non potuit; propterea quòd vt plurimum ideales causas consulit, aut fingit, sicuti ratiocinium, vt plurimum materiales & formales, examen verò finales. Perpensio effectiuas & quantum; omnes tamen de omnibus.

De Imaginatiua.

Art. 8.

ANimali diuino de naturalibus scientia & iudicium insufficiens erat, nisi Deus illi virtutem ideatiuam addidisset, per quam tot res, & mundos, & systemata ferè facit imaginaria, *A* quot Deus faceret realia; vt qui non potest satiari rebus per sensoria & discursu notis, satiaretur vel ex parte imaginatis: & ex eis assurgeret ad ea, quæ in archetypo cælantur mundo.

Et *B* propterea alia est imaginatio sobria, similis diuinæ ideationi, alia casualis, alia insana. Imaginatio *C* est alius actus etiam corporei spiritus, quo ex notis rebus, quando tecta est imaginatio, figuramus ignotas, velut Angliam imaginamur cuiusmodi sit, contemplando Siciliam. Ergo imaginatiua est discursus, licet vtens tamquam imagine, vt plurimum non re sensu percepta, sed discursu nota, aut intellecta per alias res notas illis. Ego Centaurum figuro, cogitando cuiusmodi equus, & eques armatus vna sunt.

Quoniam *D* verò res cogitatione, sensuque notæ afficientes sunt magis, magisque corporales, idcircò imaginatiua corporeis figuris plerumque res modulatur incorporeas. Hinc Poëtæ figurant virtutes imaginibus mulierum. Præterea constat imaginatio compositione, & diuisione; nam ad significandum aliquid, componunt, diuiduntque res sensu perceptas imaginatione. Cui imaginationi minor fides adhiberi debet, quàm cæteris cognitionibus licet & ipsa sit eiusdem spiritus actus. Imaginatio enim mentis potius ideatio dici potest.

Imagines non sunt figuræ sed notiones rerum à spiritu deinde effincta ad similitudines aliæ aliarum, & compositionem, & diuisionem multiplicata: ergo quæ carent simili nequeunt imaginatione percipi nisi videantur.

B Distinctio imaginationum.

C Definitio imaginationis.

D Cur imaginatiua humana vtitur corporalibus figuris.

E Vndè fiant imagines casu tam variæ in anima.

Fit *E* etiam casu quoniam motiones in animo sentiente remanentes sæpè suscitantur, aut truncatæ, aut mistæ. Vndè fit vt vigilando, & dormiendo somniemus hominem sinè capite, & aureum montem. Quod ideò fieri potest, quod in nobis est notio auri alias visi, atque montis sæpè visi: hasque duas motiones aptus est spiritus copulare, ac proindè montem auteum imaginari. Verum si huic imaginationi credat, errat; nunquam enim sensus montem aureum vidit. Itidem & qui diceret reperiri hominem ingentissimæ magnitudinis, ex quo omnes participant homines, id ideò facere posset, quod in suo spiritu est notio hominis, & magnitudinis: ergò & coniungere illas potest. Hoc autem ex alia etiam exteriori similitudine facilè agnouit, sicuti quia vidit ex eadem massa magna plures fieri panes, & vna ex figura multa sigilla. Verumtamen huiusmodi imaginatio falsa foret, quoniam segregatet vniuersalem à particulari, quod nunquam diuisum subsistens repertum est. Sic qui dicit *F* Solem non esse calidum, nec lucidum, imaginatus hoc ex eo, quòd vidit duos lapides non calidos, nec lucidos percutientes se inuicem, emittere ignem, propterea errat, quod imago non respondet imaginato in sensu exteriori prorsus, cum sol non percutiat quippiã, nec sit durus, vt possit percutere, nec quæ ab ipso percuti finguntur, recipiãt plagã, nec conclusum densitate calorẽ, quem percussa, adapertaque emittant, habent. Saltẽ hoc dubiũ est, cum rationes multæ contradicant. Quapropter qui magis à sensu recedit magis ad imaginatiuam vanam accedit, ac fallacem scientiam captat: qui verò magis sensui accedit ab imaginatiua recedit magis; ac discursus veraciores format. Propterea syllogismi ponderandi sunt iuxtà distantiam ac propinquitatem prædictam duarum cognitionum.

F Arist. ex falsa imaginatione solem non calidum, nec lucidum facere lucem argumentatur.

Huiusmodi virtus imaginandi *G* quando de industria fit in spiritu corporeo significandi gratia, pulchra est, diuinaque; propterea quòd significat habilitatem ipsius ad componendum, ac diuidendum, & transferendum res proutalibet, & inueniendũ quæ non sunt & quæ sunt per ideationem analogicã.

G Virtus imaginatiua ex proposito diuinæ virtutis ideantis est Symbolum.

Et *H.* quando eſt in tenui ſpiritu lucido, efficit aptitudinem ad Theologicas, & Metaphyſicas, & morales ſcientias, contemplatrices rerum, ſenſu non expoſitarum, quæ figurantur imaginibus ſenſibilibus, multumque prodeſt loquenti ad populum rudem in perſuaſione Rhetorica.

H Imaginatiua ſpiritus tenuis puríque & lucidi ad quas ſcientias.

Quando *I.* verò eſt in ſpiritu corpulento, copioſóque, efficit aptitudinem ad mechanicas artes horologiorum, fabricarum, Typographiæ &c. Quando *K.* verò non ex inſtituto, ſed caſu oritur imaginatio in ſpiritu nimis tenui, exili, & ægrotanti vana eſt, inutiliſque, niſi à ſpiritibus diuinis ingeratur. Sic febricitans ſi in parte quacunque modicam ſimilitudinem hominis, aut beſtiæ videat, quoniam exilem habet ſpiritum, tenuémque, facilè patitur à minima, & truncata ſimilitudine: ergò in imaginationem incidit, quod videat hominem, aut beſtiam, aut aliud prius notum, vel denuò factum ſimulacrum ex præteritorum, & præſentium concurſu partem enim intus habet, partem deforis videt.

I Imaginatiua craſſi ſpiritus non impuri ad quid.

K Imaginatio ſpiritus languentis.

q. 53. art. 2.

Cur læditur imaginatio non læſâ memoria, nec diſcurſu.

Cum *L* in cogitationem inciderit ex motione, quæ ſuſcitatur in ipſo, afficitur ita valdè, vt in illam immutetur nimis, nec frænare proindè poſſit affectus, quia ſpiritus exilitas alienationem incurrit; nec alias recolere aptus eſt notiones, per quas de ſuo ludibrio certificetur. Itaque ſi notio gallinæ in ipſo ſuſcitabitur putabit ſe eſſe gallinam, atque ita eſſe obſtinatè tunc affirmabit, cum adeò vehemens affectio eſt, quod non permittit illi recognoſcere alias diſſimilitudines, ex quibus poſſit diſcurrere ad cognoſcendum falſitatem illiuſmodi affectus: id quod etiam ſenſui exteriori euenit, nam lingua amara bile perfuſa, rem ſentit amaram omnem, quam guſtat, exiſtimatque amaram, niſi ratione corrigatur.

L Dum perditur imaginatiua, aut diſcurſiua, aut memoria, debilitantur omnes huiuſmodi actus ſimul, quia ſunt eiuſdē ſpiritus. ſed non æquè ob textus rationes.

Falluntur Gal. putans eſſe tres res, magis autem Peripatetici tribuentes cellas diuerſas eis in cerebro cum ſola ſpiritus turbatione flacceſcant, & enaneſcant iſtæ facultates.

Atque vanam cogitationem incurrendo, aſſeuerabit euſque illam, quouſque ſpiritus in illa paſſione nimia perſeuerabit. Quocircà conſueuerunt homines ex nimia ira, vel amore nimio furere; eſt enim deprauata imaginatrix. Interdum verò ex nimio ſtudio ſpiritus incaleſcit nimis, dum tot motionibus agitatur inueſtigando incertum ſuper certo, & in ſemicerto: hinc nimis afficitur, & furit: nam in ſe ipſum redire volens, nequit, cum valdè attenuatus, affectúſque iam ſit.

Cæterum *M* ſi non ſatis afficitur motu quopiam ſpiritus tenuis, exiliſque à calore quo attenuatur foraſque educitur, quidquid offertur ſenſibus, agitat ipſum, ac ipſe de motione in motionem tranſit abſque ſtabilitate: omniſque eius diſcurſus ob hoc interrumpitur, & ob fuligines, & exhalationem ſui celerem, nouámque ob aggenerationem, vt dictum eſt, Ideóque dicitur inſanire, ac furere. Attamen *N* non perditur memoria quando furor fit à fuliginibus, & atrabili, interrumpentibus diſcurſum, & deprauantibus imaginatiuam, quippè cum ſpiritus illarum pauens nigredine videtur ſibi monſtroſa videre, ac terribilia: quin timori fidem cuicunque adhibent, quoniam intus ipſum habent: quare plerumque imaginantur cælum ruere, & ſe eſſe mortuos, & bella ingentia, & dæmones &c. Nec etiam perditur memoria, quando à vaporibus, humoribuſvè cerebrum aſcendentibus infeſtantur, dum ſpiritus idem remanet, eadem, qua exhalans affectus paſſione. At *O* memoria perditur, cum fuerint nimia caliditate excàdentes, attenuatique velut frenetici, quoniam ſpiritus tenuitas morbi paſſione ſuper affecta, dum exhalat, non communicat quæ ſciebat ſpiritui ſuccedenti. Qua *P* de cauſa plerique poſt ægritudinem ſæuam totam ſcientiam amiſerunt, *Q* quoniam totus ſpiritus ſcientia affectus exhalauit, nec communicauit ſucceſſori, niſi paſſionem morbificam vehementem; Mens verò ſpiritus paſſione rapitur. Alij verò poſteà reminiſcuntur ſcientiæ deperditæ, ſed ex parte, quoniam exhalatio copioſa non erat illis perpetuò, nec ita vehemens paſſio, quod omnes motiones phantaſiæ deturbare, auferréque poſſet, ſed impedire tantum. Quapropter primæ diſpoſitioni reſtitutus, quacunque noua ſimilitudine poteſt ad ſopitos recurrere motus ſcientificos. Eiuſdem *R* fluxus ac refluxus perpetui cauſa, & quia cerebri cellas non habent humiditate mundas, & quia aſſueſacti non ſunt; Pueri non recordantur, nec diſcurrunt, nec imaginantur rectè. At *S* ſenes benè diſcurrunt ex vſu, parum recordantur ob tenuitatem per multas rimas exhalantem, & motiones multas, ſe inuicem collidentes. Pueri autem ob ſolam motionum colliſionem.

M Languor diſcurſiua ex fuligine, inſtabilitate, & velocitate exhalationis.

N Reſp. Galeno putanti memoriam lædi ſeorſum à læſione ſentientis, & imaginantis, & diſcurrentis animæ. vide q. & lib. 6. Med.

O Quando perditur, aut languet memoria & quare.

P Ita muſca ob tenuitatem ſpiritus carent memoria: & male Ariſt. concludit ipſarum exemplo imaginatiuam non ſenſum, nec intellectum eſſe. Nec quia iſte apprehendit res abſentes, & ſenſus præſentes ſunt dua res, ſed duo actus eiuſdem rei

Q Cur per infirmitatem aliquando perditur memoria ad ſemper, aliquando ad tempus.

De Insomniis, & Prophetia.

Art. 8.

Multum præualet Imaginatiua in negotio; ac dormiēdo magis ex quadruplici causa faciēs somnia, videlicet, ex humoribus, & vaporibus intraneis; ex reliquiis motionum diurnarum; & ex aëris communicatione: & tandem ex suggestione diuinorum spirituum, & Dei. Porrò *B* quicunque humor in capite exuberat spiritum animalem variis mouet modis. Itaque humore colerico infestatus somniat se præliari. Caliditate verò arida sitire, ac fontium proindè recordatur. Atra bili infestatus, dæmones, ac monstruosa in somnis videt, cum modica ipsorum similitudine excitos, ipsorum notiones suscitantur totæ. Cùm vapores in caput ascenderint, quibus spiritus supernatat, somniat volare, ac natare, sique diuidant deorsum intercurrens somniat cadere. Cum dulcis piruita in linguam ceciderit, somniat edere mel, & huiusmodi. Cum alij humores res alias illis consimiles somniat. Non quia vapor aut humor tales faciat imagines actiuè, sed occasionaliter; accipit enim ex eis spiritus occasionem recordandi notionum præteritarum, aut fingendi nouas imaginando.

q. 55. per Totum.
A Triplex causa somniorum, somnia fiūt in capite, non in corde vt putat Arist.
B De prima causa somniorum.
C Humor & vapor occasionaliter non actiuè causant imagines somniorum, spiritus enim eas format actiuè.

Porrò corporis pars omnis passionem nouam efficere potest, & occasionare notiones. Itaque si semen abūdauerit in vasis seminariis, ac pruritus ortus fuerit, imaginatur fœminæ copulari: ac proindè quæcunque prima in memoria suscitetur, quamuis mater, aut soror sit, somniat eius venere frui; ac simul abominari, quando simul & prohibitionis memoria suscitatur. Nihilominus videtur sibi, nec posse coitum illum aufugere, & quòd spiritus in testiculis mordicatur à calore seminali, ac huiusmodi sensum cerebro communicat; sic aliæ corporis partes affectæ alias suscitant imaginationes.

D De secunda somniorum causa, & ratione.

Præterea *D* res consuetæ sentiri remanent in memoria, & quacunque minima similitudine excitantur in dormiēte animali. Quamobrem miles belligerare, Agricola arare, Philosophus disputare, Amatores amasiare somniant; quia semper hasce res cogitantes, quocunque motu minimo simili, somniant illas, veluti exili sensui quacunque ex delineatione parua in pariete, videtur sibi animal videre. Nec dormientis spiritus verané sint quæ videt, discernendi potens est? Propterea, quòd in capitis penetralibus moratur, nec consueuit scire, nisi per sensus exteriores tunc obseratos. Ideoque somniando videtur sibi res non intrà caput sentire, sed foris vbi consueuit; ex quo palam fit sensum fieri intramittendo, non extramittendo nisi per communicationem secundam. Interdum verò somnians spiritus simul somniat se non somniare ob memoriam præteritorum somniorum in ipso excitatam, & dicit; ecce hoc non est somnium.

E De tertia somniorum causa.

Efficiuntur *E* quoque somnia ab aëre communi spiritu, quo nutriuntur, & viuificantur animalia cuncta, propterea quod ipse sensitiuus est, omnésque rerum passiones participat, communicatque spiritibus animalium, quibus copulatur. Idcircò pluuias, ac prælia prouident animalia multa: quia ipsorum principia in aëre fiunt, qui ab illis commotus, mouet proindè spiritum animalem, & sicuti defert nobis voces, ita & alias passiones defert. At homines aliis intenti curis has non percipiunt passiones; ideoque nec præsentiscunt futuros effectus. Melancholici tamen spiritu tenui, patibilique valdè donati cuius causa aliorum consortium auersantur, facilius recipiunt aëris passiones, ac prædicunt quidquid illas mox subsequetur: ita dum dormimus passionibus feriati, ac negotiis, facilè aëris passiones suscipimus per nasum intrantis in cerebrum, ac se ipsum nobis communicantis. Aër alterum tangens aërem, si frigidus est, frigefacit illum, si calidus est, calefacit; si in gyrum fert, rapit in gyrum, ac proindè communicat illi id quod ipse est in se: similiter si spiritus nostri intra capita occlusi, non continerentur, solo contactu mutuo conceptio-

nes, alter alteri suas communicaret, quod nunc vocalibus organis faciunt, quia inclusi sunt, nec nisi per signa possunt inuicem prorsus communicari. Ita aër nostrum tangens spiritum, suis quoque passionibus impergit, afficitque tunc verò magis, quando spiritus cogitat magis timendo, vel amando; itaque hac nocte somniare accidit mihi de amico absente, qui vesperi aduentauerit hanc ciuitatem, dum tamen aër serenus sit, non ventis conturbatus, nec pluuiis: eoque magis si præcogitauerim, propterea quòd me ad morum illius dispofuerim.

Huiusmodi *F* spiritus mundanus tot præteritis sensationibus conspersus, affectúsque est, vt possit nouas nobis imprimere passiones: nam & quando calidus est, ira nos afficit, quando serenus, luciduſque, lætitia; quando nebulosus mæstitia; quando agitatus, furia; quando crassus, somno; & sæpè cogit penetralia domorum adire, & consulere. Huiusmodi passiones penetrant vsque ad Mentem immortalem, corruptionis expertem; in qua residet liberum arbitrium volendi, & nolendi, resistendi, & cedendi huiusmodi passionibus è cælo manantibus: & in ipsa fit Prophetia supernaturalis per communicationem Primæ Sapientiæ, quæ intimior est illi, quàm aër spiritui corporeo, sedi naturalis Prophetiæ, quæ à causatione sub cælo inditur; & ad supernaturalem organo.

F Sensus aëris naturalis Prophetia causa est animalibus quomodo.

Siquidem *G* Angelus & Deus imagines in spiritu relictas sicuti Typographus literas aptat ad significandum, & repræsentandum Menti, id, quod volunt in spiritu, cum Prophetia est imaginaria: in Mente verò etiam sine spiritus ope aliquando imprimit solus Deus nouas etiam notiones, & quidquid vult. Stultus, qui ista non considerat, aut negat, est, dixit Dominus.

G De quarto genere somniorum, & Prophetia. Iob. 33. & Nu. 12. contr. Arist. negãtem somnia diuina. Vide Met. p. 3.

De Appetitiui Facultatibus absolutis & organicis.

CAP. XIV.

Art. 1.

EX dictis palã est quod totus *A* spiritus appetit, sed Appetitiuo, sicuti Cognoscitiuo sentit, & Potestatiuo potest; sed spiritales appetendi modos spiritalibus appetitoriis organis exercet æterna voluntate sic destinanante, vt conuiuerent Mens, spiritus, & organica moles. Quamuis autem vbicunque est attractio, retentio, & expulsio, ibi appetitiuæ vires insint: indicant *B* enim attractione amorem necessariorum, vtiliumque: expulsione odium superfluorum, noxiorúmque: retentione fruitionem selectorum; & in omni membro ita insunt, vt & sensus. Tamen *C* non vbique locamus speciales appetitorios modos, nisi vbi specialia obiecta, & organa id indicant; & quoniam animal appetit id vndè instauretur, quod continuò deperdit, quasi medicinam mortalitatis: aut seligit proficuum ab inutili vbi primum appetitum satiauit: aut odit inutile, & expellit: aut conscium deficientis naturæ, eam in altero per propagationem seruare intendit. Propterea cum hæc organa sint exercenda, tot appetitoria effinxisse necesse est.

A Sunt appetitiones spiritales, & corporales, & aliæ organicæ. q. 56. per totum.

B Amor attrahit, odium expellit, Fruitio retinet.

C Occasio appetitoriorum.

Primum *D* ergò est Appetitorium ingestionis, vt ventriculus; secundum digestionis, vt venter, iecur, cor, tertium egestionis, vt anus, & vexica; Quartum generationis, vt genitale. Nutritio autem speciale non habet organum, quoniam vbique fit, sicut nec tactus in Cognoscitiuo, nec transmutatio, & calefactio in Potestatiuo.

D Quatuor Appetitoria.

De Ingestionis Appetitu, seu fame, & siti.

Art. 2.

q. 57. per tot.
A Organum famis.
B Causa.
Med. 2.
Causatio famis & sitis.

PRimus appetendi modus esuries est: per stomachum *A* exercetur, tanquã organum proprium: nascitur ex sensu suctionis, potestatéque sugendi, edendique. Diximus Appetitum omnem ex sensu, potestatéque oriri, sensum verò ex potentia sola; non enim sentit cognoscitiuum, n. si quod potest aut esse, aut recipere patique Potestatiuo: sicuti voluntas ex intellectu, & potestate: Intellectus verò ex Potestate in Mentis essentiatione. Sugunt venæ vacuatæ in membrorum nutrimentum, stringuntque ventriculum, in quem & lien acidum eructat, stringénsque magis, vbi vacuum fuerit; sentit ex hoc molestiam spiritus, in fibris, neruisque ventriculi insitus; ergò vt eam amoliatur, implere appetit vas. Hic appetitus est Fames, quæ nisi præcederet talis molestiæ sensus, & sugendi, alendique facultas non fieret.

C Epilogus descriptionis organi famis.

Organum *C* descriptum est prius compositum ex fibris rectis ad trahendum, transuersis ad transmandandum, & obliquis ad retinendum, spiritu plenis: incipiẽs ab ore, vbi vocatur œsophagum, & sub Septo amplificatum in ventriculum subter rotundum, desuper planum, ex cuius eleuatione facta, ne cibus ante coctionem cadat, originem habent intestina plura magnitudine, & vsu, id est, duodenum, ieiunum, ileum, cæcum, colum, rectum: vnum secundum substantiam, & continuationem, vt superius declaratum est.

D Obiectum famis & sitis.

Obiectum *D* est omne quod implet, & inuerti in res sugentes potest, ideò dicitur Alimentum, non autem si non potest, non enim esurimus terram, neque metallum, sed animalium nostri similium partes, nam & plantæ quasi animalia sunt, neque quoslibet, sed vtiliter conuertibiles. Mox incalescit ingesta res appetita, indurescitque accursu spiritus, & ventriculi vnione ad eius cocturam, ac per hæc subinde sitis sequitur. Appetitus videlicet liquidi alimenti, nascens ex ariditatis, & calefactionis sensu, atque ex potestate ex coquendi solidum cibum, distribuendique per liquorem penetrantem, liquefacientémque, vt dictum est prius. Potus *E* ergò proficit calidus ad concoctionem, sequestrationem, & distributionem; frigidus verò ad hæc nocet, nisi vbi cibi calor ex accidenti nimius fuerit temperiem à frigido accersiens; est autem suauior potus arte calefactus, quantum calidum brodium frigido melius. Quomodo fibris rectis, transuersis, & obliquis trahat, amandet, retineatque, dictum est prius, quoniam amore, odio, & fruitione appetitus constat; propterea tria fibrarum genera, ac facultatum enumerantur.

q. 57. art. 2.

De Fame & siti cuiusque membri post ventriculum.

Art. 3.

SEcunda esuries, sitisque simul, vt lactentis puelli est in iecore, nascens ex sensu suæ vacuitatis, & potentia sanguificatiua. Obiectum est alimentum primæ coctionis, non totum, sed aptior sanguificationi pars. Exercetur per attractionem venarum meseraicarum: mox coctione facta, sumptóque quod appetebat, cæterum transmittit per cauam venam ad alias appetentes partes: excrementa verò in vasa esurientia excrementorum. Idem facit cor esurie sanguinis in eo nascente ex vacuitatis, & ariditatis sensu, & spiritificãdi potentia. Organum descriptum est prius, & modus attrahendi, coquendi, expellendique superflua, & noxia in vasa accersientia similiter; & quomodo pulmo, renes, fel, lien, caro, neruus, ossum, & particula omnis esurit, sitit, trahit, gustat, & manducat, & quomodo in eis ista insunt, eo appetitoria sunt, vt in cap. 10.

De coctionum speciebus & digestione ingestorum.

Art. 4.

Digerere est ità disponere ingesta, vt fint nutrimentum nutribili, idque fit separando eas ten[ui]itates, quæ nutribilis in substantiam non benè transeunt, & crassities, quæ nutribili non conueniunt. Hoc autem natura præstat concoctione. Concoctio fit calefactione. Calefactio est actus caloris per se effundentis se ob vim multiplicatiuam, amplificatiuamque sui, quam à Prima Potentia habent æternа, vt sit prima vis physicarum rerum: & *B* quatenus id facit de se, dicitur calefactio: quatenus in organo sub certis limitibus dicitur coctio: quoniam non permittitur illi per Fatum agere quantum vellet, vt totam in cælum materiam attenuaret, & eleuaret, sicut suopte ingenio, quo calor est, optat; sed certas eleuare partes non vtiles organis, tenuitates, & quasdam sequestrare, vt quod vtile est certo fini permaneat, in hoc calor fit animasticus; est enim *C* coctio solidi corporis calefactio, ac sequestratio vsque ad gradum existentiæ nouum ad vtilitatem certam, ab arte, vel natura præfinitum, vt pasta in furno coquitur vsque ad existentiam panis, vtilē nutritioni humanæ. Si autem plus coquatur, erit crematio, non coctio, quoniam vtilitatem transgreditur: si minus dicitur cruditas: & hoc in cibo & sanguine, & fructibus palam est. Distinguitur coctio in Assationem, Elixationem, frictionem. Prima fit in aëre ad certum vtilem gradū per ingem; secunda in aqua feruente, quæ à calore adiuta penetrat solidum, eiusque partes præcipuas, & minus crassas sibi incorporat, vndè coquat: crassæ partes, quæ nobis essent fæces solum tenentur; Frictio fit in liquore pingui, qui penetrat magis, vngitque crassas: tenues vero, aqueasque consumit, vt hostiles: vinum autem consolidat solidiores, & tenuitates resoluit, nec pinguefacit, quod acetum præstat magis.

A Quid est digestio. Quæst. 58. art. 1. & 2. & qu. 16. Med. 2.

B Distinctio inter calefactionem, & coctionem.

C Quid est coctio.

D Coctionis species assatio, elixatio, frictio: & quid sint & quomodo fiant.

Igitur *E* Maturatio est coctionis species, composita ex assatione, & elixatione, fructus enim arborum coquuntur à sole per assationem, at crassæ molliuntur, & distenduntur, & hoc est perdere cruditatem: sic apostema coquitur, & sic in corpore cibus. Cuius triplex coctio Prima chilifactio in ventriculo, qua partes crassę maceratæ liquidis incorporantur; liquidæ non exhalant, sed remanent ad disponendum solidas ad liquorem, & simul fiunt calore, & consistentia intestinis similes. Secunda est sanguificatio in iecore trahente per meseraïcas chili partes molliores, è quibus tenuitates educit, fæces sequestrat in lienem, spumam in fel; cineres in renes, quæ verò aptæ sunt sanguinis naturæ sanguescunt, & rubescunt instar iecoris, quoniam sibi similiores, & quas sibi potest assimilare, retinet: vndè ex eodem cibo alias sibi aggenerat partes, & alias fæces emittit homo, alias porcus: nam & porcus fæces hominis manducat, quoniam in eis partes suo vtiles adhuc insunt; non autem hominis sanguini. Nec idem est dulce, & amabile illis, & nobis, nec amarum & odibile idem. Tertia coctio fit in corde, quod dilatatum suscipit sanguinem ex vena caua, & occursu aëris à pulmone, spiritus generat, qui misti sanguini in arterias stricto corde intrant: quo exudante arteriali sanguine, ac venoso, facilius noua coctura in singulas partes nutriendas distribuuntur, vt in cap. 10. art. 6. narrabamus. Subsequitur quarta coctio, idest, conuersio, seu aggeneratio. Nam omne membrum potestatem habet vertendi in se particulam sanguinis sibi distributam, & donandi proprio calore, & consistentia, quoniam talis, tantúsque calor factus est in gradu illius membri vita eius, & sicut constituit illud, sic partes additas mutat in illius naturam: nec attrahit nisi simile, aptumque sibi, nec nisi quantum suæ instaurationi, vel augmento vtile est. Si *H* enim plus, aut ineptum, non fit nutritio, sed tumor, & apostema, aut tubercula, & prauæ excrescentiæ. Propterea omne membrum statim à se amandat, pellitque odio superfluum, & dissimile in alia membra, illius appetentia; & illa attrahunt, & reti-

E Quid est maturatio.

F Triplex coctio scilicet chilifactio, sanguificatio, & Aggeneratio.

G Arist. errat, putans omne animal nutriri ex dulcibus cibi partibus eisdem.

H Ortus tumorū & apostematum & scaturiginum ex superfluo, & peius si etiam impuro.

I Communis nutritionis via duplici odio & duplici constat amore.

nent vtile,& æquale;inutile,& superfluum pellunt in aliud;& tandem foras per sudores,& transpirationes: fit ergo duplici amore,quorum alter est attrahentis simile,alter est euntis; tendit autem natura omne ad simile:similiter duplici odio, alterum quorum est pellentis superfluum aut inutile; alterum abeuntis à dissimili ad simile. Retentio autem sola fit solo amore,nisi impotentia adsit expellendi,& conuertendi; Hoc in rota rerum natura seruare per Necessitatem Fatum, & Harmoniam res adiguntur. Hinc venæ metallorum sibi terram aggenerant,donec ille calor in sui durat symmetria, & quod illi applicatur est conuertibile, non conuersiuum,vt in Medicina patebit:quidquid autem in rubiginem, & tenuitatem transit, illud non est aptum illi metallo; sicut quidquid in fæces, & tenuitatem in animali,non est certis membris aptum,sed aliis eiusdem animalis,vel aliarum rerum. Nihil enim inutile in natura, dixit Conditor illius. In corde est vis spirificatiua ex tenuiori sanguine,& attenuatiua crassioris in Arterias immittendi: ossum etiam in se medullam vertere nouit propria elixatione,sic & neruus,& omnes partes. *I* Ergò non solo calore fit conuersio,sicut coctio,sed consensione, alioquin eædem in omnibus partes sequestrarentur. Calor enim semper tenuiores educit. Suppuratio apostematis quoque coctio est,quæ trahit superfluum, calefactúmque humorem ad excrementi sequestrabilis naturam,sicut & in vermes aliquæ ob symbolum, sequestrationes transeunt. Coctionis *M* ergò finis conuersio, non transpositione modò,sed inmutatione etiam substantiali,vel existentiæ fit. Nam caro cruda coquitur in olla,deindè in ore,deindè in ventriculo,deinde in iecore,semper nouam consistentiam acquirens: & tandem in membro,cui agglutinatur, & fit caro cruda hominis post tot coctiones de carne cruda animalis: vt videas coctionem animasticam non esse calefactionem puram,sed conuersionem simul ad certos vtiles vitarum gradus.

I Non solus calor, sed etiam forma & temperies nutribilis conuertit nutrimentum in sui membri substantiam.

M Et per coctionem crudum in coctum vertitur, & de cocto in crudum: non autem per solam calefactionem.

De Egestiuo.

Art. 5.

QVoniam omnis Amor est simul oppositi obiecti odium;sicut attrabit amore, sic odio expellit omnis pars, *A* sed præcipuum organum expulsiui Appetitus est Anus,sicut attrahendi ventriculus:fæces enim in rectum intestinum, vbi à venis omnis proficua pars exsucta fuerit congregatur,quæ *B* sua amaritudine,& põdere spiritum in fibris grauant,& amaricant, præsertim cum in ea suum fel superfluum euomerit:ad cuius amaricationis,& grauitatis sensum, & potentiam pellendi,sequitur expellendi,egerendique Appetitus. Itaque *C* stringendo fibras transuersas ponè,antè verò dilatando & rectas attrahendo fit, expulsio, quæ musculo ani dilatato foras,strictóque,intus perficitur, sicut ossa cerasorum digitis strictis introrsum,vel extrorsum pellimus intrà vel extrà.

A Organum expulsorium principale.

B Appetitus egestiuus causatur ex sensu molestiæ facium, & potentia expulsiua.

C Forma egestionis quibus fiat modis & instrumentis.

Hunc *D* ritum æmulatur omne viscus,omnisque pars;quod enim superfluit sibi expellit strictione ad extrà,similiter & quod obest: vnde ex toto transpirantur corpore fuligines,superfluitatésque. iuuat & calor continuo exhalans ad viam: vbi verò nequeunt ob copiam exire,congregantur in tumores,& apostemata varia,spiritusque contra eas accenditur,donec mollescant,pellanturque:sed principaliter in vexica grauans vrina,appetitum parit expellendi,hoc est mingẽdi; magis autem si cineribus colata per renes misceatur salsedine pruriente irritantibus, vt dictum est prius: Cor etiam hoc in munere celebretur expellente fuligines, & sanguinem: *E* cerebrum sua excrementa per sensoria quasi per cauteria, id est, nares, aures, oculos,& in fundibulum emittit,& sternutatio, & ita,& febris ab expulsiuo appetitu imperantur,& potestatiuo exercentur,quemadmodum opera quæuis: sic excrementum crassum per suturas Caluariæ,atque poros educitur in cutim: & concrescit fuliginosum in pilos,instar herbarum nascentes. Pili autem remanent in

D Omnis pars habet vim expulsiuam superflui & noxy, quod vbi deest facit tubera, & apostemata,ergò & febres vt expellat.

E Sunt nouem foramina in corpore animalis expulsiuo seruientia vt in 2. Medic. declarauimus, quibus ars addit cauteria alia.

protectionem leuem ne grauentur sensus; & duram, vt defendatur caput, & simul in statuæ pulchritudinem.

De Generatiuo.

Art. 6.

APpetitus generandi instrumentaliter nascitur *A* ex sensu pruritus calidi feminis, spiritum intra testiculos mordicantis, ac simul ex potentia generandi, diciturq; libido. Antequam *B* semen habeant, in pueris talis appetitus non nascitur. & cum semen non inest, quia emissum est, cessat. *C* Semen enim non motione coitus, sed caloris vi, & sanguinis abundantia fit in spermaticis vasis, & in testitulis perficitur, qui nutriuntur ex eo. Exercetur autem mentula spongiosa, ex spiritus accursu ad voluptatem apta repleri erigique, & in aliud vas penetrare, seminareque, vel ad seminandum iuuari, vt in fæminis, quibus introrsum versa est. Propterea *E* huius appetitionis obiectum est seminationis Comprincipium, ex pulchritudine existimatum idoneum, licet per abusum, & deceptionem in quouis blandè calido vase excitante, semen emitti queat. Non *F* enim iste appetitus sit eiiciendi noxium, superfluumque ex odio nascens, sed producendi simile ex Amore. In semine totum animal est, vt planta tota in fructu. Nec *G* enim testes sunt pondus ad aperiendum vasa seminaria: sed officina seminis: idcircò spadones illo catent, & auibus non ponderant extrà, nec mulieribus, sunt ergò ad mirificum vsum. Accidit tamen odium, ex desiderij destraudatione: vnde turgent, & mordicantur genitalia, & vbilibet tanquam superfluo optant exonerari, eò quòd non nisi fructus. & optima pars, validaque ad genus alendum, est. Talis *H* appetitus est amor seminandi in comprincipio apto ad immortalitatem per propagationem vtriusque consequendum. Aptitudo autem ex pulchritudine agnoscitur.

Appendix de Pulchritudine obiter.

OMne *A* enim bonum siuè sibi, siuè aliis, pulcrum fit, quibus est bonum; cum Pulchritudo sit apparentia boni. Bonitas consistit in Potestate, ac Sapientia innata rebus. Igitur pulchritudo significat virtutem corpori inditam, benè potuisse, ac sciuisse ædificare illud. Itaque consistit pulchritudo in pro c ritate, & strenuitate, agilitate, proportione partium, viuacitate colorum. ergò nec Pygmeus potest dici pulcher vnquam, nec fæmina, nec truncus manu, nec naso tortus, aut magnus, nec squalidus, nec senex, nec infirmus. Propterea quod in his omnibus aliquod deest signum roboris, aut sapientiæ propriæ, vel formatricis causæ. Venustas deindè est apparentia pulchritudinis, quæ in motu, in sermone, in prospectiua pulchri consistit, quasi illius flos, sicut illud flos est bonitatis. Locuti sumus de pulchritudine humana respectiua, (secundum quam, & asinus asino est pulcher, & serpens serpenti, & vulnus inimici inimico, & canities, vt prudentiæ signum, est pulchra, vt verò corruptelæ, deformis) non autem vera, absolutaque quæ simplex est plerumque, sicut lux euidentia potestatis solaris, atque pulchritudo diuina, cuius bonitatis omnium rerum pulchritudines flores quidam sunt, transluc ẽtes per massam suæ statuæ, cuius homo compendium est sacratissimũ: idcircò pulchritudo rerũ arte factarum humana, in imitatione consistit ipsius rei, sicut pulchritudo rei naturalis in imitatione ideæ. Ergo pulchrior est pictura aniculæ ab excellenti pictore facta, quam Dianæ ab inepto, quoniam artis excellentis illa

A Vnde oritur appetitus generatiuus.
B Quando.
C Semen non fit vt Arist. opinatur motione coitus, sed ante in venis spermaticis & absoluitur in testiculis. Vide q. 35 ar. 1.
D Organa generatiui ex forma seminationis.
E Ob. generatiui.
F Semen non est vt vult Arist. superfluitas alimenti, sed fructus est animalis.
G Testes sunt vasa cõficiendo seminis destinata, non autem pondus ad aperienda vasa vti Arist. opinatur.
H Quid est amor coitus, seu manis libido.
In 2. par. Metap.
A Idcircò res pulchræ placent, quod conseruationem repræsentant. Deformes verò displicent, quia destructionem. Ideoque, claudi, ægri, senes nos terrent, quia nostram nobis mortalitatem rememorant. Vir autem mulierem pulcram amat magis quoniam in illa seruatur tutius meliusque semen, quàm in turpi, redditurq; proles præstantior. Iuuenem quoque ob idem. Pulchritudo artis in imitatione consistit, quia seruat nos imitando naturam. Ideoque pulchrior est anus depicta ab excellenti pictore, quàm virgo ab inepto, quia illa est præstantioris signum artis, & Dantis infernus, quem pulchrior eius Ꝯ paradiso, quem minus præstantius imitatur, præstanter describit. Ita & natura pulchras res tunc facit, cum benè ideam imitatur diuinam. Ars autem imitatio: per quam nos seruamur. De pulchro Arist. nihil sciuit. Plato multa rectè dixit. Vide Metaph. p. 2.

signum est, arte autem nos seruamur. Conseruario verò, summum est bonum, cuius respectu cætera dicuntur bona; quorum bonorum signacula, apparentiæque sunt pulchritudines: idcircò amabiles, quod conseruationem, aut conseruantes res ostentant; sicut è contrà turpitudo odibilis, quia destructionis, vel destructiuarum quoquo pacto rerum indicium est.

De Appetitibus non organicis.

Art. 7.

Erga bonum Amor.
Desiderium voluptas.
Erga malum odium.
Auersatio dolor.

APpetitus tandem non organici sunt Amor & odium in spiritu seorsum à solido eidem habentes, vbicumque sit, & cum recedit ab organo. Amor enim extensio est ad bonum, vel absens, & dicitur desiderium; vel præsens, & dicitur voluptas: nascens ex sensu, & possessione boni: sicut desiderium ex præsensione, & fiducia, omnis enim appetitus ex sensu & Potentatu nascitur, vti Amor ex Sapientia, Potentiaque: odium verò est fuga mali vel absentis, & dicitur Auersatio, & abominatio, vel præsentis, & dicitur dolor, nascens ex sensu & impotentia mali, vti abominatio ex præsensione & diffidentia. Quandò verò isti affectus diffunduntur in corpus, sunt Risus, plantus, & alij, de quibus infrà. Distinguuntur etiam Appetitus non organici ex obiectis. Nam desiderium honoris, Ambitio; pecuniæ auaritia, cupiditas: Coitus cupido, libido; parentum, & natorum charitas dicitur; de quibus in ethicis subsequitur sermo. Obiectum horum est bonum & malum. Bonum est quod conseruat, malum quod destruit illud, cui est malum; non enim quodlibet cuilibet.

Quid bonum, & quid malum.

Dicendum fuisse de Operatoriis post Potestatoria, sensoria, & Appetitoria: at differri oportere hunc sermonem donec de diuino animali absoluatur sermo.

CAP. XV. Art. 1.

POst affectiones, id est extensiones ergà bonum & malum, ortas ex notionibus cognoscitiui, & passionibus Potestatiui, sequitur operatio, qua bonum sectamur, malumque fugimus. Idcircò summus opifex oriri organa operatoria iussit. Quæ sunt pes atque manus: pes, vt deferat animal ad commodum locum, vbi quid boni sensoria sibi præuident; & Appetitoria cupiunt, & potestatoria possunt: vtque referat ab incommodo, vbi quid mali, vel minus boni. Horum gratia auibus alæ, pennulæ piscibus, adiūctæ sunt. Reptilibus pedūculi, serpentibus annuli, duri mollesque: vt dictum est prius. Manus autem ad contrectandum vtilia corpora, & ignem, pellendáque hostilia, proptereaque pugnatiuo eam armauit vngue. At quoniam magisterium manus, quo omnia tractat, architectatur, vincit, domat, sibique mirificentissimè aptat, tanquam diuino instrumento animal hoc diuinum non potest satis agnosci, nec operationes eius, omnium primalitatum organis necessariæ, nisi noscamus artificem causam, quæ tanto instrumento vtitur instrumentum enim declarat artificem) totamque compositionem, in qua laborat, & quibus mouetur affectibus, de homine; sequentem prius audite sermonem, ac deindè ad hæc suæ operationis organa redire licebit.

De Hominis Mente , & vnione essentiali illius cum sentiente Spiritu, & Humido, & solido, mutuis-que officijs comprobatio.

CAP. XVI. Art. I.

EFformato intrà triginta dies masculeo, intra sexaginta fæmineo, humano corpore, opera spiritus sub ducatu Angelico, imperióque diuino, atque distincto in suas partes, & organa potendi, sentiendi, appetendi, & operandi, tantam Monotriadem figurantia, aspicit *B* Deus in huiusmodi ædificium formosum sui vestigium: ædibus brutorum spirituum longe præstantius: in ipsóque tanquam suo oblectatur opere. Propterea insuper spiraculum vitæ ad sui imaginem, & similitudinem in ipsum, immortalem scilicet diuinamque animam, non compositam, sicut spiritus ex calore, tenuitate, lucéque, & primalitatum participio dissolubilibus, sed essentiatam ex puris primalitatibus, quæ secundum rem vnum sunt, nec diuisibiles sunt, nec dissociabiles sunt, contrariumque corruptiuum non habent: in gradu tamen quantificatis, qualificatisque transcendentaliter paulò minori ab Angelico, vt hæc anima regendo *D* spiritum & corpus inter inferioris mundi perturbationes gloriam sibi comparare posset æternam. Nec enim excellit bestias homo secundum magis & minus, sed vt alterius superioris ordinis. Idcirco dum viuit in Microcosmo perficere habet totum ædificium, eiusdem munia, & vsus; operationésque. Cumque huiusmodi anima propriam operationem non exerceat seorsum sicut nauta in naui, fit forma totius hominis. Qui nimirum antequam accipiat huiusmodi animam, compositus est ex spiritu humido, & solido, itéque fabrefactus. non enim diuinissima mens ædificio incompleto, aut rudi materiæ copulanda erat; nec confundenda, vt temperies, sed infundenda vt lux, quà viuificaret compositum, illiúsque functiones perficeret: neque seorsum proprias ederet, ne compositum pateretur facilè dissolutionem, vbi essentialis societas non insuisset. Mens enim ex innata vi vnius Dei conditoris, à quo emanat, pendetque vti lux à sole, contemplatrix, amansque est infiniti entis: licet ex illatis affectibus corporeis sui oblita, & in animalis spiritus naturam acta videatur. Attamen neque sic per copulam hanc ex mentali mundo in animalem contracta, intellectione, appetituque intrà terminos continetur, aut exsaturatur vnquam: sed suprà solem, & cælestia corpora in infinitum suam intellectionem, & per gyrum quorsum libet extendit in momento temporis, mille mundos penetrat, immò & facit imaginatione propria, non spiritus, licet cum spiritu; indicando, quòd non à sole nec ab elementis extrà proprium subiectum, aut systema sese non extendentibus, originem habeat, eisvè subdita sit, sicut temperies: nullus enim effectus, possessaque forma nulla suprà suas principales eleuatur causas, aut vltrà suum subiectum porrigitur, quemadmodum humana facit Mens.

Præterea idem docet eius potestas, per quam nullis afflictionibus, Tyramnisque nullis cedit, adeóque libera est, vt spiritui diuino etiam resistat. Præterea nec voluntas eius bonis mundi huius finitis contentatur, quoniam ab infinita dependet causa; & inquieta est, & inanis, donec ad illam reuertatur. Id quod nanscisci se posse experimentis ex sua interminata intellectione, & volitione, & potestatione libera, nullis terminis cogi, retinerique quin ad vlteriora extendi queant, cuius contrarium finitis, corporeisque entibus accidit; ipsa probat, libatque: & homines pij ex Angelorum, & Dei commercio mirificati Prophetiis, & virtuti-

Quæ. 54 per totam. De Mente immort.

A Absoluitur masmasculi formatio 30. post dies ferè: Faminę verò circa 60. quia minoris vis à laborãtis corporea organa. hisce tẽporibus corpora redduntur apta ad recipiendum animam à Deo immissam, sicuti speculum vbi perpolitè elaboratum est, ad lucidam accipiendam imaginem aptum est, non ergò primum iungitur materia nuda, vt volunt Aristotelici sed benè concinnata foamataque vt vult S. Aug. ex Moyse.

B Mens à Deo, non ab elementis est, & quod immortalis

Ratio 1. à peiori. Quæst 54 ar. 1. & 2.

C Quis primalitatum gradus in essentiatione Mentis.

D Finalis causa infusionis mentis in corpus.

Ex hoc sermone palàm fit cont. Aristot. animam brutorum atque humanam, quã tantum ipse cognouit, ac descripsit, non esse formam corporis, atque sensoria cuncta nõ esse informata propriis potentiis sensitiuis particularibus, sed instrumentalibus.

Art. 3.

Contra Galenũ vnum spiritum esse animalem, vitalem, & ra-

bus, & miraculis supra naturam editis, fidem certissimum nulli non faciunt homini; nisi stultis, ferinisque, opinionem ex affectu testimonio rationali præponentibus, nedum impiis tantum. Quapropter si vnione substantiali Mens copulata non esset, diuina entia tantummodo cogitaret, & corpus aspernaretur, nec nutriret; veluti aduenit in ecstasim diuinam raptis, aliudvè in studium; vbi Mens elicit ex se actum, licet cum spiritu actum eundem operetur. Propterea voluit D.us, vt nullam ipsa per se, etsi ex se functionem naturalem obiret sine corpore: esset enim sicut Angelus in corpore, & non sicut anima. Quin neque voluit, vt aliquid ipsa addisceret naturaliter, nisi per spiritum corporeum, cui primum inditur: licet supernaturaliter, etiam sine phantasmatibus spiritus, aliquando multa intelligat; si enim spiritu in discendo, ac sciendo non indigeret, sperneret quidem ipsum, amore rapta rerum diuinarum, aut incertarum, nec ipsum persuasione ad bona æterna attolleret, quorum mortalis anima per se capax non est. Siquidem animalia cætera non inquirunt, quid sit Deus, quidvè Angeli, quid partes mundi formosiores, nec in ipsorum contemplatione delectantur sicut homo. Nullum enim ens afficitur rebus sibi non conuenientibus, aut impossibilibus; propterea corpus humanum factum erectoad cælum vultu, vt superiora spectaret, vndè diuinorum scientia promptius habetur, pedesque anteriores sortitum est, conuersos in manus, mirificum Mentis instrumentum, quo cuncta expeteretur corpora, & orbes exerceret, quibus Auctorem naturæ æmularetur; cuius gratia insuper corporata fuit: profecto qualis Artifex sit, docent ipsius instrumenta: diuinam ergò ac superioris proindè ordinis ad brutales animam humanam indicant, & operationes internæ, & externæ: & organa istarum.

tionalem, eundemque esse animam rationalem, irascibilem, & concupiscibilem, & in capite sua vniuersitate habitare, & non esse ipsius temperies, quæ sunt crassæ, stupideque, atque obtusæ nihil sentientes, nec extrà subiectum se extendentes.
q 36. at. 2. & q 53. Art. 3.
S. Ambr. de Bono mortis.
Ratio 1 ex effectu, quod Anima sit diuina, & immortalis.
Ratio 2.
Ratio 3.
Ratio 4.

Igitur necessitatis vinculis temperauit Deus huiusmodi compositum ex solido, humido, spiritu, atque Mente immortali, incorporea, tota in toto, & in qualibet parte tota secundum essentiam, sed informatrice primum caduci spiritus. 2. sanguinis, deindè corporis in tot distincti partes, atque totius, ea lege, qua singulæ totius conseruationem amant propter bonum suum, suumque bonum propter totius bonum: veluti in Rep. accidit, quando benè temperata est ad conseruationem communem, sicuti Roma, & Venetiæ declarant. Ex quo intueri liceat qua ratione Mens regit spiritum, atque corpus indigens simul per illa doceri artem diuinam rebus sensibilibus impressam: spiritus Mente, vt perficiatur: Humido vt eo nutriatur: solido vt hospitetur, & escam, & scientiam ex foraminibus eius sumit, propterea que nec spernit ipsum.

Solidum & humidum indigent spiritu, quo necessaria eis parentur, est enim spiritus gratia mouendi, ac sensificandi, & cognoscendi, & copulandi Mentem cum humido, & corpore, sicuti humidum spiritum cum corpore; ex tenuitate enim spiritus nutritur, corpus verò ex crassitie eiusdem humidi. Spiritus vnus est in capite, & in membris continuatus, omnésque motus, mutationes, & sensationes edit: non enim ipse compositi est forma, nec alicuius partis, sed per totum se mouet, muniaque obit, sicut nauta in naui: non enim agens artifex sui instrumenti forma esse potest, Ideóque cum nimis attenti aliquid audimus, ægrè videre simul possumus; & cum cogitamus intenti, cibum non digerimus: & vacantes veneri, sensum penè amittimus; & irascentes discursum, & tactum. Ex quo palàm fit vnicum esse spiritum omnes has operationes obeuntem, cui Mens vnita est. Idcircò dum vnam operatur operationem, ægrè aliam operari valet spiritus, nec proindè Mens illi copulata. Quamobrem ipsi pulsus, & respiratio variantur à timore, gaudio, attentione, contemplatione, aliisque cunctis actibus nostris.

Anima sensitiua non est forma, sed spiritus instrumentum Mentis q. 38. & q. 54.
E Galenus probè dixit neruos visorios, ac spinalem medullam perforatos esse, quo spiritus intra percurrat; at perperam deindè negat poros ner-

Quoniam verò spiritus corporeus est, perque E neruos fertur, possumus eodem tempore audire, videre, ambulare, &c. distributo spiritu variis functionibus; sed ægrè quidem, cum obimus vnam attenti valdè, possumus alteram obire: quinimò quando attentè vocem audimus afficientem fortiter, non possumus aliam audire, saltémque eius significatum, quamuis moueat spiritum in altera sui por-

tione. Palam cum spiritus in caput dormiendi gratia se se collegit, aliamque in partem gratia occurrendi necessitatibus, veluti in fœminis accidit vteri suffocationem patientibus, remanet corpus sensu, motuque destitutum. Nam & si sensitiuo spiritu implantato in fibris, instar remigantium ligato, sentit, non tamen sensatio communicatur spiritui libero, dominantium naturarum ritu tunc absenti. Item neruo humore quopiam oppleto, neque spiritus, quoniam corporeus est, per ipsum incurrere ad motum quempiam edendum potest. Qua de re & membrum cui super extensus est ille neruus, remanet tensum, immotumque, sicuti in spasmo, & paralisi experimur: quod nequaquam euenire queat, si spiritus res incorporea esset, immobilis, indiuisibilisque, vt imperiti docent, aut cerebri temperies esset animus: veluti nec moueretur vaporibus infestis caput replentibus, qui non cerebrum, sed spiritum ipsum aggrauant, suffocantque. Nec quidem tot functiones, actionésque variæ in animali fierent, si vnica forma sentiente, mouentéque vniuersum simul informaretur. Nam cum forma *F* sit habitus temperiei, necessariò pēdet ex materia victa, concinnatáque suis in particulis certo quodam modulo, quem in ea requirit sibi agens natura vnum facta eum ipsa. Qui modulus ipsius materiæ, naturarúmque agentium, ita etiam temperatarum, cōiunctarumque cum ipsa, dicitur forma: Quæ propterea vna si fuerit in toto corpore, vnicam modo functionem habeat, est opus, veluti in lapide, in ferro, in vento, in aqua, quibus in rebus vnica forma vnicam habet functionem, nec extra proprium subiectum extenderetur; At in animali simul mouetur manus, stant pedes, ventriculus coquit, dilatatur cor, stertit lien, sentiens ac cogitans animus extra corpus, & super sidera extenditur, & eodem in tempore. Ideò extimandum est non esse animam vnam corporis formam; at plures spiritus ex vniuersitate vnica dependentes per continuationem regere compositum; veluti homines multi nauem vnam dependentes ab vno capite per continuationem præcepti, & obedientiæ; quamuis corpora discontinuata habeat; quod spiritibus impetum facientibus sensum & mutationem in corpore humano, non æquè euenit. Amplius cùm corpus diuersum sit, variatumque temperie, colore, figura, dispositione, functione, & consequenter forma in partibus varia, ab vnica forma informari non potest, si tamen illa à materia tantum pendeat, At verò Mens *H* quam Deus humano immittit composito, informatrix esse potest rei, multas formas partiales habentis, diuersásque; Propteretáquod ipsa non pendet ex materia, sed à Deo, à quo simplici emanatione producitur, nec est à corpore possessa, vt forma securis, sed possidens. Ita & lux à Sole dependens eodem in tempore informat aquam quæ mouetur, & quæ immota manet, & aërem, & crystallum, & pyropum &c. diuersa entia colore, consistentia, formáque. Propterea quòd non ab horum pendet materia, sed à Sole: pendet tamen mens à spiritu in inuestigatione, & à corpore in cohabitatione, & ab humido in compagine instrumentorum suorum, non in essentia, sed à Deo. Domus autem continet vasa, vasa liquores & spiritus; spiritus Mentem; & sic omnes partes, & organa potestatoria, sensoria, appetitoria, executoria cum spiritu, & mentis primalitatibus se se mutuò iuuant in vnam vitam conspirando, sanctámque harmoniam, imitatione, atque admiratione dignissimam.

uis aliis ea ratione quod non videntur, cum quidem nec visceriorum, nec medulla spinalis pori appareant manifeste: quamobrem Vessalius negat & illis poros; & opinatur per totum corpus excurrere facultatem incorpoream ad edendos motus. Ficta res, nam ex quatuor elementis, quibus an malia ipsi componunt, facultas hac incorporea non fit, ergo &c. non considerant hi spiritus subtilitatem, qui & non visilia foramina in muscarum cruribus etiam inhabitat.

q. 37. & 38.

Imperiti Peripatetici & Galenistæ.

q. 38. & 44. ar. 3. & 54.

F Definit. an. q. 38. art. 6.

G Non possunt res dissentientes, diuersaque copulari ad componendum vnum, nisi mutui officii indigentia contineantur.

q. 54. ar. 3. q. 7. ar. 3.

H Quando Deus immittit mentem, non corrumpitur opificium facta resolutione vsque ad materiam primam nudam vt opinantur Peripatetici quidam.

S. Aug. scribit hominem componi ex mente spiritu & carne. Verbis Apostoli Pauli inhærens. *Si spiritus orat, caro orat, Mens autem superuacua est.* Vt &c. Spiritus enim fit ex sanguine attenuato sicut & caro ex eodem concreto, sed Hirenæus è contra anteponit Spiritum in homine, sed Spiritum Sanctum intelligit viuificantem corpus mysticum Ecclesiæ intelligit.

I Non potest anima diuina corpori rustico copulari absque medio spiritu illi simili, nec spiritus absq; sanguine sibi, & corpori consimili, vt S. Aug. Amb. Nyss. Lact. Firm. & omnes Patres, vt in q. 54.

De Natiuitate hominis, & sexus ratione: & figuræ immutabilitate, & vitæ seorsum exordio.

CAP. XVII. Art. 1.

A In quouis mense post sextum nasci potest, in 8. non viuit ferè vnquam ob rationem hic assignatam, nam quam à Saturno asserũt Astrologi, occulta est. Vide Quæst. 59. art. 1.

ABsolutum igitur vniuersum huiusmodi artificium in vtero, auctumque post sex, aut septem, aut octo, aut nouem menses, prout calor magis, minusuè potens fuit elaborare perficere, ac toborare illud, incipit agitari, plerumque tamen in septimo. Quapropter in octauo lassum est, ac proindè tunc nascens, sæpè moritur: at in nono reuiuificatum, vires resumit: cætera animalia aliud habent tempus suæ formationis, ac natiuitatis, iuxtà propriam temperiem. Quoniam verò deficit nutrimentum conueniens robori, ac magnitudini acquisitæ, incipit fœtus omnis agitari nimis, disrumpit membranas ambientes, aperitur vterus, ipseque collectis ossibus, instar corallorum intra mare, adhuc tenellis, æquè ac nerui, verso capite deorsum foras egreditur, siuè mas, siuè fæmina in nouam vitam.

Quare alius fætus mas, alius fæmina.

B Idcircò in dextra vteri ex dextero testiculo tamquam calidioribus fit plerumque mas.

Quæst. 59. art. 2.

C Arist. & Auerr. decipiũtur aliam ponentes differentiam, vt dixi in disputatione contra ipsos: masculinitas, & femininitas fiunt à pluri, & pauciori calore siuè masculi fæmina. Ac similitudo ex copia, & robore seminis paterni, siuè materni, ideóque masculi matribus & fæminæ Patribus nascuntur similes & raro. Vide q. de forfex.

Fit mas C quando temperies calida est valdè præsertim sub inguinibus; quia calor obuitus educit foras masculina genitalia; fit fæmina, quia calor debilis nequit propellere genitalia, idcircò intus remanent, sicut marsupium inuersum: etenim, in genitalibus, mari, & fæminæ insunt testiculi, & penis, seù virga, & differunt sicut chirotecæ digitus foras expansus, idemque introuersus. Propterea multæ fœminæ ex vtero egredientes masculi deindè factæ sunt, addito calore, præsertim confricatione in pudendis: & nos vidimus vnam, quæ de Moniali facta est miles; & alij suis temporibus idem viderunt.

Fæmina igitur est masculi defectus, eo quòd natura intendens perfectum producere hominem, deficiente calore absoluere non potuit. Verumtamen cum prouida sit natura, vtitur illa pro vase generationis, sicut Prima Sapientia contulit, cui huiusmodi defectus non est præter rationem, qui tamen particulari naturæ casus est, ac deinde quasi ex industria factus esset, illi profuit, & seruiuit.

Cùm præualet paternum semen robore, & copia, Patri similis fætus nascitur; matri verò si maternum præualuerit. Interdum consanguineis, & extraneis similis, prout temperies ipsorum seminum ex mistione variatur, aut ex alimento, aut ex cæli mutatione: sæpè quoque ex imaginatione parentum transfundendum spiritum cum semine affectum imaginatione ipsorum, qui postmodum secundum talem agit ideam in corporis fabrica: quod etiam appetentes aliquid in fætu illud exprimant, verum est, & pecudes dum coeunt in quos auidè intuentur colores fætui communicant.

Ex fæminis facti mares.

Fæmina est mas defectu ortus.

Quare alij matrizãt, alij patrizant, alij aliorum similitudinẽ ferant.

D Hanc experientiã à Galeno vidiam, & à Telesio, vidimus nos Neap. & Iulius Cæsar Tufus testatus est, alteram in oppido Amatrice, monialis. confricando, facta est

Egressus autem propriam vitam habet, vt totum, & non vt pars matris. Non subitò nutritur quocunque alimento, sed illo quod sibi similius sit, hoc est tenerum molléque. Quoniam verò albo ex seminè constituta sunt ossa, nerui, membranæ, omnésque demum partes albæ & exangues, sanguineæ verò rubræque ex fæmineo sanguine puro non menstruo, veluti iecur, cor, caro; Propterea nutritur rebus suis partibus consimilibus ab origine; hoc autem lac est fæminæ, quod ex puro sanguine fit, ex quo prius nutriebatur fætus, attracto deinde in mammillas arte diuina vtero correspondentes. Atque ibi cum decoctus fuerit ope arteriarum, venarum & fibrarum multarum assumitur in glandulas mãmillarum, & elaboratur, & albescit. Hinc exugitur à fætu, instigante consilio antiquo primæ ideæ. Quodlibet etiam animal nascens conuertitur ad sugendũ aliquid ex matre sua, veluti plantæ ex matre tellure. At animalia intrà oua nascentia, quæ à matre sequestrata iam sunt, ad ipsam non conuertunt, sed ad communem matrem, hauriendi gratia nutrimentum.

Ouipara sunt quæcunque diuino iussu plures fætus edere, simul ac nutrire debent,

bēt, nec intra viscera maturare possunt. Idcircò membranis prima, secūdáq; mox induresceuda, illos circumdatos edunt. Postmodum verò proprio viuificant calore, vel si alieno, tanquam plantarum semina, spiritum suscitant. Qui mox ad ideam generantis, quam seruat, ex alba oui portione partes animalis efformat albas, ex rubra verò rubras, qua etiam nutritur, antequam ex ouo erumpat.

Quoniam non nascitur veluti planta, quæ partim in aëre, partim sub Solo; & prius emittit aliquam portionem, qua addensata submittat aliam in cacumen: ibique aliam elaborando ex attracto humore interpolatis vicibus suam magnitudinem variam sortitur. At vniuersum intra vterum, aut ouum perficitur opificium. Idcircò conformiter crescit, ipsius figura tota, singulas in partes nutrimento iuxtà originalem normam confluente. Cæterum quoniam in longum extensum est primo semen, in longitudinem, magis quàm in latitudinem augetur animal, erigiturque.

in canalibus. Gen. Vide de Sensu Rerum lib 4. *G. Stulta est Arist. sententia quod semen non agens tantum, cum semen plantæ in plantā vertatur, & ex albumine oui partes albæ exanguésque nendo decem sub incubente gallina, & quotidie frangendo vnum.* Vide q. 45. art. 1. & 2 De figuræ litate.

masculus, & non sunt plures dies, quod vidimus demoniali Hispana factam militem De vita nati propria extra vterum.

F Auicenna narrat mulierem in actu veneris spectando figuram Æthyopis, nigrū peperisse fætum, & Iacob Patriarcha parere faciebat pecudes albas, aut nigras, aut varias, ponendo virgas talium colorum fit fætus substantia, fiant; quod patet po- animalis immutabi-

De Vita extra Vterum.

Art. 2.

Nascens fætus *A* nouam incipit vitam; ore enim attrahit aërem, qui aperiat os, retineátque calorem cordis prius à loci angustia, & humore retentum, nec amplius ex vmbilico more plantarum manducat, sed ore trahit alimentum, non ità simile sibi factum, vti erat in vtero purus sanguis fœminæ, sed faciendum ventriculi ope, & iecoris, quemadmodum Sapientia diuina antè prospexerat. Post chilifactionem in ventriculo, sanguificatur alimentum in iecore, sicuti in priori sermone declaratum est; mox cum sanguis in iecore concoctus fuerit, distribuitur per venas, ac deindè per arterias ex corde; cumque omnes corporis partes cōspersæ sint venis, arteriisque, magnis, paruis, gracillimisque, omnes ex sanguine ex illis resudante connutriuntur, sed variis elaborato modis: nam coquitur amplius intra venas; & *C* quia tenuitas non omnis exhalat, at disiunctò calore albescit quibusdam in particulis, in quibus irretitur magis, ac proindè ex his nutriuntur nerui, venæ, membranæ, cerebrum &c. quodlibet simile suum attrahendo, ad consimile sponte iens.

Post vbi sanguis alteratus est, assimilatúsque diuersis corporis partibus, pars illius pinguior albefacti à viscosa separatur, ex qua nerui, dictæque venæ nutriuntur, ac penetrat ossa, eaque nutrit. Partes verò sanguinis rubræ ex rimis inter fibras, quibus intexuntur venæ, exudantes, permeant poros carnis, vbi sanguine arteriali amplius calefactæ, spissantur in carnem, ac coalescunt; vbi sanè mirabilis ars conditoris relucet, ac in distributione. Non modo enim similitudo trahit, sed etiam vacuitas; namque exhalantibus ex omni particula corporis continuò partibus in fumum vi caloris inuisibilem conuersis, intermanet aliqua vacuitas, repletionis auiditatem faciens: in hac quoque vltima coctione excernuntur sanguinis ipsius fuligines, atque exuberans nutrimentum separatur in partes crassas concrescentes, ac simul in tenues, albasque: quæ mox conspissatæ concrescunt in adipem, & sebum. Hinc fit, vt accurrente alimento locis exhalantium tenuitatum, in omnem æquè partem perpetuò perseueret figura eadem. At verò cum tantum accurrerit aliquam in partem, quantum conuertere ipsa nequeat in sui substantiam, vel quia imbecillæ virtutis est ipsa, aut nutrimentum superfluum nimis, variatur figura factis tuberculis, tumoribus, carnis excrescentiis, & apostematibus, quo spiritus aliū-

q. 60. per totum.

A Rationabiliter Astrologi ex natiuitate iudicium exordiuntur, quoniam non est per se homo qui prius erat pars matris eius fato subiectus, & in conceptione fuerat animal non homo, in principio autem late progressus & finis, vt in semine planta tota. Vide 2. Astrog. q. 58.

C Non fit simile partibus nutriti nutrimentum absque alteratione praua vt lucr. putat. Verum quidem est, quod in alteratione qualibet particula similitudinem illam suscipit, ad quam erat disposita magis ab antiquis passionibus factis intra & extra corpus, & quia in omni particula corpus diuerso modo patitur dum sit omnia fieri aptum, omniumque rerum partes contineat, cum

de decurrens ad coquendum vehementiori calore superfluitatem marcescere incipientem augmento coquentis, digerentisque caloris, accenditur febris, quæ est augmentum motus, & caloris ipsius spiritus accincti ad expellendum, amouendumque molestam rem: fuligines quoque detentæ efficiunt febrem, cum spiritus irritatus accenditur, expellere deindè illas cupiens simul. Porrò quando copiosè vena ex quapiam exeunt interdum impactæ sua viscositate, inter fibras remanent, ac proindè maculas efficiunt, quas Neuos vocamus.

Itaque temporis diuturnitate omnes partes corporis in animali mutantur, dum aliæ partes exhalant, aliæ verò ipsis ex nutrimento aggenerantur. Huiusmodi vitæ mutatio plerumque in septemnariis, ac nouenariis fatalibus completur: omniaque cælestia, ac terrestria in his nouitatem sortiri videntur, quamuis & alia alias periodos habeant cælestibus ex mensuris.

sua particula consimiles sint particulis aliarum. Hinc orta est opinio Homiomeria Anaxagoræ, ex parte vera, etenim verum est à sensu omnia distingui, trahente ad simile, vt ipse dicit, & sanguinem in se omnia corpora continere; sed plus sanguinis. Ideóque videri sanguinem: attamen fallitur, quoniam putat hanc Homiomeriam esse principium omnium rerum, sicut chaos, quæ tamen facta est ab alteratione antiqua caloris & frigoris cum varietate, à me descripta, & ab exordio mundi, rursusque, huc vsque &c.

D Ad nutriendum ossa pingnedo est idonea, quoniam penetrat facilè duritiem ipsorum, & secum particulas ducit indiuisibiles, duras, & puluerulentas, quæ ossibus appinguntur, consolidant. Ad nutriendum neruos idonea sunt res albæ, & viscosa, vt lac, & oui albumen, & nerui brutorum; ad carnes res rubræ, vt carnes animalium, ad spiritum vinum & res spirituosa.

Ad semen pinei, pistaci, & res ci similes, ad arterias cynamomum, & caricæ: hæc bene consideret. Vide Med. lib. 2.

D Superfluum alimẽ efficit morbos curabiles: malitia incurabiles plerumque.

E Pauca fuligines efficiunt febrim diariam; multa ethicam, quoniam compinguntur, & tardant febrim, quæ vt illas expellat, consumit soliditatem, & fit habitualis.

F Ideò nerui omnes venis inhærent, præcipuè grandiores.

G Ex planetarum septemnario varia subdominia. Mutatur totum corpus successu temporis.

vide Med. 2.

Quid Feb. Med. 7.

De Infantia.

Art. 3.

Art. 1. Ætas Lunæ.

DVm calor paruus est, blandusque, sed copiosus, multum augeri videtur animal, eò quòd non tantus inest calor, quòd partes corporis fragiles, cibique attenuet multum forasque educat, at tantummodò liquefacit cibum, nil exsiccando, & in partes corporis transmittit, ex quibus paucissimis exhalantibus portiunculis, euenit infantibus esse plenis succo, flauis capillis. Propterea quod moderatus calor intus remanet cum tenuitate, albefacitque suo vultu. Mollis verò molem non egressa tumefacit. Idcircò in fætus infantia plus ferè augetur quam in reliqua ætate has ob causas; & ob viscerum mollitiem, & solidatum partium spongiositatem, admittentem vltrò alimentum.

De Pueritia.

Ætas Mercurij. art. 1.

CAlor deinceps iecoris augetur, aliarúmque partium, forasque educit aliquas tenuitates: idcircò aliquantulum exiccatur corpus, nigrescunt capilli, alba tenuitate spoliati, facies detumescit, membráque apparent distincta magis: ossa duriuscula fiunt; Item nascuntur dentes, propterea quod cibo lacte solidiori, aptóque ad corporis soliditatem adscitam, indiget, & ad caloris robur, totumque corpus solidius fit, minusque crescit. Nihilominus dum calor non ita robustus est, quòd foras plures educat partes, quàm intus aggeneret, semper crescit animal: dum calore blando gaudet; partibusque mollibus, spongiosisque quamobrem multus ingeneratur fluor, multusque per nutritionis meatus excurrit. Hoc in tempore suæ refectionis onere, & vaporum exoneratus paulisper spiritus, incipit passiones, & res à quibus patitur, discere, pérque vocem significare.

De Adolescentia.

Art. 5.

AT *A* circa quartumdecimum annum mirabilis in homine mutatio in regionibus nostris: nam in calidioribus prius, in frigidioribus posterius fit, quando calor bene auctus actione sua, & ingestione ciborum benè calefactat sanguinem vniuersum, præsertim verò contentum in venis seminariis magis tectum: ita quòd album reddit plenumque spiritibus, qui sanguis albidus in testiculos influens, alit illos abundanter. Insuper calore testiculorum ingenti ipse coquitur longè magis; fitque calidior, spiritibusque plenior: qui nimirum multo calore ibi indito in angusto affecti, & quasi mordicati, simulque stimulari, magnopere pruriunt, vt ibi inclusi amplius morari nolint. Hinc inuitatur animal ad Venerem tumefacto genitali à spiritus copia, ab angusto exire cupientis, alióque ex calore ventoso confluente vndique ad stimulum eiusmodi. At verò allectus blando, iucundóque Fæminæ calore, amat hanc spirituum abundantiam in illam profundere, insererèque; consilióque opificis vniuersorum, immortalitatem suadentis, intrà illius genitales confluit, iaculaturque se se agitando, trahendóque secum album, seminariúmque sanguinem. Fæmina verò cum voluptate accipiendo calorem proprio viuidiorem, amore concipit, ac proindè generat, veluti dicebamus. Fæmina *B* cum sit mollis, spongiosæque carnis, debilisque caloris, citius maturatur, quàm mas. Propterea anno duodecimo in nostra regione, generationi apta est, persentiscens sua in fragilitate antè illum mortalitatem, cuius remedium est generatio, veluti sermocinabamur: quod plantæ imbecillæ fructificant priusquam robustæ; atque in illhac ætate non valens sanguinis copiam coquere, & in pilos, excrementáque impuriorem sequestratum conuertere, vti vir facit, necesse habet foras emittere per venas vteri singulis mensibus se se purgando.

Art. 1.
Ætas veneris.
A Arist. ascit testiculos eum præstare modo vsum vt apertos teneant pondere suo meatus spermaticos, non ad semen elaborandum, semen autem fieri ex agitatione coïtus. vide q. 35. ar. 2.
q. 35 ar. 1. & 2.
B Natura robusta femina non potest menstruum in nutrimentum conuertere, multo minus poterit semẽ masculi inanimatum, vti vult Arist. illud conuertere in ossa, neruos, & statuam fœtus, quare autem retinetur, in Textu.

Ita vitiatum prauumque est menstruum huiusmodi excrementum, quòd canes in rabiẽ agit, nouellas plantas arefacit, fœminas abortus facere cogit, fœtus in vẽtre perimit. Quas ob res nullatenus semen esse existimandum est: veruntamen cum fœmina grauida fuerit, huiusmodi sanguinem non emittit, ne fortè in transitu necet, aut infectet fœtum. Item quoniam ipsa copia sanguinis tunc indiget ad nutritionem duorum: Idcircò natura conatur illum purificare, & in alimentum conuertere: quod cum ægrè fiat, ipsæ prægnantes in multas incurrunt ægritudines, porrò in pallores, tumores, lienis mala, mariscas, in cittam, aliosque stomachi affectus, & sæpè in epilepsiam &c. Ante *C* vigesimum quintum annum, hoc est dum crescit, indigetque alimento albarum partium, non benè elaboratum, perfectúmque, nec sufficiens semen masculis est, nec proinde crassum, viscosumque ac pingue, vt possit in ossa, neruos, aliasque partes probè extendi, & conspissari, nisi plerumque fragiles: siquidem adolescentium semen simile fæmineo est liquido, aqueoque, propterea quòd calor non ita robustus est, quod tenuitatem educat, & reliquum constans, solidumque reddat. Porrò ad proportionem fœmina generationi idonea est circa Cycli Lunaris annum. Mutatur *D* vox hac in ætate masculis, eò quòd meatus omnes dilatantur venereo calore vniuerso in corpore suscitato. At in fœmina non ita vehemens est, vnde nec pilos emittunt: spadonésque priuati tanto testiculorum calore per corpus excurrente, fœminei sunt voce, & leuitate; & in animalibus fœminæ tardiores sunt ad dentes exertos, & cornua, & setas emittendum; prædicta tamen ætas generandi aliis ante, vt sub tropicis, aliis, postcà euenit pro caloris vi & cæli, & temperamentis.

De sanguine menstruo.
Quod non sit semen.
q. 35. ar. 2.
Cur prægnantibus retinetur.
Ægritudines prægnantium à menstruo retento.
C Dum crescunt animalia non debent veneri operam dare, ne desit alimentum exanguibus partibus, & fœtum generent imbecillum.
D Cur vox mutatur masculis in ætate veneris, non autem fœminis.

De Virilitate.

Art. 6.

Ætas solis.

CRescunt homines donec calor non adeò robustus est, quod tot partes educat, in tenuitatem à se actas, quot in corporis substantiam conuertit. Quo adueniente, dicitur status virtutis humanæ: & vbique partium calidarum; pili paulò antè emittuntur: cutis durior fit, subnigriorque, vires roborantur, maximè ex copia spirituum, ac membrorum consolidatione; & Mens sui compos absoluta organorum architectura, & roboratione, ad proprias operationes melius erigitur, & in pudore natiuo, ex quocunque defectu, & corporis, aut fortunæ, nedum virtutis propriam excellentiam experitur, séque ad æternos immaculatos honores natam auguratur per actiones nobiles adipiscendos.

De Senescentia.

Art. 7.

Art. 1.
Virtus diminutiua non est facultas, & potentia, vt dicunt Peripatetici, sed impotentia. q. 58.

POst quadragesimum annum incenditur calor super nutrimento magis, corpusque induratur, quod benè nutriri nequeat, ipséque exhalat copiosiori in mole, quàm ex cibo aggregatur deficiente humore, seniumque præsto fit. Itaque genæ corrugantur, & carnes, cutisque crispantur, diminuta potentia: impotentia spiritui ex sui minutione, & solidi ineptitudine ad nutritionem, & iecoris ad coctionem æquam, copiosamque succedente: & tunc aliquid magni antè præscitam imminentem mortem, in memoriam hospitij sui, transitusque per hunc mundum, facere cupit, dictisque, factisque contendit.

De Senectute.

Art. 8.

Art. 1.

A Calor blandus, organicus, & proficuus est magis vitæ quàm robustus.
B Idem considera in cæteris volitionibus prouidentia rectis. Vide 2. Med.

PRopterea ex his scire *A* licet quod plus auget calor sub debilis, quam fortis: quoniam ille organicus magis, & in membri sui mutat ingestam temperiem, iste præpotens in tenuitatem transpirantem & illa, & membrum etiam conuertit: vndè quò auctior, eò perniciosior: decrementum enim senile non ex Potestatiuo blando ortum habet, sed robusto, ad exteriora trahente, & per accidens seminante; vis ergò actiua licèt sit imbecillior secundum naturam communem, non tamen secundũ hanc: sui quippè augmentum, est sui per accidens subiecti destructio: nam innata vi hoc cupit, licèt illata, quando corpori fuit intrusus aliud cupiat animal. Mirum *B* quomodo diuina Sapientia iocum sibi parauit in his; vt dum faciunt, quod cupiunt, patiantur quod non cupiunt: & dum faciunt quod non cupiunt, habeant quod aliter cupiunt. Obstupescite, & senium ex hac doctrina si potestis discite retardare.

De ætate Iouis.
C Cur canescit senex.
Pueris calor copiosior, & tectus: senibus robustior, & detectus.

Propterea in senectute ad annos 58. calor mordax, adurensque regnat, quòd vnitus in siccitate est, nec ergò blandus est veluti puerilis, qui in humiditate copiosus est: capilli quoque albescunt; quod exhalante foras calore plurimo, exilis remanet intus occlusus in dẽsitate arida. Qui *C* proindè imbecillus cum sit, neque in iam exiccato corpore mollitiem habeat, qua cum attenuata exhalet, remanet intus, capillosque albefacit; cum albedo sit caloris species. Propterea & corium asinorum, & equorum, qua in parte sauciatum, plagatumque fuit, albefit, quòd calor

ibi imbecillus iam factus elabi nequit, redditque pilos albos. Idcircò D grandes, albi, teneríque sunt septentrionales, quòd magis nutriuntur retento ipsorum calore, ac tenuitate ingenerata, rigore frigoris, sicuti in pueris ex cõditione temperiei. Nigri, parui, duríque sunt Æthyopes, quòd nimius æstus innatum educit calorem, multamque cum eo tenuitatem, vritque cutim, induratque per accidens. Mediocrem nacti sunt staturam, colorem, & dispositionem; incolæ mediorum climatum à mediocritate caloris interni, externique. At qui sub polis viuunt, parui sunt, fabnigrique. Propterea quod ita validum est illic frigus, quòd non modo calorem ne exhalet, coarctat, sed etiam extinguit ex parte, itaque ineptum ad coctiones reddit. Cutim quoque fortiter occupando nigrefacit; quia colorem album extinguit, id quod in nostris manibus sæuiente gelu accidere videmus. Qui parua intercapedine mox à polis distant, virides sunt: qui maiori, rubri; qui longè maiori, pallidi: donec ad albos Polonos venias: sic & de consistentia, staturáque gentium iudicare licet, vti de colore. Verumtamen Coloniæ propriã cuiuslibet Climatis temperaturam variare solent, id quod etiam lacunatum copia, & montium facere solet celsitudo, & frequentia. Quas ob res non vbique ac semper sub tropicis nigri sunt: ita quoque & hominis temperies variis in ætatibus variatur, & ætates in climatibus aliis aliæ sunt, hoc est, diuturniores, & breuiores: nec senium omnibus eodem tempore accidit. Rubris enim, sanguineisque serò, flegmaticis citò: melancolicisque mediocri tempore: sed & hi diuturniorem nanciscuntur vitam, regimine, ac cælo vtentes salubribus in sicca temperie.

De Ætate Decrepita, & Morte. Art. 9.

Ætas Saturni.

ACcedit tandem ætas decrepita, quãdo vitalis spiritus imbecillissimus est copia & robore, quod nimius exhalarit adurente calore, & qui remanet nimia tenuitate exilis per arefactæ soliditatis poros facilè elabitur. Caro pèrdura est, vt vix queat nutriri; ossa verò ita arida, quòd vertebrarum appendices, ex cartilaginosis fiunt ossei, ideóque incuruatur homo, caligat visus, hebetatur auditus induratis sensoriis, debilitatóque spiritu, paulatim exhalante, remanente verò nil potente munia instrumentorum omnium obire.

A Medici non norunt calorem senis robustiorem pueril, quoniam putant calorem natiuum componi ex calido, frigido, & humido, & sicco: & natiuum esse humidum, accidentalem siccum, sed hoc est impossibile.

Vide q. 18. ar. 1.

Quapropter tremunt membra proprio pondere deorsum tracta, sursum verò ab exili spiritu: induratur iecur, & amarescit, & lapidescit, nec proindè coquere, fundeéque potest; sed assare potius, propterea exili senex, crebróque indiget alimento; copioso enim extinguitur, veluti flammulæ, multo oleo super iniecto. Attamen dum potest nutritur spiritus in corpore simul nutrito, sed parum propter duritiem; ac paulatim exhalat, donec illius nulla remaneat portio: veluti lucidus calor lampadis, deficiente oleo. Quapropter in aërem euanescit spiritus humanus absque afflictione insc nimia, & magna cum voluptate: tunc verò anima à Deo immissa absque ipso spiritu amplius regere corpoream machinam non valens, reuertitur & ipsa ad Deum, & spiritus in æthera, & corpus in terram, eò nimirum quilibet, vnde originem ducit.

B Mors naturalis suauis est, à morbis vero & per vim molesta, hectica quæ naturalem imitatur finem, non adeò est amara, licèt continua sit maceratio paulatim. Hinc noscitur vltima senectus esse hectica. q. 60. ar. 2. Vide q. 38. ar. 6. & q. 54. ar. 2. & 3.

Mors enim separatio substantialiter sociatorum est, non corruptio nisi compositi. Atque si eorum societas in vsus ab authore naturæ præscriptos, optatosque benè cooperata est, in fine sæculorum mortalium reconiungetur ad gaudium: si verò malè, ad luctum; sicuti disposuit summa Sapientia, quando iustitiam supermundanam fabricam seminauit, vt perfectis coloribus ipsam formosam redderet: amorem æternitatis in nobis non frustra indidit, & religionis, id est, conuersionis in Deum, studium inseruit, in volitiuo: fidem in cognoscitiuo: atque spem in potestatiuo. Beati ergo qui requiescunt in Spe.

De Passionibus, Notionibus & Affectionibus, quatenus sunt extensiones Potestatiui Cognoscitiui, & Volitiui ad opera & obiecta.

CAP. XVIII.

Art. 1.

Vide Ethic. c. 1. & Med. 1.

CVm omnes cognitiones animatorum sint motiones ab obiectis inditæ præsentibus, vel absentibus per se ipsa, vel per sui similia agentibus, & hæ recipientis sint Potestatiui passiones, & cognoscitiui notiones, datæ ad conseruationem compositi opificij animati: & conseruatio non per se insit, sed acquiratur consecutione Boni, & fuga mali; fit *A* vt veluti à potestate oriuntur vires, & alacritas, & constantia, & ira, & fiducia, & opposita erga possibile, & impossibile; & à sensu nascuntur memoriæ, discursus, intellectiones, & imaginationes erga verum & falsum; ità & à voluptate, quæ est appetitiui principij affectus sequens sensum præsentis boni, & a dolore, qui est affectio sensus præsentis coniuncti scilicet mali, oriantur aliquæ affectiones ad bonum & malum, præsentia, vel absentia, vel mista in ipso spiritu. Voluptas quidem & dolor in animali sunt inditi quasi stimuli duo, duoque exploratores mali, & boni, ac sinè illis subitò periret. Non enim absque voluptate manducaret, nec absque fame, quæ dolor est, appeteret cibum; nec fugeret ignem, aut serpentes, aut noxia reliqua, nisi doleret: nec venerem sectaretur, nec cibum, nec alia conseruantia bona, nisi voluptate traheretur. Sunt igitur Sapientiæ, & Amoris conseruationis cuiusque entis voluptas doloque exploratores, ac stimuli primiores, & finales causæ.

B Quid voluptas.

Voluptas *B* ergò dicitur affectus sequens sensum boni coniuncti, intrinseca delectatio conseruatiua, amplificatiuáque entis fruentis. Fruitur autem possidendo Potestate, cognoscendo intellectione, complacendo amatione intrinsecus. Ita & mens in Deum profundata fruitur voluptate, orta simul ex possessiua vnitione cogniti boni, & cognoscentis, cum fruitio sit sensus, vel proles sensus sapientis bonum coniunctum sibi.

Desiderium.

Desiderium verò est causaliter, finali causalitate voluptas quædam absentis boni, & tendentia in illud. Idem videtur esse Amor. At plus concludit, præsentia scilicet, & absentia bona. Idcircò eius obiectum est Pulchritudo, quæ est apparentia boni; ei, cui est bonum. Et quia Amor accidentalis est propensio animi in rem amatam: res autem amatur, quatenus bona esse cognoscitur, siuè verè siuè falsò: bonitas autem ab apparentia sua cognoscitur, quæ est ipsa pulchritudo: propterea dicimur amare Pulchrũ: Bono verò frui. Hic amor dicitur in spiritu appetitus, in mente verò voluntas, ac propriæ est immortalitatis desiderium, hoc enim est conseruatio æternitas. Cibum amamus, vt seruemur in nobis, venerem verò, vt conseruemur in alio, vitando mortem, quam solo cibo euitare vsque non datur. Quandò abest bonum, spiritus alicui argumento confidens, acquirere illud putat, tunc hæc voluptuosa passio absentis boni in præsensione illius vocatur Spes, Potestatiui proles formaliter, nam realiter est etiam Sensitiui, & Appetitiui.

Amor.
Pulchritudo.
Amor essentialis est primalitas, Accidentalis verò est propẽsio, &c.
Voluntas
Appetitus.
Spes.

Confidentia autem spei est præuia plerumque, nam in viribus propriis, vel alienis, præsentiscit bonum acquirendum: de quo cum dubitatur, propriarum virium, aut aliorum, diffidentia dicitur, proles impotentiæ, & doloris, & timor ipsam sequitur quando malum ex carentia boni imminere existimatur.

Confidentia.
Timor.

Vocaturque ipse timor Zelotypia, quandò timetur, ne alius sibi conquirat bonum quod nos amamus. Est etiam argumentum propriæ inferioritatis in virtute, aut diffidentia ergà obiectum, vel instabilitatis obiecti in reamando. Idcircò diuinus amor, cuius obiectum est sufficientissimum; & non partiale, caret dolore Zelotypiæ; & coniungit amantes, non dissoluit.

Zelotypia.

Dolor igitur est alter fons affectionum, ipseque est affectus ex sensu mali præsentis coniuncti dolenti: odiumque ab ipso pendet, quod est abominatio mali absentis, fugaque; cuius obiectum est turpitudo, apparentia mali, sicuti pulchritudo boni. At cum imminet malum, eiusmodi dolor vocatur pauor; timor enim est dolor ob carentiam boni; sed pauor est ab ipso malo: vndè cum pauemus, spiritus in interiora fugit, remanent oculi parui, & nerui tremunt, quia modicus remanet spiritus ad mouendum ipsos; facies pallescit, capilli eriguntur: quoniam abeunte introrsum calido spiritu, cutis adstringitur, & pili adstrictione eriguntur, sicuti, & stylus pressus in suo extremo, fitque sensus frigoris ibi, deficiente calore, vndè fugit.

Quid dolor.

Turpitudo.

Pauor.

Ira.

Cæterum si spiritus non cedit malo, sed contra ipsum accingitur propulsandum, dicitur affectio hæc Ira, quæ fit colligendo se spiritu contrà malum vndè ardent oculi, tenduntur que nerui, feruet sanguis impetuosè agitato spiritu ad vindictam.

Dolor ac voluptas alienis ex malis bonisque in nobis nascentes, ab eisdem deriuantur principiis: ita & risus & planctus.

Lætitia *C* ac tristitia sunt quoque voluptatis, & doloris ostensiones grandes. Quandò spiritus exhilaratur, totus foras mouetur, confluit in oculos ad fenestras suas, vbi se ostentet beatum, illosque lucidos reddit sua luce clarosque, cutim quoque serenam, perlucidamque & tumidam se plenam, augendo, dilatando, ac amplificando se ipsum: ac sæpè tanto impetu confluit totus foras, bono insperato adueniente, quod se ipso copioso, impetuosoque in angustias redacto suffocatur, partimque dissoluitur, ac moritur; tristantes verò è contrà colligunt spiritus in interiora, auersantes videri in sua infælicitate. Ideò oculi exigui, cutis crispa, & tetra, nerui flaui, membra & vox demissa illis inest, spiritu nempè abeunte, & conspectum auersante.

C Letitia fit cum delectatione, & augmento spiritus. Dolor cum adstrictione, & decremento. Ibi enim crescit dilatatus spiritus, hic verò decrescit fugiens à malo, sesèque cogens, &c.

De Risu, Admiratione, & Despicientia.

Art. 2.

QVando quid boni apprehendit spiritus, diffunditur, & ridet; itaque *A* risus dici potest dilatatio spirituum manifesta in labiis, quæ contrahuntur maxillas versus à copia spirituum accurrentium, ad se dilatandum intrà musculos, neruosque, ex quarto pari prodeuntes. Interdum *B* quis nolens ridet, cum nil boni, quo dilatetur, sibi aduenerit: sed dum pungitur in partibus exterioribus, & gracilioribus: velut sub planta pedis, & in lateribus, vbi multus est spiritus, ac ibi nocumentum multum pati posset, quia iniutiis ibi magis expositus est, dum fugit interius, nec potest, refugit exterius, dilataturque in risum, gaudens, quòd ab eiusmodi confricatione, non ita vt posset, malè afficitur, sed & ibi malis simul resistat. Voluptas autem magna est, non sentire detrimentum à præsenti malo. At dum propria manu illis in partibus quis confricatur, non fugit spiritus, nec ridet, quoniam à se ipso pauorem non apprehendit, nec proinde lætatur, cò quòd non patiatur nocumentum; cum ibi à se non immineat. Naufragia *C* & prælia aliorum sinè periculo nostro conspicientes, lætamur, ac ridemus, non quia illi patiuntur, nisi sint inimici, in quotum malum, nostrum relucet bonum: sed quia nos care-

A Quid est risus & vndè.

B Risus ex titillatione.

C Risus ex malo alieno.

mus illis malis, noſtra virtute, aut fortuna diuina, aut quia diſcimus cauere. Scientia autem ſuauis eſt, quoniam conſeruat. At videre equites armatos, & geſta heroum legere delectat vſque ad riſum, quoniam noſtræ naturę in tuper fortitudinem, & virtutem oſtendunt, vti contraria contriſtant.

D Riſus à dolore alieno poſt proprium.

E Riſus ex deſperatis rebus.

F Quid admiratio.

Riſus non eſt admirationis effectus vt putant Peripatetici, ſed oppoſitus illi. Qui plus admirantur, minus rident: nec rationalitatis eſt paſſio; nam ſtultiores plus rident, & pueri ante vſum rationis, ergo, &c.

Interdum *D* quis ridet, dum alius plorat, in quo plorare minus deberet; vndè ſpiritus qui alieno planctu, quaſi à proprio malo in alio ſimili præſentato; cogitur interim ad dolendum; animaduertens, quod illa res, qua alius dolet, ac ſe ad dolendum inuitat, non verè nocet: poſtubi contrahitur, prorumpit in riſum, dilatando ſe, ac renuendo contrahi aliena contractione, & & propria gaudendo virtute, neſcia timere, quod alij timent, plorantque. Sic & interdum poſtubi doluerit, ac ſimul perpenderit non eſſe dolendum, ſubitò dilatatur in riſum. Alias *E* & cum viderit nulla arte malis poſſe obuiam iri, in eo quod tantum videt, generoſus ſpiritus ridet.

G Placet comedia ſicut pulchra, quia ſignum eſt artis humanæ conſiſtentis in imitatione qua omnis homo gaudet in ſimili. quia naturæ communis bonum ſentit: niſi per inuidiam doleat impurus. Purus enim alienis bonis gaudet, vt ſimilis niſi poſſeſſor ſit prauus, indignuſque.

F Riſus interdum poſt admirationem ſibi oppoſitam fit. Admiratio enim eſt collectio ſpirituum vnitorum ad contuendum rem nouam, magnamque idcircò arcuantur ſupercilia, aperiuntur palpebræ nimis, quò intret in animam contemplantem res apprehenſa, vt conſideratione digna. At cum ſpiritus ipſam intellexerit, pernoueritque, deinde gaudet ſe noſſe illam, ac dilatatur, ridetque: vtque recompenſet conſtrictionem, reficiatque ſe ab illa, in qua laborauit conſiderando. At ſi quando agnouerit, illam non fuiſſe præhabita ſtrictione dignam, propriam ignauiam, inertiamque incuſat, triſtaturq;. Verumtamen ſi ſubitò animaduertit illam non eſſe dignam admiratione, ridet quaſi deſpiciens illam, & admiratores eius, gaudens ſe præſciuiſſe, nec illud; ſe permiſiſſe: & dilatatio eſt vita rerum tenuium. Idcircò quæritur riſus magis: ità in comediis *G* videntes, aut audientes aliquid propoſitum tamquam admirabile, quod poſtea non qualis proponitur, ſortitur exitum, ſed induſtrem vertitur in argutiam, ridere ſolemus ob idipſum, & ob artificium, ſcientiæ ſignum conſeruatricis, ideoque placentis valdè. Aut ob inertiam, ſi ineptum finem ſortitur, ridemus, non quia alius eſt iners, ſed quia nos ſolertiores in eo eſſe cognoſcimus, ac reperimur nos poſſe meliora præſtare; vel quia eorum qui induſtres habentur, ineptias ſapienter detegimus. Ridemus quoque vbi ceſſat admiratio omni ex re monſtruoſa, vel quia euadimus doctiores ex inſpectione, & gaudemus ergò ſpectaſſe.

H deſpicientia.

I Irriſio.

Deſpicientia *H* eſt admirationis oppoſitum, non enim vult vniri ſpiritus ad conſiderandum obiectum tamquam non ſit conſideratione dignum. Illud autem dignum eſt conſideratione, quod aliquod magni, & inſoliti habet, vel boni, quod amemus, vel mali, quod timeamus: propterea ſpernens eſt, qui nec amat, nec timet, *I* & irridere dicitur, quando riſum in id intorquet, quod indignum admiratione percipit.

De Planctu.

Art. 3.

A Quid eſt Planctus. in malis aliorum miſericordia eſt, in noſtris triſtitia.

B Planctus à lætitia.

C Planctus ex ærumnarum conſideratione.

D Planctus ex cerebri humiditate.

PLanctus ex contrariis naſcitur cauſis; eſtque *A* collectio ſpirituum, qui intrò fugientes, ne infelices videantur foris, ſi quid mali contigerit, ac contrahentes ſeſe, itaque emittunt in oculos humorem, qui extrà cerebri membranam fit, ex vaporibus non potentibus per caluariam educi, idcircòque ſtrictis in aquam, quæ à ſpiritu contracto, ideóque eleuante cerebrum, tunicaſque, compreſſa, commoraque foras excurrit per mẽbranam in ſinu oculorum. *B* Lætitia repentina planctum quoque excitat: dum commoti ſpiritus ad foras volandum, ſimul intrò contrahuntur, ne ſuffocentur. *C* Contuendo quoque, ac cogitando noſtras, vel aliorum ærumnas, perſimilis contractio perſimilem planctum efficit. Plerique ſunt *D* vdo nimis cerebro donati, ac ſpiritu

ritu vehementi, facileque imaginatiuo, qui colligendo se se intrò, planctum cum voluerint edit, apprehendendo, ac imaginando plorabilia. Varij sunt, multique affectus misti ex dolore, & voluptate, nascentes ex constrictione, & dilatatione spiritus, apprehendentis malum, aut bonum, verum vel apparens, aut vtrumque simile; sed hæc in sequenti sermone repetere, altius, peritiusque de passionibus disputando per virtutes æquum erit. Non enim quatenus sunt extensiones ad operandum de eis dictum est.

De Somno & Vigilia exequutionum origine, & de exequutione, seu operibus organicis.

CAP. XIX. Art. 1.

Quæst. 52. per Tot.

A Primalitates ad intra sunt essentialitates, vt respiciunt ad extra, vocantur facultates & principia extensionum .i. passionũ, notionum, & affectionum, quæ vt attingãt obiecta fiunt operationes, seu executiones.

POst affectiones *A* sequitur executio, quæ est affectionum extensio ad obiecta earum, quemadmodum affectio est extensio facultatis. Facultas verò extensio, seu respectus essentiæ ad exteriora, ad quæ dicitur etiam principium executionis, quæ dicitur etiam operatio, quod vocabulum internas emanationes Primalitatum, & actuum, & affectus mox Primalitatibus exortos, & exteriores simul actiones significat; ad quos per certa organa animal se se extenditurque. Et quoniam hæc extensio generalis dicitur vigilia; specialis verò dicitur actio in obiectum aliquod animal deducens; dicendum est primò de Vigilia, deinde de Vigilantis extensionibus.

Non fit somnus in corde refrigerato vaporibus è cerebro: vt putat Arist. nec in cerebro, quatenus refrigerato vt Galenus. Vide q. 54. at. 1.

Quid est somnus & quid Vigilia. q. 54.

Prima somni causa.

Vigilia somnum sequitur, eique opponitur; ergò sicut illa est spirituum ab interioribus naturæ ad exteriora extensio: ità somnus est spirituum ad interiora collectio salubris. Cùm enim spiritus sentiendo, mouendo, & vectando corpus laborauerit, lassatur, quia pars illius attenuata motu auctoque calore exhalat, atque ipse remanet imminutus. Quamobrem mentis permissu, in caput colligitur instaurandus, eo quod perdit de substantia, & moderandus in calore, & tenuitate iam exardescente, & nimis effugiente iuxtà innatum appetitum ad illatum magis reuersurus: & hæc collectio dicitur Somnus, qui dicente Deo potius in nocte fit quã in die, tunc enim nõ adest lux, in qua discat, & negotietur, & foras dilatetur, sed tenebræ ad interiora cogentes. Tunc mens etiam feriata, imaginationibus solis vocat, & nõ sensationibus. Idcircò somnia accidũt, & feria & vana, vt superius dictum est: quoniã reliquias motuũ diuersorũ recolit, & ab interioribus mouetur quasi exterioribus, & ab aëris passionibus, & intelligentiarũ suggestionibus facilè: cum aliis non attendat externis negotiis.

Somniorum causæ quatuor.

Secũda somni causa.

Fit etiam somnus quandò ciborum, & potus fumi in caput ascendunt, quapropter spiritus accurrit, conuersurus eos in sui naturam, non solùm pugnaturus in eos expellendos, sicut accidit in collectionibus, seu somnis morbosis, in lethargo, & commate, & vteri strangulatione: & tunc itaque derelinquit neruos, extremaque membra, quæ motu, sensuque, quos à spiritu habebant priuata apparent. Perseuerat tamen respirationis motus, vt sanguinem viuificet, spiritusque creet, quibus vniuersitas ipsorum instauratur, & prolixior fit grandiorque quam in Vigilia, propterea quod multus ignis tunc ex peripheriâ ad interiora collectus est, indigens huiusmodi ventilatione, vel fieri debens quia imminutus erat, quandò non fit somnus in corde, sed operatio maior; nec è cerebro in cor est via vaporibus, nisi per neruos, qui eis conuellerentur. Motus autem arbitrarij ad exteriora obiecta non fiunt, nisi quibus imaginationes, quasi sensationes fiunt, corpusque etiam mouent ad obiecta, etiam occlusis visorio, & auditorio, vt multis accidit noctambulis: non ergò refrigeratio cerebri facit somnum, nam nix & Boreas vigilias; vinum & auster, somnos faciunt crassitie vaporum modo: pulsus tamen semper perseuerat, etiam in dormientibus, vt spiritus generet, nutriat corpus; id quod nunquam fieri non est opus. At in principio somni contractionem habet crebriorem, maiorem-

mus illis malis, nostra virtute, aut fortuna diuina, aut quia discimus cauere. Scientia autem suauis est, quoniam conseruat. At videre equites armatos, & gesta heroum legere delectat vsque ad risum, quoniam nostræ naturę intuper fortitudinem, & virtutem ostendunt, vti contraria contristant.

D Risus à dolore alieno post proprium.

E Risus ex desperatis rebus.

F Quid admiratio. Risus non est admirationis effectus vt putant Peripatetici, sed oppositus illi. Qui plus admirantur, minus rident: nec ratio naturalis est passio; nam stultiores plus rident, & pueri ante vsum rationis, ergo, &c.

Interdum *D* quis ridet, dum alius plorat, in quo plorare minus deberet; vndè spiritus qui alieno planctu, quasi à proprio malo in alio simili præsentato; cogitur interim ad dolendum; animaduertens, quod illa res, qua alius dolet, ac se ad dolendum inuitat, non verè nocet: postubi contrahitur, prorumpit in risum, dilatandose, ac tenuendo contrahi aliena contractione, & & propria gaudendo virtute, nescia timere, quod alij riment, plorantque. Sic & interdum postubi doluerit, ac simul perpenderit non esse dolendum, subitò dilatatur in risum. Alias *E* & cum viderit nulla arte malis posse obuiam iri, in eo quod tantum videt, generosus spiritus ridet.

F Risus interdum post admirationem sibi oppositam fit. Admiratio enim est collectio spirituum vnitorum ad contuendum rem nouam, magnamque idcircò arcuantur supercilia, aperiuntur palpebræ nimis, quò intret in animam contemplantem res apprehensa, vt consideratione digna. At cum spiritus ipsam intellexerit, pernoueritque, deinde gaudet se nosse illam, ac dilatatur, ridetque: vtque recompenset constrictionem, reficiatque se ab illa, in qua laborauit considerando. At si quando agnouerit, illam non fuisse præhabita strictione dignam, propriam ignauiam, inertiamque incusat, tristaturq;. Verumtamen si subitò animaduertit illam non esse dignam admiratione, ridet quasi despiciens illam, & admiratores eius, gaudens se præsciuisse, nec illud, se permisisse: & dilatatio est vita rerum tenuium. Idcircò quæritur risus magis: ità in comediis *G* videntes, aut audientes aliquid propositum tamquam admirabile, quod posteà non qualis proponitur, sortitur exitum, sed industrem vertitur in argutiam, ridere solemus ob idipsum, & ob artificium, scientiæ signum conseruatricis, ideoque placentis valdè. Aut ob inertiam, si ineptum finem sortitur, ridemus, non quia alius est iners, sed quia nos solertiores in eo esse cognoscimus, ac repetimur nos posse meliora præstare, vel quia eorum qui industres habentur, ineptias sapienter detegimus. Ridemus quoque vbi cessat admiratio omni ex re monstruosa, vel quia euadimus doctiores ex inspectione, & gaudemus ergò spectasse.

G Placet comedia sicut pulchra, quia signum est artis humanæ consistentis in imitatione qua omnis homo gaudet in simili. quia natura communis bonum sentit: nisi per inuidiam doleat impurus. Purus enim alienis bonis gaudet, vt similis nisi possessor sit prauus, indignusque.

H despicientia.

Despicientia *H* est admirationis oppositum, non enim vult vniri spiritus ad considerandum obiectum tamquam non sit consideratione dignum. Illud autem dignum est consideratione, quod aliquod magni, & insoliti habet, vel boni, quod amemus, vel mali, quod timeamus: propterea spernens est, qui nec amat, nec timet, *I* & irridere dicitur, quando risum in id intorquet, quod indignum admiratione percipit.

I Irrisio.

De Planctu.

Art. 3.

A Quid est Planctus. in malis aliorum misericordia est, in nostris tristitia.

B Planctus à lætitia.

C Planctus ex ærumnarum consideratione.

D Planctus ex cerebri humiditate.

Planctus ex contrariis nascitur causis; estque *A* collectio spirituum, qui intrò fugientes, ne infelices videantur foris, si quid mali contigerit, ac contrahentes sese, itaque emittunt in oculos humorem, qui extrà cerebri membranam fit, ex vaporibus non potentibus per caluariam educi, idcircòque strictis in aquam, quæ à spiritu contracto, ideóque eleuante cerebrum, tunicasque, compressa, commotaque foras excurrit per mẽbranam in sinu oculorum. *B* Lætitia repentina planctum quoque excitat: dum commoti spiritus ad foras volandum, simul intrò contrahuntur, ne suffocentur. *C* Contuendo quoque, ac cogitando nostras, vel aliorum ærumnas, persimilis contractio persimilem planctum efficit. Plerique sunt *D* vdo nimis cerebro donati, ac spiritu

ritu vehementi, faciléque imaginatiuo, qui colligendo se se intrò, planctum cum voluerint edit, apprehendendo, ac imaginando plorabilia. Varij sunt, multique affectus misti ex dolore, & voluptate, nascentes ex constrictione, & dilatatione spiritus, apprehendentis malum, aut bonum, verum vel apparens, aut vtrumque simile; sed hæc in sequenti sermone repetere, altius, peritiusque de passionibus disputando per virtutes æquum erit. Non enim quatenus sunt extensiones ad operandum de eis dictum est.

De Somno & Vigilia exequutionum origine, & de exequutione, seu operibus organicis.

CAP. XIX. Art. 1.

POst affectiones *A* sequitur executio, quæ est affectionum extensio ad obiecta earum, quemadmodum affectio est extensio facultatis. Facultas verò extensio, seu respectus essentiæ ad exteriora, ad quæ dicitur etiam principium executionis, quæ dicitur etiam operatio, quod vocabulum internas emanationes Primalitatum, & actuum, & affectus mox Primalitatibus exortos, & exteriores simul actiones significat; ad quos per certa organa animal se se exerit extenditurque. Et quoniam hæc extensio generalis dicitur vigilia; specialis verò dicitur actio in obiectum aliquod animal deducens; dicendum est primò de Vigilia, deinde de Vigilantis extensionibus.

Quæst. 52. per Tot.

A Primalitates ad intra sunt essentialitates, vt respiciunt ad extra, vocantur facultates & principia extensionum .1. passionũ, notionum, & affectionum, quæ vt attingat obiecta fiunt operationes, seu executiones.

Vigilia somnum sequitur, eique opponitur; ergò sicut illa est spirituum ab interioribus naturæ ad exteriora extensio: ità somnus est spirituum ad interiora collectio salubris. Cùm enim spiritus sentiendo, mouendo, & vectando corpus laborauerit, lassatur, quia pars illius attenuata motu auctoque calore exhalat, atque ipse remanet imminutus. Quamobrem mentis permissu, in caput colligitur instaurandus, eo quod perdit de substantia, & moderandus in calore, & tenuitate iam exardescente, & nimis effugiente iuxtà innatum appetitum ad illatum magis reuersurus: & hæc collectio dicitur Somnus, qui dicente Deo potius in nocte fit quã in die, tunc enim nõ adest lux, in qua discat, & negotietur, & foras dilatetur, sed tenebræ ad interiora cogentes. Tunc mens etiam feriata, imaginationibus solis vocat, & nõ sensationibus. Idcircò somnia accidũt, & feria & vana, vt superius dictum est: quoniã reliquias motuũ diuersorũ recolit, & ab interioribus mouetur quasi exterioribus, & ab aëris passionibus, & intelligentiarũ suggestionibus facilè: cum aliis non attendat externis negotiis.

Non fit somnus in corde refrigerato vaporibus è cerebro: vt putat Arist. nec in cerebro, quatenus refrigerato vt Galenus. Vide q. 54. ar. 1.

Quid est somnus & quid Vigilia. q. 54.

Prima somni causa.

Somniorum causæ quatuor.

Fit etiam somnus quandò ciborum, & potus fumi in caput ascendunt, quapropter spiritus accurrit, conuersurus eos in sui naturam, non solùm pugnaturus in eos expellendos, sicut accidit in collectionibus, seu somnis morbosis, in lethargo, & commate, & vteri strangulatione: & tunc itaque derelinquit neruos, extremaque membra, quæ motu, sensuque, quos à spiritu habebant priuata apparent. Perseuerat tamen respirationis motus, vt sanguinem viuificet, spiritusque creet, quibus vniuersitas ipsorum instauratur, & prolixior fit grandiorque quam in Vigilia, propterea quod multus ignis tunc ex peripheriâ ad interiora collectus est, indigens huiusmodi ventilatione, vel fieri debens quia imminutus erat, quandò non fit somnus in corde, sed operatio maior; nec è cerebro in cor est via vaporibus, nisi per neruos, qui eis conuellerentur. Motus autem arbitrarij ad exteriora obiecta non fiunt, nisi quibus imaginationes, quasi sensationes fiunt, corpusque etiam mouent ad obiecta, etiam occlusis visorio, & auditorio, vt multis accidit noctambulis: non ergò refrigeratio cerebri facit somnum, nam nix & Boreas vigilias; vinum & auster, somnos faciunt crassitie vaporum modo: pulsus tamen semper perseuerat, etiam in dormientibus, vt spiritus generet, nutriat corpus; id quod nunquam fieri non est opus. At in principio somni contractionem habet crebriorem, maiorem-

Secũda somni causa.

Q

que, contrahentibus sese spiritibus ab extremis in centrum. In medio verò somni pulsus paruus, parum distinctus, tardusque, propterea quod spiritus occupati in capite ad prælium contrà fumos, & attenuandum sanguinem in retiformi, & in corde & arteriis, & coquendum impuritates, nequeunt pulsum magnificare, & ægrè non edere, quamuis calor qui à principio non erat in extremis ob collectionem ad intrà, tamen in medio statim expanditur auctus ex vnione: at in fine somni refectus iam spiritus foras reuertitur ad vigilandum, & dilatatio pulsuum vibrata crebrior, grandiorque & motio ipsius valida & vndosa, cum sit iam copiosus ex instauratione. Quapropter somnus quieti, & concoctioni ciborum conuenit magis. Vigilia vero distributioni eorumdem, & purgationi excrementorum. Exerit ergò se spiritus præterea ad opera ergà exteriora obiecta, quibus indiget ad vitanda mala, consequenda conseruatiua. Quas ob res quemadmodum sanctissima Monatrias organis Potestatoriis, & sensoriis, & appetitoriis ornauit animal, sic etiam exequutoriis, quæ omnibus deseruiunt: exequimur enim quod possumus, scimus, & volumus ipsorum, ad obiecta consequenda. Ergò quoniam cuncta motu exequitur; *B* organa motus sunt & executionis generatim. Hoc est musculi & iuncturæ ossium, per illos enim fit dilatatio, & constrictio spiritu se cum sua mole in ventrē musculi, aut in extrema conferente: per has flexio, & extensio, & gyratio, sicut in ipsorum fabrica dictum est. Illis vtuntur viscera, sensoria, & appetitoria, ad trahendum & expellendum: his Potestatoria, & exteriores partes statuæ, veluti ex dictis constat. Vndè quot iuncturæ sunt ossium, quæ quasi centra motus sunt, ac vertebrarum, tot partialia organa sunt, sed neque absque musculo dilatante fit inflexio, neque absque eodem extensio iunctarum partium. Hoc autem spiritus facit, quoniam tenuitatem habet subiectam velociter obedientem ad impetum quouis faciendum vnitione & inflandum, & abscedendum. Neque *C* enim aliud mouet physicè, quod se ipsum non mouet; nec aliud scit, se nesciens: nec aliud amat, se non amans, nec aliud potest, se non potens; sed ex hoc quòd se potest, & se sentit, & se amat, & mouet, potest & sentit, & amat, & mouet cætera. Calor autem tenuitatem mouet formaliter, & effectiuè, mouet ad hoc obiectum quod appetit, quia sentit, sentit quia potest sentire & pati quia finitæ est naturæ: Agere, quia Diuinæ particeps potentiæ: omnes ergò motus à Deo: nam & prima volitio, & Prima notitia, & primus potentatus essentiales, vndè isti accidentales oriuntur, à conditore essentiæ, id est, Deo, à quo & de nouo multæ immittuntur. Et sicut se habet ordo essentiationis, ita & operationis: nam potestatiuo capitur exerceri: cognoscitiuo regitur, appetitiuo petitur obiectum erga quod editur operatio. Et si vnum istorum deest, non fit operatio.

Igitur principium motus in animali est à Deo, sicut à primo conditore; à cerebro sicut à sede spiritus mouentis & organorum principio. Ab organis nempè musculis iuncturis & neruis, quatenus vt sic fierent motus aptata motoribus. Omne. n. instrumentum aptatur agenti vt possit esse instrumentum illius. A spiritu, vt mobilis est, ergo potens motū cōmunicare, sicut calidum calefacere. Mobilis autem, est quia calidus tenuis: motiuus quia potestatis primæ particeps. Derisit Sapientia eos, qui à spiritu, quà vacuitatis pleno motum edunt, cum nec vacuitas intra rem sui amantē & cognoscentem admitti possit: nec nisi temerè talis motio, & non finis gratia, fiat. Motus in spiritu est actus, quo se ipsum ventilat, sordibus purgat, ac proinde seruat se ac corpus: alioquin non motus desinit esse, & parum mouens marcescit, minuitur: & excrementis non sequestratis, nec eiectis incalescentibus, & euaporantibus obruitur. Et partes sanæ illorum mistura & pigra calefactione tabescunt. Motus autem corpori communicatus de actu fit actio in solidum & in organa: ac proinde extensio in obiecta operabilia Ad quæ fit executio. Executio ex spe & fiducia oritur potestatiui: aggressio subsequitur ex alacritate: prosecutio constantiam, & per-

Aggressio execut. Omnis executio fit motu.

B Organa motus generatim confusèque sunt musculi, & ossium iunctura.

C Non potest immobile physicum mouere, vt Arist. putat, nec impotens, & ignorans & non amans sui, potest posse sentire aut amare aliud.

D Quo ordine prima notio, prima potestatio, prima volitio est à Deo, passio verò à finitate. Infinitum enim pati aut recipere non potest. Vide Metaph. p. 2. Quæst. 38. ar. 1. 3. & 4.

feueratiam in mediis & actibus habet: in fine tandem apprehensio, comprehensio, vsus & possessio.

Executio, *E* alia naturalis, alia moralis, alia supernaturalis. Naturalis fit simul ac Potestas patitur ab obiecto, & cognoscitiuum ex illa passione iudicat de obiecti natura, & appetitiuum afficitur benè vel malè; Tunc statim Potestatiuum, pensa tis viribus concepta spe incipit executionem sequelæ vel fugæ. Moralis fit cum post passionem, & motionem, & affectionem consultatio adhibetur, ab experientia iam facta, quod non omne malè afficiens, aut benè, est vndequaque malum vel bonum, cùm mista sunt mala bonis, vt in sequenti parte declaratur. Supernaturalis fit à diuina instigatione, facta in principio motiuo, quando nullo consilio, passionéque corporea, voluntas afficitur, notitia illustratur, & Potestas iuuatur: à Deo *F* quidem efficienter; ab Angelo suggestione; à cælo & aëris occulta passione communicata dispositiuè. De quibus ibidem, & in libro de Sensu Rerum. Spirituales homines discretionem ipsarum sortiuntur.

E Triplex executio & omnis incipitur tribus facultatibus manantibus ex primalitatibus eo ordine quo manant:

F Motiones supernaturales sunt a Deo supernaturaliter; & naturales à Deo motiuè, ab Angelis suggestiuè, à cœlo dispositiuè.

In executione, & cognitione, media præcedunt conclusionem & finem; in appetitione prius est finis, ideò scientiæ dirigentes appetitum à fine incipiunt; dirigentes intellectum à principiis, mediisque, & à quod primò occurrit: dirigentes autem potestatiuum, à quo facilius.

De Organis exequutorijs.

Art. 2.

Peculiaria exequutoria duo tantum sunt, Pes & Manus in homine, in Brutis idem, vel analogiè; omnis enim exequutio aut ad fugam mali, & sequelam boni, notorum possibilium spectat, & hoc pede exercetur organice. Aut ad contrectandum res exteriores nostris eas applicando vsibus, & hoc manu fit. q.61. per tot.

De Delatiuo.

Art. 3.

Art. 3.

De fabrica pedum, & vsu partium eius, dictum est, cum fabricam Animalis celebraremus, & *A* quomodò oculus vnus esse in Cyclopibus queat, non autem pes: quoniam dum mouet animal pedem vnum, necesse habet statuam altero sustentare ne ruat. Quin nec vno saltare homo potest, nisi statua in alterum latus molestè inclinata. Diximus *B* loco pedum piscibus multis pennulas datas, auibus alas, si expedes quædam sunt, alarum rotam in aërem etiam dormiendo expandentes: sed quoniam in aëre vita auium non seruatur, nisi ex humi nascentibus, nec semper se sustinere in sublime grauitas potest, habent & pedes. Quare autem Bipedia, alia quadrupedia, alia sextipedia, ibi declarauimus, & quomodò Stellæ marinæ rotêtur radiis, hechini spinis, spongiæ immotæ maneât; aliaque sola dilatatione, & constrictione contenta; alia annulis progrediantur vnitione, & extensione.

A Cur pes non potest esse vnus.

B De aliis instrumentis delatiuis.

Obiectum *C* pedum Cōmodum & incommodum esse videtur; quidquid enim sectamur, aut est locus commodus, aut cibus, aut cognoscibile, aut vincibile, aut delectabile: etenim & hostem sectamur ad perdendum, vt vita in tuto, & commoda nostra sint. hæc autem omnia commodi voce declarantur. Incommodi verò locus inutilis, noxiusque, & inimica, & læsiua, & vana, id est vtilitatis expertia; omne ergò exterius possibile, cognoscibile, & appetibile, obiectum executionis est, qua commodum per se, vel per accidens, commune, aut proprium, placet: & incommodum, quà commodum æstimatur: opposita quoque spectant ad eamdem executionem declinatiuam, cum & visus albi & nigri idem sit. In adsecutiua *D* faciem, & sensoria ad obiectum vertimus tanquam ad bonum, & conseruatiuum: In declinatiua tergum, tanquam ad malum, ne facies, & sensorium spiritus lædantur.

C Obiectum delatiui est commodum.

D Conuersio est ad bonum, Auersio à malo.

De Contrectatiuo.

Art. 11.

Art. 2.
A Vtilitas manus.

NIl iuuat ad rem commodam, incommodámve perueniſſe, nisi eis vti ad conseruationem queas. Propterea *A* actiua Mens sanctissima addidit Contrectationis organum, Manum, qua homines cunctas ad sui aptat vsum, lapides, metalla, plantas, aërem, mare, liquores, animalia, ipsorum partes, carnes, ossa, coria, pilos, artificiosè, admirabiliter, at præcipuè ignem; in cuius tractatione hominis diuinitas comprobatur. De Manus fabrica in suo loco dictum est.

B Cur duplex manus.
C Ars manu exercetur omnis.
D Idea ex Authore natura in naturam, ex natura in mentem ex mente in Spiritũ, ex spiritu in manum, ex manu in instrumenta exteriora, ex his in artificiatum, transit.
E Licet Origenes suspicetur hominem post resurrectionem futurũ orbicularem. Nos tamen hoc negamus, nec membrorum vsus erit qualis in hac vita, vt putas Mahumetes, sed melior, & altioris operis; nec tamen cessabunt esse quod sunt, in testimonium vera resuscitãtis Dei, vt pulchrè docet S. Iustinus.

Manus *B* duplex duo principia actiua naturæ imitatur, neque materia ab vna sola exercetur: Exercitatio manuum in corpora imprimens formas sibi commoda, delensque incõmodas, vocatur *C* Ars, quæ mentis humanæ ideas per spiritum in manum, & per manum in materiã, diuino quodam modo effundit; quarum Artium, aliæ Potestatiuo deseruiunt, vt Ferraria; Aliæ Cognoscitiuo, vt Typographia; Aliæ Appetitiuo, vt Coquinaria. De quibus in Moralibus sermo nos manet. In quibusdam artibus pes manus opera capessit, ancillaturque manui, vt Doctori discipulus, cupidus *E* fieri manus, si quando hoc erit, vsu cessante priori, vt in altera vita; etenim & spem gerit. Nec desinet esse quod est in testimonium Dei promissorum. Alia exercitia quæ artes non sunt per manus capessimus, offensiones, defensiones, & expulsiones, Applicationes: Nam attrahunt, retinent, expellunt, pro Appetitiuo: pugnant, & muniunt pro Potestatiuo. Signant, delent, loquuntur, ponderant, numerant, mensurant, manifestant, pro Cognoscitiuo; Tota rerum natura manus hominis admiratur, omnia ad suum vsum reducentem, animalia, ventos, mare domantem, intractabilem quoque ignem contrectantem, & per lucernam de nocte diem, facientem. *F* Astrolabióque sidera suo supponentem ingenio, & dixit Sapientia. Ex hoc mei participium luculentum in homine agnoscatur. Neque enim dedi manum nescientibus vti, quemadmodum nec cytharœdo gladius, *sed* cythara datur, simius non nisi similitudinarium eius habet vsum, & pro ventre: sic aranea & Cancer. Proprius esto hominis, rerum domini, corporeum, cunctorum sua solertia trãscẽdentis, vires, ingeniũq; mortale. Cæteris Brutis pro manu fit os, vt ventris & corporeæ conseruationis curam eis demandatam intelligas. Homini vero rerum omnium, quas manu, & per organa, manu fabricata contingit, vt per illas mei contemplationem, & suæ dignitatis, & dominatus super cuncta, tanquam princeps, & cuius gratia sunt, memoriam in quolibet suo opere conseruet: & tanquam in libro legat in suo operatorio propriæ culpæ accusationem; si quando me tam sibi in omni manifestam manuali actu, inspectionéque, tanquam ignotam deseruerit: neque enim ex vsu, neque dormiendo, in tot numeris & commodis decoraui eas, vt nec signasse me quicquam frustrà citra penæ timorem suspicetur: propterea enim nec vos, si apicem, aut literulam in scriptura vestra absque ratione, & sine delineasse, quis dicat, non indignamini. Spõte infælix qui theatrum mundi in suæ conscientiæ theatro non examinat: & qui vnde proficere debet, inde deficiendi, errandique occasionem sumit. Qui plantauit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat? aut qui fabricatus est manum, non operatur? Intelligite hoc, & reminiscamini semper.

F Manus indicium animæ diuinæ, immortalisque est, omne enim instrumentum suum opificem manifestat.
Virum signa & lineamenta manus, cum operationi nõ prosint, nec casu fiant, sine Deo, sint propter significationem, & non frustra: vide Metaph. p. 3.
Dauid. Psal.

PRIMÆ PARTIS FINIS.



THOMÆ CAMPANELLÆ ORD. PRÆD.

QVÆSTIONES PHYSIOLOGICÆ.

HOC EST; IN PRIMAM PARTEM suæ Philosophiæ Realis.


PRÆFATIO.

IN ſecundo Tomo Operum noſtrorum nuper edita eſt Philoſophia Realis in quatuor diſtincta partes; videlicet Phyſiologiam, Moralem, Politicam, & Oeconomicam, inermis quidem, ab amicis Germanis; & quia obſtabat decretum non quidem S. Congregationis, ſed Magiſtri S. Palatij, qui non examinatos libros, nec viſos, ea ſolum de cauſa, quod Maieſtatis apud Parthenopen ſimulato crimine tenebar, non debere liberos eſſe, detento authore, arbitrabatur: Curauimus Romæ anno 1629. die 6. Aprilis me liberato liberari etiam codices meos, ſanctiſſimo ac ſapientiſſimo Vrb. Papa VIII. iubente: Quod P. M. Ioan. Baptiſta Marinus, Congregationis ſacræ Indicis Secretarius, iubentibus ſacratiſſimis Cardinalibus Executioni mandauit, infamiámque iniuſtam ex indice deleuit. Propterea nunc diſputationes illis addere olim elaboratas, cogitaui, vt Philoſophia Chriſtiana quantum exſuperat Gentilem agnoſcant qui cum Iuliano apoſtata, & cum Achitofelle, in libro contra Atheiſtas per me confutati, ſentiunt Gentilium ingenia infidelitate obſcu-

ratis, esse illustriora Christianis, gratiâ illustratis, & copiosiori experientia noui Orbis, & cœlestium & terrestrium præditis: Ita vt rationem in rebus ad fidem spectantibus exposcant, Gentilibus autem clausis oculis aurem irrationabilem commodent; vnde natus est Machiauellismus in fidei perniciem, propterea quod (ait Melchior Cano indignabundus) habent pro Christo Aristotelē; pro S. Petro Auerroëm, pro S. Paulo, Alex. Aphrodiseum: ita quod istis allegatis in disputando quiescunt: Scripturas verò sacras sanctósq; Patres quamuis optimos Philosophos, si citas, exsibilent; & qui vocati erant tanquā testes contra suos in scholam Christi, teste D. Thoma, nunc sedeant tanquā Præceptores & Iudices contra nostros Doctores Patrésque. Ex his ergo disputationibus colligent quantò rationabilius locuti sunt nostrates, quā exteri: Et quàm verè scripserit Clem. Alex. 1. Stromat. 1. & Iustin. cognomento Philosophus & Martyr. in lib. attitulato, Confutatio dogmatum Aristot. Et Euseb. in lib. contra Philosophos, & Tertull. in proscript. & Grego. Nissenus de vita Mosis: Et August. in 2. de Doctr. Christ. Et S. Thomas opusc. 9. non esse Christianis. i. Christi Sapientiæ Dei, summæ Rationis Cultoribus, authorizandum vnū ex Philosophis, ne simus aliis sectarum aliarum ridiculi, & præcludamus aditū intraturis ad Fidem: Adde, & gentilibus noui orbis propter hoc renuentibus nos audire in doctrina fidei, quia Gentiles in sapiētia omni nobis præferimus: Et profitentes habere Christū Dei sapientiam pro præceptore, à damnatis per nos gentilibus scientias mendicamus: vt olim Iulianus & nunc Machiauellus improperant: sed seligendum esse ex omnibus Philosophis quidquid rectè dixerunt, & tanquam ab iniustis possessoribus extorquendum. Quoniam à sapientiâ Dei Christo veritates aliquas habuere & doctrinas: quem nunc incarnatū in abundantia prouidentiæ, beneficiētiæ, nolunt agnoscere: Vt in Opusc. de Philosophia Gentilium non tuenda mordicùs, ex sanctorum dictis & politicæ Christianæ vtilitatibus, & S. Can. Decr. enucleauimus. Propterea in his Disput. ex oraculis sacris, ex ratione & experimento omnia ostendere pro re literaria ac Christiana stabilienda conati sumus. Si fortè Atheismū exitialem principibus & populis, à Gentilismo, & Caluinismo Mahometico fomentatum, radicitus tandem valeamus expellere. Quod facilè quidem fiet, cùm iuuentus errores inimicorum pernouerint, & stabilitatem veræ æternæq; religionis frustra per eos concussa, qui inanes, inertes, imperitíque in suis dogmatibus tanto testimonio, & propriis assertis deprehenduntur, comprehenderint: & philosophari in duobus Dei Codicibus, qui sunt Rerum Natura, & sacra Scriptura, non in solis verbis hominum, de scholis humanis scilicet ad diuinam reuocati; consueuerint.

De locis Theologicis, lib. 9.

P. p. q. 1.



QVÆSTIO I.

VTRVM PHYSIOLOGIA SIT PRIMA Philoſophia, & ſcientia ſcientiarum, vt dicunt Democratici: an ſcientia, vt Ariſtoteli placet non primaria; ſed de vniuerſalibus: an etiam de particularibus: & an ſit tantummodo opinio, vt Platonici docent: & quod illius ſubiectum.

ARTIC. I.

1. VIDETVR Democrito, & Epicuro, eorundémque Præceptori Leucippo, Phyſiologia eſſe prima Sapientia: quoniam tractat de rebus ſenſibilibus, quæ euidentiam habent: & de corporibus, quæ primatum. Nec enim intelligentiæ abſtractæ, nec Deus, ante corpora ſunt: ſed vel non extant in rerum vniuerſitate: vel, ſi extant, ex tenuibus conſtant corporibus. Item ſi incorporea ſunt de illis non eſt ſcientia per ſenſum, vnde ſolum noſſe omnia datur. Ergo omnino Phyſiologia eſt prima ſcientia: vel ſecundum ſe & nos, ſi non dantur entia incorporea; vel ſaltem ſecundum nos, ſi dantur.

2. Plato in Timeo, & Theæteto, docet non eſſe ſcientiam de ſenſibilibus, ſed opinionem; quoniam aliis aliter apparent & ſapores, & odores, & colores, & pondera, & ſoni, & calor & frigus. Immò aliter ſenſibus brutorum ac noſtris; & aliter noſtris ſanis, quam ægris; & vigilantibus quam dormientibus. Scientia autem certa eſt, ergo de ſtabilibus, & quæ aliter ſe habere non poſſunt: erit ergò opinio de ſenſilibus non ſcientia.

3. Scientia eſt eorum, quæ non poſſunt aliter ſe habere, ergo ſempiternorum, & vniuerſalium Idearum. Si enim aliter ſe habeant, ſumetur ignorantia, & deceptio pro ſcientia. At ſenſibilia ſunt corruptibilia, & mutabilia: ita vt nunquam in eodem ſtatu deprehendantur. Et antequam propoſitionem enuncies de eis, alterantur, mutantúrque; ſicut fluuij inceſſanter alia ſuccedit aqua, vt non contingat bis eandem tangere. Ergo ſola opinio fluctuans non autem ſtabilis ſcientia de ſenſibilibus fieri poteſt, ſiue de naturalibus: quæ videntur obiectum Phyſiologiæ.

4. Præterea Ariſtoteles in 2. poſt. Anal. conſentit ſcientiam eſſe de ſempiternis ſecundum rem & rationem, victus Platonis argumento. At putat eſſe ſcientiam inſuper de naturalibus, quatenus tamen abſtrahunt à ſingularitatibus; quoniam Metaphyſica eſt de purè intelligibilibus abſtractis à materia ſecundum rationem, & ſecundum

esse: Mathematica est de abstractis à materia secundum rationem, non secundum rem; Physica verò de naturalibus secundum rem & rationem materialibus, quoniam materia ipsorum intrat rationem; sed non singulariter, sed vniuersaliter.

5. Præterea cuius non est subiectum aliquod scibile, illa non est scientia, sed Physiologiæ non datur subiectum, & si datur non est scibile, vt probat Plato, imò etiam est incertum in Peripato; alij enim aliud subiectum assignant Physicæ doctrinæ; Ergo vel non datur scientia; vel sola datur opinio de naturalibus.

SED Contra est D. Thom. & M. Alber. in prim. Phys. asserentes de rebus Physicis esse scientiam & quandoque opinionem.

Probatur, scientia enim est certa & euidens cognitio rei per demonstrationem acquisita: Opinio verò per syllogismum probabilem. Sed de naturalibus datur demonstratio, & probabilitas à causa, ab effectu & à signis. Duplex autem est demonstratio alia sensata, cuius medium est pronomen demonstratiuum ad sensum, in quo consistit scientia inuentiua. Per hunc cognoscimus cœlum sursum, terram deorsum, solem hunc lucere, &c. Per intellectiuam verò, in quo medium sunt propositiones vniuersales & per se, & secundum quod ipsum, vt definitiones, genera species, differentiæ, & causæ, & principia, & operationes, & effectus & signa per se. Præterea scire non modo est vniuersalium, sed etiam singularium, corruptibilium, mutabilium, & fortuitorum, quod probat D. Thomas pri. par. q. 19. art. 6. vbi demonstrat Deum cognoscere Vniuersalia, & singularia cognitione propria: Alioquin scientia eius imperfecta & confusa esset, solummodo in vniuersali, quod Apostolus Heb. 4. demonstrat, dicens: *Pertingit vsque ad diuisionem Spiritus & animæ compagum quoque & Medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis; & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius.* Igitur nec mutabilitas Platonica, nec singularitas Aristotelica obsint, quominus res sensiles naturales etiam per intellectum sciantur. Si enim Deus & Angeli intellectus abstracti intelligunt singularia & mutabilia, & singularitates, & mutationes certò & euidenter: Ergo sunt cognoscibiles etiam ab intellectu, ne dum à sensu. Non ergo obiectum est causa quominus sciatur: sed modi sciendi debilitas. Scire enim est cognoscere rem sicuti est per sua principia; & causas, & effectus, & operationes, & per accidentia propria, & communia, & per omnia prędicamenta quæ in rebus naturalibus & sentiuntur, & intelliguntur.

Sapientia est sapor rei prout est: Sciĕtia verò est, ex sapore illo rursus agnoscere alias propositiones rerũ prout sunt, ex causis suis, effectibus, & signis certis: Opinio verò est cum non ex certis euidentibúsq; præmissis, sed vt plerumq; certis res cognoscimus siue prout sunt, & tũc est opinio recta, siue prout nõ sunt; & tunc est opinio falsa. Est etiã suspicio cum non ex plerumque, sed rarò certis procedimus, vt suo in loco dictũ est. Quapropter de sempiternis & incorruptibilibus, quorum duntaxat datur scientia Platoni & Aristoteli, experimur nos habere opiniones, & veras & falsas, quamuis non sint sensiles, sed intellectiles. Et è contra de naturalibus sensibilibus, & singularibus habemus plures demonstrationes intellectiuo discursu formatas quam de abstractis intelligibilibus: licet plerumque probationes, & suspiciones. Certior enim sum quod sol est lucidus, quam quod Angelus sit incorporeus. Est etiam fides de naturalibus, vt antipodas esse credimus Columbo, sicut de intelligibilibus: vt nouem esse ordines Angelorum credimus Dionysio; Sed fides diuina infallibilis. Quapropter concludendum est, de Naturalibus esse scientiam & opinionem & suspicionem, & credulitatem, secundum quod, magis, vel minus certè apprehenduntur. Nec ex obiecto, sed ex apprehensione nostra graduandas esse notitias nostras.

Præterea Physiologiam non esse primam Philosophiam; quoniam obiecta mentalia sunt extántque nobiliora entia, quorum naturalia sunt vmbrę. Mathematicas verò euidentiores esse, quoniam sensibus exponuntur, & deceptionis causam, quæ sunt materialitates, & varietates, non considerant: sed tantum à signo procedunt; vt super datam rectam lineam triangulum æquilaterum constituere, probat Euclides, ex eo quod ex duobus illius punctis extremis formamus duos circulos æquales, atque à centris ad sectionem circulorum duas æquales ducimus lineas, æqua-

les primæ. Constat autem quod etiam non formatis circulis etiam triangulus erat æquilaterus à principio constitutus; & sic de cæteris. Clarum est autem, quod illi circuli, neque causa, neque effectus, sunt æquilateritatis, quam demonstrant, ergo solum signa. Et quoniam Physiologia non modo à signis procedit, sed à causis omnis generis & ab effectibus idcirco melior videtur quam Mathem. & minus nobilis quam Metaphys.

Ad primum negamus, quod non extent entia nobiliora quorum datur scientia, licet modica, tamen nobilissima. Et cum ait, Physicam saltem secundum nos esse primam, concedi potest: ex sensibilibus enim ad intelligibilia eleuamur, omnisque cognitio ortum habet à sensibus in anima clausa corpore, non autem etiam in abstractis intellectibus: de incorporeis autem est scientia quod sint ab effectu & signo, non autem à priori: *Inuisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Teste Apostolo, Rom. 2. & teste Salomone, Sap. 13. *Ex his, quæ bona apparent, intelligimus eum: Qui Est; &c. ex specie creaturæ cognoscibiliter videtur creator.*

Ad secundum, dico Platonem errare: quoniam scientia non est solùm æternorum neque opinio solùm sensibilium. Sed scire est res nosse prout sunt, siue ergo æternæ sint, siue temporales, siue stabiles, siue mobiles, sciri possunt; licet difficilior sit nobis scientia mutabiliorum, haud tamen non est: immò abstractorum, quoniam sensibus non obiiciuntur, difficilior est: alioquin facilior esset Theologia, quam Physiologia. Nec quia aliis aliter apparent, cum sit scientia de sensibilibus. Nam & hoc scimus, quod aliis aliter apparent; & quia sunt scimus, licet non omninò Quid. Et dubitamus, vtrum prout nobis aut aliis aut brutis. Sed omnibus pensiculatis, multas de illis propositiones veras formamus: etenim plures sensationes sanè faciunt memoriam, & ex multis memoriis experimentum vnum: experimenta verò multa principium artis constituunt: & corrigunt sensationes falsas ægrotorum, somniantium, & imperitorum: veráque stabiliunt. Hæc dubitatio imperfectionem scientiæ humanæ ostendit, non autem nihilitatem, vt in Metaph.


Ad tertium, nego, scientiam esse eorum duntaxat, quæ non possunt aliter se habere; nam est omnium, quæ sciuntur prout sunt; & cum mutantur scimus eas mutari, & cum non mutantur, non mutari, ergo prout sunt: & licet post formatam propositionem, mutentur; immò & cum formatur, tamen & hoc scimus; nec propterea quod affirmamus, illud non est, aut non fuit quando apprehendebamus illud: vide 1. Metaph.

Ad quartum, errat Arist. séque ipsum negat, sic enim contra Platonem ex sensibus non scientiam, sed opinionem modo oriri volentem, ipse demonstrat & scientiam, & opinionem ex sensibus oriri; nam cæcus non potest habere scientiam de coloribus, ergò sensilium & corruptibilium scientiam esse maximè dicere debebat iuxta suam positionem: his enim ignoratis ignorantur, quæ ex his discuntur intellectilia, & vniuersalia. Propter quod enim vnumquodque tale, & illud magis. Verumtamen Platonis argumentum nesciens soluere per distinctionem ex parte obiecti, & ex parte nostri, neque discernere ac determinare, quod scientia est rerum prout sunt, siue æternæ, siue mutabiles, affirmauit esse solum vniuersalium: quorum quidem solum confusa est indistinctáque: immò vniuersalia Aristotelica sunt nihil, aut post intellectionem: mirum *P. an.*
ergo quod vocantur Peripateticis sempiterna, qualia sunt vniuersalia Platonica, id est, ideæ, essentiæ nimirum primæ; oblitus quod dixerat, primas substantias esse indiuidua, quibus sublatis impossibile est vniuersalia, aut aliquid aliud remanere. Quod autem *De Prædic.*
indiuiduorum & fortuitorum, & sensilium sit scientia, & definitio, non modò intellectibus separatis, sed etiam nostris in Metaph. probatum est, & res ipsa indicat, quoniam de Sole hoc, de Mari hoc, de Luna, de Petro, Paulo, Apostolis, & de hac scriptura habemus scientiam directam, vt Scotus, & Durandus, & Aug. & D. Thom. suprà allegatus fatentur; quoniam vniuersale non potest cognosci, nisi ex inductione singularium, ergo singularia prius & magis noscuntur ab eadem facultate intellectiua, non enim alia facultas facit præmissas & alia conclusionem: nam essent sicut ego & tu, vt etiam ait Arist. dum probat sensum communem esse idem cum particulari. Et rursus Arist. docens, quomodo intellectus cognoscit vniuersale, respondet, quia cognoscit ex *1. Met.*

singularibus: prænotis: idem enim sensus cognoscit hominem & Calliam hominem, item in primo Metaph. ex sensibus memorias, ex memoriis experimentum, ex experimentis verò plurimis vniuersalem propositionem, & ideò magis credendum experto artifici, quàm artifici non experto.

DE SVBIECTO.

Ad quintum resp. subiectum Physiologiæ esse res naturales: nec opiniones aliorum aliud assignare, licet non formaliter, sed tamen realiter idem. Siquidem Auertoës res sensibiles asserat: Albertus corpus mobile; Diuus Thom. ens, aliquãdo corpus, aliquãdo rem mobilem, alij ens naturale, alij corpus naturale. Et cũ ait D. Tho. natura est principium motus, Physica est de rebus naturalibus, ergo de Ente mobili. Nam de Anima, de Angelis, & de Deo non tractat per se, nisi quatenus naturalibus miscentur, & sensibus, vt principiũ, aut causa mouens, aut informans, aut assistens, ergo per accidens de illis sermocinatur Physiologus. Porrò (dices) ratio formalis, qua tractãtur Physiologica, est naturalitas. Quot modis dicatur natura, in Logica, in Metaph. & infrà apparet, quoniam in Physica sumitur pro natiuitate, pro loco natiuitatis, pro re nascente, ergo pro mutabili & mobili, at pro essentia in Metaph. sed quoniam ens excedit Physica; & ly naturale, seu mobile, à longè contrahit ens, sicuti si dicas substantia rationalis pro animali rationali: propterea rectius ponitur pro subiecto res naturalis; quoniam res non est transcendens, sed subtranscendens, vt in Logica: siquidem de ente reali solum dicitur res: at contracta ad naturale, quod videlicet nascitur, oritur, mutatur: non ad sensibile, vt dicit Auertoës, quoniam ly sensibile est extrinsecæ determinationis, differentia accidentalis, & minor objecto Physiologiæ, in qua multa tractantur, quæ non sentiuntur, nisi ratiocinio sensato tantùm, vt sympathia, & antipathia, &c. Cõrestantur nobis Philosopi magni Timeus, & Plato, Telesius, & Lucretius: qui codicibus Physiologiam continentibus, titulum posuerunt de Rerum Natura. Titulus autem subiectum indicat. Præterea illud est obiectum, quod per se consideratur, cætera verò in ordine ad illud: sed quod consideratur principaliter est res naturalis; cætera verò in ordine ad illam: vt de Deo, de Anima, &c. non quidem de Dei quidditate, sed quatenus est principium, & causa naturalium, similiter de Anima, vt corpus habitat, regit, informat, de sensu autem vt naturalis est. Præterea illud est scientiæ subiectum, cuius principia partes & passiones in scientia tractantur. At in Physiol. tractantur principia, causæ, partes, & passiones, & mutationes omnes rerum naturalium, ergo, &c. Item tractantur omnia sub ratione naturæ. Item hoc subiectum non excedit, neque exceditur à Physiologia, ergo verè est subiectum illius.



QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum rectè à Deo originem Physicarum rerum auspicati sumus.

ARTIC. I.

1 IDETVR quod non. Principium doctrinæ habet esse notissimum: nihil autem ignotius Deo incomprehensibili, & infinito.

2 Tractare de Deo, an sit, & quod sit pertinet ad Metaphysicum, & ad Theologum: impertinenter ergò hæc eius consideratio admiscetur.

3 Aristoteles exorditur Physiologiam ex materia, & forma, & priuatione. Telesius verò ex Cœlo, & terra constitutis à calore, & frigore, & corporea mole, & omnes Physiologi ex Physicis principiis: ergo nos transgressi sumus rationis leges.

SED Contra est Moyses, cuius Physiologiam imitatur Christianus, & Doctores Ethnici; qui cum Legislationem scribere statueret, & Physicarum rerum originem, in quibus superædificantur morales, præmitteret, à primo Principio incepit, dicens. *In principio creauit Deus Cœlum & terram.* Eodemque ordine vsi sunt Anaxagoras Timeus, & Plato physiologiam. *Gen. 1.*

Præterea clarum est res Physicas à Deo emanasse: qui ergò de eis considerat omittendo originem earum, imperfectam tradit doctrinam. Nam & Creatio est productio entis, & totius: generatio verò Physica est transmutatio entis, & productio partis, & imitans creationem. Ignorato autem ente, & toto, & imitato, ignoratur hoc, & pars, & imitans. Item cum passim in rerum productione appareant mirifica opera, & constructio, & ordo; quæ à Physicis elementis stupidis non intelligitur, neque eorum gratia pugnatur: necessariò est præmittenda notitia primæ causæ, vt quo pacto elementata eiusdem prouidentia ex imprudentibus elementis fiant, innotescat Physico. Quicunque autem casu res fieri putant, vel semper fuisse, & tantummodo transmutari casu quodam, à Deo prouidente, & regente non exordiuntur. Nobis autem visum est, prætermisso primo principio nihil aptè posse explicari, & totus iste liber est probatio ab effectibus non conuenientibus, nisi causæ intellectuali, quod præter elementa Deus causa maxima sit, & regat, & nutu eius cuncta operantur, & fiunt.

Ad primum argumentum ergo Respondeo: quod nos non consideramus de Deo in hoc opere secundum quod est infinitus, & incomprehensibilis: sic enim tractatur in Metaphysica, & in Theologia: Neque disputamus an sit, sed præsupponimus Deum esse mundi conditorem, & rectorem. Omnis enim scientia sub Metaphysica præsupponit sua principia. Secundùm verò quod Deus est causa principalis rerum Physicarum, notissimum est, vt ait Trismegistus, quod nulla res, licèt paruula non maximè Deum manifestat. Vide constructionem, & vsum, & operationes formicę vel solius, & Deum esse exclamabis cum Galeno. *Gal. de vsu part. lib. 17.*

Ad secundum Respondeo, quod hic non tractatur de Deo ex intentione, sed ex occasione naturalium, vt est princeps naturæ. In superioribus verò scientiis ex intentione, vt dicit Richardus.

Ad tertium Respondeo, quod Aristoteles credit mundum semper fuisse, qualis nunc est, ab æterno, neque à Deo factum: idcircò de Deo sermonem posthabuit: & solum motorem cœli primi esse ex motu arguit. Telesius verò humiliter philosophatus, præsupponit Solem, & Terram à Deo creatam, & creationem Theologis relinquit, vt ipse dicit. Plato autem, & Anaxagoras, qui Mundum esse factum ex Chaos putant, Deum factorem introducunt: sic Timeus, & alij. Sed Parmenides Amorem esse principium putat; quoniam omnia agunt, & fiunt impulsu Amoris. Empedocles addit odium: sed ruditer, quoniam odium est Amoris vmbra. Anaxagoras intellectum præficit, tacendo Amorem. Sed quia intellectus nolens non agit; neque Amor insceius, impotensque agit, neque intellectus impotens: Nos Amorem, Sapientiam, & Potentiam præfecimus in Metaphysica, & Deum vnum esse hæc docuimus. Hic verò præsupponimus.

Vtrum Mundus incœperit; & quomodo; & à quo.

ART. II.

VIdetur Ocello, eumque secuto Aristoteli, & sequacibus, Mundus esse æternus, nec incepisse aliquando, neque interiturus esse. Probari potest opinio.

Primò, quoniam vel Mundus casu quodam incœpit ex atomorum iactatione, & complicatione varia in vacuo, vt dicit Democritus, & hoc est falsum: quoniam admirabilis constructio Mundi, & partium illius, & animalium, & vsus, & connexio indicant artem, & præstantissimam. Neque casu ex iactatis literis potest Æneida Virgilij

fieri, neque gladius ex ferro spontè; si autem ars in nobis est, & non ex nihilo: ergò ab artifice Mundi, & nostro. Vel Mundus incœpit, & hoc falsum; quoniam vel ex nihilo; & hoc impossibile. Videmus enim cuncta ex aliquo ente materiali fieri: neque Deus immaterialis materiam facere potuisset. Vel factus est sæpè ex ruinis alterius Mundi, vt generata ex corruptis videmus fieri: sicut Empedocles docet. Et hoc falsum est. Nam vel casu ita fit; & hoc impossibile, vt probatum est: vel à Deo, vt videtur Origenes sentire. & hoc irrationabile: quoniam quæ bona Deus facit, non destruit, nisi seipsum emendet. Vel ob fines alios ignotos nobis, fingamus hæc ita euenire, vt fingit opinando Origenes propter Angelorum variabilitatem: & Valentinus secula triginta fingit: & hæc, cum à Deo non sint reuelata, opinione stulta finguntur. Vel factus est ex Chaos, vt Anaxagoras opinatur; & tunc quæro, cur in Chaos tempore infinito torpescebant entia? Et cur Deus accessit ad rerum productionem tunc, & non prius? & quid mouit Deum immobilem ad hoc? Et vtrum prius nesciebat, vt fingunt stulti Talmutistæ, ex que multis formis à se factis didicit tandem rectam mundi formam; quod impium est, fallúmque? vel non poterat? & hoc falsius: non enim datur ratio cur nunc potuit, & non prius. Vel nolebat, & inuidebat rebus entitatem? & hoc irrationabilius de Deo dicitur. Item cur nunc, & non prius? Et cur Deus otiosus? Et Chaos otiosum?

Vide hoc arg. in 3. p. Meta.

2. Motus est æternus, ergo Mundus æternus, ait Aristoteles, quoniam Motus est actus mobilis. Si ergò Mundus factus est per motum, præfuit mobile. Et si illud est factum, ergò per motum. Ergò per actum mobilis præcedentis: & sic semper datur motus ante motum, & nullus primus, quo factum sit mobile seu materia.

3. Actus est prior potentia. Ergò Motus quiete: & esse, quam posse.

4. Si Motus non fuit. Ergo neque motor. Ergò neque Deus, ait in 12. Metaph.

5. Si Mundus factus est. Ergò in tempore; sed non datur principium temporis, quoniam omne instans est principium futuri, & finis præteriti. Ergò neque principium Mundi. Item ante illud principum temporis esset tempus, quoniam Ante, & Post sunt differentiæ temporis; & sic in infinitum. Si autem quis dicat factum esse in instanti æternitatis, cum ibi sit vnum tantùm instans, erit æternus Mundus.

6. Cælum, & sidera nunquam mutasse ordinem, & situm, & motus tenorem per quinque millia annorum Caldæi obseruarunt, Teste Calisthene ad Aristotelem in primo de Cœlo. Et Plinius, & Cicero multa milliaria annorum addunt, quibus Mundus semper similis fuit sibi. Ergò semper fuit, & erit qualis, quantúsque, & quomodo est. Item ait Ocellus, sibi Mundus est Medicus, & medela, quoniam omnis corruptio est generatio, & non est locus intus aut extra vbi corruat, vel morbus quo deficiat; nec lis, quæ non reddat ablatas partes ipsis elementis.

SED Contra habetur in 2. Machab. 7. *Vt aspicias ad cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.* Et Moyses ait, *In principio creauit Deus cælum & terram.* Et quidem cum non posset Mundus compositus ex contrariis à seipso in ordinem mirabilem deuenisse: neque regi; & partes componentes præsertim si diuersæ & contrariæ, semper præcedant tempore ipsum compositum; necesse est aliquando incepisse Mundum à longè potentissimo artifice, qui cohibere posset elementa; & longè sapientissimo, qui sciret construere; & longè optimo, qui vellet. Et cum moles rerum, & Chaos non potuerint æterna esse, vt argumenta probant, & nos in 3. p. Metaph. contra Hermog. & alios ostendimus; ex nihilo facta esse omnia oportet. Et hoc rationabile est, quoniam vnumquodque fit ex eo, quod ipsum non est, vt ignis ex ligno, quod non est ignis. Ergò totum ens ex toto non ente simpliciter. Sed Physiologi partialem, & non vniuersalem productionē considerantes, putant ex nihilo fieri nihil, etiam ab Autore totius; quod Axioma implicat contradictionem: qui enim facit totum, non præsupponit partem; neque ergò Materiam. Secundi verò artifices imitantur ipsum, quando faciunt hoc ens, non autem ens. Vt patet in Metaph. neque ex non ente, sed ex hoc non ente faciunt. Hinc sequitur quod Mundus ex nihilo factus fuisse non potuit ab æterno, vt probat S. Athan. contra Arium & Iustinus. Præcessit enim nihil ante esse Mundi, ergo non fuit factus ab æterno: Repu-

gnat

gnat enim habere principium substantialiter distinctum à se, & æternum esse; vti patres probant contra Arium.

Ad primam rationem respondetur, quod facta sunt omnia à Deo, & ex nihilo, & & perseuerant in perpetuum, sed sub aliis figuris & modis, & non sub alia substantiâ: vt testatur Salomon: & potius de partibus, quam de toto innouatio creditur propter finem, ad quem Deus cuncta ordinauit.

Cum ait, ex nihilo nihil fit, verum est ab agente partiali, non à totali.

Cum ait, quod immateriale agens, materiam non producit: negamus; quoniam materia est ens, & sic à primo ente, vt verò est nonens, & patiens entia, ex nihilo arguit ortum suum per primum ens.

Ad secundum negatur, quod motus sit æternus: probatio quoque petit principium; quoniam non omnis motus est actus mobilis, nisi qui est passio: creatio verò est simplex emanatio rerum à Deo nobis ignota; ex analogia tamen eorum, quæ fiunt ex eo, quod non sunt, illucescens. Item motus est actus entis mobilis, non vt ens; sed vt nonens: mouetur enim vt fiat, vel acquirat quod non est, & non habet. Igitur creatio est ex nihilo ad ens simpliciter.

Ad tertium dicimus, quod actus substantialis, qualis est Deus, prior est quacunque potentia; non autem actus accidentalis ex ente, & nonente compositus, qualis est motus accidens enti, quo sumpto pro passione melior est quies: sed hoc in Metaph. examinatum est.

Ad quartum negatur consequentia: motus enim indicat motorem actu mouere, non autem esse, neque non esse, si motus non sit, sed actu non mouere. Neque ponimus Deum motorem orbium mechanicè, sed imperiosè; vt patet in Metaph. Potest quoque à se cælum moueri; & Deus esse magis experientia noscitur ex mundi productione, quàm ex æternitate, effectus enim factorem indicat, teste D. Thoma ibidem.

Ad quintum Resp. Quod factus est in principio temporis: tempus autem non est numerus motus, nisi secundum vsum numerantis animæ nostræ. Sed est successio rerum. Quando ergò esse successit ad non esse, fuit origo temporis.

Neque datur ante, nisi imaginarium.

Neque omne ante est temporis pars, sed potest æternitas indicari. Vide quid S. Iustinus huic argumento respondet. Quod autem non sit factus in æternitate consentimus: sed qui Aristotelizant, non possunt euadere hoc argumentum; quoniam tempus illis est affectio motus, qui sequitur post mobilis productionem. Ergò mobile prius factus est à Deo in non tempore, sed in æternitate, quod falsum est.

Hic nota, quòd cùm quærit Aristoteles, cur Deus non ante fecerit mundum, Resp. quod potuit, & sciuit, at noluit vt fieret, nisi in principio temporis, vt melius autor innotesceret, cuius virtute sumus. Nec ante fuit tempus. Neque quia latet consilium Dei, cur fecerit mundum, quando factus est, non factum arbitrari licet, contra dogmata Physiologiæ rectæ, & sanctorum, ait Telesius. Neque torpuit, aut inscius fuit, vt alij impij opinantur: sed quoniam operatio eius interna est fælicitas eius, vt patet in Metaph. Actio autem exterior ex eius fælicitate emanat, non propter eius indigentiam, sed rerum, vt agnoscatur quia sine his est Deus, & beatus. Hæc tamen quæstio in Metaph. absoluenda manet. Præterea otiosus est qui non facit quod debet, aut sibi vtile est, aut cùm vocatur ad opus. Sed Deus non debebat, neque indigebat, sicut ædificator ædificare, nec vocabatur à materia nec à chaos, ergo otiosus non fuit.

Ad sextum Resp. Quod cælum, & sidera mutasse situm docent æquinoctiorum anticipatio, & solstitiorum; & obliquitatis constrictio, & excentricitatum abbreuiatio, & anomalia exorbitantiarum cæli; quæ Aristoteli ignota fuerant, licèt Plato in Ciuili, & in Timæo eas comprobarit vt veras, & mundi, & sæculorum vicissitudines intellexerit inde; & rectè arbitratur mundum non interiturum, sed renouatum iri per ignem, vt Sybillæ & Physiologi ex ignis exuberantia, & potestate argumentati sunt, & oracula Dei reuelant.

Rationes Ocelli nullæ sunt: quoniam videmus Solem, & planetas terræ propiores fieri plusquam centum & decem millibus milliaribus ex Christo vsque ad nos,

vt probatur ex obseruationibus Timocharis, Hipparchi, Menelai, Ptolomei, Albategni, Prophatij, Copernici, & Thyconis, qui etiam reluctando confitetur hanc postremam veritatem; & hi in variis seculis varietatem paulatim obseruarunt. Cum ergo cælum sit terra robustius, & sidera terrestribus; facile est, vt quod ait Apostolus Petrus, terra & opera, quæ in ea sunt, exurantur nutu Dei, hanc machinam regentis, & ad renouationem inuitantis. Locus autem mundi huius erit & renouationis, sed hæc arcana Deo relinquamus: in Metaph. vt potuimus, discussimus.

Vtrum in rerum productionibus misceatur actio diuina; & ritè à nobis ponatur Autor constructionis rerum, ordinisque & finis earum Deus.

ARTIC. III.

1. NON videtur Aristoteli rectè factum, quod Deus in Physiologia introducatur, vt facit Anaxagoras; quoniam videmur tragediam componere, & vbi nescimus soluere nodum, introducimus numen, vt faciunt Poëtæ, ita dixit in p. Metaph.

2. Melius est, ait in 12. Metaph. aliqua vilia non videre, neque curare vt stercora, pulices, &c. Ergò vilescere oculus Dei. Non ergò intelligit nisi seipsum, ne moueatur, & patiatur à vilioribus se se: & Aphrod. ait, Stoïcos qui Deum in rebus operantem ponunt, contaminare diuinitatem, sicuti figulum tractantem lutum.

3. Multa videmus casu, & fortuna fieri; & mala plura, quam bona; hæc autem non eueniunt in regno sapientis. Ergò Deus sapientissimus mortalia no curat, ait Epicurus, & ex parte Arist. qui ad sublunaria curam Dei non extendit in 12. Metaph.

4. Dum introducimus Deum iubentem elementis, & rerum minutias prouidentem: impietatem sapimus, quoniam nescimus nos, an Deus ità hæc prouideat, & arrogamus nobis consilium Dei, cum Prophetæ non simus, sicut Moyses, qui introducit Deum factorem singulorum, quia ita reuelatum illi est: possumus quoque errare, & errores inseminare.

SED Contra est authoritas sanctorum sapientissimorum, qui cum de alicuius rei natura loquuntur, Deum faciunt autorem, & præcipuè in arduis, & in suis dialogis, homiliis introducunt Deum & Angelos loquentes, & vbi reuelatione non vtuntur, sed dogmate Mosaïco, qui Deum ad singulorum productionem introducit: sine ipso enim fieri potest nihil: & hoc rectè se habet, quoniam prima causa prius, & plus, & magis influit in effectum, quam secundæ, vt ait Autor libri de causis. Quapropter rectius introducitur ipsa, sicuti cum quis petit, quis fecerit hanc scripturam, rectius respondebitur, quod Mens Thomæ Campanellæ propter explicandas Physicas veritates, ipsam fecerit, quam si dicat ex penna, & atramento, & pagina ductu manus confectam esse. Physici ergò non dicunt causam principem, sed instrumentales. Idcircò sæpè errant, vel occultam dimittunt narrationem. Quod agnoscentes Plato, & Anaxag. propter hoc in Phedone laudatus à Socrate, ad primam causam recurrunt. Ergò dum Physicè loquor, primam causam, vbi Physicæ causæ non valent, rectè adduco, indicando prouidentiam, & sapientiam, quæ res per elementa fieri curat, & propter fines ab elementis non intellectos. Ignis enim ignem facere, Tellus tellurem intendunt: & dum pro hoc pugnant, efficiunt plantas, animalia, pluuias, & cætera entia alicuius artificis ea regulantis ad id, quod nolunt, vi: sicut faber, igne vtitur ad gladium faciendum ignotum igni. Trunca ergò, ac manca est Physiologia Aristotelica, Deum excludens, & Angelos eiusdem prouidentiæ executores.

Ad primum Resp. Quod Tragici rerum naturam imitantes rectè introducunt numina in arduis: nos autem in omnibus, quæ elementis sunt impossibilia, nisi ab Autore Deo regulentur. Aristoteles ridens, ridiculus est.

Ad secundum stultè loquitur, quoniam Artifex inuentor opificij non capit scientiam

ab opificio, sed dat; ita Deus inuentor est, non imitator rerum. Idcircò à rebus non capit scientiam, sed dat, & scit res, dum seipsum à rebus imitatum scit. Quot enim modis Deus est imitabilis, & participabilis, tot rerum ideæ sunt. Aristoteles ergò errat, quoniam ideas non nouit, & fictas esse putat, quia negat creationem, & quia non intelligit scientiam magistri esse aliam, à scientia discipuli.

Item dicimus nihil esse malum & vile, nisi respectiuè, non essentialiter; nec si Deus inferiora respiceret, hinc vilesceret: non enim est partialis entitas, cui aliæ sint noxiæ, & despectæ: sed totum & vniuersale ens, cuius omnia sunt participationes. Et si non vilescit stercus vermi in stercore nato, multò minus Deo. Vide Metaph. p. 2.

Item artifex sapiens & magna simul & parua curat, ait Plato. Ignarus verò, & indoctus vix ingentia tuetur. Sed de hoc in Metaph. Aphrod. aliquid diceret si nos poneremus Deum animam mundi corporatam & informantem: At nos ponimus abstractum & immistum, vt dominetur, non vt patiatur, aut compatiatur, vt rectè dixit Anaxag.

Ad tertium dicimus nullum esse malum ens in mundo essentialiter, sed respectiuè, vt ignis est malus aquæ, non autem secundum sui naturam, & totius mundi, & Dei. Mala autem moralia vetantur à Deo moraliter in omni lege: sed Physicè permittuntur à Deo, non fiunt vt mala sunt, & hoc propter maius bonum, vt in Metaph. docuimus. Monstra & casus sunt respectu causarum particularium, non vniuersalis; cui nihil est impræmeditatum: ergò nec à casu: & hæc facit, vel permittit propter melius, vt corruptionem propter generationem. Et hæc cessabunt in reformatione, vel completione sæculorum.

Ad quartum non possumus errare dum Deum causam præficimus in cunctis rebus: neque Consilium eius latet in effectu expressum, & hoc nos explicauimus, non quæ expressa non sunt. Et Trismegistus, nullam esse rem paruulam, quæ Deum non maximè manifestet, rectè inspicienti, admonet. Nos autem Moysem, & Prophetas duces sequimur, & rerum naturam enarrantem gloriam Dei, teste Dauid. Possumus errare circà modum, sed non circa res: Sed error noster est in explicatione materiæ, non in dogmate, quod Deus ista fecerit, & Moyses loquens crasso populo, crasso stylo multa prosequitur; teste Chrysostomo: si autem licuit Timeo Platoni, & Anaxagoræ, & Theologis, & Poëtis introducere Numen, nobis hoc minimè negandum est ad pietatem in Physiologia propinandum: cum & verum sit.

Vtrùm rectè, & non contra Moysis ordinem rerum productionem explicauerimus.

ART. IIII

Videtur, quod non. Nos enim narramus Deum post immensa gaudia sua ad manifestandam gloriam suam voluisse facere mundum quasi statuam suam; & primò fecisse locum in quo fabricandus erat, deinde materiam ex qua, deinde actiuas causas calorem, & frigus; quæ pugnando pro regno quæque suo in materia, discerpentes eam, constituerunt duo prima corpora, cælum & terram penitus contraria. Quæ sunt duo elementa secundorum entium. Ac deinde luminaria, & sidera facta esse ex vnione caloris, vt terram vnitam oppugnarent. Quam variis viis aggredientes varios edunt motus obliquos in cœlo; & ex terra immutata nō prorsus in cælum versa, efficiunt plantas, lapides, metalla, & animalia, & liquores, & vapores, & quæ ex his generantur. Moyses verò dicit Deum primò fecisse cælum & terram: deinde lucem, quam à tenebris separauit: deinde firmamentum diuidens aquas ab aquis: deinde aquarum congregationes, quod est mare: & deinde iussit terram germinare herbas, & plantas; & deinde luminaria & stellas: deinde pisces, & volatilia; deinde animalia terrestia

& deinde hominem in sexto die. Nam in sex diebus operatum esse, & in septimo quieuisse, narrat. Hic autem modus, & ordo nostro ordini dissonat, vt patet.

2. Vt Theologi multi docent, Deus creauit quatuor elementa, & quidem mare nominatur à Moyse, vt deinde ex his entia secunda. Nos autem duo posuimus elementa; at Mare secundum ens.


3. Docet Augustinus ex Ecclesiastico Deum creasse omnia simul. Ergò non prius locum, deinde materiam, deinde elementa, & mox elementata, vt nos narrauimus.

SED Contra est S. Ambrosius epist. 31. nostrum ordinem in Mundi exordio declarando tenens: Item sanctus Basilius, & Chrysostomus, & Augustinus, & Origenes, & Thom. qui putant, Moysem crasso stylo creationis seriem aperuisse, quoniam crasso populo loquebatur, nec omnia omnimodè declarasse, sed ea tantum & eo modo, quæ & quo capere potuissent. At Augustinus putat Deum omnia fecisse in instanti: dies autem septem refert ad dies Angelicos, & ad seriem actionis, non temporis; cæteri verò Patres ad dies veros, & temporales. Nec habent pro inconuenienti, quòd Deus infinitus virtute, agat paulatim, quoniam est agens liberum, & non necessarium; & agit vti vult, non vti potest; & prout rerum congruit naturæ, non conditori. Congruebat autem, vt quæ per tempora multiplicanda essent, in sui creatione modum suæ propagationis imbiberent. Præterea triplex est ordo, temporis, naturæ, & rationis; & quilibet istorum potest Creationi adaptari. Moyses quidem tacuit locum, & materiam primam, quoniam præintelliguntur philosophicè: Vulgariter autem neque intelliguntur, vt D. Thomas notat. Palam autem est speculantibus, quod locus præcedit locatum; & quod materia vel natura præcedit materialia. Item S. Ambrosius Epist. 31. Originem Mundi in vacuo similiter celebrat, vti nos. Quod autem elementa præcedant elementata etiam tempore, vulgò scitur: Idcircò à cœli & terræ, primorum elementorum, creatione incœpit: deinde dixit factam esse lucem, quoniam calor cœli constitutiuus non comparebat dispersus: & vnitus est, Deo iubente, vt compareret; sicut S. Gregorius Nyssenus etiam docet, ex collecto calore factam esse. Lux enim, caloris est apparentia, vt ostendimus. Orta autem luce, tenebras in oppositam mundi partem secessisse, necesse erat. Et hæc est diuisio diei, & & noctis. Firmamentum autem diuidens aquas ab aquis nobis est aër, & Basilio; quoniam est crassior, firmiórque Cœli pars. Et cum terra exsudaret, & aëris nubes concrescerent, aquarum facta est duplex generatio, videlicet super firmamentum, & subter, nisi cum Pythagoræis intra stellas, aquas, & terras etiam ponas; quod placuit D. Thomæ Empedoclem citanti. Cúmque terra exusta erumpentibus vaporibus in montes eleuaretur, & in valles subsideret, facta est aquarum congregatio. Et hoc nos similiter docuimus per seriem, & terram germinare cœpisse non diximus, sed in alium doctrinæ ordinem, non tamen repugnantem, sed eundem huic posuimus. Deinde ordine naturæ, sicut Moyses, produximus luminaria & stellas lucem conglobantes, & subtiliori, non veriori philosophia expressimus. Cæterorum entium elementatorum ordinem iuxta Moysem prosecuti sumus, sed philosophicè, non vulgariter explicantes. Quapropter ista philosophia naturæ consona, Moysi maximè concors est; vt videas nos à natura edoctos, Moysen verò ab autore eiusdem naturæ simili ratione physiologiam exarasse. Et sic patet responsio ad primum.

Ad secundum, Moysem Cœlum, & terram ex nihilo creata docere, tanquam prima Mundi corpora, vt docet S. Basilius, & Lactantius, ex quibus secunda fiant: Aquam verò ex his manantem, tanquam vrinam ex vtero, vt dicit Iob, descripsisse; & nunquam in scripturis quatuor elementa posita esse, sed duo tantum. Theologos verò illos qui philosophati sunt ex dictis philosophorum conatos esse quatuor elementorum creationem Moysi adaptare: sed tamen dogma eos non conficere, sed opinionem. Melius verò Basilius, Nyss. & Lactan. duo faciunt elementa, & tota scriptura Dei sic cõsentit. Non negamus mare factum à Deo, sed non primò primum, vti cælum, & terram, sed secundo, & tanquam ex his. Cum dicit, *Creauit in principio Deus cælum & terram*, prima corpora elementa vocata comprehendit primo communia: secunda corpora secundò; quia in his sicut in causis erant, & apposita sunt tanquam ornatus eorum. Ergò

cœlum & terra, sunt prima elementa, cætera verò ipsorum sunt ornamenta & illa creata: hæc facta ex eis à Deo, & concreata, vt Augustinus notat Chrysostom. & alij Patres.

Ad tertium dicimus, Deum creasse omnia simul, hoc est in cœli & terræ creatione, vt Patres docent; vel simul tempore, non natura, & ratione, vt docet August. Nos quidem omnia narrauimus per analogiam ad artifices humanos, & naturales: vnde primus opifex innotescit nobis. In his verò, quæ de eo occulta sunt sensui, credere oportet eis, quibus reuelata sunt, sicut Rusticus debet Astrologo credere de Eeclipsibus narranti, & qui non affuit pugnæ, nuntio venienti de pugna: alioquin omnis historia, & scientia periret: vide p. q. art. 4. complementum huius mirificum.



QVÆST. III.

DE CAVSIS.

Vtrum sint quatuor genera causarum, vt ponit Aristot. an quinque vt Plato; an sex vti Nos: an duo sicut Seneca.

ART. I.

1 VIDENTVR quidem esse quatuor. Nam causa est id, ad quam sequitur effectus, & sine qua effectus sequi non potest. Sed quatuor sunt ad quæ sequitur, & sine quibus non potest fieri, vt Aristoteles ait 2. Phys. videlicet Materia de qua fit, vt de ære statuam. Ex nihilo enim nihil fit. Agens à quo fit, vt artifex statuarius: Non enim potest de se fieri statua, nec ens naturale vllum. Item forma qua fit, & essentiatur. Non enim est statua absque forma statuæ. Item finis cuius gratia fit, id est laus Cæsaris, & memoria.

2. Plato autem in Timeo, & S. Augustinus lib. 83. quæst. & sanctus Iustinus in Trifone addunt Ideam. Non enim agens agit propter finem, nisi Ideam finis, & rei faciendæ præconcipiat. Alioquin non magis statuam, quàm tripodem sine idea faceret.

3. Nos addimus Perfectionem. Cum enim propter finem res fiant, nisi perfectionem habeant, quæ fini requiritur, non erit consecutio finis. Non enim habitatur domus post formam domus, nisi perficiatur, & ornetur.

4. Seneca Epist. 62. vnam ponit causam, quam vocat Rationem, seu Deum, cæteras non vocat causas. Nam si causa est sine qua effectus esse non potest, oporteret etiam tempus, & locum & motum esse causas: sine his enim non efficitur. Si causa est id quod verè causat, tunc solus Deus quem vocat Rationem & Sapientiam, est causa. Materia enim est, in qua effectus fit; forma quod fit, vt pars effectus, finis est propositum agentis Rationis, Idea est eiusdem instrumentum.

5. At Lucretius cum Epicuræis non agnoscit nisi causam materialem: finis enim, effectus est, non causâ: prius enim fuit bellum; & deinde factus est gladius propter bellum: Forma autem ex congressu atomorum materialium nascitur. Agens autem nullum est, nisi casus temerarius, quo agitata atoma in formas certas congrediuntur. Idea nulla est, nisi post effectum. Gladius enim accepit ideam post pugnam factam manibus, vnde didicimus gladium facere.

SED Contra, tot sunt genera causarum quot modi sunt causandi & quot causationes distinctæ. Sed sex sunt modi & causationes distinctæ: siquidem in Metaph. probatum est, causam esse id vnde aliquid fit: Principiũ vnde aliquid est: Primalitatẽ vnde

ens essentiatur: ex essentiâ autem essentiata primalitatibus 3. Potestate essendi, Sapientia essendi, & Amore essendi, dum respicit ad extrà, deriuantur principia tria, seu virtutes dicas, seu facultates, videlicet potestatiuum, cognoscitiuum, & volitiuum: quorum quodlibet causandi modos habet duos non plures nec pauciores. Ex Potestatiuo enim ad faciendum, & causandum extenso, suboriuntur Actiua causa intus, & Passiua extrà, quæ dicitur materia, ex cognoscitiuo Idea intus, & forma extra: Ex volitiuo, Finalis intus, & Perfectionalis extrà. Causa igitur vnde fit aliquid, distinguitur in sex causalitatum rationes constitutas per à quo fit, de quo fit, ad quod fit, quo fit, cuius gratia fit: & secundum quam per fit: quod iterum patet quoniam sine his sex, effectus Physicus perfectus vt oportet haberi non potest.

Occasio autem est motiuum causæ ad causandum: vt raptus Helenæ mouit Græcos ad causandum bellum Troianum. Conditio verò est applicatio causæ ad causandum, si enim ignis stuppæ non approximatur, non comburit. Præterea causarum proximarum compendium decisarum ad faciendum aliud numero ens, vocatur semen. Est enim causa remotissima vt Deus, remota vt cælum, propinqua vt elementa mas, & fœmina: proxima, seu propinquissima semen in quo sunt causæ decisæ in compendium.

Ad primum & secundum benè probat Aristoteles, & melius Plato, si enim propterea Aristoteles tollit ideam, quoniam concurrit cum agente, debet & finem tollere, quia omne agens propter se agit, vt finem suarum operationum: & finis agit, vt est in intentione agentis non vt extra, sicut probat Lucretius. Præterea sine idea res nulla fit magis ipsa, quam non ipsa. Qui enim non habet ideam tetragoni delineando non magis tetragonum facit quam alias figuras.

Ad 3. rectè posuimus Perfectionalem, vt effectus perficiatur. Finis enim non est effectus perfectio: sed agentis conseruatio, vel lucrum, vel gloria, vel vsus. Perfectio autem est quo vsus rei exerceri potest, vnde etiam ornatus ad perfectionem spectat: quod si obest, falsus est, vt coclear aureum, vitreaque fastigiatio.


Ad 4. non rectè Seneca arguit. Tempus enim & locus pertinent ad existentiam, non ad entitatem effectus, & non omnis effectus, nisi corporei: similiter motus pertinet ad actum, & conditionem causandi, non ad virtutem causatiuam: multa etiam causantur sine motu, & sine instrumento: causa autem est sine qua effectus per se non est id quod est, & ad quod est. Præterea causa etiam adiuuans & consilians, & instrumenta posita ab Auic. & aliis non sunt veræ causæ, sed pars causæ, & occasiones, & facilitationes, vt ita dicam. Nam sine his multi effectus causantur in essentiam & existentiam & vsum, propter quem fiunt: imò hæc sunt propter imbecillitatem agentis. Deus enim absque instrumentis absque consiliatore, & absque adiutore & sine occasione ignis & sol etiam sine instrumento sine consultore, & sine adiutore, at non sine occasione, & adiumento aliquando, vel quod tollat impedimentum. Verum effectus nullus Physicus causatur absque prædictis sex causis, ita vt sit vtilis ad id cuius gratia fit à natura vel ab arte.

At quidem verum est, quod Deus solus sit causa omnium causarum: nos autem loquimur de causantibus Physicè: in quo necesse est ponere materiam de qua fit; & formam quâ, licèt enim forma sit effectus pars, tamen constituit effectum in esse suo, non enim ferrum absque forma gladij est gladius: causare autem formaliter non est esse prius, sicut agens, & materia: sed determinare materiam ad certum essendi modum scilicet generationis, & rei genitæ, vt aquæ generationis forma est vaporis condensatio, genitæ verò aquæ forma est humiditas: illa modus, quo fit: hæc, quo facta est. Nec finis non fit causa: quia non est nisi post factum esse, cum autem res aliqua non est, causare non potest. Neque causat quando est, quia iam in fine cessat omnis causatio ergo: causat, quia concurrit cum agente, quandoquidem mouet agentem ad agendum: vnde Aristoteli dicitur causa causarum, omnia enim agunt propter bonum, & finem, vt ait Plato. Nos autem dicimus agentem finis ratione præditum agere, vt finis sit causa quando est in intentione, non quando post executionem. Similiter idea non est instrumentum, sed causa dirigens agentem, vt numero, & ordine, & mensura agat. (Sicut finis agentem prædeterminat: & forma materiam.) Si enim scribendorum characterum ideam non habeo

licet intendam agere, A, vt finem scriptionis, non magis facio, A, quando volo scribere, A, quàm alias figuras: imò forma est, quasi effectus ideæ. Vide Metaphys. Instrumentum autem non habet cognitionem effectus de se nec mouet aut dirigit agentem, sed est quid de se immotum quoad talem effectum, mouetur autem ab agente principali, & dirigitur vt actione attingat effectum modo illo ideationis, quo operatur. Et quoniam vnumquodque ens, excepto Deo, est propter opus & vsum. Hoc autem assequi non potest natura, neque Ars, nisi perfectio composito ex materia & forma, addatur, vt palam est, quæ perfectio est de essentia rei existentis vt sic & non est accidentalis sed essentialis ad opus per se, ad quod est compositum. Nec enim homo non perfectus vtitur ratione, licet sit rationalis per formam: nec nauis nauigat licet formam nauis habeat: nec ficus nascens cum forma fici generat ficos naturales nobis nec ex arte comestibiles, ante perfectionem, quæ fit maturitate, & ideò habet causationem aliam à forma. Forma enim materiam facit esse talem: sed Perfectio compositum ad actum talem ac per se, & sicut perfectio accidentalis, vt Grammatica dat esse & actum accidentalem composito: ita perfectio essentialis dat esse ad actum per se: & in omni genere datur accidentale & essentiale.

Ad 5. Valdè errant Epicurei. Casus enim temerarius non facit res tam affabrè elaboratas, nec artificiose animalia, & mundum formare potest, sicut nec cadens atramentum millies posset hanc scripturam formare, nisi ab scriptore ductum artificiosè: nec elementa, quamuis actiua, efformarent animal absque causa dirigente intellectuali; multò minus non actiua, & licet finis sit vltimus in executione, est tamen primus in intentione causatiua, tam naturali, quam artificiali. Oculus enim propter videre est, & pes propter ambulare, non casu & raro sed semper & de industria.

Item si finis est causa agendi artificibus: vt concedit Lucretius; multo ergò magis naturæ, quæ artificiosior est & magistra artis imitantis eam & ante prælium pugnis gestum, fuit in natura intentio pugnandi. Idea autem ablatâ, certus effectus nullus prodiret. Vide 3. p. Metaph.



QVÆSTIO IV.

DE NATVRA.

Vtrum rectè dixerimus, naturam esse diuinam artem, rebus creatis inditam: an Aristoteles, naturam esse motus, & quietis principium, in quo est primum per se, & non secundum accidens.

ARTIC. I.

1\. VIDETVR rectius Aristoteles dixisse. Quoniam quædam fiunt à casu, vt inuentio thesauri in fossione sepulchri: quædam ab arte, vt fabrica domus: quædam à natura, vt plantæ productio: quædam vi, vt lapidis proiectio sursum. Vnumquodque autem à suo fit principio. Cum ergò quæ vi mouentur à principiò extrinseco moueantur, repugnantibus his, quæ mouentur, vel immobilitantur; consequens est, vt natura sit principium motus, & quietis intrinsecum, & primum, ac principale, non instrumentale. Non enim cor est natura, sed vis in eo, & quia medicus sibi ipsi medicatur per principium artis sibi intrinsecæ, excluditur hinc ars, cum dicitur per se. Accidit enim medico sibi medicari. Addit & non secundum accidens, quia albus & musicus per accidens medicantur; vel homo producit monstrum ab intrinseco secundum accidens. Hæc autem dum explicant ipsam natu-

ram quid sit, & à non naturis separant: optima est definitio, & notissima. Nostra autem definitio videtur ad ignotam recurrere causam; & natura quid sit, non dicere, sed vnde sit.

2. Definitio debet dari per essentialia, nostra autem datur per extranea. Ars enim, & Deus sunt extra quidditatem naturæ.

3. Dicere solemus naturam circuli, & syllogismi, & cogitationis, & peccati, & nonentis; & tamen in his non inest Ars à Deo indita.

4. Item simplicia, vt calor, non habent artem intra se, quoniam simplicia non habent intus & extra. Ergò definitio non competit omni definito.

5. Item Democr. & Lucret. scripserunt de rerum natura sine Deo. Ergo natura ait Lucret. si est Dei Ars.

Cur genus horriferum profert natura ferarum?

Lect. 14. SED Contra est S. Thomas in 2. Physic. docens naturam esse rationem artis Dei rebus insertam naturalibus, quâ ducuntur ad suos fines: idemque S. Gregorius Nyssenus in Hexam. Sciendum ergò, quod natura primo vocata est ipsa rei natiuitas, deinde nascentis rei temperies, & complexio, deinde ampliauimus vocabulum ad omnem essentiam, siuè nascatur, siuè æterna sit: deinde ad principiâ esse nascentis, ex quibus conflatur esse rei, vt ad materiam & formam, & elementa, maximè autem de forma intrinseca prædicatur; quoniam ipsa sequitur temperiem: tandem dicta est natura omnis entitas, vt natura Dei, natura syllogismi, natura trianguli, natura numeri ternarii, natura peccatorum; sed quia etiam nonens per ens concipitur, & quatenus concipitur à mente sortitur rationem entis, natura quoque de nonente dicitur, teste Boëtio, vt natura peccati, natura nihili, est tollere ens: & natura cæcitatis, est visum priuare visione: cum tamen non faciat hoc cæcitas, nisi formaliter negatiuè, sed ignis excæcat efficienter; nec per se, nisi per accidens, quatenus oculos in ignem vertere intendit. Quando igitur dicimus naturam esse artem à Deo inditam: sumimus naturam Physicè pro rei essentia: vt Augustino sumitur lib. 2. de motibus Manich. licet analogicè possit ampliari ad omnem naturæ significationem. Nec quidem pro essentia præcisè, sed vt est

Etiam Arist. 1. Phys. c. 9. participatio diuinitatis operans vbique eius operatione, ac imitatione: & quia res omnis eam habet essentiam, quam ab artifice Deo sortitur, non quam ab elementis, nisi instrumentaliter. Deus autem dat posse esse, scire esse, & appetere esse, quod habent: vnde omnis res est. Nam si non potest, aut nescit, aut non amat esse, statim perit, vt in Metaph. probatum est. Deus verò agit non naturâ, & necessariò, sed tanquam artifex liber. Idcircò vis illa rebus indita, quâ sunt, & operantur, vocatur Ars Dei: proficiscitur enim ab idea eius, sic enim sunt, vt Deus res fecit. Et veluti natura gladij, & horologij non est ferrum, neque acumen, neque rotæ: sed illa entitas, & ratio artis, qua construitur in esse gladij, & in esse horologij, vnde ad talem vsum deseruit: sic neque natura plantæ est tellus, & sol, & elementa, sed Ars illa idealis effusa in elementorum concinnationem talem qua constituitur planta, & non aliud ens. Ergò materia, & forma sunt partes naturæ & basis! Elementa verò sunt domicilia, & receptacula naturarum, species autem & forma, totius, non partis, est natura; Ars à Deo rebus indita. Hoc autem patet, quòd planta gignit plantam, homo hominem, ignis ignem; quoniam in eis est ars sibi simile generandi; & sicut ferrarius non facit diploïdem, sed sartor; neque lignarius gladium, sed ferrarius; quoniam ars faciendi gladium non est indita lignario, sed ferrario; sic planta non facit hominem, & olea non facit castaneas, sed oleas: quanta autem industria suos fructus conficiant plantæ, & animalia natos, palam est. Manifestum est iterum hoc, quoniam alia dicimus fieri à violentia, vt lapis sursum, alia ab arte vt scamnum: alia à naturâ vt castanea. Violentia operatur cõtra naturæ appetitũ ab extrinseco: Ars ab extrinseco partim contra, partim non: Deus autem super naturam eminentius & super artẽ: Natura verò ab intus iuxta potentiam, & rationem, & appetitum rei in qua est. At si quæ mouent ab extrinseco, iuuant naturam intrinsecam, vt cum projicio lapidem deorsum, tunc illa dicuntur secundum naturam, non autem naturalia, si verò destruunt, & natura reluctatur, tunc exteriora mouent contra naturam.

Quapropter rectè dictum est naturam esse artem intrinsecam, res ad suos ipsarum fines perducentem:

perducentem: Artem verò humanam esse naturam extrinsecam res ad nostros fines perducentem. Ars enim nostra imitatur Naturam, & est nepos Dei; Natura verò filia. Lanceas enim facit Ars, vt natura spinas: tetia, vt telas aranea: nauigium, vt alati corpus, &c. vestes, vt illa corium, & cortices, &c. Rempub. vt Natura animatum corpus ex pluribus membris ad vsus, proprios, & communes. Est igitur Natura sic Ars Dei participata, vt gladij essentia, est ars hominis participata, quoniam effluit ab anima hominis. Ergò necesse est ponere ideas, tum artis, quam naturæ. Sed idea artis est in natuta, idea naturæ in Deo. Et sicut verus secundum sui naturam est gladius, quando est similis ideæ artificis, quam a natura accepit sic vera est natura plantæ, quando est similis ideæ primi artificis, Dei. Violentia ergo, naturæ est opposita extrinsecùs operans contra innatam potentiam, aut rationem, aut appetitum, aut omnes.

Ad primum Resp. quod Aristoteles perperam naturam definit, tum quia non dicit quid ipsa sit, sed ad quid refertur. Esse enim principium est relatio ad principiatũ. Nihil enim scimus si ipsum principium esse scimus; adhuc enim quærendũ est qualis entitatis sit hoc principium. Neque enim scio, quid est homo per hoc quod est principiũ hominis naturale, & proximum. Tum quia esse principium motus, & quietis non competit omni naturæ, neque enim trianguli natura est principium motus & quietis, neque Angeli. Adde quod Natura cum sit primæ considerationis in Physiologia, & quid diuinum, & mirabile, debet ad cautam primam reuocari, vt innotescat. Aristoteles autem solum efficientiam eius explicat. Vide S. Iustinum quomodo Aristotelem in pluribus de naturæ ratione differentem insuper increpat. Nos autem cum dicimus esse artem participatam, à Deo inditam rebus propter suos fines] eius entitatem, & originem exprimimus. Et primam causam à suo primo effectu exprimimus, & definimus, per causam, & per effectus essentiales, vt ipsam prorsus patefaciamus. Licèt autem quidditas Dei sit ignota; quod tamen sit autor Naturæ per Potentiam, Sapientiam, & Amorem, est notissimum.

Et ad secundum Resp. quod hæc Definitio datur per essentialia, licèt enim ars sit extra Naturam, si respicis ad quod imponitur, & simul ad cognoscendi modum, rectissimè naturæ entitatem per nomen artis analogicè ritè exprimimus. Ars enim est Facultas, & Sapientia & Amor simul, saltem concomitanter. Neque enim facimus, quod non possumus, aut nescimus, aut nolumus. Amor autẽ Sapientia & Potentia sunt proprincipia Metaphysica; & per hæc Natura construitur. Sed quia ipsa est in horizonte inter physiologiam & metaphysiologiam, attingimus quidditatem: sed non prorsus docemus, donec in Metaphysicam ascendamus. Hic autem sufficit declarare ipsam secundum quidditatem, quam in physicis habet. Aristoteles verò, neque in Metaphysica altius sapit de natura, sed solum, quod sit principium motus docet, non autem quid. Ars ergò intrinseca est de quidditate naturæ: & Deus rebus intrinsecus illam dat. Et definitio debet dari per essentialia, & per causas essentiæ, quando est perfecta, vt docuimus in pr. p. Metaphys. lib. 3. contra Aristotelem. Sicut & Theologi definire solent. Item nota ex sancto Augustino, quod sicut Verbum oris habet à verbo mentis vt sit verbum: ita Ars extrinseca habet a Natura, arte intrinseca, vt sit Ars.

Ad tertium dicimus, quod Natura trianguli est habere tres; & in hoc relucet Ars, & Potestas, & Voluntas conditoris triangulorum, iuxta propriam ideam esse hoc communicantis. Est quidem natura in his quæ sunt propter se, vt substantiarum in se: in his, quæ propter aliud, ab alio, vt accidentium. Vtimur enim triangulo, & circulo, arte, voluntate, & potestate. Ipse autem se non vtitur, quoniam figura est ad alterius vsum; sed vt ab idea est, habet artem posse, & voluntatem Dei, vt ad tales sit vsus, & natura eius sit sola forma absque actiuitate. Sic cætera accidentia, quorum esse est inesse; habent posse, scire, & velle alienum, sicut & esse. Nonentia verò naturã, sicut & esse ab intellectu. Deus enim vtitur nonentibus arte, potentia, & voluntate, secundum aliquem modum, vel permissiuum. Sed de his in Metaph. Syllogismi natura est à Deo, & ab arte humana, quatenus à Deo; & per

C

Analogiam participat proportionaliter naturæ rationem. Nos autem propriè de elementatorum natura tractauimus in Physicis.

Ad quartum, Dicimus simplicia habere esse interius id, quod sunt ex sui natura: exterius verò id, quod sunt ad adjacentia. Natura ergò caloris est posse, scire, & appetere calefacere intrinsecè: extrinsecè verò etiam attenuare, sed de his alibi.

Ad quintum, Errauit Democ. & Epic. & Lucret, quoniam in nobis est consilium & Ars, etiam in tota rerum natura relucet tam in compositione & fabrica rerum quàm in operationibus & vsu partium. Casus autem cui tribuunt ista, temerariè agit non artificiosè, igitur natura est artis primæ omnia facientis & regentis ratio, vt in tota Physiol. nedū in Metaph. patet. Neque enim hominis Ars est ab homine sicut nec calor eius nec humor, &c. Sed à causis exterioribus, in quibus & ista apparent inesse, ergo omnis Ars à primo artificè.



QVÆSTIO V.

DE TEMPORE.

Vtrùm Tempus sit numerus motus secundum prius & posterius, vt dicit Arist. vel rerum vicissitudo, vt nos.

ARTIC. I.

Tex. 97. 1. IDETVR rectius Arist. dixisse, quoniam ait in 4. Phys. non apprehendimus tempus, nisi per motum: nam qui dormiunt non percipientes motum neque tempus percipiunt. Ergò tempus est aliqua motus affectio: & quia mensuramus motum tempore secundum prius & posterius ergò, &c. Vicissitudo autem rerū est quædam consecutio rei vnius ad aliam, quæ non est tempus: neque enim ipsâ motum scimus, sed quietem & omnia.

2. Telesius dicit, tempus esse spatium, non in quo, sed quo fit motus, ergò propius accedit ad Aristotelem, & nobis refragatur Physiologorum sapientissimus.

3. Plato ait, tempus esse æternitatis imaginem, & idem dicit sanctus Thomas in 2. de Cælo, & explicat melius esse temporis à priori vti nos naturam definiuimus.

4. Astrologi mensurant motu solis omnem motum, & quietem, & ipse est tempus rerum omnium. Annus enim mensis & dies ab ipso, & cum ipso.

5. Tempus videtur esse nihil; quoniam constat ex nonentibus videlicet præterito, & futuro, quæ non sunt, & præsenti quod est, sed non est tempus, quia indiuisibile Nunc, tempus autem diuisibile, ergo.

SED Contra est Apostolus Iacobus cap. p. *Apud Deum non est transmutatio*, inquiens, *neque vicissitudinis obumbratio*. Per vicissitudines autem intelligunt sancti tēpus sicut cū Ecclesia canit Deo. *Qui temperas rerum vices*. Igitur quoniā res rei succedit, & motus quieti, & status statui: Alia enim est entitas iuuenis, & pueri, & senis, & omnia à motu cæli accidunt; quoniam sol facit mane, meridiem, vespere, noctem, dies, menses cum lunæ iungitur, & annos cum obliquitates perficit. Idcircò quæcunque sub sole sunt, vicissitudines habent, & generant & corrumpunt, & mouentur, & quiescunt, & alterantur, & augentur, & diminuuntur, & sunt, & postea non sunt, vt infra patebit. Hæc ergò rerum successio tempus est: vnde Sancto Augustino 5. super Gen. cap. 5. *Tempus*, ait, *à creatura motibus cœpit, & est creatura motus ex alio in aliud consequentibus rebus; secundum ordinem administrantis Dei.* Ante creaturam verò

nulla sunt tempora. Idem Origen. Hom. 1. in Genes.

Quapropter quia in Deo non est mutatio in substantia, neque in operationibus internis, nullum in eo tempus esse dicimus, sed æternitatem id est identitatem sui semper eandem vt dicitur in Psalm. 101. *Tu autem idem ipse es*, &c. Et Plat. & Parm. In Angelis verò non est transmutatio in substantia, neque vicissitudo iuuentæ & senectutis, entitatis, & non entitatis. Idcircò sunt extra tempus, non tamen in æternitate; quoniam eorum esse successit ad nonesse, quando creati sunt. Operationes verò, & cogitationes eorum quia succedunt aliquando nouæ, sunt in tempore, nostro simile, secundum Scotum, dissimile secundum S. Thomam. Entia verò mutabilia sub vicissitudine manent, & quia Solis vicissitudo nobis notissima est, idcircò per ipsam omnes motus, ac quietes mensuramus; non tamen ipsa est tempus primum, quoniam motus primi orbis est prior, & notior naturæ, & successio entis ad nonens in creatione est temporis origo: & ideò omnia temporalia participant nonens, & omnis mutatio est aliqua mors prioris entitatis, vel accidentis, teste Augustino. Arist. ergo errauit quia non docuit quid est tempus, sed ad quem vsum illo nos vtimur. Omnis autem mensura præter esse mensuram, est aliquid: vt palmus est mensura panni, quoniam eo nobis notissimo panni quantitatem discimus: sed non est hæc eius essentia, sed vsus: palmus enim secundum esse suum, est manus expansa. Ergò Aristoteles non docet quidditatem temporis, nam non existente anima numerante, adhuc tempus est aliquid: licet Aristotelici dicant tẽpus non esse formaliter nec actu anima non existente, sed materialiter: quod ridiculum est vt ens naturæ habeat formam ab ente rationis artis. Item errat quia dicit esse numerum motus, cum sit etiam quietis. Item palàm est, quod per notiora discimus ignota. Ergò horologij motus est maximè tempus respectu nostri, quoniam etiam solis motum docet. Item palàm est quod cum dicimus, tempus hoc est vel bonum, vel malum, non loquimur de numero motus, sed de rerum vicibus. Ergò Arist. errat prorsus in assignanda temporis natura, vt in Metaph. probatum est nobis. Nec tempus materialiter sumptũ, verè est tempus, sicut nec homo materialiter est homo, sed solum elementa de quibus fit homo. Sic tempus materialiter illi est motus, non tempus: ergo tempus, non est in rerum natura secundum Arist. vt concedit etiam S. Thom. p. d. 19. q. 2. 1. sed secundum veritatem. Est autem vicissitudo id ipsum; ergo tempus est rerum vicissitudo quæ in mutatione percipitur, & Mundus factus est in prima vicissitudine, qua ens successit nihilo, vt dicit S. Iust. in lib. contra Arist. & D. Thom. 2. d. 2. q. 1. qui & in opus. 44. cap. 1. docet tempus esse ens reale sicut motus. Idem Alber. in 4. Phys.

Ad 1. Resp. Quod non propterea quod tempus à motu cognoscimus, tempus est numerus motus, sed potius è contra motus est numerus temporis, & hoc palàm. Nam tempus motu solis mensuramus, & horologij, qui autem dormit, non percipit neque motum, neque quietem, neque cælum, neque mare, neque hominem æquè ac tempus non percipit. Non propterea hæc erunt alterum alterius affectiones, & mensuræ, sed possunt habere esse simul, quod concedimus. Sic etiam concedimus tempore motum, & quietem mensurari, quoniam ignotum per notum ita scimus: sed non quia alterum alterius sit essentia, vel affectio, vel numerus secundum rei naturam, sed nobis. Falsò quoque affirmatur quod Natura tempus, quod Aristoteli est infinitum ante & post fecerit mensuram motus, qui incipit & desinit, sicuti qui formicæ daret vestem gigantis. Item falsum est, quod vicissitudo sit rei ad rem consecutio. Etenim est entis ad nihilum etiam, & eiusdem entis variatio in existentiâ, vel esse, vel qualitatibus, vel passionibus, vel quibuscunque accidentibus, vt declaratum est.


Ad 2. Telesium, non penitus temporis in communi naturam inuestigare, quoniam Metaphysicos fines non conscendit. Spatium autem quo fit motus, est vicissitudo entis in variis locis, vel entitatibus: sed cum aliæ reperiantur vicissitudines, vniuersalius definiendum est. Physicè autem Telesius propius attigit scopum quàm Aristoteles.

Ad 3. concedimus Platonis descriptionem, quoniam explicat à priori temporis naturam; sed intrinsecus non attingit, & quomodo ex ente, & non ente tempus

constituitur, vt in Metaph. diximus, vbi & hanc definitionem explicauimus.

Ad quartum Resp. est in corpore articuli, quoniam Astrologi vsum temporis tractant ad sciendos motus aliorum planetarum, & siderum, non autem quidditatem.

Ad quintum Resp. Quod alia est natura permanentium alia successiuorum: illa enim constant ex partibus, quæ sunt simul: ista ex non simul Est ergo in natura rerũ à primo ente, cui omnia præsentia futurum & præteritum, vt S. Thomas ait, quoniam coexistunt æternitati, non autem nobis: nec sibi ipsis nisi succedendo vt partes fluuij. Dico igitur esse successiuè, & non simul nisi Deo, & nunc esse copulam earum, & principium & finem, vt puncta in linea, & momenta in motu: at de horum entitate constituta ex ente, & non ente, non est hic sermo: sed in Metaph. Arguit quispiam, tẽpus non est ens increatum quia esset Deus; nec creatum, quia creatio ad ens terminatur. Tempus autem non est nec præteritum nec futurum nec præsens, quoniam simul atque est, non est; simul fit, est, & perit: item posset Deus annihilare præteritum etiã tempus, si ens esset. Quod non potest Deus: facta infecta facere, &c. Resp. Quod tempus non est distinctum a rebus: ergo non creatum sed concreatum: constat tamen ex ente & non ente: nã quà ens est, coexistit simul Deo in æternitate non autem nobis: nec potest annihilari, nisi annihilata successione entis ad non ens, & è contra, vt in Metaph. Est quidem mundus coram Deo vt gutta roris, & tempus eius vt momentum stateræ, ait Salomon: ergò Deo est totum simul: & animæ nostræ vt Dei imagini, omnia tempora cogitantur simul.



QVÆST. VI.

DE LOCO.

Vtrùm Locus sit Spatium incorporeum, immobile, aptum ad recipiendum corpora, vt diximus in textu: Ideoque longum, latum, & profundum, vti sunt locanda corpora; & nulli, neque sibi contrarium.

ARTIC. I.

4. *Phys.* I. RISTOTELI videtur hæc definitio falsa, primo quia sequeretur impossibile istud s. quod duo corpora essent simul in eodem loco: vt sui asseclæ concludunt: Nam spatium habet dimensiones proprias, est enim longum, latum, & profundum, similiter & corpus. Ergò dimensiones huius, dimensiones illius penetrarent & complerent, & simul essent.

2. Item moto vase pleno aquis, moueretur spatium locus eius: & locus in alium locum migraret.

3. Omne corpus diuiditur in partes plures & infinitas, quæ omnes essent in loco, ergò plures loci essent eiusdem locati, & plurimi loculi, & infiniti simul.

4. Non potest reperiri vacuum spatium. Ergò non est, ergò neque est ipsum, locus corporum.

SED Contra est S. Aug. in lib. de Cog. veræ vitæ c.18. dicens. Locus est spatium, quod quodlibet corpus occupat, longitudine, latitudine, & altitudine mensuratum. Idem S. Ambrosius Epist. 31. vbi spatium, cui mundus insidet, esse locum vniuersalem, docet; sicut nos in textu decreuimus, & Stoici, Democritus, Galenus, Philop.

Telesius, & Plato, & Patricius, Vall. & alij etiam perip. nec alia declaratione ab ea, quæ est in textu, opus habemus.

Spatium autem ens esse maximum veteres dixere, etiam Arist. si præesset, vt Hesiodo placet. Item dimensiones, distantiæ & extensiones corporum, quæ per nihilum fieri nequeunt, probant ipsum verè esse vt basim existentiæ corporum.

Ad primam rationem Resp. Dimensiones loci non esse corporeas, sed incorporeas, idcircò posse simul cum corporis dimensionibus commanere. Imò necesse est sic esse. Non enim corpus totum esse in loco posset, nisi omnes eius partes, & particulæ locarentur interius, & non exterius tantum, vt Arist. opinatur. Cum ergò corpus locatum sit longum, latum, & profundum; oportet locum quoque esse longum, latum, & profundum; sed non corporaliter, vt commensurentur. Non ergò sequitur, duo corpora esse simul, sed locum incorporeum cum locato corporeo. Attamen incorporeitas loci non est actiua, vti Angelica, sed passiua tantum, receptiua, sustentatiuáque.

Ad secundum: nec spatium mouetur cum locato: sed locatum propterea mouetur, quod semper in nouo sit spatio.

Ad tertium dicimus, locum nullo posse diuidi pacto, quoniam incorporeus est, præceditque entia corporea omnia; nec iniuriam atque defectum pati potest. Quinimmò quidquid diuiditur, in diuisionis medio interponitur locus, qui simul vnaque sustentat totum Vniuersum vnitum. Diuisio est nonentis influxus; & res omnis diuisa, quatenus diuisa habet nonesse; vt vna autem, esse. At fieri nequit vt locus non sit, quoniam cum sit entium basis, necessariò ipsum nihilum interceptum haberet esse, vt in Metaph. Quapropter quantumuis locata corpora multa sint, & inter se diuisa, non tamen diuidunt locum. Idcircò non sunt loculi multi inter ipsum, sed vnus est rerum omnium locus, partes verò infinitæ sunt locati, & non loci, nisi secundum intelligentiam; nec cum eis locus mouetur, aut mutatur, vel patitur. Et idem argum. curreret contra Arist. qui dicit locum esse superficiem locantis, sed in locato sunt particulæ infinitæ licet vnitæ, ergo loculi infiniti. Hoc non soluet vnquam.

Ad quartum, falsum est non reperiri vnquam spatium inane, cum sæpè accidat, vt vacuetur prorsus; vtque impleatur, attrahit ad se corpora tenuia minus resistentia. Verum quidem est, quod secundum naturam, spatium vacuum non reperitur: ipsum enim persentiscens propriam perfectionem esse plenitudinem, ad se attrahit: partes quoque mundi mutuò gaudent contactu: idcircò ad inanc, quo diuiduntur & separantur, lubenter adcurrunt, vt in textu probatur. At etiamsi numquam inane reperiretur, non propterea spatium non esset locus rerum, quandoquidem & materia quamuis numquam absque forma inueniatur, non proptereà fit, vt materia non sit, principiúmque sustentans formam.

Vtrùm detur vacuum.

ART. II.

1. Videtur Aristoteli neque naturaliter, neque violenter, posse spatium vacuum reperiri. Nam primò sequeretur, quod fieret in eo motus in instanti sine tempore. Quo enim crassius est medium, per quod fertur mobile, eo motus tardior est. Lapis enim citius fertur ab orificio ad imum cisternæ aëris plenæ, quàm aquæ, & citius per aquam, quam per mel; ideò si nullum corpus per medium esset fieret motus absque mora: ergò in non tempore. Quod est impossibile, cum sit essentiale motui fieri in tempore. 4. *Phys.*

2. Idem probat Clepsidræ exemplo, cuius superno foramine obturato, non cadit aqua, cuius est plena, deorsum per foramina inferiora: quoniam aër intrare haud potest, neque supernè, neque infernè: qua de re vacuum interponeretur, ac vniuersa

Ars de spiritualibus: idem ostendit apud Vitruuium.

3. Videtur etiam spatium esse nihil: & cum inter duo corpora non est nisi spatium, oportet illa tangi, vt probat vacui prohibitio, ergò concurrerent.

CONTRA Democ. & sequaces, Epicur. Lucret. duo esse rerum principia opinantur plenū scilicet & vacuum: nec vllum esse ens, quod ex his non constituatur: ac præcipuè rara corpora plus vacui, densa verò plus pleni continere, participare: & argumentantur sic.

1. Cum densum corpus rarefit, partes eius fiunt distantiores ab inuicem, quàm prius erant. Ergò inter eas vacuum concipitur. Aliud enim corpus interponi nequit, nisi rarum, quod etiam oportet partim vacuum esse: ideò enim rarum.

2. Nullum moueri corpus posset, quin simul consequenter totum moueatur cælum, nisi vacuum inesset corpori, intra quod mouetur, alioquin illud corpus moueret aliud corpus sibi adiacens, & illud aliud, & vsque ad cælum.

3. Cyatus cineris plenus, tantundem aquæ capere potest; ergò vacuitas est in cinere, & in aqua, alteriusque partes in alterius subintrant partes, & vacuitates; alioquin duo corpora essent simul, ergo, &c.

SED Contra vtrumque est S. Ambrosius, & S. Augustinus, ibidem; & Iob. 26. dicens, *Deus extendit Aquilonem super vacuum; & appendit terram super nihilum*, &c. Hoc est super nullo corpore; sed in spatio inani. At hæc autoritas Aristotelem condemnat magis, ergò Resp. vt in textu: non posse dari vacuum naturaliter contra Democritum: sed violenter contra Aristotelem, vt probatur in textu. Hic nota quod vacuum ab Arist. dicitur locus priuatus corpore: vnde sequitur quod locus sit spatium plenum. ego tamen dixi capax: vtrumque complectendo.

Ad primum Resp. Non esse verum quod tempus in sit motui essentialiter: quandoquidem illuminatio ab Oriente in Occidentem fit etiam Aristoteli sine tempore, non tamen nobis. Præterea dato quod sit, vti dicit, adhuc falsum est, quod asserit, solummodo corporeum medium intra quod fit motus, esse causam, vt fiat in tempore. Sed oportet fateri finitatem virtutis ipsius mobilis, & spatij distantiam, eiusque terminorum, esse in causa, vt tardetur, fiatque in tempore. Solus porrò Deus operatur in instanti, quia solus est omnipotens. Rursus mobile omne oportet prius ad medium spatij peruenire, quàm ad extremum, & iterum prius ad medium medij, quam ad medium, &c. Quapropter incorporea distantia, & terminorum incompossibilitas, afferunt moram, & tempus, vt rectè S. Thomas cum Auempace contra Aristotelem notauit. Fieret ergò motus in vacuo, sed in tempore tamen exiguo, non in nullo. Præterea neque nos affirmamus quibusuis in locis vacuum, vbi possit subitaneus euenire motus, quod neque statim est verum; sed dicimus, quod sicubi per vim vacuum accidat, non propterea sequitur naturæ ruina, si motus quispiam fieret subitaneus. Item neque si extra mundum reperiretur solum vndique vacuum, statim suprema Sphera omnes sui portiones ad omnes vacui portiones applicare per gyrum posset, & in contrarias simul.

Ad secundum Resp. Quod lenis aquea corpulentia sustinet se in sublime intra clepsydram ad vacui prohibitionem, non autem mellea, alteriusvè crassi liquoris: natura enim suffert minus inconueniens ad euitandum maius; sed cum amplius nequit, admittit vacuum, vt exempla in textu posita declarant.

Ad tertium, Non concurrent: nam licet sit nihil corporeum: est tamen ens incorporeum, & maximum substentans intrinsecus corpora, & distantias, & magnitudines.

Ad Democritum verò dicimus, vacuum, & plenum esse bases substantiales rerum Physicarum: Vacuum verò non esse eorundem principium constitutiuum, vti est plenum; quandoquidem dum mouentur non conferunt secum vacuitatem, sed transeunt ab hac in aliam vacuitatem, seu spatij partem. Dicimus etiam, quod etsi foret principium constitutiuum rerum in communi, & totius vniuersi, non tamen in particulari huius, & illius rei.

Ad primam rationem Resp. quod dum corpus rarefit, eius partes in plus spatij ex-

tenduntur, sed non ita distantes fiunt, vt vacuum includant. Responsio Aristotelis vanissima est, dum ait, quod densum dum fit rarum, euadit actu, quod erat potentia; nihil sanè docet responsio; sicuti neque qui docet ex semine fieri animalia, quia fit actu, quod potentia erat, aliquid declarat. De omnibus quidem similiter respondere possumus Sophisticè. Debebat quidem dicere rationem, quâ fit actu, quomodo scilicet densum rarefit, ac oportebat assignare extensionem vel vacuitatem interpositam, quam nos pro minori inconuenienti damus si non sufficit extensio, in qua distantia intercepta calorem interponimus rarefacientem, non tamen absque subiecto. Intelligat qui potest. Ars enim diuidendo & constringendo non potest imitari extensionem & intentionem naturæ: nec pernosse.

Ad secundum Resp. Non oportere totum moueri vniuersum, si totum plenum est, quando aliquod mouetur corpus intra illud. Corpora enim rara, cum sint expansa, explicataque, addensari queunt, magisque in se vniri. Igitur quamuis contiguum mouetur corpus, motus debilitatur successiuè, & cessat in consequenti corpore, quod in semetipsum condensatur, neque vacuum requiritur, quo condensari queat, sed raritas ipsa sufficit, & licet partes pulsæ pellant ante, tamen aliæ lateraliter retrò resiliunt ad implendum locum pulsarum.

Ad tertium Resp. Quod cinis cōmistam aquam in cyatho excalefacit, & in vaporem multas eius portiones vertit; qui vapor exhalans, calorem secum, & plurimas cineris atomas eleuat partes sursum. Vnde fit vt & aqua, & cinis minuantur. Idcircò in eodem cyatho remanentes vtriusque partes contineri possunt. Palam quidem est, & madefactum cinerem adstringi in minus spatium; itaque vnitum magis, neque admittere aërem intra se, veluti antea, qui ipsum expansum retinet. Aqua præterea cedit in seipsam, & continetur in globum eleuata super cyathum, sicuti palam fit, quando intromittitur aurea in ipsum catena simul.

Vtrùm Locus sit extrema superficies immobilis corporis circumdantis immediatè, vt Aristoteles dixit.

ART. III.

1. VIDETVR Aristoteli quod sic. Quoniam inquit, quidquid mouetur ad proprium locū fertur. Hic autē est superficies locantis corporis: sic ignis ad Lunæ superficiem, aër ad superficiem ignis, aqua ad superficiem aëris collocantur. Tellus verò ab aqua circundatur, & locatur. *Tex. 32.*

2. Corpus omne ad locum sibi connaturalem fertur, in quo seruatur: vnde cognoscit locum vim conseruatiuam habere; at elementa se seinuicem locare, ac tali ratione in vniuersitate seruari. Et quoniam *superficies* omnis terminus est corporis contigui: idcircò posuit, *corporis circundantis*, & addit, *immobilis*: si enim. Moueretur, locus in alium locum abiret, & sic locatus foret non locus. Vnde infert, locum esse vas immobile, vas verò locum mobilem.

3. Deinde considerat, reperiri locum communem, vt esse in aëre, in platea, in ciuitate; & particularem, vt in hac parte aëris, quæ me immediatè circumdat: & ideò, dixit, *immediatè*; hinc concludit vltimam spheram omnia corpora ambientem esse locum vniuersalissimum cunctis entibus.

SED Contra est S. Augustinus, & Iob, ex quibus ostendimus, locum esse spatium, in quo vniuersitas reum insidet. Præterea locus continet locatum totum intus, & foris: superficies autem non nisi partem extrinsecam; quæ præterea non magis est locus, quam locatum: quandoquidem telluris superficies locat aquæ superficiem, sicut & locatur ab ea, cum sit extrema, &c. Ast hoc repugnat etiam Arist. qui ambientis non autem ambiti superficiem esse locum dixit: & ridiculum est dicere quod aqua locet & contineat vas, sicut vas aquam.

Præterea locus, & superficies secundum Aristotelem in prædicamentis sunt duæ species quantitatis continuæ disparatæ veluti homo, & equus sunt species animalis: itaque non potest altera alterius esse genus in definitione, sicut non dicimus homo est equus, neque è contra. Responsio Auerroïs, & Alberti, quod Aristoteles in Prædicamentis locutus fuerit secundum opinionem alienam famosam, & ad iuuenes; in Physicis verò secundum propriam, & ad prouectos; falsissima est. Non enim iuuenes erroribus nutriri debent, sed facilioribus veritatibus, ne postea eradicari non possint. Sed verius est, quod in prædicamentis veritatem scripserit cum Archita, à quo illum furatur librum: in Physica verò errorem ex propriis.

Rectè asserit, locum esse conseruatiuum secundum nos: sed ipse propriam vocem ignorat: conseruat enim spatium, quatenus sustentat esse rerum intrinsecè. At superficies, cum sit quantitas illi atque accidens natura passiuum, conseruare non potest, sed conseruari. Item quatenus superficies non agit, neque conseruat: quatenus verò circumdantis est corporis, non ipsa conseruat: sed virtus corporis ambientis; quod tamen etiam destruere potest, ne dum conseruare. Quapropter elementa cuncta cum contraria sibi sint inuicem, mutuóque se locent, non magis à se mutuò conseruantur, quam destruuntur. Resp. Auerroës, quod conseruantur qualitate symbola; sed indoctè; quandoquidem & contrariam habent. Ergò quantum conseruantur, tantum destruuntur. Quod autem dicit S. Thomas, inesse illis vim conseruatiuam à cælo primo locante; nil suffragatur Aristoteli: nam vis cælestis omnes conseruat qualitates iuxta dogma illius: ergò & contrarias, & similes in elementis fouet: ergò tantum conseruat aqua terram frigore quantum corrumpit humiditate, sic de cæteris.

Rectè quoque & vti nos, affirmat locum esse vas immobile prout ab antiquioribus didicerat; sed contra positionem propriam, si enim locus superficies est; nullo potest pacto immobilis poni: quippe cum aër, ignis, aqua circumdantes, & locantes continuò moueantur.

Præterea sequeretur, quod idem corpus continuò mutaret locum, & simul esset in eodem loco quiescens, vt turris vento, & scopulus aqua, præterlabentibus. Auerroës Resp. Quod locus per accidens ad motum corporis locantis, cuius est superficies, mouetur, non autem per se: sed temerè loquitur, quoniam esse per se immobile, & per accidens moueri, omnibus, conuenit accidentibus, & formis, & punctis. Igitur differentia posita in definitione loci, esset generalior, quàm sit ipsum genus: veluti si diceres homo est animal viuens substantiale: irrationabile profectò fuisset ponere, quod locus est immobilis per se, cũ id omnibus congruat accidentibus. Item locus per se vt superficies est, non est mobilis: nec immobilis: cum nec esse possit in natura nisi in alio per quod est, & mouetur, & est mutabilis essentialiter. Rectius respondet S. Thomas locum esse formaliter immobilem non materialiter; turrem verò, licet ambiens aër, cui conuenit locare materialiter, semper, moueatur: semper & perpetuò eandem seruare distantiam formaliter ad Mundi polos, & ad centrum terræ immotos. At hoc Aristoteli non proficit, hic enim respectus non potest in superficie fundari, quia non persecuerat eadem, sed semper noua aduenit: forma autem fundatur in sua materia: ergo superficies non est locus materialiter Aristoteli: neque in turri ipsa, tunc enim turri conueniret formalitas loci, essetque ipsa suimet locus: quod est impossibile: ergo fundatur in spatio, in quo est turris; & quia iste respectus est formalitas, & essentia loci secundum D. Thomam, sicut paternitas essentia patris, & humanitas hominis, ergò secundum eius dogma fateri oportet spatium immobile esse verum locum; non autem superficiem, quæ neque subiectum, neque forma loci est. D. Thomas ergò nobiscum est cum Ambrosio & Augustino.

Præterea respectus omnis habet fundamentum & terminum, & ablato fundamento non est amplius ille respectus, sicut nec forma sublata materia, tota. At ablata superficie ambiẽtis, & ambito corpore, remanet respectus distantię ad polos: ergo, respectus ille non fundabatur in alterutro ipsorum, ergo in spatio. Præterea respectus loci quâ locus est, essentialiter est ad locatum quod locatur & continetur ab eo: ergò non est ad polos vt locus est, alioquin polus locaretur à superficie, & respectu, & non turris:

turris: Sed ergo respectus ad Polos est respectus distantiæ, & non loci: quippè cum fundetur etiam in non loco, vt in puncto, in linea, & in omni termino distantiarum, vt sic: ergo iste respectus non est localis, sed distantialis, ergò non essentiat locum ipse: sed spatium immobile quod remanet etiam sublatis polis, & contra aliorsum.

Præterea sequeretur, quod Mundus non esset in loco; quippe cum vltimæ Sphæræ superficies secundum Aristotelem à nullo corpore circumdetur. Auerroës respondit, extremam superficiem esse in loco, quia habet fixionem in centro terræ. Sed sibi, ac naturæ aduersatur. Locus enim ipsi est superficies ambiens, æqualis locato secundum Aristotelem: centrum autem indiuisibile est, nec Spheram circumdat, nec modum habet continendi eam: Sed potius continetur, & circumdatur. Nec si der immobilitatem sphæræ, fit locus sphæræ, sicuti neque clauus figens tabellam, locus est tabellæ. Nec verum est, id effici à centro, sed potius à tellure tota: quæ locus cæli esse non potest, sed locatum. Et quidem stultum est asserere, quod cælum sit in centro tanquam in loco.

Item si de ratione centri esset locare, omnia centrum habentia essent immota recto motu: sic enim fixantur.

Themistius autem aliter respondet, vltimam spheram locari à propriis partibus mutuò; & obiectioni respondet, quod quamuis actu diuisæ non sunt, ac proinde se se non locant sic: sunt tamen potentia diuisæ; & alij addunt hoc primo locanti congruere, quod vid. minus diuisionis admittat. Nos autem asserimus hanc fictionem esse, nam si partes se inuicem locant interius: exterius cum nihil sit, nullo modo locantur.

Præterea cum sint vnitæ introrsum locationem non habent in dogmate Aristotelis, sed continuationem. Item enim corpus omne potentia diuisibile est, licet non cælum Aristoteli. Ergò corpus omne locaretur positione propriarum partium, magis quam ab exterioribus corporibus: cumque hæ partes sint infinitæ, infiniti essent loculi; quod Aristoteles vt inconueniens contra nos adduxit; reliquum est, vt nobiscum asserant cælum extremum in loco esse, quia est in spatio sibi æquali. Præterea impos. est partes cæli diuidi in Aristotelismo, ergo non sunt in potentia diuisibiles, nec proinde in loco. Præterea esse in potentia præsertim impossibilis, est simpliciter non esse, sicut terra est animal in potentia nec propterea ei conuenit esse animal aut animalis definitio, ergo nec loci definitio partibus cæli potentialibus.

Ad Aristotelis argumenta Res. omnem locum omni corpori esse persimilem, ac conseruatiuum: nec moueri corpora, vt loca propria adipiscantur, sed corpora locata, sibi similia; aut vt fugiant contraria: sursum verò, ac deorsum, aliasque loco differentias adscriptas, conuenire Mundi constructioni, ordinique partium suarum; locum verò nullas in se contrarietates habere, omniaque æquè receptare, ac continere. Ideoque pro Deo à quibusdam Arabibus, per nos in Metaph. reprobatis, haberi: solum autem spatium esse immobile, ac conseruatiuum, conditionesque loci esse sortitum. Et quanquam frequenter locum vocitemus ipsum corpus ambiens, vel adiacens, non tamen locus est Philosophicè, sed vulgariter tantum, quatenus nobis indicat locum particularem contiguæ rei, vulgò dicimus, hominem esse in platea, aut in domo, aut in mari, non quia platea, & mare sint locus hominis, sed sunt corpora & ipsa locata in ea spatij vniuersalis portione, quæ hominis est locus nobis minimè notus, nisi per aliud locatum immotum; & manifestius.

D

QVÆST. VII.

DE MATERIA.

Vtrùm Materia sit pura potentia, vt dicunt Peripatetici; vel sit Ens substratum causis agentibus, & corpus informe, sine numeris iners aptum ad recipiendas omnes formas, & numeros, actiones sicuti nos in textu probauimus.

ARTIC. I.

7. Meta. l. lect. 2. & 7. Phys.



IDETVR Aristoteli, & sequacibus, materia prima, ex qua elementa, & elementata facta sunt, non esse quid, neque quale, neque quantum: cum enim ipsa subiectum sit generationis, & alterationis, & augmentationis, recipere habet formas substantiales, & accidentales, idcircò non potest esse quid actu, sed recipere quidditatem, corporeitatem, quantitatem, & qualitates, & actiones, propriaque forma carere, vt possit omnes recipere, sicut cera signaculorum receptiua proprio caret signaculo.

2. Si proprium esse haberet, illud haberet à propria forma: ergò alias formas non reciperet: ergò non fieret generatio. Ex quo concludunt sequaces materiam esse puram potentiam, neque reperiri, ait Auer. extra intellectum per se; esset enim sic in actu; ergò formata, ergò non pura potentia, ergo non materia prima sed signata, actu facta forma ab aliqua. *Auer. 12. Metaph. text. 14.*

3. Præterea si Materia esset Ens actu: tunc ex ea & forma tanquam ex duobus actu, fieret Ens vnum per accidens non per se.

SED Contra hanc sententiam est S. Basilius in Hexam & Chrisost. & Origenes, & Ambrosius, & Iustinus in lib. Confutationis Aristotelis, asserentes Materiam primam cum proprio esse creatam fuisse, ac mox recepisse à Deo formas, & ornamenta. Et re vera necesse est sic affirmae. Materia enim non est nihil, sed aliquod Ens. Ergò reperitur in mundo, & non in solis Peripateticorum intellectibus. Fiunt enim entia ex illa Materia, quæ est in mundo, non ex illa, quæ est in nostro intellectu: Alioquin non existentibus Peripateticorum intellectibus ipsam cogitantibus, non fieret generatio ex materiali principio. Quapropter Scotus optimus Theologus Materiam esse actu entitatiuo (sumendo actum non pro forma, sed pro existentia) præditam dicit, licet ipsam, quid sit non agnouerit, sicut nos, qui secundam substantiam post spatium appellamus, molemque corpoream, vnde omnia fiunt corpora.

Item S. Thomas in Opusc. de natura generis ex propria sententia non aliorum cap. 6. probat Materiam esse corpus de genere substantiæ, alioquin nec diuidi, nec formas recipere posset, si esset incorporea, & Ens solum potentia.

Præterea imaginari rectè nemo potest, quod materia sit pura potentia ad esse suum, sed ad formas. Ergò ipsa Ens est actu entitatiuo sicut compositum est potentia ad accidentia, quia habet suum esse potens illa suscipere: & spatium in potentia ad corpora locanda quia habet esse locale potens locare. Sed aiunt, omne esse à forma prouenire, ipsa enim est, quæ dat esse rei: teste Arist. ergò Materia non est, nisi per formam: At hoc assertum vanum est. Forma enim dat Materiæ esse formale proprium,

non autem esse materiale, quod forma non habet, & ipsa Materia habet si est verè Materia alioquin nec esset in potentia receptiua. At si Materia non habet suum esse, & recipit illud à forma, tunc infert S. Iustinus, ergò materia generatur, quia accipit esse, ergò non est ingenerabilis, sicut dicebat Aristoteles sibi contradicens.

Item quæro: est ne materia potentia ad esse, vel ad formas? si ad esse, ergò ipsa non est, si autem non est, neque formas recipere potest, ergo nec est in potentia receptiua: prius enim est esse, quam recipere. Posse autem esse, non est esse: & quoniam omnis potentia fundatur in esse rei possibilis, necessariò affirmandum materiam esse, atque in illa fundari potentiam ad formas. Aut non esse nisi in mente diuina; quod falsum est, cum sit & in rerum natura. Ergò est materia Ens per se, at non in actu formali absque forma, sed in proprio esse, in quo sustentantur esse formarum. Præterea Dionys. de D. Nom. c. 5. probat omne quod est principium, prius, esse Ens, & deinde principium: quomodo enim quod non est potest principiare? Sed materia cum recipit formas principiat, ergo prius est.

Quin quoniam morientibus formis, materia semper permanet eadem. Ergò est vna, & immortalis, formæ verò variabiles, plures, & caducæ nascentes, & morientes: ergò materia plus entitatis habet, quam ipsæ formæ, & hoc Platoni placet, Democritoque, & sapientioribus orbis: Et S. Iustinus eodem argumento idem probat, quod materia sit magis Ens quam forma. Et stultum est dicere quod forma corruptibilis dat materiæ esse incorruptibile.

Ad primum argumentum Resp. quod ex eo quod materia est subiectum mutationum, & formarum, non concluditur, quod sit pura potentia, nisi ad formas, non autem suum ad esse extra Deum: Sed è contra. Esse enim extra, est existere eius essentiæ: neque enim subjici potest, quod non est extra Deum & extra intellectum, neque permanere perenniter, quod maximè Ens, non est respectu non permanentium. Dicimus quoque propria forma materiam carere, sed non propria entitate, & existentia: sicuti neque cera. Vnde S. Iustinus Aristotelicorum inscitiam admiratur, quod comparant materiam æri, & ceræ, & semini, & tamen dicunt eam non esse essentiam propriam.

Ad secundum Patet Resp. quod materia prima est illa informis sine forma propria, ex qua Deus omnia Physica entia construxit: signata autem est quælibet pars illius sub forma peculiari existens: & ideò materia recipit omnes formas, quia non habet communem, & potest diuidi in partes formabiles, cum sit corpus de genere substantiæ, vt ait D. Thom.

Ad tertium Resp. Quod vt fiat Ens per accidens requiritur vt sint duo actus eiusdem generis & vniantur, accidentali vnione, vt homo, & Musicus, demon & homo demoniacus. At actus materiæ & formæ sunt diuersi ordinis, & vnitio ipsorum est essentialis, & sic etiam respondent in Concilio Ephes. primo Epis. Doctis. quod Deus & homo sunt res duæ actu, & tamen constituunt per se vnum Ens completum non per accidens, quoniam vnitio est essentialis, non accidentalis: vt vestiti & vestimenti.

Verum an materia absque forma reperiri possit, Metaphysicei est negotium, qui de potentijs rerum considerat. Arist. autem non rectè Physicarum rerum principium ponit in intellectu. Alij peius docent dari essentiam materiæ extra Deum & extra nihilum absque existentia propria, ignorantes quod esse extra, est existere. Alij dicunt existere imperfectè, quod verum est de perfectione formalis existentiæ, non autem de materialis. Etenim perfectum dicitur omne id quod habet quidquid conuenit suo & actui, & operationi. Sed materiæ vt sit materia, & possit materiare, seu causare materialiter, & suscipere formas, nil deest, ergo est in suo esse perfecto: & deinde recipit, vt docebant S. Dionys. & Iustin. & Thom.

Vtrùm Materia sit moles corporea, vel potentia incorporea.

ART. II.

P. Phys. & p. Metaph. T. 8. 1. VIdetur Peripateticis Materiam non esse corpus, sed ipsum ratione præcedere, naturâque. Nam corpus primum esset Materia prima, sed corpora prima sunt elementa; materia autem non est elementum, quia vel esset ignis, vel tellus, vel aqua: quod Arist. probat esse impossibile, sed quod subjicitur his, esse materiam, ergò non est corpus.

2. Omne corpus est aut graue, aut leue, aut neutrum, vt cælum, materia autem non est talis, quoniam esset formata naturali forma, & alienas non reciperet.

3. Corporeïtas est forma corporis substantialis, vel essentialis: si ergò materia esset corpus non distingueretur à forma.

4. Corpus habet tres dimensiones, quibus materia caret.

5. Repugnat Theologiæ ponere materiam corpoream. Nam in Sacramento dum fit transubstantiatio, remanet corporeïtas, & dimensiones, non autem materia, alioquin transubstantiatio non fieret.

6. Materia est corpus nigrum, vt dicitur in textu. Ergò habet qualitatem, ergò non est informe, ergò non aptum ad omnes formas si corpus est.

SED Contra est S. Thom. Opusc. 42. probans Materiam esse corpus de genere substantiæ: alias non posset diuidi à formis, nec recipere formas cum sit indiuisibilis.
T. 28. Item enim Arist. in primo de gener. & corr. Materia vt sic est punctum, vel vacuum quod formas non recipit. Item S. Iustinus lib. contr Aristotelem habens, quod materia est corpus informe, alioquin, ait, ex non corpore fieret corpus. Item S. Basil. in Hexam. vbi irridet Aristotelem ponentem materiam incorpoream, non quid neque quantum, eo quod sit, vt etiam Iustinus infert, res fictitia.

Profectò enim materia incorporea est indiuisibilis. Formæ autem in subiecto recipiuntur diuisibili.

Præterea cum materia diuisa sit in mundo, vt alia eius pars sit sub forma ignis, alia sub forma aquæ, alia sub terræ; alia sub aliis, si ipsa non est corpus diuidi non potuit.

Item quæro cum Iustino martyre: vnde euenit corpulentia rerum? non à forma, quia est incorporea, neque à materia, quia ponitur incorporea, ergò ex nihilo.

Itemque vt Auerr. arguit ex non corpore non fit corpus, vti docet Arist. in 3. de cæl. & in p. Phys. contra Pythagoricos ex superficiebus corpus constituentes.

Item, vt ait in primo de genet. & corrup. Materia absque corporeïtare, aut est punctum, aut insensibile corpus, scilicet spatium vacuum: In quo sanè formas recipi impossibile omnes fatentur.

Auerroës ne desetat Aristotelem propter hæc argumenta, putat coæuas esse dimensiones interminatas, quarum gratia potest diuidi, & plures recipere formas: nec cogitur ex non corpore facere corpus, & Sanct. Thomas in secundo contra gent. assentitur.

Verum, vt fatetur S. Thomas in p. p. non potest opinio hæc sustineri in peripato. Si enim dimensiones Accidentia sunt Peripateticis: forma autem substantialis prius recipitur in Materia ordine naturæ, quam quodlibet accidens; ergò dimensiones non sunt materiæ coæuæ. Quapropter fateri oportet, ipsam esse corpus substantiale, vel reperire modum, quo in plures partes secta sit ad plures formas recipiendas: quod Peripatetici non inuenerunt.

Sed Aphrodisiensis in primo de Anima, ait, sic semper diuisam fuisse in elementa ab æterno. Fatetur tamen cum quid ex elementis fit, corporeïtatem elementorum subjici, ac manere in elementatis. Sed profectò argumentum non soluit, quo materiæ nudæ debet forma substantialis vniri.

Alij igitur dicunt, ex vnione formæ cum Materia dimensiones oriri. Putant enim præcedentem corporeitatem aboleri, vt nudæ materiæ formam introducant, & in instanti nouam suboriri ex vnione; quoniam forma ex sua virtute illas continet.

Sed hæc sententia videtur Iustino erronea, & non stat: quoniam non declarat, quo pacto forma incorporea, sicuti est anima, corporeitatem parturiat & in instanti; vt Deus.

Item si hoc tam citò, & tam latenter, vt volunt, Anima organizationes corporeas præcedentes abijcit, vt oculos, brachia, manus, viscera, quoad id, quod habent corporeum, & nouas introducit: vtique potentissima est, & Deo æqualis in instanti res tantas, ac tot producendo. Quod si facit quando adhuc regnum vix suscepit in materia, multo magis nunc regno assueta. Ergò cum digitus rumpitur, aut caput, aut aliqua corporis organizatio, statim ab anima refici posset. Quod falsum est.

Item hæc sententia absurditatis filia est. Nam nihil commune genito, & corrupto ponit. Ergò caro vitulæ occisæ non est illa caro, quam viuens habebat, & cum abscindo digitum, non idem in quantitate, & qualitate, & substantia erit, sed alius. Omitto, quod neque Christus surrexit idem numero, quia alij oculi, alia quantitas, alia qualitas, alia cicatrix.

Præterea Natura frustra laboraret in organizando corpore, si in aduentu animæ tota illa formatio annihilanda est, & alia producenda. Palatium Regis quis ædificat, vt in ingressu Regis corruat, & aliud resurgat ex nulla potentia?

Hoc quoque absurdissimum est, vt Arist. etiam contra Plat. arguit, quod corpus ex potentia materiæ incorporea promant, ac si quis ex puncto efficeret cælum, & terram, & ex spatio incorporeo corpulentiam.

Præterea semper hoc stultum visum est mihi dogma, quod corpus sit accidens, & totius mundi corpulentia sit accidens, eiusdémque quantitas, qua porrò ablata mundus est quasi nihil.

Præterea ipsa corpulentia non agit, sed solum patitur, quod Peripatetici fatentur de ipsa quoque quantitate. Nos autem considerantes, quod corporis est subijci, & & non operari, quodque agere est solum formarum actiuarum, vel compositi per ipsas, vt ignis per calorem; rectè statuimus materiam, cuius est essentiale pati, esse corpus & palam est, in tota rerum natura non subijci mutationibus, & formis, nisi corpus. Quare nescio, vnde delirium hoc ortum est, ait S. Iustinus, vt aliam materiam fingant incorpoream, sicuti S. Basilius quoque admiratur.

Rectè fatetur Auerr. Materiam habere dimensiones corporeas interminatas, & sic S. Thom. in 4. Sent. sed perperam accidentia materiæ easdem facit Auerr. cum nunquam Materiæ accidere, sed ipsam constituere experimenta perpetua admoneāt. Relinquere autem sensum propter Logicas rationes est animi imperiti, ac flacci in physiologia. Quantitas ergò est mensura & terminus substantiæ corporeæ, quam S. Thom. vocat corpus de genere substantiæ.

Concedunt Democritus, & Anaxagoras Materiam esse corpus; sed ille atoma corpora dispersa, iste verò in Chaos confusa, & qualitatibus substantialibus prædita: quoniam, ait, ex nihilo nihil fit. Ergò ignis ex igne, & caro ex carne: ergò latent particulæ carnis in cibo, & omnis rei particula in omni re. Nos autem docuimus qualitates de nouo Materiæ aduenisse per actiones formarum actiuarum, & sic non generamus ex nonente, sed ex entibus, non tamen confusis, vt patet in Metaph. De Materiæ autem essentia est, neque esse vnitam, vt putat Anaxagoras, neque dispersam in atomos, vt Democritus, sed ab Agentibus causis vtrumque aptam pati, per se autem non agere.

Ad primam rationem, Resp. quod Materia est corpus vniuersale, & primò primum, & inconstructum, aptum ad omnes formarum constructiones: elementa autem sunt corpora particularia, & non primò prima, sed respectu elementatorum prima tantum. Neque putamus primo Materiam esse ignem, vt Heraclitus, neque aquam, vt Tales, neque Terram, vt Orpheus, neque Aërem, vt Anaximander, & Diogenes, nec elementa quatuor materias primas, vt Emped. sed illud corpus, quod in hæc di-

uitum est,& cum transmutantur in inuicem, semper remanet.

Ad secundam Resp. quod formatum corpus est graue, & leue, sed non informe, qualis ipsorum est Materia, quæ licet repetiatur sub his formis, non tamen habet ita propriam aliquam ex eis, vt alias suscipere non possit, eadem manens. At ignis non potest suscipere formam aquæ manens ignis, sed benè manens corpus, quia corpus est permanens Materia perennis.

Ad tertiam dicimus corporeitatem non esse formam, nisi secundum vocem; sed secundum rem esse ipsam materieitatem, neque esse accidens, sed substantiam prout est interminata, termini verò eius accidentia sunt: & substantiæ terminatæ mensura: quam vocamus quantitatem.

Ad quartam ergò Resp. quod dimensiones insunt spatio incorporales, sed commensurabiles corporibus. Insunt & corpori, & substantialiter non distinguuntur ab eo, vt sunt interminatæ. Ab his verò emanant dimensiones Quantitatis, quæ est mensura Materiæ; & quatenus mensuræ sunt dimensionum substantialium, accidentia sunt. Non enim Materia habet dimensiones interminatas, hoc est in infinitum extensas, sed negatiuè, hoc est non sub tali magnitudine, & quantitate, quin possit in alias transferri. Tantas ergò ac ita dimensiones habere, est esse quantum, & accidens causarum actiuarum vi, & commodo conditionato numero, mensuráque.

Ad quintam, Resp. quod in Sacramento transubstantiatur corpus de genere substantiæ, quod est Materia cum forma panis substantiali, remanet verò corpus de genere Quantitatis, quod est terminus interminatæ substantiæ, vt rotunditas, superficies exterior, pondus, & mensura: quæ etiam nos accidentia esse fatemur: neque sumus iniuri Eucharistiæ, quoniam rectè sic satisfit, & sancti Iustinus, Basilius, & Petrus Aurelius, & Theologi multi sentiunt interminatas dimensiones esse Materiæ consubstantiales.

Ad sextam, in textu quoque resp. quod non repugnat materiæ habere qualitates passiuas, sed actiuas. Tenebra autem, passiua res est: nam inuisibilis est, quoniam in vitum non agit. Vnde & Salom. ait Sap. 11. *Creauit mundum ex Materia inuisa*: & textus Basilij ait, *Terra autem erat inuisibilis & inconstructa*. Et per terram intelligunt materiam primam expositores. Quod si qua nigra entia cernuntur, non per se cernuntur, sed per iuxtà posita accidentia visibilia, & per lucem quæ ab eis rincta reflectitur. Palam enim in tenebris nihil videri: ac idem esse si apertis, & si clausis intueare oculis. Rectè Virgilius ait: *Tenebras explorat inertes*: quoniam actiuæ non sunt, & proinde materialis facies est Tenebra: licèt Telesius duas faciat tenebras, alteras actiuas, quæ sunt facies frigoris nobis ignotas: quoniam ab imo terræ ad nos non eleuantur. Alteras passiuas, quæ sunt Materiei vultus, nos tamen putamus facies frigoris secus constituendas, vt in Metaph.

Similiter, Resp. ad id quod obiicitur, quia Materia habet motum deorsum, ergò est formata, & solers, quod motus deorsum est casus, & delapsus, non autem actio, & operatio. sed passio, & impotentia ad motum. Cum enim nequeat frigori dari motus talis, quippe cuius est immobilitare, neque calori, cuius est sursum mouere: Materiæ sibi derelictæ, tribuendus videtur; quem meritò in fine accelerat, quoniam pati non agere proprium est eius: ac proinde exosam speciem actionis terminare auidam. Potētia enim, sapientia, & Appetitus ad se conseruandum cunctis rebus inest aliquo modò ante quæcunq; principia Physica. Quod autē talis motus grauitati non sit tribuendus, neque terrestri consimilitudini, neque Aëri superposito, in textu probatum est, quoniam & calida entia motum hunc accelerant in fine; & grauitas respectus est, & Amoris impetus ad proprium locum, non autem entitas; & suppositus aër natura crassior, & grauante mobile conspissatus tardiorem in fine delapsum facere deberet. Posthæc in Metaph. inuenimus, omne corpus vnius systematis, quà corpus, tendere ad vnionem, ergò ad centrum, quò conseruantur in vnum: sed quà formatum, ad alios situs, cum autem præualet corpulentia accelerari ad centrum. vide ibi.

Vtrùm de Potentia Materiæ formæ educantur, an ab agentibus principijs effundantur imprimantúrque.

ARTIC. III.

1. VIdentur Aristotelicis de gremio Materiæ formæ educi virtute causarum actiuarum; quoniam Aristoteles negat ideas. Ergò formas ab agentibus non dari, sed de Materia, quæ est in potentia ad formas, educi oportere: patet enim, quod omne simile generat sibi simile.

2. Agens non potest formam propriam dare, quia ipsum absque forma remaneret: neque quam non habet. Ergò educit ipsam è sinu materiali.

3. In seminibus palam est, quod insint formæ rerum. Nam ex propriis quæque seminibus res fiunt, non ex alienis. Ergò quoniam formæ potentia erant in eis: semina autem materialia sunt principia.

4. Sanctus Augustinus ponit omnium rerum semina in mundo; hæc autem esse non possunt, nisi formæ in potentia materiei latentes.

5. Elementa producunt entia secunda ex se ipsis carentibus forma elementatorum, non enim in cælo, & terra, vel in igne, aëre, aqua, & terra, reperiuntur formæ animalium, lapidum plantarum, &c. Ergò in Materia insunt potentialiter.

SED Contra est S. Iustinus in lib. Confut. docens: Arist. in hoc prorsus errasse, & S. Augustinus de Verbis Domini: vbi vocat Verbum Dei formam omnium formarum. Verbum autem causa actiua est à qua Augustinus deriuat idealiter omnes formas in exordio rerum, & progressu. Item Boëtius 5. de Trinitate ait, quod formæ in Materia venerunt à formis sine Materia. Item in natura idem patet: ait enim Moyses; quod Deus fecit duo luminaria, vt luceant super terram. Lux autem hæc à sole diffunditur in terram, & non educitur de potentia terræ nigræ tam subitò. Ergò similiter omnes aliæ formæ ab agentibus causis effunduntur in Materiam; quod passim scripturæ sanctæ, & Doctores prisci docent. Præterea nec formæ cælorum, nec elementorum, nec hominum, iuxta Doctrinam S. Thomæ, eductæ sunt de potentia materiæ: ergo nec elementatorum; quæ fiunt ex complexione & concinnatione, & temperamento eorundem.

Præterea non potest fingi modus, quo de Materiæ sinu formæ educantur: nam ipsam Materiam in formam conuerti impossibile: cum sint res disparatæ, & diuersæ: sicut neque linea conuertitur in albedinem, neque passiuum Ens in actiuum. Item si forma educitur de sinu Materiæ, & forma dat esse Materiæ, ergò fiunt ex alterutris: & sunt simul principia, & non principia; cuius contrarium Aristoteles probauit. Hoc argumento etiam vtitur contra eum S. Iustinus. Item neque formæ possunt latere in Materia; vt sit manifestatio, & non generatio. Etenim formæ contrariæ sunt, & in eodem materiæ puncto inueniri non possunt.

Item cum calor occupat lignum, ignit illud totamque Materiam vsquequaque permeat, ita vt nullam frigoris particulam derelinquat, neque appetitum ad frigus. Ergò non potest latere forma contraria, vbi contraria intrinsecus regnat; neque duæ potentiales materiæ: & rectè S. Thomas hanc sententiam improbat. Similiter & quæ ponit inchoationes formarum per easdem rationes subuertitur. Dicitur quidem materia esse in potentia ad formas; sed talis Potentia est Passiua, & receptiua, si quis de illi; non autem datiua; alioquin infinitæ formæ, & contrariæ laterent; vbi regnat contraria forma. Præterea hoc contra naturam docent Peripatetici, formas non habere subsistentiam, educique de gremio materiæ, quæ non habeat esse, nisi à forma, cui dat esse: & subsistat per formam, quæ non subsistit, & forma fiat per compositi factionem: quod tamen non fit nisi quia forma sit in materia.

Quod autem dixit Anaxagoras, esse quodlibet in quolibet particulatim, & inuisi-

biliter, ſed formatum: vanum eſt. Non enim in igne eſt frigus ſecundum aliquam ſui particulam, ſed tantum corpus materiale, quod poteſt aliunde frigus ſuſcipere: non autem à ſe emittere. Et cum ait, ergò fit ex nihilo, ſi ex quo non eſt, negatur conſequentia. Neque dicendum cum Ariſtotele, quod ſit in potentia materiæ, niſi vt recipiatur, ſed in poteſtate agentis. Multiplex videtur eſſe forma apud Peripateticos: alia Paſſiua, vt circulus, triangulus, figura hominis, naſi, pedis &c. Et hæc eſt Quantitatis extremitas ſic concinnata ab agente cauſa prout materia ad eius deſeruit vſum. Facimus enim ferram cum figura apta ad ſecandum, vti dentes; & naſum deorſum amplum aptum ad hauriendum exhalationes; oculum rotundum ad videndum vndique, & mouendum aciem viſus circumquaque: & ideò oportet aſſerere eſſentiam harum formatum eſſe in idea agentis, vt domus in domificatore, & ſcriptura in ſcriptore: Eſſe verò recipi in lignis, & cemento, ſicuti ſcriptura in pagina. Et quamuis multæ formæ nobis à caſu fieri videntur, nihilominus, a benè intelligente cauſa vſum formarum, fieri eas oportet, vt Angelorum miniſterio; ſicut Origenes, & Auguſtinus tradunt, vel ab Anima Mundi ſi qua eſt, vt Plato, & aliquando Baſilius.

Ex figura, teſte Richardo, exteriori tranſlatum eſt nomen formæ ad interius temperamentum, quod ex caloris, frigoriſque ope à cauſis præſidentibus exterioribus ſit vt Auguſtinus docet. Non enim calor, & frigus tales temperies ſciunt, aut intendunt facere: ſed caſu eueniunt reſpectu eorum: ſed Dei prouidentia eis vtente ad formas metallorum, lapidum, plantarum, &c. Tranſlatum eſt deinde nomen formæ ad cauſas agentes, vt calorem, & frigus; & has palam eſt à ſuis agentibus effici cauſis: non enim in aqua, præſertim Ariſtoteli frigidiſſima, latet calor, quem ignis illi dat; ſed ab igne ipſo deriuatur, ſicuti & lux. Deus enim dedit vires ſui diffuſiuas omnibus cauſis actiuis, atque proinde multiplicatiuas; & de ſubiecto in ſubiectum accidentia materialia non migrant, ſed actiuæ migrant non eodem met prorſus numero, ſed ſpecie ſeſe communicando. Attamen abſque Deo hæc multiplicatio non fit, vt patet in Theologia. Modificatio verò ad certas temperies in materia faciendas, eſt à cauſarum concurſu, cui tamen præſidebat cauſa ſapientiſſima: ſicuti cum fit gladius ab igne, & malleo, præſidet artifex: quod ſoli Platonici, & Stoici fortè, & Pythagorici intellexerunt. Ariſtot. verò euanuerunt in cogitatu ſuo. Vide Iuſtinum ſanctum Philoſophum contra hanc de potentia materiæ, quæ nihil eſt, formarum eductionem argumentatum fortiſſimè.

Ad primum Argum. Reſ. Quod Ariſtoteles, idcircò ideas negat, quia Deum Mundi factorem eſſe negat: ſed quidem impoſſibile eſt ab elementis ſtupidis fieri res tam affabrè elaboratas, niſi cauſa intelligens vtatur illis. Verum quidem eſt, quod homo facit hominem, non tamen tanquam agens principale; non enim pater meus ſcit quot oſſa, & quibus figuris, & ligamentis compaginata ſunt in me; & quem habent vſum; neque mater. Ergò ipſi ſunt quaſi fornellæ, & officina, in quibus Deus, vel Angelus hoc opificium facit, vt ait Iob, *Sicut caſeum me coagulaſti*. Vide Metaph. Similiter ignis generat ignem, ſed per vim diffuſiuam à Deo inditam. Hoc tamen eſt pro nobis, quoniam ſequitur, quod ignis non de ſinu materiæ educitur, ſed ab igne altero communicatur: ſic & ſigillum ceræ ſe ipſum communicat.

Ad ſecundum Reſ. quod agens non dat formam propriam, ſed ſimilitudinem propriæ; neque illam educit de materiæ ſinu ſed diffundit per vim à Deo ſibi inditam, vt calor calorem alium numero, & eundem ſpecie.

Ad tertium patet, quod in ſeminibus ineſt materia, & vis actiua, & idea generantis, eſt enim deciſio omnium cauſarum proximarum ad conſtituendum alterum numero Ens. Non ergo ſunt cauſæ materiales ſolum, ſed etiam actiuæ. Spiritus enim generantis pars eſt in eis, qui efformat ex ſemine materiali corpus conſimile illi, à quo deciſum eſt ideam eius inſitam imitando. Sicut enim Spiritus pomi in arbore operatur faciens ramos, folia fructus: ſic in ſuo poſtea ſemine facit. Stulta autem eſt illa Ariſtotelis ſententia, quæ ex inanimantibus ſeminibus animata facit corpora per motum generantis remanentis, ſicuti in virga agitata. Stupida enim res motus eſt,

& propè

& propè nonens nequaquam ad animam procreandam nobilissimum Ens, sufficiens. Item ille motus subito deficit, & semper continuò decrescit. Vis autem formatiua semper augetur. Ergò non est motus, sed quid optimum: sed de his infra. Vnde veritate coactus in 3. de gen. Animal. docet, in ipsis elementis inesse vim animasticam. Et Auer. ibi calorem dicit esse animatum id est, animasticum *Cap. 11.*

Ad quartum Resp. quod Augustinus agnouit Aristotelis positionem impossibilem, idcircò ponit semina realia rerum, vt non ex nihilo res fiant. Attamen causas formatiuas ponit Angelos in 3. Trin. & instrumentales elementa actiua: nec tamen in gremio materiæ informis ponit virtutes seminales sed in toto Mundo. Ipsumque imitans Alb. ponit inchoationes formarum: sed non in sinu materiæ, qui nullus est nisi potentia receptiua incorporea Peripateticis, sed in tota mole corporea Physica. Vide Metaph.

Ad quintum Resp. facilè, quod quia elementa non faciunt simile, sed dissimile: oportet ponere ideas, & causas agentes secundum illas. In Materia enim latere tam pulcherrimas formas, stultè est opinari: neque enim ipsa dat, sed recipit. Datorem ergò formarum adhibere oportet, vt Galen. cogitur fateri, & Auicenna, & Plato; sed tamen vtrum Deus, aut Angelus, aut Mundi Anima, vel Colchodea sit formarum opifex, in Metaph. disputauimus. Nunc sufficit scire, quod omnes formæ ideales sunt primò in Deo sicut in magistro, in quo Angeli contuentes exprimunt eas in materia, sicut pictor & domifactor, & scriptor. In Angelis ergò sicut in discipulo, in elementis sicut in instrumentis, in seminibus sicut in receptiuo. Vide Metaph. Dator tamen formarum, si non est Deus agricolando operatur, ait Aug. adhibendo Actiua Passiuis & concinnando donec veniant ad certum ordinem & temperiem, & gradum, qui respondeat ideæ primæ Artis.

APPENDIX AD QVEST. VII.

Vtrùm Corpus Materiale componatur ex superficiebus, superficies ex lineis: linea ex punctis; vt Platoni placet: an linea ex lineis semper diuisibilibus in infinitum: & superficies ex superficiebus, & corpus ex corporibus in infinitum diuisibilibus.

ART. IV.

1. VIdetur Arist. secunda sententia verior. Nam, inquit in 3. de Cœlo. & in 6. Phys. ex non quanto non fit quantum; puncta non sunt quanta, ergo non potest linea quanta ex eis constitui. Probatur minor: quoniam de ratione Quantitatis est esse diuisibilem, sed puncta sunt indiuisibilia, ergo non sunt quanta. Probatur maior adhuc, nam non quantum est indiuisibile, sed indiuisibile additum indiuisibili non facit maius, ergo non potest facere quantum. Probatur minor, indiuisibile tangit indiuisibile, vel secundum totum; vel secundum partem; non secundum partem, quoniam haberet partes, ergo esset diuisibile, contra hypothesim. Si secundum totum; ergo totum est in toto & non facit maius. Imo puncta infinita non possunt facere nisi vnum punctum: nec occupant plus loci, quam vnum. Probatur, quoniam si plus loci, non verè essent indiuisibilia sed haberent extrema hinc & inde, quo tangitur ab aliis punctis hinc & inde: quæ autē habent duo extrema, sunt diuisibilia, ergo.

2. Prætereà si vna linea haberet decem puncta, & alia vndecim, illa non posset excedere istam: excessus enim est à maiori quanto, sed punctum illud vndecimum, non est quantum, ergo &c. Et cum opponitur, quod in numeris indiuisibile facit

maius; nam duo puncta faciunt plusquam vnum: concedunt in numeris; quoniam non continuantur: imò & in tempore, & in motu si addatur momentum aut instans, fit plus, aiunt, sed non extensius.

3. Arguit Arist. Si linea & corpus componeretur ex indiuisibilibus, tunc non posset velocius mobile transire spatium quodcunque citius quàm tardissimum. Si enim linea, super qua fit motus habet 20. puncta; tunc velox transit punctum vnum in vno instanti. Tempus enim, & motus, & magnitudo super qua fit motus, condiuiduntur: ergo in 20. instantibus faciet motum suum velox: At tardum etiam in 20. instantibus. Nam si non instanti vno percurreret punctum vnum, moraretur per aliquod tempus, vel per aliquot Nunc, in vno puncto; quod velox transit in vno Nunc. Hoc autem est impossibile. Sequeretur enim quod in vna parte temporis transiret vnam partem puncti; & in altera alteram: ergo punctum haberet partes quod est falsum.

Si respondes mobile tardum in vno instanti transire vnum punctum; sed velox plura, tunc arguitur. Ex hoc sequitur quod idem mobile sit in eodem tempore simul in duobus locis sibi adæquatis. Etenim datur mobile velocissimum compositum ex 4. punctis quod in vno instanti percurrat octo puncta. Tunc sequitur quod in eodem instanti sit in duobus, primis quatuor punctis sibi adæquatis, & in quatuor sequentibus similiter adæquatis. Transit enim hæc omnia in vno Nunc. Præterea si percurrendum est spatium constans ex imparibus punctis, puta ex quinque: si mobile vnum erit duplo velox quam alterum, tunc velox transibit in vno instanti spatiũ; Tardum verò in quinque & dimidio, ergo erit punctum diuisibile, & instans, & contra hypothesim.

Respondetur quod motus constat ex morulis diuisibilibus; & ideo tardum mobile quiescit in vno puncto; & deinde in aliis semper aliquatenus in quibus velox non quiescit. Sed contra aiunt, tarditas & velocitas non potest ex præfatis morulis prouenire. Nam partes rotæ centro proximiores tardiùs mouentur quàm distantiores, percurrunt enim breuiorem circulum in eodem tempore: & illæ maiorem in eisdem morulis, ergo velocitas & tarditas non est à morulis pluribus, & paucioribus. Præterea isto morulæ sunt quietes; ergo non datur vllus motus continuus nec velocissimus. Nam quocunque veloci dato potest dari velocior, ergo omne mobile quiescit in punctis spatij; quies autem interrumpit continuitatem motus etiam velocissimi, nisi fiat sine tempore quod est contra rationem motus.

Resp. Non dari punctum omnino indiuisibile: Nec in Mundo corporali, nec in Mathematico, nec in Mentali: & ex punctis lineam, motum ex momentis Tempus ex Nunc.

SED Contra est D. Thom. pr. p. quæst. 63. art. 3. Vbi docet Angelos in primo instanti meruisse beatitudinem, sed tamen non esse præmiatos, quoniam in secundo corruerunt; sed non poterant corruere quando merebantur; quoniam statim sequitur ad meritum ipsum præmium: Ergo in fine primi instantis reliquerunt præmium, & gratiam; nec enim in secundo potuerunt simul relinquere gratiam in toto primo retentam, sed accipere præmium. Vnde videtur S. Thomas dare instanti prius & posterius. idemq; patet in punctis & momentis, respiciunt enim anteriorem & posteriorem partem, quas continuant: ergo aliqua partialitas est in punctis, & in Nunc, & in momentis. Si quidem puncta continuatiua & instantia, sunt fines præcedentium & principia consequentium, vt docet ipsemet Aristotel. Non potest autem idem secundum idem esse principium & finis: ergò secundum varios respectus: Ergo saltem habet partes respectiuas: Item in sexto Physicorum docent Peripatetici cum Aristot. quod instans incipit per primum esse;

& definit per vltimum esse sui; sed non est idem incœptio & desitio, illa enim respicit terminum A quo; ista Ad quem; ergo sunt in puncto quasi partes, & respectus duo, à quo, & ad quem.

Et quidem diu considerando non inuenio puncta sine partibus neque in mundo corporali; vbicunque enim signentur, cum per se non subsistant, sed in alio & cum aliis, & continuent illa alia ex diuersis sitibus. Consequens est vt habeat partes situales respectiuas & si non absolutas, & per se esse possibiles. Præterea Leucippus inuentor atomorum, ex quibus omnia componit, ipsumque secuti Democritus & Epicurus, atoma dixerunt propterea indiuisibilia, quoniam nos non possumus ea diuidere, sed tamen dedere illis figuras rotundas, & aculeatas, & angulosas; ergò partes. At si detrahas angulos & vncinos, oon potes illa cogitare nisi rotunda, veluti cogitatur centrum indiuisibile, circa quod circulationes adiunguntur paruulæ, donec venies ad rotam magnam, & videntur esse superficies centri indiuisibiles aggregatæ semper, exerescentes. Si autem accipiatur punctum in spatio Mathematico, similiter statim habet partes. Nam respicit ad varias spatij, & quasi Mundi posituras; ergo cum alius sit respectus ad Orientem, alius ad Occidentem, & innumeri respectus ad alias partes: consequens est, vt etiam in spatio demus punctis partes respectiuas, & si negemus ipsum in se posse partiri. Similiter in mundo mentali non licet imaginari punctum impartibile secundum loci positiones, sed tantum secundum soliditatem.

Qui fiat constitutio ex indiuisib.

CONstitui autem ex punctis lineam videtur necesse: & motũ momentis, & tempus ex instantibus: hac differentia: quòd illic permanēt indiuisibilia, in his verò fluunt. Vnde intelligitur instans & momentum vnum fluens, apud quosdam Peripateticos, & tamen non fluit vnum, alioquin tempus esset vnum instans cum fluxu; & sic motus vnum roomentum cum fluxu, ergo linea vnum punctũ cum permanentia; quod est falsum; ergo instans, quod præcessit hodie noo est illud quod nuoc. Dicunt quidē Pythagorici ex fluxu puncti causari lineam, ex fluxu lineę superficiem, ex fluxu superficiei, non linealiter, sed superficialiter fluentis, corpus. Et hoc verum est in abstracto, & doctrinaliter, non autem realiter. Nam punctus dum mouetur puoctualiter facit sibi similia per totum tempus quo mouetur, veluti generans per tempus cum mouetur generatiuè; ita quod generat puncta, quod mirum est. Aculeus enim̃ desinat in punctum: tunc tangendo corpus, super quo fertur; semper puncta generat incessanter, ex quibus tandem est linea. Hoc autem possibile esse declarat sphera, quæ tangit spheram & planum in puncto: ducta autem super planum facit lineam, quoniam punctus contingentiæ, tangit punctualiter semper ac punctos: ergo semper & simul generat punctos; qui faciunt lineam: Vnde non possumus euadere quin linea sit ex punctis: sic tempus ex instantibus. Nam & si Nunc vnum fluat, fluit se ipsum multiplicando, sicut calor se ipsum [illegible]undendo, calorem generat; quidquid autem fluit in alio, fluit & ab alio: propterea tempus & motus & linea in ideis per se sunt, non autem in Mundo materiali, nec in Math. nec in mentali, fortasse, sed in Archetypo, in quo sunt permanenter: imitatur ipsum maximoperè mentalis, & ideo motus, & tempus transacta remanent in anima, sicut præsentia, itidem & futura sunt in mentali, non autem in Physico. Vnde palam est, quòd anima Deo est simillima, cui futura & præterita sunt præsentia.

Quòd partes & puncta insunt actu.

Non sunt audiendi Sophistæ, qui dicunt, tangi puncta in potentia non in actu, cum pertransitur spatium. Motus enim actu fit, & tactio actualiter; puncta autem non sunt potentia sed actu, alioquin actu non tangerētur. Præterea Arist. dicit in 5. Metaph. lineam diuidi in ea, quæ insunt. Et D. Thom. lect. 15. ait, mistum diuiditur in ea, quæ insunt virtute: Quantum in ea, quæ in sunt actu. At, inquam, in tot partes diuiditur, quot insunt actu: ergo sunt finita, & puncta, Nam sphera mensurat planum tempore finito; & punctualiter semper tangendo. Probant etiam moderni de mente Arist. & D. Thom. quod partes insunt actu in continuo realiter distinctæ, licet non diuisæ realiter ante sectionem. Nam quando Arist. ait, quod sunt in potentia: non negat nisi quod non sint actu per propriam existentiam, sed totius.

Respondent ad Argum. de sphera mota super planum, quod non tangit continuatim, sed saltillando. Vide dementiam. Saltillatio fit quando impetu impresso se se mouet pila super planum. At cum ego moueo illam grauando & continendo, vel acumen acus: non potest fieri saltus vllus.

Respondent alij, quod licet tangat punctum, tangit tamen lineam; quoniam punctum motum facit lineam. Sed isti illudunt: Nam hoc est, quod volumus, punctum tangere semper punctualiter, non enim minus puncto, nec plus tangere potest etiam Arist. testimonio, & tamen quia absoluit illa puncta, conuincimur dicere, quod linea plani facta à sphera constat ex punctis, & finitis: per accidens enim est quod faciat lineam & tangat lineam ad numerationem punctorum. Imò quia tangit lineam semper in punctis, & quia punctualiter tangens facit lineam, necessario sequitur lineam constare ex punctis, & ideo esse indiuisibilem in latitudine: & continuatis, & ideo diuidi secundum longitudinem. 6. Phys.

Præterea arguebat Zeno: si constat continuum ex indiuisibilibus in infinitum, ergo non posset fieri motus super illo; infinita enim non est pertransire. Antequam enim venias ad medium, itur ad medium medij; & ante hoc ad dimidium illius medij. & cum media sint infinita, nunquam perueniretur ad finem.

Respondent, quòd partes temporis sunt etiam infinitæ, & similiter partes mobilis; posseque proinde infinitum altero infinito metiri. Sed contra: partes motus habent principium & finem, vt linea sua puncta extrema. Similiter etiam partes horæ, & partes diei. At inter finitorum terminos non potest infinitum contineri; hæc enim est causa vna apud eos, qua non datur infinitum quantum. Respondent, quòd partes illæ infinitæ sunt potentia; & propterea continentur intra terminos. Sed contra Arist. docuit, quod sunt actu, alioquin non posset diuidi in illas, quæ non insunt. Ipse enim ponit omne continuum esse diuisibile infinities, propterea quod habet partes distinctas, non solum etetogeneum, sed etiam homogeneum. Item sphera rotata super spheram, actu tangit omnia puncta: Ergò actu sunt, ergo finita. Si enim infinita, non finiretur motus & tactio omnium. Dicunt alij quamuis partes æquales seu aliquotæ sint finitæ intra duo puncta, vt quatuor palmi faciunt vlnam, & quilibet palmus est finitus; nihilominus, aiunt, partes proportionales sunt infinitæ. Nam palmus sectus in duo media, iterum potest in quolibet medio secari, & deinde quodlibet medium proportionaliter absque fine; nunquam enim venitur ad puncta indiuisibilia, & tamen omnis pars est diuisibilis in infinitum.

Sed contra: Non potest diuidi nisi in partes quas habet, sed habet finitas, ergo non diuiditur infinities. Præterea sequeretur, quod totum non est maius sua parte. Nam ista pars lineæ sicut tota linea constat ex infinitis, ad quas diuiduntur.

Præterea sequeretur, quod tot partes habet granum milij, quot totus mundus, ergo æqua vtriusque moles. Nam dicunt vtrumque infinitas habere: infinitum autem infinito non datur maius.

An possit cogitari infinitum maius infinito: & plura infinita.

Respondent quod formaliter infinitum non est maius infinito, sed materialiter: linea enim habet plus Quantitatis, quàm sua pars. Sed tamen in hoc quod vtraque est diuisibilis infinities, conueniunt. Item infinitorum hominum essent digiti decies infiniti supra infinitatem infinitorum hominum. Ergò datur infinitum infinito maius. Præterea vnum infinitum esse maius alio infinito patet, quoniam superficies infinita, est maior linea infinita. Item dato numero infinito, tunc habet paritates & imparitates infinitas. Totus autem numerus maior est suis partibus infinitis, idest ternarijs infinitis & quaternarijs infinitis. Præterea si duo numeri Angelorum sint infiniti, & Deus auferat ab vno infinito centum Angelos, tunc remanebit alter infinitus maior, nisi quis dicat ablatione centum finiri infinitum, quod est falsum, nam sequeretur, quod constabat ex finito illo reliquo, & finitis centum, ergo non erat infinitus.

Sed falluntur petitione principij ex falsa imaginatione cogitantes infinitatem esse formam quandã in maiori & minori materia inhærere potentem: Cum prorsus verũ sit, Ens tantum infinitari, non autẽ hoc aut illud quod ex sua partialitate habet, vt non possit infinitari. Vnde nec Materia potest esse infinita, cũ sit aliquod Ens finibile à forma, neque forma potest esse infinita, cũ sit aliquod Ens finibile comprehensum à Materia; neque compositum cum constet ex partibus finitis.

Quapropter linea non potest dari infinita, nec superficies, nec vlla Quantitas, omnis enim Quantitas est Tantitas: Ergo finita; quanti enim est quantificare id est finitare substantiam seu essentiam, ergò falsò ex petito negatoque principio, imaginatur homo, quod superficies detur, aut linea infinita, non dato infinito ente; tunc enim sequitur quod pars entis possit esse infinita, & totum finitum. Vnde S. Thom. in 3. p. docet quod corpus infinitum non potest esse maius alio corpore infinito, sicut potest linea finita: & numerus finitus, quod concedit quidem secundum imaginationem, quia illud est verisimilius quàm hoc; probauit enim Deum non esse corpus substantiale; quoniam nullum corpus potest esse infinitum. Igitur quod dicunt de linea maiori quantitatiuè quàm pars; cum tamen vtraque infinities diuisibilis: falluntur: quoniam nec linea, nec pars vlla rerum potest esse infinita. Imò nec numerus vllus potest referri infinitus. Si enim numerus est, numerabilis est, sicut si Quantitas est, tanta est: Numerabile autem, & Tantum includunt in quidditate nominis finitudinem. Ideo non potest fieri hypothesis hæc, si numerus esset infinitus, omnis paritas eius esset infinita, & tamen minor numero toto: sicut neque ista: si calor esset frigus, gelaret ignem; dato enim impossib. quidditatiuè impossibili, omnia impossibilia sequuntur: ergo non est imaginabilis numerus infinitus. Esset enim contra prima principia, *Omne totum est maius sua parte*: & decipiuntur Mathematici putantes posse quippiam diuidi sine fine. Quod enim finitum in se est; etiam finities diuisibile est. Vnde & S. Thom. ait, quòd infinitum naturale non potest diuidi infinities, concedit autem de Mathem. Mathematica autem doctrinalis est seu exemplaris, vt que possit docere dat diuisibilitatem istam: sicut cum dicit, omnis linea causatur ex fluxu puncti, & sphera ex circunductione semicirculi: vt enim numeremus, & diuisiones intelligamus, datur indiuisibilitas infinities secundum nos, non secundum naturam. Vndè optimè Aphrod. negat vnum infinitum maius altero. Et qui affirmat, propriam vocem ignorat. Similiter cum supponunt duos numeros Angelorum infinitos, falluntur. Neque enim potest dari vnus infinitus numerus, quanto minus, ergo duo? Propterea illa inconuenientia sequuntur, & positiones contra prima principia. Vndè falsò imaginamur infinitum hominum numerum, & decies infinitum numerum digitorum. Quocirca & Psaltes ait, *Sapientiæ Dei non est numerus,* *Psal. 146.* quasi dicat nullus est finis, id quod falsum esset si dati posset numerus infinitus, id est finitudo infinita. Et profectò argumentum ipsorum ipsos docere poterat. Nam ex numero infinito potest aliquid demi, ergo non erat infinitus: nam pars dempta est fi-

nita, & vnde dempta est, finem accipit rotum. Item si mundus esset verè infinitus, non posset ex eo quippiam demi. Finitur enim in loco seu parte vnde fit detractio. Epicurei ergo falluntur ponentes Atomos infinitas; Vnde & infinities infinitas fateri coguntur, non aduertentes quod infinitum non potest esse nisi semel & vnum omnino ens, necunde finibile: propter hoc doctè D. Thom. quidquid est in genere aliquo, finitum esse probat propterea, quòd Ens sub genere, est aliquod Ens. Infinitũ autem est simpliciter Ens non aliquod: ergo extra genus, simile toti non parti, licet nec totum nec pars, vt docuit rectè Parmenides. Imò, inquam, nec Deus potest facere infinitum Ens aliquod. Nec diuidere lineam in infinitum, nisi ipse addat quod diuidat: & sine fine. Quemadmodum cogitationibus & actibus Beatorum semper aliquid addetur. Igitur quando Aristoteles negat dari posse magnitudinem infinitam & numerum infinitum, rectè sapit. Postmodum verò secum pugnat, cum omne continuum sic diuidi posse in infinitum autumat, ita vt nunquam perueniatur ad Atomum. Verum Arist. sæpè, vt Lactantius & Iustinus notauerunt, contraria dicit & credit.

Quocirca argumentum illud (si omne continuum esset diuisibile in infinitum, granũ milij esset quantum est totus mũdus: nam aque infinities diuiditur, quoniam æquas continet partes.) Non rectè soluunt dicentes, quòd licet vterque sine fine diuidatur, tamen partes in quas diuideretur mundus, essent maiores. Ast hoc sanè irrationabiliter dici videtur. Nam & partes Mundi diuidi possent omnes, donec perueniant ad minutias illas, in quas milium secatur, nisi pluribus infinitatibus imò infinitis velis diuidi cælum quàm milium. Et tunc si pluribus, ergo non est æqua diuisio, ergo nec æquè infinitum milium. Respondent æquè formaliter, non autem materialiter. At hæc distinctio ex falsa imaginatione prodit, quia vtuntur infinitate tanquam forma; & tanquam finita. Infinitum enim abstrahit a formali & materiali: sic enim finitum esset, & propterea non dari infinitum, nec imaginatione vera potest, nisi Ens, & hic est Deus, quod non est totum, nec pars, licet similius sit illi rorum quàm pars: quoniam non est in numero nec pódere nec mensura. Quocircà prudenter Parmenides probauit vnum tantum infinitum carens existentia, & totitate, & partitate, & similitudine, & dissimilitudine, & temporalitate; & localitate. Qui consonans D. Thom. astruit non dari infinitum creatum: quia quælibet res creata habet existentiam cum essentia in aliquo genere; ergo desunt ei alia genera: cui autem aliquid deest, infinitum non est. Item finita habet accidentia & proprietates proprias. Item si esset indiuidua contrahitur à Materia ad hoc indiuiduum: & per formam ad aliquam speciem, vti per Modum ad aliquod genus.

Præterea aliud positionem præfatam sequitur absurdum, & conceditur ab eis coactis, quoniam vno inconueniente dato plura sequuntur, hoc est quod linea diuiditur in infinitas lineas, nunquam in puncta: & tamen in puncto diuiditur, & inter quælibet duo puncta datur linea: ergo componitur ex lineis infinitis, & ex punctis plusquam infinitis. Nam quælibet potest secari infinities etiam, & in punctis super infinitis. Concedunt nescientes quid concedant, scilicet pluralitatem infinitorum, & maioritatem ad inuicem, & quod tardum & velox æquè infinitam viam simul faciant, & quod infinitum sit finibile. Et quòd cui potest additio, & substractio fieri sit infinitum; cuius contrarium Metap. & ratio conuincunt, & ipsemet Arist.

De terminis successiuorum, & permanentium, A quo & Ad quem.

PRæterea cum omnia naturalia successiua & permanentia habent primum esse, & vltimum esse, sicut dies principium in egressu solis ab horizonte & finem in mersione sub horizontem, quæ fiunt in instanti, & linea habeat duo puncta, principium dat primum esse, & aliud vltimum esse, vnde S. Thom. 2. d. 1. q. 1. ar. 5. ad sextum. *Datur*, ait, *primum & vltimum momentum in quolibet motu.* Posita autẽ opinione Arist. Quòd inter quælibet puncta duo datur linea; & inter quælibet momenta motus. Et

inter quælibet Nunc duo, datur tempus: tunc non dabitur primum esse motus, nec primum moueri, & sua inceptio erit vltimum suum non esse, & finitio primum non esse. Sed isti termini sunt extrinseci, sicuti si diceres, lineam non determinari à duobus punctis, sed ad non esse prius, & ad non esse posterius in linea. Quod verum est de terminis extrinsecis. Et ista concedunt Aristotelici falsissima, vt tueantur illam falsitatem: scilicet quod non constant successiua & permanentia ex indiuisibilibus. Etenim si datur primum esse motus in instanti seu momento, tunc immediatè erat non esse, seu vltimum non esse in præcedenti instanti. Sed inter quælibet instantia datur tempus, ergo in tempore intermedio non potest dici quod motus erat, neque quod non erat, sed quod erat, & quod non erat. Sic etiam in fine. Hæc autem absurda portentosa. Si enim tempus ex nunc est, facilè datur primum & vltimū cuiusq; rei, sicut natura ostendit. Sin verò non datur primum & vltimum momentum, vel moueri, esset sine principio & fine motus ille, quem principiari & finiri, omnis sensus agnoscit. Porrò hæc in pri. par. Metaph. discussa, hîc pertransimus: dicto prius, quod omnis res finitur ad suum non esse, vt post vltima lineæ puncta non datur lineæ esse; & hoc verum est in essentia & in quantitate & in motu, & tempore. Omnis enim res ab alia differt per differentiam; quæ distinguit genus & constituit speciem; & distinguit speciem, & constituit indiuidua. Differentia autem quatenus distinguit, est non esse eorum à quibus distinguit; quatenus constituit, est esse rerum, quas constituit: vt rationale est homo & simul non asinus. Vbi patet quod datur intrinsecum & extrinsecum in ea. Sic in motu, & linea, & tempore datur primum esse & vltimum esse intrinsecè, cui necessariò associantur vltimum non esse, & primum non esse, imo præsupponunt primum esse & vltimum non esse, secundum quidditatem: alioquin nec primum non esse motus posset reperiri absolutè, & respectiuè, nisi quia adiacent primo esse; & vltimo esse: sicut nec in linea datur primum non esse & vltimum non esse; nisi quia datur vltimum esse, & primum esse, imo sunt essentiata ista, vt idem sit vltimum non esse cum primo esse. Et posito vno, vel dempto, ponatur vel dematur reliquum: sicut nec differentia esset differentia nisi simul constituat & diuidat. At Peripatetici deglutiunt omnem impossibilitatem, vt tueantur vnam falsitatem, seu cadentem à se ipsa veritatem.

Responsio ad principales rationes Aristotelicorum.

Ad rationes Arist. respondendo dicimus, quod sicut vnitas vnitati addita facit numerum dualitatis: ita punctum puncto facit magnitudinem. Quamuis enim vtrumque sit indiuisibile, quod tamē ex eis fit, diuisibile est in duo puncta. Cum additur, quomodo sese tangant, dico quod non potest vllo modo fieri tactus totalis, sicut enim linea secatur in puncto, & vtraque sectio punctum habet: nec tamen linea intermediabat, sic cum duo puncta iunguntur, non intermediat linea, vt faciant quantum. Et cum dicitur ex non quantis non fit quantum, idem est ac si dicas ex vnitatibus non fit numerus, imò numerus est ipsæ vnitates compositæ; sic linea est ipsa puncta composita, quæ simul ponuntur, aut continuantur aut contiguantur. Contiguantur autem Aristot. propterea quod aër intermediat, vel aqua; vnde sequitur, quod si nihil intermediet, continuantur. Et hoc accepit à Democrito, qui continuitatem ex exquisito contactu facit, quem sectatur Galilæus, contiguitatem ex contactu non exquisito: idque patet, quoniam quando plantas manus ita coniungimus, vt exprimatur omnis aër, difficile separamus, ne vacuum intercipiatur: Similiter si tabula tabulā tangeret nullo intermedio, difficile ab inuicem auellerentur. Patet enim, quòd cum aquis tabulas super ponimus, non possumus eleuare ex 4. lateribus æquè trahentes; quoniam aqua se immiscet, & intromittit, vbi habet excrescentias. i. quod non facit satis cum altera tabula: Imò nec ferrū ferro nisi liquefiant coalescit ad continuationem, sed arenam quandam ferrarij adiiciunt calefactis ferris, quæ in vtrumque hinc inde intromissæ, copulant quasi clauiculi vtrumque. Quapropter, si vacuum vel corpus interpositum facit contiguitatem: & carentia medij continuita-

2. de An. de Tactu.

tem, punctum puncto additum facit molem absque calumnia. Sed non videtur fieri in arte sicut in natura. Nos enim condensando aërem, sicuti fit cùm Sclopetum ventosum paramus, nunquam efficimus aquam; frigiditas vero & naturæ vis, condensat in aquam. Similiter quando ignis rarefarit, non conuertit in vnitates terram, & lignum, & aërem, quamuis condensatio per vnionem, & rarefactio per disunionem fiant: nam tunc vacuum interciperetur; quod natura auersatur. Ergo natura rarefaciendo & condensando, facit extensionem & intensionem: Ars vero solum coniunctionem & diuisionem. Nunquam enim terram dissociando nos facimus aërem, sicut facit calor, sed minutissimas atomos. Igitur continuationem non facit punctum puncto additum, nisi per qualitates actiuas atque primalitatum vi; sicut magnes ostendit, & totus liber de Sensu rerum. Atoma autem qualitatibus naturalibus prædita, non sunt indiuisibilia prorsus. Nam nulla forma videtur indiuisibili in materia posse stare. Cum enim in atomas partes carnem secueris, amittit esse carnis. Proptereáque Democt. qualitates oriri ex congressu atomorum putat: è contra Anaxagoras congressum atomorum non posse fieri nisi per qualitates docet. Neuter tamen ponit atoma prorsus indiuisibilia corpora, sed Anax. speciebus ornat inuisibilibus: Democritus vero figuris rotundis, hamatis, angulosis, & ita quòd possunt distingui, etsi non diuidi. Arist. autem introducit puncta indiuisibilia, & indistinguibilia. Et propterea non facere maius vnita, quod faciunt Anaxag. & Democr. contendit. Sed perperam, nam & ipse facit punctum continuatiuum principium & finem linearum, similiter & Nunc temporis. Et cum non possit secundum idem; ergo secundum aliud. Nam Nunc ad præteritum est finis, ad futurum principium: non potest autem esse principium quâ finis; ergò secundum alterum respectum, & esse alterum: ergò necessario cum additur punctum puncto facit maius, & omnis imaginatio contraria, fallax est.

Et ad argumentum dico, quod tangit atomum secundum totum materiale; sed non secundum totum respectiuum. Centrum enim aliter tangit alias lineas à peripheria ad se delatas. Vnde Arist. cogitur negare quod punctus tangit lineam aut punctum, & sæpè sibi contradicere in 6. Phys. & cum punctum sit in loco indiuisibili, plura erunt in pluribus indiuisibilibus seorsum: sed coniunctim diuisilibus. Præterea palam est quod nunc additum horæ facit maius. Sed hora terminatur in Nunc: ergo Nunc copulatur alteri nunc. Adsumptum non possunt negare. Quoniam duratio illa in nunc facit, ne motus desinat in nunc priori; ergo maior duratio. Concedunt: sed aiunt, non extensius tempus. Apprimè metientes, tempus enim est duratio rerum successiua, vel ipsa motus successio, quæ si per nunc fit maior apud eos; ergo extensior: hæc enim est maioritas motus & temporis, ergo additum nunc facit maius, ergo & momentum. Idque concedunt: ergo & punctum, idque ergo negant proteruiter. Et cum dicunt punctum additum lineæ non facere maius, falluntur, ac si dicerent, vnitatem additam numero non facere maius, nec momentum motui, sed aiunt linea ex vndecim punctis non posset diuidi in partes æquales: concedo. Sed tamen illa inæqualitas est imperceptibilis, sicut cum gutta aquæ additur mari, videtur autem mente Angelica, sicuti & excessus lineæ 11. punctorum super excessum lin. 10.

Ad secundam eadem difficultas premit opinionem contrariam, non modo enim sphera tangit semper puncta cum rotatur supra cilindrum, sed omne corpus habens extremitatem: omnis enim extremitas est vel punctum vel superficies indiuisibilis, quæ indiuisibiliter perpetuò tangit dum mouetur: ergo non modo velox non mouebitur citius quàm tardum, sicut in nostra positione videtur accidere, sed omninò nũquam mouebitur. Nam in Peripato; quælibet particula cum sit diuisibilis infinities, & quælibet particula partialis similiter infinities sit infinita, continet enim omnis lineæ pars infinitas partes: quæ iterum infinities est diuisibilis in eas, quæ insunt ex eo quod insunt, vt dicit Arist. cum S. Thoma; non autem in eas, quæ non insunt: ergo non dabitur motus nisi velint infinities infinita vnico actu pertransiri. Respondent Peripatetici, quòd sunt tantum potentia partes. Sed quia D. Thomas dicit actu esse partes, & pariter Arist. addunt, quod sunt actu sed confusè, & ideò cum sint infinities

infinitæ

infinitæ, & indeterminatæ non habent primam nec vltimam partem pertransibilem, alioquin daretur infinitum actu vel ex indiuisib. compositio. Complut. in Phys. q. disputatione 15. q. 3. sed si ista confusio prodest illis, cur etiam non nobis? Ipsi enim dicunt quoniam sunt indeterminata (cuius contrarium dixerant) pertransiri. Sic & nos puncta esse confusa; & propterea pertransiri plus eorum, non plura à veloci quàm à tardo. Sed leuis consolatio est soluere ad hominem, nisi ad veritatem descendas: profectò ista confusio est nostræ ignorantiæ, non autem naturæ, & Dei, qui videt partes distinctas & diuisibiles determinatè non confusè. Item & si nobis non daretur primum & vltimum in partibus spatij & temporis: quod est falsum: dabitur lynceo & Angelo. Prætereà probant ipsi quod non potest dari infinitum quantum, quoniam inter duos terminos linearum ab illo quanto decussatim porrectarum in infinitum, concluderetur infinitum. At nunc quomodo non pudet eos intra quælibet puncta duo quamuis propinquissima interponere partes infinitas actu distinctas, & potentia tantùm diuisas?

Respondentes ergo dicimus, quod mobile velox transit plus spatij, quam tardum in eodem tempore. Motus enim tardus componitur ex quiete & motu indistinctis, sicuti color rubeus ex albo & nigro, ex luce & tenebra, ita vt non possis distinguere. Similiter molle ex raro & denso. At hoc manifestum, dum arenulæ mouentur in aqua Tyberis contenta vasis, quoniam paulatim & per vnam noctem conficiunt suum iter de fastigio ad fundum operantes operationem inter motum & quietem. Non ergo est verum, quod velox & tardum, æquè conficiunt vnum punctum in vno temporis instanti, vel etiam illud plura. Cui cum obstet argumentum supra positum, fortasse certiùs erit dicere, quòd velocissimus motus conficit vnum punctum in vno instanti & plura in pluribus, tardus verò in duobus vel tribus: & cum infertur, ergo simul mouetur & quiescit in eodem puncto: negatur consequentia de eodem genere motus simplici, at de composito fatendum. Manifestè enim quæ lentè mouentur participant de motu & quiete, alioquin non daretur tardior vllus alter; omnis enim diminuutio fit per admistionem sui non esse, vel alieni esse; vt Tepor per diminutionem caloris, vel admistionem frigoris: ab illa per se: ab hac per accidens. Sequitur enim per accidens non esse caloris omninò vel in tanto gradu ad frigoris præsentiam. At cum arguunt quod motus tardus non esset continuus, quoniam ex quiete & motu fit: verum dicerent si poneremus mobile prius moueri in vno puncto, ac deinde quiescere in illo. Non autem si motus ipse vt tardus similiter sit quies, seu torpor. Sicut viriditas similiter est lux & opacitas simul, nec possis dicere duos colores distinctos.

Ad obiect. de rota cuius partes à centro remotiores velocius mouentur, quàm propinquiores, & tamen nulla pars habet morulam quam aliæ non habeant: Negatur assumptum. Quæ enim sunt viciniores centro immobili, sunt immobiliores, id est participant plus de immobilitate seu de quiete cęteri: quæ remotiores minus: hæ autem morulæ non sunt à tempore nec separatæ à motu: sed sunt ipse motus vt tardus est. Et quoniam propinquiora quieti, plus illa participant vt patet etiam in statera, & in leua, nedum in rota; ideo plus morulæ seu verius quietis: sunt ergo, &c.

Occurritur obiectioni imperiti zeli.

QVidam imperiti voluerunt probare esse definitum in Concil. Constantiensi tanquam de fide, quod sit error dicere, quod linea componitur ex punctis immediatis. Et non esse possibile quin aliter componantur: dicitur enim in sess. 15. quod sit error in Phys. quod linea componatur ex punctis, & contra potentiam Dei, quod non possit aliter componi. At quidem durā prouinciā accipiunt: quod enim dictū est, consultando non decernendo in odiū Ioan. Hus Hęresiarchæ, volunt dictum tanquam de fide: at etiam in Synodo Parisiensi damnatur quidam hæreti-

cus etiam de falsa Latinitate: at num propterea erit hæreticus qui illa Latinitate vtitur? Non sine scandalo audiuntur ista. Propterea debebant legere, quod articuli Hus sunt in consultatione Theologorum damnati. Et cum obiurgaretur de hæresi, ad ostendendum quod non ex sapientia sequebatur, sed ex malo Spiritu, notabant censores etiam Grammaticam & Physicam: sed cum venitur deinde ad damnationem: quod fit vbi decretum cum Anathematismo apponitur, & tunc solum est de fide tenendum quod profertur, non posuerunt patres oculatissimi hunc articulum: non enim pertinet ad fidem etiamsi censoribus sequentibus Arist. videatur error in Physica. Imò cum ista damnatio non sit facta conciliariter, licet in concilio sine capite adhuc, non habet vigorem, nisi postea in postremis sessionibus, quando post creationem Pontificis Mart. v. sunt etiam concilialiter damnati. Vbi fit nulla mentio de lineis. Non enim Spiritus Dei erat Spiritus censoris Peripatetici, nec istorum, qui nondum nouere quod non sunt de fide quæ dicuntur recitando, vel consultando, vel argumentando, nisi quæ dicuntur decernendo, & cum Anathemate à Concilio non acephalo, & non conciliabulo: vt ibi docet Mart. v. & nos in Theologicis nostris.



QVÆST. VIII.

DE PRINCIPIIS ACTIVIS rerum naturalium.

PHILOSOPHI omnes conuenisse videntur, quod principia rerum Physicarum contraria sint; quoniam in rebus contrarietas multa reperitur, ergò à causis suis procedit. Igitur plura erāt actiua principia, quoniam idem non agit in se ipsum, sed in aliud sibi contrarium. Ergò prima contraria sunt aliorum principia. Sed Pythagorici Metaphysicam contrarietatem considerantes, ponunt par & impar rerum principia: Empedocles vero litem & amicitiam. Manes malum & bonum. Nos verò posuimus Ens & Nonens. Sed hæc nihil ad præsentem tractationem, vbi de sensibilibus actiuis principiis sermo est. Posuerunt Physicam contrarietatem, alij solidum, & inane, vt Democritus: alij congregationem & segregationem, vt Anaxagoras. alij rarum & densum, sicuti omnes qui vno elemento vtuntur, ex quo generant per raritatem & densationem. Vid. Diogenes, Apollion. ex aëre sic facit omnia, & mutat. Anaximander ex vapore. Heraclitus ex igne. Tales ex aqua. Addit Democritus figuras, situs, ordinesque atomorum solidorum. Plato verò Deum ponit causam agentem, sicuti Anaxagoras, & Ideam, & Materiam: per Materiam autem videtur elementa intelligere, quæ ex Mathematicis componit, sine actiuis viribus, vel corpus illis substratum. Sed Aristoteles ponit, omisso Deo, materiam & formam, & priuationem, quasi Platonem secutus; sed addictus quasi Empedocli, & Hippocrati, composuit quatuor elementa ex Materia, calore, frigore, humiditate, & siccitate, magna cum inconstantia. Quoniam in primo Physicorum ponit duo principia actiua, & vnum passiuum. Mox facit priuationem nonens, & imitatur Parmenidem, qui posuit ignem, & terram. At in 2. de gener. & corrup. Ocellum secutus etiam in verbis, ponit quatuor elementa, & quatuor principia. Telesius quasi Parmenidem secutus in Physicis calorem & frigus ponit actiua principia, passiuum corpoream molem. Sed humiliter Philosophatus est, & solidè, ad metaphysicas causas non transcendit. Nos tandem duo passiua inuenimus spatium, & Materiam, tanquam bases primas,

illud, Entis, & corporum: istam, formarum: calorem verò, & frigus tanquam prima contraria omnium naturalium principia cum sint ipsorum elementorum constitutiua, solis scilicet, & terræ. Attamen in Metaph. præfiximus eis Potentiam, Sapientiam, & Amorem. Non enim, nisi appetitu, sensu, & potestate constent, agere queant: & Deum per ministerium Angelorum, vti opera istorum ad suas ideas in Materia exprimendas. Quapropter disputare oportet, num calor & frigus sint prima contraria digna, quæ principia Physicorum ponantur. Deinde de elementis ab eis constitutis nos manet sermo.

Dubitauerunt veteres num principia sint infinita, non quidem de actiuis. Omnes enim ad pauca numero ea reduxerunt, & ad contrarietatem, sed de passiuis, scilicet de atomis, quæ prima rerum semina esse arbitrabantur. Alij formata, vt Anaxagoras, alij informia, vt Leucipus, & Democritus. Sed de his disputare non est præsentis negotij: quoniam principia actiua quærimus. Materiam autem diximus esse vnam, quæ in atomas partes diuidi, & in molem maximam vniri à causis agentibus apta est. Scientia autem de particulis eius non datur mortalibus, quoniam indefinitæ sunt, & latent sensum, atque ignotæ prorsus. Sed in Metaph. de eis disputamus: & in præcedenti quæstione satisfecimus vel ex parte.

Vtrum Principia actiua sint plura, aut pauciora duobus.

ART. I.

1. Videtur quod sic, primo quoniam principia actiua sunt elementorum primò constitutiua: elementa autem sunt quatuor per Aristotelem, Empedoclem, Platonem, Hippocratem, Galenum, & Sanctum Ambrosium, & alios: ergò saltem quatuor Actiua Principia.

2. Principiata sunt innumerabilia, ergò & principia, quoniam omnis effectus propriam habet causam.

3. Prætereà alij posuerunt vnum elementum; alij tria. Ergò non solum duo.

4. Contrarietates sunt plurimæ in natura, quæ ex se inuicem non oriuntur: ergò plura principia: patet enim, quod datur calor & frigus; motus, & quies: rarum, & densum: graue & leue; dulce, & amarum: lux & tenebra, humidum, & siccum; rectum, & curuum.

5. Calor & frigus non sunt causæ omnium: quoniam anima, & sensus ab eis non est: non enim sentire est calefieri, vel calefacere, aut frigere, sed aliquid plus. Item consonantia, & dissonantia non sunt à calore & frigore; neque æqualitas, & inæqualitas: neque par & impar: neque casus & prouidentia: neque Ars & inertia; & res artificiales, quæ fiunt vnione, separatione, figuratione, &c. Idcircò videtur Aristoteles melius dixisse, qui posuit vniuersalissima principia formam & priuationem, quæ in prædictis omnibus reperiuntur, vt in calore, & frigore; die & nocte; dulce, & amarum; consonantia & dissonantia, &c.

SED Contra est Lactantius in lib. 2. cap. 10. & 13. Opif. Dei. Assignans principia duo, calorem & frigus. Similiter Basilius in Hexam. cælum & terram elementa prima ponit, quæ à calore, & frigore constituta sunt, vt probauimus. Item ab vnitate statim Binarius surgit. Ergò à Deo duo Physica principia.

Quod principia sint pauciora principiatis, inde patet, quod ab eadem causa vna plures oriuntur effectus, vt ab vno patre filij multi, ab vno sole entia multa.

Quod verò non sit vnum, inde patet, quod in mundo reperitur contrarietas effectuum. Ergò contrariæ sunt causæ. Quomodo à Deo vno contraria elementa manarent in Metaph. docuimus. Item quia simile non agit in simile, contraria oportet esse actiua principia.

Quod sint pauca numero inde patet, quoniã non omnia contraria sunt æquè prima:

Ex Arist. 1. Ph. ys. T56. sed alia ab aliis oriuntur quod etiam dicit Arist. 1. Phys. t. 50. & 56. vt rarum, & densum à calore, & frigore: dulce, & amarum à solo calore blando; robustóque, &c.

Quod verò sint duo tantum manifestatur ex natura materiæ. Est enim ipsa apta transmutari ad omnes formas, & idcircò vna est. Nam si plures essent Materiæ non quodlibet fieret à quolibet; sicuti videmus ex terra fieri ignem, aquam, aërem, lapides, plantas, animalia; & hæc deinde corrumpi in inuicem, & in terram tandem reuerti. Ex quo palam est, quod eadem est horum omnium subiecta Materia. Ad transmutandum autem vnam materiam primam, sufficit vna prima contrarietas; si autem duæ essent Materiæ, essent duæ primæ contrarietates, quæ seorsum transmutarent illas; ac proinde non esset mundus vnus, sed duo genera entium, & trans-

1. Phys. T. 56. mutationum non communicantium inuicem: sufficit autem vnum ad patiendũ & duo ad agendum, vt & Aristoteles cum Parmenide concludit. Quod autem prima contraria sunt duo iterum probatur, quoniam vnum non potest esse contrarium multis sed vni tantum, vt ait Ecclesiast. cap. 42. *Fecit Deus omnia duplicia vnum contra vnum*; vt calor frigori est contrarius: & non lineæ, neque similitudini, neque curritati. Potest esse contrarius his entitatibus, quæ à frigore manant, vt quieti & densitati, sed non æque primo & per se, & non nisi quatenus sunt à frigore. Igitur primum

2. Gen. T. 8. actiuum contrarium habet vnum, vt sint duo, sicuti in Metaph. probatum est. Quod humiditas, & siccitas sint qualitates passiuæ, Aristoteles quoque fatetur: vide quæstionem sequentem. Quod à calore, & frigore fiant, patet; nam sicca humescunt, cum molliuntur, & rarefiunt: calor autem emollit metalla, & lapides, & liquores, & in fumos vertit. Frigus verò condensat, Densa autem sicca sunt. Item materiæ explicatio, & restrictio sunt humor, & siccitas. Ergò à calore, & frigore per se, vel per accidens. Vnde Lactantius lib. 2. cap. 10. omnes contrarietates ad vnam primam calorem frigus, Cælum & terram, secundum doctrinam sanam reducendas esse contendit.

Ad primum Resp. quod elementa prima sunt duo Cælum, & terra, secundum Moysem, in quibus regnant prima principia actiua: & quod Aristoteles sibi aduersatur, vt infra docebimus. Empedocles verò fatetur Aërem, & Aquam esse secunda elementa, & ita interpretandus venit Ambrosius Platonem secutus, teste Augustino. Quod autem Plato duo prima elementa statuerit in Timeo secundum veritatem, nos in p. p. lib. 2. Metaph. euicimus. Ignem enim & Aërem, & Aquam ex scalenis componit pluribus vel paucioribus: Terram verò ex solis isoscelibus.

Ad secundum patet Resp. Quoniam principiata sunt plura, quam principia. Item hic quærimus principia prima Physica omnibus communia elementatis, vtpotè elementorum constitutiua. Idcirco licet particularia sint plura, communia tamen sunt duo tantum.

Ad tertium: vnum elementum ponere, erroneum reputamus, quoniam nulla esset contrarietas in Mundo; tria autem esse non possunt, quoniam ex extremis tertium fieret, ac proinde non esset primum. Item vnum vni directè contrariatur.

Ad quartum & quintum requiritur nouus articulus sequens.

Vtrùm calor, & frigus sint prima contrarietas, ad quam omnes aliæ reducuntur.

ARTIC. II.

1. Videtur quod non per quartum & quintum argumentum præcedentis articuli.

2. Item sapientia & ignorantia; vitium, & virtus: sunt contraria: & tamen à calore & frigore non oriuntur.

4. Item similiter bonum & malum, masculus, & fæmina; pater & filius; cæcitas & visio; lux & tenebræ; mors & vita.

SED contra est Apostolus, dicens. *Quæcunque à Deo sunt, ordinata sunt.* Rom. 13. Ergò alia aliis subsunt, sicut Potestas potestatibus in Republica. Et profectò si contrarietates seorsum existerent, & aliæ omnes à prima non oriuntur, Vnitas mundi, & mutua generatio non extarent. Lactantius quoque omnia contraria ad duo reducit Cæli, & terræ principia, lib. 2. cap. 10. & 13.

Sciendum autem, quod radix omnis oppositionis est contradictio; quæ est inter ens, & non ens. Oppositio enim alia est contradictoria, vt Petrus est, & Petrus non est. Alia est priuatiua, vt cæcum esse, & videre, quæ non addit super contradictionem; nisi subiectum aptum natum ad aliquem habitum, quem non habet vbi & quomodo debet habere. Alia est contraria, quæ reperitur inter formas duas actiuas mutuò se expellentes ab eodem subiecto. Igitur addit super priuationem actiuitatem. Sicut priuatio supra contradictionem, subiectum. Alia verò est relatiua, vt inter Patrem, & filium; quæ non habet de se semper actiuitatem, sed quod esse vnius in quantum relatiuum dependet ab esse alterius. Idcircò sunt simul intellectu, & natura: non enim est pater, nisi sit filius, neque intelligitur. Alia est differentialis cuiusmodi reperitur inter duas res sub eodem genere positas, sed differentes inter se essentialiter, veluti inter Hominem, & Asinum sub animali. Alia diuersificatoria, quandò etiam genere differunt, sicut linea, & albedo, sapientia, & triangulus; & in his non potest mutua transmutatio reperiri. Quando dicimus omnem contrarietatem reduci ad calorem, & frigus; intelligimus de contrarietatibus veris, & physicis, non de priuatione, & relatione, & contradictione, & diuersitate: quæ oriuntur ex vnitate, & multitudine; & ex Ente, & non ente non semper actiuis componuntur, sicuti contraria. Item neque loquimur de his, quæ pertinent ad artes, & mores, quoniam istæ contrarietates sunt alterius generis, & potius oppositiones vniuersaliter dici debent, sicuti & Metaphysicales.

Notandum prætereà quod calor, & frigus sunt causæ principales omnis transmutationis physicæ: formationis verò, & ideationis animalium, & plantarum, & aliarum rerum sunt causæ instrumentales, regulatæ Fato, Necessitate, & Harmonia à causa ideante principali Deo, & non principali Angelo.

Ad primum argumentum ergò, quod erat quartum articuli antecedentis, Resp. quod omnes contrarietates physicæ, actiuæque reducuntur ad calorem & frigus: nam raritas est caloris dispositio in subiecto, quod vult mouere, ideóque prius illud attenuare necesse habet. Densitas verò est frigoris dispositio omnia stringentis, & constipantis; quale est tellus subiectum illius Regnum. Ad Rarum, & Densum sequitur inanitas, & soliditas Democriti. Item Congregatio, & Disgregatio Anaxagoræ. Grauitas quoque & leuitas, quidquid dicant Peripatetici, qui substantiales formas priores calore, & frigore eas faciunt. Humiditas verò, & siccitas palàm sequuntur Rarefactionem, & Densitatem, quæ sunt materiæ expansio & constrictio; & ex his manant Molle, & Durum, Congelatum, & Liquidum; quas passiones esse infra patebit à calore, & frigore genitas. Vnio, & Diuisio materiæ est causa vnitatis, & numeri materialis. Frigoris autem est vnire per se. Caloris verò disgregare, & diuidere; licèt per accidens etiam vniat. De numero autem Metaphysico hic sermo non est. Æqualitas, & inæqualitas à materiæ diuisione in magnam, & paruam vnionem prodire scitur, & magis, & minus esse in calore, & frigore; & materiam hoc pati ab eis. Dulce, & Amarum esse caloris actiones blandi cum sua mole insimul agentis, infra probabimus. Lucem esse caloris faciem, & tenebras frigoris: exque earum mistura colores fieri mox manifestum fiet. Tandem Motum, esse caloris operationem; frigoris verò Quietem, sensus docet; qui à frigore correpta densari, & immobilitari; à calore verò, dissolui, rarefieri, & moueri, vbique cernit. Rectum, & Curuum sunt etiam passiones materiæ ab agentibus causis Physicis illatæ, licet à Metaphysicis præintentæ. Mortem, & vitam, ad calorem & frigus Lactantius reducit, licet nobis ex prioribus causis etiam sint.

Ad secundum, quod est quintum præcedentis articuli, patet Responsio, quoniam hic non est sermo de principiis artefactorum. Ars enim calorem & frigus

præcedit,& vtitur eis sapienter. Est enim primi rerum opificis soboles, eius opificia imitans, quæ in rerum natura relucent. Similiter Anima, & sensus, non sunt à calore, & frigore, licèt in eis sit sensus, quoniam participant sapientiam primam. Neque elementa Aristotelica dant sensum, & animam, vt in loco patebit suo, sunt autem à Metaphysicis Primalitatibus. Similiter prouidentia, & casus dicuntur respectu principiorum Metaphysicorum: passiones verò materiales quæcunque ab his sunt, vel principaliter, vt Rarum, & Densum, vel instrumentaliter, vt triangulus, & rotunditas, & figura humana; quæ præter intentionem caloris, & frigoris, ab intellectualibus causis exprimuntur: dies & nox sequuntur lucem & tenebras, facies frigoris & caloris: consonantia, & dissonantia similitudinem, & dissimilitudinem, quæ sunt ab vnitate, & pluralitate Metaphysicis, sed in materia Physica sæpè expressis.

Ad tertium Resp. Quòd sapientia præcedit calorem, & frigus: sed tamen calidiora animalia sunt sapientiora, quoniam sensus est in calore, sed non à calore: nam sensus in cunctis est rebus à Prima Sapientia effusus, vt in Metaphysicis dixi, ignorantia verò est priuatio scibilium: vitium, & virtus sunt contraria in genere morali, non Physico. Nam plus Physicè contrariatur Prodigalitas Auaritiæ, quàm liberalitati: & tamen moraliter vitium est & Auaritia, & Prodigalitas. Mos autem respicit vtile, & noxium rationi, ac proinde nobis; non autem rei entitates. Ideò iudicamus in moribus aliter quàm in Physicis; & hoc pertinet ad sapientiam superiorem calori & frigori.

Ad quartum Resp. quòd masculus & fæmina differunt penes agere, & pati, & plus, & minus in eadem specie. Et hoc à caloris vi maiori, vel minori: semper enim minus, subiecti rationem habet ad maius: sic tellus est quasi fæmina, Sol quasi masculus, licet primorum contrariorum sedes sint vtrique. Lactantius tamen ad calorem & frigus, ad cælum, & terram, reducit masculum, & fæminam. Pater, & filius pertinent ad relationem, quæ contrarietatis non est proles, sed potius similitudinis. Vide p.p. Metaph. lib. 2. Cæcitas autem, & visio ad priuationem, quæ ex esse, & non esse oritur; licet à calore, & frigore possint fieri. Idcircò Aristotelici non rectè ponunt principia rerum actiua Habitum, & Priuationem. Priuatio enim non est ens. Ergò neque Agens. De Bono & Malo considerat Metaphysicus, quoniam sunt passiones entis; non caloris, & frigoris. Ens autem, & materiam, & Angelos, & artem, & mores, & omnia amplectitur. Item malum est nihil per se, sed quando est aliquid, non est malum essentialiter, sed respectiuè tantum, vt ignis est malus aquæ, & sapientia hominis mala est piscibus per ipsam captiuis, & latro Reip. sed de his in Metaphysicis.

Vtrum Calor, & Frigus habeant aliunde Physicam originem; ac proinde nequeant esse prima principia.

ARTIC. III.

2. de Cal. t. 42. p. Meteor. c. 3. 1 Videtur Aristoteli Calor à motu generari, vt patet in collisis lignis, & lapidibus, & in sublunari aëre, qui per motum rapientis cæli incalescit, & ignitur.

2 Frigus quoque à motu oriri videtur cuidam nuperrimo autori, vt patet cum vinum in œnophoro intra nitrosam agitatum aquam frigescit. Frigus autem illud neque à vino, neque à nitro vtrisque calidis emanat. Ergò à motu. Similiter etiam à motu flabelli frigus fit.

3 Calor, & Frigus à formis elementorum oriri videntur, & esse eorum organa vt accidentia: ergò &c. In nobis quoque ab ira, & timore, & ab imaginatione, vt Aristoteles docet, & experientia testatur. Ergò non sunt omnium prima.

Ex Simplicio p. Phys. SED contra est S. Basilius, & Lactantius, ex his tanquam primis prima corpora constituentes; & Moyses lucem, & tenebras in creaturis præponit quæ sunt calor, & frigus apparentes apud Parmenid. vel eorum facies apud Greg. Nyss. Item

Motus est quasi nonens, calor autem Ens nobilissimum omnia transmutans, & potens. Non ergò à motu procedit. Item probatum est, motum esse caloris opus; quæ enim immota manent ligna, metalla, & glebæ, à calore rarefiunt, & attenuantur, & mouentur sursum: & quauis; vt palam fit, motum sequi; calorem verò præcedere tempore, natura, & dignitate. Neque enim non calida moueri possunt. Quod autem lux non nisi ad visum, calorem præcedat, inde patet, quòd lux non fit, nisi ex calore prius vnito, ac proinde roborato, vt possit se ostentare. Lux, & color, flammula est Platoni: Pythagoræ verò caloris Epiphania, vt videtur nobis, ac Telesio.

Ad primum Resp. Quod motus non generat calorem. Impossibile enim est vbi calor non est, per motum fieri: sed excitat latentem, & præinexistentem: ligna quidem, & lapides à calore solis generantur, ac proinde sopitum retinent in crassitie calorem, qui à motu excitatus ex materia contrita, & relaxata, vim sese effundendi foras, adipiscitur; quoniam sui ipsius diffusiuus est. Patet autem, quod ex silice plures scintillas educit ictus vnus, quam ex piperno multi, & validiores; quoniam ibi plus caloris inest, quam hic. Si autem motus hoc faceret: quæ plus mouentur, & conteruntur plus emitterent ignis. Præterea nisi res icta atteratur non incalescit: attritio autem calorem inditum educit, vt patet in cinere, & odore sulphureo ex contritis egrediente. Sagittas non vri, neque liquescere plumbum per aëra delatum, pilæ sclopetorum declarant, quæ etiam ceræ non liquescunt, sed frigescunt paulatim. Aristoteles deceptus est, & Lucret. & Seneca, & alij, qui spreta experientia idem confirmant. Et miror quòd ouum fundâ rotatum incalescere & assari affirmant: cum à robustissimo viro per diem rotatum, potius refriguerit. Quod verò calor ignis non fit à cæli motu, sed motus à calore, præfata exempla admonent, & infra palam fiet: stultum quidem est putare rem nobilissimam, qualis est ignis, à natura per accidens fieri ex motu cæli, & non præexistere, vt per se intentam. Vide seq. q. vbi an sol motu generare lucem & calorem queat, disputamus.

Ad secundum Dicimus, quod frigus illud in vino augetur per vnionem, dum refugit motum & nitrum, vnitur, & roboratur: quoniam cum sit principium actiuum, vires sui diffusiuas & multiplicatiuas habet. Non ergò motus generat frigus, sed auget per antiperistasim, præsertim quia simul calor educitur; sicuti in æstate viscera terræ sunt frigidiora, quoniam conceptus calor à calore solis extrahitur, & remanens frigus concentratur, & roboratur; sic extrahitur vini calor à nitro.

Ad tertium Dicimus, quod ira, & timor sunt motus Spiritus animalis calidi ad extra se effundentis & intra refugientis. Motus autem calorem auget; quoniam eius est operatio, sed fuga illa Spiritus destituit partes exteriores sine sui calore, quo cum introfugit, ac proinde frigidæ remanent, idest cum minori calore, & cum frigore externo insequente. Non ergò generatur calor, & frigus, nisi à se ipsis se amplificantibus, per accidens tamen à motu ita euenit in partibus sic occupatis, aut destitutis; sed in Angelis non calidis, neque frigidis, ira & metus non faciunt caliditatem, & frigiditatem. Ergo, &c.

Vtrùm calor & frigus sint organa elementorum, an formæ actiuæ principales.

ART. IV.

1. VIdentur Aristoteli calor & frigus vbique organa tantum esse. Nam vt inquit in 2. de gener. & corrupt. agunt vsquequaque effusis viribus, rerum generationes, quæ summa cum arte fiunt, vti plantæ, & animalia pandunt, non attendentes; sed sui tantum entitatem, ille nimirum calefacere, istud frigefacere. Qua-

propter instrumentaliter generant, sicut dolabra, & serra: Quos ab artifice ad opus adhiberi oportet, sic à motu cæli in circulo obliquo fit generatio, & corruptio, regulatis calore, & frigore, accessu, & recessu.

2. Ait in 2. de Anima. Ignis comburit in infinitum: calor autem corporis animalis ad mensuram. Ergò videtur non per se agere, sed quasi instrumentum ab anima moderatum.

3. Calor & frigus sunt qualitates, & accidentia, quæ effluunt à formis substantialibus. Ergò non sunt causæ principales, sed illarum organa.

SED Contra est S. Basilius in Hexam. qui non agnoscit formas elementorum priores his, & deridet fictores earum; similiter Lactantius. Pro quo sciendum, quod instrumentum dupliciter sumitur, primò pro omni eo quod agit aliquid, sed tamen non gratia sui neque propria potestate, sed alterius: licèt de se habeat agere, & sic iudex dicitur Regis instrumentum, quia à Rege applicatur, & authorizatur ad iudicium, quod proprium Regis est. Alio modo sumitur propriè instrumentum pro eo quod secundum se non agit, estque veluti res demortua: suscipit tamen actionem ab alio principali impellente Physico, & agit dum agitur. Est enim id per quod agens causa attingit determinatum obiectum. Veluti penna non scribit, nisi à scriptore mota, neque dolabra dolat, neque serra secat, nisi ab artifice, & de huiusmodi instrumentalitate nunc est sermo. Dicimus ergò calorem nulla in re operari quasi instrumentum. Etenim non calefaceret, nisi ab ignis forma moueretur: constat autem, quod absente igne calor susceptus in terra vel in aqua, vel in aëre calefacit: & dum à frigore circumdatur se ip um auget amplificatque. Vnde in aëre accendit vapores, & impressiones facit ignitas: & in telluris visceribus voragines igneas, & in speculis vnitus comburit, vbi sanè nulla forma ignis ipsum mouens adest. Quin ex ampullis vitreis aqua plenis transmissa lux vrit, ignitque, vt pateat calorem propria vi, non autem alterius mouentis formæ, agere. Propterea calor ex confricatis lignis exiliens facit ignem: Ergo ipse est causa ignis principalis non instrumentalis. Quod enim fingunt virtute formæ ignis illum agere ignem, vanum est. Nam in aqua, & in ligno forma ignis non inest, nec potest. Instrumentaque non agunt nisi agantur ab vnito, & tangente principali opifice, vt dictum est & apud Arist. Item in ferro candenti non est forma ignis, sed ferri, & tamen calor eius per se ignit, vritque. Similiter & frigus in aërem effusum, vbi non est tellus, neque aqua, quorum formis ipsum agi oporteret, per se frigefacit, & niues generat, & frigidas impressiones; vt dubitari nequeat principaliter agere. In animalibus verò calorem esse principale agens, inferius ostendemus; quando animam esse Spiritum subtilem, lucidum, calidum, sensificantem, & mouentem corpoream molem, in qua includitur, comprobauerimus. Sed ad præsens patet, quod in putrefactis ipse calor generat animalcula. Quod Arist. in 4. Meteor. & 2. & 3. de generat. Animal. fatetur. Vbi sanè nulla inest anima, quæ ipsum moueat ad constructionem corporis. Neque enim generantis animæ vis adest; quoniam putrefacta à simili generante non fiunt. Neque in genitis ab alio inest nisi motio per Aristotelem; quæ quidem sicuti in virga minuitur subito, & desinit post seminis iaculationem. Quod autem omnes animalis functiones à calore fiant, vt calefactio, nutritio, concoctio, motus, sensatio, ira, cæteræque passiones, infra disputabitur. Ex his palam est, neque in corpore animalis agere tanquam instrumentum. Nam etiam in stultitiam verso homine, adhuc calor per se coquit & mutat: neque sobria anima potest illi imperare, ne calefaciat, & coquat, & moueat, licet in arbitrariis actionibus ipsa princeps sit.

Ad primum Resp. Quod calor & frigus de se agunt viribus temerè effusis quærendo sui modò effusionem, & amplificationem: sed tamen dum in inuicē agunt cælum, & terram, minuuntur, & castigantur ipsorum vires; nec proinde possunt ille cælum, hoc terram, sicuti cupiunt, efficere, sed entia media facere coguntur, hoc est aquam, lapides, plantas, quorum formæ sunt gradus ipsius caloris, cum disposita mole in entitatis cuiusque mensura, ad ideam Dei correspondentem. Quapropter palam est quod cum in vniuersitate rerum sit talis ordo agendi, vt sol & tellus pugnent, quasi vicissim,

cissim, & ille vincat in die, ista in nocte, & hæc intra cælum posita sit, ipsius Dei, qui talem vniuersi constructionem excogitauit, instrumenta sunt omnia, & quatenus secunda Entia habent gradus, à calore & frigore non præordinatos, sed casu quodam, dum pugnant ab eis venientes; sed ab opifice vniuersali præparatos ex concursu causarum ad sui ideas exprimendas, organicè agunt in hac expressione. Attamen respectu formarum Physicarum, nequaquam organa videntur, sed principalia agentia. Sic enim ignis principaliter agit calefaciendo, & comburendo in carnis assatione; sed tamen coqui est instrumentum, quoad gradum assationis, qui in tali situ, & robore ignem accendit, in quo non comburere, sed assare, id est semiurere possit. Non ergò calor & frigus sunt instrumenta, nisi Sapientiæ Metaphysicæ, ex qua nostra quoque oritur Ars. Ignis verò, & telluris, & aliorum entium, causæ sunt principales per se agentes, à prioribus formis non dependentes: Motus autem obliquus non est princeps regulatrix causa; sed Deus, qui vtitur taliter ab eo ordinato motu. Neque enim motus calefacit, neque frigefacit, sed defert, & aufert Solem calefacientem per vices, & terræ frigefaciendi sic præstat commoditatem vicissim.

Ad secundum Resp. Quod calor summus summè vrit, vt in igne patet. Calor blandus blandè: sed tamen absque fine: nunquam enim obliuionem patitur, nisi suæ naturæ obliuiscatur; & ideo intra ligna calefaciendo calor plantæ facit vermiculos, quoniam illorum ideæ est aptus: intra terram, metalla & liquores pro gradu virium vbique suarum. Igitur in animali coquit cibum, facit sanguinem, carnes, ossa, iuxta vires, & loci aptitudinem semper, donec paulatim exhalando extinguatur, sicuti ignis lucernæ, & lignorum pro sui rata facere videntur. De his infra. Nihil tamen negandum est calori & frigori suæ conseruationis sensum esse appetitumque. Idcircò & semper se se amplificare, & augere. Sed suspicienda est Dei sapientia, qui ita instruxit Mundum, vt dum cōtraria in inuicem agunt vsquequaque effusis viribus, non tamen se destruant: sed secunda entia producant; eáque tamdiu seruent, augeant, perficiantque, ac minuant; quandiu conditori Deo ad vniuersi perfectionem seruiunt. De his in Metaph.

Ad tertium negatur antecedens, pro quo formandus venit sequens articulus.

Vtrùm calor & frigus sint accidentia, an substantiæ.

ARTIC. V.

Videtur quibusdam Peripateticorum, quod sint accidentia, ac proinde non principia.

1. Accidens, teste Porphirio, est id, quod adest, & abest præter subiecti corruptionem. Calor & frigus similiter se habent, vt patet in manu, & ligno calefactis; & frigefactis, nihil tamen corruptis, ergo, &c.

2. Quod vni est substantia, ait Aristoteles, alteri non est accidens: calor autem est accidens terræ, & frigus aëri. Ergò non sunt elementorum substantiæ, neque aliorum entium.

3. Substantia non suscipit magis, & minus, vt patet in prædicamentis: neque enim Petrus est magis homo, quàm Fabius. Calor autem & frigus vbique intenduntur, & remittuntur magis, minusque, ergo, &c.

4 Substantiæ nihil est contrarium, vt ibidem probatur, alias non esset susceptiua contrariorum. Calor autem & frigus sunt contraria. Ergò non sunt substantiæ.

5. Item Platoni, & Democrito calor videtur aculeatorum atomorum

intrusione vrere, & hoc esse calefacere rarefactione tantum: frigus verò obtusorum ictu: nec vires sui multiplicatiuas: omnis enim rarefactio calefacit; obtusio frigefacit.

6. In Eucharistiæ conuersione remanet calor, ergò est accidens.

7. Substantia non percipitur sensu, sed ratione; dicunt Peripatetici. Calorautem & frigus, sensu percipiuntur, ergo, &c.

SED Contra est S. Basilius, & Lactantius ibidem, non agnoscentes substantias actiuas priores calore & frigore. Et ratione quidem: quoniam accidens est, quod accidit post, & præter essentiam rei, aut præter intentionem, aut voluntatem, aut ordinem, aut consuetudinem, vt probatur in Metaph. At calor & frigus post essentiam elementorum non sunt: imò eas antecedunt. Ipse enim calor generat ignem, vt dictum est in articulo præcedenti, non motus ab aliqua forma ignis: & frigus niuem. Item neque præter essentiam sunt, si enim ignem calore priuaueris, desinit esse ignis. Quod nemo nisi stultus, negat. In cæteris verò rebus certus caloris gradus est essentialis, quo ablato, res illa desinit. Si enim plantæ, aut animali, aut vino, aut metallo gradum natiui auferas caloris, desinunt, quod sunt esse. Vnde Aristoteles vitam asserit esse permanentiam caloris natiui.

Hic notandum, quod substantia propriè sumpta dicitur à substando; & in hac acceptione solùm materia est substantia, quoniam formis substat, & operationibus, & accidentibus. Vnde Deus, teste Augustino, dicitur impropriè substantia, cum nulli substet, sed potius essentia dici debet. Secundo sumitur etiam substantia pro forma essentiali, quæ simul cum Materia constituit compositum, quod mox substat accidentibus, cuiusmodi ratione & forma & compositum substantiæ sunt; & sic dicemus calorem esse substantiam ignis, quoniam cum tenuissima ignis materia componit ignem essentialiter, & frigus terram. Sed duplex est forma: alia est partis forma, vt calor ignitæ materiæ. Alia totius, vt humanitas hominis, & igneitas ignis, quæ quidem correspondet ideæ ignis, quoniam essentia ignis est ex concinnata materia, & calore. Dicimus ergò ignis formam esse calorem, partis, non totius. Et quidem calor in aëre & ferro ignito per se agit & frigus similiter, non more instrumentorum ab altero motorum, sed à se à nulla alia ignis vel terræ forma, ita vt necessario ponendæ sint formæ & vires vt substantiales & principales in Physicis. Et quidem Aristoteles idem sentit; qui in 2. de gener. & corrup. tex. 49. ignem terræ dicit esse contrarium, ita vt substantia substantiæ sit contraria, & in primo T. 18. calorem esse habitum, frigus priuationem, quoniam ignis est Ens, & terra nonens, idest vilius Ens. Item in 2. eiusdem tex. 6. & seq. quærit principia, & species elementorum, & docet eas esse calorem, frigus, humorem, & siccitatem. Neque meminit alias esse formas in elementis, vnde ista dependeant: quod quidem proprio in loco maximè dicere debebat, ac nos docere, vnde scimus alias formas latere in elementis. Quod non fecit, sed semper tãquam principia & formas substantiales, & causas, hæc statuit, & vocat præsertim in t. 21. & 24. declarat, quod sunt differentiæ essentiales elementorum ex mutatione, & t. 49. & 4. Met. c. 1. & 3. de gene. An. c. 11. calorem esse animã docet similiter in probl. Nec Parmen. quod posuerit calorem & frigus principia subst. accusat in 2. gen. t. 54. sed quod non addiderit eis causam aliam moderantem. Item cum loquitur de generatione eorum, quæ in aëre fiunt, & quæ in aquis, & quæ in terris, animalium plantarum, metallorum, & in omni trausmutatione Arist. non adducit alias causas priores calore & frigore, vtiturque his tanquam substantialibus virtutibus rerum omnium elementorum & elementatorũ. Vnde Alexander Aphrod. Calorem, & frigus de mente Arist. dicit esse substantias; & hæc esse principia actiua rerum: sicuti in 12. Metaph. docet, & in primo de gener. & corrupt. similiter Olimp. in 2. sentit, & Ioannes Philoponus. 4. Met. Ammonius super prædicabilia, & Hippocrates in Periarch. & Galenus. 3. de elementis loquens, qualitates substantiales has dicit esse. Nam & Aristoteles formas substantiales vocat qualitates in prædicamentis cap. de substantia, & in v. Metaph. cap. de Qualitate, & tandem in 2. de gen. & corrupt. text. 49. dicit substantiam substantiæ esse contrariam in elementis expres-

Alex. 12. Met. Cõ. 12. de sen. & sensibi. com. 30. & 2. An. cap. 31. & 1. q. n. c. 6.

sè, nedum accidentia. Quapropter neque veritas, neque Aristoteles intet accidentia, calorem & frigus ponunt. Item natura hæc principaliter intendit, & vult, eisque vtitur tanquam principibus agentibus in omni re, vt stultum sit, quod Aristoteles ptimo Metor. putauit, per accidens à motu cæli aërem accipere calorem igniriique sui profectò oblitus. Si prætereà aufers à mundo calorem, statim corruit, remanétque informe corpus. Quod verò grauitas, & leuitas non sunt elementorum formæ, vnde oriantur calor & frigus, veluti putat Achillinus, per se patet: quoniam graue, & leue sequuntur ad densum, & rarum: condensare verò, & rarefacere sunt caloris & frigoris opus; & Arist. 2. de gen. t. 8. contestatur.

Ad primum Resp. quod illa definitio est falsa, si Physicè sumatur, quod Auerroës, & Caietanus, & S. Thomas fatentur. Nam manifestum est, quod formæ substantiales adsunt, & absunt præter corruptionem materiæ subiectæ, quæ incorruptibilis est. Si autem per subiectum intelligatur substantia composita, vt alij glossant, palam est, quod si aufers quantitatem ab homine, & figuram, quæ Peripateticis sunt accidentia, corrumpitur homo. Item mors, combustio, & calor febrilis corumpunt subiectum. Vnde Ammonius conuictus fatetur calorem esse substantiam. Similiter si auferas ab auro totaliter colorem, desinit, esse auri. Neque adamas duritie priuatus est adamas: neque glacies glacies. Coruus quoque nigredine absque sui corruptione non priuatur. Similiter ignis calore priuatus, non est ignis; neque tellus frigore. Quapropter palam est, quod definitio illa non valet: & si quid valet, dicimus caloré & frigus vbi sunt languidi, & non tantum temporis immorantur in subiecto quantũ est opus adsunt absque corruptione; sed vbi sunt robusti, & diu immorantur vtique corrũpunt. Quinimò nulla res corrumpitur, nisi ab eis: neque generatur. Ipsum quoque lignum à Solis calore generatur, & ab eodem corrumpitur, cum multum in illud actionem exercuerit: & si robustus, statim vrit, vt patet de calore, qui est in candenti ferro, quo tacta vruntur, & corrumpuntur. Patet etiam, quod calor aquam corrumpit, & in vaporem conuertit: & corpus nostrum continuò in exhalationem versum educit, & ex cibo alias illi particulas aggenerat. Neque etiam formæ substantiales vllæ, nisi subiectum intrinsecè deuincatur, corrumpunt formas præinexistentes.

Sin verò logicè definitio illa intelligatur, accidens esse, quod potest affirmari, & negari absque destructione definitionis subiecti: palam est, quod definitio ignis non stat absque caloris intellectu. Est enim corpus calidissimum; & tenuissimum secundum essentiam. Neque tellus est absque frigore, neque aqua est absque humoris intellectu. Lignum verò, & manus sunt, & definiuntur absque intellectu caloris exterioris, sed non absque intellectu caloris natiui, qui facit gradum formæ eorum. Idcircò non est definitio accidentis, nisi quam in Logica nostra, & in Metaphysica assignauimus, & in hoc articulo.

Ad secundum ergò Resp. illam propositionem esse omninò falsam, vt etiam D. Thom. 2. sentent. dist. 26. aduertit: neque vllum in natura sequi inconueniens ex negatione eius, sed solum contra iudicium Aristotelis, vt fatetur Auerroës in v. Phys. palam est enim, quod vestis est mihi accidens, sibi verò, & agno substantia. Est enim præter, & post esse meum: & esse ligneum, accidens est circulo, non autem Platano, cui est substantia. Item calor essentialis est igni, & intrinsecus; terræ verò accidentalis, & extrinsecus, & omnis forma quæ in se est substantia, materiæ comparata, accidens inuenitur, quippè cui adest, & abest præter eius corruptionem. Item in manu calor eius natiuus substantialis est, sed calor externus à Sole, & igne aduenient, accidentalis: quoniam post eius constitutionem, & præter. Quinimò omne accidens commune, est alicui proprium, vt videtur Caietano, sic, &c.

Quænam substantia suscipit magis, & minus.

Ad tertium: falsam dicimus propositionem primam vniuersaliter sumptam. Soli enim Materiæ, & spatio, quæ subiunt formis, & corporibus, conuenit non suscipere magis, & minus: quoniam non habent vim sui diffusiuam, & amplificatiuam, cum sint apta pati, non agere. Idem dicimus de Quantitate eorum asseclа, & de passiuis formis. At verò actiuas omnes suscipere magis & minus, necesse est, alioquin nihil generarent. Cum enim omnia fiant ex duobus primis actiuis principiis, si illa non minuuntur in gradibus, & diuersificantur per magis, & minus, vnde oriuntur gradus secundorum entium, & species; vtique nihil fieret, nisi semper vnum Ens tantum ex eis. Porrò elementa prima generant omnia ex se ipsis remissis, & castigatis, & in magis minusque distributis: & ipse Aristoteles id fateri tenetur, alioquin nihil ex principiis suis generaret. Vnde Aphrodisiensis, & Peripatetici meliores concedunt formas substantiales suscipere magis, & minus: Auerroës autem id concedit formis elementorum tanquam imperfectis, non autem elementatorum: sed prorsus allucinatur, non enim elementata sunt aliud quam elementa castigata, & remissa in certos gradus, & mensuras. Idcircò si elementa suscipiunt magis & minus, multò plus elementata. Nec rectè putant formas elementatorum esse meliores. Principiis enim, meliores debentur, quàm principiatis. Item patet, quod forma auri substantialis est varia Vnde gradus auri perfectiores, & imperfectiores reperimus. Similiter in hominum specie longe excellit Moyses, & Cæsar, & Petrus coquos & calones. Sed dicunt Peripatetici hoc euenire ex perfectione accidentali, non essentiali; sed nihil dicunt, quoniam perfectio accidentis innati à perfectione substantiæ emanat. Item naturalis potentia & impotentia, vt testatur Albertus, aduenit ex eo, quod forma magis, minusuè in subiecto dominatur. Dominium autem est per intensionem, & penetrationem, & vigorationem. Palam est etiam, quod formæ exorientes, & occidentes suscipiunt magis & minus. Id quod neque Auerroës potuit diffiteri in primo Physic. Quoniam dum nascuntur, paulatim radicantur magis in subiecto; dum moriuntur eradicantur, vt patet in cadauere paulatim putrescente, & abiiciente formam. Et stultus est Auerroës quandoquidem in elemenris oportet formas esse in summo gradu. Hoc enim differunt ab elementatis, quod hæc in remisso gradu possident formas, illa in summo. Quapropter hoc dogma Peripatetici tueri desperantes dicunt tandem, quod definitio non suscipit magis & minus: non enim magis homo est Petrus, quam Fabius; neque magis animal rationale. Ast inquam, si sic est, neque accidentia suscipiunt magis & minus. Non enim magis albedo est hæc, quam illa: & hoc Diuus Thomas fatetur de essentia substantiarum, & accidentium. Puto tamen, quod Idea, vnde definitio sumitur, non suscipit magis & minus in se, nisi in ideatis, quia in materia alibi magis, alibi minus imprimitur, sicuti sigillum in ceris diuersis. Vide Metaph. Quoniam definitio non potest comprehendere indiuidualitates, ideò non exprimit illud magis & minus, sed secus est in Physica praxi, vbi & frumentum paulatim in folium conuerti videmus, & profectò vbi augetur quantitas, etiam substantia augetur in illa.

Quod substantiæ actiuæ sunt contrariæ.

Ad quartum Resp. quod propositio prima est falsa vniuersaliter, solum vera est de spatio, & de Materia, quæ facta sunt ad contraria suscipienda. Idcircò nulli sunt contraria, vt omnia suscipiant. Sed formas substantiales esse contrarias Aristoteles ipse fatetur, qui primo Physic. docet duo esse principia actiua agentia inuicem, ac eadem esse principia contraria. Neque enim autem dicas principia prima accidentia esse Aristoteli, & non substantias. Item in primo & secundo de gener. & corrupt. ponit elementa contraria, & vt ipse loquitur secundum substantiam. Et in 10. Metaph. prima contraria dicit esse differentias, quæ partiuntur supremum genus maxi-

mè distantes sub eadem: & in primo de Anima probat contra Pythagoram non esse transmigrationem animarum, quia contrariæ sunt; & idem subiectum non est aptum contrariis non mutata dispositione. Item palàm elementa agunt in inuicem, quoniam contraria sunt: quod fatetur Alexander, & Olimpiodorus, & Philoponus. Sed Latini aiunt, contrarietatem esse in formis elementorum accidentalibus, quæ sunt organa substantialium, & per illas fieri actiones. Sed falluntur, quoniam illas formas nunquam Aristoteles posuit, neque agnoscendas esse docuit. Item si organa sunt contraria, & mutuis odiis sese destruunt, & simul substantias, necesse est & substantias esse contrarias, à quibus mouentur ad agendum: non enim duo gladij pugnant inuicem, nisi à pugillatoribus contrariis moueantur. Stultum est autem in gladiis, & non in gladiatoribus odium imponere. Item qualitates fluunt à substantiis; earúmque naturam indicant, alioquin nesciremus aliquid de eis, & possemus fingere quidquid lubet. Vnde S. Ioan. Damasc. lib. 1. c. 3. essentias illas necessariò esse contrarias quarum qualitates & proprietates & organa sunt contraria, vt ignis, & terra; A contrariis autem causis effectus contrarij sunt. Ergò absque ratione quis ponat calorem & frigus contrarias qualitates ab amicis, vel non contrariis, emanare. Cum præsertim non modò se inuicem destruant, sed etiam formas illas vnde emanant.

Ad quintum, nego acutum & obtusum esse qualitates actiuas, sed materiæ figuras. Quapropter calor calefacit per se, penetrat propter se, aculei implent vacuitates, vt aqua spongiam: non autem multiplicantur, nec generant calorem, & ignem. Sic enim nunquam candela vreretur, si primi aculei sursum aut sponte, aut extrusi ascendunt. Ergò non serpunt deorsum vsque ad consumptionem candelæ, nisi vis sui diffusiua, & multiplicatiua esset calor, & frigus. Sed hæc quæstio in Metaph. disputanda manet, hic præsupponitur.

Ad sextum Resp. Quod calor natiuus panis est illi substantialis, & transubstantiatur in Eucharistia. Calor verò externus, quo calefit, sicut & frigescit, est accidens, vt dictum est, & iste remanet: similiter remanet albedo facies caloris, & Quantitas extremitas materiæ, & sapor, qui est actio caloris, quoniam ad accidentale esse, licèt proprium pertinent. Et vt canit Sanctus Thomas: *visus & gustus fallitur: tantum auditu tutè creditur in hoc mysterio.* Idem respondere tenentur, qui cum Diuo Basilio sentiunt, & cum Alexandro, quod calor & frigus sunt formæ substantiales.

Ad septimum Resp. Formas substantiales elementorum notissimas sensui esse, & ipsa prima principia, cum enim sint actiuissima, & ea magis sentiuntur, quæ magis in sensum agunt, vt palam est, quod magis sentio calorem ignis, quam ferri, consequens est, vt illa assertio sit erronea etiam in via Aristotelis, qui principia actiua prima ponit. Cum autem dicitur substantiam esse ignotam, intelligitur de materia, quæ passiua est, atque in sensum non agit. Ideóque vt ait Plato, adulterina cognoscitur ratione: & Aristoteles per analogiam ad formas. Dicunt etiam Peripatetici vltimas rerum differentias esse ignotas. Sed hoc de elementorum differentiis non intelligitur, quæ sunt actiuissimæ, ac proinde sensibilissimæ; sed de elementatis. Non enim scimus quis gradus caloris, & temperiei habitus constituit aurum, aut panem; & quis lapidem, & os, & in quo differt os, & lapis: quoniam hi gradus languidi sunt, & in sensu non valenter agunt; ac proinde nec satis sentiuntur. Ab exteriori tamen forma, & calore, & operationibus, vtcunque de illis interioribus gradibus ratiocinamur; maximè autem ideales gradus ignoti sunt, & forma totius. Sæpè quoque exteriora nos fallunt. Prætereà ipsemet Arist. in 7. Metaph. docet substantiam esse notiorem accidentib. & 2. de gen. t. 7. differentias substantiales tactu percipi maximè probat.

Vtrùm etiam Aristoteli sicut nobis sint calor & frigus, & Materia, naturalium principia.

ART. VI.

Videtur Peripateticis suis, quod non: primò, quoniam Aristoteli principia sunt opposita priuatiuè, & non contrariè. Vocat enim ea materiam, formam, & priuationem: forma autem, & priuatio opponuntur sicuti Ens, & Nonens in subiecto susceptiuo, calor autem, & frigus sunt contraria, ergò, &c.

2. Aristoteles de principiis vniuersalissimè tractat. Constat autem quod non in omni transmutatione reperitur contrarietas: fit enim Musicus, vt ipse exemplificat, ex non musico, consonans ex inconsonanti, & domus ex non domo, & animal ex non animali. In quibus omnibus præcedit priuatio, non autem contrarietas, qualiter in elementis ex frigido fit calidum.

3. Aristoteles soluens Anaxagoræ sophisma, vtrùm fiant res ex ente, vel ex nonente: non ex ente, quoniam iam essent: neque ex nonente, quia ex nihilo nihil fit. Ergò generatio non datur: sed tantum segregatio, & manifestatio: respondet, quod fiunt ex Ente in potentia, non in actu, idest ex Materia: item ex nonente, quia ex priuatione, quæ per se est nihil, vt dicit in tex. 71. & seq. Ergò Aristoteli priuatio nihil est: frigus autem Ens est.

4. Dicit ibidem Aristoteles in primo Physicorum t. 69. quod quodammodo principia sunt duo, quoniam sufficit alterum idest, forma: præsentia sua, & absentia in materia efficere generationem, & corruptionem. Vnde omnes Peripatetici eliciunt priuationem esse formæ carentiam, & vnumquodque fieri ex materia carente, priuatáque, neque enim fit quod est.

5. Ex his deducitur, quod calor & frigus sint insufficientia principia, quoniam multæ sunt formæ, & priuationes, quæ non sunt calor & frigus.

SED Contra est ipsemet Aristoteles primo Physic. tex. 42. & seq. vbi inquirit principia naturalium ex actionibus, ex quibus elicit esse contraria actiuè non priuatiuè. *Quoniam*, inquiens, *non quodlibet agit in quodlibet, neque quodlibet patitur à quolibet vt frigus non agit in triangulum, sed in calorem; & calor non patitur à musico; sed à frigido.* Ergò sequitur, *oportere principia esse contraria.* Deinde probando, ait, *Album fit ex non albo, & non ex quolibet non albo, puta ex dulci, vel rotundo, sed ex nigro: & musicum non ex quolibet immusico, vt ex lapide, sed ex contrario.* Contraria autem vicissim in eodem subiecto recipiuntur. Deinde probat vnam esse materiam primam, quia vna est prima contrarietas actiua; & tandem concludit omnes contrarietates ab illa prima
T. 56. deriuari. *Ergò*, inquit *tria sunt principia, quoniam vnum sufficit ad patiendum, & duo ad agendum.* Quapropter nullum relinquitur dubium, quin principia prima sint Aristoteli actiua, ac proinde contraria: & quia prima contraria, vt explicat in 2. de gen. & corrup. sunt calor, & frigus. Nam *Humor & siccitas*, vt ait in 7. tex. *sunt passiua*, neque alia priora actiua adinuenit, neque adinuenienda esse docuit. Manifestum est, quod Aristoteli sunt eadem principia atque Telesio & Parmenidi. Is verò licèt Metaphysicè posuerit in Deo omnia esse vnum: Physicè tamen ponit duo elementa
1. Physic. t. q. 1. & 1. de gen. & corrup. t. 18. ignem & terram: vt Aristoteles testatur; atque duo principia actiua, calidum & frigidum. Attamen vocauit calorem habitum & Ens: Frigus verò priuationem, & nonens primo Physic. tex. 41. p. de gener. & cor. tex. 18. Non quia reuera nonens esse putauit, sed vilius contrarium, vt Philoponus ait. Vnde in p. de gener. & cor. tex. 18. Aristoteles docet, quod generatio simpliciter fit quando generatur habitus, & Ens, vt ignis: secundum quid verò, quando priuatio & nonens, vt tellus: Secundum dogma Parmenidis loquens, quem etiam allegat. Ex quo patet, quod etsi frigus & terra priuationis nomine donentur apud Aristotelem, & Parmenidem: non ta-

men intellexerunt puram priuationem, quæ est absentia formæ, esse principium rerum: sed quod in viliori contrario fit priuatio nobilioris, vt declarat ibi, dicens esse frigus caloris priuationem. In nobiliori verò, licèt sit ignobilioris priuatio, non tamen rectè priuatio dicitur, quoniam plus entitatis habet, vti ibidem docet; & videtur continere aliquando in se oppositum, vt in homine est asini natura, quia tota animalis natura: non tamen in asino est hominis natura, quippè cui deficit rationalitas: in hominis verò sensualitate & corpulentia irrationalitas asini haud deest.

Idem probatur ex 2. Physic. vbi Aristoteles dicit naturam prædicari de materia & de forma, & de priuatione, quatenus & priuatio aliqua forma est, scilicet imperfecta. Hoc autem de nonente non dicitur.

Præterea primo Phys. tex. 80. & seq. ait, quod materia appetit formam, priuatio verò operatur contra formam. Ergò Ens est, si operatur.

Præterea in 12. Metaph. tex. 22. inquirens vtrum omnium corruptibilium, & incorruptibilium, sint eadem principia: Resp. quod non sunt eodem modo, vel specie, vel genere, sed proportione. Nam vbique inuenias formam, materiam, & priuationem, vt in naturalibus calor & frigus, & materia: in coloribus album, & nigrum, & subiectum terminabile. In temporibus, lux, tenebra, & aer, &c. vbi Aphr. docet Aristotelem considerasse omnia vniuersalissima principia; sed propria Physicorum posuisse calorem & frigus, & materiam substantias tres, communique voce formam, materiam, & priuationem vocasse, sicuti patet, ait, in primo de gener. & corr. tex. 18. Vbi cum Parmenide calorem & frigus vocat habitum, & priuationem principia naturalium. Ergò forma, & priuatio in Physicis sunt calor & frigus. Idem docet in 10. Metaph. t. 15. & seq. quod contrarium vile est priuatio, Ens actiuuum, in naturalibus, & similiter Aphrod. in Commento. In artibus verò, & in moralibus sunt consimilia bis proportione; & omnia comprehendens Arist. vniuersaliter loquitur: sed in Physicis non ponit, nisi calorem & frigus peculiaria Physicarum rerum principia, vt in coloribus lux, tenebra & corpus peculiaria, communi vocabulo dicta, forma, priuatio, & materia. Sic & in cæteris. Auerr. quoque in com. 22. Metaph. 12. tria principia substantiarum elementarium vocat substantias tres, formam materiam, & priuationem, idest calorem subiectum & frigus.

Ad primum Resp. Quod Aristoteles vocat priuationem contrarium vilius, teste Olimpiod formam verò nobilius, vt dictum est ex Parmenide, à quo mutuatus est primum librum Physicorum, vt ex Simplicij commentationibus patet.

Ad secundum Resp. Quod in artificialibus fit ex priuatione non vaga, quod fit, sed quæ est in subiecto habitus, vt dictum est, quoniam Ars præsupponit naturam aptam, & super illa propagat formas suas. Similiter, vt Deus facit ex nihilo Ens, & non ex contrario, quoniam, quod sibi contrarietur, ens præest nullum. At Physicorum transmutatio, de quibus nunc est sermo, fieri nequit, nisi contraria duo in inuicem agant, materiamque diuidant in plura Entia, subijciantque vicissim. Habent ergò aliæ productiones proportionem ad Physicam, quatenus alia oppositio in eis saluatur. Contraria verò in Physicis est, vt constituat elementa contraria, & ex illis elementata, dum pugnant Sapores autem, odores, & colores esse ab ipso calore infra patebit: Cum verò fit Physicè animal ex non animali, haud quoque ex priuatione fit, sed ex differentia opposita. Omnis enim differentia est contrarietatis primæ proles, vt patet in Metaph. Verum & hoc animaduertere oportet, quod cum dicimus aliquid fieri ex aliquo, ly, Ex, dicit materiam priuatam, & ita quoquã calidum fit ex non calido, neque requiritur frigus, vt fiat calidum, sed materia carens calore, quamuis in rerum natura frigus minimè reperiretur. Neque sic intelligimus requiri duo contraria sed ad communem rerum transmutationem in elementis, & elementatis: quam fieri non posse constat, nisi principia duo præsint actiua. Priuatio verò illa est conditio sine qua non, seu terminus à quo: Neque enim potest fieri homo, que est, sed qui non est. Non esse autem hominis principium non est operatiuum, neque compositiuum Physicè hominis: sed tantummodo conditio ad generationem requisita, sicuti aliæ dispositiones, & minus, & terminus extrinsecus, à quo incipit mo-

rus. Non enim non esse, est principium aut causa ipsius esse: sed potius vt non sit: ergò non est causa, vt veniat ad esse.

Ad tertium Resp. Quod Aristoteles incusatur à Telesio, & S. Iustino, quod cum statuisset duo principia æquè actiua, & vnum passiuum: Deinde conuictus sophismate antiquorum, respondit priuationem esse per se nihil. Nam licet priuatio extra contrarietatem sit nihil: tamen priuatio, quæ vile contrarium est, Ens est: & vt ipse loquitur, operatur ad maleficium formæ. Facilius autem fuisset responsio, quod fit omne Ens ex Ente, non tamen ex Ente, quod ipsum est, sed ex alio, vt ignis ex terra, quæ Ens est, non tamen est ignis: & ita dicimus materialiter: sed efficienter fit ex Ente non eodem numero, sed specie, vt ignis ex igne alio, & ita quod est, non fit, sed quod non est. Et fieri est transmutari. Alioquin ex nihilo & in nihilum esset omnis mutatio. Petrus enim qui fit, erat nihil secundum id quod fit: & cum corrumpitur in nihil sui corrumpitur formaliter, sed non materialiter & partialiter. Teles. lib. 1. cap. 4. & 5. excusat ex parte Arist. quod ex parte materiæ vsus sit priuatione vt nonente: quam perpetuo Ens posuit ignobile, & ad constitutionem rerum vsus est contrarietate: sed ad res particulares vnius contrarij præsentia.

Ad quartum Resp. Quod ibi Aristoteles loquitur ex dictis Parmenidis, qui posuit fortè, sicuti & Telesius, entia secunda non esse mista ex contrariis, sed à calore Solis, & ex terra deuicta fieri, non ingrediente frigore opus naturæ. Et quia Sol præsens generat, absens verò corrumpit, quatenus frigori permittit, vt corrumpat hyeme, quæ calor constituit in æstate. Idcircò dictum est, quod sola forma, idest, nobile contrarium generat. Frigus autem requiritur, ne permittatur calori exutere terram, vtque calor minuatur, & discindatur per frigoris repugnantiam in gradus, vnde rerum diuersitas oriatur. Et palam est, quod ex materia, & forma res componitur, non ex priuatione, nisi quatenus est forma, vt dictum est: vt enim est nihil, tantummodo extimus terminus est ad generationem, quæ post ipsam non ex ipsa fit sicut dies vltimus Decemb. non est principium Ianu. licet præcedat.

Ad quintum Resp. Quod calor, & frigus sufficiunt cunctis transmutationibus Physicis. Neque enim sapores, aut colores, aut odores, aut animalia, aut plantæ, aut lapides, aut liquores fiunt, nisi ex materia, & ab his. Illæ autem priuationes & formæ, quæ non sunt calor & frigus, haud quaquam Physicæ sunt; vel si sunt, actiuæ non sunt. Neque enim musica, & immusica agunt, sed sunt per quam anima agit; neque rectum, & curuum: sed sunt passiones materiæ. Neque humor, & siccitas, sed sunt materiæ expansio, & constrictio ab ipsis calore & frigore effectæ. Lapis autem, & non lapis, licèt non fiot calor & frigus, quoniam compositæ formæ sunt, nihilominus à calore & frigore in materia efficiuntur, & habent analogiam ad eorum oppositionem, vt dictum est: vel, vt dicit Aristoteles, non sunt omnium eadem principia, nisi proportione: in Phys. tamen omnis contrarietas reducitur ad vnam primam, vt dicit primo Phys. t. 50. & 56.

Vtrùm frigus sit nihil, vt Heraclito ponitur, & alijs à Plutarcho nominatis, puráque priuatio.

ART. VII.

SED Contra iam dicta insurgit difficultas. Videtur enim vniuersaliter priuatio etiam contraria esse non Ens, ita quod frigus nihil sit aliud, quam absentia caloris.

1. Heraclitus enim, qui omnium principium posuit ignem vnicum, terram ex igne extincto factam arbitratur: neque frigus aliud esse opinatur, quàm caloris priuationem, vt quidam ex Germanis hoc tempore etiam opinatur. Patet enim, quod vbicunque abest calor, statim adest frigus, neque apparet, vnde frigus veniat inter calida

calida entia. Siquidem vbi spiritus calidus ad præcordia fugit, repente partes corporis exteriores frigescunt, tremuntque, quem tremorem gelidum vocat Virgilius.

2. Similiter etiam abscedente calore in officina, vitrum mole indurescit absque frigore, quod ibi non est. Item in aëre percalido egredientibus è nube vaporibus tenuibus, calidisque, & eruptione tonantibus, statim fit grando in maritimis calidis regionibus, & tempore calido æstiuo, vt fatetur Telesius, & Aristoteles.

3. Item viscera terræ in æstate frigent, quoniam calor elabitur per fissuras à sole actas: in hyeme calent, vbi retinetur. Quapropter absentia caloris, frigus esse videtur.

4. Tenebræ secundum Aristotelem sunt priuatio lucis, aliud nihil. Quod patet, quoniam ad lucis præsentiam subitò diffugiunt, nihil resistentes, quasi nullius sint entitatis. Tenebras autem frigoris esse faciem consentaneum Telesio videtur. Ergò frigus est nihil, sicut & tenebræ.

5. Item sola absentia caloris cera liquefacta, & æs, indurescunt absque frigore. Induratio autem opus frigoris Telesio videtur, vt patet in glacie. Frigus ergò, caloris absentia est tantum.

SED Contra est Daniel ponens frigus, & æstum, lucem, & tenebras inter opera Dei, quæ ad creatoris laudem inuitat. Nihilum autem opus eius haud est, qui summum est Ens. Item Isaias ait, *Ego Deus creans lucem & faciens tenebras.* Quod autem nihil est, non fit. Item frigus agit, vt ait David, *Ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* Nonens autem non agit: Sensui quoque palam est, quod frigus, caloris opera occupans destruit, immobilitat, densat. Item in medio rerum calidarum frigus seruatur, & per Antiperistasim roboratur. Hoc autem nil eueniret, si esset nihil: quod neque resistere, neque vinci potest, cum non sit. Vnumquodque enim prius est, & deinde operatur, & pugnat. Mirum præterea, quod in Germania, eius vires robustas negent quidam, quos magno cum dolore experiuntur actiuissimas: cum David in calida dicat, *Ante faciem frigoris eius quis sustinebit.* Dan. 3. Isaia. 45. Psal. 147.

Ad primum Resp. terram à frigore constitutam esse, licet à sole voragines ignis conceperit, vel à Deo in centro retineatur ignis, vt instrumentum iustitiæ contra impios.. Sed de hoc infra, cum de terræ natura tractabimus, & in Metaph. diximus ad modum.

Ad instantiam dicimus, quod abeunte calore, videtur adesse frigus aliquando, non quidem reale, sed quia calor minor, frigoris sensum facit maiori calido, vt febricitans tangens manum Medici, dicit esse frigidam, quæ sanis videtur calida: quodiam manus Medici minore calore imbuta, calorem ægroti trahens ad se, quasi minuit, quoniam calor ille multus expanditur in nouam molem, & minuitur in præoccupata. Vinum calidum ferro feruenti admotum trahit ad se calorem, ita vt ferrum minus candescat. Similiter spiritus in præcordia fugiens, relinquit extrema absque sensu, & calore, quem ipse spiritus calidus sentiensque communicabat; ac minor calor sensum frigoris facit, fortè etiam quia aëris frigus subsequitur per poros ad caloris fugam. Similiter in quartana spiritus fugiens ab eleuato humore acido, relinquit locos ab humore occupatos sine calore suo. Vnde frigiditatis sequitur sensus, & passio, non tamen verè frigiditas est, vt Galenus, & Hippocrates opinantur.

Ad secundum Resp. Quod vitrum crassis è cineribus factum, crassa conspicuaque constat mole, vbi à calore exuperatur, mollescit: mollescit autem vi per caloris infusionem, cuius est rarefacere, sed eodem abscedente durescit, non frigore, sed ad suinaturam reuertens; multa enim partium similitudine, & conditione compinguntur, frigoris ope haud expectata.

Ideo ad tertium Resp. Quod partes ceræ consimiles viscosæque sola absentia caloris, qui eas dissoluebat, constipantur; quod etiam cunctis euenit metallis. Vnde etiam videmus à calore, cuius est rarefacere, lutum condensari, quoniam partes

tus. Non enim non esse, est principium aut causa ipsius esse: sed potius vt non sit: ergò non est causa, vt veniat ad esse.

Ad tertium Resp. Quod Aristoteles incusatur à Telesio, & S. Iustino, quod eum statuisset duo principia æquè actiua, & vnum passiuum: Deinde conuictus sophimate antiquorum, respondit priuationem esse per se nihil. Nam licet priuatio extrà contrarietatem sit nihil: tamen priuatio, quæ vile contrarium est, Ens est: & vt ipse loquitur, operatur ad maleficium formæ. Facilius autem fuisset responsio, quod fit omne Ens ex Ente, non tamen ex Ente, quod ipsum est, sed ex alio, vt ignis ex terra, quæ Ens est, non tamen est ignis: & ita dicimus materialiter: sed efficienter fit ex Ente non eodem numero, sed specie, vt ignis ex igne alio, & ita quod est, non fit, sed quod non est. Et fieri est transmutari. Alioquin ex nihilo & in nihilum esset omnis mutatio. Petrus enim qui fit, erat nihil secundum id quod fit: & cum corrumpitur in nihil sui corrumpitur formaliter, sed non materialiter & partialiter. Teles. lib. 1. cap. 4. & 5. excusat ex parte Arist. quod ex parte materiæ vsus sit priuatione vt nonente: quam perpetuo Ens posuit ignobile, & ad constitutionem rerum vsus est contrarietate: sed ad res particulares vnius contrarij præsentia.

Ad quartum Resp. Quod ibi Aristoteles loquitur ex dictis Parmenidis, qui posuit fortè, sicuti & Telesius, entia secunda non esse mista ex contrariis, sed à calore Solis, & ex terra deuicta fieri, non ingrediente frigore opus naturæ. Et quia Sol præsens generat, absens verò corrumpit, quatenus frigori permittit, vt corrumpat hyeme, quæ calor constituit in æstate. Idcircò dictum est, quod sola forma, idest, nobile contrarium generat. Frigus autem requiritur, ne permittatur calori exurere terram, vtque calor minuatur, & discindatur per frigoris repugnantiam in gradus, vnde rerum diuersitas oriatur. Et palam est, quod ex materia, & forma res componitur, non ex priuatione, nisi quatenus est forma, vt dictum est: vt enim est nihil, tantummodo extimus terminus est ad generationem, quæ post ipsam non ex ipsa fit sicut dies vltimus Decemb. non est principium Ianu. licet præcedat.

Ad quintum Resp. Quod calor, & frigus sufficiunt cunctis transmutationibus Physicis. Neque enim sapores, aut colores, aut odores, aut animalia, aut plantæ, aut lapides, aut liquores fiunt, nisi ex materia, & ab his. Illæ autem priuationes & formæ, quæ non sunt calor & frigus, haud quaquam Physicæ sunt; vel si sunt, actiuæ non sunt. Neque enim musica, & immusica agunt, sed sunt per quam anima agit, neque rectum, & curuum: sed sunt passiones materiæ. Neque humor, & siccitas, sed sunt materiæ expansio, & constrictio ab ipsis calore & frigore effectæ. Lapis autem, & non lapis, licèt non sint calor & frigus, quoniam compositæ formæ sunt, nihilominus à calore & frigore in materia efficiuntur, & habent analogiam ad eorum oppositionem, vt dictum est: vel, vt dicit Aristoteles, non sunt omnium eadem principia, nisi proportione: in Phys. tamen omnis contrarietas reducitur ad vnam primam, vt dicit primo Phys. t. 50. & 56.

Vtrùm frigus sit nihil, vt Heraclito ponitur, & alijs à Plutarcho nominatis, puráque priuatio.

ART. VII.

SED Contra iam dicta insurgit difficultas. Videtur enim vniuersaliter priuatio etiam contraria esse non Ens, ita quod frigus nihil sit aliud, quam absentia caloris.

1. Heraclitus enim, qui omnium principium posuit ignem vnicum, terram ex igne extincto factam arbitratur: neque frigus aliud esse opinatur, quàm caloris priuationem, vt quidam ex Germanis hoc tempore etiam opinatur. Patet enim, quod vbicunque abest calor, statim adest frigus, neque apparet, vnde frigus veniat inter calida

calida entia. Siquidem vbi spiritus calidus ad præcordia fugit, repente partes corporis exteriores frigescunt, tremuntque, quem tremorem gelidum vocat Virgilius.

2. Similiter etiam abscedenre calore in officina, vitrum mole induresci absque frigore, quod ibi non est. Item in aëre percalido egredientibus è nube vaporibus tenuibus, calidisque, & eruptione tonantibus, statim fit grando in maritimis calidis regionibus, & tempore calido æstiuo, vt fatetur Telesius, & Aristoteles.

3. Item viscera terræ in æstate frigent, quoniam calor elabitur per fissuras à sole actas: in hyeme calent, vbi retinetur. Quapropter absentia caloris, frigus esse videtur.

4. Tenebræ secundum Aristotelem sunt priuatio lucis, aliud nihil. Quod patet, quoniam ad lucis præsentiam subitò diffugiunt, nihil resistentes, quasi nullius sint entitatis. Tenebras autem frigoris esse faciem consentaneum Telesio videtur. Ergò frigus est nihil, sicut & tenebræ.

5. Item sola absentia caloris cera liquefacta, & æs, indurescunt absque frigore. Induratio autem opus frigoris Telesio videtur, vt patet in glacie. Frigus ergò, caloris absentia est tantum.

SED Contra est Daniel ponens frigus, & æstum, lucem, & tenebras inter opera Dei, quæ ad creatoris laudem inuitat. Nihilum autem opus eius haud est, qui summum est Ens. Item Isaias ait, *Ego Deus creans lucem & faciens tenebras.* Quod autem nihil est, non fit. Item frigus agit, vt ait David, *Ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* Nonens autem non agit: Sensui quoque palam est, quod frigus, caloris opera occupans destruit, immobilitat, densat. Item in medio rerum calidarum frigus seruatur, & per Antiperistasim roboratur. Hoc autem nil eueniret, si esset nihil: quod neque resistere, neque vniri potest, cum non sit. Vnumquodque enim prius est, & deinde operatur, & pugnat. Mirum præterea, quod in Germania, eius vires robustas negent quidam, quos magno cum dolore experiuntur actuissimas: cum Dauid in calida dicat, *Ante faciem frigoris eius quis sustinebit.* Dan. 3. Isaie. 45. Psal. 147.

Ad primum Resp. terram à frigore constitutam esse, licet à sole voragines ignis conceperit, vel à Deo in centro retineatur ignis, vt instrumentum iustitiæ contra impios.. Sed de hoc infra, cum de terræ natura tractabimus, & in Metaph. diximus ad modum.

Ad instantiam dicimus, quod abeunte calore, videtur adesse frigus aliquando, non quidem reale, sed quia calor minor, frigoris sensum facit maiori calido, vt febricitans tangens manum Medici, dicit esse frigidam, quæ sanis videtur calida: quodiam manus Medici minore calore imbuta, calorem ægroti trahens ad se, quasi minuit, quoniam calor ille multus expanditur in nouam molem, & minuitur in præoccupata. Vinum calidum ferro feruenti admotum trahit ad se calorem, ita vt ferrum minus candescat. Similiter spiritus in præcordia fugiens, relinquit extrema absque sensu, & calore, quem ipse spiritus calidus sentienti que communicabat; ac minor calor sensum frigoris facit, forte etiam quia aëris frigus subsequitur per poros ad caloris fugam. Similiter in quartana spiritus fugiens ab eleuato humore acido, relinquit locos ab humore occupatos sine calore suo. Vnde frigiditatis sequitur sensus, & passio, non tamen verè frigiditas est, vt Galenus, & Hippocrates opinantur.

Ad secundum Resp. Quod vitrum crassis è cineribus factum, crassa conspicuaque constat mole, vbi à calore exuperatur, mollescit: mollescit autem vi per caloris intrusionem, cuius est rarefacere, sed eodem abscedente durescit, non frigore, sed ad sui naturam reuertens; multa enim partium similitudine, & conditione compinguntur, frigoris ope haud expectata.

Ideo ad tertium Resp. Quod partes ceræ consimiles viscosæque sola absentia caloris, qui eas dissoluebat, constipantur; quod etiam eunctis euenit metallis. Vnde etiam videmus à calore, cuius est rarefacere, lutum condensari, quoniam partes

aqueas, tenuesque sursum trahit, relinquitque densas, quæ sub illarum mollitie latebant, in densitate eis naturali, nequaquam à calore genita, sed tantum detecta, spoliatáque tenuibus portionibus. Sic vitrum, & cera abscedente tenuitate, ac calore compinguntur per accidens, & non à frigore. Fortasse & frigus aëris, vbi nunquam deest, aliquid cooperatur: vnde nequaquam concedi videtur, si nullum adest frigoris vestigium, ista indurari posse: expressio tamen caloris forsan sufficit.

Ad quartum, similiter in æstate telluris viscera frigere statuimus tum abscessu potentioris caloris, tum subsequela frigoris ab imô.

Ad quintum, negandum est tenebras esse puram priuationem, sed faciem frigoris, vel materiæ; & cum dicitur ex subito discessu oportere esse nihil; etiam negandum. Verè enim ab aëre subitò ad solis præsentiam effugiunt, quoniam aër transpicuus est, calidulque naturâ, luceique peruius. Omnis enim transpicuitas est caloris, materiam exuperantis, opus, eiusque faciem vincentis, vt mox patebit Idcircò tanquam ex alieno subiecto ad præsentiam robustioris agentis tenebræ contrahuntur. At ex corporibus nigris non ita, nisi comburantur, & in cinerem redigantur (carbones enim adhuc nigrisunt) & tandem in vitrum, & vaporem. Quinimmò & in cælo esse materiæ faciem licet deuictam, color ceruleus ostendit, qui lux est à multa cæli mole sic fœdata ob innatas materiæ tenebras, sicuti docebimus.

Ad textum, Resp. cum de terræ constitutione sermo redibit. Vmbra autem corporum priuatio non est, sed effluxus opacitatis, sicut lux luminositatis.

Vtrùm forma, materia, & priuatio prout ponuntur à Peripateticis possint esse Physicarum rerum principia.

ART. VIII.

VIdetur quod sic: vnumquodque enim fit quia prius est ens potentia. Ergò prærequiritur materia, vt fit. Deinde fit actu ex potentia per vires agentis causæ: actus autem forma est, quæ à materiæ sinu educitur; sed non potest introduci forma, vbi priuatio non præcessit. Igitur hæc tria rectè principia sunt. Item materia requiritur vt subiectum Forma verò dat esse rei. Homo enim est homo per formam suam, & gladius, gladius: sine enim forma esset ferrum, & ille terra. Quidquid autem fit, ex materia & forma componitur, & antequam fiat, priuatio præcedit, igitur: &c.

Cap. 5. SED Contra est Iob dicens, *nihil fit sine causa*: sed forma, materia, & priuatio Peripateticorum, non sunt entia, neque causæ, vt etiam admonet S. Iustinus scribens contra Aristotelem. Ergò ex eis nihil fit. Palam enim est, quod illa pura potentia, & non quid, neque quale, neque quantum, in rerum natura non reperitur, vt probatum est prius. Materia autem, ex qua res fiunt, reperitur. Ergò materia Peripateticorum est in intellectu tantum, vt dictum est in Ipso suo. Ex ente mentali autem non fit ens Physicum in rerum natura.

Item priuatio nihil est per eos, quoniam est absentia formæ, & per se nihil. Forma tandem per eos educitur de potentia materiæ primæ, quæ est nihil. At ex tribus nihilis quomodo ponendum est aliquid fieri? neque enim forma ex nihilo educta Physicè Ens esse queat. Item forma est effectus generationis, & principiatum, ergò non est principium, nisi vt est in idea apud Platonem, quod Aristoteles negat.

Præterea priuatio non ingreditur compositionem, vt forma, neque agit in generatione vt causa. Ergò est prorsus de numero principiorum abjicienda. Præterea principia, quę dant esse reale principiatis debent esse maximè res maximéque entia. At materia est nihil entitatiuè aliis, aliis verò prope nihil. Priuatio autem est ens rationis

nil faciens in fieri nec in facto esse, forma verò est effectus eductus de Materia, quæ non est. Igitur indoctè nimis huiusmodi principiis totum ens ascribunt.

Prætereà Sanctus Iustinus in lib. confutationis dogmatum Arist. hæc principia euertit.

Ad primum Resp. Quòd fit actu, quod erat in potentia receptiua & datiua. Idcircò potentia materiæ non sufficit, nisi agens causa det illi formam, quæ generationis est finis, & non causa. Decepti sunt Peripatetici à Platone qui formam posuit causam: sed ille rectè quidem formam idealem. Omnis enim idea est causa ideati. Sed forma ideata est effectus, vt figura ceræ, & non sigilli. Idcircò principium ponenda non est. Quòd autem non educatur de sinu materiæ superius probauimus, & quod si educeretur multò magis esset principiatum, quàm principium actiuum ad generationem requisitum. Siquidem duo ad agendum, & vnum ad patiendum, Aristoteles posuit cum Parmenide. Et quod priuatio non sit principium, sed terminus præcedens, vt dictum est prius: neque enim dispositiones præuias, & dimensiones reales principia ponunt Peripatetici; multo ergo minus, quod nihil est: nec disponit.

Ad secundum Resp. Quod subiectum est corporea moles, non autem Materia Peripateticorum. Forma verò tantum dat esse, sed esse rei datum ab agentibus causis. Formaliter tamen dicitur dare esse, quoniam ab ea denominatur Ens id, quod est, licet ab agente causa acceperit. Priuatio verò non est principium in facto esse Physicè loquendo, neque in fieri. Compositum est effectus materiæ, & agentis, non formæ, quæ est ipsius effectus pars potior, & verior; per factionem enim eius fit compositum, vt diximus in Metaphysica contra Peripateticos.

An Ocellus & Arist. definierint Elementorum principia ac differentias essentiales; scilicet, calorem, frigus, humorem & siccitatem, rectius quàm nos, & constitutionem Elementorum.

OCelli sententias atque verba in libro de mundo non interituro mutuatus Arist. in 2. de gen & cor. T. 1. distribuit principia Elementorum in actiua & passiua. *Passiuum* sicut in 1 Phys. docet *esse vnum*; & vt inquit in T. 2. 3. *inseparabile à contrariis*, quòd cum non sit calor nec frigus est subiectum amborum. Nam, ait, T. 6. *sunt Elementa transmutabilia in inuicem*, contra Emp. alioquin non daretur generatio & alteratio.

2. Mox in T. 7. inquit, *Species differentias principia corporis sensibilis cuiusmodi sunt Elementa oportet esse sensibilia, non quidem auditu, aut visu, aut gustu: aut olfactu, sed tactu: cuius est nosse contrarietates, quibus Elementa constituuntur & distinguuntur.*

3. *Non autem omnis contrarietas constituit elementa: sed primæ differentiæ & contrarietates tangibiles cum elementa agant & patiantur mutuo. Hæc autem,* ait, T. 8. *Sunt calidum, frigidum, humidum, siccum, graue, leue, durum, molle, lubricum, aridum; asperum & lene, crassum, & tenue.*

4. Graue & leue non important actionem & passionem: ergo non sunt elementorum formæ, quorum est inter se agere, & pati; vt ex eis mista fiant.

5. *Calidum & frigidum sunt actiua principia. Humidum, vero & siccum, passiua.* Hæc ergo vere principia.

Calidum est quod congregat homogenea. Segregare enim (quod dicunt ignem facere) est homogenea congregare. Contingit enim eximere aliena. Frigidum est quod congregat & coniungit simul homogenea, & Eterogenea.

6. *Humidum est* (T. 9.) *quod indeterminatum est proprio termino: bene autem determinabile est alieno. Siccum autem quod bene terminabile proprio termino; difficulter autem alieno.*

7. Deinde, T. 10. cæteras differentias omnes ad istas primas reduci: quoniam, *Tenue est repletiuum vacuitatum & suscipit figuras tangentium instar humidi: Crassum vero è contra, idcirco illud humidi, hoc sicci est.*

8. *Item lubricum est humidum passum. Aridum est perfectè siccum propter defectionem propriæ humiditatis. Item molle est humidi quoniam cedit tactui. Durum sicci, quoniam coagulatum. Item vdum seu madens habet in superficie extraneam humiditatem: infusum quod intus. Coagulatum vero est priuatum hac humiditate interiori.*

Tandem, T. 15. concludit omnes differentias ad præfatas quatuor reduci: non autem has ad se inuicem, neque enim siccitas aut humiditas sunt calor & frigus; nec è conuerso nec istorum vlla est alterius, aut idem cum altera: aut ex altera.

Mox concludit ex his causis seu differentiis constitui prima elementa; & quoniam non possunt coire contraria scilicet calidum cum frigido, nec humidum cum sicco, fiunt tantum coniugationes quatuor quæ constituunt elementa quatuor, ita: vt, *ignis sit calidus & siccus, aer calidus & humidus. Aqua frigida & humida; terra frigida & sicca.* Sed tamen concludit T. 25. *Terra sicci magis quam frigidi. Aqua autem frigidi magis quàm humidi: Aer humidi magis quam calidi: ignis calidi magis quam sicci.*

Præterea quæ sunt contraria in ambabus qualitatibus difficilius conuertuntur vt ignis cum aqua, & aër cum terra, quæ verò symbolum habent, faciliùs: vt terra & ignis, aqua & aër, vt docet in T. 25.

EXAMEN.

1. AT quidem non bene potuisse videtur Arist. probare contra Emp. quod vnā sit & non quatuor materiæ primæ subiectæ quatuor elementis nisi priùs demonstrauisset fortiter omnia quatuor elementa in inuicem transmutari, id quod veteres negauerunt & Plato & Moderni Chimici Ratio enim eius, quod non daretur generatio nec alteratio, non valet; quoniam antiquiores alterant & miscent, quod Arist. fecit in 1. lib. cap. vlt. non faciendum quidem, si generationem modo retinere volebat vt probabimus in q. de Mist.

2. Item non rectè postquam supposuit passiuum principium vnum, id est materiam, sicut fecit in 1. Phys. cum Parmenide; nunc quærens principia actiua partientia & informantia passiuum: adiungit etiam alia duo passiua, humidum & siccum. Ita quod vnum elementum donat formis duabus; quod contra propria dogmata omniumque Peripateticorum & naturæ, in simplicibus corporibus fieri inuenitur.

Resp. 1. Respondent Peripateticorum quidam, quòd humiditas & siccitas ponuntur vt materiæ qualitates. Et propterea possunt coïre cum calore & frigore. Calor autem

Confut. & frigus formæ actiuæ elementorum sunt.

Sed perperam loquuntur, Arist. enim duas contrarietates actiuas, T. 34. se coactum ponere fatetur, quoniam effugere non potuit quaternitatem elementorum. Præterea cum inuertit elementa in T. 25. docet, ignem conuerti in aërem manente caliditate eadem ignis, ac depta siccitate; non quidem à calore aëris qui siccitati non est contrarius, sed ab humiditate agente in illam; & similiter humiditatem aquæ, in siccitatem terræ & è conuerso agere dixit, quandó fit transitus inter ista duo. Imo etiam ait, si ignis siccitas, ex aqua humiditatem: aquæ vero frigus ex igne calorem deturbet, remanente ignis siccitate, & aquæ frigore; tunc ignis & aqua in terram vertitur; sicuti, aqua & ignis in aërem, si humiditas aquæ ignis siccitatem vincit, & calor ignis aquæ frigiditatē. Quapropter æquè actiuæ, videntur Arist. constituenti elementa, inuertentique, humiditas & siccitas, ac calor & frigus. Præterea absurdū est, quod isti asserunt, siccitatem acuere ignis calorem & terræ frigus. Quomodo enim summè contraria ab vna natura foueantur potius vna? Præterea quoniam negat humidum exacuere, veluti siccum, formas actiuas; sequitur etiam contra Arist.

quod frigus aquæ no sit summum, sed terræ. Mirum etiam quomodo humiditas in aqua & siccitas in terra res contrariæ sustentant vnam naturam frigoris: Et eadem siccitas duas contrarias in igne & terra.

Alij dicunt formas dedisse Aristotelem elementis actiuas, ac passiuas: quoniam illis agere: istis verò pati debent. Propterea vni vnam actiuam; vnamque passiuam posse conuenire. Sed perperam hi quidem; nam vt probatum est, in constitutione & inuersione elementorum Arist. vtraque contrarietate vtitur tanquam actiua. Amplius non potest eadem qualitate pati calor & frigus, passione receptiua: perditiua enim per se patiuntur: nec sede eiusdem qualitatis passiuæ gaudere possunt, si verè contrariæ sunt. *Resp. 2.* *Confut.*

Alij tandem aiunt, alteram formam in elemento esse dispositionem, illam nimirum quæ prior inest; alteram verò vt verè formam: proptereáque dixisse Arist. terram esse sicci magis quam frigidi: aquam frigidi magis quam humidi; aërem humidi magis quàm calidi; ignem calidi magis quam sicci: sed & hi non minus falluntur. Tunc enim non fieret inuersio omnium in omnia vt Arist. vult, sed tantum terræ in aërem & ignis in aquam: & mutuo: non autem atque in terram; nec ignis in aërem: quoniam humiditas aëris cum sit materiæ loco, non ageret in ignem, nec humiditas aquæ in terram, virtutes enim materiales patiuntur tantum. Præterea contra naturam & ipsummet Arist. videtur, asserere frigus in terra esse dispositionem ad siccitatem materiamque illius, & similiter calorem in aëre, &c. Cum manifestè calor & frigus actiua sint & longè magis quam humor & siccitas: actiuum autem non est materia passiuo. Præterea in 4 Meteor. docet in elementis & elementatis, quod calor & frigus faciunt humiditatem & siccitatem; humiditas & siccitas fiunt & non faciunt se ipsas, neque calorem neque frigus; quomodo igitur possunt esse formæ causarum suarum, & genitores patrum suorum. *Resp. 3.* *Confut.*

3. Amplius rectè quidē Arist. supponit materiam sicut in Physicis, & quærit principia actiua elementorum substantiales qualitates, & causas & formas vt ipse ait, contra eos, qui putant accidentia tantum tractasse non formas, imò vtrum sint aliæ formæ per inertiam tacuisse.

4. Præterea optimè concludit, debere esse sensibilia secundum tactum quoniam ad sensum sensibilia iudicamus vt etiam repetit in 4. Met. contra eos, qui dicunt substantias formales actiuas non esse sensibiles, cum profectò nihil ferè sentiatur præter ipsas.

Præterea addendum erat illi, quod per alios sensus qualitates latentes in secundis corporibus, vt pote elementorum pugna debilitatæ, sunt inquirendæ. Visu tamen lucem & tenebras; motum & quietem, summas conditiones, vel operationes extremas haberi. Ab intellectu verò formas nullas priores excogitari posse satis insinuat.

5. Cum autem determinat de principiis formalibus actiuis & passiuis, ex eo quod ante supposuerat vnum passiuum, docere nos debebat, quæ sit ratio aliorum istorum passiuorum: ac distinctio. Item vnde & quid actiuitas: & quid & vnde passiuitas. Sic enim innotuisset illi passiua non esse constitutiua elementorum, sed qualitates inditas materiæ passiuæ à principiis actiuis, sedes tales in ea sibi parantibus, propterea se dicam.

Actiuum principium illud, quod sui est diffusiuum, generatiuum & multiplicatiuum, & amplificatiuum, absque additione partis suæ, aliunde adiunctæ, vel non suæ, & talis est calor & frigus. *Passiuum verè, quod se ipsum non diffundit, ergo nec generat nec multiplicat, nec augetur à se, nec minuitur; sed per additionem aliunde adductæ portionis, augetur & per partitionem & substractionem suarum minuitur;* Ergo fit à principio actiuo, materiam principium passiuum, vt in ea regnet qualificante; & tale est humidum & siccum: fiunt enim à calore rarefaciente & frigore constringente. Vnde rectius Aristoteles dixit in quarto Meteororum, textu primo, quoniam quatuor sunt determinatæ causæ elementorum: quarum coniugatione elementa constituuntur quatuor, duæ nimirum actiuæ calor & frigus; duæque

passiuæ humor & siccitas, quod patet ex inductione. *Videntur enim in omnibus caliditas quidem & frigiditas terminantes & copulantes, & permutantes, & homogenea & eterogenea. Et humectantes & exsiccantes, & indurantes & mollificantes. Humida verò & sicca tum ipsa per se, tum quæ ex vtrisque communiter concreta sunt corpora, terminari, & alias dictas passiones pati, &c.* Deinde hoc probat ex definitionibus caloris & frigoris humidi & sicci vt in 2. de generatione: vbi sane nullam actiuitatem aut facere, dat humiditati & siccitati: sed solum fieri & pati, & hoc sæpè repetit. Mox in seq. cap. per totum librum docet omnia fieri à calore & frigore, & res & rerum conditiones, proprietates, passiones, qualitates & transmutationes. Vt mirum sit quomodo postea inter actiuas, quibus compleat falsum numerum elementorum, eas collocet. Cum præsertim definitores earum solam Aristoteli passiuitatem declarent, per terminari enim propriis, & alienis definiuntur.

6. Errat etiam in definitionibus actiuarum, cum calorem dixit esse quod congregat homogenea, & disgregat eterogenea: Frigus verò quod congregat vtrumque. Primò quoniam ipsarum genus non explicuit: sed fortasse subintelligit principium, aut formam, aut differentiam, aut causam elementorum: His enim nominibus eos præsignauit. Item quoniam loco differentiæ quamuis rectè posuerit actionem; non tamen posuit actiones per se, adæquatá que, quæ sunt calefacere & frigefacere: sed actiones propter se, quæ sunt congregare & disgregare: inadæquatásque: nec finales explicuit: Propterea enim calor disgregat rarefacitque subiectum, vt possit in illo regnare propriamque edere operationem, quæ est motus. Non enim mouere potest, quod non attenuauit: nec frigus immobilitare, quod non condensauit. Completæ ergo definitiones nobis sunt hæ.

2. gen. T. 7. & seq. & 4. Met. 1.

Calor est virtus naturæ actiua; sui diffusiua, idest calefactiua, attenuatiua, motiua, & illustratiua per se. Ideóque ignis cõstitutiua, in quo ista sunt omnia. *Frigus verò naturæ actiua vis, frigefactiua, condensatiua, immobilitatiua, nigrefactiua per se. Ideóque telluris constitutiua,* in qua hæc insunt omnia: & in cunctis à frigore fieri videntur. Notanter dixi *vires naturæ* quoniam eius principia sunt generalia, & non huius aut illius rei. Quapropter & in hoc incusandus est Arist. quod & calori & frigori congregare, seu condensare dedit. Si enim frigus omnia congregat per se, è contra calor omnia disgregat per se: per accidens ergo aliqua congregat induratque, non omnia: illa nimirum, quæ composita sunt ex partibus mollibus crassisque vt lutum. In quas agendo prius attenuat educitque foras partes molles suę nimirum suę naturæ propinquiores: ideóque crassities luti, quæ latebat sub mollibus detegitur non fit à calore, qui etiam crassa entia plus agendo liquefacit & in fumum agit, & lapides & metalla, &c. & lutum, quamuis non simul: nisi similaria idest homogenea: quæ attenuat prorsus omnia simul, vt ceram, aquam, aurum: sicut in textu: & in seqq. qq. Quod si Arist. intellexit: non debuisset id quod per accidens est ponere in definitione, hoc est, congregare homogenea. Nec debuisset ignem omnia disgregantem facere siccum: quod quidem concretum durumque ideóque termino suo contentum est.

7. Definitiones humidi & sicci per passiones conuenientes passiuis rebus rectè accepit ab Ocello Pythagorico; atqui rectius etiam omnes reduxit contrarietates passiuas ad vnam primam. At graue ad dẽsum, leueque ad rarum referre ex hoc, quod non agunt. Sed fortasse non erat ponenda humiditas & siccitas prima; sed expansio & constrictio materiæ, quas facit calor disgregando & frigus congregando. Manifestè enim ex strictissima vnitissimaque materia terræ ad tenuissimam rarissimamque ignis, calor primo facit lentorem; deinde mollitiem; quæ cedit tactui: deinde viscositatem, quæ repugnat amplius expandi: deinde lubricositatem, quæ minus se continet; deinde fluorem, qualis est sanguis, & solutum sal, deinde liquorem siue humorem; cuiusmodi est aqua vinum & oleum; deinde vaporem & fumum; & tandem inuisibilem tenuitatem. Ita quod procedit de vnitate ad multitudinem, sicut è contra frigus ex raris multisque ad densum vnumque. Si ergo humiditas maxima est expansio, primatus debetur tenuitati: similiter si siccitas sit maxima vnitio, princeps erit constrictio: ergo ad expansionem & constrictionem, ac per hoc ad calorem & frigus

referendæ sunt passiones materiæ; & quidem assentit Arist. 2. de gen. T. 21. vbi primum humidum ponit aërem; quoniam tenuis est repletque vacuitates magis quàm aqua. Sed ex hoc ignis, cum sit tenuior, debebat humidior vocari, & non æquè siccus & durus, ac terra. Præterea si expansionem & constrictionem materiæ considerasset, quas à calore & frigore fieri decreuit ibidem, in 4. Met. tam in elementis, quam in elementatis, non fecisset æquè prima humidum & siccum cum calido & frigido 2. de gen. T. 16. Et cum nunquã viderit vel affirmare potuerit, quòd humidum & siccum generent humida aut sicca: sed generari à calido & frigido: imò nec humectare & exsiccare, per multiplicatiuam vim, quæ actiuis inest: sed mistione ipsarum aliquando res videri humescere; vt si farinæ misces aquam, non si aërem humidiorem, minus miscibilem, & lubrico luto arenam non quidem conuertent vnquam quippiam in se: & cum per ignem extraxeris, statim detegitur latens siccitas sub humidis, & exit latens humor sub siccis remanentibus vnitis sui contactus amore, vt in textu diximus. Succi quoque in vasis lapideis, vitreis, aliisque siccis positi, nunquam siccescunt per conuersionem sui in siccorum vasorum naturam: nec ligna & lapides in aquam demersi vnquam in aquam vertuntur humentem, quamuis modicus calor aquæ & vasorum possint per tempora facere mutationem tantillam. Non autem humor quâ humor, aut siccitas, quâ siccitas; cum ipsæ fiant, non faciant, etiam Arist. repetito centies testimonio: factisque definitionibus per pati semper non per agere vnquam. Item & cum benè probauerit duo principia ad agendum, & vnum ad patiendum, duo quoque elementa constituere alterum disgregatissimum à calore, alterum congregatissimum à frigore omnino debuisset.

Imò si plusculum immoratus esset in suis definitionibus, inuenisset quòd propterea humida, tenuia, mollia, & liquida, non habent terminos proprios, quoniam sunt adeò disgregata, vt non possint constare; sed cedunt quoniam possunt vniri; & diffluere non compacta. Sicca verò crassa, congelata, arida, dura, propterea habere terminos proprios; nec cedere tactui, nec alienis terminis; quoniam ita sunt congregata atque vnita, vt non possint amplius vel ægerrimè vniri; nec à se inuicem ipsorum partes diuelli. Quapropter ad vnitionem seu congregationem, quam facit frigus, etiam Arist. & ad disunionem, & disgregationem, quam facit calor; & ad mediocritates istorum, omnes passiones materiæ & qualitates reduxisset, vt sæpe facit: ac proinde elementa duo tantum constituisset, sicut in 1. Phys. cum Parmenide statuerat.

Item ex difficillimo transitu inter ignem & terram, quem facilem ex suo arbitratu non ex natura, posuit; & ex facili mediorum corporum, scil. aquæ & aëris, intellexisset duo extrema esse verè principia actiua; duasque dispositiones extremas materiæ ab eis deuictæ, partientibus & constituentibus duo prima elementa, vt proprias sedes, regnáque quod etiam veteres ipsi insinuauerunt, vt testatur in T. 19. & 20.

Non ergo satis aptè definiuit Aristoteles: sed satis ineptè distribuit & copulauit, Inuersiones elementorum in inuicem, quàm temerè descripserit, in sequenti quæstione patebit.



QVÆST. IX.

DE PRIMIS CORPORIBVS, *Elementis vocatis.*

Quoniam in textu duo prima Mundi corpora à duobus actiuis primis contrariis constituta cœlum & terram esse declarauimus; neque omnes Philosophi nobis assentiunt; cum alij vnum, alij tres, alij quatuor, alij infinita statuant Elementa; quærendum est primò, num sint duo tantum, nec plura, nec pauciora, 2. Vtrùm cœlum à calore sit constitutum, tellus à frigore: deinde de conditionibus ipsorum.

Vtrùm Elementa sint numero duo vt nobis, an quatuor vt Aristoteli placet.

ARTIC. I.

1. Videntur Aristoteli quatuor esse elementa. Primò probatur authoritate Empedoclis, qui posuit ignem, & aquam, aërem, & terram. Idem sentit Plato & Timeus, & Ocellus Lucanus, & Hippocrates, & Galenus, D. Thomas, Ambrosius, pluresque Patres in sacra pagina doctissimi, & Gratianus Papæ Xisti I. authoritate, quatuor anni tempora à quatuor elementis celebrant. Sed hi non omnes concordant. Aristoteles enim posuit terram in Mundi centro immobilem; quam aquæ sphera circundari docet: aquam verò ab aëre, aërem ab igne; ignem à cælo; quod alterius est naturæ ab elementari, incorruptibilique. Platonici verò & cælum ex quatuor elementis componunt. Empedocles videtur cælum ipsum cum Heraclito (sed tamen stellas ex elementis) igneum facere: sicuti & S. Ambrosius, & alij Patres: neque omnes æquè prima ista quatuor ponunt, excepto Aristotele.

2. Ait Ocellus (cuius verba Aristoteles mutuatur in 2. de gener. & corrup.) quatuor sunt primæ qualitates, calor, frigus, humor, & siccitas. Ergò quatuor sunt elementa ab his constituta, vtque se inuicem feruent qualitatatibus symbolis gaudent. Est enim ignis calidus, siccusque; aër calidus, humidusque; aqua humida frigidaque, terra frigida, siccaque. Conuenit enim in frigido cum aqua, in sicco cum igne. Idcircò si demas terræ frigiditatem fit ignis remanente siccitate; si verò siccitatem, fit aqua. Similiter ablata aquæ frigiditate, aër: humiditate, fit terra: aër quoque priuatus calore fit aqua: humore, ignis quoniam in habentibus symbolum facilis est transitus: sicque circulo omnia generant Peripatetici cum Ocello.

In primo de cælo, 2. de gen. 3. Ait Aristoteles, quatuor sunt motus, duo sursum, & duo deorsum. Ergò quatuor elementa, quoniam natura est principium motus. Ergò omne corpus naturale a suo motu agnoscitur. Tellus ad centrum, aqua ad telluris superficiem: aër ad ignem: ignis ad cæli concauitatem feruntur.

4. Aristoteles ait, vnumquodque componitur ex his in quæ resoluitur, sed mista

resoluuntur

resoluuntur in hæc quatuor elementa. Ergò ex his, tanquā ex primis componuntur.

Et addit Plato: sunt quatuor febres, continua, quotidiana, tertiana, & quartana, quatuor elementis correspondentes. Idcircò citius, tardiusque reuertuntur pro elementi celeritate, aut pigritia. Addit Galenus, hinc quatuor humores, Bilis flaua, flegma, Bilis atra, & sanguis. Ergò quatuor elementa.

5. Ex quibus nutrimur componimur: sed ex his quatuor nutrimur, quoniam aquam bibimus, aërem spiramus, igne fouemur, ex terra vescimur.

6. Ait Aristoteles etiam in 2. de gener. Omne corpus ex his quatuor componi palam est, & primo ex terra, quoniam in ea fit rerum constitutio. Item terra indiget aqua: cum enim sit sicca, opus habet humido, quo terminetur, alioquin diflueret in puluerem, & minutias, sicut arena. Et alibi. Vbi autem est nutritio, ibi est ignis. Ipse enim vorat, & conuertit in substantiam aliti alimentum. Ergò ignis est in constitutis animalibus, & plantis; sed vbi est ignis, & aqua, ibi est aër: quippè cum sit humidus, vt aqua, calidusque vt ignis. Ergò in mistis sunt quatuor elementa. Ergò non duo tantum. Tex. 49.

7. Ait Galenus quatuor sunt anni tempora correspondentia quatuor humoribus, & quatuor elementis. Ergò elementa sunt quatuor: palam enim ver sanguini prodest, eique consimile est calidum, humidumque & huiusmodi est aër, qui in vere præualet. Æstas verò calida siccaque igni respondet: idcircò coleræ fauet, & morbis ab ea ortis. Autumnus telluri persimilis siccus frigidusque humori melancholico respondens, eiusque morbis fauens. Hyems tandem frigida, humidaque est, sicut aqua, & flegma, eiusque passionibus fauet.

8. Ait Timeus: si duo sunt elementa extrema in Mundo vno colligata ad cōponendum mundū tanquā vnum animal, necesse est ea colligari per mediū, quod vtrisque extremis est simile, vt patet in molibus, & numeris. Ergò dantur tria elementa. Sed quoniam solidorum medium est duplex. Ergò duplex intermedium: igitur aër, & aqua sunt media elementa inter ignem, & terram: quorum alterum terræ, alterum igni similius.

Quòd Elementa sint duo.

SED Contra est Moyses. *In principio*, inquiens, *creauit Deus cælum & terram.* Ergò hæc duo sunt prima elementa, quæ primo creata sunt, vt Mas seu Maritus & Femina, dixit Chrysost. Hom. 7. ad Ephes. & 18. Elementata enim ex his mox fiunt tanquam ornamentum mundi, & sanctus Basilius disertè docet prima mundi corpora elementa vocata à Moyse cælum & terram vocari, esseque duo. S. Gregorius Nyssenus de opif. cap. 1. probat duo elementa cælum, & terram ex autoritate Mosis, & ex duobus locis extremis, & duabus operationibus oppositis, quiete, & motu. Similiter & Lactantius lib 3. cap. 10. & 13. probat contra omnes Philosophos duo esse elementa, sicut docet Moyses: & quaternitatem dicit, tanquā profanorū inuentum.

Item Beda post mundi huius renouationem, ignem terramque remansura tantum docet, vt & S. Ioannes Apocal. cap. 21. ait, quod *mare non iam erit*, &c. cùm elementa manere habeant aliorum Theologorum testimonio, sed purificata: palam est, quod non nisi duo poni debent. Quapropter Dauid semper ait de Deo, *quod fecerit cælum & terram.* Sic & cæteri Prophetæ, & Moyses concludit. *Igitur perfecti sunt cælum, & terra, & omnis ornatus eorum.* Ergò plenè docet hæc esse duo prima corpora; cętera verò secunda, & tanquam ornamentum primorum apposita, sicuti & sanctus Chrysostomus apprimè docet super Genesim.

Ratio quoque ipsa habet, quoniam Deus vnus prius dualitatem, quam quaternitatem fecisse credendus est.

Item cum sint duo principia actiua, vt doctè Aristot. probat in 1. Phy. cū Parm. & Telesius cum eis, sufficiantque duo ad agendum, vnumque patiendum. subitò consequitur, vt ex oppugnata materia à primis duobus cōtrariis, vel à Deo distributa, non nisi duo elementa cōstituta sint, ignis, & terra. Neque enim fingi potest quomodo

principia duo ex vna materia quatuor constituerint. Item p. Phys. T. 50. & 56. quia vna est materia prima, vna est prima contrarietas, ad quam aliæ reducuntur, & duo extrema, ad quæ alia vt media: igitur duo elementa cogitur ponere prima Arist.

Aristoteles 2. de gener. tex. 34. vidit hanc rationem, & ait, quoniam duo principia actiua posueramus, duo elementa esse necesse foret. Quoniam autem quatuor elementa inuenimus, oportet actiua alia duo mulíplicare principia. Idcirco addidit humiditatem, & siccitatem. Vbi sanè multipliciter peccat, primo quoniam rectè statuta in Physicis perperam retractat. Præterea vni materiæ dat formas duas, igni siccitatem & calorem: terræ siccit. & frigus: aquæ humidit. & frigus: aëri calorem & humiditatem, & ex æquo: & æquales. Nam in habentibus symbolum dat mutationem vnius tantum formæ: ita quod eadem est siccitas terræ & ignis, & frigus aquæ & terræ: & humor aquæ & aëris: & calor aëris & ignis apud Ar. Item adiungit duobus contrariis eandē formā sociā contra naturā. At qui dicunt siccitatem acuere vim caloris & frigoris, nec esse formam principalem contradicunt Arist. & naturæ: non enim potest aliqua natura duobus cōtrariis fauere. Qui dicunt humiditatē & siccitatē esse formas passiuas, rectius dicunt: sed perperam associant siccitatē calori & frigori summè contrariis, & contrarias materialitates requirentibus & facientibus. Hæc in seq. patebunt. Præterea faciunt duas primas contrarietates æquè constitutiuas elementorum, cum Arist. statuerit primo Phys. vnam modo primam, vnius materiæ primæ, & palam sit quod siccitas & humor fiunt a calore & frigore: ergo sunt effectus non causæ in constitutione elementorum. At quidem videtur librum primum Physicorum rescripsisse ex libris Parmenidis, vt colligitur etiam ex Simplicio: librum verò secundum de gener. & cor. ex Ocello Lucano, quem nuper translatum vidimus; à quo omnia verba ferè secundi illius, nedum sententias mutuatus apparet, & tanquam inconstans Philosophus, & alienorum scriptorum rescriptor indoctus, non potuit eos conciliare, neque dimittere, sententiis vtriusque delectatus: & hic contraria docuit, vt Lactantius de ipso dicit.

Quidam scioli dicunt Aristotelem in primo Physic. loqui de vniuersalibus principiis, quæ sunt duo, forma, & priuatio, & in omni elemento requiruntur: in 2. verò de gener. & cor. de principiis elementorum tantum, quæ sunt quatuor: Idcircò non sibi aduersari. Sed falluntur, quoniam Aristoteles in 2. de gener. fatetur se coactum ad mutandam sententiam; eo quod quatuor elementa acceptare oportuit, (Vide quam rudis fuerit ad examinandas sententias.) Item ibi dicit, quod principia elementorum sunt materia prima, de qua locutus est in Physicis, informis, quæ non potest elementum constituere, nisi vna cum principiis formalibus primis, quæ sunt calor, frigus, humiditas, & siccitas. Ergò principia formalia sunt eadem, & æquè prima in Physicis, & in de gener. & cor. cum æquè eadem prima materia vtrobique subiiciatur: & vtrobique principium, formas, & differentias, & contaria actiua quæ rat & vocet.

Præterea ait in primo Physic. quod oportet principia semper manere; manent autem in primis corporibus, vnde effunduntur ad rerum generationem. Vbi enim manent? in imaginatione sciolorum, & inde ad rerum prodeunt productionem? Vide quæstionem præcedentem, art. 6. quoniam eadem in Physic. & in 2. de gen. principia sunt Aristoteli: eadem materia, & eadem prima contraria, nam ad constituendum prima corpora non potuit accersere principia non prima. Item Parmenides & M. Varro, priscorum sapientissimi, & Telesius recentiorum, duo ponunt elementa.

Qui dicunt ignem omnia mouentem ac facientem, accidens esse, ignorant propriam vocem: vt alibi, &c.

Quod aër, & aqua non sint elementa.

QVod autem elementa quatuor acceptanda non erant Aristoteli, ex dictis in Physicis conuinci poterat. Præterea & ex eo quod aër, & aqua non videntur esse elementa. Siquidem elementa sunt maxima Mundi corpora maximè actiua: generant omnia, & non generantur ab aliis, sed vnumquodque à se ipso, vt ignis generat ignem, & tellus tellurem: alioquin non essent prima, sed primorum proles. Aqua autem omnis etiam per Aristotelem generatur à sole ex terra: liquefacta, vel in vapores versa, & postea condensatos. Similiter aër palam ab igne fit faciente vaporem, & fumum, ipsumque attenuante. Nunquam enim res in aëre posita fit aër, nisi à calore ignis attenuata; neque in aqua, fit aqua. Plantæ enim in aqua, & aëre perseuerant; at verò in igne statim fiunt ignis. In terra verò licet non subitò, tamen in terram tandem conuertuntur. Habet enim vires imbecilliores.

Præterea elementa hoc ab elementatis differunt, quòd illa vires summas habent, hæc verò remissas. Aqua autem, & aër remissas habent: ita vt glacies sit frigidior aqua, & lapis, & cicuta, si Medicis credimus. Animal verò sit calidius aëre, vapor humidior aqua, exhalatio autem aëre, si humor est tenuitas, vt infra patebit. Consumerent profectò elementata, aër & aqua, si essent corpora prima actiuissima. Vnde palam est, quod aër sit pars cæli imbecillis, vt dicunt Lactantius & Iustinus. Aqua verò crassior eiusdem pars, & quasi terræ sudor, & vt Iob loquitur, sicut vrina; quoniam ex terra oritur, intus calefacta. Licèt Lactantius potius portionem aquam esse doceat, ne videatur elementum. Basilius & Stoici quasi sanguinem terræ. Aër verò cælum vocatur à Basilio, & quia est cæli pars impurior, & crassior, à terra oppugnata, dicitur firmamentum, sicut scriptum est in Biblijs, *posuit volucres in firmamento cæli, & via aquilæ in mari [illegible].* Sed de his, in locis propriis erit mox sermo. Itaque perperam Aristoteles authoritate aliorum persuaderi se permisit. Cum palàm sit, hæc duo elementa prima non esse, multóque minus si eorum magnitudinem, quæ ad terram est, sicut vna pars ad septem mille quingentas, metitus fuisset, & situm considerasset, quod non ambit terram, vt elementum, sed intra eius valles continetur, vt sudor, aut sanguis in animali, teste Basilio magno, & de his infra erit sermo. Tandem elementa animalium sunt mas & fœmina, & indicant idem in mundo, solem scilicet, & terram, vt pars toti correspondeat, & hoc in lib. de gener. anim. Arist. citat, nec satis considerat, eandemque comparationem in sexu facit Lactantius & Chrysost.

Ad primum Resp. Quod authoritas sanctæ Scripturæ præualet super omnes scriptores. Moyses autem palàm duo posuit elementa, & sic Basilius Magnus, & Lactan. & Iustin. & Nyss. Imò qui ponunt quatuor aut tria, reducunt ea ad duo extrema vt Arist. ipse passim fatetur præsertim 2. de gen. T. 19. & 20. Empedocles contra posuit ignẽ elementum actiuum cæteris tanquam passiuis, vel eiusdem naturæ, ergo tãquam vnũ vni. Quem secutus Cardanus ponit cælum igneum: aërem verò aquam & terram à frigore constituta. Platonici quoque aërem, & aquam quasi secunda entia ponunt, & repletionem interuallorum, vel duplicem, quos imitatur Lactantius, ponens aquam ex parte terræ: & aërem ex parte ignis: vel simplicem (ait Arist.) & hoc Telesio congruit: qui per mare cælum terræ copulari dixit. Sed Parmenides, qui præ'ceteris Theologizat, duo tantum facit elementa, cælum & terram: similiter Marc Varro, teste Augustino, Romanorum sapientissimus. Nam aërem & aquam illorum misturam esse, vt testatur Arist. affirmat. *Resp. ad Argum.*

Ambrosius & alij patres loquuntur de mente aliorum Philosophorum, ipsi super hoc non Phiolsophantes; sed quæ vulgo feruntur, sententias recitantes. Sicuti dicit D. Thomas de S. August. quod loquitur ad mentem Platonis frequenter: quando ipsum non sequitur; At cum August. & Amb. Plotonizent. & Plato duo statuat ele-

menta ſcilicet terram, quam componit ex iſoſcelibus: idcircò non conuertibilem in alia tria, ignem, ſcilicet, aërem & aquam: quæ componit omnia ex ſcalenis pluribus aut paucioribus, ita quod non differunt natura, ſed ſolum ſecundum magis & minus. Contraponuntur enim tres vni terræ. Ergo duo reuera ſtatuuntur etiam apud patres iſtos elementa. Ita quod acceptando quatuor elementa, ſed ignem & terram tanquam prima actiua, ex quibus omnia fiunt, & ipſa non ab aliis. Aquam verò, & aërem tanquam ſecunda, vt etiam Ariſt. aliquando dixit, vt Plato: nulla remanet diſcordia. Quod etiam ſentit ſanctus Petrus, aiens: *Elementa calore ſoluentur, terra autem, & opera quæ in ea ſunt, exurentur*, loquendo de primis & ſecundis, quoniam etiam literæ vocantur elementa ſcripturæ, & Axiomata, ſcientiarum; & metallum pecuniæ: ſic & aqua & aër quid elementi habent, ſed potius materialis, quando ex eis res fiunt. Quapropter ſanctus Petrus loquitur de cælo & terra ſeorſum, tanquam de primis. Chryſoſtomus etiam ſolem vocat elementum, & patrem; terram verò matrem: cætera ex his.

Quod humiditas & ſiccitas paſſiuæ ſint non actiuæ qualitates.

AD ſecundum negatur, quod humor, & ſiccitas ſint qualitates actiuæ, ac proinde elementorum conſtitutiuæ. Quod palam Ariſtoteles in 2. de gener. tex. 7. fatetur. Item in 4. Meteor. cap. primo, *Videntur*, ait, *in omnibus calor, & frigus calefacientes, frigefacientes, humectantes, exſiccantes, copulantes, terminantes; humidum verò & ſiccum hæc pati.* Idem patet ex definitionibus eorum ab Ocello & Ariſtotele aſſignatis. Nam *calor eſt, qui congregat homogenea, & diſgregat eterogenea: frigus vero congregat vtraque.* Siquidem frigus tenues & craſſas partes condenſat. Calor verò tenues ſeparat, & craſſas induiat, ſeparando molliores, & ad ſe trahendo. Igitur quoniam congregare & diſgregare ſunt opus caloris & frigoris: humor verò, & ſiccitas à congregatione & diſgregatione fiunt, palam eſt, quod ſunt effectus eorum, & paſſiuæ qualitates. Idem patet ex definitionibus eorum ab Ariſtotele prolatis. Ait enim: humidum eſt, quod terminum proprium non habet, ſed facilè alieno terminatur; & ideo omne tenue eſt humidum, quoniam replet vacuitates, & figuras tangentis ſuſcipit. Et iterum omne molle eſt humidum, quoniam cedit tangenti, ſecundum ſuperficiem in profundum. Ergò recipit figuram alienam facilè. Siccum verò eſt, quod propriam figuram habet, & difficile alienam ſuſcipit, vt lapis, ferrum: & ideò craſſa, duráque, & congelata, ſicca ſunt Ariſtoteli ibidem, & in 4. Meteor. Quod autem non habeat humor terminum ab explicatione propriæ materiæ euenit, quæ diffluit quoquouerſum, vtpotè non vnita, neque ſe continens, vt patet in aëre, & aqua, & fumo: explicatio autem materiæ eſt rarefactio, hæc verò à calore fit.

In 2. de gen. & cor. tex. 8. & ſeq.

Quapropter palam eſt, quod humiditas ſit caloris opus, & paſſio materiæ explicatæ, expanſæque. Siccitas verò propriam habet figuram, quoniam condenſata eſt, & non diffluit, ſuiſque continetur terminis, & tangenti non cedit; quoniam ita eſt vnita, vt vniri amplius in ſe, cogique non poſſit. Materiæ autem vnio eſt condenſatio à frigore per ſe facta: à calore verò per accidens, dum tenuiores partes educit, craſſaſque detegit. Ergò paſſiuæ ſunt qualitates.

Sed ait Galenus. Humiditas humectat, & ſiccitas exſiccat. Ergò ſunt actiuæ: ſed fallitur, quoniam humor non humectat agendo humiditatem in alienam ſedem effuſum, & ibi ſe conſtituendo, deturbatò contrario; vt actiuæ formæ faciunt: ſed miſcendo ſe rebus non humidis, & blandus illi calor inexiſtens aliquem effectum facit, diſponitque ad humiditatem. Sed calor calefacit à longe effundendo, & in alienas ſedes ſe generando, non ſola miſtione ſui ſubiecti cum alieno. Siccitas verò nunquam deſiccat actiuè. Neque enim lapis aquam, quam continet exſiccat ipſe durus, ſiccuſque: neque aqua è lignis facit humores & liquores. Quapropter vti experientia diſcimus, ipſe calor humectat per ſe, qui terram, & metalla ſicca, duraque reſoluit in liquores humidos, & in fumum, & vapores, & aërem, humidas res, &

tandem in tenuitatem, quæ Aristoteli humiditas est magna. Siquidem humidior illi videtur aër, quam aqua; & quidem bona ratione, sed non sua; at aliunde rescripta, quoniam non sibi constat, dum ignem tenuissimum facit siccum, instar terræ. Frigus autem res humidas constipare, & indurare, palam est in aqua, quam glaciat, & in crystallum vertit, & fluores terræ in lapidem. Res autem duræ, & siccæ, alias è mollibus siccas facere non apparent, nisi mistione sui, & deperditione, non multiplicatione, licet possit blandulus calor eorum humiditatem in tactis rebus augere. vulgo tamen dicunt humidum, non quod tenue, & aëreum, vt Arist. & Philos. sed quod vdum. 2. gen. T. 9. & 21.

Quòd ignis siccus non sit.

QVapropter errat valde Aristoteles, secumque pugnat, dum ignem mox siccum facit. Si enim tenuissimus est, quomodo siccus? definitiones Aristotelicæ ita nos docent, illum verò allucinantur. Sed ait Galenus, ignis palàm exsiccat corpora nostra, & arbores, & omnia entia nostra, ipsamque aquam absumit: Ergò siccus est: sed fallitur Galenus & Aristoteles; nam ignis omnia entia sicca conuertit in fluorem, & fumum, res nimirum humidas. Ergò humectat; sed quando res compositæ sunt ex partibus dissimilaribus, scilicet crassis, tenuibusque, prius tenues deuincit, & sotas educit: crassæ vero, sicceque spoliatæ mollibus, tenuibusque manifestàtur sicciores. Quapropter non generat ignis siccitatem, sed detegit. Patet in luto, quòd ex aqua, terraque constat, cuius aqueæ partes minus resistentes actioni ignis in aërem eleuantur ad ignem; terreæ verò siccæ indurantur magis, quoniam mollibus spoliantur, & dum veluti eas insequuntur, ac sui diuisionem, & defectionem sentiunt, vniuntur magis. Sed in cera, & in rebus similaribus omnes partes æquè molliuntur, & eleuantur. Neque in his à calore fieri videas siccitatem. Similiter nec in similarissimo argento viuo, & in aqua dulci, sed in salsa ex crassis salibus mista, vtique residet durum sal eadem ratione. At neque hanc caloris actionem esse putes, sed illam, quæ in partibus victis, redditisque humidis tenuibusque, conspicitur, non in vincendis: verum si & has humectari vis igne plurimo adhibito in fornace, vnde exhalate nequeat satis, videbis partes omnes residentes, quamuis siccissimas, fieri fluorem, & vaporem, & aerem humidum: imò & terram verti in aërem, & ignem post multas transmutationes contra Platonem in Metaph. ostendimus, p. p. lib. 2. sed fallitur vulgus, quoniam humidum idem putat esse, quod vdum, & frigidum, & hac acceptione aqua, & vapor humidiores sunt aëre, contra sententiam Aristotelis. Idcircò cum nos ad vulgares sermonem facimus, ignem haudquaque humidum, sed tenuem dicimus.

Quod aër non sit summè calidus, vt ignis; neque imperfectè humidus, vt est aqua.

AErem verò non esse æquè calidum vt ignis, experientia docet contra Aristotelem. Ergò falsum est, quod ablato humore ab aëre fit ignis, sed aucto humore & calore: est enim ignis languens. Neque ablato calore fit aqua. Nam aër frigefactus remanet aër. Sed oportet humiditatem aëris condensari in crassam aquæ fluiditatem etiam.

De Aqua, quod non ſit frigida, nec elementum.

AQuam verò eſſe frigidam,falſum eſt. Omnis enim liquor à calore ſoluente generatur; & dum calet fluit, dum alget, induratur, & exſiccatur. Ergò cum aquæ ſit fluere,blandi caloris eſt ſubiectum. Item perſpicuitas, albedo,ſapor aquæ, & conſtitutio ex vapore calido in locis calidis denſato, vt patet in operculis ollarum, & balneis & alambichis, declarant blando calore præditam, opuſque caloris: neque elementum eſſe, vt infra etiam demonſtrabimus. Frigus profectò deſtruit aquam: calor verò ſeruat, ſed non robuſtus, quoniam in vapores agit, ſed blandus. Ergò quoniam hoc ipſa conſtituitur: vt demum fatetur Ariſt. & aquis naſcentibus calidis: Nullus autem naſcitur ignis frigidus. Quapropter falſum eſt, quod ſi demas ab aqua frigus remanente eadem humiditate ſymbola, fit aër. Oportet enim, & frigus externum abiicere, & humidiorem fieri per attenuationem, vt in aërem vertatur. Neque vertitur in terram ſola ablata humiditate, niſi addas frigiditatem plurimam, qualis terrea. Quod autem longè minor tellure ſit, & quaſi ſanguis ad corpus animalis, mox conſtabit.

Terram eſſe ſummè frigidam, ſiccámque, nec poſſe ratione ſymboli in aquam, & ignem verti, vt putat Ariſtoteles.

TErram eſſe frigidam, ſiccamque, rectè dixit. Sed errat, cum putat aquam frigidiorem; palam enim a frigore terræ non a proprio aqua glaciatur. Ergò plus frigoris eſt in terra, quàm in aqua. Item errat cum dicit, ablata aquæ humiditate fieri terram, ob dictas cauſas. Peius verò cum ait, ablata terræ ſiccitate fieri aquam remanente frigiditate. Non enim terra fieri poteſt humida, niſi à calore liquefiat, & fundatur. Ergò prius calefit, quam humeſcat. Ergò præſtigioſa eſt Ariſtotelica tranſmutatio. Vbi nam vidit ipſe terram ab aqua conuerti in aquam? Sol, & ignis hoc faciunt. Similiter præſtigioſius eſt, quod ait, dempta terræ frigiditate, remanente ſiccitate, fieri ignem ob ſymbolum: cum enim terra ſicca ſit, quia denſa, duraque, ignis verò tenuiſſimus, nullum ſymbolum manet inter ipſos: ſed hæc eſt fictio audaciſſima. Quoniam palam eſt, quod terra, & ignis maximè ab inuicem diſtant loco, & natura, ac maximè ſibi mutuò aduerſantur. Ergò ſymbolum nullum habent, ſicuti quæ ſe contingunt entia. Vt ergò ex terra purus fiat ignis, & frigus abiicere oportet & opacitatem & craſſitiem denſam illius fieri lentam, mollem, lubricam, liquidam, & tandem attenuari expandique, quod eſt maximè contrarium telluris ſiccitati, quam communem igni eſſe affirmauit. Inſipienter quoque dixit, dempto calore ignem fieri terram. Nam & tenuitatem demere oportet, & in craſſam duritiem per conuerſos gradus longo labore agere. Nullum ergò ſymbolum eſt terræ, & igni. Neque calor coire poteſt ſiccitati natura; vt rectè Teleſius, & Plutarchus probant, & experientia; quæ enim maximè caleſcunt, maximè molliuntur, liquantur, attenuantur. Ergò humidiſſima fiunt, patet inductiuè.

Ad tertium errat toto Ariſt. cælo, vt aiunt. Neque enim duobus ſunt plures motus: ſi tamen ſunt motus, ſurſum, & deorſum. Quæcunque enim deorſum cadunt ad centrum eunt; ſed ſi ab aliis rebus ſubterpoſitis præoccupantibus centrum, retinentur, eouſque non feruntur. Similiter ad concauum Lunæ, & vltra, omnia tenuia feruntur, niſi à ſuperpoſito aëre cohibeantur, vel à propria craſſitie, qualem conſpicimus in nubibus & vaporibus.

Præterea falſum aſſumit, quod omne corpus moueatur, quoniam natura eſt principium motus. Nam etiam quietis eſt principium, vt ipſe 2. Phyſic. teſtatur. Ergò corporum differentia vera a motu & quiete capienda eſt, quæ enim mouentur, conueniunt in natura, diſconueniunt ab his, quæ natura quieſcunt. Quapropter cum motus & quies ſint duæ operationes primæ: duo erunt prima corpora. Alterum

quod semper mouetur, quia natura mouetur, vt ignis. Alterum, quod perpetuò quiescit, vt tellus. Aqua verò quia calorem cæli participat, mouetur non ita exactè, vt patet in mari ab ortu in occasum. Aër verò continuò cum cælo circumfertur, similiter & ignis, quem sub Luna Aristoteles fingit, qui tamen nullus est, nisi cæli porrio, vt mox parebit. Prætereà motus sursum, & deorsum non videntur esse naturales; quippè cum finiantur, & non nisi locatis extra cognatam vniuersitatem corporibus, atque ad suam reuertentibus vniuersitatem, conueniant: vt Xenocrates rectè considerat. Motus enim proprius competit omni, soli, & semper: tales autem regressus competunt partibus, non toti, neque solis, neque semper, sed dum fugiunt ex contrariis sedibus ad proprias. Igitur reuersiones sunt ad sui naturam; quam in suis locis spectare licet: sic ergò videmus ignem perenni gyro ferri, terram verò perenni quiete contineri.

Ad quartum Resp. Quod vnumquodque componitur ex his, in quæ resoluitur vltima resolutione: hæ autem sunt ignis & terra, vt patet, quando in cinerem & flammam rediguntur. Sed tamen cinis terra pura non est, & igne solui potest, vt in Metaph. ostendimus.

Præterea resolutio rerum omnis fit à calore, vt à frigore constipatio. Quapropter quamuis in aërem & aquam soluatur corpus humanum, tamen calor est, qui aërem gignit, & fumum. Similiter & qui fundit res compactas in aquam. Et quoniam omnia secunda entia à calore blando generantur, fit aqua, & aër ex corporibus secundis à calore immutatis, non tanquam elementa ex elementatis resolutis, sed tanquam secunda entia ex secundis: sicut & vermis ex cadauere humano, & vapor ex melle, & sanguis ex pane. Et hoc patet, quoniam si hæc ratio valeret, quilibet Philosophus suam tueretur sententiam. Diceret enim Thales, quod omnia resoluuntur in aquam tandem. Ergò ipsa est elementum vnicum. Heraclitus in ignem: Diogenes in aërem: Democritus in atoma vltimò dissolui autumat: nec proptereà atoma sunt elementa; sed portiones materiæ elementorum, ad quorum notitiam Physica hominis non descendit, sed Angelica fortassè pertingit. Recentiores docentes fieri resolutionem in Sal, Sulfur & Mercurium: alij & in oleum & aërem: non vident hæc esse opera ignis primi elementi extracta: nec de se posse resolui, nec ista corpora occupasse prima loca Mundi, nec posse sese generare, sed ab aliis gigni. vnde non sunt magis elementa quam aurum, vitrum, & alia secunda corpora, vt ex hoc necesse sit ad Anaxag. homiomeriam redire.

Quod verò Plato ex quatuor febribus, quatuor elementa indicat, fallacia non caret: quoniam neque quatuor febres illis quatuor humoribus respondent, vt infra probabimus, etiam Galeno teste. Neque solum quatuor sunt febres, cum & quintanæ, & sextanæ, & octanæ ab Hippocrate repertæ sint. Similiter cum Galenus ait quatuor esse humores, fallitur: quoniam vnus modò sanguis est humor in corpore animalis, flegma verò est pars eiusdem cruda, cholera est spuma, melancholia fex. Sunt ergò excrementa, non humores, quod & Aristoteles fatetur. Atqui si humores essent, quoniam vtiles sunt: vtrique serum, & vrina, & cinis, & sputum, & Bilis species plurimæ, diuersæ qualitatis, & pituitæ, aliæ salsæ aliæ dulces, aliæ vitreæ, differentes specie, & substantiali qualitate, efficerent plurima in corpore elementa, quod vanum esse nemo non fatetur. Sed hic sermo, cum de mistione tractabimus, redibit. *De part. anim. lib.*

Ad quintum, ratio non valet, quoniam homo non nutritur ex elementis, sed ex consimilibus elementatis, vt ex animalibus, & plantis, quæ animalia sunt. Cum enim elementa vires habeant validissimas: elementata verò imbecilles; si illis ista vescerentur, haudquaquã ea in se conuerterent, sed è contra in ea conuerterentur: & ideò quoniam aërem spiramus, & aquam bibimus; elementa hæc non sunt. Alioquin moreretur homo extinctus à summo aquæ frigore, & absumptus à summo aëris calore. Ergò sola tellus, & ignis sunt elementa; quibus vesci non possumus: quoniam longè absunt à natura nostra imbecilla. Ignis autem nos tactus non fouet, sed destruit, à longè fouet, moderatusque, quoniam moderato sumus calore constituti, è

terra autem nutriri hominem est impossibile: plantas verò è terra in succum versa à calore solis, quæ amplius terra non est, nutriri dicimus; quoniam crassæ sunt naturæ, & crasso liquore ali possunt, haud tamen frigidissimo, & siccissimo ex solo.

Ad sextum Resp. Quod in misto non reperitur, nisi ignis remissus, & materia terræ immutata: semper quidem priuata frigore, non tamen erassitie sicca, nisi magis, minusuè, prout ad mistorum speciem requiritur. Fit enim lapis ex terra, sed siccitas in eo remanet dura, in aqua liquida, in carne mollis, in neruo viscosa, &c. Frigus autem opus naturæ non ingreditur, vt inferior sermo docebit.

Quapropter esto, quod ignis, & terra immutata reperiuntur in compositione secundorum corporum. Aqua tamen, & aër non insunt tanquam elementa prima, sed tanquam portiones primorum immutatæ in secundorum naturam; nequaquam enim elementa in misto integra esse queant. Ratio tamen Aristotelis est sibi contraria. Nam tellus est frigida, atque sicca illi: siccum autem, vt ipse docet, habet proprios terminos, alienorūque, suſceptiuum non est, nisi cum difficultate. Aqua verò Aristoteli est frigida atque humida. Ergò caret terminis propriis, indigetque terminari ab alienis, vt à vase, vel alueo fluuij, vel fossâ. Quapropter videtur Aristoteles stolidus esse, qui aquam terminis carentem dare terræ, terminis præditæ, terminos, docet. Quod si aqua tanquam humida dat terminos contra naturam: multo magis aër, humidior Aristoteli, terminos daret, quod falsum est. Ergò non est humiditas quæ dat terminos, sed siccitas. Aqua tamen perfectè humida non est, sed liquida: idcircò de viscositate, quæ sapit siccum participat; dum enim sicca materia fit humida, prius fit lenta, deinde mollis, deinde viscosa, deinde lubrica, deinde liquida, deinde vaporosa: deinde tenuis, quæ est extrema humiditas. Aqua autem paginas compingi palam est ob viscositatis participium. Tellus verò pura ab aqua non compingitur. Sed illa tantum, quæ à calore exhalante frangitur in puluerem; qui puluis terra pura non est, sed sicca in frustula comminuta. Aqua verò ei mista addit viscositatem. Est enim viscositas siccitas repugnans liquefieri, vel liquor repugnans exsiccari. Idcircò ex his duobus fit gluten Quapropter Aristoteles Philosophari nihil videtur. Sed quidquid offertur absque examine effutire, & hæc ratio potuisset docere Aristotelem, quod tellus ex qua res secundæ fiunt, non est tellus, sed immutata res indigens glutine. Aqua verò non elementum: sed enim non summè humidum, at & viscosum: idcircò conglutinare aptum; quod aëri verè humido haud conuenit. Rectè quidem statuit ignem reperiri in secundis entibus, non modò quia solus nutritur, sed quia solus immutat terram in secunda entia, & in aquas, & in aërem. Aër verò stulta ratione apponitur, quoniam aquæ humor non est idem cum aëreo; sed quid crassius: neque ignis calor, sed quid robustius. Ignis autem, & aqua nisi in fumum versio fiat, aërem non possunt, sed aquam feruentem ex seipsis gignere. Si autem exhalatio aquæ præstat aërem in misto, tunc aër erit secundum corpus genitum ex aqua ab igne; & non primum per se veniens cum propria mole ad mistionem, quemadmodum requiritur ad naturam elementi, & sicuti ipse Aristoteles in primo de gener. & corrup. probaret: quod contraria misceri non possint in q. seq.

Quod anni tempora non sint quatuor, sed duo.

AD septimum negamus esse quatuor anni tempora, sed duo tantum, Æstatem & Hyemem, correspondentes calori, & frigori, diei & nocti, & ideò Daniel tempus ad laudem creatoris inuitans, æstus, & frigoris tantum meminit; nunquam Autumni, & Veris. Similiter Deus Genes. 8. ait ad Noë: *Cunctis diebus terræ sementis, & messis, non deerunt frigus, & æstus, æstas, & hyems; nox, & dies non requiescent, &c.* Autumnum, & Ver tacuit, quoniam sunt termini æstatis & hyemis, veluti manc & vespere sunt termini diei, & noctis: nam sicut sol in motu diario longitudinali facit duo tempora, diem, & noctem. Similiter in annuo latitudinali facit duo correspondentia, scilicet, æstatem, & hyemem: quod ex Dei oraculo citato & naturæ decretis patet.

patet In nocte, & hyeme tellus vincit, vel se restaurat: in die & æstate Sol. Propterea suppolaribus idem est dies & nox, quod annus. Cum ergo Gratianus, & alij Doctores puniunt quatuor tempora; intelligendi sunt politicè, non Physicè, vel non de solis primis, sed de primis, & de secundis temporibus. Ver enim, & Autumnus sunt secunda tempora, mista ex æstu, & frigore; sicuti mane, & vespere ex luce diurna ex tenebris nocturnis: & aqua, & aër ex crassitie terrena, & calore cælesti.

Falsum est etiam, quod quatuor ista tempora fiant à quatuor elementis. Nam à solis fieri luce, & terræ vmbra, calore, & frigore, palam est: ipsumque solem in quatuor punctis obliqui circuli causam esse quatuor temporum, ipsi Astrologi vno ore docent omnes. In vere autem non aër exuberans est dominus temporis: sed solis tepidus calor aptus rebus aëreis generandis, & blando calore constantibus. Idcircò & sanguis abundat, quoniam blando calore gignitur. In æstate elementum ignis fictum sub Luna nihil regnat, nec descendit; sed solis lux propinqui, & perpendicularis, calefacit magis, & omnia ignit, quoniam fons est ignis. Flaua bilis tunc abundat, quoniam sanguis attenuatus à sole, & ebulliens, eam progignit: sed tamen vt spumam & tenuitatem sanguinis, & in Autumno incipit sol a Zenit elongari, & minuitur calor, sed tamen remanent omnia adusta ab æstiuo calore. Neque tellus hoc facit, nisi frigus emittendo ad sui instaurationem: crassities autem illa à sole per accidens facta relinquitur; & humor melancholicus est multus, quoniã sanguis ab æstate adustus attenuatis portionibus exhalantibus, remanet crassus, & niger & quasi fæx sui. Fex autem sanguinis est atra bilis. In hyeme verò, quoniam sol maximè distat à nobis, abundant aquæ: non quia aqua hoc possit, non enim aqua potest generare aquam; sed quia vapores educuntur è terra crassi à sole tunc imbecillo, qui sursum elati facilè in aquam spissantur: quod tenuibus æstiuis haud conuenit. Item in nobis regnat flegma, quoniam vapores in corpore nostro geniti, educi foras non possunt ob circumstans frigus aëris, è terra effusum: ideò densantur in fluores flegmaticos intra cutim, & in cerebro, & in vasis. Quapropter omnes hæ vicissitudines à sole fiunt variis modis terram oppugnante. Similiter, & humorum rationes. Quod autem ita sit, patet magis ex eo, quod sub Æquinoctiali duæ fiunt æstates, & duæ hyemes. Duo Autumni, & duplex ver. Ergò oportet dare illis octo elementa: sub Polis verò æstas est totus vnus dies, quoniam sex mensibus habent solem super horizontem, & sex sub. Ergò hyems tota est vna nox. Ergò dies, & nox sunt æstatis, & hyemis entitates. Quapropter palam allucinantur, qui ex quatuor temporibus non æquè primis, nec vniuersalibus, at peculiaribus solùm intermediis regionibus, concludunt in totã natura, & in omni regione quatuor elementa. Et profectò admiratus sum semper sacras literas, sed in hoc magis, quod non quatuor tempora statuunt, sed tantum hyemem, & æstatem. Potius quidem iudicium esset sumendum sub Æquatoris plaga, vel subpolaribus, quàm à nostra intermedia regione. Ruditer Philosophatur, qui partem respicit, & non totum. Permittatur hoc medicis, qui rerum vires ad nos considerant, non autem Philosophis, qui ad se ipsas, & prout sunt, non prout ad vsum nostrum veniunt tantum, contemplantur.

Sub Æquinoctiali sunt duæ æstates.

Ad octauum Respondetur, quòd ignis, & terra habent materiam vt medium, in quo conueniunt ad vnius Mundi constitutionem. Si enim essent duæ materiæ primæ, essent mundi duo, vt arguit Aristoteles in primo Physicorum, contra tamen se ipsum, qui cælum alienæ naturæ, & materiæ ponit. Sed tamen intra ipsum ponit quasi alterum mundum elementarem. Nobis autem mare, & aër tanquam partes cæli impuræ copulant cælum & terram. Telesio verò, & Basilio mare, vti sanguis, spiritum, & solidum. Et quidem duplicitas medij adest Timeo, sed non propterea sunt quatuor elementa: media enim elementorum sunt participia, & non elementa prima: vt etiam Plato, & Empedocles agnouerunt: vnde ignem aërem, & aquam Plato ex scalenis constituit, & proptereà in inuicem posse transmutari, & esse vnum elementum, ista tria; differens quantitate, & numero triangulorum. Terram verò alterum ex Isoscelibus constitutum, quod in hæc tria non interit. Vnde Gregorius

Nyssenus, & duo elementa extrema posuit, & Varro, & Parmenides, ille Latinorum, iste Græcorum sapientissimi.

Vtrùm Elementum sit vnum, aut tria, aut infinita.

ARTIC. II.

Videtur quòd sit vnum: nam vnum est corpus materiale totius vniuersi, secundum substantiam: differt tamen à se ipso qualitatibus, quæ non existunt, sed corrumpuntur, & renascuntur, vt patet de calore, frigore, siccitate, humiditate, quantitate, mollitie, &c. Formæ quoque elementorum sunt quasi nihil, quoniam composito destructo in nihil abeunt. Ergò vnum verè est elementum, sicut posuere antiquiores, vel aqua, vt Thales, cui fauet Eusebius: vel ignis, vt Heraclitus, cui fauent, qui terram calore impregnant, vt sanctus Gregorius, vel aër, vt Anaximander: vel tellus, vt Orpheus: ex quo generant per rarefactionem, & densationem

2. Videntur esse tria ex Sancto Gregorio; nam canimus. *Quem terra, pontus, æthera, &c.* & Galenus principia corporum sumit spiritum, humorem, & ariditatem, & Hippocrates ex contentis humoribus, & continentibus soliditatibus; & ex impetum facientibus spiritibus, componit corpora; plurimique Doctores aërem, & ignem, & cælum vnum corpus faciunt cum Platone. Emped. vero contra ponit omnia igni.

3. Videntur esse quinque, addita cæli quinta substantia, quæ ex elementis non est Aristoteli.

4. Pythagoricis videntur esse decem.

5. Videntur infinita Democrito, quoniam in atoma resoluitur omnis compositio: quorum non est numerus.

SED Contra est Moyses, & Lactantius, & Basilius vbi supra. Item Chrysostomus Hom. 7. ad Ephes. cælum maritum, & terram vxorem, ex quibus fiunt omnia, ponit duo prima elementa. Et ratio docet non posse vnam esse.

Quoniam nullæ diuersitates reperiri possent in mundo, nisi secundum magis, & minus. Omnia ergò essent ignis, vel feruens, vel languens. Ergò non posset fieri resistentia: & tandem paruo tempore omnia fierent ignis. Neque potest assignari ratio, cur sursum aliæ portiones mundi, aliæ deorsum vergant: siquidem vbique esset eadem natura.

Item omnes vel ad perfectiorem suæ cognationis partem irent, ac fieret, chaos aut & res subitò vna.

Manifesta est quoque in mundo contrarietas ex pugna rerum continua. Ergò diuersas habent essentias.

Ratio Hippocratis, si vnum esset elementum vno dolore doleremus, & vno medicamento indigeremus, non valet: quoniam neque esset à quo doleremus. Siquidem à se ipso non læditur, quod est vnum. Item neque fecunda corpora posset generare: sed se ipsum solum: quin neque se ipsum, quia non esset vnde generaret, quod rarefactione, & densatione ex se, per se generaret. Patet: nam si est vnum, non potest se ipsum immutare ad densitatem, & raritatem; sed à causis actiuis contrariis, quæ in vno illo habitantes non patiuntur esse vnum. Item in Ecclesiastico dicitur. *Deus fecit omnia duplicia, vnum contra vnum.* Ergò non elementum vnum.

Quod verò non sint tria itidem probatur ex eo, quod vnum vni est contrarium extremum: quapropter ad minus essent quatuor. Si enim tertium esset duobus contrariũ, subitò destrueretur ab eis. Si verò vni tantum, ipsum cum alio illud vnum in se conuerterent. Si autẽ est in medio, & habet sybolũ cũ vtrisque, sicut Arist. fingit, tunc

contrarias haberet qualitates, quæ se mutuò oppugnarent, ac proinde illud tertium non esset vnum, sed duo, vel non esset elementum, sed corpus mistum, sicuti de aqua asserendum venit; quoniam haberet vires non summas, quales requirit elementum, sed languidas, at duobus contrariis castigatas: essetque sicut croceus color inter album, & nigrum, qui elementum colorum, haudquaquàm ponitur, sicuti album, & nigrum ponimus.

Quod non sint quatuor, supra probatum est, quoniam prima contrarietas est vna. Humor verò & siccitas sunt passiones materiæ, non autem actiuæ qualitates constitutiuæ elementorum, vt dictum est. Similiter quod aqua & aër elementa non sint, sed proles solis & terræ; vt quantitas parua, & vires imbecilles ipsorum, & generatio ab aliis, non à se, declarant. Quod autem neque frigiditas cum humiditate, quæ est opus caloris, neque calor cum siccitate, quæ frigoris est dispositio, coïre naturaliter queant, postmodum demonstrabimus.

Quod non sint quinque eadem ratione, qua non tria, neque quatuor, manifestari potest.

Quod non plurima; quoniam est vna prima contrarietas elementorum constitutiua.

Quòd non infinita, similiter probatur, v in præcedenti articulo.

Quò ergò duo, Mas & Femina, id est, Sol & terra: patet ex dictis.

Ad primum Resp. Quod materia est elementum elementorum, & basis ipsa, quæ est corpus Mundi totum: & qui hoc negant duas materias ponere necesse habent, scilicet illam puram potentiam & corpoream molem.

Formas autem fatemur annihilari: circulus enim ceræ, si compingatur cera, desinit esse; neque latet in cera, neque in aliud Ens conuertitur. Ergò in nihilum abit; sic calor in medio glaciei extinctus, & lux aulæ extincta lucerna, & S. Thomas de Resurrectione loquens, hoc concedit. Alij dicunt, quod forma desinit esse. Verentur tamen dicere, quod annihilatur, quoniam aiunt, compositum gigni, & corrumpi. Sed hoc inane est, quoniam compositum est materia & forma sic coalescentes. Materia non destruitur, sed vnio & forma; neque vnio, nisi formæ destructione. Ergò oportet vel concedere annihilationem formæ, vt multi faciunt; vel occultationem cum Trismegisto. Equidem hoc dubiũ pro difficili habeo. Vide Metaph. Attamen haudquaquã erit vnum elementum, si formæ annihilantur, sed materia vna tantum communis elementatis omnibus. Neque quia formæ corrumpuntur non constituunt elementum perenne, non siquidem totaliter, sed ex parte corrumpuntur in elementis. Haud enim totus ignis calore, neque tota tellus frigore destituuntur vnquam, stante hac mundi constitutione.

Ad secundum dicimus, quod pontus ponitur, vt elementum secundum, neque Aristoteli poni potest primũ: quippè cum totus illi videatur & calidus, & quantitatem suam amisisse: sed hoc inferius discutiemus. Hippocrates verò, & Galenus rectè componunt animantia ex solido, humido, & spiritu. Sed tamen humor, & spiritus à calore geniti sunt blando, robustoque: soliditas verò licet sit à terra, tamen à calore est concinnata, vt possit fieri vas humorum, & spirituum, vt palam est: à calore est neruus, & os, & intestinum, concinnatum sic ex dissimilari materia.

Ad tertium, dicimus errasse Aristotelem, sicut Basilius, & Iustinus, & Ambrosius illi obiiciunt, quod quintam confixerit naturam, vt infra ostendemus, & omnes Theologici Dogmatici eandem cæli, & inferiorum materiam ponunt, ex Scholasticis verò Egidius, & alij pauci. S. Thomas vtramque sententiam sustinet in 1. p. p. & in quodl. sed Aristotelis minus veram reputat.

Ad quartum Resp. est in nostra Methaph. hic autem opus non est, quandoquidem Pythagor. Metaphysicè loquuntur.

Ad quintum Respondetur, atoma esse materiæ portiones, non autem elementa rerum, & hoc in primo Metaphys. dogma destruimus contra Lucretium, & Democritum, & Epicurum.

Quærendum hic esset, vtrum terra sit frigida, & sicca; & aqua frigida, &

humida; aër calidus, & humidus: ignis calidus & ſiccus; ſed quoniam de terra, & aqua poſterius dicendum eſt: de aëre verò fatemur, quod ſit calidus & humidus, ſed non humidus ſicut aqua, ſed longè humidior, quia tenuior; neque calidus, vt ignis, quia moderatior à terra oppugnatus: & de hoc etiam infra dicemus. Remanet quæſtio de igne ſed in primo art. ad 2. argum. ſatisfecimus.



QVÆST. X.

DE CÆLI ET TERRÆ NATVRA.

Vtrùm Cælum & quæ in eo ſunt ſidera, præcipuè Sol, ſint à calore conſtituta: vel ſint quintæ eſſentiæ, elementis non communis; & vtrum Terra à frigore.

ARTIC. I.



VIDENTVR Ariſtoteli ſidera ignea non eſſe, neque cælum; quoniam eiuſdem oportet eſſe naturæ illa, & hoc, cum ſimul vnáque ſint; differuatque ſicut tabula, & nodus. Ergò idem de vtriſque ſentiendum. Probat autem, quod cælum non ſit elementum, neque ex elementis, ac proinde neque ignis ſit, dicens.

Prima Phalanx argumentorum.

PRimo de Cælo & Mundo, tex 5. & ſeq. cunctis elementis ſecundum naturam, quæ principium eſt motus, conuenit moueri, vel deorſum ad medium, vt terræ, & aquæ: vel de medio ſurſum, vt aëri, & igni. Cælum autem non fertur ad medium, neque de medio, ſed circa medium circulariter mouetur. Ergò non eſt elementum, neque de natura elementorum. Quod ſi quis dicat cum Platone, quod ignis mouetur ſurſum, & poſtea circulariter, contra ait Ariſtoteles. Vnius corporis ſimplicis vnus eſt motus ſimplex. Igitur non poteſt motus rectus, & circularis eidem corpori ſimplici, qualia ſunt elementa, conuenire ſecundum naturam; ſed ſi alter ei
Tex. 15. competit naturaliter, alter competet violenter: & præcipuè ignis (ait) natura circulo ferri non poteſt, quoniam non magis eſt contra naturam eius moueri circulariter, quam deorſum. Igitur oportet cælum contra naturam moueri, ſi eſſet igneum, ac proinde iam deſtructum eſſe. Nullum enim violentum durabile. Et confirmatur, quia elementa in ſuis locis quieſcunt. Cælum autem mouetur ſemper.

2. Ibidem ait, ſi eſſet elementum, vel ex elementis cælum, eſſet ſicut illa corruptibile: at cælum eſt æternum, quoniam motus æternus. Item ex obſeruationibus Caldeorũ per miriadas annorum plurimas ſcimus ſemper cælum motum eſſe eodem tenore, & ſtellas eodem ſitu, & quantitate, & numero perſeueraſſe, neque ſenectutis ſignum dediſſe. Igitur incorruptibile eſt. Ergò non igneum.

3. Ait auerroës, ſi eſſet igneum, haberet materiam. Ergò corruptibile, quia materia ſemper appetit formas, & ne ſit vanus ille appetitus, oporteret, iam mutaſſe formam, & cælum deſtructum eſſe.

4. Ait Simplicius, ſi cælum eſſet igneum non perſeuerarent ſidera in eodem ſitu: ſed temerè in eo agitarentur, vt piſces in mari.

5. Arguit Ariſtoteles in 1. Metcor. contra Anaxagoram, ponentẽ cælum igneum;

quòd cum sit tantæ molis ad terram, quæ ad cælum est quasi punctus, combussisset terram, & omnia facta essent cælum entia secunda, & ignis.

6. Addunt scioli, quòd si esset igneum combureretur, neque beati spiritus secundum fidem Catholicam, ibi viuere benè possent, vt neque in inferno; & multò minus corpora Beatorum.

Secunda è contrà.

SEd Plato, cum Timeo, & Emp. & cæteris Pythag nostratibus, putant è regione, cælum ex quatuor elementis compositum esse. Et primo quoniam spectabile est: nihil autem spectatur, nisi per ignem. Ergò in cælo est ignis. Item tangibile est: at nihil tangitur, nisi solidum; soliditas autem est terræ propria. Ergò tellus in cælis inest. Vnde Iob ait; quod *solidissimi quasi ære fusi sunt*, cap. 37. vbi autem est ignis & terra, sunt aqua, & aër, quæ ex his constituuntur extremis. Ergò elementa constituunt cælum. *In Timeo.*

2. Item in eo palam est lux, & calor ignis; soliditas terræ tenens calorem vnitum: & leuitas aëris, & aquæ transpicuitas.

3. Potest probari hæc sententia ex sacris literis: vbi *aquæ, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini*, & August. iuxta Hebraicam doctrinam ex aquis cælum factum aurumat. Item nominantur montes Dei colles æterni, in sacris. Ergò videntur hæc omnia ibi esse, & D. Thomas in p. p. q. 68. docet hanc opinionem esse textui sacro conuenientiorem.

4. Maomettus in Alcorano ponit in cælo maria multa, & terras, & ignem, & aërem, & alia huiusmodi, prout ab Hebreis, qui ipsum sequebantur, edoctus fuerat, teste Dionysio Cartusiano.

5. In Luna apparent maculæ terræ, ait Plutar. & Galileus noster amicus perspecillo mirabili maria & terras in ipsa vidit; & Pythagorici putarunt in omni stella esse quatuor elementa, & quidquid est apud nos in stella nostra, vt Philolaus Crotoniata, a quo Copernicus accepit motum terræ & cæli quietem.

6. Palam est, quod si purus ignis esset cælum, totum eiusdem caloris appareret; sed cælum videtur ceruleum, non album vt ignis; sol candidus, Mars rubeus, Saturnus plumbeus: Venus argentea: Mercurius varius: Iupiter lacteus: sidera verò fixa planetas in colorum varietate imitantur. Ergò sunt diuersarum naturarum, vel mista corpora. Et Ptolomeus ita sentit, Saturnum frigidum, & Lunam humidam: Martem calidum: Mercurium varium, &c.

7. Luna in defectu solari apparet nigra, & Mercurius in centro Solis visus est Auerroï nigricans aliquando. Item multi docent planetas à sole mutuari lumen, & omnes stellas. Igitur igneæ naturæ non sunt: sic de fixis probant prospectiui.

8. Luna si esset ignea quasi extincta, cum continuò à sole collustretur, & calefiat, iam purificatæ essent maculæ, quæ in illa apparent. Ergò aliquam aliam admistam habet substantiam.

9. Cæli partes polares parum mouentur; mediæ multum: planetæ, & fixæ sunt variæ magnitudinis, omnes tamen igneæ. Ergò eodem motu in velocitate, atque ordine, & situ voluerentur. At videmus ingentes in moribus varietates. Ergò & in natura, eorum principio.

10. Frustrà videntur esse tot sidera excedentia molem terræ in magnitudine absque Dei multiplici Idearum ostentatione in eis. Igitur rationabile est, quod nedum quatuor elementa sint in qualibet stella, sed etiam homines, animalia, plantæ, & quidquid est apud nos: & hoc videtur Pythagoricis: neque Copernicus abnegat.

11. Si sphera stellata quiescit, Planetarum verò orbes mouentur, vt putat, & probat Copernicus, diuersas naturas oportet in cælo ponere. Nam & à Moyse vocatur firmamentum, quia caret motu, teste Chrysostomo, Iustino, & aliis Patribus.

11. Patres ponunt cælum Empyreum, ideſt igneum; & cryſtallinũ, ideſt aqueum, aëreum nemo negat. Ergò & tellus, & omnia in cælo; quia terra viuentium etiam ibi dicitur.

13. Cometæ plurimi fiunt ſupra lunam, teſte Proclo, & Cardano, & Teleſio: at Thicone, omnes ſupra Lunam, & etiam in octauo orbe, quod parallaxis diminutio, vel defectus oſtendit, vt in progymnaſmatis rectè docuit; & præcipuè de noua ſtella, quæ per quatuordecim menſes durauit in anno 1572. exorta propè 6. Tauri. Impoſſibile eſt autem perigneum cælum vapores è terra tot ac tantos eleuari, qui cometam longè terra maiorem efficiant in ſuperiori cælo. Ergò oportet alias terras eſſe in cælo, vnde vapores fiunt, vt Pythagorici docuerunt. Quod obſeruata Thyconis, & Galilei fateri cogunt, niſi miraculosè omnes Cometas fieri velis, nouaſque ſtellas: vnde Thyco cogitur ex Galaxia cometis materiam mutuari.

14. Item obſeruat Galileus circa Iouem quatuor planetas circumferri, veluti Venus & Mercurius circa ſolem, & planetæ omnes, vel Luna ſaltem circa terram. Ergò alij ſunt mundi, & ſyſtemata in vniuerſo nobis ignota. Nec Arioſtus de his quæ in Luna ponit, videtur delirus Poëta. Delirat tamen Ariſtoteles, cum eas terras ad noſtram venire cogit: inſcius, quod omnes vniuerſitates in propriis manent. Neque enim cor meum ad locum cordis tui ire cupit, ſed intra ſuam vniuerſitatem viuere.

15. Præterea circa ſolem volitare nubes teleſcopio cernimus, quæ non niſi ex ſtellis eleuari poſſunt, vel è ſolis terrea parte occulta, vt quidam volunt. Venus etiam creſcit, & decreſcit, vt Luna. Ergò fortiores profectò ſunt rationes hæ, quàm Ariſtotelicæ oppoſitæ.

12. Adde nouas exorbitantias in cælo, quæ eius corruptibilitatem oſtendunt, vt infrà.

Tertia contra Terræ conſtitutionem.

QVòd autem terra non ſit à frigore conſtituta, probatur primo: quoniam in hyeme viſceera terræ calidiora ſunt, quàm in æſtate. Aër verò frigidior. Frigus autem illud ab aere, & aqua calidis non venit per te: neque à terra fingi poteſt: quoniam per calorem non tranſit. Ergò vel eſt defectus caloris: vel aquæ eſt qualitas, vel aquæ & aëris, vt putat Heraclitus, & Cardanus.

2. In hyeme aquæ ſunt intra terram calidiores, & cum gelantur in ſuperficie, non glacianrur in fundo. Et radices arborum calidæ viuunt, rami verò moriuntur, quoniam ſpiritus ad radices cum calore cogitur. Ergò frigus ab aëre; & calor eſt à terra.

3. Voragines igniuomes in Vulcanis ſunt etiam in Hybernia, & in Iſlandia frigidiſſimis, nedum in Italia & Sicilia, & Africa calidis regionibus. Ergo centrum terræ calidum.

4. Pythagorici ponunt ignem infernalem in centro, & Diuus Gregorius putat Puteolos, & Vulcanum, inferni eſſe ſpiracula. Neque fingi poteſt quomodo ſol tantum ignis in terræ viſceribus genuerit: & qui ſæpè de Veſuuio erumpit maximus.

5. Ait Copernicus, ignis eſt ſui extenſiuus. Ergò manet in centro: ex quo oportet ad circumferentiam extendi.

6. Tellus in viginti quatuor horis gyrum ſui motus perficit, teſte Copernico, Timeo, & Philolao, & rationes, quoniam motus diurnus à ſole in cælo in viginti quatuor horis in tam immenſo itinere fieri non poteſt: terræ autem facilis, & omnes apparentiæ per talem motum melius ſaluantur, quàm per motum cæli. Motus autem caloris eſt opus. Tellus ergò calida eſt non frigida.

7. Tellus videtur animal eſſe, vt Ouidius canit cum Pythagoricis, & Seneca conſentit, & Origenes. Ergò cor eius, caloris fons eſt, ſicut in cæteris animantibus.

Quòd Sol sit igneus, & fons omnis ignis & caloris.

SED Contra est Ecclesia Christi canens. *Iam sol recedit igneus.* Item Ecclesiast. 43. *Species*, ait, *Cæli in visione gloriæ, &c. Sol in meridiano exurit terram: & in conspectu ardoris quis poterit sustinere? fornacem custodiens in operibus ardoris tripliciter: exurens sol montes, radios igneos exufflans, & refulgens radiis suis obcæcat oculos. Magnus Dominus, qui fecit illum, & in sermonibus eius festinauit iter.* Ex quibus verbis Solis igneam naturam cognoscimus in luce, & calore, & motu festino, sicut per experientiam quotidianam nouimus. Quòd autem etiam stellæ sint igneæ naturæ, docet Sap. 18. *Ignis*, dicens, *nulla vis poterat illis lumen præbere, neque siderum limpidæ flammæ, &c.* Et adeò frequenter in scripturis sanctis hoc habetur, vt S. Ambrosius in Hexam. lib. 4. cap. 3. & 6. reputet Hæreticos eos, qui audent cum Aristotele ponere cælum, & sidera quintæ naturæ; & non igneæ. Idem Basilius docet ibidem, & Chrysostomus, & Origenes, & Iustinus in lib. contra Aristotelem, Beda in lib. de vniuerso, & Diuus Bernardus in sermone. *Ecce mulier amicta sole.* Et quotquot Philosophi fuerunt in mundo, idem sentiunt, excepto Aristotele, & sequacibus, non tamen omnibus. Philoponus enim in primo de cælo contra Aristotelem inuehitur, pro fide Christiana decertãs, & Simplicius ex parte pro Platone. Si verò valet consequentia ex siderum natura, cæli naturam declarare, & ipsum cælum ex tenuissima ignis materia à calore extensum esse oportet. Quod sanctus Basilius testimonio Isaiæ in Hexam. docet, & Patres præclarissimi cælum vocant Empyreum græcè, quod Latinè sonat igneum & vocabulum cælum in lingua Aramea antiquissima, teste Ioanne Annio, idem sonat, quod feruens, & calidum. Disputat quoque Basilius quomodo posuit aqua super cælum reperiri, si igneum est, & concludit, melius esse opinari, quod aquæ super cælum intelliguntur illæ, quæ in aëre fiunt, qui pars cæli est: & hoc valdè laudat sanctus Augustinus, & fictum crystallinum rejicit. Ergò nos oraculis, & testibus conclusionem contra Aristotelem habemus.

Ipsa quoque experientia fauet; quoniam ignis noster lucem, & calorem effundit, sicuti Sol, & stellæ. Ergò sicuti ignem neque lucidum, neque calidum dicere, est stultitia; itidem de cælestibus stellis. Neque quia aliarum stellarum lucem, & non calorem percipimus, calidæ non sint. Nam ignis à longè conspectus lucet nobis, non autem calefacit; non quidem quia non calefacit, sed quia ita exiliter, vt calor eius à nostro maiori non sentiatur. Sic febricitans manum medici calidam non calere putat. Oculus autem lucem percipit, quoniam gracilior, & spiritu, & transparentia constat, facilèque afficitur etiam à calore niuis; qua multi excæcantur, eius albore in spiritibus disgregatis, & tenui textura soluta. Sol autem vel àdeò amotus assiduè summum in nos effundens calorem, calidissimus videri debet. Item omnis ignis noster est à sole exceptus, vel in speculis, vel lignis, vel lapidibus à sole genitis, & calore donatis. At ab igne sublunari ficto per Aristotelem nullus vnquam venit ignis. Item & per cælum conspectus sol, nullis obsitum vaporibus, per quale ipsius species spectanda omninò est, lucidissimo candore præditus conspicitur, vt ignis: rapidissimoque, & nunquam cessante circumuoluitur motu, qui ab igne edi apud nos perpetuò solumque videtur: Tenuissimum quoque esse, vti ignis oportet, quoniam res nulla cui quantulauis insit crassities se ipsam in sublimi sustinendi, motumque vllum edendi, potens est. Quod vel flammæ declarant, quæ nisi tenuissimæ fiant, inuisilesque, nunquam sursum, quod summè appetunt, attolluntur, sed decidunt.

Nota.

Phys. 8. & Meta. 12.

Sed Aristoteles respondet, quod motus solis non ab eius viribus editur, sed ab Angelo separato motore: neque tenuitas est ignea in eo, sed alterius essentiæ quintæ, neque grauis, neque leuis: alioquin tenderet sursum, vel deorsum: neque lux, neque calor sunt in sole, sed fiunt in aëre attrito ab eius latione, vt docet 2. de cæl. tex. 42. Sicut sagittæ motu accenduntur, & contriti lapides & ligna.

2. de calo.

Quòd lux sit in Sole ipso, & non fiat ex aëris attritione.

QVòd autem apprimè mentiatur, dum Soli lucem abnegat Aristoteles, non modò sacræ literæ, quæ luminare maius in se lucidum ponunt, & Basilius, & Ambrosius, & Bernardus, & omnes Philosophi testantur, sed ipsa rerum natura: semper enim in ipso lucem videmus. Neque in aëre fieri attrito, vt ipse fingit, & in solem refulgente, siquidem aër tenuissimus est, neque potest lucem reflectere sursum, sed transilire ipsam patitur vsque ad terram: à qua densa opacáque reflectitur, non tamen vsque ad Solem & Astra. Item exoriens Sol, & occidens dum spectatur medius etiam lucidus apparet antequam a flagellato aëre lucem recipiat. Sed hoc maximè conuincit, quoniam si in aëre fieret lux, & in sole non existeret, semper Lunæ facies ad nos spectans illuminata esset tota, præsertim in sextili, & semisextili aspectu ad solem, quoniam supra aërem est, atque in ipsius inferiorem portionem lux reflecteretur: superior verò obscura esset semper; sed videmus prout ad solis faciem ad nos relata respicit, illustrari, & non prout ad aërem. Lux ergò in sole est. Item neque Sol à Luna ecclypsaretur, neque Luna à terra, neque Sole ecclypsato ipsa non luceret sed magis. Quamobrem omnes Peripatetici Arist. in hoc dogmate reliquerunt adeò, vt plerique asserant demente Aristotelis lucem inesse in sole, & non fieri in aëre. Sed ignorant quid dicunt, & Auerroës in lib. de substantia orbis confitetur quod Aristoteles abstulerit soli lucem: sed posteriores discipuli (ait) eius dictis non acquiescentes restituerunt, & Simplicius in commento. 2. de cæl. tex. 42. fatetur Aristotelem negasse lucem in sole, & probat ex illo contextu: vbi Aristoteles respondens argumento antiquorum, qui ex eo, quod sol & sidera lucent & calefaciunt, concludebat naturâ ignea esse, ait. *Lux autem & calor generatur ab his* (scilicet astris) *attrito aere ab horum latione: manifestum est in latis lignis, & lapidibus, qua collisa vruntur, & in sagittis latis, ita vt liquefiant plumbea, &c.* Vbi sanè idem dicit de luce, quod de calore, scilicet, quod fiant in aëre contrito, quod si nihil dixit de luce Aristoteles ergò nihil etiam de calore (concludit Simplicius) eadem enim est responsio de vtrisque in prædictis verbis textus. Alexander etiam anxiè disquirit quomodo motus atterens non calefacit, & illustrat plus montes quàm valles: quod non quæreret si lux esset à sole, nec sol ageret Aristoteli, nisi solo motu, vt Alexander intelligit. Facilè enim reddi posset ratio per lucem. Nam Aristoteles, & Alexander pro certo habent, quod sol sit calidus si est lucidus. Et quod lux magis vnitur in vallibus quam in montibus, sed motus plus afficit montes: quo solo agit sol Aristoteli. Etenim præterea Aristoteles in primo Meteor. respondens eidem agumento, ait, *Quod sufficit vna solà latio tantum disgregare aërem & ignire, &c.* Vbi per ly *vna*, & ly *tantum*, ostendit quòd solus motus facit accensiones, quas à sole videmus. Neque per lucem agere solem putat Arist. quippè qui eam illi negarat, sed solum per motum fieri & calorem & lucem: quod & Alexander fatetur, vt obstruatur os sequacium indoctorum, & pudefiant de tali magistro, qui licet alias lucem in sole ponat, nilmirum, quoniam loquitur secundum vulgus, & vbi non erat opus hanc sententiam declarare; omitto etiam, quod sibi passim contrarius, & in cæteris reperitur, teste Lactantio, & Eusebio.

Nota.

Tract. 1. Cap. 5.

Quòd calor in Sole perperam ab Aristotele negetur; & Sophisticè attrito aëre fiat etiam à suis assectis.

RAtio verò, qua à Sole non lucido nec calido Aristoteles facit lucem, & calorem, est prorsus inanis, & Philosopho indigna. Motus enim cum sit nonens dignitate est calore inferior; similiter autem tempote, etenim res tunc mouentur postquam calefiunt, & attenuantur, vt patet in glacie, & lignis immotis antequam ab igne

igne in fumum vertantur. Animalia itidem calidiora, mobiliora sunt; frigidiora verò torpescunt. Natura quoque posterior calore est motus, quoniam est caloris effectus, & nunquam potest fieri, nisi à calore materiam igniente, attenuante, & leuem faciente. Ignis & bombardæ, & cuniculi bellici hoc declarant. Exemplum verò Aristotelis contra nos, vanum est. Neque enim motus, & contritio generat calorem in lapidibus, & lignis confricatis, sed latentem excitat, præbetque commoditatem seipsum effundendi, ac manifestandi: quod ex eo palam fit, quoniam non omnia, quæ atteruntur ignem emittunt, neque quæ magis atteruntur plus emittunt: sed illa solum, quæ plurimo calore iunato constant; siquidem glaciem millies conteras, aut lateres, licèt calidos, aut ligna viridia, nequaquam in pluribus ictibus tantum ignis excutitur, quantum vno ictu ex silice, & marchesita: vt satis pateat, quoniam à sole sunt geniti lapides, & metalla, & ligna, calorem habent mediocrem. Caloris autem natura est diffusiua, & multiplicatiua; motus verò, eius est operatio; qui conterens materiam, in qua est calor, relaxat, adaperitque ita, vt calor innatus adauctus, vi diffusiua per motum excitata, possit etiam exilire, & lucere; & hoc palam est contra rudes Peripateticos, qui putant intermedium aërem accendi, dum duo lapides conteruntur. Si enim aër sic accenderetur omnium solidorum ictibus accenderetur, & maioribus magis.

Præterea falsum est quod sagittæ incalescant, liquescántque plumbeæ attritu aëris, vt Aristoteles, & Lucretius putant; nam nec glans plumbea igne sclopeti calefacta, & expulsa liquescit, imò nec cerea pila, vt experientia probat: Imò per aërem nouum semper magis frigescunt, vt flabellum ostendit. Falsum est etiam quod Babylonij ouum fundæ rotatione coquunt; omnia hæc experti sumus falsas esse imposturas, & credulitate, non experientia teste.

Præterea videmus ex silice egredi scintillas sulphureas, & cinerem si paginam subterponas. Ergò palam est, quod innatus calor exurgit, & non nouus de nihilo, vel de aëre fit vt putant. Virgil. doctè canit; *è silice scintillam excudit Achates*, & alibi, *quærit pars semina flammæ abstrusa in venis silicis, &c.* in confusionem Aristotelicorum.

Similiter etiam si detur Aristoteli contra experientiam, quod plumbeæ sagittæ iaculatæ liquescant, id fieret quoniam motus, & confricatio aëris impetu verberati calorem plumbi excitant, qui proinde robustior factus propriam molem liquefacit; sed neque modus fingi potest quomodo ex aëre non calido calor, & lux egrediantur. Siquidem Arist. putat ignem fieri à cælo verberante aërem, quasi per accidens: & non esse elementum à natura primæua positum, sed aërem à cælo accensum in primo Meteor. Aër autem à sole, & sideribus quam longissimè motis remotus verberari nequit, neque si verberaretur calorem emitteret. Etenim ea modò entia icta incalescunt, quæ solida sunt, ignemque intra crassitiem impeditum habent, vt lapides, & ligna. Siquidem, & Siluæ combustæ sunt confricatis à vento arboribus diù; & rotæ, currus rapidis ab equis tractæ: Aër autem tenuis est, & ictus non suscipit, sed diffugitat; nec post primũ ictum expectat aliũ, quo plus afficiatur, vti lapis, sed aliò præteruolat. Quapropter nequaquã si iciat sol aërem, eliciat calorẽ: icire autẽ nullo potest pacto tam remotus ab eo per centum, & decem ferè semidiametros terræ, quarum quælibet est, quibus videtur minima Mathematicis, viginti octo millium stadiorum; sed Aristoteles ponit solem immediatè supra Lunam, & errauit. Nil tamen Peripatetici verentur sequi errantem. Sed tunc saltem centum diametris distaret; quomodo autem verberaret aërem, in quem non tangit, cum & ipse doceat quòd corpus non agit corpus, nisi tangendo? non enim lapis è ferro elicit ignem, nisi percutiat tangendo. Luna quoque longè calidior, & lucidior nobis esset, quoniam ipsam tangit aëre. *In 1. de gen. & corrupt. cap. de tactu, & de agere & pati.*

Sed Aristoteles respondet huic argumento, dicens in primo Metaph. quod sidera ob multam distantiam verberare non possunt. Luna verò ob quantitatem paruam. Sol verò medius solidior est, & magnitudinis multæ, ita vt possit disgregare, & ignire: hem impostura.

L

Profectò Luna videtur eiusdem magnitudinis cum Sole apud nos, quoniam propinquior: vnde vtriusque semidiameter Mathematicis est æqualis: deberet ergò compensari magnitudo Solis cum vicinitate Lunæ ad tactum sicuti ad visum: & abundantius, nam præterea potest lapillus tangens excutere ignem de calibe, lapis autem molaris à longe percutiens aërem intermedium nunquam educet de eodem calibe ignem. Ergò, quæ non tangunt, nunquam educunt: & Luna ergo plus educeret.

Præterea cælum non habet qualitates tangibiles Aristoteli; neque enim est graue, neque leue, neque calidum, neque frigidum, neque durum, neque molle: quomodo ergò potest aërem flagellare, & ignire? sed esto quod tangibile sit, quo pacto sol tam remotus atterit, & flagellat non disrumpendo, neque flagellando intermedium cælum? quomodo potest cælum transferre ictum violentum, quem non recepit?

Præterea neque si receptiuum esset, reciperet. Sol enim regulari fertur motu Aristoteli, & non deprimit, neque grauat, neque percutit orbes, neque aërem, cùm præsertim in homocentricis feratur, & non exaltetur, neque humilietur Aristoteli, vti Ptolomeo. Quinimò quando est in Apogeo, & ab aëre elongatur Ptolomeo, puta in Cancro; Sol magis vrit; quod nequaquam eueniret, si flagellatio aëris illum calorem præstaret, sed in Capricorno vreret magis, quoniam terræ ibi propinquissimus est.

Sentit Alexander ex parte vim argumenti huius, & Respondit, quod sol potest aërem verberare, non verberato cælo intermedio, sicuti torpedo stupefacit piscatoris manum, non stupefacto fune ab vtrisque contacto. Sed reiicitur hæc responsio etiam ab Auerroë, quoniam torpedo aliquem vaporem realem mittit ad manum piscatoris per funem. Neque enim posset afficere nihil efficiendo. Sol autem non mittit qualitatem aliquam Aristoteli, quia neque lucem, neque calorem, neque influentiam secretam: sed solummodò per attritionem agit. Ergò oportet, quod motus ille per cælum transeat, affectóque cælo afficiat: non enim ad spirituales recurrit Aristoteles actiones, sed ad realem actionem, quam soli conuenire per soliditatem suam existimauit. Idcircò Auerroës respondet, quod soliditas solis communicatur cælo supposito, & sic cælum verberat per illam. Idcircò aliæ cæli portiones calorem non faciunt, quoniam tanta soliditate carent.

Sed profectò Auerroës videatur inanior; etenim Sol non deprimit cælum ita, vt possit illi soliditatem communicare: sed per se fertur in suo orbe regulariter per Aristotelem. Item neque soliditas migrat de subiecto in subiectum. Est enim passio materialis, & non actiua, veluti calor, & lux, & frigus, sese effundentes.

Præterea Luna tangens plus calefaceret. Item sol ecclypsatus plus igniret, quoniam Lunæ, & solis soliditas coëunt, & Luna non esset tunc nigra, sed lucentissima ob multum calorem, & lucem in aëre genitum ex sua hypothesi: vtrumque autem euenit è contra.

Præterea argumento vrgentissimo torquetur Aphrodis. neque potuit illud soluere, sed minus Auerroës, si enim solis attritio ignit aërem, tunc magis igniret proximiorem sibi, nunc autem è contra euenit. Nam valles, & planities, & mare calidiora fiunt à sole; montes verò, & aër superior magis attritus, minus calidi sunt, imò frigescunt. Ergò non facit attritio calorem. Sed lux solis calida, vti nos docuimus, in imis vallibus vnitur, & duplicatur calor: in regionibus verò, vbi desinit reflexio, superioribus, est languidior calor: sic etiam in montibus, vbi lux minimè colligitur; sed dispergitur. Hoc Aristoteles nouit in Meteor. sed sibi parum constanter. At Aphrod. insolubile quasi reliquit argumentum, & quidem sic est in via Aristotelis.

Quòd perperam etiam lumine non calido, & contra Aristotelem, & sensum, & rationem Peripatetici calefaciunt ex Astris.

Recentiores proinde Aristotelici impossibilitate opinionis Aristotelicæ, & sensu conuicti, dixerunt non solo motu solem, & cælum agere & calefacere, sed etiam motu, & lumine: & confessi sunt in sole lumen inesse natiuum. At ne Aristotelem videantur deseruisse penitus, negant in sole esse calorem, & ab eo effundi, ne fateantur igneum: attamen lumine calefacere contendunt, quærentes verò, quo pacto lux solis non calida efficiat calorem.

Alij dicunt reflexionem lucis esse causam caloris, vt patet in vallibus, & speculis, & phialis; sed profectò isti contrariantur Aristoteli suo, quoniam Aristoteles teste Simplicio, Alexandro, & Auerroë, concessit hanc consequentiam: quod si est lux in sole, est etiam calor: & ne cogatur solem facere igneum abstulit ab illo lucem, & calorem in 2. cæl. tex. 42. & 1. Meteor. vt supra ostendimus. 1. Opinio.

Item contradicunt sensui, manifestè enim in æstate, dum sol oritur antequam reflectat tellus radios, sentimus nos ab eis tanquam à iaculis calidis feriri, & manum per fenestras exerentes, quasi torreri sentimus, non qua spectat tellurem reflectentem, sed qua directè solem perpendicularem: alioquin oporteret vmbraculum non soli opponere, sed terræ reflectenti. Eodemque modo ab ignis nostri luce calefimus nondum reflexa, licèt à longinquo parum, & insensibiliter, sicuti & à sole remotissimo sub Capricorno in mane vel vesperi, quando lux reflexa in obliquum non vrit, nisi reflectatur in se vt vniatur, vnitisque viribus agat, quia vnitis non quia reflexis. Contradicunt etiam rationi, quoniam reflexio lucis nil præstat, nisi vnionem, propterea que non omnis reflexio, nisi quæ vnit calefacit. Quapropter si lux simplex non est calida, neque duplicata, & vnita, erit calida. Oportet ergo ipsam prius esse calidam, sed languido calore ad nos comparato, sicuti lux lucernæ remotæ; per reflexionem verò, calorem vniri, & robustiorem fieri, ac sensibilius afficere. Lux etiam lucernarum non tam sensibiliter calida, in speculo vnita reflexáque exurit: quæ ante non vnita vix calefacere videbatur: ergo.

Præterea vt probat Aristoteles in Metaph. 8. Vnumquodque generatur à suo simili vniuoco, vt ignis ab igne, homo ab homine. Non ergò lux non calida generat calorem, & multò minus motus. Patet autem, quod in speculis transpicuis, & in aquis lux multiplicatur: quoniam transpicuitas est caloris victoriosi opus, ipsáque lux tanquam in sui cognatione augetur in ea; & quidem transuecta phialam vnitur quasi in conum & vrit, sicut ignis: & sola vnio hoc facit, non reflexio; vnio autem vnibilem præsupponit calorem.

Dicunt alij Peripatetici, quod lux non calida calefacit reflexione, quoniam irritatur transire non permissa, ac incalescit. Sed hæc fictio chimerica est, animal enim irritatum, & agitatum incalescit, quoniam calidum est, & sensitiuum, ac proinde aduersus impedimenta irascitur, & accingitur spiritibus calidis ad exteriora corporis per neruos conuolantibus ad pugnam: sed lux simplex res est nullo sensu, nullóque calore prædita per Peripateticos. Ergò non potest irasci eis, neque irritari, neque incalescere: oporteret enim prius aliquantulum calidum esse, vt plus incalescat; quia neque ventus, neque aqua impedimentis irritantur, ita vt incalescant sensibiliter, quamuis innatus calor eis non desit: quomodo igitur potest non calida lux sic irasci vt caleat? Semper nè cholerica passione affligitur lux? 2. Opinio.

Alij dicunt, quòd lux non calida facit calorem in aëre, quia ipsum mouet, & attenuat; qui attenuatus rarescit, agitatur, & calescit. Miror quod Albertus magnus vocatus tali sententiæ non obstitit. Si enim sic fieret, omnis aër à ventis agitatus calesceret, & à flabello; cuius contrarium apparet superueniente altero nobis, & prius amoto, frigidiori. 3. Opinio.

Item in montibus, cælo vicinioribus attenuanti; & non secus in vmbra atquè in luce calor fieret: in vmbram enim motus aëris à luce amplificatur. Item lux in speculis comburentibus nihil attenuat, vt calefaciat, sed vnitur tantum.

4. Opinio. Dicunt alij, quod lux solis transiens peripheram ignis calefit, & sic ad nos defert calorem. Sed ratio vana est, quoniam lux Lunæ æquè calida ac Solis sentiretur.

Item ignis ille sublunaris fictitius: tum quia nulli vsui est naturæ, quoniã nullus ab eo ad nos ignis, sed à sole euenit omnis: neque potest ad mistionem descendere: nam etsi motu cæli depellatur deorsum vt fingit Aristoteles, statim resilit sursum ob sui tenuitatem summam: tum quia si tanta esset illius ignis vis, vt simplicem lucem calefaciat, multò magis vreret vapores, qui supra Lunam eleuantur, vt Tycho probat experimentis multis in cometarum effectione.

Præterea lux solis si alterius naturæ est ab elementis, non suscipit peregrinas impressiones, alioquin & ipsum totum cælum à sublunari igne incalesceret, quod negãt. Ergò non ab illo igne ipsa calorem susceptum habet.

Præterea cum sit Peripateticis lux accidens, non potest alterius accidentis esse subiectum, vt Peripatetica dogmata canunt.

Item accidens, vt aiunt, non migrat de subiecto in subiectum, quomodo ergò poterit calor ignis ad nos migrare per alterum accidens delatus?

Item vel calor ipse idem numero, qui est in igne sublunari, venit ad nos cum luce, vel alius numero. Si idem, ergò falsa eorum tria, primum, quod accidens non est subiectum alieni accidentis præsertim formale. Secundum, quod accidens non migrat, &c. Tertium quod forma non ab agente effunditur sed de potentia subiectæ materiæ educitur. Si verò est alius calor numero, ergò est genitus de lucis substantia. Ergo lux erit materia de cuius sinu calor educitur, ergò ipsa non est forma, neque accidens formale, vt ipsi docent. Et profectò nunquam inuenient, quidquid fingere conentur, quomodo calor ignis sublunaris sit in luce non calida: & quomodo in ea generetur vel copuletur. Si autem lux & calor generatur in aëre & aquis, & terra nigris frigidisque tam subitò, profectò omnipotens erit Sol nullis viribus, sola voluntate ex rebus contrariis contrarios effectus statim educens, ab eo enim lux & calor non venit, sed sit iuxta Aristotelicos istos.

5. Opinio. Dicunt alij lucem & solem non esse calidum formaliter; sed virtualiter; & habere virtutem calefaciendi, licet non sit calidus essentialiter: Sed hæc responsio est vana, licèt tanquam minus obnoxia reddendæ rationi à multis complectatur: quoniam re vera nullam affert rationem, quam tutari habeat: Profectò in Physicis semper fit à simili simile, dico in simplicibus, neque frigus à non frigore; neque lux a non lucido, neque aliud quippiam ab eo, quod non est, fit. Nullum enim Ens dat, quod non habet. Quapropter si lux dat calorem, calida est: similiter & sol.

Item virtus caloris est ipse calor, simplex enim res. Si autem virtus sumatur pro potestate, manifestum est per Metaphysicam quod virtus rei est in essentia rei. Virtus ignis in igne, hominis in homine: quapropter falsò assumitur vis caloris non in calore, & in non calido.

Præterea ipse quoque S. Thomas in 3. contra Gent. probat, quod neque Angelus, neque dæmon possunt calefacere absque calore à naturalibus assumpto, & quod solus Deus, qui de nihilo creat, & cui soli natura obedit ad nutum, quia intrinsecus solus est cunctis, vbique potest miracula facere, & res producere non vtendo rebus naturalibus: quoniam ipse omne Ens eminenter, idest, vnitius plenius & vniuersalius, vt exponit S. Thomas: cælum autem non est ignis, & aliæ res, ideò non potest ignire sine igne; nec Angelus, nec dæmon id potest. Igitur non potest in sole virtus caloris reperiri, quæ neque in Angelo eminentiori potest absque ipso esse, alioquin etiam in calore esset frigus eminenter, & licebit fingere omnia, & Physica perit omnis, quæ ex operatione cognoscit essentiam, & virtutem. Adde quod in simplicibus præsertim in calore non differunt essentia & potentia, seu virtus secundum D. Thomam: at secundum Scotum in nullis: igitur non potest in sole, nec vlla in re Phys. operante, reperiri virtus caloris, quin illa sit calor.

Præterea cælum non virtutem caloris dat, sed ipsum calorem; non autem dat quod non habet Ens vllum, vt probatum est in Metaph. & in 1. lib. de Sensu rerum. Hæc quoque sententia Aristoteli repugnat, qui nunquam somniat hanc virtutem sine re. Ideò ad motum solum refugit, quo ignem vniuocum producit, non æquiuocum.

Præterea omnis lux sensui est calida, sicuti solaris. Stultè ergò fingitur non calidus sol. Præterea si ita fingere licet, dicam & ego omnia ex omnibus fieri, quoniam & si non essentialiter saltem virtualiter præinexistunt. Sic dicam in igne esse vim frigefaciendi, & in terra leuigandi, non formaliter, sed virtualiter: & perit sic omnis Philosophandi via. Neque Arist. vnquam dixit, quòd lux non sit calida, sed quòd fit in aëre attrito calor & lux.

Præterea quando Aristoteles in 9. Metaph. dicit quòd in semine est potentia animal, loquitur de eo, quod animationem inchoatam habet, vbi docet, quod animal est potentia non in lapide, neque in cibo, neque in semine iaculato, sed in semine præparato organis ex parte ad animationem. Ergò Peripatetici indoctè intelligunt Aristotelem de existentia potentiali: quoniam ipse ponit in ea partem entis, cuius est potentia: vnde Alb. ait: quod calor faciens animam est aliquid animæ, in 3. de gen. An. c. 2 ex Arist. Ergò si in sole est calor potẽtia, esset aliqualis calor nostro consimilis vt in semine vniuoco animal.

Dicunt alij tamen, quod sol est calidus æquiuocè, sic etiam lux, & ideo calefacit. *Opin. 6.* Sed hi pariter falluntur: nam Aristoteles has causas æquiuocas reprobauit. Siquidem contra Platonem ponentem ideas, arguit, quod omnia fiunt à suis agentibus vniuocis, vt calor à calore, homo ab homine. Vbi & in per accidens genitis sicut in putrefactis ponit aliquid latens vniuocum. Sed hoc in Metaph. nos examinauimus.

Auerroës tamen contendit, quod calor solis sit æquiuocus cum elementari, *quoniam*, ait, *ille generat, & est similis arti.* Vnde Aristoteles dixit *inesse in semine calorem proportione respondentem elemento stellarum, calor verò ignis non generat, sed vrit absque arte.* Sed fallitur ex breuitate inspectionis: palam enim est, quod calor ignis nostri, sicuti solaris, vbi proximus est & robustus, agit robustè generando fumos, vapores, liquores, ea nimirum entia, quæ multo calore constituuntur. Vbi verò remotus, & languens, generat entia, quæ languido calore constant vt herbas. Nam ignis comburens siluam & fumos, & ignes facit, qui verò calor remanet post combustionem facit germinare plantas, & animalcula; pulli quoque in ouis à calore fimi; & solis in ripis Nili, & furni post panis cocturam, gignuntur. Et in Calabria, vt fericum faciens vermis nascatur, ponimus semina in arca igni proxima: & ad citriorum vitam in Lombardia ignes accenduntur propè arbores eiusmodi in hyeme. Et Virgilius solum fœcundat, comburendo spinas, & stipulas. Et post Vesuuij incendia terra fæcundior facta est, abeunte superfluo calore. Si sicut ergo ignis feruens, calidissima, sic languens languida entia producit. Similiter & Sol; vbi enim calor eius vnitur & augetur, ignit & vrit; sæpeque fimum combussit, & messes arentes, & fænum. Et vnitus in speculis omnia adurit: & sic absque arte agit robustus, qui videtur languidus artificiosè agere; quoniam languido plantæ, & animalia calore constituuntur. Omitto, quod in fornacibus Cypriis etiam pyraustæ gignuntur, teste Plinio; & serpentes, & vermes à frigore, & aqua suffocati, ad solem, & in cinere calida reuiuiscunt: & apes aqua necatæ in furno tepido positæ à muliere, quæ ex eis flauos capillos sibi facere decreuerat, reuiuiscentes omnes euolauerunt; palam ergò est calorem spiritus animalis ab igne elementari esse, neque solarem esse alterius naturæ. Calor autem remissus videtur agere ex arte, quoniam ita cogitur agere ex concursu causarum, & ex prouidente causa. Sic ignis à coquo moderatus assat carnes & facit gladium à fabro, qui per se vrit carnem, & ferrum soluit: de hoc alibi.

Præterea sol generaret ignem æquiuocum, si æquiuocè calidus esset: at verò generat vniuocum, & coessentialem nostro. Imò nullus reperitur ignis noster, qui

à sole non generetur, siue in speculis, siue in lapidibus, siue in lignis, siue in Vulcanis.

Præterea Aristoteles ad omnium rerum constitutionem affert quatuor elementa: Ergo Calor, qui inoperatur in plantis, & animalibus, est ab elemento ignis: vt manifeste lux Solis calor est apparens: quoniam ipsa calefacit omnia calore, quo calent omnia. Vbi autem calor alterius essentiæ, qui solo vocabulo cum nostro conueniat reperiri queat, non monstrat. Nos autem ab effectu scimus lucem facere ignem nostrum, & operationes caloris nostri, id est, rarefactionem, calefactionem, motum, coctionem, vstionem, assationem, elixationem, generationem, corruptionem, pro materiæ dispositione, & distantia, & caloris solaris viribus, & tempore, & loco. Quis nesciat, quę calor blandus solis in Vere gignit, calorem solis robustum in Æstate vrere, & exsiccare? patet hoc in oleribus. Nonne sol Æstiuus, febres, languores, & mortes facit auctus? Ergò sicuti generat, ita corrumpit. Stultè Auerroès loquitur, & peius Aristoteles, qui elementum stellarum aliud ponit, & calidum, de animalibus loquens: qui in lib. de Cæl. & hoc negarat. Quapropter Auerr. in comm. 42. l. 2. de Cœl. cum non reperisset rationabilem modum, quo lux non calida vniuoce faciat calorem, ait: *Fortasse consimilis* (id est vniuoca) *est lux causa caloris, & non inconueniens, lucem ponere calidam, & cum ea calorem copulare, &c.* Vbi sanè mussitando veritatem fatetur, ne palam Aristotelem accuset.

Tandem sanctus Thomas dat soli lucem, & per eam calefacere putat, non quia est calidus, sed quia cœlum est primum alterans, & omnium alterationum causa: prima autem alteratio est calefactio, & idcircò calefacit. Sed in prima parte Theologiæ suæ arbitratur cum Basilio, & Augustino, & cęteris Patribus, rationabiliorem esse sententiam Platonis, & eorum qui solem fontem caloris ponunt, & cœlum igneum. Et quidem si primum alterans est, habet vnde alteret; si ergo calefacit habet calorem, vt satis probatum est: quoniam in doctrina S. Thomę non potest, nisi solus Deus, calefacere sine calore. Concedimus quod Cœlestia exsiccent per accidens & attenuent, & calefaciant per se, per accidens verò frigefaciant, pręsertim sol, vt in responsionibus docebimus. Vtrum autem à se moueatur, alio in articulo examinabimus.

P. p. q. 68. ar. 1. & seq. & 9. 66. ar. 2. & in Quolib. 4. 3.

Ex his palam est solem a calore constitutum esse, quoniam lux est caloris facies: motus, operatio: tenuitas, dispositio, vt possit mouere. De cœlo vero & stellis idem dicendum esset, si Arist. & Telesij consequentia valeret. At planè Chrysostomus in Homil. 6. super Genes. solem elementum esse docet, calidúmque.

Quòd Terra à Frigore constituta sit.

QVod si Sol tenuis, mobilis, lucidúsque, à calore constitutus est: ergo & Tellus immota, crassa, nigráque à Frigore. Dato enim altero contrariorum in natura, datur & reliquum. Tellus quoque maximè est igni contraria, quoniam Aer, & Aqua tenues sunt, transpicuique, & luci calidæ nil obstantes; quippe quæ penetrat Aerem & Aquam, & in eis multiplicatur, tanquam in cognatis sedibus: non autem in terra; quæ & loco & natura distantissima est. Et triangulis isoscelibus sola constituitur Platoni: tria verò illa Ignis, Aer, & Aqua, scalenis.

Psal. 92. Idem probant autoritates sacræ. Dauid enim ait: *Firmauit orbem terræ, qui non commouebitur.* Chrysostomus verò in hom. 7. super Epist. ad Ephes. *Quòd Terra sit frigida, arida, nigra, dicere potes*, ait, *vltra verò nihil*: Et in Homil. 18. vocat cœlum maritum terræ: quoniam ex his duobus primis elementis, tanquam ex marito & vxore cuncta nascuntur.

Pręterea palàm est, quòd frigus habere debet propriam sedem, sicut calor: Aer non potest dici frigoris sedes, cum sit calidus; etenim tenuis est, transpicuus, & mobilis, quę sunt caloris conditiones: Neque Aqua, cum sit alba, transpicua, & calore genita, sicut Aer: ergo thesaurus Frigoris est Tellus.

Item Aqua est natura mollis, mobilisque; à frigore verò fit immota, siccáque, &

in glaciem, & in crystallum, & non aquam conuertitur: ergo frigus sedem summum, non est illi naturale. Natura enim non destruit id cuius est natura: neque enim calor facit ignem non ignem. Quapropter sedes summi frigoris Tellus sit oportet. Et manifestè probatur, quoniam ignes artificiales in aqua ardent, in terra verò sola extinguntur. Vt de Aquis loquendo docebimus.

Præterea frigus Aërem, & Aquam congelat, condensat, & immobilitat, & graue facit. Conditiones autem hæ sunt Telluris propriæ. Igitur frigus Telluris est constitutiuum principium, maximè ab igne distantis: vt ridiculè Aristoteles visus sit ponere in igne siccitatem durissimam, solidissimamque, vt faciat symbolum. Stelliola, & Imperatus amici, frigus Terræ auferunt: nec tamen eius sedem indicant. Ergo insufficienter philosophantur.

Responsiones ad argumenta primæ classis.

NVnc ad rationes aduersariorum iuxtà ordinem respondendum est. Dicimus ergo ad primum Aristotelis, quo probat Cœlum non esse igneum, quia mouetur semper & circulariter: è contra affirmamus nos, propter hoc ipsum, esse calidum. Motus enim est caloris operatio. Ignis autem motu priuatus extinguitur, vt Auerroes etiam testatur, & ideò spiritus animalis calidus semper mouetur, vt pulsus, & thoracis agitatio admonent. Sicut ergo datur tellus frigida in centro semper quiescens, ita oportet dari cœlum calidũ in peripheria semper motum. Falsum est autẽ id, quod ait, naturã esse principiũ motus: quoniã & quietis est principiũ, vt alibi meli⁹ docet. Quapropter in terra immobilitat, in igne mouet. Falsum est etiã quod motus sit motui contrarius, nisi respectu terminorum interdum, non autẽ naturę motiuæ vnquã: quod enim mobile natura est, quomodolibet prout opus est moueri potest, vt patet de animali spiritu calido, & de fulminibus, & ventis obliquè, & deorsum motis; & de luce, quę deorsum effunditur ad nos; sed quia fugiunt contrarium, rectà rursum magis feruntur ignes. Motus autem quieti tantum est contrarius, & ideircò sunt duo elementa, quoniam sunt duæ operationes tantum contrariæ, Motus, & Quies. Et sicut vnum semper quiescit, sic alterum semper mouetur. Et ipse Aristoteles in 2. de Cœl. T. 18. id probat, quod dato vno contrario, vt terra semper immotã, datur alterum, vt ignis semper se mouens. Et in primo Meteor. ex Cometarum motu probat ignem semper circulo moueri. Sed aiunt Peripatetici; quod ille motus est violentus, quoniam rapitur à Cælo. Sed Aristoteles in 2. de Cæl. probat, quod nullum violentum durabile. Ignis ergo iam destructus esset, si vi cæli circumferretur. Respondit Simplicius, quod motus ignis circularis est à corpore nobiliore, ideóque non est violentus contra naturam, sed supra naturam. Sed fallitur Simplicius, quoniàm Aristoteles contra Platonem in text. 15. primo de Cælo probat, quod motus ignis circularis ita est contra naturam eius, sicut motus deorsum. Plato quoque melius responderet, quod fit ab anima mundi; & est supra naturam; quod Aristoteles excludit: & hanc supranaturalitatem non agnoscit, sed violentum, & naturalem tantum.

Præterea nobilitas cœli, dicit robur, & vim maiorem: igitur magis violentat, neque enim Deus est cœlum; cui vni natura obedit absque vi. Præterea nunquam ignis esset in sui natura, sed semper extrà, quoniam semper mouetur.

Item, quod semper est, ait Aristoteles, naturale est. Supernaturale enim, & violentum non semper est, vt patet. Quapropter inuenimus ignem semper moueri naturà in gyrum: Ergo & cœlum per hoc esse igneum. Notandum quod motus sursum & deorsum non sunt naturales, sed ad naturam iter. Si enim tellus moueretur deorsum naturaliter, semper moueretur, & locus illi datus esset semper descendendi. Natura enim non deserit id, cuius est natura. Motus naturalis est, qui competit toti speciei & semper, & in sua natura. Ignis verò apud nos, & tellus in Aëre, mouentur sursum, & deorsum secundum partes extrà naturas suas positas. Et hoc, illorum non probat entitatem, sed necessitatem; sicut delirans, & febricitans operantur præter naturam. Quod

verò competit toti terræ, & toti igni in suis locis, naturale est. Ergò illi quies, & isti motus perennis. Et cum non possit sursum ire, neque deorsum, in gyrum oportet ferri semper, vt docet Plotinus, & Zenocrates. Quapropter etiam si solem poneres in terra, reuerteretur ad cognatum cælum, & ibi semper moueretur circulo, & non recto motu. Falsum est & illud, quod elementa quiescunt in suis locis. Mobilia enim mouentur, immobilia quiescunt. Idcircò aër in gyrum semper mouetur, sed languidè. Similiter, & mare ab ortu in occasum, sequendo motum solis genitoris rerum, quantum potest: Tellus verò stat.

Ad secundum Resp. quod si cælum est elementum, non propterea est corruptibile, ita vt corrumpi oporteat. Ea enim entia tantum corrumpuntur, quæ habent contrarium se præpotentius, & vicinum, sic, vt possint ab illo pati. Cælum autem non habet contrarium nisi terram, quæ est imbecillior cælo: & adeò remota, vt ipsum nequeat corrumpere, præsertim solem, & stellas. Hanc verò cæli portionem citimam, quam aërem appellamus, à terræ frigore corrumpi, & à solis calore instaurari vicissim, palam est. Ipsi quoque Aristoteli terræ partes centrales, vtpote ab hostibus remotissimæ non corrumpuntur: licet stolide Niphus eas ad superficiem tendere paulatim velit, vt se corrumpi faciant: quod nulla natura non abominatur; tantum abest vt appetat sui corruptelam.

Præterea Aristoteles 4. Meteor. inter elementa ignem solum per se imputrefactibilem ponit. Ergò cælum igneum neque per se, neque per aliud ex toto corrumpi queat, nisi ex parte, vbi terræ conterminat. Quòd motus cæli non sit æternus in Metaph. probauimus. Quòd verò cælestia corpora paulatim mutent situm, ordinem, & motum, iam palam factum est ex æquinoctiorum, & solstitiorum anticipatione, & transmigratione stellatarum imaginum in alium situm, ex polorum euulsione, ex obliquitatis restrictione, & excentricitatum diminutione. Vnde paulatim telluri propinquiores continuò fieri planetas admonemur, & interitum rerum instare, vt *Tellus, & ea quæ in ipsa sunt opera exurantur*, sicut Sanctus Petrus Prophetauit. Sed de hoc scripsimus in 3. parte Metaph. & in 4. lib. de Motibus Astrorum. Quapropter siuè corruptibile ponimus cælum, siuè incorruptibile, nihil nobis obstat Aristotelis ratio.

Ad tertium, Dicimus appetitum materiæ non esse causam corruptionis. Non enim quippiam à propria materia corrumpitur, sed à suo contrario: quæ autem marcescunt proprio calore abeunte vel aucto plusquam oportet, marcescunt. At caloris auctio in igne cælesti non facit marcorem, sed vigorem: neque externum habet contrarium, a quo possit vinci, neque simile à quo extrahatur vis eius.

Præterea appetitus materiæ ab omni forma perficitur, quoniam ipsa nullis est contraria. Ergò non appetit aliam formam, quam non habet. Est tamen potens recipere aliam, si agens causa adsit, quæ corrumpat, quam habet, & aliam inducat. Quapropter absurdum est putare potentiam materię esse corruptiuam habitæ formæ, sed conseruatiuam habitæ, & receptiuam, non autem datiuam, non habitæ, vt superius declarauimus de materia disputantes. Partes quoque terræ centrales neque corrumpuntur, quia carent contrario præpotentiori proximo; neque potestas est frustra, quoniam iam habet primam formam.

Præterea forma regnans in Materia fit vnum cum illa: ergò extinguit omnem appetitum ad contrariam formam. Non enim calor permeans omnes subiectæ materiæ recessus, vnumque factus cum ea, relinquit frigoris amorem in ea, sed potius odium omninò.

Præterea forma ignis est nobilissima, & potentissima inter elementa, non ergò materia eius aliam appetere potest, neque accipere, nisi præpotentior actiuitas contraria superueniat.

Ad quartum Resp. Quod sidera perseuerant in eodem situ; neque temerè perambulant quoniam non indigent fugere aduersa aliqua, neque amica sectari: sunt enim intra cognatum cælum, & vbi posita sunt à principio, & quibus motibus moueri cœperunt, in eis perseuerant: pisces autem, & aues mutant situs & motus, quoniam sunt

inter

inter contraria entia, cælum, & terram, agitanturque à calore, & frigore, à fame, ab hostibus, & variis passionibus: quæ sideribus inter cognata non accidunt, nisi longa post tempora pedetentim. Idcircò ipsorum mutationes latent, vt in Metaph. docuimus, & Plato contestatur. Plinius tamen putat stellas tot viis agitari ad quærendum cibum ex vaporibus maris, de quo alibi.

Ad quintum Resp. est in textu, quod cælum tenuissimum cum sit, vires dispersas, & inualidas ad comburendum habet. stellæ verò, quę terram exurere possent, remotissimæ sunt. Vnde quasi candelæ paruæ sunt ad visum, ac pariter ad tactum, quasi insensiles.

Planetæ autem licet propinquiores, adeò velociter mouentur, & nunquam super eandem terræ faciem incedunt: quoniam declinant ab Austro ad Boream, & ex Borea ad Austrum in obliquo circulo: sunt quoque paruæ, vt candelæ, & non nisi septem numero, itaque virium exiguitate, & instabilitate actionis, impediuntur ab exustione terræ. Luna autem ei tima neque propriam obtinet lucem, at & languidam, & vinci potius, quam vincere aptam. Sol qui vincere potest, motus celeritate, & obliquitate, & distantia prohibetur. At vbi immoratur, vt sub Tropicis, terram in arenam vertit exurendo magis. Puto autem, quod in fine sęculorum appropinquando exuret. Hæc tamen Aristotelis ratio in ipsum retorqueri potest, qui sphæram ignis trigecuplo terra grandiorem facit. Ergò debuisset exurere: quod si tenuitatem allegat, & virium dispersionem, eandem nos in toto cælo allegamus.

Ad sextum Resp. Quòd etiam ignis est candidus, sed fumo nigro, vel carbone mistus fit rubens. Vnde flamma pura alba est, vel albior carbone, & ignis stellarum cadentium nil differt colore ferè à cęteris stellis, & Aristoteles tractans de iride hoc etiam docuit. Sed nunc, vt eiiciat vnum Anaxagorę oculum, non cauet sibi eiicere duos. In libro verò de coloribus sibi iterum contradicens, ponit solem, & ignem croceos. (Vide ruditatem) quod fit à vapore tetro, ponit tanquam à natura, & hoc potuisset ipsum admonere, quòd sol & ignis sunt candidi, quoniam vterque à fumo rubescit, flauescit, & virescit, vt docet loquendo de Iride in 3. Meteor.

Ad septimum, mihi videntur delirare scioli hi: quoniam non vident, quod combustio est conuersio rerum non ignearum in ignem: quæ autem conuersa sunt, iam attenuata sunt, & non comburuntur amplius: non enim fit, quod factum est. Itaque aër, & cęlum tenuissima, non vruntur, sed fumus, & lignum, & aqua: corpora verò beatorum sunt clara, tenuia, impassibilia, & leuia. Idcircò conuenit illis sedes clara, tenuis, leuis, impassibilis, qualis est ignis. Vnde Empyreum illis assignatur. Conuenit etiam res viuida, & efficax eorum naturę. Idcirco Chrysostomus maximè commendat huiusmodi igneam sedem pro Beatis. Theophrastus, ignis diuinitatem admiratur. Plotinus collaudat. Et nemo est, qui demortuas res aliusmodi in cęlo ponat.

Prætereà Mundus per ignem purgandus est totus, teste Chrysostomo, idcircò hęc natura purgatiua cęlo conuenit, & Beatis purgatissimis. Sed nos stulti de impassibilibus, & diuinis rebus, cogitamus, sicut de nobis, quod Chrysostomus deridet; & in gehenna ponit quid peius igne, quoniam vim adustiuam, non autem luminosam ignis ibi considerat futuram.

Ad Argumenta secundi ordinis.

AD Platonicorum argumentum primum Resp. Quod spectatur cælum, & sidera, quatenus ignea. Similiter leuitas, motus, & transpicuitas sunt ab igne, vt non oporteat addere aquam, & aërem, quibus etiam insunt ab igne; soliditatem verò negamus in sole & cum ait Plato, & Timeus, esse tangibile per soliditatem, falluntur forsan. Neque enim ipsi tetigerunt, & durum, solidumque probarunt. Quod autem in tenuissima materia possit calor summus colligi, manifestat lux phialam trãsuecta, quæ in aëre colligitur, & lucet, & vrit tanquam ignis: ergò potest ignis in mate-

ria tenui cōſtare. Continentur autem vniones contactu mutuo partiū congaudentiū: ſed non poſſet immobilis terra cum mobili igne circumferri, niſi deſtructa: neque leuis ignis cum graui terra poſſet agitari abſque vtriuſque interitu. Idcircò Plotinus haudquaquam quatuor elementa in ſtellis, ſed eorum ſimilitudines à Platone poni autumat, vt ignis calorem, aquæ tranſpicuitatem, aëris tenuitatem, terræ conſtantiam. Sed hæc omnia ab igne fiunt. Conſtantia verò à partium congaudimonio: & ideò Iob dat cælo ſoliditatem, idest conſtantiam, & permanentiam in eodem ſitu, quaſi ſtatua ærea: quoniam non mouetur motu recto; nec contradicit Iſaiæ, vnde S. Baſilius elicit, quod ex fumo tenuiſſimo ſit factus & omnes Patres ita dicunt, & ſic patet reſponſio ad ſecundum.

Ad tertium & quartum Reſp. Quòd Auguſtinus ex aqua, ideſt ex materia ptima, ſic illi vocata propter figurabilitatem, facit cælum; vel ex aqua in tenuiſſimum verſa vaporem, ſicut Baſilius ex fumo. De aquis verò ſuper cælos, reſpondet, quod intelligendum eſt de his, quæ fiunt ſuper aerem, qui eſt cæli pars craſſior, idcircò firmamentum vocata, ſicut dicitur, poſuit volucres in firmamento cæli. Macometi deliria nil me mouent. Atſi qua ſunt arcana reuelata ſanctis hominibus, quòd extra mundum noſtrum ſunt alia eiuſmodi entia, vt videtur Chryſoſtomus docere, nihil negamus, & authoritates ſcripturæ, vel Analogicè, vel Metaphoricè, vel ad ſenſum Sanctorum intelligimus. Vide Metaphyſicam noſtram.

Ad quintum maculas Lunæ, non abſterſæ à principio molis lunaris veſtigia eſſe diximus in textu: & perſeuerare, quoniam non patitur à contrario, niſi ordinarias affectiones: multa in Metaphyſica diſputanimus. Sed poſtquam Galilæi obſeruationes vidi, multa noua cogitare cæpi, & in multis Pythagoræ aſſentiri. Verum quidquid ſit in Luna, ignotum eſt abſque reuelatione. Poſſe quoque in aliis ſtellis idem inueniri ſuſpicamur. Attamen Solem eſſe fontem ignis ſemper aſſeuerabimus. Et quamuis aliorum cæleſtium corporum naturas ignoremus, tamen Solem eſſe patrem, & tellurem matrem entium, quæ fiunt in terra noſtra, retinemus tanquam manifeſtum dogma. De virtutibus verò mouentibus cæleſtia corpora aliter Philoſophari oportebit, vt inferius oſtendemus.

Ad ſextum quod me torſit in Metaph. dicendum, quod non eadem puritas eſt in omnibus ſtellis, ideò non idem candor: vel fortè ſunt ſyſtemata pluſquam ignem continentia. Hoc Deus ſcit. Ceruleum apparet cælum, quamuis album; quoniam lux Solis in eius immenſitate diſperſa langueſcit, & fædatur vſque ad cerulcitatem; nam & montes, & omnia à longe conſpecta, cerulea apparent ob reſilientis ab eis languorem lucis, & pollutionem à materia intercepti aeris: quæ, licèt obtectam, ſemper gerit faciem ſuam nigram. Poteſt ergò fieri, vt aliqua ſit huiuſmodi ratio, quā ab aliis ſtellis aliter fædata reſiliat.

Ad Ptolom. dicimus, quod lux Lunæ calida eſt, ſed videtur frigefacere, quia languida eſt; aperit poros, & calorem elabi facit, frigus autem ſubingreditur, & nos afficit. At ipſa tumefacit mare, & noctes plenilunij calidiores facit, & replet conchilia humore, & cerebra, rarefaciendo: quod opus eſt caloris blandi. Saturnus quoque cum ſit lucidus, calidus eſt. Dicitur tamen frigefacere per accidens, vt Luna, vel quia calor blandus remittit robuſtum aliorum ſiderum, ſicut aqua tepida feruenti iniecta.

Item reſpectiuè eſt frigidus, ſicut lactuca nobis, non autem teſtudini: nobis minus calidæ, & manus medici febricitanti, non autem ſano, eſt frigida, ſic de cæteris ſtellis dicimus, quod reſpectu noſtri varias habent vires: ſed in ſe calidas omnes. Saltem enim lux ab eis veniens omnis calida eſt: ſic herbæ omnes à calore genitæ calidæ ſunt. At in noſtro corpore, vt dicemus de miſtis loquendo, aliæ frigidæ, aliæ ſiccæ, aliæ calidæ dicuntur ab effectu ex proportione actiuorum, & paſſiuorum ſic in cæteris rebus. Vide Metaph. ſi vis plura. Vide 5. Medic. vbi oſtendimus rem calidam poſſe quinque ab accidentibus frigefacere per accidens.

Ad ſeptimum dicimus Lunam tam longè viſam, licèt ſit qualis nubes, nigram apparere; ſimiliter & Mercurium; quoniam non propriam potentem for-

tassis, sed à Sole lucem habent. Fortè & aliæ stellæ multæ. Hæc ignota sunt, potest tamen defendi, quòd ab igne solo constitutæ sunt, & situs, & aër has apparentias faciat: sed non certo.

Ad octauum Resp. Quod perseuerant maculæ, quia actio non est aucta, sed eadem semper; vel fortè vera perspicit Galilæus.

Ad nonum in textu Resp. quòd stellæ polares mouentur etiam motu circumgyrationis in se; quo compensant motum communem aliis: sol quoque in se circumgyratur; non enim potest esse contentus motu Veneris, & Mercurij, cum sit longe feruentior; & quidē matutinus, ac vespertinus conspicitur ita reuolui: non autem Luna, quoniam semper maculas easdem ostendit: parum enim feruet, vnóque motu tardoque contenta. Quod Aristoteles non considerans ex ea omnibus circumgyrationem negat. Varietates aliæ motuum non indicant varias naturas siderum, sed magnitudines varias, & ad Solem respectus varios, prout ex textu habetur.

Ad decimum Resp. quod non frustrà tot magnitudines: si domicilia essent Beatorum, & Respublica entium alterius generis nobis ignotorum: quin videtur potius frustrà esse tellus nostra, vbi tot corruptiones, & calamitates insunt, nisi reformationem seculi expectaremus, vt in Metaph. docuimus.

Ad vndecimum, vera est consequentia. Sed Coperniceum antecedens incertum est: præterea etiam si Sol quiesceret a circumdatione terræ, tamen in se ipsum circumgyraret, quod de stellis, Copernico quiescentibus, dicere oportet.

Ad duodecimum, negat Sanctus Basilius, & Sanctus Augustinus cælum aqueum super empyreum: contraria enim simul non stant. At si qui contendant alia corpora esse extra cælum nostrum, & aquas, & terras, id non negem, dum tamen sacris literis aut reuelationibus comprobetur, non enim inconuenit, sicuti neque apud nos esse ignem, terram, & aquam. Neque illæ terræ vel aquæ ad nostras venirent, vt Aristoteles putat. Vnumquodque enim Ens ad propriam vniuersitatem habet cognationem, non ad alienam. Neque enim cor Leonis ad locum cordis hominis ire vult: nos ignoramus situm superiorum corporum, ait Basilius: Ideò dubitamus de modo. Sed tamen firma stat sententia nostra, quòd Sol & tellus sunt principia rerum nostrarum.

Ad tertium decimum, concedimus planè cometas plures fieri supra Lunam, & in 8. orbe aliquando. Vapores verò à terra nostra, eousque per infinita miliaria, quin dissipentur, eleuare non audemus, nisi ministerio Angelorum. Sed vnde tot, tantique eousque? Et hoc nescimus. Quis audeat ex terra nostra, quæ non sufficeret tantas moles facere? Atque si vno ex pugillo terræ fiunt triginta pugilli ignis, vt putat Aristoteles, & viginti aëris, vaporis non fient quindecim, sed Mathematica tantam molem ex terra non admittit: sed loquentes de cometis alia dicemus.

Ad decimum quartum Resp. Quod quamuis igneæ sint stellæ omnes: tamen aliæ ad alias cognationis plus habere possunt ex situ, & ordine, & mensura virium. Nam & homines inter se conueniunt, & dissident. Sed in simplicibus vnde istud? Symbolum idem eis, nisi plus & minus inferat varietatem. Idcircò Soli blandiuntur omnes. Quod autem habeant centrum amoris, & centrum odij, in textu declaratum est. De multis autem adhuc reuelationem expectamus: Interim maneant principia rerum nostrarum, Sol & terra, & de reliquis cælestibus, licèt ambigui simus. Telesius humiliter Philosophatus est: Aristoteles arroganter: vterque ad parum respexit. Pythagorici meliores. Sol ergò à calore constitutus sit.

Ad Argumenta tertij ordinis contra frigus terræ, responsio.

AD primum Argumentum, quo probauimus terram à frigore constitutam non esse. Resp. quòd in hyeme frigus potest venire ex partibus terræ Septentrionalibus, vnde maxime tunc Sol abest, vt Iob ait. Egreditur autē ex terra in aërē: vnde ad nos effunditur. Item nec incōuenit in regionibus nostris ex terræ visceribus effundi in

aërē nocturno præsertim tēpore. Neque quia terrę cauetnę calidæ sūt, frigus nō egrediatur, habet sanè alias vias, non enim vbicunque. Item neque simul esse frigus, & calorē non tamen conciliata, sed præliantia, inconuenit; vt patet in aëre frigido extrinsece, licèt intrinsecùs à calore cōstitutus sit. Dum ergò frigus supergreditur calor nondum nactus tenuitatem, qua cum eleuetur foras, concentratur in terræ finibus. Neque oportet ab aëre & aqua cum Cardano accersere frigus, cum ratio omnis dissuadeat; sed ab imâ telluro.

Sic ad secundum Resp. Quod aquæ in fundo ad terræ contactum calidæ sunt in hyeme; quoniam calor retentus in terra ex Solis actionibus ibi per Antiperistasim augetur frigore interiori impellente, & exteriori expanso in aëre ex locis Borealibus, vel ex ipsis nostris super egresso. Quoniam verò tenuitas aëris, caloris vires disperfas seruat: Frigus verò externum imbibit, satius vndique penetrata. Idcircò sufficit glaciare aquæ superficiem: quam Telluris calor vnitus Antiperistasi glaciari non permittit. Tenuia entia facilius incalescunt, & frigescunt, crassa verò difficilius vtrumque patiuntur, & plus retinent: vnde & mare calidius in fundo est ipso aëre. Radices arborum eadem ratione calidiores sunt ramis, quoniam terræ densitas defendit eas, & caliditas combibita. Aëris verò mobilitas continuò nouum adducit aërem, & frigus, nam & flabellum in æstate adducendo nouum aërem nos frigefacit, quoniam aërem, qui à calore corporis nostri iam caluerat, remouet, & nouum adducit indesinenter. Sic in aqua manus mota frigus nouum semper sentit; immota verò vix frigus percipit: in aqua verò calida minerali è contra corpus nostrum calescit: sed mox tolerat calorem: si verò moueas aquam, vix tolerat, quoniam nouus calor cum noua aqua adsciscitur. Hoc experti sumus contra eos qui dicunt etiam à motu gigni frigus, nedum calorem, exemplo flabelli. Idcircò ergò spiritus arboris ad radices, vbi cognato telluris principio calido semper eodem desensatur, in hyeme accurrit; & frondes haud perinde nutritæ decidunt.

Ad tertium; Voragines ignis à sole genitas in terræ cauitatibus fatēdum videtur: sicut in aëre calido à terræ frigore niues è contra fiunt: sed voragines fieri raritas non permittit perseuerantes, neque Sol. Nec mirum si etiam in regionibus Borealibus insunt: quoniam modica fauilla interclusa à frigore per antiperistasim roborata, paulatim terram immutat in metalla, in Sulphur, & in aquas calidas tandem; & quia sex mensibus in suppolari regione supra terram moratur facilè imprimit caloris conceptacula prouidente Deo, vt recompensetur sex mensibus absentiæ. Vtrum terra sit animal. Vide Metaph.

Ad quartum Resp. Quod apud Patres sanctos dubium est, vtrum in centro terræ sit ignis gehennæ. Et Origenes super Math. cum Iesus destinat impios ad tenebras exteriores, quasi putat extra mundum nostrum esse loca cruciatus eorum. Chrysostomus verò super Epist. ad Rom. Hom. 31. quærens, quo in loco erit gehenna: respondet, *Alicubi quantū ego puto extrà hunc mundū omnem; quemadmodū Regum carceres, & metalla longè à Regno*, & D. Thom. in Opusc. 11. art. 24 Resp. cū Aug quod locum inferorum nemo scit vbi sit. Et quidem quicumque de paradiso terrestri locuti sunt certum locum assignantes, experientia reprobati sunt; sic de inferis, vbi sint ignoramus, licèt quòd sint, certissimi simus. Isidorus ponens eos in altero hemispherio experientia corrigitur. At si Diuo Gregorio sic credimus, & Pythagoricis, haud propterea tellus erit natura calida: sed ignis gehennæ, vt instrumentum diuinæ iustitiæ in eius centro positum est, vt non luceat, & sæuiat magis à frigore terræ per Antiperistasim roboratum: licèt Diuus Thomas non putet id asserendum in Opusc. Dionysius verò & Danthes frigora, glacies, & ignes ad cruciatus adhibent: quorum vtrumque est in terræ visceribus. Vbi Plato Tartarum aquarum ponit, & Iob Cocythum fluuium, à quo Plato & Virgilius didicit. Sed hæc omnia secundum fidem habemus, cui nostra Philosophia non diffidet; & Thesaurum frigoris terram simul facimus cum S. Basilio, & Chrysostomo, & Thoma.

Ad quintum Resp. Quod ignis est extensiuus rerum vertendarum in ignem: vbi verò ignea facta sunt, non amplius extenduntur, quia non amplius attenuantur,

Quapropter si ignis naturâ tenuis est, extensúsque, locus eius erit peripheria Mundi tenuis, non crassa moles terræ: in qua est vt oppugnator; ideoque cum mole deuicta sursum ad cælum extenditur continuò, ad cognatum nimirum Ens. Si valeret Copernici ratio, locus terræ esset cælum, quia sui restrictiua est, restringitur autem à peripheria ad centrum.

Ad sextum, negamus, quod terra cum sit natura corpulentissima ad motum ineptissima, circumferatur, vt isti putant: nisi ab Angelis rotetur & rationes eorum in sequenti dissoluemus. Vide potius Metaphysicam p.3. & libros nostros de motibus Astrorum.

Ad septimum, negamus terram esse animal, qualia sunt, quæ ex terra à Sole generantur: hæc enim quia à Sole constituuntur spiritu calido viuunt, qui in corde ex sanguine per agitationem indesinentem instauratur indesinenter. Idcircóque concepto calore multo opus habent. Tellus verò à frigore constituta est, idcircóque calore innato mouente caret: sentit quidem frigus, vt inferius patebit, sed non constituit animal, nisi diuersi generis, & ordinis, & conditionis penè æquiuocè. Plantæ, & animalia sunt in terra, sicut pili & pediculi in capite humano: sed viscera terræ non sicuti viscera humana se habent. Origenes verò super Isaiam cum Pythagoricis dat terræ sensum, & rationem: sed paucissimos habet sequaces. Licet enim frigus sentiat, non tamen intellectus est. Quapropter cum Origenes rationalem animam telluri assignat, non informantem, sed assistentem, & gubernantem vnam intelligentiarum interpretamur; quoniam ipse sicuti & Augustinus, omnibus primis corporibus, & singulis singulos Angelos præficiunt: & creaturas corporales per spirituales regi docent: sed de his in Metaphys. & in Theologia.

Vtrum præter vsus, & causas motus Solis præsertim obliqui ac Planetarum, assignatas in textu; arbitrandum sit etiam vaporibus Solem saltem nutriri, sicut omnes flammæ fumo, ac maculas quæ in Sole visuntur à Galilæo, pabulum esse.

ARTIC. II.

Affirmatiuam Philosophis quibusdam Pythagoricis, & Hesiodo, & Homero, Plinio, & Epicuræis, & Lucano, & Heraclito, placuisse inuenio: posset autem sic probari.

1. Nos In textu probauimus igneum esse Solem experimentis, rationibus, & sanctorum Patrum, & Sacræ scripturæ authoritatibus: ignis autem pabulo indiget, alioquin extinguitur: flammarum autem pabulum esse fumum nemini ignotum; fumos verò è terra versum ad sidera incessanter euolare palam est, ergò & c.

2. Frustra est actio, cuius effectus agenti lucrosus non est. Solis autem & siderum labores tam diuturnos, inanes esse quis asserat? ergò sunt illis emolumentum; sicuti & motus sui piscibus, & auibus, & feris, qui omnes conseruationis gratia fieri videntur: maximè autem cibi, quo seruantur, ergò Sol & sidera vescuntur vapore.

3. Licèt generationis gratia rerum moueantur, id tamen sidera non intendunt, sed sui tantummodo amplificationem. Ignea enim sunt. Ignis autem omnia in ignem conuertere, ob causas in Metaphys. dictas, cupit; per accidens autem est illis generatio; intenta nimirum à summo conditore: sicut per accidens ignis afflat: afflatio enim ad coqui intentionem refertur, combustio, & ignitio igni: neque gladium facere ignis, sed ferrarius intendit.

4. Oportet autem dare illi finem per se. Hic autem non videtur esse sola operatio, qua viuit: neque enim agerent in terram sed aufugerent per spatium immensum, vbi sua operatione seruarentur: nunc autem agunt in terram.

5. Neque vt destruant omninò, sic enim non nisi per vnam viam ipsam aggrederentur, qua vrerent; at pluribus contendunt. Ergò videtur hæc variatio ab Æquatore ad Tropicos esse quasi quæstura victus, & alimenti; quod quia non eadem via semper inueniunt, variant: sicuti animalia agros, & prata conquirendo virentia, ita sidera humorem.

SED Contra hanc opinionem insurgit Aristoteles in secundo Meteororum, cap. 2.

1. Ignis, dicens, fit, non alitur; neque enim idem permanet, sed alia atque alia continua est flamma. Sol autem si sic alitur, non modo esset quotidie nouus, vt Heraclitus putat, sed etiam continuò.

2. Ignis succensus non alitur fumis calefactæ aquæ; eleuatio autem humidi à Sole est similis calefactioni aquæ. Ergò neque si omnem in vaporem vertat aquam, existimandus est vapore nutriri Sol.

3. Inconuenienter ali tantum Solem aiunt, deque Astris nil curant, quæ tam multa, magnaque sunt, nec tamen illis pabulum hæc Physiologia subministrat.

4. Inconueniens est putare cælum è vaporibus factum, eisdemque nunc Solem nutriri, propterea quod videmus continuò illos sursum ferri: nam etiam quòd partes eleuantur è terrâ, & aquis, totidem restituuntur per pluuias: ergò neque ex illis fieri potuit cælum, neque nunc nutriri sidera.

Item mundus tandem totus corrumperetur in pabulum Solis & cætera.

SED Contra hanc Aristotelis sententiam est authoritas Sancti Ambrosij (credo & Sancti Basilij, nunc ad manus non est) is in Hexam. lib. 2. cap. 3. vbi probat authoritate Isaiæ, Maria & flumina aliquando fore, vt exsiccata sint à sole: quodque ignis sit absorbere humores probat ex cucurbitulis Medicorum, in quibus occlusus ignis attrahit humores ex carnibus. *Quis igitur*, ait, *dubitet, quod ignitus æther, & magno feruens vapore, inflammaret, atque exureret omnia, nisi lege quadam sui prohiberetur amoris?* & paulò post ait, *frequenter videmus Solem madidum, atque rorantem, in quo euidens dat indicium, quod alimentum sibi aquarum ad temperiem sui sumpserit: tantum autem inest illis, id est Aristotelicis, impugnandæ veritatis studium, vt solem negent calidæ esse naturæ, &c.* & in lib. 4. Theologicè, & Physicè probat, solem esse igneum, & indigere humoribus ad temperiem, similiter & totum cælum: conceditque nobiscum ferè exustionem terræ contra Aristotelem, ex Solis actione, quod & Lactantius, & Iustinus Martyr, & alij Patres docuerunt.

De Maculis Solis.

POSt diù scriptum articulum hunc, accepi Epistolas Galilæi de maculis solaribus, quas non assertiuè, sed opinatiuè docet pabulum esse solis. Neque enim affixæ sunt illi: etenim variant figuram, & consistentiam, & magnitudinem, copulantur, distinguntur, attenuantur, & euanescunt post vnam ferè circulationem; neque longè abiunt à sole: nam in limbo Solaris disci Orientes & Occidentes attenuantur in fila, quia sphærico Soli aptantur, quo cum reuoluuntur.

2. Item extra discum non apparent, vti Venus & Mercurius, item nec admittunt parallaxim in ortu, & occasu Solis.

3. Item per quindecim dies videntur eædem in Solis hemiciclo nobis aduerso, quod totidem diebus perambulant, nubes autem in aëre tales esse non possunt.

4. Probat deinde Galilæus stellas non esse has, quæ videntur, maculas, ex ipsarum instabilitate, & consistentia, & diuisione, & aggregatione, & generatione, & corruptione, quæ stellis haud insunt. Idque contra fictum Apellem Mathematicum.

Probat etiam contra garrulos Peripateticos non esse maculas illas stellarum congeriem, quæ vniuntur, & separantur; nam neque fixas esse dicendum, cum non seruent configurationem semper eandem; neque erraticas: ad constituendum enim maculam vnam de maioribus vix sufficiunt octuaginta stellulæ. Cum autem videamus easdem dissolui in totidem dissoluerentur, quæ proprios habent motus, & differentes ab inuicem: nam si solum communem haberent, haud vnquam disiungerentur, aut iunctæ non dissociarentur. Si ergò proprios habent motus, impossibile est eas coïre in tantam molem tot, atque diebus multis sic perdurare propriorum oblitas motuum.

Item disiunctas oporteret in eadem linea spectari stellulas seriatim in longitudine disci Solaris: sic enim maculæ procedunt, nunquam certos limites excedendo, seruando tropos in Sole, vti planetæ in cælo. Sic autem quomodo coïbunt, vt maculas grandes componant, & durabiles, & quotidie?

Item oportet esse plures quàm mille stellulas circà Solem. Hoc autem cæli symmetriæ repugnat, & motuum, & situum, & ordinis. Item in superficie Solis tot corpora se mutuò interpellantia, copulantia, disgregantia, & impedientia, & temerè agitata, nemo finget quo consistere queant.

1. Cum ergò non sint stellæ: neque stellularum compositiones, sed persimillimæ nubibus res, opinatur Galilæus esse pabulum Soli subministratum ad instaurationem immensæ lucis, quæ incessanter per totum mundum à sole expanditur, effunditurque. Probat hoc ita se habere, quoniam nihil contradicit huic sententiæ: at ratio, & apparentiæ fauent. Videmus prætereà ligna, chartam, paleam, quęcumque comburuntur, quando iam vstioni omninò proxima sunt, fieri nigra, actunc incendi, inque lucem conuerti.

2. Prætereà Areolæ quædam in sole spectantur cæteris solis partibus candidiores, quas existimare licet luces esse, in quibus paulo ante dissolutæ sũt maculæ maiores. Fauent Galilæo Sanctus Ambrosius, & vetustissima Philosophia.

Resp. Solem igneum esse, inque seipsum reuolui, vetus opinio nostra fuit. Tempus reuolutionis ignotum erat: patet nunc Galilæi beneficio: quoniam maculæ quindecim diebus hemiciclum absoluunt. Ergò in triginta totum, si æqua est velocitas Solis, & ambientis. Ambigo tamen, quoniam si Tellus terra, frigida, crassa, viginti quatuor horis Galilæo circumuoluitur, igneus sol longè paucioribus, vel totidem recompensando magnitudinem vigore caloris; præsertim cum durum Solem nulla ratione esse velimus. Sidera ignea in Telesianis reputauimus: nec nisi non errantes in se conuolui. Nunc me experimenta cornutæ Veneris, collatio Lunæ, ecclypsatio Medicęorum ab vmbra Iouis, ad opinionem de suspicione me trahunt, qua olim systemata esse posse scribebam, posueramque centrum Amoris Solem, centrum odij tellurem, nunquam enim frigori omnia gelanti, & immobilitanti, inimicitias contra Solem exercenti, & in terra, vt in primario subiecto habitanti, circà Solem reuolutiones coperniceas dare potui spontaneas, nisi ab exteriori causa feratur. Vel oportet frigus nihil esse, vt dicebat Heraclitus; contra quem in quæst. 8. art. 7. scripsimus hic, & in Metaph. stante prima sententia mea arbitrabar: Et si omnes stellæ trahant ad se vapores è terra, non tamen nutriri ex eis: neque posse vaporem vsque ad Solem peruenire, quin ante ad sphærã, cuius diameter est triginta quatuor gradus radiorum, comburantur, adeòque attenuentur, vt sint cælum. At cometæ visæ in superiori cælo me angebant. Vnde vel ex terra, vel à sideribus eleuari eorum substantiam oportebat. Vel sidera esse secundum tempora apparentia, vel radiorum concursum, quæ omnia inania videntur, vt in quæst. de cometis. Nunc autem maculæ Galilæi me perplexũ habent. Non enim arbitror Solem ali ad instaurationem lucis. Lux enim incorporea est, vapor corpus; quod illi esse pabulũ nequit. Oporteret sanè lucem esse atomos, sicuti dicebat Democr. & instaurari ex aduentitiis atomis, absque vi actiua: vel quotidie nouum Solem ex atomis nasci apud Gangem, & extingui in Atlantico, sicuti stultè Epicurus somniat. Quapropter probandũ erat Galilæo lucem esse corpoream, exque corporibus ali, quod in Metaph. ego reprobaui. Licèt non desint Theo-

logi; Imò S. Ambrosius in Hexam. 4. lib. qui Solem euaporare dicat, & vaporem eius igneum terrarum venas & succos exurere. Videtur autem pro vapore intelligere calorem, nam cap. 3. ibidem ait, Sol non solum virtutem illuminandi, sed etiam vaporandi habet, igneus enim. Sed cum addat: ignis illuminat, exuritque, palàm est, quòd lucem non vocat vaporationem, qualiter Galilæo vocanda est, si vaporibus instauratur.

Vocatur à Salomone Sol Spiritus. Spiritus autem tenuis est calidúsque nutribilisque, non tamen lux: deficit ergò Galilæus, quoniam hoc non declarauit, quid de luce sentiat, videturque Democrito assentiri.

Item quoniam putat lucem, & calorem ali, & ignem in suo loco, vt possit agere. Nondum enim phantasias & ipse vulgares prorsus excussit. Actio enim non fit propriam substantiam elargiendo, nisi vbi est materialis, vt in coitu, neque per poros conquassatos, vt Empedocles dixit: nam & sine poris fit: neque per agitationem atomorum spontaneam, vt Democrito videtur: corpora enim non agunt, nisi virtute actiua affecta sint, cum per se passiua sint. Neque quia hoc est in potentia, illud in actu, vt Aristoteles garrit, est enim hoc dictum nihil. Omnium rationem facilè quis ita reddet sit, quoniam potest hoc facere, illud fieri. Ergo vti nos docuimus, fit actio ex diffusione naturæ actiuæ. Quod enim actiuum est natura, habet potentiam, sensum, & amorem suæ magnificationis, multiplicationis, & diffusionis, vt Deo assimiletur maximo, æterno, & immenso, sicuti docui in Metaph. Igitur calor solaris cum sit actiuus, & ipsa lux cum sit caloris facies, & epiphania, qui tactui calor, oculo lux dicitur, habet sui multiplicatiuam virtutem. Quapropter non indiget alimento, vt crescat, & sufficiat, sed subiecto, in quo crescat. Ipsa enim per se multiplicatur erroneum quidem est putare materiam corpoream in lucem, & calorem conuerti, sed attenuatam eius subiectum fieri. Ergò in hoc mirificus Galilæus plus Mathematicæ, quam Physicæ ostendit.

Et quidem si concedam illi, vapores ad solem vsque pertingere, non tamen ad lucis instaurationem sed quoniam sol omnia in æthera inque se conuertere statuit, studetque, amplificando suum regnum, non instaurando se deficientem. Cæterum ab. que illis vaporibus lucem indeficientem esse oportet, quoniam multiplicatiua sui est, neque communicatione deficit, sed augetur. Patet hoc in luce per vitra, & perspicuas res transeunte; quæ non ex vaporibus augetur, sed sua ipsius multiplicatione: gaudet enim transpicuis vt similibus: a calore enim omnis materia cum deuicta fuerit, eiusque facies opaca exsuperata, fit transpicua. Lux autem calor est, suoque opere subiecto gaudet, augeturque, nulla facta in vitro vaporatione.

Item candela nihil deperdit, si mille ex ea accendantur candelæ. Corpus autem solis non indigere nutrimento palàm est: quoniam partes eius consimillimæ sunt, totæque atque omnes mutuò gaudent contactu, & in suo centro vniuntur, nec seiungi volunt vnquam. Ignis autem apud nos nutritur quoniam cum aliqua pars ligni facta est ignis, statim volat ad cognatum cælum: oportet ergò aliud lignum apponere, vt succedat alius ignis: at ignis solaris extra cognata non est. Idcirco nutritione non indiget, nisi fortè eterogeneus esset sol, & ex elementis compositus, vt Timeo videtur. Tunc enim eius pars ignea ad alterum ignem purum contenderet. At nullæ solis partes id faciunt, neque alius purior extat ignis. Neque nisi in sphæram expanditur lux eius ad quemlibet positum, & partes mundi, & non vt indigens, sed vt diues largitor eius est sol. Ergo neque molis, neque virtutis gratiâ, indiget instauratione. Credo ingentem Galilæum his assensurum. Neque enim ipse tueri sententiam illam profitetur, sed tantummodo adducere, vt examinetur.

Resp. ad Argum. Galil. Nunc ad eius rationemm respondeo: concedendo nubes circa solem non esse stellas, licèt possit lis dilatari in hoc: haud tamen propterea erunt nutrimentum solis: sed si vapores sunt ex aliis delati systematibus, vtique in cælum attenuantur, non in solem conuertuntur; cui nimirum nihil deficit vnquam: nutritio autem defectui succurrit: oportet autem solem maiorem quotidie fieri, si sua sententia stat.

Præterea docendi eramus à Galilæo, vndenam illi vapores ad solem feruntur, ex terra

terra ne, an ex aliis sydcribus? tunc si tanti ex tantula, mirum quomodo nondum tota perit: plurimæ enim sunt, & quotidianæ & maximæ illæ consistentiæ, & terra maiores corpore, licèt non crassitie.

Item non videntur vapores terræ orbem magnum Copernicæum transcendere. Si sunt vapores Mercurij, iam consumptus esset; Si ex omnibus stellis; iam citò Heraclitus omnia faciet ignem: hoc mihi placet, & sancto Ambrosio, quoniam iuxtà meam sit positionem: sed Galilæus negat hoc dum de cæli alteratione altereamut cum Peripateticis. At è sole non puto maculas euomi; ex candidissimo nigrorem; nisi sit eterogeneus: quod Galilæo arridet propter areolas. Ego autem scio, quæ deuicit penitus ignis, albissima esse, neque abdicationes fuliginosas facere.

Prætereà si à natura, vt pabulum solis datæ fuissent illæ consistentiæ, nequaquam intra certos limites excurrerent à medio sole viginti nouem gradibus distantes, vt Galilæus metitur. Sic enim media solis pars nutriretur polares verò partes ieiunæ citò deficerent: per immensa enim milliaria distant à nutritis. Fortè vult Galilæus hic nutritionem incipere, vt in ore, ibi verò diffundi, vt ad manus, & pedes: sed hoc licet non ineptissimè dictum, me dubium reddit cur maculæ non ad omnes solis partes ascendunt: si ex omnibus sideribus emittuntur: vel si ex terra, cur ad medias solum: & cur extra Tropicos non vagantur; numquid à motu tam artificiosè possunt in medium cogi? subuenit Abb. Tritemij coniectura, nescio à quibus hausta, quod si quis solem intuetur attentè videbit diabolos; has ille maculas putauit diabolos. Equidem nescio quid decernam. Sed si vapores sunt, haudquaquam soli nutrimentum dabunt: sed conuertentur in æthera, & in regnum illi, vt dictum est.

Ad secundum Galilæi Resp. mihi videri meliorem in Mathematicis, quam in Physicis. Quæ enim igniuntur apud nos, non nigrescunt, vt igniantur. Ignis enim candidus est, sed mistura nigri fumi, & carbonis rubescit, pallescit, virescit, vt in textu docuimus. Quod ergò ignis occupat non nigrefacit, sed albefacit. At verò, quæ sunt apud nos composita ex tenuitate alba, & crassitie opaca, dum ab igne corripiuntur, nigrescunt, quoniam ignis partem tenuem albam educit, & ad se trahit, inflammatque tanquam similiorem, & minus sibi resistentem, vt fiat ignis: crassities verò nigra statim priuata albore tenuitatis, detegitur. Ergò ignis non nigrefacit, sed detegit nigredinem dissimilarium rerum: At si comburas aquam vitis, & res similares, quæ æquè inflammantur, & aurum, non videbis nigrescere accensas: sic in sole maculæ illæ haud nigrescunt, vt vrantur. Neque scio quomodo illucusque nigræ seruari potuerunt: iudicóque rectè Galilæum dixisse contra Apellem esse maculas illas albiores luna, sed in immenso lucis candore nigras videri. Fumus prætereà eum dissoluitur igne albescit, non nigrescit accendendus iam, vt Galilæus putat

Ad tertium quod de Areolis dicit, suspensum me habet, ne non similaris sit Sol, vti & Timeo placet. Posse quoque fieri aucto lumine in ambiente puto: nam ambiens circumuoluitur. Nec possum eas concedere in sole, donec me certius doceat magnus cæli nuncius Galilæus. At ex accensis maculis fieri putandum non erat, quæ enim nunc in solem conuersæ sunt, minus deuictæ sunt, quam quæ antiquitus: ergò minus puræ, minusque albæ. Areolæ ergò candidæ potius antiquitati, quam nouitati ex maculis factæ, ascribendæ erant.

Ad sanctum Ambrosium respondeo, benè docuisse omnia aliquando ab igne comburenda, & humores ab eodem sorberi; & cælum, nisi temperetur à Deo, terram combusturum fuisse. Quod autem ait aquas propterea esse super cælos, nos intelleximus cum Basilio, & Augustino de aquis in aëre, qui & cælum, & firmamentum est, quod & Ambrosius docet. At si super cælos aquas ponamus, vtique in stellis eas esse dicendum, si sunt systemata, vt suspicamur, & tota Theologia vetus Pythagoræis fauet, & D. Thom. p. p. q. 68. quam maximè. Cum autem dicit, solem temperari ab aquis non intelligit, credo, de aqua, quæ sit in sole, sed de vaporibus, qui in radiis solis ad nos delatis apparent; vreret enim tellurem, vti

N

ſub tropicis, niſi humor cælum cum terra copularet, vt diximus de marinos, & Teleſius: & niſi calor facilè aſſumpto liquore rediret in cælum, apud nos immorandi ſic occaſione ſubtractâ plus deſtrueret. Alimentum calori ad temperiem dat Ambroſius apud nos: non in cælo, vbi eſt Sol. Ibi enim nulla aqua, ſed in aliis fortè ſyſtematis, à quibus vapor Galilæo viſus ſubminiſtratur.

Ad Arg. prima. Ad rationes noſtras, & Ariſtotelis Reſp. ad primum ignem nutriri extra ſuam ſpheram; in ſua autem haud indigere; attamen augeri regno tantum dicimus per additionem; quod cæleſtibus haud negamus, proptereáque finem rerum expectamus.

Ad ſecundum non ſunt labores inanes ſiderum, ſui enim gratiâ mouentur & noſtri, vt in textu. Lucrum autem eſt ſeruari, & inimicum oppugnare, aut arcere, ne plura occupet ſpatia, & tandem ſeruire Deo, qui *ſubiecit creaturam huic vanitati in ſpe; quoniam & ipſa liberabitur à ſeruitute corruptionis*, vt ait Apoſtolus. Vide ibi Chryſoſtomum: omnia autem Deo ſeruiunt. Non omnis motus eſt propter cibum, multi ſunt ad ſalutem, tanquam operationes; & contra hoſtes; & tanquam miniſteria.

Ad tertium, licèt ſidera generationes non intendant, tamen aſſiſtentes Angeli, teſte Origene, & Auguſtino, ſic illas procurant; ſidera autem motum quo ſeruantur. Excurſum verò ad Tropicos effectum eſſe pugnę dùm omnibus viis inuadere conātur hoſtem: aut ſeipſa ſolis vigore fouere, proptereáque duplex centrum habent. Vide quæſtionem de motibus, & 3. par. Metaph. Hæc ratio non fauet Galilæo, & Pythagoræ qui Planetis igneam non tribuunt naturam. Ariſtoteles 2. de cæl. non reddit cauſam, niſi finalem obliquæ lationis: non tamen quis intendat hunc finem generationis, ſed in tex. 60. ait propter melius vitæ intellectualis cælorum. Hoc autem dicentes de motibus, illi abſtulimus.

Ad Arg. Ariſt. Ad primum Ariſtotelis Reſp. Ariſtotelem ſibi contrariari, quippe qui in 2. de Anima, & 2. de gener. & corrupt. & 4. Meteor. ignem ſolum ali ſtatuit, cauſamque nutritionis eſſe ignem in miſtis; & perire calorem natiuum, dum nutrimentum conſumit. Item fieri illud, eſt nutriri: manet enim forma, Vide quæſt. 3. At eſto quod dicit; neque Heraclitus, neque Democritus hanc nouitatem negabunt. Ineſt enim ſoli ſicut fluxus nobis & refluxus materialis.

Nos autem diximus in ſua ſphera id non requiri, ſed regnum augeri.

Ad ſecundum nego, quòd ignis apud nos non alatur fumo. Flamma enim vapor eſt ardens etiam Ariſtoteli. Hæc autem continuatur: ergò vapore fumóque; idem docet Ariſtoteles in lib. de Morte & Vita. Proiice aquam in incendium, & furnum, videbis vapores ardere: patet autem, & in bituminoſis artificialibus ignibus aqua nutritis.

Ad tertium Pythagorici de Aſtris non curant, quoniam ſyſtemata illis videntur, ignea corpora: ideóque ſolum ſolem nutriunt. Quod tamen falſum eſt in noſtra Philoſophia, niſi ſumant nutritionem impropriè, &c.

Ad quartum, imò conuenit, neque eſt verum, terram ſemper eandem ſeruare molem, ſed minui potius; at neque ſi ſeruet, cælum non ſic factum fuerit, vti nos docuimus, non enim erant tunc, & nunc non agunt ſidera in terram, niſi per vices, vtque amplificetur regnum, non vt nutriantur; dantque telluri ſpatium ſeſe reficiendi, vt dictum eſt: tutior tamen eſt noſtra ſententia cum Ambroſiana, & tellurem, & opera, quæ in ea ſunt exuſtum iri, vt S. Petrus prædixit, & ſybillæ; & Heraclitus, & Hidaſpes, & Stoïci, aliique doctiſſimi, quorum Lactantius mentionem facit. Vide 3. p. Metaph.

Vtrùm dato quòd sidera sint systemata, hominibus & animalibus nostratibus habitentur, vt videtur Plutarcho.

ARTIC. III.

1. VIdetur Apelli, & Galilæo opinio hæc falsa, damnabilisque; haud tamen causas adducit vllas: fortassè quoniam Historia Sacra illorum non meminit: & Christus pro illis mortuus non est. Nam nisi nobis semel; & Origenes dicens, bis, damnatur.

2. Item absurdum est homines in tot corporibus reponere, vt Keplerus jocatur: vbi præsertim temperies humana non conuenit, sed valde dissidet.

SED Contra: si idem ignis vniuocè est in stellis à sole, & in tellure. Ergò & vniuocum frigus, ergò terra, ergò & animalia, & plantæ, & homines eiusdem speciei.

Frustra videntur esse tot corpora nostris elementis constituta, nisi etiam effectibus elementaribus, & habitatoribus plena sint, qui Deum in illorum rebus ideatis contemplentur.

Respondeo, quamuis sit idem ignis, nescimus an eadem specie tellus: regula contrariorum apud nos valet: in illis quid scimus an etiam? At si valeat.

Item non erit idem modus agendi: alia enim astra soli propinquiora, alia distantiora; nunc autem videmus sub Polis, & sub Tropicis nasci pygmeos, & nigros; & si vera fert Plinius, Acephalos, Asthomos, Cycoplas, Satyros: quorum à nobis alij differunt specie. Nigri verò & Nani vix conueniunt. Igitur cum intemperies ista in sideribus sit longè grandior, quàm in partibus telluris, si qua sunt animalia, & homines, alterius sanè speciei erunt. Nostra enim non possunt viuere in maiori frigore, & calore quàm nostrorum Polorum, & Tropicorum. Nam item, vt probauimus in Metaph. contra Paracelsum, homines marini, & subterranei, & si qui sunt aërei, vt fingit, quos omnes putat rationales, & Beatitatis capaces, & Redemptionis conscios, alterius sunt speciei: neque de Christo Deo aliquid Philosophantur; multò minus, qui in syderibus. Vtrum autem Deus aliquas temperies meliores nostratibus ibi concinnauerit, vel res alterius generis, alibi disputauimus. Sunt tamen in eis alia tempora: ergò & res temporales aliæ.

Ad Galilæum Resp. non esse contra Historiam Sacram ibi ponere homines. Locus ab authoritate negatiuus non valet: sic dicebant olim esse contra historiam ponere Antipodas. At in quæst. 32. quomodo nostrates illuc transierunt, dicemus. Thesauros Dei in stellis, & extra mundum, nemo nouit: potius autem fauet Apostolus dicens, quod Iesus *reconciliauit siuè quæ in cælis, siuè quæ in terris*. Sed alium habet sensum, quàm de hominibus stellarum; tamen, si sunt, arridet, & alios Adam ibi creatos oportet; nec omnes indiguere redemptione, nisi qui peccauerunt. Quid scimus de peccatis eorum? aut de remediis Dei multiplicibus? neque oportet Christum toties mori. Putaui in Antimachiauellismo stellas ab Angelis habitari: at si systemata sunt, quod neque affirmo, puto ab alterius rationis animantibus. Quidam diabolus dixit, se accolam lunæ. Sed mentiuntur. *Spiritualia nequitiæ in cælestibus* ponit Paulus, sed Patres in aëre intelligunt. De his dicam in quæst. de homine.

Vtrùm posito & non concesso, sicut nouus sacer index monet, quòd vera sint conclusiones Pythagoricorum, & quas tandem Copernicus, & Galilæus ex suis obseruationibus tradiderunt, permaneat adhuc nostra Philosophia, an corrigenda, & in quibus, & qua ratione.

ART. IV.

Additus est hic art. ad instantiam Rodulfi Bine, & Tobie Adami, post congressum ipsorum cum Galilæo: ad quem eos direxit Autor pro nouis obseruationibus.

PRofectò ex obseruatis Copernici, & Galilæi videtur nostra Physiologia funditus, ac tota euerti.

1. Nam ex materia intra spatium locata nos per actiua principia, calorem, & frigus, constituimus duo prima corpora, cælum, & terram; fecimusque stellas ex collecto calore formatas vnà cum sole calidissimo, ac mobilissimo, circa terram frigidissimam, ac immobilissimam conuerti. Si autem sol nunc inuenietur esse mundi centrum immobile, sideraque fixa omnia immobilia, planetásque tantum intra eorum septum circumferri vnà cum tellure circa solem, omnesque planetas instar telluris proprio carere lumine, vtique oportebit affirmare, neque calorem esse causam mouentem, neque frigus immobilitantem, sed è contra.

2. Item terram non pugnare contra solem, sed eius amore affectam, sicuti alij planetæ ipsum circumire: & frigus esse solùm caloris priuationem, vt vult Heraclitus.

3. Item stellas non esse igneas, sed potius frigidas; atque in se habere terram, aquam, & alia, quæ in nostra sunt tellure: atque a sole foueri cupientes se gyrare, propriosque quasi natos entia, propria sic seruare.

4. Item omnes augere, ac minuere lucem, acceptam à sole, sicuti & luna; quod Venus tandem per Telescopium declarat, easdem facies & cornua mutans.

5. Item cum continuò soli propinquiores fiant, a quo tandem quasi pyraustas combustum iri.

6. Item cum maculæ circa solem appareant esse vapores, nec nostra tellus tantas vaporum moles, quæ dissoluuntur, & generantur, educare valeat, ab omnibus planetis, vel pabulum soli, vel regnum augeri; sique amore mouentur, pignus; si violentia, tributum dare.

7. Item cum etiam sol circà seipsum voluatur in centro eadem gyratione ab occasu in ortum, qua planetæ, videtur eos rapere, sic enim & maculas rapit intra signatos quosdam solares tropicos, vt diximus ex Galilæi obseruatis.

8. Item sequitur fixas stellas esse soles, quoniam immotæ manent, vti sol, atque alios planetas circa singulam fixam circumferri: esséque alios mundos innummerabiles, & tot quot soles; non autem videri à nobis planetas illos propter distantiam; & quia proprio non lucent lumine; vti hucusque Iouis satellites quatuor, & duo Saturni, latuerunt. Telescopium autem ad illas nostram aciem vsque non roborat oculorum. Videri tamen stellas fixas vnitas, sed immensis spatiis ab inuicem distare.

9. Item potius ex atomis acutis, vt dicebat Democritus sparsis per immensum infinitumque inane, ac quodam casu conglobatis, tot soles, atque planetas factos esse, existimandum est: & modum quo nos cælum, sidera, & tellurem ortum habuisse diximus, esse falsum. Nam quomodo ex materia à calore dissoluta, sparsáque per spatium, potuere tot Mundi concrescere? Et quomodo spargi frigus; & quomodo in eis calor molem densam constituere? vel ergo casus eas ex atomis concurrentibus composuit: vel Deus stellas ex aliis atomis in aliis locis confecit.

10. Mirum item est, quomodo Mercurius, si nostræ materiei est particeps, nondum à Sole in ignem conuersus est. Idque potius mirandum, quàm de Luna telluris pedissequa, quam dicebamus esse quasi nubem sic constitutam, & quærebamus cur non iam dissoluta fuit tantis caloribus à Sole perenniter accensa. At hoc mirere nunc magis in Mercurio, si est materialis, vt nostra Tellus: multóque magis si quasi nubes.

11. Item mirum, quomodo circà tellurem Luna versatur, & non circa Solem. Similiter & Planetæ Medicei, & Saturnini, & quid boni accipiunt ab his Planetis indigis lucis solaris, non minus ac ipsi eorum satellites.

12. Item videmur nos quasi nugaces finxisse, quod iubente Deo, ex materia duæ causæ agentes duo prima corpora formauerint, quod nunc falsitatis potest argui, itemque impietatis. Vnde enim sciebam ego, quod Deus sic fecerit? numquid Consiliarius eius fui?

13. Item videntur fauere Pythagoricis Scripturæ sanctæ. Nam quod sint super cælos, & in firmamento aquæ, testatur Moyses, Dauid, & Daniel. Quòd sint tellures, & montes, & colles æterni, testatur Iacob in benedictionibus, quas dat de fructibus Solis, & Lunæ, & de collibus æternis. Iob quoque mundas non esse stellas, ait, in conspectu Dei; licèt sic videantur nobis: & iam terrestres esse apparent, & aquei per Telescopium. &, vt quidam aiunt, sic oportuit esse, vt temperent calorem ignis solaris. Ideo quidam Nolanus dixit omnes soles suas habere Lunas temperatrices; contestantur & antiqui Rabini Hebræorum, & Macometus in Alcorano ab eis edoctus, ponit plura spatia, montes, maria, fluuios, æthera clara, & nubilosa super cælum, & septem terras, & alia systemata mirifica, vt in Metaph. diximus, de hoc disputantes contra eum. Vnde videtur nunc etiam ab inimicis veritas ista testificari, & sanctus Basilius, & Ambrosius, & Origenes Solem vaporibus pascunt, & temperant aquis supernis.

14. Item Apostolus Paulus *spiritualia nequitiæ* ponit *in cælestibus & pacificata quæ in terris, & quæ in Cælis; seruatáque sanguine Christi.* Sunt ergò in stellis homines redemptione indigentes, vt apud nos.

15. Item tot tanquam magna systemata ad quid, nisi habitentur, & habeant quidquid in nostro est mundo? & plura.

SED Contra est, quod probauimus experientia, ratione, & oraculis Scripturæ Dei, & Sanctorum Doctorum autoritatibus, calorem, & frigus esse entia positiua omnium, quæ fiunt, causas agentes in Physica principales, sed tamen in Metaph. instrumentales; prout Fato, Necessitate, & Harmonia regulantur ad faciendum non quod vellent, sed quod volunt volente primo rerum conditore, eius voluntatem exequentibus ideatoribus causis intellectualibus, sicut probatum est in Metaphys. quæ autem occupat calor attenuari, ac moueri, & sursum rapi, & in aërem spargi, palam est: quæ frigus, densari, & immobilitari. Idcircò cælum à calore in peripheriam factum; tellurem à frigore in centro diximus. Nam quod videmus nunc fieri, sic cæpit ab initio, vt docet Ambrosius: est enim Natura executio primæ institutionis rerum, Deo præcipiente constitutarum. Quod verò rationabiliter introduxerimus Deum iubentem ista fieri, nos Moyses, docet, & Plato, & Trismegistus, & Anaxagoras, idem facientes: proptereáque laudati à sancto Augustino, & Chrysostomo, & sancto Ambrosio, & Origene super omnes Philosophos, maximè autem Plato, quoniam ita ordinat omnia in Timæo, primam causam Deum ordinatorem introducens, vt dixi in quæst. 1. Quod autem licuerit ex seminibus ordiri, & non ex factis, vt Telesius, itidem docentur à Patribus, qui secundum Moysem primò Cælum, & Terram tanquam omnium primordia facta monent. Deinde cætera quasi ornatus eorum in sex diebus. Non quia indiguerit Deus pro se sic per successionem operari, sed ad naturæ institutionem, vt ait sanctus Ambrosius. Si autem nos etiam ante elementorum primorum productionem posuimus spatium, & materiam, & causas actiuas ordine naturæ ad declarationem, rectè fecimus. Nam & sic Augustinus in aliis pro declaratione ad populum rudem processisse Moysen dicit. Idem & Chrysost. vtque omne os obstruatur legant sanctum Ambrosium epist. 31. dicentem de mundi origine. *Sic mundus ipse qui vel primum coactus elementorum seminibus* Resp.

teneri orbe concreuerat; vel confuso adhuc indigesti operis caligabat horrore; nonne posteri distinctò cæli, maris, terrarumque discrimine, rerum formas, quibus speciosus videtur accepit? exutæ humentibus tenebris nouum terræ obstupuere solem. Quibus in verbis eloquentissimis, ac doctissimis, inane spatium præmittit, atque orbis ortum ex seminibus, quę sunt calor, & frigus, & moles corporea nobis. Hæc autem semina, vel discreta fuisse, ac mox vnita opinatur, vel in Chaos præextitisse, natura dico, non tempore, vt in Hexam. explicat. Quod autem potius in Chaos sancta Ecclesia confirmat hymnis, ac patres multi, de quibus in Metaph.

Stantibus ergò his, originem rerum benè descripsi, nec ex atomis disgregatis cum Democrito, quoniam vnitas pręcedit numerum. Ergò prius Materia fuit vnita, & postea diuisa in atoma corpuscula & in stellas; nos & illi per coniecturas, & verisimilitudines procedimus nunc, & Chaos mihi fauet. Posito, & non concesso, quod veræ sint positiones Galilei & Copernici, de quibus in nostris Pythagoricis cantamus, tunc pauca in mea Philosophia immutabo.

Quæ nostra dogmata non tolluntur ab obseruatis, Gal. & Pyth.

Stant calor, & frigus principia actiua, ille motus, istud quietis causa: nam in nostro systemate sic video; solem quoque moueri in seipsum, vti nos dicebamus, ac Telesius, contestatur Galileus, & quidem ex natura caloris, quo feruet.

Tellurem ergò nostram non mouebit frigus, sed sensus & Amor, nam animatam esse oportet, vt docet Origenes super Isaiam, & Ambrosius in præfata epistola dicens; *Exercere in fructus terræ ante nesciebant: post vbi imperare armis solicitus capit Agricola, & vestire vinetis, siluestres animos, domesticis mollita cultibus exuerunt.* Idem in Hexam. à Tellure animari prata docet, alias ab igne, & aëre, omnia enim sentiunt. Item Esdras in 4. lib. parere, nutrire, & amare, quę producit, tellus dicitur, & Hier. in 8. Mat. omnis creatura, ait, sentit creatorem. Et Ezech. 10. omnia elementa sentire cum Origene affirmat. vide Apol. lib. de Sensu Rerum. At motus terrę regulatissimus videtur intelligentiæ tribuendus, vel solis vertigini, qua omnia vertit astra errantia.

At si sic est, cur non & Lunam, & medicea, & Saturnia? & cur hęc comitantur alia sidera potius? Procul dubio absque proprio emolumento res vlla vlli colligata non est in rerum natura, vt Anatomes docet rerum, & animalium. Absit autem vt in corpore bruto tanta consonantia, & mutua membrorum emolumenta sint, in corpore autem vniuersitatis rerum, abusus, & violentia. Ergò intellectus pleni virtute tot rotas conuoluunt ad finem à Deo præstitum, non vi, sed sponte obedientes, quoniam spiritus vitæ est in rotis. Nam bonum est Lunæ sic circumferri: apta enim est foueri magis à terra, quam à Sole ob suam debilitatem.

Credo etiam in hoc partem habere lumen, & vertiginem instrumentalem. Nam vertigo solis omnes Planetas mouet, viciniores velocius, vt nubeculas illas, & Mercurium; distantiores verò tardius, vt Saturnum. Idem dic de asseclis Iouis, & Saturni, horum vertigini obedientibus.

At quomodo Sol calidissimus in vno mense circuit, Lunáque torpida maiorem ambitum ferè eodem tempore absoluit, frigidáque tellus in viginti-quatuor horis, mirum sanè, nisi fortè decipiatur Galileus. Nam & si maculæ requirunt tempus menstruum, vt Luna, non tamen similiter Sol, sed vt tellus, propinquitas tamen ipsarum ad Solem hoc cogit ipsum enunciare: nec Solis magnitudo id faciat: nam compensabit calor, quod demit granditas. putassem ipsum in decem horis gyrum perficere. Hinc pateat animatum opus esse motus omnes systematum, Dei nutu, sic mouentium: attamen sponte obsequentibus corporalibus naturis.

Interim licèt Tellus moueatur, frigus tamen immobilitatis est causa in nostris entibus, eiusque defensor à combustione. Nam quæ apud nos frigent, immobilitantur, ignique sunt contumacia: erit ergò ne frigus totius terræ globo perfusum? an successione fiat absentia Caloris ex vi sui diffusiua, sitque modicum, & suo tempore extinguendum? & hoc quis scit? Dicemus ne esse caloris priuationem puram? nequaquam; vt patuit in articulo de hoc inquirente: ergo ne frigus in aliis Planetis? vtique si est calor, & eiusdem speciei, quoniam eiusdem Solis calor.

Anne eadem entia, quæ in nostro systemate, & homines? respondi in altero arti-

culo, & in Metaph. de hoc. Memento quod frigida à se in se mota destruuntur: non autem si in alio, vt in naui: & ab alio.

Origo ergò ita fuit, posita mole corporea immensa intra spatium, caloréque & frigore cæpit pugna, vt in textu. Potentissimus calor in medio occupato constitit victor molem occupando, sicque fecit solem: frigus autem vndique fugatum, dispersáque cum materia mistum, collegit crassas partes, quibus se tutetur, fecitque vocatos Planetas, vti de Tellure sola dicebamus; sicuti solet in aëre occupando crassitudines à calore molestatum tonante facere grandines, in quibus calor, & frigus: prçualet tamen frigus, & crassities magna: sic etiam fiunt fulmina ferruminosa in aere nostro, vti Planetæ a principio. Propterecáque videtur magnetica esse Tellus Gilberto: ergo frigus & calor nullam sibi materiam determinant, sed cum sint instrumenta intellectus actiuæ potestatis æternæ, possunt vbique se se amplificare: ergò in aere quamuis calido, & in robore & in copia frigus augetur; nec Tellus eius est principaliter, sed instrumentaliter; idcóque mouetur ipso non obstantę. Prius est enim illi esse, quàm frigidum esse, licet per frigus condensans constituta fuerit organicè, tamen præcepto Dei habet esse: sic in sole copia & robur caloris excludit frigus, ac calor in omni materia fit, & in terra, quoniam organam est. Vide Metaph. vbi ideam hominis in carne, & osse sigillari dicebamus: frigoris, & caloris in omni mole. Sidera fixa stent immota in nostro systemate ad alios fines à Deo ordinata, nobis ignotos: haud tamen propterea sint soles. Sol enim candidissimus est in hoc à Planetis seiunctus. Luna enim crocea est, ait Ambros. Mars rubeus, Saturnus plumbeus, Iupiter clarus, Venus argentea; micans Mercurius: at in fixis iidem colores apparent, sicuti Mathematici, & sensus docet. Propterecaque de Planetarum natura dicuntur. Capella, & Aldebaran rubræ sunt prorsus, vt Mars: ergò impuræ, calor enim in carbone nigro facit rubedinem, in pura materia, candorem. Arturus fuscus est est: lanx & Algol Saturnum refert: ergò non rectè ponuntur soles, nisi Sol sit systema, cuius tellus à multo lumine occultetur. Canicula enim & Azimech, & aliæ fixæ excedunt solem nostrum in magnitudine: vnde videri possunt soles, ex omni corpore constantes, vti Timeus docuerat. Idem dicit stella noua Thiconis, quę immota stetit mensibus quatuordecim in sedili Cassiopeæ in regione fixarum; & primò Iouem in colore retulit, deinde Martem, tandem nigrescens euanuit: ergò ibi sunt impuritates, quæ non in Sole, sed in Planetis, aut si sunt, latent. Non circumferuntur autem, quoniam à Solis vertgine longe absunt, nec rapi possunt, & Deus alia entia, aliosque thesauros sapiẽtiæ suæ in illis ostendit. Quotidiana tamen gyratio facit eas videri circulo ferri viginti quatuor horarum spatio. Quis autem scit an centra sint aliorum theatrorum? erat enim rota in medio rotæ.

Prætereà illa stella Thiconis non potest in Planetis fixarum fieri, vt diceret ille Nolanus. Nam immota fuit sicut aliæ fixæ: visa autem fuisset aliquam fixam circumire, sicuti Cometæ nostri in mundo inferiori. Mirum tamen est, quomodo Sol noster eas illuminet, & quidem sic est, & docet sanctus Augustinus in lib. de cogn. veræ vitæ, Solem à Deo eminenter illuminari ex sua luce inaccessibili, à Sole verò stellas: maxima ergò frigora in fixis, si tam à longe lucem recipiunt. Hæret hic animus, possunt habere internum calorem, sicut in centro telluris locatur à Pythagoreis: quis autem scit an remotiores minus frigoris sortitæ sint, viciniores plus, vt soli resistant, nec tam cito fabrica mundi prætereat, eiusque figura, vt dicit Apostolus. In omnibus tamen esse generationes, & corruptiones oportet, quoniam, vt ait Apostolus, *Vanitati subiecta est creatura non valens: sed propter eum, qui subiecit in spe*, & renouatum iri, ac liberatum prædicit *à seruitute corruptionis*, cum euacuata scena, & theatris, & laruis animarum, Deus omnia meliorabit, vt Dauid prophetarat. Rom. 8.

Idem sanctus Ambrosius, & Origenes de Gloria corporum Cælestium, post hanc seruitutem, quam Deo exhibent, declarant, & Chrysostomus super Epist. ad Rom. Istæ autem generationes & corruptiones sunt institutæ a Deo, vt Idealitates innumeræ, & diuitiæ suæ manifestentur in sigillationibus materiæ per tot causas, vt dixi in Metaph. correptas tribus magnis influentiis Dei, quæ sunt Necessitas, Fatum, & Harmonia. Cum ergò Deus lumen solis ad se absconder in thesauris, tunc omnes stellæ priuatæ lumini-

Nota conditionem vniuersi suppositis, Pith. dogmatis.

bus à quibus vertuntur, cessant moueri; vt sapienter docet Origenes super Matth. & stellæ corruent in inuicem, fiet Chaos; & mundus renouabitur ex illo, vt sybilla, & Lucanus, & Seneca ad Marciam, & Hidaspes, & Heraclitus ex parte docent. Ideò Christus ait, *Stellæ de Cælo cadent*, id est de suis locis, & fiet silentium, ait Esdras, & Chaos. Philosophi tamen dicunt ab igne omnia in ignem conuersum iri: sed cum Deus regat rerum habenas, quî fiat, nescimus. Interim doctiora habemus à fide Christiana, & quæ intellectui magis satisfaciunt, quam quæ à Philosophis. Quis scit autem vtrum huius nostri mundi ex fixis ad nos renouatio solummodo fiat, & quomodo res sese habet in aliis.

Ex his clarescit stare philosophiam nostram, nec tolli nisi centrum odij, remanereque centrum Amoris ex obseruatis Galilei; esse tamen pugnam inter frigus, & calorem in nostro systemate, exque illa oriri secunda entia.

Item sidera ferri libere, & artificiosè ab intellectibus, & sponte naturæ per lucis solatis instrumentum, & per innatum Amorem. Obliquitatem stringi ob appropinquationem telluris ad solem: Excentricos, & Epiciclos esse nullos. Lunam in oppositione, & coniunctione eleuari, sicuti prius eisdem de causis, reraeque amicam esse, & ex variatis tot luminibus, & resistentiis, fatalem ordinem contexi; & rerum mutationes certas, & tales fieri, quales videmus, vt in textu diximus. Fixas stare, quoniam vertigo solis eousque vires non extendit, in seipsas tamen conuolui: si sunt soles vt Planetas nobis non visos gyro vertant suos. si vero non sunt, vt omnes ipsarum partes à Sole lumen accipiant, vt telluris faciunt partes in motu diario; qui Lunæ communicatus debiliter fit menstruus. Communicatio autem fit per sphæram vaporis, & lucis, vti à luce mouentur totæ artificiatæ in sepulchris Christi, & vera per fumum quatenus calidum. Non tamen ista fiunt regulatè absque assistente intellectu principaliter operante per eiusmodi instrumenta. Annuum autem motum Planetæ habent à versione solis, quem imitantur in diario; non autem Planetarum Lunæ. Lunas voco asseclas ipsorum; quarum motus nubeculas circa solem imitantur: sed aliæ citius, aliæ tardius. Indicat Mediceatum ecclypsatio Iouem esse opacum, sicuti nostra tellus, lucere autem reflexione lucis ex opaco in vapores continuos, & aquas, si quas habet, vt proportionalitas admonet: si autem opacus Iupiter, quisnam transpicuus, excepto forsan Sole? & solibus?

Nec incusandi sumus, quod non rectè accusauerimus Aristotelem motores stellis abstractos tribuentem. Nos enim eius rationem destruximus, qua dicit, omne, quod mouetur, à distincto, separatóque moueri; ergò & Cœlum: hoc enim solummodo verum est de vectatis, & motis ab arte, & à violentia, non autem de naturalibus iuxtà eius dogma. Nec nos hoc argumento nunc ducimur, sed ex artificio talium lationum. Cur enim non extrà Tropicos fiunt, & cur Poli non fiunt Cardines æquatoris, & in æquatore poli? & cur regulas tales obseruant, quæ rerum generationi, & conseruationi prosit, systematique non corruunt: hæc & alia indicant esse lationes ab arte Dei destinatis opificibus, & executoribus intellectibus propter finem: de quo in Metaph. Aristoteles autem ignorauit has obseruationes, & artem non contemplatus est, sed naturam in primam causam, necessariam illi, non liberam, & discordiam ponit in cælestibus, & superfluitatem, propterea peccasse videtur. Vnde in 2. de cælo reprobat eos, qui ponunt terram in sideribus, & moueri ab anima dicunt. Vnde est fabula de Atlante cœlum sustinente, quam infelicem, & negotiosam oportet esse: quod nos non dicimus, quoniam & naturalem motum ab innata vi, & vertiginem astris damus. Regulam autem & assistentiam, vt arte sic fiant lationes ordinisque fatalis executionem tribuimus Angelis sine labore. Neque enim sursum, neque deorsum datur in toto, sed in particularibus systematis respectiue. Originalis autem, naturalisque est singulis propria regio: opus autem naturæ est superioris artis opus: ergò quod artificiosum est in cœli motibus, do Angelis, non quod naturale, vt Aristoteles facit: sic & vertigo fumi, & coquus, & ignis assant carnem. Imò vno pilo totum mundum moueri posse in vacuo, & systemata puto, vbi non habent aliorsum propensionem, sic & radius in Metaph. probatur.

Ad primum resp. Remanere calorem, & frigus principia Physica, esseque motus & quietis in particularibus corporibus, & generationibus, per se causas sub fatali ordine: lationum verò vniuersalium, quibus ordo mundi præstat, esse causas instrumentales;

les: Sensum, Amorem, & Vim naturales: intelligentias verò assistentes, & principales. Nec aliquod Totum sine motu esse in Mundo: sed partes tantum intra systemata: vt aqua cum gelatur quiescit: calefacta mouetur. Ordinem mundi alium esse; sed tamen hoc verum, quod calida in peripheriam, frigida in centrum systematis tendunt. extrà nostrum systema aliam esse philosophiam concedo, vt declarauimus, non intra: analogari tamen nostræ.

Ad secundum dico, adhuc frigus contra calorem pugnare, quamuis tellus tota eo foueatur, natorúmque suorum plenitudo. Nec frigus potuisse propriam molem vincere, vti fecit calor. Vnde nec niuem calore toto priuat. Vagum ergò est si in centro terræ non habet nidum, de quo certauimus in Metaph. corpulenta tamen amat, nec instrumentis primis id disconuenire. Non esse puram priuationem alibi probatum est.

Ad tertium patuit Responsio in hoc articulo. Similiter ad quartum: ad quintum conceditur totum, similiter sextum, & septimum.

Ad octauum, nego fixas esse soles ob causas in hoc articulo dictas, & ob nimiam similitudinem, & vicinitatem: nisi sint compositi soles omnes & systemata: at non propter hoc sint Mundi sorsum, sed scenæ vnius ab vniuersali circulo comprehensi vno vnius Numinis. Vtrùm lunulis ambiantur, dubito, & reuelationem expecto: sed potius affirmem stante hypothesi.

Ad nonum, non potuit casus tam nobilem constituere fabricam. Intellectus noster, & Ars indicant nobilissimum intellectum, & artem mundo præesse: si casu ex nihilo noster intellectus, actiué passiuéque non est, & à causis primis originem trahit: stultum est hominem consilio, mundum verò casu fieri, regique. A quo consilium hominis, cum primum non sit ens, participium trahet? sunt ergò à calore, & frigore, instrumentis artis primæ, constituta sidera, & Sol ex materia, in pugna eorum dispersa, sicut diximus; in spatio immenso, & philosophorum, & Ecclesiasticorum hymnorum, & sancti Ambrosij verbis comprobauimus: totúmque vniuersum ex suis systematibus plurimis constare dico; mutuis emolumentis sese connectentibus, & officiis, vti partes corporis humani: inque omnibus thesauros sapientiæ primæ manifestari innumerabiles, tanquam in theatris, ac scenis multis: & cuilibet systemati plures sub vno duce primò Angelos assistere, iuxtà doctrinam Sanctorum Patrum, & efficaciam rationis. Non enim videntur corpora posse sese sponte regere, & artificiose, & sui gratia, sed cognoscentium substantiarum subesse imperio; earúmque gratia: sicuti ciuitates, & naues hominum gratia sunt, ab eisque fiunt, reguntúrque; & vt nidi, & foueæ, & antra sunt feris. Tot autem rotæ, luces, reflexiones, & materiæ dispositiones, & resistentiæ ordinatæ videntur ad rerum mirificum ortum, & interitum, & hæc omnia tandem ad aliquem finem magnum, de quo vide Metaphys.

Eandem omnium esse materiam Sancti Patres testantur, quibus plusquam philosophis credendum est, in his quæ sagacitate, & diuinatione potius quam syllogismo dicuntur: testatur & lux eadem.

Ad decimum, putarem densiorem à calore, & frigore primariò per vices agentibus, factam esse Mercurij molem, & pertinaciorem cæteris, propterea que sic resistere: at etiam minus: latere autem, quomodo nos illis propinquemus passim. Neque grauia, neque leuia in suis locis esse systemata, sed partium has esse propensiones: seruare tamen situm pristinum in rerum serie, cæteris mundi partibus sic Fato Necessitate, & Harmonia deuinctis, vt se inuicem cogant sic permanere, & sponte itidem sic velint esse, vt patet in partibus corporis, & pulmonis motu, necessitate, ac sponte sic existentibus secundum artem Dei, & hęc est natura, quæ sine necessitate est Ars: sine spontaneitate est violentia: ex his mista est natura in secundis entibus; in Deo autem simplex est absque necessitate, nisi suæ essentiæ sic essendi innata, non illata. vide Metap. hoc grande negotium est, quod ignorans Aristoteles, accusat omnes Philosophos imperitè.

Ad vndecimum Responsũ est, quòd accipiunt, & dant lucem: eorumque naturæ sua-

ue est circa Planetas moueri, sibi similiores; non enim casu, aut sola vi cohærere possunt.

Ad duodecimum quod Deus iusserit fieri res, veritas prima docet, quod ante cælum,& terram sic potuerit exordiri, iam ex sancto Ambrosio explicauimus non temerè nos locutos. Quod autem tellus in centro, & Sol in peripheria, hoc ex discursu diximus, quia calorem ad peripheriam, frigus deorsum immobilitate video. Nec nisi telluris hoc esse posse. quod si Galilæi obseruationes me corrigunt in modo positionis, non tamen in positione intra nostrum præsertim systema. Esse autem Religionis non impietatis sic philosophari, iamdudum ostendimus ex doctrina Sanctorum, & Platonis in quæst. 1. Deus autem amat inquirentes eum, quomodocunque possunt in operibus suis.

Ad decimum tertium, Scripturarum illa loca non generant euidentiam, neque fidem, cum multiplicem habeant sensum apud Patres expositum, faciunt tamen suspicionem aliquam pro eis, sed & multa alia sunt contra eos de solis motu circa terram, quem Iosue frenauit, & de terra fundata super stabilitate sua apud Dauid; quæ omnia diximus suis locis. At in Metaph. prolixius examinauimus. At si veritas ostenderet alterum esse sensum Scripturarum, & loqui spiritum Dei ad vulgares, vti docet Chrysostomus: Proptereáque sic de Sole, & terra dicit sicut & Lunam alterum luminare ponit, quod nobis tantum est verum, in cælo enim est cæteris minor stellis: Tunc oportebit à veritate stare patefacta, cui Scriptura Dei non obstare, sed fauere in confesso est, licet, ait Aug. humanæ fragilitati secus appareat. Prima Scriptura Dei est Mundus, vbi suos expressit, descripsitque conceptus, a qua non discordat secunda, quam nobis per seruos suos tradidit. De fabulis Macometi disputatum est in Metaphys. accepit ista a Rabinis, ipse miscuit de suo quam multa, ibi vide, & quomodo reprobentur.

Hæc dixi supposito, quod vera sint, quæ Galileus docet & Copernicus, de qua doctrina hypothetice nos loqui nouus index sacer monet, permittitque sicut fecerámus: paratus sanctæ Romanæ Ecclesiæ iudicio, sicuti in cæteris omnibus obedire. Scripseram de hoc in 3. p. Metaph. disputando cum Pythagoricis, & Copernico, ibi videbitis. Nunc autem vt Binæ, & Adamo satisfaciam post congressum ipsorum cum Galileo iuxta votum meum, hunc articulum interposui. Si enim systemata sunt Planetæ & fixæ, non videntur posse viginti quatuor horarum spatio immensum circulum conficere. Medicæi quoque attestantur posse centrum solius Lunæ esse tellurem; & duo Saturni asseclæ. Maculæ quoque solares, & Cometæ, & stella noua ostendunt sidera ex terra, & aqua, & vapore constare. Moyses ista non declarauit, quia leges hominibus nostri systematis tantum dabat. Voluitque Deus nos inquisitioni incumbere, nec torpere omnia edoctos, nisi quæ ad salutem spectabant. Nostri systematis demonstrationes à Galileo expectamus cum Saturni asseclas exploratos omninò habuerit. Interim loquor ex suppositione, non ex assertione de nostræ Physiologiæ mutatione, sicuti in textu protestatus sum: quòd, si sidera sunt systemata, & non ignei globi, & telles moueri conuincitur, oportere systema totius aliter ordinari, & originem elementorum; quod ibi dixi, hic explicari, propterea textum mutare nolo; quoniam & hæc ibi continentur, siquis benè introspiciat.

Post quinque annos ab huius articuli inscriptione audiui Romæ à Patribus damnari sententiam de motu telluris diurno tanquam scripturis contrariam octauo die antequam nostra disputatio de hac materia ad Cardinalem B. Gaetanum perueniret. Ergò nostra Physiologia acceptatur, & non Copernicea; neque Nolana; & ego credo cum Patribus, vt in textu pridem scripsi, nec mutor.

QVÆST. XI.

DE MOTIBVS CÆLESTIVM.

Vtrùm cælestia corpora moueantur circa medium in peripheria mundi, tellus verò quiescat in medio.

ARTIC. I.

VIDETVR Timeo Loctensi conterraneo nostro, Tellus peremni circulo in viginti quatuor horis rotari in centro mundi, & ideircò videri nobis omnia corpora cælestia viginti quatuor horis circulum absoluere, quoniam idem euenit moto visu ac visibili, vt his, qui naui vehuntur Nautis littora moueri videntur, & qui seipsum rotat, cuncta, quæ sunt extrà ipsum rotare videt, & patet in prospectiuis.

1. Probatur primò, quoniam corpora cælestia disconueniunt in natura, vt patet ex coloribus diuersis, & motibus variis, & influxibus, ergò non possunt in vna eademque pariter operatione conuenire, vt simul, & similiter in viginti quatuor horis circumuoluantur: ergò motus huiusmodi conuenit illis ex apparentia visus moti cum terra, & facillimè.

2. Omnes Planetæ mouentur ab occasu in ortum motu proprio, vt patet; Sol, & Venus, & Mercurius in duodecim mensibus. Luna in vno. Mars in viginti quatuor. Saturnus in triginta annis. Iupiter in duodecim annis solaribus: simulque videntur moueri ab ortu in occasum in viginti quatuor horis. At impossibile est idem corpus cōtrariis moueri viis, & motibus: ergò motus ab ortu in occasum est apparens tantum ex eo, quòd tellus mouetur ab occasu in ortum, & ideo in illo videntur motu omnes conuenire. Quod autem aiunt, alterum esse motum violentum, alterum naturalem in Planetis, falsum est, quoniam in cælo violentia nulla esse potest, præsertim quæ superet naturam, & non destruat, ergò potius est alter verus, alter apparens.

3. Ex hac ratione sequitur, quod Sphera stellata sit immobilis, & quod Planetæ solùm, vel orbes cum eis moueantur, & non in viginti quatuor horis, nisi apparenter, sed in spatiis temporariis memoratis.

4. Hoc rationabile est, quoniam si cælum rotaretur in viginti quatuor horis, efficeret miriadas milliariorum innumerabiles, ita vt in ictu oculi mille milliaria ferè absolueret: Tanta autem corporibus his nullo potest pacto velocitas conuenire, quæ vix Angelo incorporeo concedenda videtur. At tellus in viginti quatuor horis peragat triginta vnum millia milliaria tantum, quod concedi potest facilius. Sol verò gradum vnum, & Planetæ, vt dictum est, alij plus, alij minus, sed conuenienter: si autem vniuersum est infinitum, vt probatur, cælum finire circuitum posset nunquam, sicut videmus: vnde tellurem potius moueri, fatendum videtur.

5. Sed Philolao Crotoniatæ etiam nostrati, neque vnus motus videtur telluri sufficere propter alias apparentias. Videmus enim manifestè Venerem, & Mercurium aliquando supra Solem, aliquando infra, aliquando ante, aliquando ponè, & circa ipsum gyrare. Sol ergò videtur esse centrum illorum, & non tellus. Similiter videmus Martem, Iouem, & Saturnum, cum soli appropinquant eleuari, & minui lumine, & quantitate, & fieri à nobis distantissimos: cum vero à Sole recedunt paulatim crescere, & fieri terræ viciniores: in opposito situ retrocedere, non scilicet sub fixis, quibus cum commeabant, sed ante illas occumbere, & fieri stationarios, & mox dirigi: passiones autem huiusmodi non possunt cælestibus conuenire nobilis-

ſub tropicis, niſi humor cælum cum terra copularet, vt diximus de marinos, & Teleſius: & niſi calor facilè aſſumpto liquore rediret in cælum, apud nos immorandi ſic occaſione ſubtracta plus deſtrueret. Alimentum calori ad temperiem dat Ambroſius apud nos: non in cælo, vbi eſt Sol. Ibi enim nulla aqua, ſed in aliis forte ſyſtematis, à quibus vapor Galilæo viſus ſubminiſtratur.

Ad Arg. prima. Ad rationes noſtras, & Ariſtotelis Reſp. ad primum ignem nutriri extra ſuam ſpheram; in ſua autem haud indigere; attamen augeri regno tantum dicimus per additionem; quod cæleſtibus haud negamus, proptereàque finem rerum expectamus.

Ad ſecundum non ſunt labores inanes ſiderum, ſui enim gratià mouentur & noſtri, vt in textu. Lucrum autem eſt ſeruari, & inimicum oppugnare, aut arcere, ne plura occupet ſpatia, & tandem ſeruire Deo, qui *ſubiecit creaturam huic vanitati in ſpe; quoniam & ipſa liberabitur à ſeruitute corruptionis*, vt ait Apoſtolus. Vide ibi Chryſoſtomum: omnia autem Deo ſeruiunt. Non omnis motus eſt propter cibum, multi ſunt ad ſalutem, tanquam operationes; & contra hoſtes; & tanquam miniſteria.

Ad tertium, licet ſidera generationes non intendant, tamen aſſiſtentes Angeli, teſte Origene, & Auguſtino, ſic illas procurant; ſidera autem motum quo ſeruantur. Excurſum verò ad Tropicos effectum eſſe pugnę dùm omnibus viis inuadere conatur hoſtem: aut ſeipſa ſolis vigore fouere, proptereàque duplex centrum habent. Vide quæſtionem de motibus, & 3. par. Metaph. Hæc ratio non fauet Galilæo, & Pythagoræ qui Planetis igneam non tribuunt naturam. Ariſtoteles 2. de cæl. non reddit cauſam, niſi finalem obliquæ lationis: non tamen quis intendat hunc finem generationis, ſed in tex. 60. ait propter melius vitæ intellectualis cælorum. Hoc autem dicentes de motibus, illi abſtulimus.

Ad Arg. Ariſt. Ad primum Ariſtotelis Reſp. Ariſtotelem ſibi contrariari, quippe qui in 2. de Anima, & 2. de gener. & corrupt. & 4. Meteor. ignem ſolum ali ſtatuit, cauſamque nutritionis eſſe ignem in miſtis; & perire calorem natiuum, dum nutrimentum conſumit. Item fieri illud, eſt nutriri: manet enim forma, Vide quæſt. 3. At eſto quod dicit; neque Heraclitus, neque Democritus hanc nouitatem negabunt. Ineſt enim ſoli ſicut fluxus nobis & refluxus materialis.

Nos autem diximus in ſua ſphera id non requiri, ſed regnum augeri.

Ad ſecundum nego, quòd ignis apud nos non alatur fumo. Flamma enim vapor eſt ardens etiam Ariſtoteli. Hæc autem continuatur: ergò vapore fumóque; idem docet Ariſtoteles in lib. de Morte & Vita. Proiice aquam in incendium, & furnum, videbis vapores ardere: patet autem, & in bituminoſis artificialibus ignibus aqua nutritis.

Ad tertium Pythagorici de Aſtris non curant, quoniam ſyſtemata illis videntur, ignea corpora: ideóque ſolum ſolem nutriunt. Quod tamen falſum eſt in noſtra Philoſophia, niſi ſumant nutritionem impropriè, &c.

Ad quartum, imò conuenit, neque eſt verum, terram ſemper eandem ſeruare molem, ſed minui potius; at neque ſi ſeruet, cælum non ſic factum fuerit, vti nos docuimus, non enim erant tunc, & nunc non agunt ſidera in terram, niſi per vices, vtque amplificetur regnum, non vt nutriantur; dantque telluri ſpatium ſeſe reficiendi, vt dictum eſt: tutior tamen eſt noſtra ſententia cum Ambroſiana, & tellurem, & opera, quæ in ea ſunt exuſtum iri, vt S. Petrus prædixit, & ſybillæ; & Heraclitus, & Hidaſpes, & Stoici, aliique doctiſſimi, quorum Lactantius mentionem facit. Vide 3. p. Metaph.

Vtrùm dato quòd sidera sint systemata, hominibus & animalibus nostratibus habitentur, vt videtur Plutarcho.

ARTIC. III.

1. Videtur Apelli, & Galilæo opinio hæc falsa, damnabilisque; haud tamen causas adducit vllas: fortassè quoniam Historia Sacra illorum non meminit: & Christus pro illis mortuus non est. Nam nisi nobis semel; & Origenes dicens, bis, damnatur.

2 Item absurdum est homines in tot corporibus reponere, vt Keplerus jocatur: vbi præsertim temperies humana non conuenit, sed valde dissidet.

SED Contra: si idem ignis vniuocè est in stellis à sole, & in tellure. Ergò & vniuocum frigus, ergò terra, ergò & animalia, & plantæ, & homines eiusdem speciei.

Frustra videntur esse tot corpora nostris elementis constituta, nisi etiam effectibus elementaribus, & habitatoribus plena sint, qui Deum in illorum rebus ideatis contemplentur.

Respondeo, quamuis sit idem ignis, nescimus an eadem specie tellus: regula contrariorum apud nos valet: in illis quid scimus an etiam? At si valeat.

Item non erit idem modus agendi: alia enim astra soli propinquiora, alia distantiora; nunc autem videmus sub Polis, & sub Tropicis nasci pygmeos, & nigros; & si vera fert Plinius, Acephalos, Asthomos, Cycoplas, Satyros: quorum à nobis alij differunt specie. Nigri verò & Nani vix conueniunt. Igitur cum intemperies ista in sideribus sit longè grandior, quàm in partibus telluris, siqua sunt animalia, & homines, alterius sanè speciei erunt. Nostra enim non possunt viuere in maiori frigore, & calore quàm nostrorum Polorum, & Tropicorum. Nam item, vt probauimus in Metaph. contra Paracelsum, homines marini, & subterranei, & si qui sunt aërei, vt fingit, quos omnes putat rationales, & Beatitatis capaces, & Redemptionis conscios; alterius sunt speciei: neque de Christo Deo aliquid Philosophantur; multò minus, qui in syderibus. Vtrum autem Deus aliquas temperies meliores nostratibus ibi concinnauerit, vel res alterius generis, alibi disputauimus. Sunt tamen in eis alia tempora: ergò & res temporales aliæ.

Ad Galilæum Resp. non esse contra Historiam Sacram ibi ponere homines. Locus ab authoritate negatiuus non valet: sic dicebant olim esse contra historiam ponere Antipodas. At in quæst. 32. quomodo nostrates illuc transierunt, dicemus. Thesauros Dei in stellis, & extra mundum, nemo nouit: potius autem fauet Apostolus dicens, quod Iesus *reconciliauit siuè quæ in cælis, siuè quæ in terris.* Sed alium habet sensum, quàm de hominibus stellarum; tamen, si sunt, arridet, & alios Adam ibi creatos oportet; nec omnes indiguere redemptione, nisi qui peccauerunt. Quid scimus de peccatis eorum? aut de remediis Dei multiplicibus? neque oportet Christum toties mori. Putaui in Antimachiauellismo stellas ab Angelis habitari: at si systemata sunt, quod neque affirmo, puto ab alterius rationis animantibus. Quidam diabolus dixit, se accolam lunæ. Sed mentiuntur. *Spiritualia nequitiæ in cælestibus* ponit Paulus, sed Patres in aëre intelligunt. De his dicam in quæst. de homine.

Vtrùm posito & non concesso, sicut nouus sacer index monet, quòd vera sint conclusiones Pythagoricorum, & quas tandem Copernicus, & Galilæus ex suis obseruationibus tradiderunt, permaneat adhuc nostra Philosophia, an corrigenda, & in quibus, & qua ratione.

ART. IV.

Additus est hic art. ad instantiam Rodulfi Biniæ, & Tobiæ Adami, post congressum ipsorum cum Galilæo: ad quem eos direxit Autor pro nouis obseruationibus.

PRofectò ex obseruatis Copernici, & Galilæi videtur nostra Physiologia funditus, ac tota euerti.

1. Nam ex materia intra spatium locata nos per actiua principia, calorem, & frigus, constituimus duo prima corpora, cælum, & terram; fecimusque stellas ex collecto calore formatas vnà cum sole calidissimo, ac mobilissimo, circa terram frigidissimam, ac immobilissimam conuerti. Si autem sol nunc inuenietur esse mundi centrum immobile, sideraque fixa omnia immobilia, planetásque tantum intra eorum septum circumferri vnà cum tellure circa solem, omnesque planetas instar telluris proprio carere lumine, vtique oportebit affirmare, neque calorem esse causam mouentem, neque frigus immobilitantem, sed è contra.

2. Item terram non pugnare contra solem, sed eius amore affectam, sicuti alij planetæ ipsum circumire: & frigus esse solùm caloris priuationem, vt vult Heraclitus.

3. Item stellas non esse igneas, sed potius frigidas; atque in se habere terram, aquam, & alia, quæ in nostra sunt tellure: atque à sole foueri cupientes se gyrare, propriósque quasi natos entia, propria sic seruare.

4. Item omnes augere, ac minuere lucem, acceptam à sole, sicuti & luna; quod Venus tandem per Telescopium declarat, easdem facies & cornua mutans.

5. Item cum continuò soli propinquiores fiant, a quo tandem quasi pyraustas combustum iri.

6. Item cum maculæ circa solem appareant esse vapores, nec nostra tellus tantas vaporum moles, quæ dissoluuntur, & generantur, educare valeat, ab omnibus planetis, vel pabulum soli, vel regnum augeri; siue amore mouentur, pignus; si violentia, tributum dare.

7. Item cum etiam sol circà seipsum voluatur in centro eadem gyratione ab occasu in ortum, qua planetæ, videtur eos rapere, sic enim & maculas rapit intra signatos quosdam solares tropicos, vt diximus ex Galilæi obseruatis.

8. Item sequitur fixas stellas esse soles, quoniam immotæ manent, vti sol, atque alios planetas circa singulam fixam circumferri: esséque alios mundos innummerabiles, & tot quot soles; non autem videri à nobis planetas illos propter distantiam; & quia proprio non lucent lumine; vti hucusque Iouis satellites quatuor, & duo Saturni, latuerunt. Telescopium autem ad illas nostram aciem vsque non roborat oculorum. Videri tamen stellas fixas vnitas, sed immensis spatiis ab inuicem distare.

9. Item potius ex atomis acutis, vt dicebat Democritus sparsis per immensum infinitumque inane, ac quodam casu conglobatis, tot soles, atque planetas factos esse, existimandum est: & modum quo nos cælum, sidera, & tellurem ortum habuisse diximus, esse falsum. Nam quomodo ex materia à calore dissoluta, sparsáque per spatium, potuere tot Mundi concrescere? Et quomodo spargi frigus; & quomodo in eis calor molem densam constituere? vel ergo casus eas ex atomis concurrentibus composuit: vel Deus stellas ex aliis atomis in aliis locis confecit.

10. Mirum item est, quomodo Mercurius, si nostræ materiei est particeps, nondum à Sole in ignem conuersus est. Idque potius mirandum, quàm de Luna telluris pedissequa, quam dicebamus esse quasi nubem sic constitutam, & quærebamus cur non iam dissoluta fuit tantis caloribus à Sole perenniter accensa. At hoc mirere nunc magis in Mercurio, si est materialis, vt nostra Tellus: multóque magis si quasi nubes.

11. Item mirum, quomodo circà tellurem Luna versatur, & non circa Solem. Similiter & Planetæ Medicei, & Saturnini, & quid boni accipiunt ab his Planetis indigis lucis solaris, non minus ac ipsi eorum satellites.

12. Item videmur nos quasi nugaces finxisse, quod iubente Deo, ex materia duæ causæ agentes duo prima corpora formauerint, quod nunc falsitatis potest argui, itemque impietatis. Vnde enim sciebam ego, quod Deus sic fecerit? numquid Consiliarius eius fui?

13. Item videntur fauere Pythagoricis Scripturæ sanctæ. Nam quod sint super cælos, & in firmamento aquæ, testatur Moyses, Dauid, & Daniel. Quòd sint tellures, & montes, & colles æterni, testatur Iacob in benedictionibus, quas dat de fructibus Solis, & Lunæ, & de collibus æternis. Iob quoque mundas non esse stellas, ait, in conspectu Dei; licèt sic videantur nobis: & iam terrestres esse apparent, & aquei per Telescopium. &, vt quidam aiunt, sic oportuit esse, vt temperent calorem ignis solaris. Ideo quidam Nolanus dixit omnes soles suas habere Lunas temperatrices; contestantur & antiqui Rabini Hebræorum, & Macometus in Alcorano ab eis edoctus, ponit plura spatia, montes, maria, fluuios, æthera clara, & nubilosa super cælum, & septem terras, & alia systemata mirifica, vt in Metaph. diximus, de hoc disputantes contra eum. Vnde videtur nunc etiam ab inimicis veritas ista testificari, & sanctus Basilius, & Ambrosius, & Origenes Solem vaporibus pascunt, & temperant aquis supernis.

14. Item Apostolus Paulus *spiritalia nequitiæ* ponit *in cælestibus & pacificata quæ in terris, & quæ in Cælis; seruatáque sanguine Christi.* Sunt ergò in stellis homines redemptione indigentes, vt apud nos.

15. Item tot tanquam magna systemata ad quid, nisi habitentur, & habeant quidquid in nostro est mundo? & plura.

SED Contra est, quod probauimus experientia, ratione, & oraculis Scripturæ Dei, & Sanctorum Doctorum autoritatibus, calorem, & frigus esse entia positiua omnium, quæ fiunt, causas agentes in Physica principales, sed tamen in Metaph. instrumentales; prout Fato, Necessitate, & Harmonia regulantur ad faciendum non quod vellent, sed quod volunt volente primo rerum conditore, eius voluntatem exequentibus ideatoribus causis intellectualibus, sicut probatum est in Metaphys. quæ autem occupat calor attenuari, ac moueri, & sursum rapi, & in aërem spargi, palam est: quæ frigus, densari, & immobilitari. Idcircò cælum à calore in peripheriam factum; tellurem à frigore in centro diximus. Nam quod videmus nunc fieri, sic cæpit ab initio, vt docet Ambrosius: est enim Natura executio primæ institutionis rerum, Deo præcipiente constitutarum. Quod verò rationabiliter introduxerimus Deum iubentem ista fieri, nos Moyses, docet, & Plato, & Trismegistus, & Anaxagoras, idem facientes: proptereáque laudati à sancto Augustino, & Chrysostomo, & sancto Ambrosio, & Origene super omnes Philosophos, maximè autem Plato, quoniam ita ordinat omnia in Timæo, primam causam Deum ordinatorem introducens, vt dixi in quæst. 1. Quod autem licuerit ex seminibus ordiri, & non ex factis, vt Telesius, itidem docemur à Patribus, qui secundum Moysem primò Cælum, & Terram tanquam omnium primordia facta monent. Deinde cætera quasi ornatus eorum in sex diebus. Non quia indiguerit Deus pro se sic per successionem operari, sed ad naturæ institutionem, vt ait sanctus Ambrosius. Si autem nos etiam ante elementorum primorum productionem posuimus spatium, & materiam, & causas actiuas ordine naturæ ad declarationem, rectè fecimus. Nam & sic Augustinus in aliis pro declaratione ad populum rudem processisse Moysen dicit. Idem & Chrysost. vtque omne os obstruatur legant sanctum Ambrosium epist. 31. dicentem de mundi origine. *Sic mundus ipse qui vel primum coactis elementorum seminibus* Resp.

teneri orbe concreuerat; vel confuso adhuc indigesti operis caligabat horrore, nonne posteri distincto cæli, maris, terrarumque discrimine, rerum formas, quibus speciosus videtur accepit? exutæ humentibus tenebris nouum terra obstupuere solem. Quibus in verbis eloquentissimis, ac doctissimis, inane spatium præmittit, atque orbis ortum ex seminibus, quæ sunt calor, & frigus, & moles corporea nobis. Hæc autem semina, vel disiecta fuisse, ac mox vnita opinatur, vel in Chaos præextitisse, natura dico, non tempore, vt in Hexam. explicat. Quod autem potius in Chaos sancta Ecclesia confirmat hymnis, ac patres multi, de quibus in Metaph.

Stantibus ergò his, originem rerum benè descripsi, nec ex atomis disgregatis cum Democrito, quoniam vnitas præcedit numerum. Ergò prius Materia fuit vnita, & postea diuisa in atoma corpuscula & in stellas, nos & illi per coniecturas, & verisimilitudines procedimus nunc, & Chaos mihi fauet. Posito, & non concesso, quod veræ sint positiones Galilei & Copernici, de quibus in nostris Pythagoricis cantamus, tunc pauca in mea Philosophia immutabo.

Quæ nostra dogmata non tolluntur ab obseruatis, Gal. & Pyth.

Stant calor, & frigus principia actiua, ille motus, istud quietis causa: nam in nostro systemate sic video; solem quoque moueri in seipsum, vti nos dicebamus, ac Telesius, contestatur Galileus, & quidem ex natura caloris, quo feruet.

Tellurem ergò nostram non mouebit frigus, sed sensus & Amor, nam animatam esse oportet, vt docet Origenes super Isaiam, & Ambrosius in præfata epistola dicens; *Exerceri in fructus terræ ante nesciebant: post vbi imperare armis solicitus capit Agricola, & veste vinetis, siluestres animos, domesticis mollita cultibus exuerunt.* Idem in Hexam. à Tellure animari prata docet, alias ab igne, & aere, omnia enim sentiunt. Item Esdras in 4. lib. parere, nutrire, & amare, quæ producit, tellus dicitur, & Hier. in 8. Mat. omnis creatura, ait, sentit creatorem. Et Ezech. 10. omnia elementa sentire cum Origene affirmat. vide Apol. lib. de Sensu Rerum. At motus terræ regulatissimus videtur intelligentiæ tribuendus, vel solis vertigini, qua omnia vertit astra errantia.

At si sic est, cur non & Lunam, & medicea, & Saturnia? & cur hæc comitantur alia sidera potius? Procul dubio absque proprio emolumento res vlla vlli colligata non est in rerum natura, vt Anatomes docet rerum, & animalium. Absit autem vt in corpore bruto tanta consonantia, & mutua membrorum emolumenta sint, in corpore autem vniuersitatis rerum, abusus, & violentia. Ergò intellectus pleni virtute tot rotas conuoluunt ad finem à Deo præstitum, non vi, sed sponte obedientes, quoniam spiritus vitæ est in totis. Nam bonum est Lunæ sic circumferri: apta enim est foueri magis à terra, quam à Sole ob suam debilitatem.

Credo etiam in hoc partem habere lumen, & vertiginem instrumentalem. Nam vertigo solis omnes Planetas mouet, viciniores velocius, vt nubeculas illas, & Mercurium; distantiores verò tardius, vt Saturnum. Idem dic de asseclis Iouis, & Saturni, horum vertigini obedientibus.

At quomodo Sol calidissimus in vno mense circuit, Lunáque torpida maiorem ambitum ferè eodem tempore absoluit, frigidáque tellus in viginti-quatuor horis, mirum sanè, nisi fortè decipiatur Galileus. Nam & si maculæ requirunt tempus menstruum, vt Luna, non tamen similiter Sol, sed vt tellus, propinquitas tamen ipsarum ad Solem hoc cogit ipsum enunciare: nec Solis magnitudo id faciat: nam compensabit calor, quod denit granditas. putassem ipsum in decem horis gyrum perficere. Hinc pateat animatum opus esse motus omnes systematum, Dei nutu, sic mouentium: attamen sponte obsequentibus corporalibus naturis.

Interim licèt Tellus moueatur, frigus tamen immobilitatis est causa in nostris entibus, eiusque defensor à combustione. Nam quæ apud nos frigent, immobilitantur, ignique sunt contumacia: erit ergò ne frigus totius terræ globo perfusum? an successione fiat absentia Caloris ex vi sui diffusiua, sitque modicum, & suo tempore extinguendum? & hoc quis scit? Dicemus ne esse caloris priuationem puram? nequaquam; vt patuit in articulo de hoc inquirente: ergo ne frigus in aliis Planetis? vtique si est calor, & eiusdem speciei, quoniam eiusdem Solis calor.

Anne eadem entia, quæ in nostro systemate, & homines? respondi in altero arti-

cælo, & in Metaph. de hoc. Memento quod frigida à se in se mota destruuntur: non autem si in alio, vt in naui: & ab alio.

Origo ergò ita fuit, posita mole corpotea inmensa intra spatium, caloréque & frigore cæpit pugna, vt in textu. Potentissimus calor in medio occupato constitit victor molem occupando, sicque fecit solem: frigus autem vndique fugatum, dispersáque cum materia mistum, collegit crassas partes, quibus se tutetur, fecitque vocatos Planetas, vti de Tellure sola dicebamus; sicuti solet in aëre occupando crassitudines a calore molestatum tonante facere grandines, in quibus calor, & frigus: præualet tamen frigus, & crassities magna: sic etiam fiunt fulmina ferruminosa in aëre nostro, vti Planetæ a principio. Proptercáque videtur magnetica esse Tellus Gilberto: ergo frigus & calor nullam sibi materiam determinant, sed cum sint instrumenta intellectus actiuæ potestatis æternæ, possunt vbique se se amplificare: ergò in aere quamuis calido, & in robore & in copia frigus augetur; nec Tellus eius est principaliter, sed instrumentaliter; ideoque mouetur ipso non obstante. Prius est enim illi esse, quàm frigidum esse, licet per frigus condensans constituta fuerit organicè, tamen præcepto Dei habet esse: sic in sole copia & robur caloris excludit frigus, ac calor in omni materia fit, & in terra, quoniam organum est. Vide Metaph. vbi ideam hominis in carne, & osse sigillari dicebamus: frigoris, & caloris in omni mole. Sidera fixa stent immota in nostro systemate ad alios fines à Deo ordinata, nobis ignotos: haud tamen propterea sint soles. Sol enim candidissimus est in hoc a Planetis seiunctus. Luna enim crocea est, ait Ambros. Mars rubeus, Saturnus plumbeus, Iupiter clarus, Venus argentea; micans Mercurius: at in fixis iidem colores apparent, sicuti Mathematici, & sensus docet. Propterea que de Planetarum natura dicuntur. Capella, & Aldebaran rubræ sunt prorsus, vt Mars: ergò impuræ, calor enim in carbone nigro facit rubedinem, in pura materia, candorem. Arturus fuscus est est: lanx & Algol Saturnum refert: ergò non rectè ponuntur soles, nisi Sol sit systema, cuius tellus à multo lumine occultetur. Canicula enim & Azimech, & aliæ fixæ excedunt solem nostrum in magnitudine: vnde videri possunt soles, ex omni corpore constantes, vti Timeus docuerat. Idem dicit stella noua Thiconis, quę immota stetit mensibus quatuordecim in sedili Cassiopeæ in regione fixarum; & primò Iouem in colore retulit, deinde Martem, tandem nigrescens euanuit: ergò ibi sunt impuritates, quæ non in Sole, sed in Planetis, aut si sunt, latent. Non circumferuntur autem, quoniam à Solis vertigine longe absunt, nec rapi possunt, & Deus alia entia, aliosque thesauros sapiētiæ suæ in illis ostendit. Quotidiana tamen gyratio facit eas videri circulo ferri viginti quatuor horarum spatio. Quis autem scit an centra sint aliorum theatrorum? erat enim rota in medio rotæ.

Nota tendentionem vniuersi suppositis, Pyth. dogmatis.

Præterea illa stella Thiconis non potest in Planetis fixarum fieri, vt diceret ille Nolanus. Nam immota fuit sicut aliæ fixæ: visa autem fuisset aliquam fixam circuire, sicuti Cometæ nostri in mundo inferiori. Mirum tamen est, quomodo Sol noster eas illuminet, & quidem sic est, & docet sanctus Augustinus in lib. de cogn. veræ vitæ, Solem à Deo eminenter illuminari ex sua luce inaccessibili, à Sole verò stellas: maxima ergò frigora in fixis, si tam à longe lucem recipiunt. Hæret hic animus, possunt habere internum calorem, sicut in centro telluris locatur à Pythagoreis: quis autem scit an remotiores minus frigoris sortitæ sint, viciniores plus, vt soli resistant, nec tam cito fabrica mundi prætereat, eiusque figura, vt dicit Apostolus. In omnibus tamen esse generationes, & corruptiones oportet, quoniam, vt ait Apostolus, *Vanitati subiecta est creatura non* Rom. 8.
valens: sed propter eum, qui subiecit in spe, & renouatum iri, ac liberatum prædicit *à seruitute corruptionis*, cum euacuata scena, & theatris, & laruis animarum, Deus omnia meliorabit, vt Dauid prophetarat.

Idem sanctus Ambrosius, & Origenes de Gloria corporum Cælestium, post hanc seruitutem, quam Deo exhibent, declarant, & Chrysostomus super Epist. ad Rom. Istæ autem generationes & corruptiones sunt institutæ a Deo, vt Idealitates innumeræ, & diuitiæ suæ manifestentur in sigillationibus materiæ per tot causas, vt dixi in Metaph. correptas tribus magnis influentiis Dei, quæ sunt Necessitas, Fatum, & Harmonia. Cum ergò Deus lumen solis ad se abscondet in thesauris, tunc omnes stellæ priuatæ lumin-

bus à quibus vertuntur, cessant moueri; vt sapienter docet Origenes super Matth. & stellæ corruent in inuicem, fiet Chaos; & mundus renouabitur ex illo, vt sybilla, & Lucanus, & Seneca ad Marciam, & Hidaspes, & Heraclitus ex parte docent. Ideò Christus ait, *Stellæ de Cælo cadent*, id est de suis locis, & fiet silentium, ait Esdras, & Chaos. Philosophi tamen dicunt ab igne omnia in ignem conuersum iri: sed cum Deus regat rerum habenas, qui fiat, nescimus. Interim doctiora habemus à fide Christiana, & quæ intellectui magis satisfaciunt, quam quæ à Philosophis. Quis scit autem vtrum huius nostri mundi ex fixis ad nos renouatio solummodo fiat, & quomodo res sese habet in aliis.

Ex his clarescit stare philosophiam nostram, nec tolli nisi centrum odij, remanereque centrum Amoris ex obseruatis Galilei; esse tamen pugnam inter frigus, & calorem in nostro systemate, exque illa oriri secunda entia.

Item sidera ferri libere, & artificiosè ab intellectibus, & sponte naturæ per lucis solaris instrumentum, & per innatum Amorem. Obliquitatem stringi ob appropinquationem telluris ad solem: Excentricos, & Epiciclos esse nullos. Lunam in oppositione, & coniunctione eleuari, sicuti prius eisdem de causis, terræque amicam esse, & ex variatis tot luminibus, & resistentiis, fatalem ordinem contexi; & rerum mutationes certas, & tales fieri, quales videmus, vt in textu diximus. Fixas stare, quoniam vertigo solis eousque vires non extendit, in seipsas tamen conuolui: si sunt soles vt Planetas nobis non visos gyro vertant suos. si vero non sunt, vt omnes ipsarum partes à Sole lumen accipiant, vt telluris faciunt partes in motu diario; qui Lunæ communicatus debiliter fit menstruus. Communicatio autem fit per sphæram vaporis, & lucis, vti à luce mouentur rotæ artificiatæ in sepulchris Christi, & veru per fumum quatenus calidum. Non tamen ista fiunt regulatè absque assistente intellectu principaliter operante per eiusmodi instrumenta. Annuum autem motum Planetæ habent à versione solis, quem imitantur in diario; non autem Planetarum Lunæ. Lunas voco asseclas ipsorum; quarum motus nubeculas circa solem imitantur: sed aliæ citius, aliæ tardius. Iudicat Medicearum ecclypsatio Iouem esse opacum, sicuti nostra tellus, lucere autem reflexione lucis ex opaco in vapores continuos, & aquas, si quas habet, vt proportionalitas admonet: si autem opacus Iupiter, quisnam transpicuus, excepto forsan Sole? & solibus?

Nec incusandi sumus, quod non rectè accusauerimus Aristotelem motores stellis abstractos tribuentem. Nos enim eius rationem destruximus, qua dicit, omne, quod mouetur, à distincto, separatóque moueri; ergò & Cœlum: hoc enim solummodo verum est de vectatis, & motis ab arte, & à violentia, non autem de naturalibus iuxtà eius dogma. Nec nos hoc argumento nunc ducimur, sed ex artificio talium lationum. Cur enim non extrà Tropicos fiunt, & cur Poli non fiunt Cardines æquatoris, & in æquatore poli? & cur regulas tales obseruant, quæ rerum generationi, & conseruationi prosit, systemataque non corruunt: hæc & alia indicant esse lationes ab arte Dei destinatis opificibus, & executoribus intellectibus propter finem: de quo in Metaph. Aristoteles autem ignorauit has obseruationes, & artem non contemplatus est, sed naturam in primam causam, necessariam illi, non liberam, & discordiam ponit in cælestibus, & superfluitatem, propterea peccasse videtur. Vnde in 2. de cælo reprobat eos, qui ponunt terram in sideribus, & moueri ab anima dicunt. Vnde est fabula de Atlante cœlum sustinente, quam infœlicem, & negotiosam oportet esse: quod nos non dicimus, quoniam & naturalem motum ab innata vi, & vertiginem astris damus. Regulam autem & assistentiam, vt arte sic fiant lationes ordinisque fatalis executionem tribuimus Angelis sine labore. Neque enim sursum, neque deorsum datur in toto, sed in particularibus systematis respectiuè. Originalis autem, naturalisque est singulis propria regio: opus autem naturæ est superioris artis opus: ergò quod artificiosum est in cæli motibus, do Angelis, non quòd naturale, vt Aristoteles facit: sic & vertigo fumi, & coquus, & ignis assant carnem. Imò vno pilo totum mundum moueri posse in vacuo, & systemata puto, vbi non habent aliorsum propensionem, sic & radus in Metaph. probatur.

Ad primum resp. Remanere calorem, & frigus principia Physica, esseque motus & quietis in particularibus corporibus, & generationibus, per se causas sub fatali ordine: lationum verò vniuersalium, quibus ordo mundi præstat, esse causas instrumentales:

les: Sensum, Amorem, & Vim naturales: intelligentias verò assistentes, & principales. Nec aliquod Totum sine motu esse in Mundo: sed partes tantum intra systemata: vt aqua cum gelatur quiescit: calefacta mouetur. Ordinem mundi alium esse; sed tamen hoc verum, quod calida in peripheriam, frigida in centrum systematis tendunt. extrà nostrum systema aliam esse philosophiam concedo, vt declarauimus, non intra: analogari tamen nostræ.

Ad secundum dico, adhuc frigus contra calorem pugnare, quamuis tellus tota eo foueatur, natorúmque suorum plenitudo. Nec frigus potuisse propriam molem vincere, vt fecit calor. Vnde nec niuem calore toto priuat. Vagum ergò est si in centro terræ nun habet nidum, de quo certauimus in Metaph. corpulenta tamen amat, nec instrumentis primis id disconuenire. Non esse puram priuationem alibi probatum est.

Ad tertium patuit Responsio in hoc articulo. Similiter ad quartum: ad quintum conceditur totum, similiter sextum, & septimum.

Ad octauum, nego fixas esse soles ob causas in hoc articulo dictas, & ob nimiam similitudinem, & vicinitatem: nisi sint compositi soles omnes & systemata: at non propter hoc sint Mundi seorsum, sed scenæ vnius ab vniuersali circulo comprehensi vno vnius Numinis. Vtrùm lunulis ambiantur, dubito, & reuelationem expecto: sed potius affirmem stante hypothesi.

Ad nonum, non potuit casus tam nobilem constituere fabricam. Intellectus noster, & Ars indicant nobilissimum intellectum, & artem mundo præesse: si casu ex nihilo noster intellectus, actiué passiuéque non est, & à causis primis originem trahit: stultum est hominem consilio, mundum verò casu fieri, regique. A quo consilium hominis, cum primum non sit ens, participium trahet? sunt ergò à calore, & frigore, instrumentis artis primæ, constituta sidera, & Sol ex materia, in pugna eorum dispersa, sicut diximus; in spatio immenso, & philosophorum, & Ecclesiasticorum hymnorum, & sancti Ambrosij verbis comprobauimus: totúmque vniuersum ex suis systematibus plurimis constare dico; mutuis emolumentis sese connectentibus, & officiis, vti partes corporis humani: inque omnibus thesauros sapientiæ primæ manifestari innumerabiles, tanquam in theatris, ac scenis multis: & cuilibet systemati plures sub vno duce primò Angelos assistere, iuxtà doctrinam Sanctorum Patrum, & efficaciam rationis. Non enim videntur corpora posse sese sponte regere, & artificiose, & sui gratia, sed cognoscentium substantiarum subesse imperio; earúmque gratia: sicuti ciuitates, & naues hominum gratia sunt, ab eisque fiunt, reguntúrque; & vt nidi, & foueæ, & antra sunt feris. Tot autem rotæ, luces, reflexiones, & materiæ dispositiones, & resistentiæ ordinatæ videntur ad rerum mirificum ortum, & interitum, & hæc omnia tandem ad aliquem finem magnum, de quo vide Metaphys.

Eandem omnium esse materiam Sancti Patres testantur, quibus plusquam philosophis credendum est, in his quæ sagacitate, & diuinatione potius quam syllogismo dicuntur: testatur & lux eadem.

Ad decimum, putatem densiorem à calore, & frigore primariò per vices agentibus, factam esse Mercurij molem, & pertinaciorem cæteris, proptereáque sic resistere: at etiam minus: latere autem, quomodo nos illis propinquemus passim. Neque grauia, neque leuia in suis locis esse systemata, sed partium has esse propensiones: seruare tamen situm pristinum in rerum serie, cæteris mundi partibus sic Fato Necessitate, & Harmonia deuinctis, vt se inuicem cogant sic permanere, & sponte itidem sic velint esse, vt patet in partibus corporis, & pulmonis motu, necessitate, ac sponte sic existentibus secundum artem Dei, & hęc est natura, quæ sine necessitate est Ars: sine spontaneitate est violentia: ex his mista est natura in secundis entibus; in Deo autem simplex est absque necessitate, nisi suæ essentiæ sic essendi innata, non illata. vide Metap. hoc grande negotium est, quod ignorans Aristoteles, accusat omnes Philosophos imperitè.

Ad vndecimum Responsũ est, quòd accipiunt, & dant lucem: eorumque naturæ sua-

O

QVÆST. XI.

DE MOTIBVS CÆLESTIVM.

Vtrùm cælestia corpora moueantur circa medium in peripheria mundi, tellus verò quiescat in medio.

ARTIC. I.

VIDETVR Timeo Locrensi conterraneo nostro, Tellus peremni circulo in viginti quatuor horis rotari in centro mundi, & idcircò videri nobis omnia corpora cælestia viginti quatuor horis circulum absoluere, quoniam idem euenit moto visu ac visibili, vt his, qui naui vehuntur Nautis littora moueri videntur, & qui seipsum rotat, cuncta, quæ sunt extrà ipsum rotare videt, & patet in prospectiuis.

1. Probatur primò, quoniam corpora cælestia disconueniunt in natura, vt patet ex coloribus diuersis, & motibus variis, & influxibus, ergò non possunt in via eademque pariter operatione conuenire, vt simul, & similiter in viginti quatuor horis circumuoluantur: ergò motus huiusmodi conuenit illis ex apparentia visus moti cum terra, & facillimè.

2. Omnes Planetæ mouentur ab occasu in ortum motu proprio, vt patet; Sol, & Venus, & Mercurius in duodecim mensibus. Luna in vno. Mars in viginti quatuor. Saturnus in triginta annis. Iupiter in duodecim annis solaribus: simulque videntur moueri ab ortu in occasum in viginti quatuor horis. At impossibile est idem corpus cōtrariis moueri viis, & motibus: ergò motus ab ortu in occasum est apparens tantum ex eo, quòd tellus mouetur ab occasu in ortum, & ideo in illo videntur motu omnes conuenire. Quod autem aiunt, alterum esse motum violentum, alterum naturalem in Planetis, falsum est, quoniam in cælo violentia nulla esse potest, præsertim quæ superet naturam, & non destruat, ergò potius est alter verus, alter apparens.

3. Ex hac ratione sequitur, quod Sphæra stellata sit immobilis, & quod Planetæ solùm, vel orbes cum eis moueantur, & non in viginti quatuor horis, nisi apparenter, sed in spatiis temporariis memoratis.

4. Hoc rationabile est, quoniam si cælum rotaretur in viginti quatuor horis, efficeret miriadas milliariorum innumerabiles, ita vt in ictu oculi mille milliaria ferè absolueret: Tanta autem corporibus his nullo potest pacto velocitas conuenire, quæ vix Angelo incorporeo concedenda videtur. At tellus in viginti quatuor horis peragrat triginta vnum millia milliaria tantum, quod concedi potest facilius. Sol verò gradum vnum, & Planetæ, vt dictum est, alij plus, alij minus, sed conuenienter: si autem vniuersum est infinitum, vt probatur, cælum finire circuitum posset nunquam, sicut videmus: vnde tellurem potius moueri, fatendum videtur.

5. Sed Philolao Crotoniatæ etiam nostrati, neque vnus motus videtur telluri sufficere propter alias apparentias. Videmus enim manifestè Venerem, & Mercurium aliquando supra Solem, aliquando infra, aliquando ante, aliquando ponè, & circa ipsum gyrare. Sol ergò videtur esse centrum illorum, & non tellus. Similiter videmus Martem, Iouem, & Saturnum, cum soli appropinquant eleuari, & minui lumine, & quantitate, & fieri à nobis distantissimos: cum verò à Sole recedunt paulatim crescere, & fieri terræ viciniores: in opposito situ retrocedere, non scilicet sub fixis, quibus cum commeabant, sed ante illas occumbere, & fieri stationarios, & mox dirigi: passiones autem huiusmodi non possunt cælestibus conuenire nobilis-

finis corporibus: & motus cœlestes, cùm sint omnes circulares, vt nobilitas, & restitutio illorum admonet, oportet secundum apparentiam has facere varietates; & ideo melius est terram ponere vnam ex stellis, quæ in tertia mundi regione circa Solem mundi centrum circumuoluatur: sic enim facilè reddemus rationem velocitatum diminutionum, stationum, & retrocessionum planetis accidentium.

In 2. de Reuolut. & seq. 6. Nicolaus tandem Copernicus horum sectator, & Aristarchi Samij, vt à Francisco Maria Ferrariensi didicerat, hæc docet, & duos adhuc telluri assignat motus, quos librationes vocant, imitans Thebir, & Alfonsum Regem. Quoniam enim videntur stellæ fixæ retrocedere in centum annis gradu vno tempore Hipparchi qui scripsit anno centesimo vigesimo ante Messiam: in Ptolomeo verò annis septuaginta, anno 139. post Christum, in Albategno anno Christi 880. in sexaginta quinque annis gradu vno, & apud alios autores plus, minusvè. Vnde æquinoctia anticipant, & solstitia, vt probat correctio Kalendarij Gregoriani: consequens est vt tellus non perfectè rotetur in vno anno eo motu, quem soli damus in centro quiescenti, sed desint quinquaginta & vnum minuta vnius scrupuli, & propter anomaliam oportet ipsam librari ante & retro.

Et quia Solis obliquitas simul restringitur, oportet eidem secundam assignare librationem, quæ priorem intersecet, fiatque super polis, quę Thebito dicitur Trepidatio: quę si vera sunt, stultè nos terram stare, & Solem, & Cęlum moueri diximus, cum Mathematici aliud deprehendant.

7. Prætereà probat idem Copernicus ex mundi symmetria, quoniam in spatio intra Martem, & Venerem, si nulla ponatur stella, cum sit duarum capax, videtur natura non animaduertisse.

8. Sol nobilissimum corpus Mundi est, & vocatur Sophocli, visibilis Deus; Platoni, filius summi Boni; Origeni, statua Dei: ergò cum simillimus Deo sit, minus quam cætera entia indigens est: ergò cum ipse nihil commodi ab aliis mendicare habet, ac proinde neque moueri: cætera verò quæ eius indigent virtute, circa ipsum mouentur, qui immotus manens dat cuncta moueri, quod & Deo Boëtius tribuit.

9. Cum circa Solem stellæ choreas ducant, oportet ipsum in centro stare, non ergò tellus mundi centrum possidet, neque quietem beatam, sed Sol: quoniam maior est virtus centri, quàm peripheriæ.

10. Quod Sphera stellata sit immobilis, quin & Cælum ipsum, probatur autoritate Lactantij lib. 3. Origenis Periarc. 7. Eusebij Emisseni, Diodori Tarsensis, & sancti Iustini q. 59. & 130. ad Orthodox. & sancti Chrysostomi homil. 12. ad populum, qui autoritate sanctarum Scripturarum hoc demonstrant primò, quoniam Deus vocauit firmamentum Cęlum, ergò fixum stat. Idque S. Augustinus lib. 2. super Genes. demonstratum fuisse à Mathematicis, narrat: nec debere à Christianis condemnari vt falsum.

11. Item Patres multi supra cælum mobile aliud cælum immobile ponunt sedem beatorum firmam: stultum enim putant in loco beato ponere motum, & laborem, ergò non repugnat cælo quies.

12. Item post diem vniuersalis iudicij arbitrantur cælum futurum immobile, & Solem ac Lunam sistere cursum oportere: non ergò sunt ignei naturâ mobiles.

13. Item Apostolus ad Hebreos vocat cælum tabernaculum Sacerdotij Christi, *quod* (inquit) *fixit Deus, & non homo.* Vnde infert Chrysostomus in expositione ibidem, quod Cælum sit fixum, & non mobile, licet stellæ in eo moueantur, vt pisces in mari, quod sanctus Augustinus à Mathematicis sui temporis demonstratum fuisse: & prisci Patres ita esse contendunt.

14. Item Iob ait, Cæli quasi ære solidissimi fusi sunt: solidum autem repugnat motui, ergò fixum est cælum.

15. Item Dauid ait, verbo Domini cæli firmati sunt: ergò firmi stant, neque repugnat cælum, & terram simul quiescere, Astris solum motis, vt inquit Chrysostomus, & Magister Sententiarum in 2. d. 14.

16. Chrysostomus quoque hom. 8. super. Thes. situm, & locum terræ dicit esse ignotum: ergò non quiescit in centro potius quam alibi, vel quam moueatur.

17. Item cunctis cælestibus commotis tanto motu vi sonitus absurdescere-mus: nunc autem nec audimus, ergò, &c.

1. SED Contra eos arguit Aristoteles & Ptolomeus, 1. si tellus moueretur circulariter. Ergò lapides proiecti sursum non caderent ad perpendiculum, quoniam seducta terra per motum in alias posteriores eius portiones deciderent. Item. *Arist. 2. cæli Ptolom. 1. Almag.*

2. Tellus est grauis. Ergò tendit deorsum ad centrum: sed vltra centrum non potest ire. Ergò in eo quiescit; quoniam omne elementum in suo loco quiescit.

3. Item ait Ptolomeus in p. Almagesti neque superne proiecta perpendiculari via caderent. Item.

4. Nubes nullæ starent, sed omnes viderentur ab ortu in occasum tendere, cuius contrarium non rarò videmus. Item.

5. Tellus in viginti quatuor horis tantum spatij absorbens, velocissimè ferretur, & animalia, & homines vi motus à se excuteret. Item.

6. Non semper sex signa Zodiaci supra terram, & sex infra cerneremus, si tellus non esset in centro prorsus in axe Mundi suspensa, vt patet cuilibet consideranti. Item.

7. Æquinoctia non fierent, nisi esset in medio Mundi, neque Poli æquidistarent, neque eadem Poli eleuatio esset Neapoli cum Sol est in Cancro, & in Capricorno; neque solstitia, si desint æquinoctia, & Sol ab Æquatore excurrens ad polos & remeans.

8. Præterea videtur sacra scriptura manifestè aduersari Pythagoricis: quoniam Iudic. 5. ait Debora, *Stellæ manentes in ordine, & cursu suo pugnauerunt.* Item Iosue Solis cursum precibus sistit. Et Ecclesiast. 1. *oritur* (ait) *Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur: ibique renascens gyrat per meridiem & flectitur ad Aquilonem lustrans vniuersa per circuitum, pergit Spiritus, & in circulos suos reuertitur.* Ecclesi. 43. Videtur etiam cælo motum dare, *Gyrauit*, inquiens, *cælum in circuitu gloriæ suæ, manus Domini aperuerunt illud*: & ibidem dat Soli motum, & calorem. Sic etiam Lunæ. Zorobabel verò in 3. Esdræ. 4. videtur motum cælo à solis impetu deriuare dicens. *Velox cursus Solis conuertit in gyro cælum in locum suum in vna die.*

9. Quòd autem terra immota maneat, declarat Dauid Psal. 101. dicens; *qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi.* & Psal. 92. *Firmauit orbem terræ, qui non commouebitur.* & Eccl. 1. *Terra in æternum stat.*

Nos autem tanto in negotio perplexi, hoc solum procerto pronunciamus, quòd sensibus omnibus palam est, licèt in textu plus aliquid ausi fuerimus: quod scilicet, Sol fons sit ignis, vt ex sensu, & Sacris litteris docuit quęstio præcedens contra Aristotelem: Tellus verò frigoris sedes: & quod semper moueatur saltem in se ipsum, etsi non circà terram: Tellus verò quiescat, saltem per se, si quis conuinceret ab Angelis agi circulo; & quod Sol sit pater, & tellus mater entium, quæ apud nos fiunt. Mathematica in reliquis vehementer fauet Pythagoricis, Physica sensata Telesio. At in his quæ de toto cælo pronunciat, nequaquam: nisi soluat omnes dubietates, quibus stellata sphera stare videatur. Verumtamen sacræ literæ illi faueot, solum in motu solis, & Planetarum apertè vt Chrysostomus fatetur, & quod terra stat absque motu diario, non autem annuo.

Sed ad sensum redeuntes, quoniam videmus quæcunque frigescunt, licèt moueantur, motu destitui, & tenuitate, atque indurari, & solidari, & quiescere, idcircò rationabile putamus, terram, si frigida est, crassáque, stare in medio Mundi, sicut & Sanctus Basilius, & Ambrosius opinantur: è contra quæ calor corripit, attenuari, & liquescere videmus, & è duris, immotisque mobilia fieri tenuiáque. Idcircò solem caloris fontem perpetuò moueri affirmamus, ac tenuissimum esse, leuissimumque. De cælo autem, & stellis idem fateri oportet, si eiusdem cum sole sunt naturæ igneæ: nam ignes, & fumos parum ab ignis essentia distantes in cælum ferri, crassa verò, terram petere, densataque, vt non abs re cælestia cum igneo sole conuenire, crassa verò omnia cum terra, affirmemus. Rationes Lucretij, quod tendant sursum extrusa à crassis tenuia, in Metaphysica disputauimus: quoniam longe magis ob co-

medij autem ex ambobus, sed magis minusve pro propinquitate ad lunam & ad fixas. Eandem sententiam sustinet Ptolomeus constanter; sed Aristoteles non sibi cōstat. Quoniam in 12. Metaph. Eudoxi, & Calippi opinionibus tractus: nequaquam à prima sphera rapi, sed ab intelligentia contraria intelligentiæ illi, quæ mouet naturaliter, docet.

1. Sed has sententias facilè est conuellere: primò quoniam oportet assignare duos primos motores: Alterum in luna, quem imitentur alij motores in motu naturali: Alterum in sphera stellata, quem imitentur in violento; siquidem Aristoteles motores dat orbibus imitatores primi. Item.

2. Impossibile est, quòd Planetæ motu naturali tam tardissimo ferantur, vt Sol gradu vno in die: violento verò tam velocissimè vt vno die 360. gradus perficiat: & vbi violentia super naturam præualer, natura non destruatur.

3. Item enim ipse docet in 2. de cælo. *Nullum violentum durabile, & quod semper est, naturale esse*, & in 2. de gener. & corrup. *etiam necessarium esse*. Quapropter irrationale est, quod motus principaliter perennis, necessariúsque, naturalis non sit. Hoc dicere potuerunt Mathematici, qui ex hypothesi loquuntur ad apparentias explicandas: non Philosophi, qui ex rei natura ad veritates demonstrandas. Quapropter imperitè Aristoteles, & non tanquā Philosophus hypothesibus Mathematicorum innititur, à quibus obseruationes tantum apparentiarum discere licebat. Sed quidam Peripatetici dicunt, non esse contra naturam motum raptus in Planetis, quoniam fit à corpore superiori, moto à Deo. Sed nihil dicunt. Etenim quò superius, & fortius est corpus nobilius, eò violentius in rapiendo est: Ergò & in destruendo; neque enim ignis nobilis naturæ à Deo immissus in lignum ignobile, seruat naturam ligni, sed magis destruit, & in ignem vertit.

4. Præterea Aristoteles contra Platonem in primo de cælo, tex. 5. & 7. ponit, quod vnius corporis simplicis vnus est motus naturalis simplex. Ergò alter violentus est in Planetis. Vnde in T. 15. non minus violentum esse igni motum in gyro, quamuis ab Angelis, quàm motum deorsum.

5. Præterea Aristoteles vult motores secundos mouere imitando motorem primum tanquam amatum, & desideratum, vt ait in 12. Metaph. tex. 37. Sed motor primus mouet ab ortu in occasum, & rapit secundos eodem motu. Secundi verò contra nituntur ab occasu in ortum. Ergò non est imitatio, sed contrafactio, & pugna inter primum, & secundos. Ergò non *ponit concordiam in sublimibus*, sicut dicit Iob, sed discordiam. Auerroës verò dicit, quòd motus totius cæli est ab ortu in occasum; partium verò è contra, nec repugnare: quoniam cor mouetur in animali alio simul motu atque animal. Mathematici verò, sicuti homo mouetur in naui contra motum nauis, & formica in rota contrà rotationem. Sed hæc exempla vera sunt in partibus, quæ per se mouentur, & in toto: non sic autem in cælo: lunare enim corpus idem mouetur simul Aristoteli ab occasu in ortu, & ab ortum in occasum, non variis, sed oppositis motibus: sphεrásque inter se distinctas putat. Vnde & cuilibet motui proprium assignat motorem. Impossibile autem est vt à contrariis motoribus aduersis motibus idem orbis simul moueatur, sed ipsum, & aliud in ipso, non est impossibile, vt exempla memorata docent.

6. Præterea cum Aristoteli totum cælum eiusdem sit quintæ naturæ, haudquaquam contrariis motibus donari debuit: sed ratio, qua sic appareat, inuestigari: neque fictis inniti hypothesibus.

Præterea tandem proportio posita ab Aristotele falsa est, quoniam si Saturnus in triginta annis perficit motum naturalem, deberet Iupiter in viginti: Mars in decem: Sol in octo: Venus in sex: Mercurius in vno: Luna in triginta diebus motum absoluere: nunc autem non sic est, quando Sol, Venus, & Mercurius nequaquam differunt in motu naturali. Mars autem maximè subdeficit à Ioue; & Iupiter a Saturno sine proportione vlla, neque ficta: patet ergò, quod nos Timeo melius satisfecimus, nostráque sententia paucioribus difficultatibus scatet.

Ad tertium, negatur consequentia, quoniam, totum cælum mouetur, & stellæ; *Ad tertiū princip.*

velociores autem sunt in peripheria, quoniam à contrario remotiores: quæ verò è centro propinquant magis, veloces sunt minus, ob contrarij impedimentum, & quoniam rotarum natura sic fert, vt patet in textu.

Ad quartum Resp. est nobis in Metaphysica, quod ignis efficacissimus sit, velocissimusque: patet enim à paruo igne quanta celeritate montes, & turres euertuntur, pilæ plumbeæ per bombardas iaculantur: neque est quod resistat ei. Ipsa quoque lux calor est apparens. Calor autem ignis est, quid enim in ferro ignito (in quo ignien-te, & vrente quis neget esse ignem?) inest nisi calor? Videmus tamen lucem ab Orientali horizonte subitò absque tempore in occidentalem vsque præcurrere. Quapropter nihil mirum, si cælum igneum in ictu oculi miriadas miliariorum absolueret: plures namque absolueret, nisi qualecunque impedimentum materia eius vel tenuissima præstaret. At si cælum quamuis igneum, infinitum haberet ambitum, nequaquam posset, credo, in viginti quatuor horis infinitum spatium pertransire. Idcirco mundum infinitum haud esse puto; sed si quid vltra cæli immensitatem Deus posuit, ad illud terminatur cælum, si verò spatium vacuum quis ponat infinitum extra cælum, adhuc motus cæli absolui potest, quoniam se ipsum, partium consimilitudine se continet, vt & Sol, & tellus, & res omnis sphærica: neque indiget pellicula, quam Democritus circumponit: hoc autem dixi ex hypotesi, quoniam Aristoteles putat nihil esse extra cælum, neque esse posse; quod sanctus Chrysostomus deridet, quoniam alia entia, & mundum spiritualem putat reperiri extra mundum nostrum.

Neque linea proiecta ex centro terræ ad peripheriam infinita, si linea esset, vt fingit Aristoteles, posset conficere gyrum; finita tamen posset, & imaginata; sed problema durum est hoc, quoniam videmus partes rotæ vicinas centro, & quæ sunt in peripheria eodem tempore absoluere circulum: illas minoris ambitus, ista maioris, quantumuis longa sit rotæ diameter. Ergò videtur, quod in sphæra infinita non repugnat motus absolutio: sed hoc in Metaph. Hic enim satisfactum est negando infinitatem cæli. Quod autem sit extra cælum, ibi inquirentes deficimus fortasse: quis enim nouit? sed neque nihilum esse quis potest imaginari? Vide lib. 5. p. 3. Metaph.

Quòd per excentricos & epicyclos non rectè, vti nos, reddit causas apparentiarum Ptolomeus.

AD quintum Philolaï Resp. secundum Ptolomeum, quòd Planetæ feruntur super excentricos circulos, in quorum auge eleuantur, in ima verò abside deprimuntur. Et ideò viciniores tunc videntur, & grandiores. Luna verò in coniunctione, & oppositione eleuatur, quoniam excentricus contra ipsam fertur, & bis obuiat illi in Æquatore alio circulo delatæ. Venus verò, & Mercurius habent eleuationem, & depressionem certis in locis cæli perpetuas, & excentricitatem semper eandem.

Præterea addit illis epicyclum, in cuius superiori abside sunt Saturnus, Iupiter, & Mars, quando soli coniunguntur. Ideò tunc altissimi, & velocissimi, quia motus epicycli addit motui excentrici. Sunt & exiguæ quantitatis ob distantiam. Cum verò à sole recedunt, ab epicyclo descendunt passim, & in certis distantiis à sole videntur stare, quoniam conuolutio epicycli aufert à motu deferentis in consequentia signorum; tandem videntur retrocedere, hoc est ire in antecedentia, quoniam in epicycli ima abside sunt & contra ordinem signorum feruntur: & cum soli opponuntur sunt nobis vicinissimi in imo absidis puncto, & maximè in anteriora; mox paulatim circa epicyclum delatis, motus in anteriora decrescit, donec sint æquales cum motu deferentis propter situm medij lateris, & fit quasi statio: cum reuerà nunquam stent. Iterum verò diriguntur cum incipiunt scandere epicyclum, & in posteriora motus apparet, directúsque. Luna vero non patitur retrocessionem, & stationem, quoniam alia lege in epicyclo fertur. At Venus, & Mercurius habent epicyclum

clum sub sole. Idcircò nunc ante, nunc pone videntur, & stationarii, & retrogradi, cum ima abside sunt, veloces verò in suprema, sed non videntur ob solis congressum in vtrisque punctis.

1. Verum hæ Ptolomei rationes (quas Sanctus Thomas etiam à Pythagoricis accepisse narrat in 12. Metaph. credo ex simplici testimonio) inualidę sunt, vt probat Copernicus, quoniam motùm regularem dat planetis in ęquante super alieno centro; quod impossibile est apud Mathematicam.

2. Pręterea epicyclus Veneris, quę spatiatur à sole quadraginta septem gradus, pertingeret vsque ad terram, ergo tangeret terram in opposito Augis.

3. Pręterea Auerroës putat absque vacui interceptione non posse excentricos, & epicyclos conuenire. sed hoc non contrauincit.

4 Prætereà, quoniam epicyclus non est stabilis, scinderet orbes cęlestes, in quibus transfertur. Adde quod multa Ptolomei decreta falsa reperiuntur. Non enim latitudo, neque quantitas inuenitur quanta ab ipso posita est.

5. Item Apogea Planetarum, & ipsius solis mutasse situm iam apparent; similiter excentricitates imminutę sunt, & ad terram planetę viciniores iam facti sunt: obliquitas quoque solis restricta est à Ptolomeo ad nos minutis ferè viginti quatuor.

6. Prætereà neque reddit rationem, cur Sol non retrocedit, neque luna.

Propterea Copernicus ad antiquas Philolaï hypotheses recurrit, quas nos in quatuor libris de motibus Astrorum infirmauimus. Aristotelici putant posse reddi causam appparentiarum per circulos homocentricos, vt Fracastorius, & Ioannes Baptista Amicius Consentinus, quos falli pallam est. Quoniam Aristoteles neque considerauit apparentias, nimisque rudis fuit in Astronomicis: quidquid audiebat ab aliis scribebat, vt patet ex. 2. cæl. & 12. Met.

Nos autem in textu satisfecimus Philolao, dicentes à solis luce in congressu eleuari Planetas, & tardiores fieri, quoniam circulum maiorem describunt; dici autem à Ptolomaïcis velociores, quoniam in consequentia signorum magis subdeficiunt; nos verò omnes motus in anteriora posuimus. Quapropter prout à sole recedunt, breuiorem facere circulum, & in descensu videri stare, & in ascensu, quia ad nos tunc motus est quasi rectus, & adæquatur motui fixarum ex quantitate descripti circuli: in oppositione verò in anteriora velocius ferri, quoniam in angustissimo sunt ambitu citius peragrabili.

Diximus etiam cur luna secus se habet; & eleuatur in oppositione: & quomodo Venus & Mercurius circa solem feruntur: & ideò videri aliquando super, aliquando ante, aliquando retro: & quomodo omnes Planetæ præter hanc differentiam habent in quadam cæli parte alterum Apogeum; & Perigeum ex cæli consensu, & externorum systematum: & conuincitur Ptolomeus in eo, quod Venus & Mercurius etiam supra solem aliquando videntur, & conuincitur Plato, & Aristoteles, qui supra eos ponunt, quoniam & infra videntur.

Positionem verò Copernici conuellimus tum ex rationibus secundæ classis, tum quoniam luna terram habet pro centro; ergò forsan & alij planetæ: tum quoniam inter Saturnum, & spheram stellatam immensum spatium est non frustra, vt Thico metitur; tum quia librationes illas, falsas inuenimus & anomalias ab eo positas, & reuersiones excentricitatum, & obliquitatis, fictas reperimus; semper enim planetæ descendunt, & semper obliquitas restringitur. Tum quia etiam latitudo fixarum mutatur Thicone teste; quod negat Copern.

Tandem tribuimus planetis duplex centrum Amotis scilicet, & hoc est in sole: & odij, & hoc est in terra. Ab illo vigorem captant, in hanc offendunt; ideò varietas motuum in eis. Nec mirum, quoniam vt obseruat Galilæus circa Iouem quatuor alij planetæ conuoluuntur, & tamen insimul cum Ioue circa solem, &

terram reuoluuntur: sic possunt circa solem & terram alij rotari.

Admiror artificium Dei in horum sympathiis, & antipathiis, & ordine; & Ideò rectè dicitur Iob. 38. *Quis narrabit rationem cælorum?* vide memoratos libros de motibus Astrorum, & 3. p. Metaph. nostræ, facilis est nobis responsio, quoniam stellas per se ferri asserimus, & non orbibus. Mathematici hypotheses respiciunt proprias, non naturæ decreta.

Ad sextum Copernici Thebit & Rex Alphonsus adducunt spheram nonam, quę octauam rapiat, & planetas; ponuntque circellum in capitibus arietis & libræ stellatarum, descriptum à libratione, & gyro nonæ super octauam, cuius diametrum faciunt octo graduum. Hinc in punctis adęquant, & conuenire faciunt Zodiacum nonæ cum Zodiaco Octauę. In punctis verò latitudinis ad polos Mundi spectantibus, disconuenire: & ideò restringi, & dilatari obliquitatem. Itemque in consequentia, & in antecedentia fixas vicissim ducunt.

1. Sed hę fictiones à Copernico reiectę sunt; quoniam non octo, sed viginti octo gradus iam recessit æquinoctium à prima Arietis stellati.

2. Item Anomalię reuersio in 3500. annis pro medietate circelli posita ab Alphonso, iam in 1717. reuersa est. Semper tamen æquinoctia, & solstitia excurrunt in posteriora. Item obliquitas adhuc restringitur, quam oportebat in polari limite dilatari iuxta hypothesim. Propterea Copernicus dat telluri librationes istas, & earum anomaliam complet in 1717. annis.

Nos autem videntes ęquinoctia semper anticipari, & decrescere excentricitates, & obliquitates, & harum passionum trium irregularitatem esse eandem iisdem in temporibus: neque solem vnquam sursum reuerti, neque obliquitatem ampliari, neque fixas in antecedentia reuerti, sed tantum tardari, & accelerari, quem ponunt in consequentia motum; Copernici hypotheses reiecimus in memoratis commentariis, adducendo plures insuper contra ipsum rationes, & ab vno solis descensu ad terræ vstionem iuxta sui naturalem auiditatem à Deo inditam, & prophetiæ Sancti Petri veritatem, reddimus Physicas causas harum passionum. Siquidem descendens sol minus expatiatur ab ęquatore, tum quia minus indiget ad opera sua tuenda ad polos ob vicinitatem potentior, tum quia breuiori ambitu delatus, nequaquam ad easdem fixas visionem sui refert.

Æquinoctia verò anticipat, quoniam sicut luna tribus minutis in die anticipat sectiones eclypticæ: sic Sol alibi intersecat, & ante consimiliter, septuagesima ferè parte vnius minuti singulis annis Æquatorem, quoniam ante peragit, quàm temporibus prioribus, ambitum suum: & ideò latitudines fixarum variari, quod tamen ignotum fuit Copernico. Nunc autem Thiconis opera patefactum, quod & nos absque obseruatione ita esse contendebamus. At non nisi quantùm Ecliptica inclinatur ad Æquatorem. Cur autem declinatio, & longitudo mutetur fixarum, grandis consideratio est. Vide libros nostros iam memoratos. Planetæ enim & Sol per se mouentur in ęthere: Mundi autem machina situm fortè mutat: Profectò omnes planetas suos tropicos & sectiones facere, sicut luna: ipsumque solem licèt diuturniori tempore, ostendimus in textu, & in Met. vnde fortasse aliter Philosophandum putasset Copernicus. Ibi vide & symptomata Mundi per ignem interituri: sed neque quia certissimas rationes horum ignoramus, motum telluri dabimus, cuius natura motum vnum exhorrere videtur, nedum multos.

Neque quia est rotunda, moueatur in rotundum, vt Copernicus arguit: nam & Sol rotundus & fixæ rotundæ ipsi videntur immobiles. Rotunditas ergò non semper propter motum est, sed vt se vndique colligant, & seruent ab inimico.

Ad septimum non est cur aliam stellam inter Martem, & Venerem Copernicus desideret ad symmetriam Mundi; quis enim scit, an quod nobis concinnum videtur sit incongruum: quemadmodum si quis putet cancs velociores si crura haberent recta, & non obliqua, vti habent? Plato quoque putat exactam esse symmetriam prout

ab ipso construitur. Aristoteles suam quoque iactat; & nuper Thyco suam; sed stulti sunt, qui fabricam vniuersi struunt, potius, quam inuestigent. Dicat Copernicus nobis, cur inter Saturnum & stellatam sphæram spatium inane natura posuit excedens 700. vicibus illud, quod inter Martem, & solem Ptolomeus statuit?

Ad 8. Resp. Quod Sol artifici comparatur, tellus materiæ. Artifex autem circa materiam negotians se mouet; Materia autem iacet: neque Deus est immotus operatione, qui attingit à fine vsque ad finem cunctis mobilibus mobilior, teste Salomone: sed passione: operatio autem melior: est otio, vbi labor abest. Vide Metaph.

Ad nonum, verè censemus circà solem planetas rotari: sed non propterea ipse erit centrum Mundi: nam luna Copernico circa terram versatur proprium centrum, non tamen tellus est Copernico Mundi centrum, sed lunæ ob sympathiam: sic & Galilæo quatuor planetæ Medicæi circumdare Iouem, vt proprium centrum, videntur; haud tamen propterea, Iupiter est Mundi centrum illi, neque Astronomorum cuipiam. Oportet quoque existimare, quod circà plurima alia systemata, & stellas magnas, aliæ stellulæ circumuoluantur: omnes tamen planetas circa solem; solem verò circa terram, quod est centrum odij, vt satis in textu patuit. Tellurem verò esse centrum sphæræ stellatæ, multæ rationes docent: neque tamen propterea erit vniuersorum medium centrum, vt ad pauca respicientes Aristoteles, & Auerroës putant. Melius ergò Chrysostomus situm terræ ignotum esse fatetur. Quod mobilia motu, & quiescentia naturaliter, quiete beentur, dictum est prius. Centrumque amoris plus virtutis habere putamus sua peripheria, non autem centrum odij, quale est tellus. Quæ nec lunæ est centrum Amoris; nisi luna sit ignobilior tellure, vt obseruatio Galilæi annunciat. Itaque Sol Amoris centrum nobilissimum est eorum, quorum est centrum, non autem simpliciter omnium, alioquin Iupiter nobilior esset sole, nondum Medicæis Astris.

Ad decimum Resp. Quod Chrysostomus existimat vniuersum cælum fixum stare, stellas vero omnes intra cælum per se moueri, sicut aues in aëre: ordinatè tamen quoniam nullis passionibus nouis, vti aues, adiguntur extra ordinem. Nos quoque cum eo fatemur stellas per se moueri, neque esse in eo sicut nodi in tabula, quemadmodum placuit Aristoteli: neque plures sphæras se consequenter circumdantes; dici tamen cælos plures in sacris, vel quia hoc vocabulum non habet singulare apud Hebræos, vt docet Theodoretus, sicut neque apud latinos singulare, nuptiæ; vel quia regiones plures distinguimus raritate, crassitie, pro elongatione, & propinquitate ad terram, sicut etiam dicimus orbem terrarum pluraliter. Mouetur tamen totum cælum ab ortu in occasum, quia calidum est, torpere non sustinens: non tamen ita velox, vt sidera copiosiori, robustiorique calore prædita. At quod sphæra stellata moueatur in gyrum, lactea via ostendit Telesio, quæ densiuscula eius portio videbatur: sed postquam Galilæus prospexit esse stellularum minutarum ad inuicem reflexionem, quæ lac repræsentent, quod olim Albertus putarat, possumus quidem & motum, & tam velocem motum stellatæ sphæræ auferre: quocumque enim eant sidera, secum eandem deferunt lucem; sicut lucernæ omnes manifestant, & reflexionem ad inuicem eandem, si ordinem non mutent; radius sic in aqua immota motus, moueri videtur: immotus verò in fluuiali mota permanere. Autoritas verò qua cælum vocatur firmamentum, non forsan conuincit: quoniam firmamentum illa est quædam aëris crassities: primo enim dic Moyses dicit, post factum cælum & terram, factã esse lucem. Secundo verò dic firmamentum diuidens aquas ab aquis; ergò, vt rectè forsan Sanctus Basilius monet, de aëre loquitur, qui cæli firmior est pars, non de cælo iam facto, dum firmamenti productionem declarat. Et Esdras lib. 4. cap. 6. id docet, dum ait, secundo die factum esse spiritum firmamenti; spiritus autem aër est, qui vocatur nomine loci locatus propter quandam fixionem ex impuritate vaporum, quorum pars fit Aqua

super aërem, pars infra: ideò dicitur diuidere aër aquas ab aquis; sic volucres in firmamento cæli dicuntur volare in sacris libris, & Sol lucere in firmamento. Nota quod patres nostri quærebant rationes, quibus firmarent cælum stellarum ad mentem Moysis: nostri autem quibus mouerent.

Ad vndecimum Resp. Quod de cælo illo supra spheram mobilem immoto, nihil scimus, nisi per reuelationem: non enim sensus aut demonstratiua ratio, eousque pertingit, posse tamen existere nil negamus, & illud, & alia entia multa: sed illud cælum stabile, igneum esse negamus: quies enim igni mors est. Deus autem substantiam nouit.

Macometus facit cælos de pretiosis lapidibus, & auro, &c. sed deliria sunt eius dicta, quoniam tam solida entia moueri tam velociter nequeunt. Si verò stent, & quomodo, & qua ex substantia, nescimus, nisi Deus reuelet. At neque Beatis stabiles sedes propter fælicitatem, quis dabit. Nam nihil vetat motum esse fæliciorem quiete, quibus est viuificus, vt igni. Impassibiles autem Beatos in stantibus, & in mobilibus sedibus, manere posse scimus: neque enim in naui mota non operamur, & tellus reuoluta Copernicæis stantibus nihil obstat; quin motus vitalior quiete sedibus Beatarum vitarum non videtur negandus: oportet totum, & partes considerare.

Ad duodecimum Resp. Quod expleta rerum secularium periodo, cessabit motus cæli ignei, dante Deo nouam propensionem igni. Autor enim naturæ immutat naturam non destruendo, sicut naturalia contraria faciunt, est autem id omnibus naturale, quod & ad quem vsum instituit Deus, & quomodo, & quando. Throcho puer dat motum pro tanto tempore violentum; cur non sic Deus naturalem cælo?

Ad decimum tertium Resp. Quod Deus fixit cælum, non quia immobile fecit illud, sed quia in hoc situ posuit, vt extra ferri non possit. Sic Rota mobilis dicitur fixa in suo centro, & tabella in clauo, quamuis circumuoluatur; potest quoque cælum dici fixum, respectu stellarum, quæ in eo velocius agitantur: sic mare dicitur fixum, pisces verò mobiles, quamuis & mare moueatur alio motu. Ita Chrysostomus, & Pythagorici, & Mathematici, quorum meminit Augustinus probant stellas per se moueri, & non rapi à cælo, sicut nodus à tabula. Sed profectò non potuere Mathematici probare stellati cæli fixionem, nisi ex stellarum fixione, vt suo in loco demonstramus, & Pythagoras genere Iudæus teste sancto Ambr. & Clem. Alex. vel ex Mose accepit firmamenti fixionem, vel ex stellarum suarum impossibili motu.

Ad decimum quartum dicitur, quod cæli dicuntur solidissimi ob molis magnitudinem non ob crassitiem duram, densamque. Sic enim nil ferè moueri possent. Dicuntur fusi, quasi ex ære, non duri: quoniam sicut æs funditur in fluores mobiles, tenuésque, sic densa materia in cæli tenuitatem sparsa fuit caloris vi. Neque enim æs, nisi à calore funditur, & sanctus Basilius docet, quasi ex fumo factum cælum: & sanctus Augustinus ex aqua fusa in tenuitatem. Dicitur tamen solidum hoc est fixum, sicut omnis rota, quamuis mobilis in suo centro figitur.

Ad decimum quintum Resp. Quod cæli dicuntur firmati super suo centro, & in suo situ, non autem densi, & indurati. Dicuntur in alio textu consolidati eadem ratione, qua supra. Dicuntur quoque firmati, idest fabrefacti, aliàs fabricati per similitudinem ad artifices murorum; sic Lucretius vocat cælos *flammantia mænia mundi*.

Ad sextum decimum Resp. ignotum esse situm terræ, quoniam tempore Chrisostomi Antipodes ignorabantur. Ideóque alij putabant terram esse super aquas natantem. Alij non extare cælum intra terram; alij ipsam in centro; alij cum Pythagoricis in peripheria locabant. Quapropter rectè situm eius ignotum existimauit: nunc autem solum scimus, quod vndique à cælo, & sole, & stellis circundetur, quod S. August. & Lactantius negarunt; sed quem habet respectum ad totum vniuersorum

entitatem quis ſcit, cum & Solem, & Iouem aliquorum entium centra eſſe videamus? ſuperbè, ac ſtultè homo de his, quæ ſuprà Lunam ſunt ſępè pro certo enunciat, vbi à Deo non docetur, nec inſtrumenta ſufficiunt.

Quòd motus cæli ſit ſonorus contra Ariſtotelem.

AD 17. Reſp. Ariſtoteles quod mouentur quidem cæli omnes, non tamen edunt ſonum, alioquin obſurdeſceremus: hoc dixit contra Pythagoram, ſed tamen Iob 38. *Quis, ait, enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire facit?* Et ſæpè de cæli harmonia fit mentio: quod & Sanctus Auguſtinus non negat. Licentius autem diſcipulus eius eam carmine deſcribit, & patres multi docent: Ratio quoque. Omnis enim ſonus eſt motus: & omnis motus quando & quibus auditur, ſonus eſt, ſurdus natus motum campanæ, & percuſſionem videt non autem ſonum, ſed omnem motum eſſe ſonum oportet, licet non ab omnibus audiatur.

Quapropter impoſſibile eſt, quin cælum ſonet, & valdè; non autem rugiat, & tonet, vt obſurdeſcamus, ſicuti Ariſtoteles putat, niſi Maconettanis, qui de lapidibus, & metallis illud componunt: ſonat autem, ſicut Aer, ſumma velocitate permotus, eius autem harmonia nobis non eſt proportionata: quoniam neque Aſinus lira gaudet, ſed ruditu Aſini, & ſerpens ſybilo ſerpentis, & Auis auium vocibus oblectatur. Sonus autem cæli animabus ſuper aërem noſtrum craſſum eleuatis percipitur ſuauiter, alioquin non penitus perciperent motum, ſed ex parte, vti nos qui videmus motum, non autem audimus: ſumus enim ſub craſſo aere, qui ad ſuperiorem eſt, quale mare ad aërem noſtrum; qui autem ſunt ſub aquis maris noſtram muſicam non percipiunt, at ſonum; ſic nos, quæ ſupra noſtrum aërem videmus tantum, quoniam lux magis, quàm ſonus extendit, penetratque.

Prætereà ſonus aëris noſtri cognatus eſt nobis, & innatus ita, vt alium ſuperioris ordinis non percipiamus; ſic molendinum incolentes & cataractas Nili, ſermonem noſtrum, niſi fortiter clamemus, non percipiunt, à maiori, & connato præoccupati.

Reſponſio ad Rationes oppoſitas etiam.

QVoniam rationes oppoſitæ, neque demonſtratiuæ ſunt omnes, & res tanta reuelationem expectat, oportet, & illas ſoluere, quamuis fauentes nobis.

Ad primum quæ eſt Ariſtotelis, Reſp. ſecundum Copernicum, quòd ex tellure noſtra, & mari, & aere, tota vſque ad Lunam, & ſuprà Lunam, conficitur natura orbis vnus magnus, quaſi vnus paruus per ſe mundus (& idem oportet ſecundum Pythagoricos de ſtellis affirmare, quæ ex terra conſtant, & mari, & aere, in quibus lucem ſolis excipiunt) orbis autem magnus mouetur motu annuo ab occaſu in ortum oblique & cum eo centrum eius terra noſtra ſimul: quæ inſuper habet alium motum proprium de ſe diarium, quem conficit ab occaſu in ortum in viginti quatuor horis, & mouetur ſicut cor intra animal per ſe, quaſi alterum animal. Quando igitur terra ſic rotatur rapit etiam ſecum hanc aeris portionem proximam. Idcircò quæ ſurſum iacimus, reuertuntur ad perpendiculum, quoniam duplicem motum habent, alterum communem quo & ipſa rapiuntur ab aere in ortum ſimul, alterum rectum ſurſum, deorſúmque proprium: ergò patet qualiter ad idem reuertitur punctum, vnde proiicitur. Egò id intra magnas opertas currentes naues expertus ſum, proiiciendo ab imô ad tectum lapidem, qui rectè deorſum decidebat, non autem ad ſitum poſteriorem puppim verſus.

Quòd Grauitas & leuitas non sunt naturæ rerum particularium, sed cuiusque rei propensiones, & appetentiæ impetus, contra Aristotelem.

AD secundum Resp. Plato cum Timeo, quòd graue, & leue non sunt passiones reales, sed respectiuæ. Nos enim dicimus graue, quod infrà fertur sub nós: leue, quod supra sursúmque effertur. si autem pedes in cælo, & caput in terra, sicuti planta haberemus, diceretur ignis grauis nobis, terra verò leuis: patet quoque, quoniam Antipodes putant nos capite deorsum cadere debere, nos vero illos, & hoc quidem inani argumento Lactantius, & Augustinus negauerunt Antipodas extare. Quapropter existimandum est grauitatem esse impetum naturalis appetitus ad locum suum, & ignem grauare sursum, terram verò deorsum; nam si bilances tenens quispiam cuius pedes in cælo, caput ad terram, ponderare posset ignem, grauiorem diceret illius lancis portionem, quæ sursum magis propendet: & Deus dixit ad Esdram: *Pondera mihi pondus ignis.* Et in Sap. 11. *Creauit Deus omnia in numero pondere, & mensura.* Ergò & ignis ponderat, & Iob 28. *Qui fecit*, inquit, *ventis pondus, & aquas appendit in mensura.* Et profectò venti leues sunt, si tenuitatem spectes: si verò pondus, graues. Alij enim ad Austrum, alij ad ortum impetu ponderant. Grauitas ergò videtur esse propensio, & non crassities, & molis onus: nam præterea lapillus in aqua grauat, quoniam ad solum consimile immergitur, lignum verò ponderosissimum in aëre, non ponderat in aqua, quoniam aëris similitudine cum sua tenui portione intra crassam occlusa, detinetur: imò lignum vi in fundo maris retentum, remota vi grauat sursum magno impetu: patet ergò grauitatem esse propensionem appetitus natiui rerum; non autem crassitudinem molis, vt putat Aristoteles: crassiora enim non magis ad centrum afficiuntur, hoc & nos in Metaph. docuimus, neque quia omnia crassa ad terram pergunt, etiam minimè terrea, sed accensa, vt carbones. non erit appetitus rerum grauitas. Nam vt in quæstione de materia docuimus, motus calidorum deorsum non est motus, sed casus, delapsúsque materiæ non deuictæ ab alterutro contrariorum cupientis substentaculum exterius, quoniam se ipsam sustentare nequit, neque aëris tenuitas id potest: ergò terra ob soliditatem appetitur.

Cum ergò Aristoteles dicit oportere terram in centro mundi esse, quoniam omne graue tendit ad centrum, fallitur mirificè: nam omne graue tendit ad locum sibi consimilis entis, siue in centro illud, siue alibi sit: non autem ad omne consimile, sed ad vniuersitatem suam, quoniam conseruandi sui gratia cum consimili ad consimile tendit; & à parte abstracta à sua vniuersitate, & ideo oppugnata, non seruatur vlla pars, sed in toto. Ideo telluris partes ad totam tellurem tendunt, & Aquæ ad mare, & ignis non ad alterum viciniorem ignem, sed ad cælestem magis. Et tamen omnes simul vnionem appetunt, quoniam consetuationem systematis sui appetunt: ergò concentrationem, ergò centrum, vt duplex sit pondus, alterum ad totius salutem in centrum commune: alterum ad partium salutem, vt in situm formati corporis partiali forma eò propendentium. vide Metaph. p. p. lib. 2.

Stat autem terra in medio cæli vndique fugiens ab inimico: nam particula eius in aëre posita mouetur donec ad totum suum redeat, cum tamen de natura eius moueri non sit. Neque quia non est amplius vltra locus, quo se moueat, quiescit in centro; sed quoniam hoc est illi vtile, & naturale ab origine sua. Neque enim omne elementum quiescit in loco suo, nisi sit natura immobile: mobilia enim elementa in suo loco mouentur, vt dictum est. Perperam ergò Aristoteles in 3. de cælo docet, terram quiescere, quoniam distat à cælo maximè, neque proinde motus fælicitatem à primo motore editum participat: estque sicuti ens mortuum: nam potius quiescit, quia sibi fælicior est quies, quia naturalior, ciusque principio constitutiuo frigori congruens. Si enim natura mobilis esset, vtique & in centro moueretur, sicut cor in animali in gyrum; vel si rectus illi esset naturalis, in loco posita fuisset, in quo semper rectum edere motum posset, neque enim rerum naturas contra naturam Deus Autor naturæ locauit. Imperitè quoque asserit in

lib. de causa motus animalium, quod terra det motum cælo, immobile ens mobili; sicuti si quis diceret, quod glacies dat calorem igni: & licet accidat circa terram cælo moueri, vt ipsam destruat, nobis non tamen à Terra, sed à suo calore mouetur: vtrum autem situs terræ sit centrum totius mundi in 3. p. Metaph. docebimus, & quod omne systema proprium habet centrum.

Ad tertium Ptolomei argumentum Resp. Copernicus sicuti ad Aristotelis primum.

Nec Thico videtur mihi satis responsionem improbasse.

Ad quartum de nubibus eadem responsio datur, sed profectò difficilè imaginari licet, quo pacto nubes per se ab ottu in occasum feruntur, si ortum vi raptus petunt.

Item pilæ bombardarum longè plus in ortum emissæ ferrentur, quam in occasum, si aër adiuuat, vel si subductio terræ fiat, distantiam in grandiorem absque comparatione in occasum iacerentur: nunc autem æqualitatem experimur.

Præterea mare in ortum flueret à terra delatum: at nunc rotum fluere in occasum semper experimur; & naues ab Hispali citius in Iucatam, quam e contra feruntur.

Ad quintum Resp. Copernicus, quod motus telluris naturalis est, cognatusque rebus in ea genitis, perpetuusque, idcircò seruat non excutit illas.

Ad sextum Resp. Copernicus, quod magnitudo octauæ Sphæræ est immensa ad terram comparata, non solum qua ratione voluit Ptolomeus diametrum terræ esse quasi punctum. Vnde quamuis simus extrà centrum terræ 3500. miliaribus ferè, nihilominus videmus semper sex signa supra, & sex infrà terrarum horizontem; sed longè maior est Copernico, & quasi infinita, ita vt distantia ab extremo vsque ad extremum orbis magni, intra quem terra continetur, sit quasi punctum insuper & distantia oppositæ extremitatis exterioris orbis magni ad Solem centrum totum sit quasi punctum, idcircò tellus licet adeò distet à Sole centro mundi, tamen æquè, ac si in centro esset, videmus semper cæli extremam medietatem super horizontem, vt patet per prospectiuam, quoniam distantia inter nos ad aliquid remotissimum collata est nihil ad visum. Forsan & Refractio quæ sunt paulò infra, facit videri supra horizon.

Sed hoc Copernici assumptum incredibile videtur, quoniam distantia terræ ad solem est in Apogeo 1182. ferè semidiametrorum terræ, quarum quælibet videtur Thyconi 5400. milliaria Germanica continere: tot autem milliaria esse quasi punctum quis credat? licèt Plinius dicat mundum esse similem infinito, intelligit de partibus, & supra octauam Spheram possibilibus.

Præterea Sol excedit terram in magnitudine 166. 36. vicibus secundum Copernicum: stellæ verò fixæ primæ magnitudinis excedunt terram sexaginta duobus tantum vicibus Thyconis mensura. At si tantæ molis esset Sphera stellata, & à Sole ad terram spatium sit illi quasi punctum, tunc Sol esset longè minor, quam stellæ primæ, & etiam secundæ magnitudinis, quod nemo Astronomorum forsan concedit; sicque tanta est virtus, & diuinitas Solis centri, quantam Copernicus admiratur, neutiquã poni debet minor stellis circumferentiæ, sed longè maior, probabiliter loquendo, quia demonstratio in his desiderari tantum potest non haberi. Nec Copernicus fixas dicit esse Soles, nec enim purus sunt ignis, quoniam non puræ albæ: nisi & in Sole terram ponat cum Nolano, contra quem alias diximus.

Ad septimum Resp. Copernicus eadem: si enim tanta distantia à Sole ad nos est quasi punctus, manifestè eadem eueniunt, ac si tellus esset in centro ad octauam Spheram relata. Æquinoctia verò fieri oportet in Ariete, & libra; quoniam telluris motus in orbe magno est Obliquus ab Austro in Aquilonem deflectens: imò rectus est, sed obliquus est motus terræ diarius, quando ex obliquo motu orbis magni succedunt solares paralellæ in terra, ipsorum in medio fit Æquinoctium. Excurrit enim terra vt influentiam solis vbique sui concipiat neque requiritur solis excursus; siquidem idem euenit moto igne, atque ignibili per varias facies, & fascias; motum igitur annuum habemus ab orbe magno, diurnum à tellure in eo.

Hæc tamen responsio, vnde Copernicus Epicyclos superiorum Planetarum aufert, patitur inconstantiam: nam Cometæ, qui fiunt intra orbes Planetarum, vt obseruat

Thyco,non patiuntur duas stationes,& retrocessiones,sicut Planetæ obnoxij motui telluris annuo per Copernicum: ergò falsum est,quòd ex commutationibus Planetarum ad motum magni orbis tales passiones accidant: ergò neque tellus ita fertur in orbe magno. certum tamen est ex eiusdem obseruatione,quod Cometæ solem habeant centrum, potius quam tellurem: illi tamen,qui supra Lunam fiunt.Ergò rectius forte nos docuimus,quòd Sol sit centrum Amoris Planetarum,& terra odij,atque inde Physicas apparentiarum causas reddimus in textu.eisdem de causis poli eleuatio videtur immutabilis.

Nunc ad sacras autoritates respondentes dicimus, quod stellas in cursu suo pugnantes,potest Debora Planetas intelligere,non autem fixas.

Ad secundum,quod Iosue precibus motum Solis dicitur detinuisse ad nostrum sensum,dum terræ transnauit motum,sicuti si quis nauem sisteret, littus, quod videbatur aufugere, stetisse diceretur, iuxta Virgilium. Prouehimur portu,terræque vrbésque recedunt: sicuti sanctus Chrysostomus,& sanctus Thomas dicunt Mosen de Luna luminari,& de multis locutum secundum quod sensibiliter apparent, non secundum quod sunt. Verùm ego puto hanc responsionem duram esse, neque enim Scriptura Dei glossanda est ad sensum nostrum,nisi vbi manifesta sensatione contrarium habemus; vt cum dicit Deum indurasse Pharaonem,quoniam demonstratum est Deum non esse mali causam,glossamus,permissiue,& quia non dat gratiam: sed cum sensus soli motum, & ipsa ratio det,non minus mihi videtur extortum auferre motum illi cum Copernico, quam calorem cum Aristotele,quem sacræ literæ & sensus ei tribuunt.

Ad tertium eadem glossa Ecclesiasten alij contentum putant. Nam & duo luminaria Deus fecisse dicitur,& stellas; & tamen Luna longè minor est multis stellis, & non luminare, ait Sanctus Thomas & Chrysostomus,nisi secundum sensum nostrum,quibus est vicinissima; sed eadem ratione refellitur glossa ista.Luna enim dicitur luminare maius stellis respectu ad terram,& ita verè ad terram est, & videtur secundum visum mortalium,proptereà recipit glossam. At quod Sol non moueatur in obliquo circulo,& parallelas describat,neque sensus,neque comparatio, neque vsus mortalium habet, & ideò scriptura torqueri non debet. Neque hoc ignorasset S. Ezechias doctus Astronomus, quando Solis retrocessum per decem lineas impetrauit, & à Caldeis Astronomis Regis nomine super portento hoc consultus est per legationem solemnem.

Ad quartum eadem glossa licet reiecta,posset responderi, neque tamen scio,an ly cælum,sit in nominatiuo,vel in accusatiuo casu,vt Cursus de quo loquitur tex. ipsum gyrare dicatur sicut videmus sæpè in Solis opposito nobis motis ipsum moueri,non habeo ad manus Biblia Græca,neque Hebraica,neque expositores sacros.

Ad quintum ly conuertit,potest non esse transitiuum verbum,vt idem sit,quod gyrat. At neque diffitendum est,quòd calor Solis non modo mare in gyrum ab ortu in occasum moueat,vt infra docebimus,sed etiam aërem, & æthera, quæ & si per se mouentur,à calore tamen Solis plus mouentur: gyrante igne sub feruente caldaria gyrat & aqua feruens in ea.

Ad rationem, qua terra immota ex psalmorum autoritate probatur, posset quis respondere,quod secundum motum rectum sit immota,sed violenta est responsio: cum verò dicit Salomon,terra autem in æternum stat, palam loquitur de statu totalis incorruptionis,dum alia generantur ex ea, alia corrumpuntur,ipsa semper secundum totum incorrupta basis eorum stat.

Quod autem Bodinus putat terram ex eorundem psalmorum autoritate fundatam super aquas: irrationabile est,cum tota vndique tellus appareat, & in suis vallibus recepret aquas. Antiqui hoc dicere potuerunt,non autem ipse recens post Columbum scriptor.

Dicit etiam Psalmus, *Super maria fundauit eam, & super flumina &c.* Nihilominus scimus flumina esse super terram ex Moyse, & sensus testimonio. Ergo glossandus erat Dauid ad sensum eorum,qui terram aquis terminatam videntes, aliud hemisphærium ignorabant,vel quia non datur sursum,& deorsum, super, & subter in mundo rotundo, nisi respectiue,& ideo potius centrum quam peripheria potest deorsum dici, & terram esse super aquas,sicut e contra aquas dicimus super terram; & abyssum esse amictum terræ

terræ Dauid enunciat? ex dictis palam est, quod nostra sententia in textu posita conformior est sacris literis, sensui, & rationi paucioribúsque difficultatibus exposita, quam Copernicea, & aliorum.

Post hanc quæstionem scriptam iterum nouam feci quæstionem pro Galilæo ab Cardinali Caietano doctissimo requisitus, vbi quid opinari liceat de Motu, & Quiete terræ, & quid sacræ Scripturę contradicat ibi luculenter docuimus, apponatúrque in fine voluminis.

Vtrùm cælestia corpora à se ipsis moueantur, & terra per se quiescat, an illa moueantur ab intelligentiis, vt Aristoteles putat, aut vi, vt Democritus, aut ab anima, vt Platonici: hæc verò quiescat vi coercita, vel quia torpet mortua, vel quia natura illa moueantur, & ista quiescat, vt in textu.

ART. II.

Videntur Aristoteli orbes cælestes ab abstractis, separatísque motoribus moueri, probat hoc in 8. Physic. *7. Phys. T. 1. &c.*

1. Omne enim, quod mouetur ab alio distincto motore mouetur: ergò & cælum; sed sunt plures orbes, ac motus in cælo, ergò & plures motores, nobilissimo autem mobili, nobilissimi motores conueniunt: ergò ab intelligentibus orbes feruntur motoribus.

Et quia omne mouens corporeum fatigatur, oportet esse incorporeos: & quia ordinati sunt motus eorum, oportet dari primum motorem: quoniam videmus rapere ab ortu in occasum mobilia secundorum, ergo secundi etiam à primo motore. Hunc autem oportet esse immobilem: nam si moueretur, ab alio moueretur, & ille ab alio in infinitum, ergò non esset motus vllus, quoniam impertransibile est. Neque mouet se ipsum, quoniam idem esset mouens, & motum; neque pars eius partem mouet eius, quoniam esset primus, & non primus, & illa pars mouens ab alio moueretur, & illud ab alio in infinitum vt supra. Datur ergò primũ mouens immobile, qui est Deus motor primi orbis rapientis reliquos. *Phys. 8. T. 34. 38. 39.*

2. Quod autem omne quod mouetur ab alio moueatur, probat primo per inductionem: nam quæ mouentur violenter manifestè mouentur ab alio, vt proiecti lapides. Quæ naturaliter, aut sunt animata, aut inanimata, de animatis palam est, quod mouentur ab anima separato motore, sicut nauis à nauta. Inanimata vero simplicia, vt grauia, & leuia, & composita mouentur, vel à remouente prohibens; vt si columnam abducas per accidens moues deorsum superpositum lapidem, vel per se à generante. Ignis enim mouetur sursum ab igne generante suo: qui dedit formam, & consequentia formam, idest, ergò & motum, qui formam consequitur, sic & tellus deorsum a suo generante: ergò quidquid mouetur, ab alio mouetur distincto separatoque mouente. *Lib. 8. Phys. T. 18. & seq. & T. 61.*

Probatur ratione etiam, quoniam secus idem esset mouens & motum docens, & doctum, ædificans & ædificatum. *2. Cel. T. 66.*

3. De terra autem pronunciat, quod motum rectum habeat deorsum à suo generante, sed in 2. de cælo dicit, quiescere, vt mortuus homo, quoniam priuata est motus participatione, à primo motore in cunctas res effusi, propter distantiam. *2. Cel. lec. 18.*

4. Item Aphrodisius putat cęlos ab intelligentiis moueri oportere, quoniam regularissimus est motus eorum, & perennis, idcircò ab infatigabilibus, intelligentibusque motoribus, itẽm quoniam sic conuenit moueri diuinis corporibus, non stupida natura, sed ab Anima, & quidem Animaliũ sublunarium longè nobiliore; & appetẽte, & intelligẽte. *Alex. 12. Met. T. 20. id. Arist. 2.*

5. Contra Epicurus cum Democrito putat casu terram in medio constitisse, cælum autem moueri à fumis rotatum, sicuti rotæ veruum a fumo ignis. *cel. T. 61.*

6. Empedocles verò cęlum cadere oportere existimat, non enim posse contineri quin decidat; sed velocitate motus impelli vndique à centro, & sic se continere, sicut aqua in vasculo per funiculum rotato velociter, quæ neque cadit cum supra verticem nostrum eleuatur orificio spectante deorsum. *Ex Arist. 2. cel. T. 86.*

7. Macometus in Alcorano dicit, terram ab aliis terris teneri ne cadat, & illas ab aëre, aërem à mari, & multiplicat systemata; quæ omnia à boue sustineri dicit, qui caput habet in Oriente, & caudam in Occidente: bouem à lapide, lapidem à pisce eiusdem magnitudinis, & sine fine multiplicat has ineptas fabellas. Docet cælum ne ruat sustineri à Monte Gaf. mundum verò à columna quadam (fortè quia legit in Iob; *Columnæ cæli concutiuntur*) columna verò à fonte quodam, fontem à serpente; quas refero, vt quantis asinitatibus sequaces eius stultissimè inuoluantur fiat palàm.

8. Sed Origeni, & Philoni videntur cælestia corpora à propriis animabus moueri, & Ecclesia illi fauet, dum Cherubim, & Seraphim, & Cælos, & cælorum virtutes Deo concinere odas in præfationibus Missæ canit: & hæc autoritas conuincit Caietanum in Psalm. 135. vt poneret cælum animatum, sic etiam D. Thomas in lib. 2. contra Gent. & sanct. Hieronym. & alij Patres. Origenes quoque putat tellurem à propria anima in sublimi substineri, sæpe in scripturis, quasi animata ponuntur cęlum, & terra, & Sol vocatur spiritus pergens per circuitum; & Hieremias stellas ad præceptum Dei moueri docet in epistola. & Iob, *Qui appendit terram super nihilum*, &c. *& tenet vultum solii sui* (id est Cęli) & *expandit super illud nebulam suam*, & quoniam loquitur de his, quæ Deus facit prima sua lege naturali, videtur, quod naturaliter terra quiescat appensa in sublimi, & cæli moueantur, & non à motoribus separatis: hoc placet Basilio, & sanctis Prioribus.

c. 22.

Resp. ergò, quod cum tellus sit à frigore omnia immobilitante constituta: Cælum verò à calore, sicut illa natura quiescit, non ab alio extrinseco immobilitante principio detenta: sic cęlum natura mouetur. Quapropter errat Aristoteles, quoniam si Quies naturalis est, & motus naturalis erit. Natura autem est principium motus, vel quietis intrinsecum, id est forma immota per Aristotelem 2. Physic. ergò si cælum natura mouetur à separato motore, non mouetur, nisi ponas Angelos animas cælorum, quod Aristotelici negant, qui assistentes faciunt.

Ad primam ergò Aristotelis rationem negatur assumptum, ea enim solum mouentur à separato motore, quę mouentur ab Arte, vel violenter, vt lapides, vel gestantur, vt eques ab equo, & spiritus a corpore, & nauta à naui, quæ vi etiam interpellitur ventorum, ad remigium: sed quę natura mouentur ab intrinseco principio mouentur, ergò & cælum.

Inductio Aristotelis est fallacissima reprobata à Seneca, à Scoto, & à Telesio, & sancto Iustino. Animata enim licet à separata anima, vt nauis à nauta moueantur Platonicis: tamen Aristoteles hoc, quod in 8. Physic. adducit pro se, negat in 2. de Anima, & in 1. contra Platonem; probátque esse formam corporis animam, ei factam vnum ita, vt tota anima sit corporata, & totum corpus animatum. Ergò non est separatus motor: similiter de grauibus, & leuibus chimericè loquitur. A generante enim mouentur motu generationis, non locali, nisi à forma data à generante: licèt Aristoteles neque det, sed educat de sinu materiæ. Constat autem generans sæpè mori antequam genitum moueatur, vt cum candela proxima extinctioni aliam accendit, & non potest se, neque alium mouere: sique vera esset propositio hæc, non oportuisset animam pro motore dare animalibus, sed Patres. Conseruatio verò virtutis, quæ à generante fluxit, non est à generante, cum subito moriatur interdum, sed ab autore naturæ semper viuente, & de illo solo dici potest, quod dans formam dat & consequentia principaliter, & non ministerialiter solum, vt parentes dant. Tellus etiam à nullo fuit genita apud Arist. sed æterna.

Quis autem non videt terrę glebam, quę à nulla terra est genita, sed peremnitet toti agnata, si sursum eleuetur, de se cadere deorsum? quam constat non à generante, sed à propria forma moueri deorsum: similiter si ignis cælestis ad nos deferatur, per se sursum tenderet cognati raptus amore. Propterea D. Thomas relicto Arist. docet grauia, & leuia moueri localiter à propriis formis actiuè, & formaliter p. 2. quęst. 36. 2. & opusc. 32. & 2. d. 18. 1.

Ratio verò qua eandem propositionem probat, infelix est, quoniam eorum quę vi, &

ab arte, quæ est extrinseca natura, mouentur, aliud est mouens, aliud motum: non autem in his, quæ à natura intrinseco principio motus. Item ait S. Thom. Natura operatur propter finem, quem appetit, ergo non ab exteriori appetēte, ergò nec ab exteriori mouēte.

Quapropter licet idem non sit ædificans, & ædificatum, faciens, & factum, docens, & doctum, quoniam artificiales factiones sunt istæ, nec idem proiiciens, & proiectum, vectans, & vectatum, quoniam violentæ sunt actiones; tamen idem est mouens, & motum quando ignis it sursum; nisi quis separet materiam à formâ, quæ sunt vnum compositum. Verum si lux, & calor sese mouerent non effundendo, & multiplicando, sed locum mutando, vtique idem esset mouens, & motum; & Angelus se ipsum mouet localiter hac ratione: non ergò inconuenit idem esse mouens, & motum, nisi in violentis motibus, artificiatis, & compositis vectationibus: à quibus ad naturales non valet consequentia, vnde etiam D. Thom. in 4. sent. dist. 26. in multis confirmat esse idem mouens, & motum.

Nota ex textu, quod motus, qui est passio, aliud est mouens aliud motum, qui verò est operatio, aliud non est mouens à motu. Nec quæ operantur dicuntur moueri passiuè secundum rem, nisi secundum vocem. Peripatetici autem vocabulo decipiuntur. Cælum ergò se mouet, vel motum edit, & operatur; non autem mouetur, nisi formam à materia intellecta separes; vel secundum vocem sic dictum intelligas. Non omnis motus est passio mobilis, est enim aliquis, operatio, vt dictum à S. Thom. est, motus spiritus in animali est operatio, corporis verò à spiritu est passio.

Ratio qua probat primum motorem esse, falsa ergò est, vt in Metaph. ostendimus, quod Theologia efficit, non proficit Aristotelis sententia, quippe cui si motus non æternus, neque Deus est, vt ibi D. Thomas concludit, prop. ereáque reprobat Aristotelem: Cum autem probat, quod primus motor est immobilis, inualide probat: non enim potest dare, quod non habet. Ergo maximè mouetur mouens omne: & cum tellurem dare cælo motum docuit, videtur delirare, vt patebit, cum loquemur de motibus animalium: si autem non inconuenit idem esse mouens, & motum, primus motor mobilissimus est, & hoc Plato vult.

Nos autem in Metaph. nec mobilem, nec quiescentem Deum posuimus Physicè, sed vtrumque habere eminenter dignitatem, motus & quietis. Quapropter primum motorem violentum, aut gestatorem probat, si quid probat Aristoteles, non autem naturalem, neque immobilem, neque abstractum.

In Metaph. verò hoc Aristoteles disquirens quomodo potest immobilis esse motor primus, & non intelligendo secundos mouere: si enim intelligat, patiatur, & moueatur, quia Aristoteli intelligere est pati ab extrà, ergò, esset materialis. Resp. quod mouet vt amatus, & imitatus, ignorans amatorem suum, ergo nihil infl.... Physice, sed est tantùm obiectum amoris mouentium: & hoc ostendimus esse falsum: tum quia Deus intelligit in se non patiens ab obiectis, tum quoniam non imitantur, sed contra ipsum mouentur, & rapiuntur ab ipso in contrarium motum. vide quomodo nos in Metaph. Aristotelem reprobauimus.

Ad Aphrodiseum Resp. quod perennitas motus requirit motorem intrinsecum, & naturalem: extrinsecus enim non semper mouet, nisi vbi, & quomodo opus est sibi vel alteri, cui obedit. Regularitas verò non requirit intellectum mouentem, cum intellectus potius variet regulas ad libitum sæpè, sed carentiam impedimenti à contrario exteriori: ergò cælo potest melius per naturam inesse perennitas, & regularitas, quam per intellectum exteriorem: sed in Metaph. probauimus non ad motum, sed ad motus correctionem præesse Angelos in cælo, & adsistere: motum autem à natura esse. Aristoteles sibi contradicit, nam si cælo adderetur Astrum, non moueretur, aut difficile, dixit: ergò patitur à mobili Angelus: sed si à natura mouetur, addendo astrum, itidem mouebitur, vt patet, si igni addas ignem itidem, vel velocius mouetur. Præterea Animal nunc mouetur, nunc quiescit, quoniam componitur ex te mobili & immobili, & vtriusque appetitibus satisfaciendum est: at cælum totum semper mouetur: ergò non est Animal, sed potius spiritus, qui in animali semper mouetur. Præterea Animal mouetur ab appetitu consequendi vel fugiendi aliquid: quo facto, quiescit. Cælum autem semper mouetur, 1. *Cæl.*

ergo quia est spiritus motu gaudens, & non animal per motum fugiens aliquid aut acquirens: infelicissimum enim esset nunquam ad id quod appetit perueniens, vel semper fugiens. Idcóque quod asserit de terra, falsum est; non enim quiescit, vt mortua nil apta consequi bonum, sed quia feliciter se habet in quiete, sicut cælum in motu; Non enim tanto elemento infælicitatem tantam dedit Autor naturæ, vt nullum bonum consequi apta fiat, proptereáque motu illam priuarit: at profectò si Tellus natura quiescit: ergò cælum natura mouetur. Quietem autem esse operationem distinctam à torpore, in Metaph. dictum est.


Democriti sententiam, mundi constructio partium, situs, & ordo, & sapientia hominum, & brutorum, quæ à nihilo non potest esse, sed à primo autore sapientiæ fonte; condemnant stultitiæ plenam. Tellus ergò Dei arte, quæ natura est terræ, quiescit, & cælum mouetur: fictio illa vaporum lubrica est. Neque enim scindas habet cælum, lateraliter deorsum inuersas, in quibus fumus incidens det motum, neque semper moueretur, vbi fumus deficeret, neque eodem modo, quoniam variatur fumus exhalans, & de his alibi.

Plinius, qui circumuolui sidera, vt fumis maris vescantur, putauit, etiam corrigi debet; non enim Sol ab Austro, vbi Maria grandia euaporantia sunt, in Boream conuerteretur, vbi pauciores aquæ: neque octo dies in nostro Tropico plus detineretur, vbi humores pascendi sunt pauciores; neque tam stabili lege conuersiones Planetarum fierent. Item stellæ omnes subito conciderent deorsum, vt aquis pascantur: sic & Lucanus, & Homerus emendandi sunt, vti disputauimus in Galileum.

Macometus manifestè delirat: & nauigatio Columbi ostendit cælum esse, non alias terras, in Antipodibus: similiter quod mons sustineat cælum vix fabulæ Atlantis cedit; oporteret quidem infixum monti immotum stare. Quod mundus à columna, & serpente, & fonte sustineatur, miror, quod non dixerit à mure, & à gallo, & rana. Columnas cæli nominat Iob, & terræ aliquando; sed per Prosopopeiam; intelligit enim vires sustentatrices in metaphora. Iam enim perambulauimus terram in circulo, neque columnis sustineri videmus, sed appensam à Deo super nihilum, vt idem Iob dicit.

Ad Origenem autem responsum, quod quamuis cæli sint animati anima intellectuali, non propterea ab anima mouentur, sed regulantur in motu. Mouentur verò à calore innato: quemadmodum animalia rationalia spiritu calido mouentur naturaliter, & semper, vt patet in thoracis, & arteriarum motu. Ab anima verò modificantur ad motus arbitrarios. Neque Deo conuenit dedisse illis mouendum corpus ad motum ineptum. Quod autem animati sint non diffiteor propter autoritatem Ecclesiæ, quæ non loquitur metaphoricè, & per Prosopopeiam; sicuti quando montes, & fluuios ad laudes Dei inuitat, sed propriè: quoniam cælos cum Cherubin, & hominibus celebrare Deum asserit; & Dauid ait, *qui fecit cælos in intellectu*, id est cum intellectu, vt mos loquẽdi est scripturarum.

Præterea aut Animæ corporibus alligantur à Deo propter carcerem, vt dicit Origenes, & sic nobilioribus animabus carcer nobilior dari debuit cælestis: aliis ignobilior. Aut vt in corpore laborantes sibi præmia diuina acquirant, vt Chrysost. & Nazianz. docent, & sic in tanto ministerio cælorum eas deputatas, quæ nobilissimæ sunt, congruum videtur. Aut vt sibi perfectionem acquirant, vt putat S. Thom. & sic à cælo perfectissimo corpore arcendæ non sunt, vnde plura discere & operari valent. Aut vt corporibus perfectionem dent, & participationem fælicitatis, vt Bernardus aliquando docet; & sic etiam perfectissimo cælo magis debetur anima, quam luteis nostris corporibus. Quod si Assistentes tantum quis dicat, vt D. Thom. se retractando in p.p. videtur sentire, vtique idem confitemur libentius & nos. Nam sic à calore moueri eos etiam oportet, terramque à frigore immobilitari, licet Angelus adsistat vt regulator, & conseruator in executione prouidentiæ Dei, quemadmodum motus obliquus, & latitudines docet, quæ sanè ab intelligente finem, qui est inferiorum generatio, & distinctio mitabilis, & terræ conseruatio, & secundorum entium, esse videtur. id quod calor non intendit, neque vult; sed hoc Metaphysici est negotij. Epicurus opificium & opus tam artificiosum & propter finem, inerti temerarióque casui & violentiæ tribuens, non est audiendus.



QVÆST. XII.

Vtrùm cælum sit vnum continuum, vel distinctum in spheras plures contiguas, sicut cepa; similiter de terra quærimus.

ARTIC. I.

1. EX Terra, & Aqua Aristoteles spheram vnam facit; & aliud centrum ponderis, aliud molis: putat enim terram propter aquæ molem extra centrum proprium inclinari, terram aqua ambiri putat, aquam aëre, aërem igne; ignem sphera lunæ; lunam orbe solis; orbem solis circundat Mercuriali; Mercurialem Venereo; Veneream spheram Martiali: Martialem Iouiali, quam Saturnina sequitur: supra Saturnum octauam spheram stellatam locat, rapientem præfatas omnes. Hæc autem accepit de spheris à Platone, & Kalippo, ipse enim nihil Philosophatus est, nisi de duplici centro terræ.

2. Pluralitatem autem spherarum inde eliciunt veteres, quoniam planetæ singuli proprium habent motum. Ergò & proprium orbem: fixæ verò semper pari motu, nunquàm situ æquidistantiâque mutatis: vt obseruationibus quatuor millium annorum compertum est. Ergo sunt in eadem sphera.

3. Ægyptij tamen quidam, teste Alberto, tot spheras ponunt, quot stellas: Ergò innumerabiles; sed ab omnibus exploditur. Aristoteles autem quoniam putat stellas esse sicut nodos in tabula, spheras planetarum partiri cogitur.

4. Sed quoniam quilibet planeta tres videtur habere motus, alium ab ortu in occasum, quem à sphera prima sortitur; alterum è contra, quem à proprio motore, & adhuc alterum à Septemtrione in Austrum, & alterum ab Austro in Septemtrionem, intra Tropicos. Idcircò addit tres alios motus cuilibet planetæ, & tres spheras in 12. Metaph. ita vt sint quatuor cuilibet deferentes. *12. Met. T. 44. & seq.*

5. Insuper ne motus superiorum inferioribus communicentur, addit tres reuoluentes, & reluctantes in contrariam viam: quos immobiles ponit, dum à suis motibus illuc, à superioribus illine mouentur. Lunæ autem hos reuoluentes non retribuit, quoniam nihil curat de communicatione motus eius in igneam spheram.

6. Ptolomeus reuoluentes non ponit, sed deferentes excentricos duos, & vnum concentricum, & vnum epicyclum cuilibet, ad saluandas apparentias, quas Aristoteles non saluat.

7. Copernicus autem in centro vniuersali solem locat, cui spheram Mercurij, cui Veneris, cui Telluris, quæ habet orbem magnum pro epicyclo, & in eo ponit lunam, quæ circa terram continuè voluitur, sed cum terra & orbe magno circa solem. Super spheram telluris Martiam ponit; super hanc Iouis orbem, vltimo Saturnium; qui gyro feruntur perenni circa solem. Sed sphera octaua immota omnia continens cum fixis suis stellis permanet. Galilæus verò Ioui adhuc quatuor planetas, vt lunam terræ circumdat.

Omnes ergò ob motus varios faciunt spheras varias; ob passiones motus, circellos addunt, & motores.

SED Contra est Chrysostomus Homel. 4. in Genes. docens per se ipsas moueri, neque spherarum esse distinctionem in cælo, sed vnicum cælum; dici autem cælos pluraliter ob linguæ sanctæ autoritatem, quæ caret singulari in hoc nomine, sicut Latina in nomine nuptiæ, vel propter varias regiones, vt dicimus quoque orbem terrarum. Idem dicit Theodoretus super Psal. *Homil. ad popul. & alibi.*

Sanctus Baſilius quoque; & quicunque igneum, vel ex vapore faciunt cælum, idem affirmare tenentur: non enim poteſt reddi ratio, qua tenuiſſimum corpus ſibi cohærens diſtingui poſſit in ſpheras, vario motu gaudentes. Ergò Teleſius errat valdè, dum ſupponit eos qualiter à Mathematicis ponuntur, cum ipſe igneum docuerit eſſe cælum. Præterea ratio fortiſſima ſuadet quamuis igneam non ſit: Thyco enim obſeruauit Martem Acronichium in oppoſitione ad ſolem, fieri propinquiorem terræ, quam ſit ipſe ſol in quocunque ſitu ſuo; ſi ergò non per ſe moueretur deſcenderet cum orbe ſuo intra orbem ſolis ipſum ſcindendo, & deſtruendo; quod impoſſibile eſt in diuinis corporibus, apud Peripateticos, & alios.

Nos igitur poſuimus terram centrum Mundi, & in vallibus eius mare, quoniam fluit magis ad imam ob incontinentiam ſui. Deinde aërem, qui eſt cæli pars craſſior, & calidior, quia lux duplicatur ex reflexione, in 2. verò regione tenuior, & minus calens in 3. purior, & calidior. Super aerem regionem ponimus in qua ſpatiatur luna. Deinde regionem Mercurij, non tamen cum Mercurio motam, quæ tardior eſſe poteſt. Deinde ſolem in ſua regione. Deinde Venerem. Deinde Martem. Deinde Iouem circumdatum Medicæis. Deinde Saturnum circumdatum duabus aliis ſtellis ex Galilæi obſeruatis. Deinde fixas. Deinde ignoramus quid ſit: ſed tamen multa entia eſſe ex ſacris doctoribus olfacimus, & ex Apogeorum ſympathia cum eis: omnes tamen ſtellas circa ſolem à quo accipiunt virtutem cieri: ſolem verò cum omnibus circa terram, quam impugnat: qua ex pugna Deus ſecundorum entium productionem ordinauit, donec comburatur terra, & nouus rerum ordo ſuccedat, vt ſanctus Petrus docuit. Hunc ordinem licet ancipitem (quoniam ait Iob, *quis nouit ordinem cæli, & ponet rationem eius in terra?*) ratio.ubiliorem putamus, quoniam luna eeclypſat omnes ſtellas, ſeu planetas oculis noſtris, & impura eſt, vt terra noſtra, ideo citima nobis eſt. Mercurius verò infra, & ſupra ſolem viſus eſt, ſic & Venus. Ergò ſolem ambiunt, neque ſunt ponendi infra cum Ptolomeo, neque ſupra cum Timeo, ſed in pugna cum terra Venerem ſupra ſolem locauimus, Mercurium infra.

Quoniam verò Mars citius retrocedit, quàm Iupiter, Iupiter quàm Saturnus: Ideò viciniorem ſoli illum fecimus. Deinde Iouem. Deinde Saturnum, & inſtrumenta teſtantur idem. Neque his poteſt contradici. Vtrum autem fixæ ſint in vnica ſphera, & ſitu, ſed aliæ grandiores, aliæ minores; vel quæ minores ſunt, ſint ſuperiores, neſcimus: & vtrum lunæ aliquæ fixas circumeant. Ex duplici centro odij, & amoris, apparentias ſaluamus abſque motu Copernicìano, & abſque epicyclis Ptolomei, & abſque orbium diſiunctione: Errat Copernicus adducens & ipſe epicyclos in luna, & ſole, non conſiderans quod per ſe moueri poſſint abſque orbibus, & partim eſt Pythagoricus, partim Ptolomaicus inconſtanter. Thyco quem vidimus poſtquam Metaphyſicam ſcripſimus, & compendium Phyſiologiæ, nobis concordat ex parte, ſed ignorauit centrorum rationem, & ponit motum contrarium ſpheræ octauæ & planetarum, & nimis implicat.

Ad Ariſtotelem ergò dicimus, quod primò errat, duplex centrum terræ ponens: maxima enim moles terræ ad aquam eſt: nec ab ipſa inclinari poteſt, vt mox patebit: & Copernicus Mathematicè hanc ſententiam deſtruit. Quòd aqua terram circundat, falſum eſt: ſed in ea eſt ſicut ſudor, vt dicemus infra; defluens in valles.

De aëre ſentit, vti nos, ſed regiones non rectè diſterminat, qui ſolis calorem negat, & per motum ſolum calefacere autumat, vt diximus in quæſt. 9.

De igne falſum eſt, quoniam nullus ſublunaris ignis eſt; nullius vſui deſeruit, vt plurimi Doctores Galli, & Germani, & Itali iam fatentur.

De ſitu Mercurij, & Veneris, & ſolis errat, ſicut Ptolomeus, quoniam vterque ignorat ſolis virtutem planetas circumcaptare.

Neque pluralitas motuum dat pluralitatem ſpherarum, ſed planetarum ſe mouentium intra æthera, neque numerus fixarum numerum ſpherarum requirit: neque vnitatem, quoniam poſſunt per ſe in ſuo ſitu perſeuerantes moueri.

Ariſtoteles quoque perperàm multiplicat deferentes, & motores: ſufficiebat enim motus primæ ſpheræ ad omnes motus ſecundorum ab ortu in occaſum. Neque prop-

ter hunc cuilibet alter motor tribuendus erat in motu ab occasu, si subdeficientiam non percipit. Vnus requiritur motor, qui si intelligens est idem obliquabit planetam ad Tropicos, & conuertet neque, indigebit opposito motore, qui ad conuersionem impellat: nulla enim violentia, aut superfluitas ibi ponenda erit. Positio reluctantium circulorum adhuc insipidior est, quoniam eorum motores in fælices sunt, quia dum mouere student, non mouent. Aristoteli autem motu beati videntur.

Item bellum crudele est ipsis cum motoribus deferentium, & infælicitas. Item ad quid tot deferentes, & motores? & numquid tædio affectus alter alteri cedit onus, & qui mouebat in Boream, cedit in Tropico ei, qui ad Austrum; & tunc vel victus, vel quiescens, quomodo non est infælix? Has ineptias in Metaphys. luculentius reiicimus. Neque Calippus sic incusandus est, qui ex ficta hypotesi loquitur, quam Physiologus Physicè sequi minimè debet.

Ad Ptolomeum dicimus, quòd ex hypothesi loquens, non videtur condemnandus, nisi quatenus insufficiens est ex eis reddere phœnomenorum causas, vt Copernicus & nos probauimus, vt patuit in quæstionibus antecedentibus, & in Metaph.

Ad Copernicum idem dicimus in lib. de Motibus Astrorum luculentius. Neque Sol sit centrum Mundi, quia circumdatur à planetis, neque idcirco non moueatur, nam & tellus centrum lunæ illi mouetur: & Iupiter Medicæorum siderum, vt dictum est prius. Errat in spherarum distinctione valde, vt ibi patet, & ex Martis descensu: neque vidit quod Philolaus, quem sequitur, spheras non partitur, sed Planetas per se mouet.

Terram distinguunt in spheras Theologi quidam, vt alia sit gehennæ infima, alia Purgatorij, alia limbi: suprema verò, quæ nobis subiacet: sed hoc in Theologia disputabimus. Nunc autem Physicè id solum nouimus, quod suprema terræ pars, impura est à sole ex parte deuicta. Idcircò neque frigidissima, neque tenebricosissima est, sed calore affecta, eiusdemque coloribus, aridaque magis apparet, quoniam genita tenuitas statim exhalat, & spoliata crassities aridior remanet: post aliquot passus scatet aquis, quoniam ingenita tenuitas elabi non potest à crassa superficie retenta, ideóque in liquores cogitur varios: propterea excauando terram puteos confecimus, & fiunt liquore erumpente fontes; metalla quoque ab ingenito calore ex variè immutata generatim: sed infra reputamus frigidissimam, tenebricosissimamque, ac solidiorem, quàm quæ apud nos, vt D. Thomas in Opusc. 11. contendit contra eos, qui secus opinantur ex Theologia.



QVÆST. XIII.

Vtrùm cœlum sit tenuissimum, ideóque humidissimum, tellus verò crassissima, ergò & siccissima.

ARTIC. I.

1. ARISTOTELI videtur cœlum neque graue, neque leue, quoniam non est de natura elementorum, ergò neque rarum, neque densum, nisi, vt quidam dicunt æquiuocè: si autem igneum, ergò siccum, ignis enim exsiccat.

2. Timæus ait, quoniam tangibile est, & figuratum, ergò solidum, ergò siccum.

3. Dicitur Iob, quod solidissimi sunt, vti in antecedenti quæstione dictum est.

De terra verò, quod sicca non sit quispiam posset dicere, quoniam humectat.

SED Contra est sanctus Basilius qui cælum tenuissimum esse probat, terram verò siccissimam, quoniam & in Psal. 92. dicitur *siccam fundauerunt manus eius*; & Moyses, *vocauit Deus aridam terram.*

Item omnis durities densitasque, & soliditas a terra est. Frigus quoque duritei, & densitatis est autor.

Præterea siccum vt etiam ocellus & Arist. 2. de gener. & cor. t. 7. 8. & 9. docet, terminos proprios habet & difficile recipit alienos. Et ideò omne durum, & densum, & congelatum siccum est. Humidum suos non habet terminos, & facile recipit alienos: propterea omne, tenue humidum est: recipit, enim figuras tangentis, & replet vacuitates, sic & molle & liquidum, &c. Ergò tellus sicca est suis terminis contenta. Ignis verò humidus, quia tenuis, alienis terminis adsidens, cælum autem tenue est igneumque, vt probauimus.


Præterea quæcumque corripit ignis, è duris densisque, & siccissimis, facit mollia, rara, tenuissimaque, qualis ipse est: ergò perperam Aristoteles ponit ignem siccum æquè ac terram: & quod è terra dempta frigiditate, remanente siccitate vnitissima fiat ignis: cum non nisi benè destructa siccitate expansáque fieri possit ignis è terra, vt hic, & in Metaph. amplius probatum est: præterea siccum fit ab vnitione & condensatione materiæ: humidum vero à rarefactione & expansione. Tellus autem densissima. cælum verò rarissimum, ergò illa sicca, istud humidum.

Ad primum negatur, quod cælum non sit de natura ignis, neque leue, neque rarum, quod est humidum; neque quia igneum, ergò sit siccum: siccitas enim est materiæ vnitio, & addensatio, ideóque compactaterminos habet suos. Humiditas verò est materiæ expansio, rarefactióque. Ideóque potest vniri à terminis alienis, vt aqua à vase, & aër, & ignis tenuis ab omnis figuræ receptaculo. Pyramidalis enim figura non est ignis, præterea in suo loco, sed abeuntis sursum ordo cuneatus, vt possit aërem transilire.

Ad secundum Resp. est supra, quod tactus siderum est qualis tenuium rerum, sic & cælum, non densarum: figura quoque circularis, non a densitate, sed ab amore partium se se complectentium est: vnde & tactui cederet non reniteretur vt sicca.

Ad tertium Resp. est in quæstionibus præcedentibus, quoniam loquitur de fuso, non de duto ære, & de stabilitate fixionis situs, non densitatis materialis, vt Basilius, & Chrysostomus etiam sentiunt.

Ad quartum patet Responsio, quoniam tellus impura aquis scatet, eorumque mistura humectat, non quidem, vt ignis emolliendo, attenuando, & rarefaciendo actiuè, sed miscendo suum humorem alteri: Neque enim humiditas agit quatenus humiditas, sed quatenus calida, vel frigida interdum, nisi misturâ, vt suprà dictum est.



QVÆST. XIV.

Vtrùm cælestia corpora sint rotunda, similiter & de terrâ quærimus.

ARTIC. I.



QVI ponunt cælum extremum infinitum, & immobile, nullam illi figuram dant exteriorem.

1. Stellas autem omnes esse rotundas omnes fatentur Philosophi.
2. Et sensus ita ostendit.
3. Et motus ratio requirit, vt in gyrum ferantur, non autem si sint vt nodus in tabula.
4. Perfectióque stellarum talem optat figuram perfectam.
5. Item partium Amor vnitiuus.

1. Sed

1. Sed de luna, quæ facies mutat, antiquiores dubitarunt, ita vt Scaphoïden quidam posuerit, & subtus orbicularem lateraliter scaphæ figuram referentem; dentatam rotam apparere per Telescopium montes discernens, dicit Galilæus.

2. De figura terræ multi dubitant, quoniam non sic apparet in tanta montium altitudine, & vallium depressione. Saturnus videtur ouatus, & auritus.

3. Plato tympanitem terram reputat; alij quadratam, quoniam si aquis supernatat rotunda esse non potest, quin submergatur.

SED Contra est sapientia dicens *gyrum cæli circuiui sola*. Ergò cælum rotundum: de stellis verò palam est, & rationes memoratæ indicant. De terra loquens Dauid, *Domini est terra; & orbis terrarum, &c.* Ergò orbicularis est tellus.

1. Hoc autem ratione probatur, quoniam partes eius æquè fugiunt vndique à cœlo inimico: ergò necessariò coeunt in globum.

2. Amor partium idem indicat, & centri appetitus, qui conglobationem parit.

3. Præterea in latitudine hoc palam est. Nam ambulantibus à Borea in Austrum semper polus fit horizonti propinquior: ergò hæc via est rotunda secundum latitudinem: similiter si plana esset, vndique videremus vtrunque polum, & stellas easdem. At Canobus Ægypto patet, nobis Italis, magis ad Boream positis, latet. Item Borealioribus neque sex menses sol lateret, & sex pateret, sed videretur semper. Ergò, &c.

4. Secundum longitudinem verò probatur, quoniam si plana esset, dum sol oritur Eois, oriretur simul & nobis in eodem recto plano habitantibus, quod non euenit: ergo tellus sic etiam globosa est non plana.

5. Præterea terræ vmbra ecclypsat lunam rotunda lineatione, ergo, &c.

Ad primum Resp. Quod cælum finitum est, rotundumque: similiter stellæ ad sensum, licèt Galilæo videantur quasi rotæ dentatæ, quoniam multiformium rerum sunt sedes, sed adhuc incerti sumus: de luna iam Mathematicè patet, quod sit rotunda: sensus quoque docet, nam in sextili, & quadrato aspectu, licèt videatur ex parte rantum lucida vt scapham referat, tamen reliqua portio euidens est, & gyrum lucis exilis ostendit.

Præterea pars non illustrata incidens in Venerem ecclypsat illam, ergo corpus est rotundum, non illuminatum. Idem probat rotunda solis ecclypsatio à luna interposita, quam oportet ergo esse rotundam; sic tellus cuius vmbra rotunda, rotundam ecclypsationem lunæ facit.

Ad secundum Resp. quod altitudo montium ad totam terram comparata est insensibilis: sicuti pilæ scabrosæ valliculæ, & monticuli in parua quoque distantia non discernuntur: formicis autem per ipsam ambulantibus videntur montes magni, & valles profundæ: sic nostra exiguitas reputat montes, & valles terræ, qui ad ipsam sunt quasi nihil.

Ad tertium, Plato errauit, vt patet ex rationibus in corpore articuli; magis autem, qui terram aquis supernatare putant, quod experientia iam decisum est nouo hemisphærio detecto; qui autem gyrum terræ perambulant, vel nauigant; non eleuantur neque deprimuntur neque cadunt, vt imperita Antiquitas existimarat: semper enim ad cælum caput, ad terram pedes habent, & sic situs, & positio nostra in mundo. Neque terris aliis nostram terram sustentari, vt Mahometes docet, nauigatio iam per totum gyrum patefecit.



QVÆST. XV.

Vtrùm cœlestia corpora sint candida, lucentiáq; : Tellus verò tenebricosa.

ARTIC. I.

1. VIDETVR Aristoteli cœlum carere coloribus, similiter elementa: lucem autem fieri in aëre attrito ab Astrorum latione, vt in quæstionibus antecedentibus disputauimus.

2. An. de Sens.

2. Præterea color, ait, est ex mistura elementorum, quæ oportet esse coloris, & saporis expertia, vt colores, saporésque suscipiant in misto.

3. Si cœlum esset igneum totum esset lucidum. At videmus in luna maculas, & in deliquio solari tenebras; in toto verò cælo colorem ceruleum, in planetis ruborem, liuorem &c. ergò non totum candidum.

4. Lux, ait Aristoteles, est actus Diaphani, luna autem Diaphana non est.

5 Origenes super Matth. stellas omnes calore solis, & luce sustineri in sublime, & lucere docet: quo cessante in fine Mundi stellas priuari lumine, & motu, & proinde casuras sentit, & ex euangelio probat.

Aristoteles in lib. de coloribus putat terram non esse nigram, sed albam: aquam verò nigram probat, quoniam tellus pura, vt cinis alba est: pueri verò humiditate pleni nascentes eum capillis nigris oriuntur: humor ergo est causa nigredinis, non tellus.

7. Nix candida est frigidissimáque. Ergò candor à frigore, non à calore, ergo non est à cælo, sed in terra.

8. Videntur in terra colores varij, albi, rubri, virides, crocei: non ergo solum nigra.

9. Arena alba, & pannus lineus albus, madefacti videntur minus albi euadere & nigrescere: exsiccati mox albescere: ergo humor est nigredinis virtus; non siccitas, in qua relucebat candor ante, & post.

10. Sol & ignis offuscant ligna, & facies hominum; non ergo candidi sunt.

SED Contra sunt Patres, qui candorem, & lucem idem esse dicunt iuxta illud Sap. 7. *Est candor lucis æternæ*, & cœlum lucidum; terram nigram, & præcipuè Bernardus in serm. Ecce mulier amicta sole *candidissimus*, ait, *& calidissimus est amictus*. Et super Cantic. serm. 7. ait. *Stat sententia Domini de oculo tenebroso, & lucido, quia inter candidum, & nigrum certos fixit limites, & diuisit lucem à tenebris.* Vbi candorem, & lucem idem esse sentit, cum ergo probauerimus totum cælum à calore constitutum esse, candidum esse oportet. Siquidem idem est candor, & calor: vnde vulgo qui incalescunt, excandescere dicimus; & ferrum percalidum, candens. Nota, quod omnis sensus est tactus: sed alius alio gracilior. Ideo quæ ego sentio manu gracili momentapullus, & aëris calorem blandum, alius manu crassa non sentit: sic & lingua mea discernit sapores sopitos, quos rudis homo non discernit in crassa lingua, quæ minus afficitur ab exilibus rerum viribus. Hac ratione tactus totus corporis lucem non sentit. Sed tactus spiritus in oculo Diaphano sentit, nihil tamen sentit, nisi calorem sibi proportionatum, & per ipsum quidquid in ipso affecto simul obijcitur.

Dicimus ergo lucem esse caloris faciem, sed non videri nobis, nisi sit valida, noctuis vero, nisi exilis; similiter leporibus, & blactis, & cunctis animalibus, quæ noctu cibum venantur, & diu stertunt.

Quapropter aër candidus est, lucidusque, sed nobis inuisibilis, quoniam non adeò exili modicóque spiritu donati sumus, qui à iam paruo lumine, fædatóque tenebris possit affici: manifestum est autem ea nobis lucere, quæ collectum calorem

habent, parúmque; & quia color est lux fædata, opacatáque nigredine materiæ: Idcircò à Platone flammula in Timeo vocatur, lux verò flamma. Quod autem tellus nigra sit, probatum est Chrysostomi, & Basilij autoritate in quæstione 9. & sensu patet, quoniam omnis vmbra ab ea diffunditur, & opacitas corporum à terrestri corpulentia omnis est: manusque nostræ à calore blando albescunt, à frigore in hyeme liuescunt, nigrescuntque: & quæcunque superat terræ frigus omninò colorem perdunt si calor innatus extinguitur; tandem palam est, quod dies & nox sunt lux, & tenebra; & illa à cælo, ista à terra effluunt.

Ad primum Aristotelis Resp. est in quæstione 9. probatumque cælum igneum esse & solem fontem ignis; & impossibile, quòd ex attritione aëris fiat calor, & lux, & satis superque disputauimus.

Ad secundum Resp. Quod colores viui sunt lux, & tenebræ; quoniam sese effundunt, multiplicantque extra proprium subiectum. Colores verò cæteri mortui sunt, qui ex his extremis mistis castigatisque nascuntur, vt pallor, rubedo, fuscus, luteus, viridis, &c. qui sunt lux opacata, vel opacitas illuminata, vt patet in Iride. Quapropter perperam Aristoteles ex non coloratis facit colorata entia, sicut Democritus, quem impugnat. Sapores verò sunt caloris actiones, vt infra patebit. Quapropter cælo sparso inest candor sparsus; collecto, vt sideribus collectus, vigensque, qui vocatur lux: non autem color mistus, quia impuritas tenebrarum abest: nisi systemata sint reflexo lucentia lumine.

Ad tertium, iam dictum est, quod nobis cælum est inuisibilius aëre, quoniam tenuius; videtur autem ceruleum, quoniam lux solis eius in immensitate molis sparsa minuitur, fædaturque ad nos per crassum veniens aërem. At si linceis videremus oculis, vel noster spiritus extra oculos exiliret, vt Galenus falsò putat, vtique eius albore videremus: sic nec aëris motū sonantē sentimus, quoniā exilior est motu spiritus nostri, & agnatus, simile autē à simili non patitur: sentire verò per passionem fit.

Planetarū colores, vel quia non sunt verè ignei; vel quia eorū lux per aërē transiēs sic fedari apta est, apparent varij. Lunam verò impuram, quasi nubem esse, docuimus, si systema aliud non est; vt per specillum ostendit Galilæus, & Pythagorei.

Ad quartum, negamus definitionem luminis positam ab Aristotele; Si enim esset Diaphani actus, omne Diaphanum luceret per se: si autē ab extrà accipit hunc actum: ergò non magis actus erit lucis, quam tenebrarum, vt patet in aëre, & aqua.

Præterea ferrum ignitum lucet, cum sit opacum: ergò lux est apparentia collecti caloris, non autem actus Diaphani. Aristoteles verò Grammaticorum more definit, nil docens, nisi subiectum: non enim quid est lux scio, propterea quod scio quia in Diaphano recipitur; quid sit qualitas, propterea quod scio nos ab ea diei quales. Quiditates Aristoteles semper omisit, & ignorauit, nec inuestigauit, nisi in vocabulis. Quod autem luna Diaphana non sit, patet, quoniam solem non ecclypsaret: nec propterea candore omni caret: nam & albæ nubes retinent lucem solis, ne ad nos pertranseat: quoniam in ipsarum materia tenebricositas inest, & in hac pagina alba inest, idcò vsta nigrescit, quoniam tenuitas alba discedit, & materiæ facies detegitur.

Ad quintum, opinionem Origenis reprobare non audeo, quoniam iam per instrumenta stellas non esse prorsus igneas comperimus, & luce reflexa à sole lucere: & quidem noua stella in sedili Cassiopeę anno 1572. apparens, primò candidissima fuit vt Iupiter. Deinde minoratus est candor: mox facta est rubea, & in decimo quarto mense lucem amisit, & quasi nubes obscura videbatur & euanuit. Item D. Thomas probat, quod sententia Empedoclis, quod constent sidera ex elementis quatuor, consonat magis Moysi, quàm quod sint ignea; & magis quod sint ignea, vt Platoni tribuit, quā quod ex quinta essentia, vt Aristot. putat, plus omnibus recedēs à Moyse. *P. p. q. 68. quodl. 4. ar. 3.*

Ad sextum, errat Arist. quoniam cinis tellus combusta est in alienam mutata naturam candoris igne, participem: At mirum, quia tam imperitè loquatur, ac si quis diceret ignem esse nigrū, quoniam extinctus nigrescit. Præterea in 2. lib de anima docet, tellurē esse opacā. Mentitur quod aqua sit nigra, cuius transpicuitas & candor est manifestus; neque præterea capilli ab humore sunt nigri, sed à mēstrui sanguinis fęce, vel

fuligine adusta priuata candore vi exhalantis ignis, vt patet in paucis atrabiliosis: in plurimis enim albor inest.

Ad septimum Resp. Quod nix candida est, quoniam calorem in se habet frigoris viribus externis ligatum, sicuti & vinum quando gelatur; patet autem quoniam oculorum disgregat spiritum: rarefacere autem disgregareque caloris est opus. Item fermentat terram. Item in ea generantur vermes rubri, vt Aristoteles narrat, & Plinius. Quapropter haudquaquam frigori albor niuis tribuendus est, vt infra docebimus, nisi quatenus congregat illum per accidens, & ipse Aristoteles aërem intra niuem glaciatum putat esse alboris eius causam: vbi fatetur contra dogmata sua candidum esse aërem: ergò & aquam, cum glacies, & crystallus sint conglaciati latices albi manifestè.

Ad octauum colores in terra à solis calore ipsam immutante factos censemus: quod sensui patet, exque mistura terrenæ opacitatis; sed terram puram nigram esse oportet: sicuti albus aër purus, licèt nubes aliquæ non deuictæ nigræ sint adhuc.

Ad nonum Resp. Quòd res nimio calore rarefactæ albescunt eiusdem facie, vt calx, & cinis, arena; quibus aqua immista calorem retundit, ac consequenter candorem. Item particulas expansas luceque alba plenas compingit; vt priuatæ ea nigrescant; vt è contra Scobes vitri & cornu nigri, albescunt concepta luce. Sed quod ipsa albefaciat palam est lauando res sordidas, opacásque; nix verò etiam olei maculas abstergit, vt sapo: indicium caloris efficacis.

Ad decimum quod dum attrahunt tenuitatem per calidam, extrahunt & candorem, deteguntque opacitatem materiæ, non autem generant opacitatem materiæ, vt sæpè dictum est.



QVÆST. XVI.

DE TRANSMVTATIONIBVS ELEMENTORVM, ET ELEMENTATORVM IN COMMVNI.

Post quæstiones de primis corporibus Elementis vocatis, inquirendum est de origine secundorum corporum sigillatim. Primo autem de mari, quoniam maximum est inter elementata. At quoniam quæcunque fiunt ex aliis, ex immutatis illis fiunt, idcircò de transmutatione quæstio præcedere debet.

Vtrùm motus sit actus mobilis, vt putat Arist. An alteritas aut inæqualitas, aut nonens, vt antiquis videbatur (quos ipse non rectè arguit) vtque in Parmenide Platoni placuisse videtur.

ARTIC. I.

T. 12. & seq. 1.  ARIST. 3. Phys. tex. 12. Motum esse actum entis in potentia, seu mobilis, se probasse iactat, quoniam non potest in alio genere poni, quam actus.

2. Item quoniam tunc mouetur vnumquodque, cum hunc actum habet: non à principio, quia est solum in potentia, nec in fine motus, quia est in actu solum. Ergò cum partim est in potentia ad vlteriora, partim in actu eo, quo tendit ad vlteriora, id est, imperfecto.

3. Præterea non potest aliter definiri, nam qui dicunt esse alteritatem vel inæqualitatem, vel nonens, non rectè definierunt. Ergò solus ego, ait, rectè definio. Probatur antecedens, primò ex parte subiecti, quoniam si motus esset alteritas aut inęqualitas, aut nonēs, cuicūque hæc inessent, necessariò mouerentur: sed multa sunt altera, & inæqualia, & nonentia, quæ non mouentur, ergò, &c. Secundo ex parte termini ad quem, quoniam motus non magis est in alteritatem, & inæqualitatem, in nonens, quam in opposita, scilicet, in similitudinem, æqualitatem, & Ens. Tertiò ex parte termini à quo; quoniam non magis incipit motus ex alteritate, inæqualitate, & non ente, quam ex oppositis: ergò, &c.

SED Contra est D. Thom. p.p. q. 10. ar. 4. dicens, *Sicunt nunc est vnum in tempore subiecto & essentia, non autem ratione, sic mobile est vnum in motu essentia non ratione: differt enim à seipso in quantum est hic & ibi, & ista alternatio est motus.* Igitur essentia motus est alteritas mobilis, non actus, qui sanè potius est mouentis actus: mobilis verò passio: dicitur tamen & ipsa passio actus, quatenus actuat passione, vt calefactio ligni dat ligno passionem caloris, qui est actus eius, in quo recipitur quatenus informat: non quatenus mouetur. Præterea dicere quòd motus sit actus mobilis, est loqui logicaliter per vniuersalia, non per essentialia. Sicut si diceremus, calor est actus calidi, anima actus animantis, Musica actus Musici: ex quo sermone declaratur subiectum, non autem quidditas, non enim quæ substantia est calor, & quid anima, sed cuius est calor, & cuius anima, exprimit. Sed mos Arist. est Grammatæorum ritu definire vulgariterque: nullibi enim rerum quidditates attingit, vt probabimus in definitione animæ. Præterea non omnis actus imperfectus est motus, nisi alteritatis fluxum addat, nam aqua tepida habet calorem imperfectum, & in potentia ad perfectum calorem, nec propterea est in motu, nisi amplius calefiat. Item non magis est actus imperfectus, quam potentia imperfecta, & diminuta: dum enim mouetur mobile minuitur potentia, & augetur actus proportionaliter, vt tantundem sit de vtraque.

Ad primum Resp. Quòd actus non est genus aliquod, nisi pro forma sumatur: diuidit enim actus & potentia Ens Transcendentaliter, vt ipsemet Arist. & D. Thom. ponunt. At forma vt calor non est motus, nisi fluat, vndè dicatur calefactio. Ergò motus non benè per actum definitur imperfectum.

Ad secundum, non est verum quòd mouetur cum est in actu imperfecto vt in medio viæ, aut in tempore, cum de frigido itur in calidum, nisi fluat amplius, & alteret amplius: ergo, &c.

Ad tertium, quamuis non rectè definierint alij, non sequitur quòd Arist. rectè. Item dico Platonem & Parmenidem rectius definisse; quoniam Arist. non ponit genus, sed quid incertum, nec differentiam essentialem, sed subiectum modo nugaciter; illi verò differentiam & causam ponunt. Ad primam ptobationem Resp. apud Simpl. in 3. Phys. quod Plato & Pythagorici locuti sunt causaliter cum dicunt motum esse alteritatem, inæqualitatem & nonens: ex eo enim quòd mouens, aut calefaciens est alterum à mobili, quod calefit, & inæquale idest dissimile & nonens, idest non frigidū (non enim loquitur de nonente simpliciter, sed de non ente tali, quale quod mutatur) accidit, vt fiat motus, & mutatio: & licet Plato in Thæthetho, & Parm. distinguat inter lationem, & alterationem, tamen concedit lationem esse alterationem localem, nam & quod circulari, & quod rectò fertur motu, est alterum localiter, quia hic & ibi, & deindè alibi vel secundum partes, vt doctè D. Thom. aduertit. Quapropter non rectè impugnat Arist. Platonem. Vel respondeti potest quòd omnis motus fit de altero in alterum, quoniam terminus à quo est alter à termino ad quem, & inæqualis illi, idest, oppositus, & non illud idem Ens. Et quamuis Alexander dicat hoc non esse verum, quoniam sunt idem genere, vel specie, vt album cum nigro, & hic locus cum illo, & hoc impugnati ab Arist tamen sophisma est: sufficit enim alietas numeralis nedum generica etiam secundum Arist. dogma de motu cæli & aliorum. At quidem Plato non vocat motū alteritatem, inęqualitatem, & nonens, vt Arist. putat; sed alterationem, alienationem, & factionem eius

quod non est, vt cum nigrum quod non est album fit album. Et propterea Resp. quod motus est alteratio, inæqualitatis, & nonentis factio ipsius mobilis. Generatio enim corruptio, augmentum, formatio, & hæc omnia sequuntur ad alterationem, vt termini, & hoc in Parmenide palam est: vt enim in Grammatica docebamus ly alteratio, amatio, calefactio, dicunt actum Agentis & patientis, & simul hunc actum, qui est motus. Alteritas verò, amor, & calor, dicunt essentias horũ absque motu: vt Actio essentiam actionis, agere verò fluxum actúmque. Melius autem D. Thom. dixit *alternatio*, idest per vices successio, & per momentum. Ad 2. & 3. negatur vtrumque antecedens. Non enim fit motus de eodem in idem, neque enim potest esse idem terminus à quo & ad quem. Ergò semper est ab altero inæquali, & nonente in alterum inæquale, & non ens id, quod oppositus terminus. Et quidem Arist. ipse idem docet in 5. Phys. & in primo, ait, quòd omnis motus & mutatio est è contrario in contrarium, vel de priuatione in habitum: priuatio autem pura non inuenitur, sed cum forma opposita: ex nigro enim & frigido fit album & calidũ. Vndè Olympiodorus & meliores Peripatetici dicunt priuationẽ & nonens esse contrarium vilius: vt nigrum dicitur priuatio albi: attamen & album, qui continet non nigrum, est priuatio nigri quamuis primo de gen. & cor. t. 18. Arist. ex Parmenidis, & sua quoque sententia, doceat fieri generationem simpliciter cum generatur habitus & ens, vt ignis: secundum quid verò cum priuatio & non ens, vt terra constat: autem terram dici respectiuè non ens, & priuationem. Propterea in 2. Phys. dixit priuationem esse quodammodò formam. Cùm autem calor generat calorem non est ex eodem & æquali, & Ente, vel in idem, æquale, & Ens, vti quis pro Arist. cum Alex. respondere posset. Nam hic est sermo de subiecto, quod de frigido fit calidum, vel de calido in magis calidum: & ly magis facit vt fit de altero in alterum, vel numero, vel gradu, & de non ente in Ens, & similiter potest dici de Ente calido in non ens calidum secundum eundem gradum.

11. Met. T. 22.

An aliquid possit transmutare se ipsum.

ARTIC. II.

1. Videtur quod sic iis, qui vnum faciunt elementum, quoniam ex eo à se mutato generant.
2. Item Plato animam se ipsam mouere docet.
3. Calor natiuus suo subiecto pascitur: séque ipsum mutat sursúmque attollit.

SED Contra est Iob, cap. 5. *Nihil fit sine causa.* Idem autem causa sui esse non potest, nam simul esset, & non esset. Præterea omne quod mutatur transit de vno esse in alterum, quod non habet. Si autem non habet, quomodo potest dare sibi? ergò habet, & non habet. Præterea mutare est agere: ergò requirit patiens. A simili enim simile non patitur. multo minus idem ab eodem.

Respondetur ad Antiquos: quod formæ actiuæ dabant actionem in materiam passiuam sui, sed perperam; cum enim ipsam totam subiugasset, cessat actio, quoniam facta sunt vnum.

Ad secundum Respondetur, quod Plato loquitur de motu, qui est operatio, non passio. Primalitates quoque se ipsas multiplicant, non se transmutando. Item extendunt se plus in vno actu, quam in alio, sicut anima cum nullo mutante transit de sana in insaniam: & spiritus de Angelo se fecit diabolum.

Ad 3. calor natiuus auget se in materia, quam mutat, & transfert, Ita vt aliud sit mutans ac mutatum. vt in q. de Appetit. vidi.

Vtrùm omnis motus sit passio, & actus mobilis, seu entis in potentia, quatenus potentia, vt Aristoteles docet: vel adhuc sit motus, qui est actus entis in actu.

ARTIC. III.

VIdetur Aristoteli, quod sic. quoniam quod mutatur, loco, aut qualitate, aut quantitate, aut substantia mutatur. Dum autem mouetur est partim in termino à quo, & partim ad quem, & dum est in ad quem non est in potentia, sed actu: neque dum est in à quo, est, nisi inactu antecedenti, neque dicitur moueri. Ergò dum est partim in actu ad quem, & partim potentia: motus ergò est actus entis in potentia, quatenus potentia, non quatenus actu, quia ad actum, quem habet, non mouetur.

SED Contra est Psal. 18. canens. *In ipsis posuit tabernaculum Solis, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendam viam,* &c. iuxtà Hebraicum textum, ex quo apparet, quod hilariter absque passione se mouet Sol: ergò non omnis motus est actus Entis in potentia, sed actus entis in actu aliquando est. Item D. Thomas p.p. q.18. art.1.c.& q.53.1.ad 3. Mutationem esse actum existentis in potentia, & imperfecti docet. Operationem verò esse actum perfecti; & existentis in actu. Idem in 2. sent. dist. 1. q. 1. art. 2.

Quapropter distinguendum est, quod Motuum alius est operatio, alius passio, seu mutatio. Operatio est habitus rei perennis propter conseruationem sui in se, & ideò non desinit in re, cuius est operatio, pereunte: & ideo non requirit agens, & patiens. Talis est motus cæli, & quies terræ, qui nulla passione, & affectione eduntur, alioquin cessarent: sed fælicitatis, & esse sunt conseruatiui actus, & propterea coæui essentiæ ad existentiam deductæ, quando per se: nam quando per accidens, terminantur, vt motus ignis sursum: non autem circularis. Mutatio verò requirit agens, & patiens, & cessationem, & hæc vel est localis, vt proiectio, & vectio seu gestatio, vt spiritus vehit corpus, & nauta mouet nauim, & è contra: aut est in substantia, & vocatur generatio, & corruptio; aut in quantitate, & dicitur augmentum, & decrementum, aut in qualitate, & dicitur alteratio, & omnis talis mutatio est actus entis in potentia in quantum potentia.

Ad Aristotelem Respondetur, quod ipse ignorauit naturam operationis indesinentis, quæ est actus entis in actu: & cum air, quod etiam Sol partim est in termino à quo, & partim ad quem occidentis, & in potentia adhuc ad illud. Respondetur quod ista potentia non est molesta, neque aliquid actus sui demens: nam iam est in operatione qua conseruatur, terminus verò occidentis non appetitur, vt actuet solem, sed vt ibi agat Sol, quoniam operatio defert eius actionem ad omnes partes terræ.

At si Sol in se ipso moueretur in centro Copernicіano, adhuc per operationem seruaretur absque occidentalis plagæ termino, sed qui vehitur equo, & qui mouet nauim, appetit acquirere actu locum sibi vtilem, vel alij cui seruit, vt viuat: similiter, qui calefit, est in potentia ad gradum caloris vlteriorem, quo caret, vt fit calidum. Sed Sol se mouens, & tellus quiescens sunt in suo actu, & dispositione optima, sic semper nihil acquirentes, sed conseruantes esse. Operationem impropriè vocant actionem immanentem tantum Peripatetici, cum in se ens nullum agat. Vide Metaph.

Vtrùm causa omnium mutationum, & rerum sublunarium sit motus cæli obliquus: peremnitatis verò mutationum, & rerum per successionem, sit motus primi mobilis, vt Aristoteles putat; vel opifex mundi per calorem, & frigus, Solis, terræque.

ARTIC. IV.

1\. De Gen. T. 51. & seq. 1. PRimam sententiā Aristoteles tuetur in 2. de gener, & corrup. quoniam, ait, generatio, & corruptio, & alteratio inferiorū quidam motus sunt, incipientes, & desinentes, sed per successionem æterni, vt semper alia nascantur, alia moriantur entia: necesse est dare motum peremnem, à quo isti motus æternentur. Motus perennis non est nisi circularis. Rectus enim omnis finem habet: ergò à circulari motu generatio, & corruptio per successionem circulares fiunt. Talis autem est motus cæli, & quoniam generatio, & corruptio sunt contrariæ: ergò ab eadem causa, vnáque non fiunt. Igitur motus accessus, & recessus in obliquum oportuit esse; vt sicut accessus est causa generationis, ita recessus corruptionis: quoniam contrariorum contrariæ sunt causæ. Ideò per sex signa fit generatio ab Ariete in Libram, & per sex corruptio à Libra per Capricornum in Arietem.

2\. Vt autem perseueret motus obliquus indiget motu recto primi mobilis, qui est eius regula, & causa: sic ergò omnia à primo motore pendent, qui omnibus motum communicat.

Præterea, ait, omnis motus imperfectus debet à perfecto ſetuari, fierique, sicut quodlibet sui generis ad perfectissimum: motus autem localis perfectissimus est. Igitur adhuc omnis motus reducitur: inter locales autem præcellit circularis, inter circulares qui vniformior. Ergò motus primi mobilis est omnium causa vniformissimus.

T. 54. 3. Calor & frigus generant valde instrumentaliter, cum sint qualitates elementorum. Nos autem summa sapientia & arte, res gigni, construi, & gubernari videmus, dum calor & frigus agunt temere effusis viribus: ergò indigent Regula, & causa principe moderante: hæc autem videtur esse motus cæli, vt Artifex: calor & frigus vt instrumenta.

4\. Addunt aliqui, quoniam in æstate elementa sursum feruntur; in hyeme deorsum per vim cæli, vt mistio fiat, & generatio. ex Arist. 1. & 2. Met.

T. 51. 5. Aristoteles casum, & fortunam ponit in inferioribus, quoniam Deus non intelligit ista vilia, ne vilescat, sicut ait in 12. Metaphys. sed dum mouet primum mobile, cuius est quasi anima, vnde & cælum appellat Deum, regit inferiora per superiora quodam Fato æterno sic alligatus, non quia intelligat ista, quoniam sic beatus non esset.

SED Contra est epistola Ieremiæ apud Baruch dicens, *Sol, & Luna, & sidera cum sint splendida emissa ad vtilitates, audiunt.* Ergò eorum vsus ad generandum à Deo est, sic & motus. Idem passim in Ecclesiastico, & in Prophetis, vbi stellas vocant militiam cæli, & Moyses facta esse in tempora, & dies, & annos, & signa.

Quapropter generatio, & corruptio non à motu cæli fiunt, sed à Sole & stellis per calorem, & à terra per frigus. Motus autem obliquus ordinatus ad militiam exercendam ferendamque in terram vbique. Ex quo bello Deus ordinauit fieri secunda entia. Non enim motus qui est non ens, verè est causa entium, sed tantum defert causas, Solem scilicet, & stellas vbi oportet: quæ tamen à se mouent se, motus ergò est ab eis; sicut in textu diximus: peremnitas autem, quia generatio vnius est corruptio alterius, & è contra, vt non deficiat materia. Circulatio verò est motus, quo æternantur per vices: & quidem calor, & frigus sunt principales causæ omnis transmutationis; sed formationis, & ideationis sunt causæ instrumentales: principalis enim ideator vt minister est Angelus, vt magister Deus, vt sigillum cælum, cuius motus qua ratione potest ideare?

Ad Aristotelem primo Resp. quod vicissitudo generationis rerum perennis non pendet

pendet à motu cæli,nisi modaliter, & conditionaliter,& occasionaliter; sed à corporibus lucidis,calidisque,terram immutantibus:vt autem possint vbique immutare, motum sortiti sunt obliquum nutu Dei,&circularem.Quapropter nunquam in eandem faciem respiciunt,sed continuò in alias. Itidem in omnibus terræ partibus actiones succedunt continuò,& fit à motu longitudinis,dies:vbi adest luminare; nox,vbi abest; quoniam vmbra terræ illi succedit,sic fit æstas vbi vicinus est Sol, hyems vbi distans : neque a motu ista sunt,sed ab autore motus, & à calore mobilis; & à frigore terræ. Peremnitas verò motus circularis non æternat generationem, & corruptionem, sed ipsius mobilis causæ peremnitas. Si enim circularis motus esset æternus alicuius entis,qui non sit vt Sol causa actiua,nequaquam fieret generatio,& corruptio.Item si tellus non esset frigida; quæ generat Sol præsens,non corrumperentur ab ipso absente per oppugnationem hostilem.

Perperam quoque eidem motui tribuit generationem, & corruptionem, quatenus est alius sibi per accessum,& recessum.Non enim Sol accedens generat per sex signa, & per sex corrumpit,sed in quolibet signo generat, & corrumpit. In æstate robustus enim exsiccat olera,quæ in Vere genuit blandus ob situm; & in hyeme corrumpuntur à frigore terræ, quæ genuit in æstate calor Solis: At ipse Sol generat vapores crassos in hyeme: & in terræ visceribus pluuias,& metalla blandus calor eius producit. In æstate vapores tenues,& quæ fiunt ex eo. In Octobre in quo octauum ponunt signum mortis, fiunt olera apud nos,& bestiæ,& homines nascuntur; & in altero hemicyclo Ver fit fæcundum,germinans omnia.Quapropter pro caloris viribus,& frigoris resistentia,semper generantur res sublunares, & corrumpuntur vicissim.

Falsum est quoque,quod absentia Solis corrumpat, vel motus quatenus est recessus.Nam frigus subsequens hoc potius facit,quod non à recessu producitur,sed à tellure egreditur magis,quando à Sole præsente robustiori contrario non impeditur. Absentia & recessus cum nihil sint,causa non sunt,nisi attributione nostra:sic absentia nautæ dicitur causa submersionis nauis,cum tamen vnda,& ventus ipsam submerserint: non enim cum Heraclito frigus non Ens ponimus.

Impiè quoque Aristoteles Deum inferiora non videre putat, & per accidens *12. Met.* ab eo curari dum mouet orbem primum.Infelix quippè est huic officio alligatus natura: *Tex. 51.* potius autem si motor poni debuisset, in Sole rerum autore ponendus erat, nobilissima rerum causa,vt Galeno videtur.

Falsum est quòd motus obliquus primo mobili indigeat, cum possit isto immoto *17. De vsu* ipse fieri, vt Copernico placet. *part.*

Ad secundum Respondetur, quòd transmutationes inferiorum non reducuntur ad motum localem cæli tanquam ad causam,sed tanquam ad delatiuum causæ, id est Solis,& stellarum,& tanquam ad conditionem, quæ est applicatio causæ ad causandum. Frigefactionis verò ad terram.sed vt sic,atque sic fiant à vicissitudine, & oppugnatione corporum superiorum est : nec eiusdem generis est frigefactio cum actionibus cæli. falluntur,qui à cælo frigus,& non à Terra promunt. Et qui motui Cæli adscribunt Artem & moderamen,& secundorum entium artificiosam formationem: & non potius primo enti omnia Necessitate Fato & Harmonia moderanti & construenti per calorem & frigus. Motus enim quasi non ens est,artis omnis expers etiam si ab Angelis moueantur, si diuinæ Artis ratio non ita construxisset mundum & mundi partes, vt dum pro se agunt necessario omnia omnibus prosint.

Ad tertium Resp. est vbi quæsiuimus vtrum calor, & frigus sint instrumenta. Nunc dicimus motum cæli non esse regulam,cùm sit potius effectus caloris, sed effectus regulantis opificis: si enim staret Sol,vreret terram nimio calore, non generaret entia nostra: similiter si semper eodem recto itinere ferretur : licet autem moueat se ipsum, non autem vt secunda entia generet,agit,sed vt terram in se conuertat: ergò sic moueri est ab opifice. sic ignis non assat carnes,vt nos manducemus,sed vt faciat ignem. Coquus verò modum agendi illi tribuit per talem situm,vt asset, & non vrat. sunt ergò qualitates elementorum organa primæ sapientiæ, non autem formarum aliarum, neque motus cæli.qui cum sit non ens expers intellectus, & sensus, regulator esse non potest; neque consultor productionis rerum mirificæ.

Ad quartum patet, quod frigus in hyeme condensat, & trahit deorsum vapores; in æstate calor sursum. Frigus autem a terra egreditur, non ergò motus cæli harum est causa effectionum: est tamen operatio caloris motus ille: sed modus motus vnde vicissitudo oritur, est à primo opifice.

Ad quintum dicimus impium esse: quoniam Deus quidquid facit ipse intelligit, vt omnis artifex proprium opificium. Neque tamen discit ab eo quid sit, sed cum sit excogitatum à se, docet, & exponit voce, quæ est productio, non aëris verberatio. Neque solum cælum mouet, primóque alligatus est orbi; sed vbique omnia operatur, conseruat, & continet: vt in Metaphys. par. 2. docuimus, cætera ex textu patent.

Vtrùm cessante motu cæli, omnis motus, & actio, & passio, & operatio inferiorum cessaret, vt Aristoteles putat.

ARTIC. IV.

1. Videtur Aristotelicis quod sic.

Primo, quoniam omnis motus pendet à primo motu, qui est cæli: quo non influente cessant omnes, sicuti non mouente anima manus non mouetur, neque manus mouet baculum, nec baculus lapidem, &c.

2. Idem Scholastici approbant, dum corpora in inferno pati, sed non destrui putant, quoniam cessante motu cæli, cessat generatio & corruptio.

SED Contra est Boethus de Consol. docens, quod *Deus dat cuncta moueri*, non autem cæli motus, neque instrumentaliter, non enim motus, sed motor mouet. Motores autem inferiorum sunt calor, & frigus. Posset ergò cessante motu cæli calor terram vrere totam quà a Sole respicitur, in opposita verò parte vinceret frigus in se mutans omnia, si non est priuatio pura, vt Heraclitus vult.

Item Articulus Parisiensis ait, *Dicere, quod cessante motu cæli, ignis non posset comburere stuppam, error est.*

Ea præterea mouentur à motore, quæ illi subiecta sunt, & colligata vt manus spiritui, & & manui baculus, & lapis baculo: per se autem demortua sunt. At frigus cælo non subiicitur, à quo non habet vt frigefaciat, sed à Deo. Neque calor, qui etiam cælo dat motum; neque anima humana, quæ libera est: posset ergo corpus mouere antequam à calore comburatur, vel à frigore corripiatur. Cessaret ergò successiua rerum generatio & corruptio per circulum cessante motu cæli, non autem actiones contrariorum, donec alterum destruatur, neque animarum. At cessante Dei in fluxu in causas secundas, in nihilum tenderent omnia, teste Gregorio. In operationes verò, & actiones cessaret omnis actio, & operatio, quoniam Deus ipse est causa vniuersalissima dans immediatè esse, & operari, vt probat S. Thomas, & rectè. Propterea rationabiliter Articulus Parisiensis damnat hanc sententiam Aristotelis vt hæreticam, nec enim Cælum Deus est.

Ad primum Respondetur quod actiones, & passiones non pendent à cæli motu, nisi secundum quid, sed à propriis causis: omnes autem à Deo, non à motu.

Ad secundum Resp. quod nimis creduli sunt Aristoteli sic loquentes: melius autem S. Chrysostomus docet Deum esse naturæ autorem, & eius instrumentum ignem, cui dare potest vt vrat, & non destruat. Præterea neque ipsi Scholastici cum Aristotele sentiunt. Fatentur enim ignem gehennæ agere in corpora post cessationem cæli motus; & corpora pati, at non consumi; ergò concedunt actiones, & passiones non pendere à cæli motu. Carentiam autem destructionis vtrique ad illum reducunt. Palam enim, quod actio, & passio non sunt absque effectu, nisi Deo ad effectum vsque non cooperante; & sic fit in inferno.

Vtrum Agens, & Patiens debeant se mutuò tangere.

ARTIC. V.

1. Videtur quod non: quoniam Sol agit in terram non tangendo ipsam.
2. Item Amasia Amantem afficit non tangendo, sed à longe & nescia.
3. Et Magnes trahit ferrum non tangendo.
4. Item Peripatetici cælum æquiuocum agens ponunt, non tangens: sic Deum, & Angelos Theologi.

SED Contra est Apostolus Act. 17. quod *in Deo viuimus, mouemur, & sumus*. Et Sap. 8. *Attingit à fine vsque ad finem*. vnde S. Thomas probat, quod Deus agit omnia in omnibus immediatione suppositi, & virtutis per secundas causas. Quod si agens primum vt agat tangit, multò magis secunda. Oportet enim esse simul agens, & patiens, ergò tangi: sed corporalia ad inuicem corporaliter; incorporalia incorporaliter. Agens verò incorporeum agit in passum corporeum tangendo eminenter, si non est Physicum vt Deus; concretè verò si Physicum, vt calor, & lux.

Ad argumenta respondetur, quod licet Sol non tangat, tamen calor à Sole effusus non agit nisi tangat passum. Agunt enim quædam vires emittendo; quædam per instrumenta, vt manus per securim cædit; quædam per se tangendo. Quod Sol non atterat Aërem, quia non tangit, supra demonstratum est.

Amasia verò afficit tangendo; quoniam eius species impressa in amantis animo est instrumentalis quasi vis, tangens spiritualiter: occasionaliter tamen. Nam Anima se ipsam mouet actu, non actione, nisi in corpus.

Magnes verò trahit ferrum tangendo per odorem effluentem ab illo: sic lepus trahit canem, licet etiam affectum imprimat prædæ, qualem apprehensio cibi famelicum. At nec ferrū mouetur ab odore, nisi & suo sensu posset se mouere, vt potens est.

Peripatetici non rectè æquiuocum ponunt cælum, vt patuit in superioribus.

Deus verò tangit tactu virtuosissimo, eminentissimo. Angeli verò eminenti. Et quæcunque sunt superioris nec communicant in materia, tangunt ita quod non tāguntur.

Vtrùm omne agens in agendo repatiatur.

ARTIC. VI.

HÆc quæstio soluta est: nam si sunt ambo Physica communicant in materia, ergò repatitur: *qui enim tangit picem inquinabitur ab ea*, ait Salomon. Si verò alterum est Metaphysicum non repatitur, neque enim Deus, aut Angelus mouens lapidem patitur à lapide, nisi fortè experimentalem notitiam. Calor verò licèt incorporeus repatitur à calefacto, magis autem si contrarium. Deo verò resistit anima humana non exequendo imperata, non autem passionem illi inferendo. Iuxtà illud: *Vos semper Spiritui sancto restitistis*. Qui autem blasphemant Deum, speciem fictam Dei in animo suo lædunt, suumque animum, non autem Deum Physicè, cui nemo potest resistere, neque odire vbi notus est summè bonus, summè potens. Vnde Iob 35. *Si peccaueris, quid nocebis ei?* Vide Metaphys.

Vtrùm actio sit effusio similitudinis agentis in patiens. Passio verò perditio propriæ entitatis, & receptio alienæ, vt nos diximus. An verò sit actio secundum quam agere dicimur in subiectam rem, vt Peripatetici dicunt: Passio verò receptio actionis.

ART. VII.

Gilbert. de sex principiis.

SEcunda opinio est Gilberti Peripatetici, neque probat illam, nisi quia agere dicimur ab actione, & quia requirit passum, ponit in subiectum.

SED Contra est Genes. 5. vbi dicitur quod *Adam genuit filium ad imaginem, & similitudinem suam.* Ergò actio est effusio similitudinis: vel naturalis, vt homo facit hominem, & calor calefacit faciendo calorem in manu: vel artificialis, vt homo facit scripturam iuxtà similitudinem scripturæ, quam in anima habet. Ideò per se scriptor scribit, non autem homo scribit, nisi per accidens.

Deus autem, cum sit omne ens eminenter facit per se omne ens, quod eius participat similitudinem: & præhabet eminenter omnes agendi modos, sed exterius vtitur artificiali, interius naturali, si actio dici queat: de quo solus Theologus considerat. Non autem omnis actio est in subiectum, vt dicunt. Creationi enim nihil subijcitur.

Ad Gilbertum dicimus, quod grammaticè definit, non vnde, nec ad quod imponitur nomen Actionis docendo, sed vbi & in quo est pueriliter dicendo: sic etiam dicitur passio à qua dicimur pati. Anima à qua dicimur animati. Qualitas a qua quales, & sic omnia liceret subito definire, non quidditatem, sed vocabulum expendendo.

At neque passio est receptio actionis, sed perditio propriæ entitatis, quæ sequitur simul ad receptionem. Dum enim calefacit calor, expellit frigus: vera passio est frigoris extinctio; caloris autem receptio non est passio, sed actionis amplificatio, vel dicamus vt in p. p. Metaph. quod passio perditiua est frigoris, & contrarij peremptio: & hæc competit formis: acquisitiua verò est receptio actionis, & conuenit materiæ, & ideò vbi non inest forma contraria non fit resistentia, & actio subito fit, si nulla opposita dispositio impediat materialem receptionem.

Vtrùm Actio, & Passio sint idem motus secundum rem.

ARTIC. VIII.

3. Phys. Text. 18. vsque ad 22.

VIdetur Aristoteli quod sic, differre tamen ratione terminorum: nam calefactio est forma caloris fluens; quæ vt ab agente venit vocatur actio, vt in patiente recipitur vocatur passio: & ideò esse in patiente autumat. Item eadem, ait, est via ab Athenis ad Thebas, & à Thebis ad Athenas.

SED Contra est scriptura docens, quod verberans hominem peccat, verberatus verò meretur tollerans patienter: si autem actio esset passio, & in patiente, tunc peccatum transiret in patientem. Similiter voluptas Agentis in actione reciperetur in patiente. Constat præterea, quod agens seruatur, patiens destruitur. Passio ergò non est actio: quomodo præterea diceretur Agens ab actione in alio, & non in se? neque enim dicitur albus ab albore alieno.

Architas etiam sicut nos, differre facit actionem, & passionem, non solum numero, sed etiam specie, & genere generalissimo, cui Aristoteles subscribit in prædicamentis: vnde mirum quomodo dissentiat in 3. Phys.

Quapropter dicimus, quòd si sumatur actio pro ea vi, quæ fluit ab Agente in patiens, illa vis non est passio, sed receptio eius est passio. Ergò non est idem motus Actio,

& Passio. Si verò sumatur pro fluxu, & non pro fluente vi, & entitate; adhuc distinguntur, quoniam actio est terminus à quo fluxus, Passio est terminus ad quem. Via autem intermedia est quid aggregatum ex esse, & non esse, vt in Metaph. docuimus.

Ad primum Resp. quod calor fluens ab agente in patiens est actio, sed non passio: receptio enim eiusdem dicitur passio acquisitiua: si autem respicias passionem perditiuam, quæ est frigoris extinctio, multo minus actio fluens est passio; concedimus calefactionem passiuam vocari passionem; sed re verà passio est frigoris extinctio, & receptio calefactionis: nam calor receptus actiuus adhuc est, ideo neque passio dici debet, nisi impropriè ratione subiecti, vt triangulus dicitur ligneus.

Dicimus eandem viam esse ab Athenis ad Thebas, & è contra quoad spatium, & idem esse pomum datum, & acceptum; non autem idem accipere, & dare, ponimusque dationem in agente, & acceptionem in accipiente, via autem communis res est inter cælum, & terram: & tamen non est idem motus sursum & deorsum.

Vtrùm actio, & passio sit inter similia, vel inter contraria.

ARTIC. IX.

Resp. Aristoteles inter similia genere, contraria specie in p. de gener. & corrupt. & in 12. Metaphys. inter differentias primas eiusdem generis: sed nisi intelligat de genere subiecto, hoc est de materia, fallitur: quæ enim recipiuntur in eodem subiecto vicissim, & mutuo se expellunt, contraria sunt. *Tex. 50.*

At quoniam triangulus, & circulus non contrariantur inuicem, neque possunt esse simul eiusdem lineationis, manifestum est, quod contrarietas requirit actiuitatem similium quærentium eadem potiri re optata. Ergo contentio est propter tertium, vt documus in p.p. Metaph. & ideo Rex cum Rege altero pugnat, non cum Dauo, & diabolus cum Angelo, non cum pilo: & figulus figulum odit: sic calor frigori contrariatur, quia appetunt idem regnum in materia, vt figuli in arte, non autem contrariatur lineæ, neque spatio; patet ergò quod actio est inter contraria, non inter differentia, neque inter diuersa: contraria autem actiua dicimus, quæ simillima sunt, ideò appetunt idem, propter quod pugnant. Calor enim incorporeus actiuusque est, vti & frigus; & dissimilis potius est materiæ corporeæ inerti quam frigori: & tamen frigori, non materiæ contrariatur.

Vtrùm mutationes ab elementatorum actionibus factæ, sint alteratio, generatio, & corruptio, augmentum, & decrementum, & loci mutatio, vt Arist. ponit.

ARTIC. X.

Videtur Arist quod sic; quoniam omnis mutatio aut est loci, aut substantiæ, aut quantitatis, aut qualitatis. Quibus prædictæ distribuuntur mutationes. In relatione verò non est mutatio, sed sequitur ad mutationem: neque in situ, quoniam sequitur ad figurationem, & locationem partium: neque in actione, & passione, quoniam actionis non est actio vt subiectum; neque vt terminus, quoniam accidens non subijcitur; neque motus terminatur, nisi in quiete, quæ est adeptio loci, vel quantitatis, vel, &c. *Arist. v. Physſ. tex 9. & seq. & in v. Metaph. & in post-præd.*

Nos huic sententiæ contradiximus in Metaph. quoniam alia est mutatio per se; & sic calor calefacit; alia propter se, & sic attenuat, & humectat, vt possit regnare, & mo-

uet, vt possit operari; albefacit; quoniam eius facies est candor, vt materiam sibi conformet, & regnet. Frigus è contra frigefacit per se, immobilitat autem, & densat, & nigrefacit propter se, vt regnet in subiecto. Quapropter quæcunque mutationes ad istas sequuntur, non sunt ab eis per se, neque propter se, sed à Deo, vel ab Angelis moderantibus, & ideas in materia exprimentibus. Ergo augmentum & decrementum licet propter se ab eis fiat addentibus regnum, tamen vi animali fit, per accidens ab eis; sed prout idea Dei requirit, sic modificantur, vt sic agant. Similiter licèt generatio ignis & terræ sint ab eis per se ista volentibus, tamen generatio animalium, plantarum, lapidum, & liquorum est per accidens ab eis, non ista intelligentibus, quæ à Deo per ipsa fieri ordinatum est, & per Angelos executioni mandatur, similiter nutritio, concoctio, elixatio, assatio, maturatio sunt mutationes artificiosæ, ab ipsis non præconceptæ: ad quas tamen ipse calor, & frigus fatali ordine adiguntur.

Ad Aristotelem ergò dicimus, quod alteratio non est mutatio in qualitate solum, sed etiam substantia, & quantitate; & ipsa est omnis mutationis origo, quæ enim non totaliter mutantur, dicuntur alterari, idest alterum fieri: quod enim mutatur, à se fit alterum, & omnis mutatio est mors status præcedentis, & acquisitio sequentis. Cum autem alteratio consumatur, si est in calore & frigore, dicitur generatio, & corruptio simplex. Si autem in compositis, dicitur generatio, & corruptio compositorum: natiuitas & mors verò respectu animatorum. Febris namque totaliter alterans occidit; particulariter verò, mutat ex parte: in quantitate dicimus augmentum, & decrementum, in figura Transfiguratio, in cæteris aliter, prout, &c.

Dicimus etiam, quòd non rectè Arist. negat mutationem ad relationem, ex eo quod non fit ad ipsam primò. Neque enim augmentatio est ad quantitatem primo, sed quando fit intrinsecus per alimoniam, est aggeneratio, & motus localis, ad quam secundario sequitur augmentum: quando fit ab extra per appositionem, non est ad ipsam motus, sed ad locum, ex quó sequitur augmentum; ita de decremento similiter dicimus, quod ad situm est motus secundario, sicut ad relationem. Est & ad actionem, vt calefacimus plumbum, non vt calefiat, sed vt liquefcat: liquefactio ergò est nobis terminus calefactionis. Calori vero calefactionis terminus est generatio ignis: & liquefactionis est motio terminus extrinsecus. Temporis quoque est mutatio, dum vices variantur ad vices: sed de his in Metaph. vbi & intensionem, & remissionem mutationis posuimus esse mutationem mutationis vt subiecti.

Vtrùm rectè Arist. definierit præfatas mutationes.

ARTIC. XI.

v. Phys. T. 7. & seq. ALia inquit Arist. mutatio de esse ad esse, vt de albo in nigrum, de paruo in magnum, & de loco in locum; & hæc fit in tempore, & inter contrarios terminos in subiecto recipiente, vt alteratio, augmentum, & decrementum, & loci mutatio. Alia est de non esse ad esse; & de esse ad non esse, & hæc est generatio & corruptio. Et quia inter esse, & esse datur medium, vt inter contraria omnia extrema, ideo cum tempore illæ fiunt. Inter esse vero, & non esse non datur medium. Ideo generatio, & corruptio fiunt in instanti, alioquin idem simul esset, & non esset: vltimum ergo non esse formæ præcedentis, est primum esse consequentis in generatione, quæ simul est corruptio: ita loquitur in v. Physicorum.

T. 23. At in primo de gener. & corrupt. ait, generatio est transmutatio totius in totum nullo sensibili remanente: si enim quid remanet, alteratum est esse præcedens, non corruptum, ergo neque sequens est genitum.

Docet in Prædicamentis alterationem, esse qualitatis, augmentum & decrementum, quantitatis: Generationem, & corruptionem substantiæ: lationem, loci mutationem.

SED Contra est Iob 36. *Qui ligat aquam in nubibus ne erumpat pariter deorsum*: vbi

:rationem aquæ particularim fieri docet, & cum tempore. Præterea omnes ologi docent organizari hominem in triginta diebus, & mox animam à Deo ra- alem immitti. Animalia quoque non in instanti, sed paulatim generari videmus, ·. Thom. Pot. q. 3. art. 9. docet. Carnes quoque in corpore nostro ex pane genera- r concoctiones varias scimus.

ræterea formæ elementorum contrariæ sunt, vt probauimus, contrarium autem introducitur, neque expellitur subitò, sed paulatim: ergò generatio, & corrup- ion fiunt absque tempore, vt Arist. putat. Præterea D. Thom. ibidem remanere ne genito procedentem calorem eundem, & in animali spiritum & calorem qui inerat ante formæ introductionem.

ræterea cum ex vino fit acetum remanet color, & quantitas eadem, sensibiliter, am homo moritur subitò, eadem quantitas, cicatrix, & forma exterior perse- it: non ergò satis perspexit hæc Aristoteles.

em docet Theologia, quod Christus viuus, & mortuus est idem numero, etiam ındum corpus, & similiter cicatrices eius; & resurrectio erit eiusdem numero: e hoc dictum est prius hic, & in Metaph. Item D. Thomas 4. contra Gent. c. 44. . 81. & Opusc. 42. c. 6. nec sine tempore generat, nec per resolutionem in mate- ı primam, sed organizatio præcedit, & corporeitas, nec annihilatur sed perfici- ıduentu animæ.

ıd Arist. dicimus, quod omnis mutatio Physica est de esse ad esse: quoniam sem- subijcitur materia, & alia forma abijcitur, alia nascitur: de non esse ad esse est tan- ımodo creatio, & è conuerso annihilatio: de quibus Physicus non considerat. n autem dicitur generari ignis ex non igne, & homo ex non homine, ly *non*, dicit ı esse sequentis formæ in materia, non autem non esse præcedentis: fit enim ignis igno, & homo ex semine, sicut album ex nigro, non autem vt contrario, sed ex ·ecto nigro: esse enim album non à subiecto sed ab agente datut. Quapropter di- us omnem mutationem, quæ esse non mutat formale, siue accidentale, siue essen- :, esse alterationem, vt diminutio caloris, & accretio, vel frigoris, vel sanitatis, coloris. At quando mutat esse, dicitur generatio. Calor enim vt tria factus vt m a frigore dicitur alterari: factus verò vt nullus, quoniam frigus vincens calo- extinguit, dicitur generatio frigoris, & corruptio caloris essentialiter: similiter ainis ægritudo alterat hominem; quoniam adhuc est homo; mors verò corrum- & gignit cadauer; & combustio ignem. Duplex tamen est alteratio, & duplex eratio, & corruptio, altera simplicis formæ agentis, vt caloris vel frigoris; altera npositi, vt hominis, vel ignis, vel aquæ. Ergò corrumpitur panis in ventriculo ınis, & generatur chilus, & tamen remanet homo idem, quoniam non sui est tatio totalis, sed tantum alteratio: panis autem est. Ergò quamuis frigus in manu lore extinguatur remanente manu, alteratio non debet dici frigoris, sed corrup- : manus verò solum alteratio, quoniam frigus illud non erat essentia manus: sic nes formæ moriuntur, & generantur in materia, ipsa autem non generatur, neque rumpitur, quoniam esse suum permanet. Omnis autem mutatio specificatur & ıinatur à termino ad quem.

Cum autem Arist ait, quod generatio fit subito, quoniam inter esse, & non esse ı datur medium: si loquamur de esse simpliciter, verum est, & tunc creatio fit, & ı nisi à Deo. Si de esse hoc, & illo, nequaquam; non enim ex aqua fit aër, nisi latim igne attenuante aquam: vltimus autem gradus attenuationis est aër, quem i in instanti gratis concedimus, non tamen generatio aëris est in instanti, quoniam ·ota alteratio præcedens: nec terminus alterationis est aliud ab alteratione, imò cificat omnis terminus motum suum apud Arist. Quod si placet vltimos terminos :rationis perfectæ vocare generationē, sic concedimus fieri in instanti: sed non sic ıpientibus vsurpatur: non enim generatio plantæ est vltimus terminus mutationis rę à sole in plātā; sed tota illa alteratio, qua paulatim minuitur: quę quoniā non dici- generatio totalis, sed partialis, nisi ad terminū perueniat, neque corruptio, sed solū

uet, vt possit operari; albefacit; quoniam eius facies est candor, vt materiam sibi conformet, & regnet. Frigus è contra frigefacit per se, immobilitat autem, & densat, & nigrefacit propter se, vt regnet in subiecto. Quapropter quæcunque mutationes ad istas sequuntur, non sunt ab eis per se, neque propter se, sed à Deo, vel ab Angelis moderantibus, & ideas in materia exprimentibus. Ergo augmentum & decrementum licet propter se ab eis fiat addentibus regnum, tamen vi animali fit, per accidens ab eis, sed prout idea Dei requirit, sic modificantur, vt sic agant. Similiter licèt generatio ignis & terræ sint ab eis per se ista volentibus, tamen generatio animalium, plantarum, lapidum, & liquorum est per accidens ab eis, non ista intelligentibus, quæ à Deo per ipsa fieri ordinatum est, & per Angelos executioni mandatur, similiter nutritio, concoctio, elixatio, assatio, maturatio sunt mutationes artificiosæ, ab ipsis non præconceptæ: ad quas tamen ipse calor, & frigus fatali ordine adiguntur.

Ad Aristotelem ergò dicimus, quod alteratio non est mutatio in qualitate solum, sed etiam substantia, & quantitate; & ipsa est omnis mutationis origo, quæ enim non totaliter mutantur, dicuntur alterari, idest alterum fieri: quod enim mutatur, à se fit alterum, & omnis mutatio est mors status præcedentis, & acquisitio sequentis. Cum autem alteratio consumatur, si est in calore & frigore, dicitur generatio, & corruptio simplex. Si autem in compositis, dicitur generatio, & corruptio compositorum: natiuitas & mors verò respectu animatorum. Febris namque totaliter alterans occidit; particulariter verò, mutat ex parte: in quantitate dicimus augmentum, & decrementum, in figura Transfiguratio, in cæteris aliter, prout, &c.

Dicimus etiam, quòd non rectè Arist. negat mutationem ad relationem, ex eo quod non fit ad ipsam primò. Neque enim augmentatio est ad quantitatem primo, sed quando fit intrinsecus per alimoniam, est aggeneratio, & motus localis, ad quam secundario sequitur augmentum: quando fit ab extra per appositionem, non est ad ipsam motus, sed ad locum, ex quó sequitur augmentum; ita de decremento similiter dicimus, quod ad situm est motus secundario, sicut ad relationem. Est & ad actionem, vt calefacimus plumbum, non vt calefiat, sed vt liquescat: liquefactio ergò est nobis terminus calefactionis. Calori vero calefactionis terminus est generatio ignis: & liquefactionis est motio terminus extrinsecus. Temporis quoque est mutatio, dum vices variantur ad vices: sed de his in Metaph. vbi & intensionem, & remissionem mutationis posuimus esse mutationem mutationis vt subiecti.

Vtrum rectè Arist. definierit præfatas mutationes.

ARTIC. XI.

v. Phys. T. 7. & seq. ALia inquit Arist. mutatio de esse ad esse, vt de albo in nigrum, de paruo in magnum, & de loco in locum; & hæc fit in tempore, & inter contrarios terminos in subiecto recipiente, vt alteratio, augmentum, & decrementum, & loci mutatio. Alia est de non esse ad esse; & de esse ad non esse, & hæc est generatio & corruptio. Et quia inter esse, & esse datur medium, vt inter contraria omnia extrema, ideo cum tempore illæ fiunt. Inter esse vero, & non esse non datur medium. Ideo generatio, & corruptio fiunt in instanti, alioquin idem simul esset, & non esset: vltimum ergo non esse formæ præcedentis, est primum esse consequentis in generatione, quæ simul est corruptio: ita loquitur in v. Physicorum.

T. 23. At in primo de gener. & corrupt. ait, generatio est transmutatio totius in totum nullo sensibili remanente: si enim quid remanet, alteratum est esse præcedens, non corruptum, ergo neque sequens est genitum.

Docet in Prædicamentis alterationem, esse qualitatis, augmentum & decrementum, quantitatis; Generationem, & corruptionem substantiæ: lationem, loci mutationem.

SED Contra est Iob 36. *Qui ligat aquam in nubibus ne erumpat pariter deorsum*: vbi

generationem aquæ particulatim fieri docet, & cum tempore. Præterea omnes Theologi docent organizari hominem in triginta diebus, & mox animam à Deo rationalem immitti. Animalia quoque non in instanti, sed paulatim generari videmus, vt D. Thom. Pot.q.3. art.9. docet. Carnes quoque in corpore nostro ex pane generari per eoncoctiones varias scimus.

Præterea formæ elementorum contrariæ sunt, vt probaulmus, contrarium autem non introducitur, neque expellitur subitò, sed paulatim: ergò generatio, & corruptio non fiunt absque tempore, vt Arist. putat. Præterea D. Thom. ibidem remanere in igne genito procedentem calorem eundem, & in animali spiritum & calorem qui præinerat ante formæ introductionem.

Præterea cum ex vino fit acetum remanet eolor, & quantitas eadem, sensibiliter, & cum homo moritur subitò, eadem quantitas, cicatrix, & forma exterior perseuerat: non ergò satis perspexit hæc Aristoteles.

Idem docet Theologia, quod Christus viuus, & mortuus est idem numero, etiam secundum corpus, & similiter cicatrices eius; & resurrectio erit eiusdem numero: & de hoc dictum est prius hic, & in Metaph. Item D.Thomas 4. contra Gent. c. 44. & c. 81. & Opusc. 42. c. 6. nec sine tempore generat, nec per resolutionem in materiam primam, sed organizatio præcedit, & corporeitas, nec annihilatur sed perficitur aduentu animæ.

Ad Arist. dicimus, quod omnis mutatio Physica est de esse ad esse: quoniam semper subiicitur materia, & alia forma abiicitur, alia nascitur: de non esse ad esse est tantummodo creatio, & è conuerso annihilatio: de quibus Physicus non considerat. Cum autem dicitur generari ignis ex non igne, & homo ex non homine, ly *non*, dicit non esse sequentis formæ in materia, non autem non esse præcedentis: fit enim ignis ex ligno, & homo ex semine, sicut album ex nigro, non autem vt contrario, sed ex subiecto nigro: esse enim album non à subiecto sed ab agente datur. Quapropter dicimus omnem mutationem, quæ esse non mutat formale, siue accidentale, siue essentiale, esse alterationem, vt diminutio caloris, & acetetio, vel frigoris, vel sanitatis, vel coloris. At quando mutat esse, dicitur generatio. Calor enim vt tria factus vt vnum à frigore dicitur alterari: factus verò vt nullus, quoniam frigus vincens calorem extinguit, dicitur generatio frigoris, & corruptio caloris essentialiter: similiter hominis ægritudo alterat hominem; quoniam adhuc est homo; mors verò corrumpit, & gignit cadauer; & combustio ignem. Duplex tamen est alteratio, & duplex generatio, & corruptio, altera simplicis formæ agentis, vt caloris vel frigoris; altera compositi, vt hominis, vel ignis, vel aquæ. Ergò corrumpitur panis in ventriculo hominis, & generatur chilus, & tamen remanet homo idem, quoniam non sui est mutatio totalis, sed tantum alteratio: panis autem est. Ergò quamuis frigus in manu à calore extinguatur remanente manu, alteratio non debet dici frigoris, sed corruptio: manus verò solum alteratio, quoniam frigus illud non erat essentia manus: sic omnes formæ moriuntur, & generantur in materia, ipsa autem non generatur, neque corrumpitur, quoniam esse suum permanet. Omnis autem mutatio specificatur & nominatur à termino ad quem.

Cum autem Arist ait, quod generatio fit subito, quoniam inter esse, & non esse non datur medium: si loquamur de esse simpliciter, verum est, & tunc creatio fit, & non nisi à Deo. Si de esse hoc, & illo, nequaquam; non enim ex aqua fit aër, nisi paulatim igne attenuante aquam: vltimus autem gradus attenuationis est aër, quem fieri in instanti gratis concedimus, non tamen generatio aëris est in instanti, quoniam est tota alteratio præcedens: nec terminus alterationis est aliud ab alteratione, imò specificat omnis terminus motum suum apud Arist. Quod si placet vltimos terminos alterationis perfectæ vocare generationē, sic concedimus fieri in instanti: sed non sic à sapientibus vsurpatur: non enim generatio plantæ est vltimus terminus mutationis terræ à sole in plātā; sed tota illa alteratio, qua paulatim minuitur: quę quoniā non dicitur generatio totalis, sed partialis, nisi ad terminū perueniat, neque corruptio, sed solū

alteratio in simplicibus, videtur idem in compositis; sed cum compositorum vna generatio ex pluribus fit, vt seminis, embrionis, & animalis: tandem vsus habet, vt præcedentes generationes propter vltimam factę cum generatione computentur. Illud quoque falsum est, quod substantia formalis non habeat contrarium, cum nulla contrarietas sit nisi ab ipsis, vt probatum est in quæstione septima.

Licèt autem inter esse, & non esse non detur medium, tamen datur ante esse perfectum, esse imperfectum: sic fumus est imperfectus aër, & ægrotus imperfectum cadauer. Et quoniam probauimus, quod formæ habeant contrarium, & suscipiant magis & minus in quæst. 7. cessat Aristotelis discursus.

Quod vero ait in primo de generat. sibi, & naturę aduersatur: ipse enim in secundo probat, quod in symbolis facilis est transitus: ergo remanet qualitas altera sensibilis: ergo est vera in penitus contrariis tantum. Organa & qualitates multæ sunt communia viuo & cadaueri.

Respondent quidam, quod non eadem numero, sed specie: sed falluntur, quoniam ipse ait, quod si ex igne demas siccitatem remanente caliditate fit aër: & ex aqua frigus, remanente humiditate, vbi planè præcedentem seruat, non abiicit Arist. v. consimilem producit. Præterea palam vinum conuertitur in acetum, non mutata quantitate, & aqua in glaciem, remanente transpicuitate: & homo in cadauer seruata figura. Qui autem dicunt alia numero; falluntur: neq; enim videmus priorem abiici, & aliam in instanti fieri: sed tenentes manu eadem permanere sentimus, & vitulę carnem abscindentes, quam abscindimus eandem numero manducamus, & elixamus. Profectò nugantur, qui ista negant, vt Aristotelem tueantur; quem natura refellit. Omnes prætereà Theologi veteres in aduentu animæ eandem organizationem in corpore, non frustra factam in triginta diebus magnis naturæ laboribus docent: At in instanti illam perire, & alteram fieri, impossibile esse probauimus: & nunc enim digitus ruptus subito reficeretur ab anima regnante magis in materia: & de his supra. Nec formatio hominis de limo terræ corrupta est, quando Deus inspirauit spiraculum vitæ, sed meliorata: vnde D. Thom. 4. contra Gent. organizato corpori, & organizationi permanenti vniri animam docet. Similiter Augustinus, & Ambros. Item in 3. p. docet S. Thomas, quod sicut anima sensitiua adueniente rationali, non corrumpitur sed perficitur, sic adueniente diuinitate humanitas in Christo, & idem dicit in 4. cont. Gent. quod remanent & organa: & in Pot. 3. 9. ad 16. quod remanent organa & spiritus & calor communia cum generantur animal ex semine, & hic loquitur Thomisticè non Aristotelicè vt alibi.

In q. 7.

Concedendum est solum in simplicium formarum generatione, quales sunt calor, & frigus, esse transmutationem totius in totum nihil remanente sensibili, caloris videlicet, frigorisque: nam siquid remaneat, non potest esse corruptio, vt si frigus aquæ calor expellat, & nullum remaneat frigus sensibile, dicitur generatio caloris, quamuis remaneat aquæ transparentia, & quantitas, si quid autem frigoris remanet est alteratio: sed tamen frigus non transmutatur in calorem sed subiectum de frigido in calidum. Nota quod omnis mutatio fit de aliquo nihilo in aliquod nihilum: sed non de toto nihilo in totum nihilum: nisi creatio, & annihilatio. Fit etiam de aliquo esse in aliquod alterum esse, & omnis mutatio essentiatur & nominatur à termino ad quem; vt cum ex calido fit frigidum dicitur frigefactio non calefactio. Sed quoniam omnis mutatio est mors præcedentis, & generatio sequentis entitatis, vel gradus entitatis, vt cum calor tepescit, & motus lentescit aut acceleratur, dicendum est, quod vt corruptio est, specificatur, & nominatur à termino à quo, vt verò generatio a termino ad quem. Et omnis terminus est indiuisibilis, tam in mutatione simpliciter, quàm secundum quid: & tam in totali, quam in partiali, quæ est alteratio tantum, & graduatio. Sed potest interuenire generatio totalis in partibus, & alteratio solum in toto, vt cum iuuenis fit senex, alterata totalitate, & pluribus generationibus factis in carne, & sanguine, semper nouis factis, & corruptis partialiter.

Vtrùm

Vtrùm agere, & pati in Physicis fiant per amplificationem, & communicationem agentis naturæ in patientem, sicuti in textu dicebamus: an ex eo quod potest aliud agere, aliud pati, sicut Aristoteles docet: an ex intrusione illius in hoc per meatus, vt Empedocles; an solo tactu corporali, & agitatione, vt Democritus docebat.

ARTIC. XII.

EMpedocles, vt refert Aristoteles in primo & secundo de gener. & in tertio de cælo, docet elementa in inuicem non transmutari, sed extrahi quod alterius inerat ex altero. Mista verò fieri elementorum congressu sub quibusdam temporibus, casu & necessitate materiali constitutis ab initio, quando lis generat mundum, ac deinde subsequi dum durat mundus iste eodem ritu. Agere autem, ac pati inuicem, dum aliud per aliorum meatus intruditur.

1. Probatur, quoniam quæ fiunt, mistione fiunt: miscentur autem humida magis, quia magis inuicem penetrabilia propter poros: & finis sactionis miscibilium est constitutio misti.

2. Vt Aristoteles refert primo de gener. tex. 16. & seq. Visio est passio: videmus autem per transparentia: transparent autem, quæ poros habent spissos inuisibiles, rectosque innumerabiles: ergò, &c.

3. Probari potest, quoniam ignis penetrando corpora dissoluit, penetrat verò per meatus.

Hæc Empedocles, sed de vi actiua nihil dicit; omnia enim tribuit liti, & Amicitiæ; exque mistis alia facit segregatione, & congregatione: puto tamen eum dedisse vires actiuas elementis, cum solem calidum, & imbrem frigidum dicat.

At Democritus Mundum ex atomis temerario motu agitatis, casúque in talia corpora complexis, qualia sunt elementa, exque corporibus illis sic casu ordinatis coaluisse docet; nullásque dat atomis actiuas vires, sed calorem esse atomorum figuras acutas, & sphericas penetrantes alia corpora, ac dissoluentes. Quapropter videtur & iste actionem dare solum materialem. Hancque ratione vacui fieri: si enim omnia plena, nihil moueri posset: in vacuo autem atoma mouentur, ac se mutuo offendunt, sicque fit actio & passio. Similiter autem inter corpora magna ex atomis composita. Vnde & per vacuitates fieri intrusiones & actiones, vti apud Empedoclem iste dicere videtur: generari autem similiter congregatione, & disgregatione; alterari verò transpositione atomorum, & versione: ex qua calor, frigus, color, & omnes passiones suboriuntur, & occidunt: corpuscula autem sola æterna sunt.

Sed Aristoteles in 3. de cælo tex. 56. & seq. contra vtrosque arguit.

1. Generatio est mutatio huius in hoc: segregatio est tanquam ex vase eductio, non ex materia, ergo, &c.

2. Eadem magnitudo per constrictionem non fieret grauior, si segregatio aquæ est segregatio eiusdem ex aëre, in quo inerat.

3 Mistorum corporum alterum separatum non occupat maiorem locum. At cum ex aqua fit aër, occupat maiorem. Ergò si non fit per extensionem, & vacuum, non poterit occupare amplius: si interfit vacuum, videtur irrationabile, quod separatus amplius semper occuparet.

4. In magnitudine finita non insunt infinita. At si ex aqua fit aër per separatio-

nem, vel deficiet generatio, vel infinitus aër erit in aqua, vel deficiet aqua. Similiter etiam terra quando ex ea fit aqua, & rursus aliquid terræ deficiet, donec tota.

5. In 4. de celo ponit Achillem. Si ex aëre fit aqua per segregationem, tunc sequeretur, quod aliqua parte aquæ grauior erit multus aër, in quo nimirum inest plus aquæ, quam in illa modica, hoc autem falsum est.

6. Rursus in primo de gener. inquit, quod ex indiuisibilibus omninò nihil componitur: fieret enim ex tactibus, aut ex punctis, aut ex nihilo.

Tex. 62. 7. Item quod generatio non est segregatio, sed mutatio substantiæ: alteratio verò passionum.

1. Tandem probat, quod agere, & pati non est per poros, & vacuitates, in tex. 62. Nam vel sunt omniquaque continui meatus, & tunc nihil erit solidum præter meatus, sed totum vacuum.

2. Plenis meatibus adhuc continuum patitur, igitur non sunt meatus causa passionis.

3. Transparentia corpora si meatus habent plenos, non admittunt visionem: si autem admittent, ergò sine meatibus: si autem angustos habent, qui non possint impleri vnquam: ridiculum est paruum facere vacuum, & non etiam magnum, aut inclusum esse corporibus, & non potius etiam regionem corporum.

1. Contra Democritum ait, non potest esse passiuum, aut actiuum sine vacuo vllum atomum; neque frigidum aut durum.

2. Item inconueniens est circulari figuræ tribuere calidum, & non frigidum contrariæ. Quod si vtræque insunt figuris, ergo grauitas, & leuitas, durities, & mollities.

3. Item si per Democritum grauius datur secundum excessum, ergò & calidius, & illud aget in minus calidum, ergò non opus est frigore.

4. Item si inest durum, ergò & molle: hoc autem inconueniens si solum inest figura, & si vna vni, hoc calidum erit, illud durum; vel si indiuisibili plura, quomodo est possibile, vt hæc infrigidet, & illa calefaciat, aut, &c.

5. Item si parua indiuisibilia, ergò & magna; quæ tamen magis franguntur, quia pluribus offendunt, & hoc inconueniens videtur.

6. Item aut vna omnium atomorum natura, aut differens: si vna, quis separauit? aut quare non fiunt cum se tetigerint vnum, sicut aqua, quando tetigerit aquam? si altera, qualia hæc sunt, ergò hæ qualitates magis erunt principia, quàm figuræ actionum, & rerum.

7. Item quid est quod mouet? si enim aliud, tunc passiua sunt atoma; si autem idem secundum se ipsum agit, & patitur: tunc eidem inerunt contraria, vel indiuisibile erit diuisum in agens, & patiens.

Opinio Arist. 1. de gener. Aristoteles autem in tex. 77. & seq. docet, quoniam aliud est actu tale, aliud potentia tale; propterea illud agere, & hoc pati necesse est. Nihil enim agit in se ipsum, neque in quod non tangit mediatè saltem, vt per aërem ignis calefacit.

Mox dicit ex indiuisibilibus non posse fieri continuum, aut omniquaque possibile, vt facit Plato ex planis, & Democritus ex solidis.

Item videmus idem corpus nunc humidum, nunc congelatum non diuisione, & compositione vt Plato, nec versione, & tactu, vt Democritus.

Item secundum hoc, augmentum erit sola appositio, &c. fiunt autem hæc transmutatione, ergo, &c.

SED Contra est quod S. Augustinus ait, in libro de doctrina Christ. *in tantum sumus in quantum Deus est bonus*; quia Dionysius ait, *Bonum est sui ipsius diffusiuum.* Quapropter actio Dei, quæ nobis dat esse, & conseruationem, est diffusio eius bonitatis: omnia autem entia, vt testatur Basilius, & Sanct. Ambros. in Hexam. acceperunt à Deo esse, & agere sibi simile, imitando Deum. Ergò actio est effusio similitudinis agentis in patiens. Hoc autem manifestum in actione animastica, & naturali. Ego enim scribo literas in hac cartha persimiles literis mentis meæ, cuius ideas effundo in cartham. Hoc autem non fit tactu atomorum, vt

Democritus dicebat. Nunc etiam cogito, quæ fiunt in America: Atomi, qui sunt in America non mouent intellectum meum, quem ex atomis totundis Democritus componit, neque hoc fit nisi per similitudinem horum, quæ fiunt apud nos rebus Americæ: similitudines autem immateriales perpendere, & conferre non est opus atomorum corporalium, vltra non extendentium se, sed vis immaterialis longè superiotis vsque ad immensum se extendentis. Quapropter concedant quæso Democratici moderni, non omnes actiones esse violentas atomorum tactu & affectione, sed ex altiori vi: quam si tribuunt atomis, necessariò alia differentia diuinior, quam figura, illis conueniret. At cum vis cognoscitiua hæc sit in toto mundo, & vtatur atomorum mole, & figuris & positione ad secundorum entium mirificam constructionem: neque enim atoma scient oculum construere, aut ex se ipsis concordare, & sic conuenire, vt oculum efficiant, tam miræ fabricæ & virtutis; neque muscam, neque culicem, neque folium arboris: oportebit fabricam rerum virtuti cognoscenti tribuere, vtenti atomis: ergò oportet illam esse immistam, & separatam ab eis, alioquin non posset eisdem dominari, &, vbi vult, ea ponere, & ordinare, ita vt rerum ordo, & structura mirabilis conficiatur. Ars quidem humana, quæ ex ferro facit gladium & ex cemento domum, non Inest cemento, & ferro. Ars faciendi castaneas inest in arbore castanearum, vt instrumentum regulatum ab exteriori opifice, quæ omnia elementa, & elementata moderatur, vnde arbori datur castaneam producere. sine vento enim, & aqua, & Sole, & tellure, & actionibus, & passionibus istorum sic concinnatis inuicem, & cum arbore, non faciet arbor castaneam Vide Metaph. Quapropter neque vacuitas, neque atomi sunt causæ agentes animasticæ.

At nec in naturalibus compositis: producunt enim similem per artem intrinsecam quadam vi propellendo semen: & ex eo formando fructum, & plantam, & animal. Hæc autem vis non est temeraria, non enim omnia atoma emittit, sed quæ congruunt seminis fabricæ, & rationi perficiendi animal: ergò atoma corpuscula sunt instrumenta quatenus habent figuras; & materia quatenus corporea. Docent nos id Apes ex certis atomis benè mel, & cellas ædificantes: cum autem atomorum vis sit temeraria, non est illis committenda actio compositorum. At neque simplicium: quando enim calor generat calorem, nequaquam atoma corpuscula generat; hæc enim sunt immortalia Democrito. Ergò vel effundit quæ habet, vel noua extrahit ex ligno ibi latentia, cum ex nihilo non fiant. At non videtur quæ habet effundere. Calor enim in infinitum crescit additis combustibilibus, exque vna scintilla fiunt incendia magna; non ergò diffusa sunt atoma illius scintillæ in tantas moles. Ergò extrahit ex combustibilibus latentia atoma. Hoc autem videtur falsum. Nam lux solis in glaciem, & ligna incidens, nequaquam ex eis producit lucem: sed manifestè ipsa se ipsam amplificat, & reflectitur. Nam etiam si quid ponas inter luminare, & glaciem, cessat lux in glacie; non autem cessaret si ex glacie exibat; nec si lux esset corpus. Concedunt quidem ex sole effusa atoma rotunda innumera esse lucem: cum autem arguimus quod oporteret solem deficere, suam corpulentiam emittendo; respondent ipsum refici vaporibus; quod nubeculæ nupertimæ Galilæo per Telescopium detectæ circa solem, confirmant. Sed hoc inconueniens est. Atoma enim figuras nunquam mutant: vt autem in lucis naturam transeant, oporteret ea sphærica fieri, vel pyramidalia. His duobus enim Democritus insignit ignem. Ergò non possunt in lucem, & ignem transmutari entia vlla, sed tantum extrahi ignea, quæ præinerant corpuscula. Hoc verò absurdum, nam cum omnia possint in ignem verti, oportet omnia entia esse ignea, vt Heraclitus dicit.

Item ex ligno librarum decem extrahitur ignis nouem, & cineris vna, si autem præinerant nouem ignis partes, & vna terræ, vtique vicissent illæ nouem, & per seipsæ exiliuissent ex terreis: in auro verò nemo neget partes ignis inesse, vt rutilius color palam facit: At cum ignitur, nullæ particulæ exhalant liberatæ terreis ab igne.

Item ignis aculei penetrant subitò immensam crystalli molem, paginam verò nequaquam, nisi vniti vrant. Huius diuersitatis ratio non est à meatibus: quocunque enim situ lux permeat crystallum. Quod totum vndique meatibus non dices abundare, alioquin esset incorporeum vacuum, vt ipse Democritus arguebat. Ergò quoniam crystallum est proximum naturæ ignis, in eo lux exhilaratur, & amplificatur, vt dicebamus. Diaphana enim ab igne vincente faciem materiæ, ac tergente, generantur, pagina autem quia opaca lucem non admittit. Si autem lux est atomorum aculeatorum congeries, vtique promptius penetrabit hanc paginam gracillimam, quàm crassissimum vitrum, & mare: qualitas ergò putanda est opposita tenebris.

Item si ex aqua ardenti, quam ex vino extrahimus fit ignis prorsus ita vt nihil remanear, quod sit cinis aut fex, oportebat esse totam illam aculeos ignis, nec extractionem expectare, vt appareat esse ignis. Fortasse dicent, inerat aliquid aquæ, quæ cum atomis ignis sparsa euanuit; ideòque ex aëre & igne extrahi aquas etiam, quoniam omnium generum atoma omnibus sunt confusa. Sic nos in aëre ex terrenis atomis dicimus generari fulmina lapidea, & metallica per nouam extractionem, & congregationem. Hoc responsum difficile est impugnatu. At quoniam extractio non fit nisi ab agente causa, in aëre autem non datur causa agens nisi frigus & calor, quæ si corpora atoma sunt & ipsa, non potest assignari modus, quo congregent, & segregent. Frigus enim nobis quatenus incorporeum actiuumque, suique multiplicatiuum in corpore, nec per se viuere potens, congregat corpora in quibus seruatur: calor disgregat vt moueat suumque regnum eadem faciat: Dumque ignitæ particulæ separantur, crassiusculæ coeunt, timentes destructionem ex separatione, quod & sine frigore faciunt ob consimilitudinem & sensum, & amorem conseruationis mutuæ. At Democriti corpuscula sensu carent, & amore, & similitudinis notitia, & virtute congregandi, & disgregandi: nec nisi casu inuicem offendendo, mouentur ab inuicem: nunquam autem sic possent componere lapidem in aëre, & ignem in ligno facere. Nec si ignea non sunt, possunt intra nubem ex sola antiperistasi igniri. Non enim ignis generat ignem, nec calor Democrito; sicuti neque sphera facit spheram, nec pyramis pyramidem. Aliud enim non est ignis illi, nisi corpuscula pyramidalia Sphericáque. Quoniam autem gladios non facit gladius, nec angulus angulos: sic neque ignis ignem, sed extrahit tantum. At in nube fit concentratione, non extractione, vt vult.

Hæc eadem argumenta condemnant Platonem Democrito assentientem, vt probaui in p.p. lib. 2. Metaph.

Item cum penetrat lignum, cur vrit? numquid sola disgregatio est vstio? si sic, vt acceptat Plato in Timeo, tunc cum lapidem in minutissima frustula conterimus, ignem faceremus: similiter cum ferra ragmenta educit. Item aculeis, & spinis cristallum, & glaciem affricando: imò omnis rei acuties esset ignis, quod non est.

Præterea candela non posset comburi: atoma enim fastigij ardentis, sursum feruntur explosa, vel sponte, non ergò deorsum ad liberandum atoma candelæ corpori inferiori inclusa, possent descendere: nisi vis sui amplificatiua calor esset, nedum disgregatiua aliorum. Præterea nec ignis pilam vreret, sed repleret; id enim aculeata atoma faciunt, non aliter actiua.

Cur præterea ignis conuertit in se lignum; non autem aqua lignum in aquam? dices, quia ille aculeos habet, quibus penetrat: tunc dicerem, quoniam in ligno est plus aquæ, quàm ignis, incisio aculeorum efficeret ex ligno aquam, non autem ignem. Quod si ignem, datur igitur generatio, quæ fit per propriæ naturæ communicationem, & multiplicationem, & alterius conuersionem, & non erit sola segregatio.

Præterea cum ignis sit sursum ire, vel quia tendit ad cognata corpora ob similitudinem, sicuti nos dicimus; vel quia extruditur à crassioribus, grauioribúsque, vt dicit Democritus, & Lucretius. Tunc quæro, cur è Sole ad terram aliáque in sidera effunditur? vtrum vt paret sibi regnum, sicut nos dicimus; & tunc non erit congeries atomorum, sed res potens, & cupiens: si verò quia non possunt in Sole

tot atoma cohabitare, sicut congeries aquarum effunduntur quaquauersus; tunc tota ista actio erit violenta,& temeraria : vnde tam mira artificiosaque entia fiunt.

Item cur descendunt aculei ad ima terræ, vnde oportet eos discedere? siquidem telluris portiones, & aquæ, & aëris extrudunt ignem sursum : cur autem sinunt ipsum intrare,nihilque luci,excepta opacitate,non peruium est? fortè dicent vi effusionis intrudi,deinde extrudi paulatim a grauioribus, sed hoc friuolum: ignis enim in cauernis genitus,& montes,& ædificia,& lapides frangit, vt sursum tendat non extrusus,sed extrudens potius impedientia. Quapropter non videtur segregare ignem ex terra,sed generare,& victoriosus abite.

Præterea tam subitò corpusculorum fieri effusionem ab Oriente in Occidentem quasi in ictu oculi,inconueniens videtur, &,si lux est corpus, opposita Soli nube, ipsam cessare,aut extincta candela,nil remanere lucis in aula, vbi tot corpuscula luminosa effusa perseuerant.

Ex his relinquitur,omnem actionem fieri effusione non simplici, qualis aquæ, sed simul multiplicatione similitudinis agentis celebrata, simplex enim effusio perdit subiectum agens.Effusio cum multiplicatione auget. Videmus autem animam scriptoris ex hoc quod effundit literas ideatas,non minui,nec indigere doctrina, vt reficiatur deperdita scientia; imò augeri scientiam: sic & in Magistro cum docet, neque candelam minui videmus per hoc,quod plurimæ candelæ in ea accendantur, sed multiplicari in illis eius lucem,& calorem,non autem extrahi latentia atoma : non enim lux,cuius est sursum abire,intra candelas deorsum se ipsam intruderet, sed potius à crassioribus corporibus candelarum sursum extruderetur,nec illi permitteretur penetrare deorsum, si actiuitas nihil est,nisi corpusculorum offensio, & impactio. *Sent. propria.*

Fingent aliquid pro penetratione,qua sursum impellunt ignes; non tamen pro ea qua deorsum versus exurunt,aliquid dicere possunt Democratici, sed de his in Metaph.

Videtur ergo Democritus solam illam actionem agnouisse,quam nos vocamus materialem,quæ non fit per communicationem naturæ, sed materiæ,& figuræ occursu,sicut cum spina pungit pedem,nec spinam generat,sed figuram communicat per intrusionem. At neque hanc dat Democritus communicationem : in atomis enim figuræ non communicantur,neque ingeruntur,sed in rebus complexis ex atomis propter cessionem, sed sicut lapis grauat manum non imprimendo grauitatem, nam separatam non amplius grauat,id autem nobis non est vera actio.

Nos enim dicimus hanc esse materialem, effectiuam verò, quæ simile facit, & transmutat,vt cum ignis ignem producit.Damus & missam,vt cum homo hominem; nam & propriam emittit materiam cum actiua virtute, propterea minuitur ex parte generans. At ignis,& Sol,& frigus,non emittunt materiam, sed se ipsa in alienis sedibus multiplicant ob vim,quam à prima potentia acceperunt infinita, æternàque, omnia producente,ac conseruante. Vide Metaph.omnes enim Primalitatum actiones fiunt multiplicatione, vt ibi.

Empedocles autem cùm elementa mutuo intransmutabilia faciat,conuenit Democrito, cui atoma Sphærica non possunt fieri triangularia : sed ex horum mistura omnia gignit. Sed mirum quomodo videntes idem subiectum frigidum fieri, calidúmque, non supposuere naturam communem : oportet ergò calefieri per additionem aculeorum, & frigefieri per additionem obtusorum corpusculorum,& apparentiam quandam esse qualitates actiuas,non aliquid præter corpora. Hæc autem nos in Metaph. destruximus, satis dictum hoc in loco,& addimus.

Si in nobis est consilium,& ratio,neque temerè operamur : multò magis in mundo toto est Ratio,sapientiàque prima,quæ corpulentiam haud solam fecit, sed virtutes corporum motrices,& transmutatrices iuxtà consilium suum. De mistione suo loco dictum est, concedimus ergò poros præstare commoditatem actiuis causis ad agendum, non tamen esse causas actiuas,neque vacuum ipsum: & si enim in vacuo vel quiescere, vel temerè agitare,vel impelli oporteat corpuscula : haud tamen actio naturalis, aut idealis vlla sic fit, de quibus est tota Physiologia : sed tantum materialis impulsus, qui potius ad violentiam,quam ad physem spectat.

Ad primum, nego res fieri mistione contrariorum, sed tantum congregatione, & disgregatione partium materialium (Materia enim & ex atomis, & in atoma est, vtrumque sibi conuenit) sed fit congregatio, & disgregatio à causis actiuis elementaribus, & intellectualibus, vtentibus Fato, Necessitate, & Harmonia, de Primæ Causæ vertice in rerum vniuersitate seminatis: poros autem commodos esse actioni, non autem causas, vt dictum est. Calor enim durissima soluit. Nec pumex rarus miscetur, vti mollia minus rara, defectu æ qualitatis.

Ad secundum: vtique transparentia commoda sunt visioni non propter poros, sed quia luci sunt cognata, eamque coloribus tinctam facilius suscipiunt, transmittuntque ad videntem spiritum. Omnis sensus fit passione: nec per transparentia, sed penetratione sensibilis ad sentientem animam, quæ non quia patitur sentit, sed quia sensu, potentia, & amore essentiatur, quibus passiones potest diiudicare; atoma autem non sentient vnquam, quia patiuntur, nisi & sensu prædita sint, quo passiones discernant.

Ad tertium, ignis calore penetrat etiam carentia meatibus, qualia sunt bituminosa, quæ propterea ardent in aqua, quod meatibus ab aqua replendis vacant. Adamas verò longè meatibus affluens Empedocli, cum sit transparens, ægrè ab igne vincitur; non ergò soli meatus, sed vis actiua, suique diffusiua prius actionem celebrat; illi autem commodi sunt ex parte. Neque ignis propriam molem immittendo, sed calorem amplificando penetrat, dissoluit, transmutatque. Nota quod multa intrusa per meatus nihil agunt, & vt cera intra pumicem, & arenula in aquam. Ergò requiritur vis actiua incorporea sese multiplicans, transmutansque subiectum.

Ad Democritum. Nego generationem esse congregationem, & disgregationem, sed fieri in iis modis concedo: semen enim ex homine disgregatur, & congregatur in fætu, & ex aëre portio disgregatur, quæ congregatur in aquam: & ex aqua extrahitur portio, quæ fit aër: potest tamen ex tota aqua fieri totus aer, vt in olla, & tunc erit sola disgregatio qualificata per extensionem, non per diuisionem. Atqui harum passionum causa non sunt figuræ atomorum: sed calor, & frigus, & aliquando impulsio, & compulsio, amore, & odio mutuo rerum exortæ; in quo non imperitè sentit Empedocles, & Anaxagoras. Calor autem, & frigus, si corpora essent, id non efficerent, sed tantum aut sursum, aut deorsum, aut quo impellerentur, impellerent: cum autem Physica generatio sit arte, ordinéque plena, nequaquam his attribui potest causis, sed addenda est intellectualis, quæ sapienter congreget, & disgreget, & causis actiuis vtatur ad opificia tam mirifica. Insufficiens mihi videtur Democritus, & sibi contrarius, qui putat se ratione posse probare, quod in mundo non sit Ratio. At vndenam sua ratio ortum habet? à casu? si casu loquitur, quis illi crederet? si ratione; asserat illam in mundo prius oportet, vt principem causam. Item vndenam sensus, dolor, voluptas, imaginatio infinita, si atoma sola absque sensu in mundo sunt? Attractionem dicimus fieri eodem modo, est enim imperfecta generatio: versio autem, & transpositio faciunt per se solam localem mutationem, suboritur autem alteratio ex actiuarum causarum commistione. Frigus autem, & calorem ex figuris oriri non posse, actiuas nimirum res ex passiuis, alibi probauimus. Figura enim non agit, sed coagit, vel adiuuat agentem causam.

Resp. ad arg. Arist. Rationes tamen Aristotelis contra Democritum, & Empedoclem parum vrgent.

Ad primum concederet, quod segregatur aqua ex aëre in quo est dispersa, & non vnita sicut in vase: atoma enim corpora aquæ apta, sunt in aëre, vt patet, & terræ.

Ad secundum; fit grauior, non quia mutant atoma ponderis, sed vnita possunt ex aëre separari, nec ab aëris, in quo sparsa sunt, atomis retineri in sublime.

Ad tertium nihil dicit. Hoc etiam argumento vtitur contra Anaxagoram, sed dicerent aduersarij, ex aqua extrahi aërem: & si semper fieret extractio, nunquam autem & aquæ refectio, deficeret aqua tota, at cum vicissim fiant extractiones vtique perpetua sunt elementa, inuicemque commista. Hoc Aristoteles per se quoque docet. Democritus concedit interitum mundi, sed non hac ratione.

Ad quintum, licet in aëre multo sit plus aquæ, quam in ciatho aquæ, non tamen aër est grauior: quoniam est longè plus aëris, quam aquæ, qui illam sparsam aquam per ipsum, continet in sublimi.

Quis non videt atoma terrea sic in aëre vagari, & in aqua? Item nubes grauiores aëre in sublimi pendulas: quoniam ignis atomis sustinentur Democrito: nobis autem caloris vi: quo cessante decidunt; vt quando Boreas frigidus spirat: sic arenulæ & puluis in aqua agitata natant: quoniam motus eos cum aqua sursum deorsúmque pellit, exiles: cessante tamen agitatione, paulatim subsidunt, vt hypostasis vrinæ.

In primo de genet. melius argumentatur, in tertio tamen argumento deficit. Non enim inclusum est vacuum corporibus inseparabile, sed quocunque vadunt idem vacuum habent; non enim differt à se ipso spatium: si secus dixere Democratici, non rectè dixerunt.

In rationibus contra Democritum additis, non est solidus: ex quo enim ille figuris tribuit qualitates, non quatenus figuræ, sed quatenus complectuntur mutuo, non valent rationes primæ. Neque est inconueniens, quod parua sint minus passibilia. Nec si frigus desit, & caloris sit priuatio: contra hoc illi erat insudandum. Nec dabit plura indiuisibili Democritus, nisi respectu diuersorum. Nec semper cum se tangunt simul a fiunt vnum, nisi vbi plura coaceruantur, & non impediuntur vniri. Cum autem quærit causas agentes, & diuersitatis, melius viget, nec tamen deest responsum, nisi rationes formentur, sicuti à nobis paulo ante.

Ad Aristotelem deuenientes, dicimus, licèt melius sentiat, quàm Democritus & Empedocles, quoniam actiuis qualitatibus dat vires transmutandi materias: tamen de actione deterius loquitur. Neque enim est qui ignoret hoc agere, quia actu; illud pati, quia potentia: sed dicendum erat, quomodo fiat actio. Democritus quidem, & Empedocles assignant rationem, licèt insufficientem: Arist. verò nihil, sed eludit negotium, vt solet distinctiuncula actus, & potentiæ: quis ignorat agentem causam agere, quia potest agere, & patientem pati, quia potest pati? vix pueri sic philosophantur, petit principium declarátque idem per idem. Vtque ineptiæ eius magis pandantur: dic, quæso, nonne lapis actu lapis, & aqua actu aqua, tellus verò est potentia lapis, & aqua? at cur aqua ex terra non facit aquam, nec lapis lapidem? ergò Aristoteles insufficiens, & imperitus: neque enim deest actus, nec potentia, sed virtus diffusiua, & multiplicatiua: quia enim aqua non habet vim se se multiplicandi, non potest de ligno facere aquam, sicut ignis de eodem facit ignem, & tamen erat potentia magis ad aquam: sic de cæteris considera. *Conf. opin. Aristot.*

Bene quidem Actionem, passionémque fieri tangendo docet; at cum ignis non tangat immediate, vel hic de multiplicatiua vi sibi philosophandum erat.

Item quia dicit contristatum tangi à contristante, & non è contra, debuisset animalem, & idealem effusionem intelligere. Verum in hoc fallitur: nam ex sola cogitatione non entis contristatur quis, nec tangitur à similitudine rei imaginatæ, quæ non est, vt cum puto latronem latere in tenebris furni: sed similitudo à me per alias formata, id facit in animo: vt hinc videas non dari Democriti actiones; neque solas elementares; sed animales etiam superioris generis: & passionem fieri à nullo patientibus. Nam etsi corpuscula mouentur in spiritu animali: tamen talis passio superioris est ordinis: sæpè enim realibus passionibus quasi nihil afficimur, etiam si mille atoma agitentur; ex sola autem mentali transmutamur, vt in Metaph.

Quæ addit de liquido, & congelato, absque corporali mutatione, falsa sunt. Neque enim calefactio, neque frigefactio absque rarefactione, & constrictione fiunt: ad quas sequitur colliquatio & congelatio. Atoma ergò situ mutantur & versione, sed non est id causa Princeps alterationis, sed agens calor, & frigus, vt dictum est: compositionis verò & ordinis Intelligentia.

Vtrùm species mutationis sufficienter in textu enumeratæ sunt, ac rectè videlicet. Generatio, & Corruptio, Augmentum, & Decrementum, Vectatio, & impulsus, Transformatio, & denique Alteratio. An Aristoteles, & alij meliora de hisce tradiderint.

ARTIC. XIII.

VIdetur, quod perperam, & insufficienter assignatæ sint.

1. Creatio est mutatio de nihilo ad ens, & de hac non fit mentio, ergo, &c.

2. Non solum vectatio, & impulsus est mutatio secundum Aristotelem, sed omnis localis motus, vt est motus solis, cuius partes mutant locum, nec vectatione, aut impulsu.

3. Datur etiam tractio, & vertigo, dilatatio, & constrictio, quæ spectant ad hanc mutationem.

Videtur deesse Transpositio, vt cum partes mutant situm ad mundum ad Solem, & ad alia corpora, & fiunt dextræ, & sinistræ, alius enim est terminus mutationis dextreitas, & localitas.

7. Phys. tex. 15. 4. De transformatione superflui sumus: nam vt probat Arist. in 7. Phys. tex. 15. ad formam non est alteratio; neque ad habitus, & figuras; sed resultant ex quibusdam alteratis, vt calefactis, frigefactis, densatis. Item id ex quo fit forma, non vocatur forma, sed æs, vel æreum, quod non æquiuocè dicitur cum forma, quæ fit: quod autem alteratur æquiuocum est de passione, & materia. Quapropter dicitur æs humidum, sed non, æs figura, licet figura ærea.

5. Item ridiculum est dicere domum, cum finem accepit, alteratam esse, sed formatam. Item virtus & vitium sunt ad aliquid: in ad aliquid autem non est motus, sed resultant postmodum. Neque intellectus generatur, aut alteratur, cum fit sciens, sed quiescens fit.

Concludit alterationem esse in sola passibili qualitate sensibili: non autem in animastica, nec in formatione.

6. Aristoteles in quinto Phys. non dari mutationem nisi inter contradictoria, & contraria, & media, quæ sunt loco contrarij, putat per se propriè, non secundum partem, aut per accidens: in mutatione verò contradictoria negat esse motum: hæc enim est in substantia: sed substantiæ (inquit in tex. 10.) nihil est contrarium; omnis autem motus inter contraria. Item in tex. 8. Quod non est, inquit, impossibile est moueri; quod autem generatur simpliciter, vt homo ex non homine, non est: ergò non mouetur. Si enim est, non fit: est enim; si non est, ergò nec moueri potest. Item omne quod mouetur est in loco. Quod autem generatur non est in loco, quia non est. Igitur neque corruptio est motus, quia generationi contraria.

Idem in tex. 9. & seq. probat: Motum esse solum in quantitate, qualitate, & vbi: nam non in substantia propter dictas rationes; neque in ad aliquid, quoniam contingit columnæ fieri mihi dextram nihil ipsa mutatâ: neque in Agere, & pati; quia non est generationis generatio, nec mutationis mutatio subiectiuè. Non enim motus potest esse motus subiectum. Nec mobile ex vno in alterum digredi, nisi per accidens, & ex sanatione in ægrotationem: esset quoque habitus in infinitum, si mutationis esset mutatio, & huius altera mutatio, &c. ergò non est motus nisi in tribus, videlicet, in quantitate, qualitate, & vbi, in quibus est contrarietas.

7. Nos diximus alterationem esse in omni mutatione, ergò est nomen commune, & non condistinctum.

8. Ex vno fit multitudo per diuisionem, & varietas, quæ mediat inter vnum simpliciter, & multa: ex multis autem fit vnum per vnionem, & omnis mutatio sequitur ad istam:

istam. Ergò insufficienter locuti sumus dimittentes potissimam.

9. In omni mutatione est motus localis. Ergò hic solus est omnis mutatio.

10. In habere librum, & carere, fit mutatio de possessione in non possessionem. Item de vestito esse in spoliatum esse, nec cui mutationis speciei sit tribuenda hæc, scimus.

Videtur melius Democritus in situ, ordine, figura, & motu, & tactu philosophari omnes differentias mutationis.

11. Cum ex cera triangulari fit quadrangularis, non potest dici quod triangulus fit quadrangulus; sed triangulatum, quadrangulatum. Tunc non erit transformatio: non enim forma in formam transit: sed materia abiicit vnam, & recipit aliam. Idem fit de calido in frigido, & de terra, & aqua inuicem mutatis, non ergò transformati, addenda erat, cum sit omnis mutatio.

Respondeo me sufficienter, ac probè locutum in textu, considerantibus hic de vniuersalissima mutatione non fieri mentionem, quoniam Metaphysiologici est negotij. Vnitas quippè, & multitudo sunt entis conditiones, & Vnio, & Diuisio sunt principalissimæ mutationes omnibus præpositæ: ad ipsas enim sequitur Congregatio, & Disgregatio, & omnis per consequens Alteratio, & tactus, & productio. Aristoteles autem in 8. Phys. tex. 55. *Omnium passionum*, ait, *principium est densitas, & raritas: etenim Graue, & Leue, & Molle, & Durum, & Calidum, & frigidum, densitates videntur esse, & raritates. Quædam densitas autem, & Raritas, Congregatio, & Disgregatio, secundam quas Generatio, & corruptio dicitur.* Quæ autem congregantur, & disgregantur necesse est secundum locum mutari, sicut quod augetur, & minuitur. Alterationem quoque præcedit motus localis, quoniam alterans propinquat, & recedit ab alterabili, &c. Vnde videtur motum localem præponere cunctis. At cum propinquatio, & recessio non fiat, nisi per vnitionem, & separationem: similiter etiam auctio, & diminutio, & alimenti appositio, & detractio fiant: Item cum Raritas, & Densitas sint diuisionis, & vnitionis effectus, & secundum Aristotelem 2. de Gener. & Corrupt. & 4. Meteor. Calor, & frigus sint causa condensationis, & Rarefactionis: profectò videtur Aristoteles contra se ipsum & perperam philosophatus: ac primam mutationem omisisse, potissimámque. Nos autem illam in Metaphys. tractauimus: hic verò non ab re præmisimus calefactionem, & frigefactionem. Diuisio enim, & vnitio ab his fit rarefacientibus, & constipantibus. Calor autem, & frigus id non faciunt, nisi quia vniuntur materiæ. Hoc autem relinquimus tanquam per se notum Physicè. Nam in Metaph. etiam per se nota in dubium vertuntur, dum docet quomodo fiat notitia horum. & si vere sit cognoscere. De Rarefactione autem, & condensatione locuti sumus tanquam de Alteratione, sed vbi perficiuntur, tanquam de generatione. Aqua enim rarefacta penitus, vapor fit, aërque: puto tamen alterationem esse vocabulum generale: quæ quando est perfecta vocatur generatio, & corruptio, & augmentum, & loci mutatio: sequitur enim ad separationem mobilis de hoc loco alteritas loci primò aliqua, donec totalis facta sit alietas: propterea omnes antiqui, quos non rectè Aristoteles reprehendit, vocant mutationem alteritatem. 8. Phys. tex. 55.

Nos quidem dicimus non dari actiones & passiones, quæ sunt Mutatio in Physicis nisi duas per se, hoc est Calefactionem, & frigefactionem: & sex propter se id est Motionem, Rarefactionem, & illustrationem à calore: immobilitationem, & Condensationem, & obscurationem à frigore: cæteras verò mutationes vocari per accidens, & inueniri in omni prædicamento, vt consequentes ad præfatas: ergò generatio, & corruptio, augmentum, & decrementum: formatio, & deformatio: Transfiguratio, Transcoloratio; transmutatio, transrelatio, & dissimilatio, sunt per accidens respectu physicarum causarum, id est caloris, & frigoris, vt sunt principales in Physic. sed reduci ad causas per se, id est ad intelligentias formatrices rerum, vel ad Deum, qui hos effectus non intentos à Physicis, intendit facere, facitque eos regendo Necessitate, Fato, & Harmonia, vt patet in Metaph. At respondentes argumentis scrupulos omnes eximemus.

Ad primum nego creationem esse speciem mutationis, neque enim Ens muta-

V

tur, quod non est, neque Nihilum, quod Physicè neque agit, neque patitur, sed est pura successio de non esse ad esse. Cum autem Deus creat non effundit suam substantiam, neque se multiplicat, vt calor: sed facit esse, quod non erat modo quodam indicibili, participamus enim esse eius, sed non habemus particulam suæ entitatis, sed aliud quid imitans illam, & hæc vera est transitio de non esse ad esse contradictoriè. De hac in Metaph. præsupponimus hic Deum creasse, vt in Textu.

Ad secundum, Nos distinximus inter operationem, quæ est motus, & Actionem, & Passionem, quæ sunt mutatio. In motu locali, qui est operatio, nihil mutatur; sed potius seruatur mobile, vt in motu solis patet. Dicitur tamen mutare locum; sed locus est aliud à locato, & in eo potius est passio, quæ dicitur repletio, & vacuatio: in eo verò, quod se mouet relatione, & secundum exteriorem existentiam dicitur mutatio, non in se, ac verè. Mutatur autem verè, quod ab alio fertur ipso non operante: & hic est gestatio. Addi impulsum, quoniam pellimus aliquando, quod non gestamus, & ad ipsam reducitur tractio, & vertigo, quæ ex vtrisque componitur.

Ad tertium dictum est. Constrictio autem, & Dilatatio ad vnitionem, & diuisionem spectant in Metaph. hic verò ad alterationem, & generationem, & augmentum.

Ad quartum cum Transformatione comprehendimus, transpositionem, & situationem: vt enim declarauimus in Logica, Forma est partium habitudo in toto: situs est earundem partium ad mundum, & ad alias mundi partes configuratio, quæ est forma relata. Ideo transpositio dum fit in subiecto est transformatio; dum consideratur ad extrà, est conformationis mutatio: sequuntur tamen ad loci totalis, vel partialis mutationem.

Ad quintum videtur mihi Arist. haud rectè loqui. Nam & augmentum sequitur ad cibi alterati localem mutationem ad partes nutritas: nec de se est aliqua mutatio; dicitur tamen mutatio, quoniam, quod augetur, inuenitur mutatum in quantitate ex talibus appositionibus, & alterationibus. Quapropter idem dicas in transformatione, quæ sequitur ad partium transpositionem, torsionem, directionem, versionem. Profectò cum figuratur in cera sigillum, non potest dici alteratio, quia non est passibilis qualitatis; neque generatio, neque augmentum: erit ergò alia species mutationis, quæ dicitur transfiguratio: concedo non esse alterationem, neque loci mutationem, sed fieri cum his: sic enim & generatio fit. Nec dicimus domum alteratam cum finitur, sed factam prorsus, hoc est perfectam; perfectio autem fit additione, quæ est augmenti ratio, & figuratione, quæ est mutatio transformans.

Fit autem forma, vel additione, ordinéque, vt in fabrica domus; vel abstractione, vt cum marmor insculpitur imagine: vel transpositione vt cum sedile positum ad ianuæ terminum, fit limen: vel omnibus hisce modis cum literæ in typographia componuntur ad significandum: maximè autem transformatio, quando res eadem remanens, nihil perdens in aliam vertitur formam sicuti de folio vno circulatores efficiunt subitò formam candelabri, & turris, deinde mortarii, inde scamni, inde cribri, &c. neque enim potes dicere priorem formam annihilari, sed in posteriorem verti fortasse.

Ad sextum, quæ addit Aristoteles de virtute, & vitio, & scientia, vt in his alterationem neget, friuola sunt: nam & filius est Ad aliquid, haud tamen generationis non est terminus. Veréque mutari de scientia in ignorantiam, & è contra, per notiones additas, & deletas, scimus spiritum animalem, & de vitio in virtutem: neque quiescendo, sed apprimè operando ista fiunt in anima, licèt corporis quies requiratur aliquando, ne huius motus motiones illas turbet; sed ad spiritus corporei reales alterationes sequitur iudicium in virtute cognoscente, quæ est altioris ordinis, & ideò Alteratio est in ea ordinis quoque superioris: de qua in Metaph.

De cætero nescio quid Arist. philosophatur de æquiuocatione alterabilis. Nam & si cum cartha albescit, & nigrum albescit, æquiuocum sit, ly nigrum ad quale, & ad cartham, non tamen æquiuocè sumitur, sed pro subiecta cartha ly nigrū supponit in oratione similiter autē cum informe formatur, aut æs formatur, aut statua fit cāpana, semper subiectum

intelligitur mutari, si propositiones debent æquipollere: nunc de rebus est sermo, non de vocibus: concessi non esse solam alterationem in formationibus. Nota etiam quod etsi non dicimus, æs est circulus, dicimus verò æs est calidum, tamen dicimus, æs est circulatum, & non dicimus æs est caliditas. Paralogizat primo de abstracto ad concretum & è contra.

Ad sextum errat Aristoteles, quoniam inter contradictoria non datur mutatio, nisi impropria, quæ est creatio, vt dictum est: generatio verò est inter priuatiuè opposita ex pr Phys. non autem contradictoria. Non enim homo fit ex puro non homine, qui est nihil, sed ex semine, qui homo est in potentia apta ad hominè esse: quatenus autem non est, priuatum est, non negatum. similiter cum ex non albo fit album, dicitur generatio simpliciter ipsius albi, sed non simpliciter entis: & in hoc errat Aristoteles, quia putat hominis generationem esse simpliciter, quia entis ex non ente; albi verò secundum quid, quoniam ens subiectum est transiens de nigro in album. At profectò etiam subiectum datur ex non homine transiens in hominem, ex non aqua in aquam. Nihil enim ex nihilo fit secundum generationem, sed aliquid ex aliquo. Idcircò non dicam generationem albi esse secundum quid generationem, quatenus generatio, sed esse entis, quod non est ens simpliciter, sed secundum quid. Ita ly secundum quid, non cadit super generationem, vt putat Aristoteles, sed super genitum; & hoc perpetuò dicam cum priuatiuè loquimur, ex non albo fit album. Quando autem loquimur contrariè, vt ex nigro fit album, ly nigrum fallaciter ponit; non enim transit in albedinis naturam, nisi apud Democritum, in quo ista omnia sunt apparentia: sed ly ex, dicit ordinem, quia post nigrum fit album subiectum prius nigrum. At cum ex non albo fit album, dicit ly ex, ordinem & subiectum. Verùm quoniam non fit album ex quolibet non albo subiectiuè: non enim ex linea, aut ex voce non alba: hæc enim sunt diuersa, inter quæ non cadit transmutatio: propterea certius dicimus, licèt fallacius, ex nigro fit album. Nam tunc denotamus subiectum priuatiuè, non negatiuè: priuatum autem natum est suscipere, non autem negatum, quoniam diuersum.

Quapropter licèt in substantia non sit contrarietas, non tamen propterea non est motus, quem hic sumimus pro transmutatione: vbicunque enim est potentia de Priuatione ad Actum, ibi potest esse transmutatio. Contrarietas autem declarat, quod sit potentia hæc, non autem facit vt sit: ex eo enim quod idem est subiectum contrariorum, intelligimus hoc posse albescere: cum quo tamen stat, quod contrarietas potius repugnat mutationi. Nigredo enim prauia renititur albedini. Albescit autem non quatenus nigrum, sed quatenus corpus priuatum albedine sibi possibili: cum ergò in semine sit potentia ad plantam, fit generatio ex non contrario, rectius. Inter elementa verò, quæ contraria sunt, fit cum non repugnantia solius subiecti communis, quatenus priuati, non quatenus à contraria forma possessi, nisi declaratiuè.

At etiam, quod inter substantias sit contrarietas anteà probauimus: quæ enim agunt in inuicem, & contrariis qualitatibus scatent, & odiis mutuis, vtique contrariæ sunt magis quàm qualitates, vt Aristoteles non semel docet in primo de gener. in elementis autem contrarietas dicitur, in elementatis differentia.

Secunda ratio Aristotelis errat fallacia figuræ dictionis; si quidem cum dicimus moueri, quod est, intelligimus subiectum motus: quod autem fit in nulla mutatione est subiectum: sed generari dicitur, quod non est, determino; sed subiectum semper est verum: sic etiam neque album, neque esse in platea, sunt subiectum in mutatione ad alborem, & non plateam; sed Petrus, qui albescit, & it ad plateam: sic neque homo est subiectum generationis hominis, sed semen, & materia corpulenta: hanc autem constat esse, & esse in loco: quod nec Auerroës, nec Alexander negant: solum in creatione valet Aristotelis ratio, in qua nihil subiicitur, vt ens, neque vt in loco existens: cum autem dicimus, homo generatur, idem est, ac cum dicimus, album generatur, neque enim est album antequam fiat paries albus, neque est homo antequam fiat semen homo: ly autem homo, ly album, supponunt pro homine, & albo futuro in actu, & ante in potentia, sicut cum dico, homo est mortuus supponit pro eo, qui fuit homo actu; sed hæc est remota comparatio: potius dicendum, quod similiter cum dico,

homo moritur, supponit pro homine in actu, ente in potentia, & in via ad non ens. Aristoteles autem fallitur, quia cum dico, paries albescit, videtur subiectum esse, non autem cum dico homo generatur, qui nondum est: sed fallacia interest, quoniam in altera pono subiectum propositionis subiectum mutationis; in altera terminum mutationis, qui nondum est: si autem vtrobique subiectum accipias, vtrobique est.

Deinde non bene probat, quod in Ad aliquid non sit mutatio: nam licet dextra fiat mihi columna, me mutato, & non illa, tamen nunquam potest relatio fieri, nisi vterque vel alter terminus relationis mutetur, vt dicitur, Deus realiter factus nobis creator, & refugium & homo, nihil in ipso murato, sed nobis ab ipso. De his in Metaph. At profectò in creaturis est mutatio, quoad existentiam extrinsecam, etsi non intrinsecè in vtroque termino. Reuera enim columnæ accidit dextreitas, me mutato intrinsecè, ipsa verò extrinsece, in coëxistentia cum aliis entibus; secus est de Deo, cuius existentia est omnis existentia. Item in me fit mutatio in esse, In, & in esse Ad, sed in columna solum in esse Ad: propter coëxistentiam.

Nec rectè probat in Agere, & Pati non esse mutationem: Alteratur enim motus omnis per accelerationem, & tardationem, licet verum sit, quod in alium per se non mutatur, nisi per accidens: est quoque subiectum per aliud, nam & albedo non est alterationis subiectum, sed album; sic neque passio, sed patiens. Conclusio est falsa in Aristotele. Nam de Situ, & Habere restat controuersia. Quod si putat hæc resultare ad mutationes, non tamen esse terminos mutationis: profectò idem de Augmento, & Decremento, dicendum foret. Fortasse; & de omnis motus ratione, qui ad localem consequitur. At si de intentione finis loquamur, est motus ad motum, vt cum quis mœchatur, vt furetur, furatur vt ludat, intrinsecus tamen terminus dat speciem Physicam motui: extrinsecus moralem, aut idealem, alterat enim natura, vt generet.

Cum autem ait, in tribus esse motum, quia inest contrarietas, sibi & naturæ repugnat, ipse enim in Prædicamentis docuit in Quantitate & loco, quem speciem facit quantitatis, non esse contrarietatem. Magnum enim, & Paruum esse Ad aliquid.

Prætereà magis mutatur, quod symbolum habet, quam quod contrarietatem: ergò non est mutationis ratio contrarietas, sed index subiecti, vt dicebamus: si autem vnum esset elementum non habens contrarium, omnia fierent illud vnum. Contrarietas ergò est vt etiam permaneat rerum distinctio, & pugna, & pacis est generatio post pugnam; sic & omne mutatum, ac factum esse. Inter Diuersa solummodo non est mutatio, nisi per accidens, in cæteris cunctis est.

Ad septimum dictum est Alterationem esse commune nomen: specialiter tamen sumi pro omni mutatione, quæ non transit ad aliam essentiam.

Ad octauum responsum est in corpore.

Ad nonum similiter, sed diuisio, & vnitio præcedunt localem motum, vt Aristoteli obiiciebamus.

Ad decimum: videntur hæ mutationes ad motum localem, & transpositionem, & Diuisionem, & Vnitionem: cúmque simplices non sint non ponunt in numerum: sunt etiam relationes succedentes: nam habens seruum est Dominus, & sicut de Ad aliquid de illis quoque. Democritus de materialibus haud inepte philosophatur; omisit tamen potiora, quæ à deterioribus deriuat fallaciter.

Ad vndecimum, non mutamur figura abstracta, sed concreta in figuram: manifestè enim ex virga recta fit curua, nil mutato in virga, nisi rectitudine in curuitatem, & Tragedia, comedia transpositis literis. Idem in veste inuersa vides, & in vulua ex qua fit vertrum sola transfiguratione secundum Galenum. Fiunt tamen alterationes, & motiones, sed propter formam, & ab hac denominatur Transformatio, sicut in Quantitate diceretur Quantificatio innominatum illud, quo Augmentum, & Decrementum designaretur. Igitur in prædicamentis nostris datur Mutatio, sed in tribus respectiuis, quoniam consequuntur ad absoluta, non nisi consequenter, vt dictum est, &c. Et quidem consequentia secundaria: nam aliæ consequuntur primariò ad calefactionem, quæ sunt primariò, & per se primæ in Phys. & ad alias, quæ fiunt à calore, & frigore, etsi non per se, tamen propter se, vt diximus anteà.

QVÆST. XVII.

POSTQVAM MVTATIONES IN COMmuni perquisiuimus, nunc de Transmutatione elementorum in inuicem dicendum restat: deinde verò quomodo in elementata transmutentur.

Vtrùm elementa in inuicem transmutentur, qua placet Aristoteli ratione: an quemadmodum in textu explicauimus.

ARTIC. I.



RISTOTELES Ocelli verba, ac sententias mutuatus in secundo de Generat.& Corrupt. T.23.& 24. & seq. aliam dicit esse Transmutationem elementorum habentium symbolum, aliam carentium. In illa enim vna qualitas mutatur: in ista duæ: sic per gyrum ex terra, dempta sola frigiditate, fit ignis. Siccitate verò sola, fit aqua, ex aqua dempto frigore fit Aër, dempta humiditate Tellus. Aër fit ignis sola humiditate mutata, fit aqua solo calore. Ignis fit Aër, perdita siccitate, Terra, Calore: vtrisque, aqua: sic aër vtrisque perditis, Terra; Aqua vtrisque, ignis: Tellus vtrisque Aër. *Ocellus in lib. de Mundo non interituro.*

Adhuc autem tertiam apponendo transmutationem, ait, T. 27. ex frigore aquæ, & siccitate ignis fieri terram: & ex caliditate aëris, & terræ siccitate fieri ignem; & ex aqua perdito frigore, & igne, perdita siccitate, fit aër vnum ex duobus elementis, quia remanet calor, & humor; ex aëre, & terra fit aqua, si illius calorem, terræque siccitatem perimas.

Probat hoc sensu. Nam flamma est fumus ardens. Fumus autem ex aëre & terra.

Nos autem nullum symbolum præter materiam inter elementa ponentes, statuimus ex terra, dempta siccitate, & frigore, fieri ignem. Ignis enim siccus esse non potest, cum densus, durúsque non sit, neque subitò fieri hanc transmutationem, quam Plato in Metaphys. examinatus nobis dicit fieri nunquam. vt enim siccitas terræ fiat tenuitas ignis, oportet primò terram fieri lentam, laxata ex parte materiæ densitate: deinde mollem, vt cedat tactui: deinde viscosam: deinde lubricam, deinde liquidam; deinde vaporem: deinde tenuitatem puri ignis. Oportet autem à calore ista immutari, quia ignis tenuitas cum sit materiæ passio, non agit; neque terræ crassities ignem densat, sed frigus prius extinguens, & posteà densans paulatim: & in his transmutationibus mutatur quies in motum, sed non à motu; & nigredo in album, non ab albo, sed à calore omnia fiunt. Non enim color albus pictoris, actione, sed sui mistione albificat: nos de actionibus inquirimus. Hi autem gradus non discernentur, vbi robustissimus est calor, licet fiant: sic è contrario fit Tellus ex igne per gradus, si frigus ita potens reperirotur: hi autem gradus medij sunt secundorum entium entitates: igitur Aqua, & vapor, qui Aër, media entia, non extrema elementa sunt.

In hoc maximè Aristoteles incusari debet, quod cum statuisset in 2. de Gener. tex. 8. & 4. Meteor. cap. 1. humorem, & siccitatem esse passiua, & fieri à calore & frigore, tamen in 2. de gener. tex. 34. facit ea actiua, vt posset ex eis constituere elementa quatuor, & singula elementa duabus formis æquè primis constituit. At nunquam illorum actione in aliqua re est vsus: vtuntur Medici, sed mistione non effusione, vt dictum est prius.

Ad Ocellum, & Aristotelem dictum est prius, quod transmutatio eorum est fictitia,

& primo ignis non fit tellus dempto calore, nisi & tenuitas eius in densitatem vertatur, humorque in siccitatem extremam. Neque è conuerso ignis ex terra, nisi attenuetur: & licèt ignis in terra combusta videatur, & in sulphurea, non tamen est ignis purus, sed res ignita: sicut neque in ferro candenti, nisi in ignem cælestem tenuissimum inuertatur: siccitas enim coire cum calore pacificè non potest, omnia enim calor mouet, & dilatat: moueri autem non potest siccum vnitumque subiectum, sed rarefactum: Ideò omnia metalla mollescunt igne. Sic neque aqua fit tellus dempto humore: sed glacies, & crystallum: oportet ergò fortissimum addere frigus, quo transpicuitas, & fluiditas aquæ, & calor tollantur. Neque aqua fit aër, dempto frigore, sed feruet, vel vapor fit. Oportet ergò attenuari, quoniam alius est humor aquæ atque aëris; ille crassus, iste tenuis. Neque aqua ex terra, dempta siccitate; possunt enim alij fieri liquores: sed quod humor aquæ terræ siccitatem perdat, vanum est, cum non agat, hoc ergò à calore soluente fit. Ergò aqua à calore gignitur ex terra, & non à se per humorem, similiter neque aër fit ignis, dempta humiditate, non enim ignis tenuitas hoc facit, sed calor, qui actiuus est. Et si quis in omnibus attendat, nulla transmutatio etiam inter symbola fit, nisi à calore, & frigore, siccitas enim, & humor, agunt nihil, vt in q. 8. probatum est.

At neque aqua ex igne facit aquam, perdendo eius calorem, & siccitatem, sed potius ipsa in fumum conuertitur. Neque tellus aërem in se conuertit perimendo humorem, & calorem, nisi fortissimè denset infrigidetque, quod nunquam vidimus, licet naturalis sit hæc, possibilisque, si frigus tantum reperiretur. At longè minus ignem in se mutet vnquam, licet condenset in liquorem: potius ex igne fit vapor, & aër. Neque aër potest perdere qualitates terræ, & aërem facere. Sed ignis est qui terram attenuat, & calefacit; non autem tenuitas aëris potest siccitatem terræ tollere, neque calor eius flacus frigus terræ sæuum, &c.

Absurdior autem magis est, quando ex duobus elementis facit tertium per peremptionem duarum qualitatum. Quis vnquam somniauit, ne dicam vidit, ex frigore aquæ, & ignis siccitate, terram fieri, & à quo? non à mutua pugna, quoniam fieret vapor ex aqua, & igne: neque à terra, quoniam tenuitas ignis non patitur à siccitate terræ, nisi calor à frigore: & per consequens tenuitas. Sic neque aqua ex aëre, & terra, non enim aqua potest aquam gignere, neque terram in se mutare; multò autem minus aërem & terram: sed mutatio omnis est à frigore, & calore robustis, quibus caret aqua: ergò non potest liquefacere terram, sed cum illa misceri, & fieri gluten: Neque aërem condensare, licèt aliquatenus possit refrigerare frigore non suo; quod Arist. in 4. Met. fatetur: quòd aqua congelat mel non sui natura fluida, sed frigore extraneo. Patet quoque quod humiditas aquæ non est eadem cum aërea, sed longè crassior. Ideóque dicebamus calorem, & humiditatem aëris oportere tetundi vt fiat aqua, quod in nubibus fit nulla aqua. Aqua faciente, sed sola condensatione qua vis orta occasione, vt mox docebimus. Sed satis hæc ad ineptias detegendas. Plato in Timeo concedit aërem aquam & ignem conuerti in inuicem: quoniam composita sunt ex triangulis scalenis ista tria: non autem in terram, quæ ex Isoscelibus, vt neque terra in illa. Sed quoniam transcendit Physiologiam, disputauimus hoc dogma cum eo in p. p. lib. 2. Metaph. similiter cum Empedocle; qui nullum vertit elementum in vllum. Vide ibi. Et quod recentiores dicunt non solum terram, sed nec sal, nec sulfur nec oleum, nec aërem, neque aquam, in alia elementa immutari, sed solum in elementata, mistaque: ibi examinanda sunt: & mox aliquid dicemus.

QVÆST. XVIII.

DE MISTIONE.

Vtrùm elementa ad elementatorum productionem misceantur, & fiat contrariorum mistio ita, vt maneant in misto., & in dissolutione misti separentur, vt putat Aristoteles, an verò non detur mistio contrariorum.

ARTIC. I.

VIDETVR Empedocli atque Hippocrati, & Platoni; eosque sequuto Aristoteli, elementa ex inuicem fieri, vel per disgregationem, vel per generationem: elementata verò ex quatuor elementis per mistionem ita, vt quatuor contraria sint in misto, quæ in misti dissolutione separantur, & ad miscibilium vniuersitates reuertuntur, terra in terram; aqua in aquam; ignis ad ignem, aër ad aërem.

1. Probat, quoniam elementata fiunt ex elementis, quæ non dant quod non habent. Ergò sunt elementa ipsa in misto elementato.

2. Si non possunt esse quatuor, quia sunt contraria in elementato, ergò oportet vnum solum: sed hoc est falsum, ait Hippocrates, quoniam tunc vno tantum dolore doleremus, & vno medicamento indigeremus, at multis dolemus, & indigemus, ergò multa, contrariáque sunt in nobis. *De nat. hum.*

3. Præterea non moreretur animal, nisi violenta morte extrinsecus illata: vnum enim elementum non pugnat secum, neque facit intemperiem humorum, & discordiam, vnde oritur ægritudo, & mors.

4. Si esset vnum elementum, corpus nostrum esset homogeneum, totum ignis, aut totum tellus, aut aqua totum, vel aër, hoc autem falsum. *Hip. de nat. hum.*

5. Sunt in corpore nostro humores quatuor, cholera respondens igni, calida siccaque, & æstati; Melancholia frigida siccaque terræ, & autumno: sanguis calidus humidusque, respondens aëri, & veri. Flegma frigidum, humidúmque respondens aquæ, & hyemi, in qua abundant, vt cæteri humores temporibus suorum elementorum. *T. 5. & seq. T. 32.*

6. Quatuor sunt febres, continua respondens igni, ait Plato; qui continuo mouetur. Quotidiana aëri, quæ non sic continuat motum; & illa choleræ: ista sanguini respondet. Tertiana respondens aquæ minus mobili, nisi tertio quoque die, & ideò ex flegmatico oritur humore. Quartana respondens terræ ex melancholico fit, & sæpius in autumno, pigerrima ad motum tardans, vt terra. *in Tim. & Gal. de Typ.*

7. Ait Aristoteles: mistum resoluitur in quatuor elementa, ergo ex quatuor componitur.

8. Palàm, ait, oportet in animali, & planta ponere terram, quoniam ex terra, & in terra fiunt. Terra autem absque aqua non conglutinatur, sed decidit ariditate sicut arena, ergò adest & aqua. Præterea nutriuntur omnia per ignem: quoniam hoc solum elementum vorat: ergò ignis est in animali. Sed vbi est ignis, & aqua, ibi aër est, quoniam humiditas, & calor sunt aëris. *2. de Gen. T. 49.*

Item extrema non insunt absque medio. Igitur quatuor elementa habemus in mistis.

9. Manifestè inest in homine calor, & siccitas, & humiditas, & frigiditas, vt

patet in sanguine, & osse, & neruo, & carne.

Gal. de Temp. Ex quatuor elementis, ait Galenus, & Arist. nutrimur. Ergò ex quatuor componimur: igne enim fouemur, aquam bibimus, aërem respiramus: terrestria semina mandimus.

Arist. 2. de gen. T. 50. Gal. de conuul. & Rig. & Trem. & Palpit. l. 6. 11 In rigoribus & palpitationibus cordis, & paroxismis febrilibus, & in tumoribus, manifestè sentimus in nobis frigus, appetimus ignem, & vestes graues, vt in accessu quartanæ: & præ frigore strident etiam dentes. Est ergò in homine frigus innatum: de calore palam est. Siccitas autem in ossibus non negatur neque humiditas in humoribus. Igitur sine dubio quatuor sunt elementa in nobis contraria.

12. Alchimistæ quoque profitentur per distillatoria, quatuor humores elementares ex quolibet misto extrahere.

13. Medici faciunt mistiones medicinales ex herbis calidis siccisque humidis frigidisque.

14. Dantur herbæ refrigerantes, vt lactuca, & cicorea, & venena frigida, vt opium, cicuta; multaque musta frigida à prædominio. Ergò datur mistio ex contrariis.

15. Nix frigida est Peripateticis, nobis verò videtur calida ob candorem. Ergò miscentur calor & frigus.

16. Idem probat mistio vini, & aquæ.

17. Galenus probat nedum corpus humanum, sed & calorem natiuum ex quatuor elementis componi: nam alius calor vrit, & exsiccat tactum, qualis est febrilis acutus, & tenuis. Alius rarefacit & humectat, sicut calor puerilis, & febris quotidianæ. Alius est minor, & refrigerat, vt patet in rigore & palpitatione, & in tactu infantis: & variatur in eodem homine ad has differentias ita vt aliquando siccior sit idem calor, aliquando humidior, aliquando frigidusculus.

18. Calor non potest minui, nisi frigoris mistione; si ergò frigus non esset in corpore nostro, esset calor summus, vt in igne.

19. Hippocrates febrem definit, calorem natiuum versum in igneum: quapropter prius erat aqueus, aëreus &c. Nam terreus videtur in quartana propter scabritiam, & in Hectica propter duritiem, quam tangenti offert.

20 Sapores miscentur, item lux, & tenebra in colore. Item motus fit tardus mistione quietis, vt supra dicebamus, quando tepidum mistione frigoris, & viscosum humidi cum sicco.

Cap. 3. SED Contra est Iacobus, *Numquid fons de eodem foramine manat dulcem, & amaram aquam?* Vnde eliciunt omnes glossæ Axioma illud: *Contraria non possunt esse simul.* Et Bernardus Epist. 2. ignis & aqua simul esse non possunt, & omnes Patres. Quapropter ex contrariis componi Ens nullum existimamus, neque dari mistionem contrariorum. Secunda verò entia à calore solis fieri terram variis immurante modis, prout in textu docuimus, qua ratione ab vno calore in innumeros variato gradus ex vna materia terræ innumeris immutata modis per varios agendi, & repugnandi modos, adhuc per superuenientes actiones variatas: nunc autem, quod impossibilis sit mistio examinando autores videbimus.

Primò de gener. & corrup. cap. vlt. T. 84. Ait ergò Aristoteles, quòd si quatuor elementorum in inuicem agentium corrumpatur vnum, fit generatio alterius, non mistio; si corrumpuntur ambo, vel omnia quatuor, non fit mistio, sed generatio. Quæ enim seruata non sunt, in misto non sunt, sed in alienam naturam transierunt: oportet autem mista venire ad mistionem, & æquari in misto, & inesse. Atque iterum, ait, dissoluto misto cum propria mole, & viribus separari vnumquodque atque ad sua loca reuerti.

T. 85. & 86. Deinde quærit quomodo possunt esse in misto seruata. Nam si sic sunt, non erit mistio, sed coaceruatio ex illis quatuor: si verò in minutissima, & inuisilia frustula comminuantur, erit mistio sensui nostro, non autem linceo, neque vera mistio: si non comminuantur, erit aceruatio, oportet autem, ait, homiomerum esse mistum: vt sicuti omnis pars aquæ est aqua, ita omnis pars misti sit mista, &c. Tandem docet oportere æquari contraria, alioquin quod potentius est destruet, quæ minus possunt, &

& fiet generatio potentioris, non mistio ex omnibus. His ità positis, tandem absoluere quæstionem volens, ait, quod sunt in misto quodammodo sic, & quodammodo non; sunt enim potentia, non autem actu, mistio autem est alteratorum elementorum vnio.

Quòd elementa non possunt venire ad mistionem, neque æquari in misto, neque esse in eo vllo pacto ex positis à Peripateticis.

INgentes profectò gratias debet Aristoteles (ait Telesius acutissimus) distinctioni actus, & potentiæ, quoniam per ipsam omnia impossibilia, & inexplicabilia, & absurdissima, facere plana & certa non veretur. Quæro insuper qua ratione sunt potentia in misto, vel quia possunt esse, & sic non sunt; vel quia sunt verè, & sic sunt actu, aut si alteratorum vnio est mistio, ergò sunt, sed alterata tantum: alteratio autem est citra corruptionem. Ergò actu sunt: nam quæ corrupta sunt, mista non sunt; neque enim sunt: sed in aliud transierunt.

Respondet Alex. Aphrod. quòd omnes elementorum formæ sunt in misto seruatæ, alioquin non essent separabiles cum propria mole; & hæc est opinio Empedoclis ponentis elementa in inuicem intransmutabilia, sed solum miscibilia: sed si sic, inquam, erit coaceruatio ex quatuor; vt opponebat Arist. & non mistio. Præterea aut omnes formæ sunt simul in eodem materiæ puncto, vt totæ quatuor sint in tota materia, aut sunt in variis partibus. Si in eodem, ergò contraria viuunt simul; & non amplius sunt contraria, sed depositis odiis propriæ oblita naturæ in alienas transierunt: si autem contrariæ non sunt, neque ipsæ sunt, sed aliæ: Ergò non sunt in misto: si verò sunt pacificatæ, contrariæ non sunt. Ergò falsum est, quod sit pugna elemētorum in corpore nostro, vnde oriantur ægritudines: si autem sunt in diuersis partibus, erit coacetuatio, non mistio, nec omnis pars misti, mista, vt vult Aristoteles. Item neque erit pacificatio, ergò adhuc non conuenerunt ad componendum elementatum; & quomodo conueniant, vt propter aliud velint suæ obliuisci naturæ? Adde quod nefas videtur Peripateticis candem materiam pluribus simul formis informari. *In libello de Mistione & 9 nat. c. 18.*

Præterea palam est, quod multa sunt calida à prædominio, multa terrea, multa aquea secundum Peripateticos: sed si calor præualet in eadem materia, vincit omnes: si in diuersis partialibus non est vnitus illis. Ergò non componunt simul. At etiam quomodo eadem materia à quatuor formis simul possit informari disquirunt Peripatetici, sed non inueniunt in via eorum.

Præterea si remanent seruatæ formæ: ergò idē erit terminus à quo, & ad quē productionis mistorū; quod Aristoteles absurdissimum reputat. Mistio autē erit pura vnitio.

Preterea formæ substantiales Aristoteli non suscipiunt magis & minus: sed Alexander hoc de compositis concedit non de formis: ideò alterat illas.

Auicenna autem putat formas elementorum alias esse à qualitatibus, & seruari integras. qualitates vero remitti ac retundi, & castigari, quoniam suscipiunt magis, & minus. *Auic. relatus ab Auer. 3. cel. T. 67. & P. gen. T. 90.*

SED Contra, ait Auer. si forma ignis integra pōtest esse absque summo gradu caloris, potest & absque vllo calore, idem enim iudicium est totius, & partis. Quapropter oportet vtrasque remitti, formas nimirum & qualitates.

Præterea eadem argumenta, quibus impugnatur Alexander, premunt Auicennam, non enim assignat, quomodo sint simul contraria, aut quomodo non sit coaceruatio; & quomodo sit homiomerum mistum, vt sicut omnis pars aquæ est aqua, ita omnis pars misti sit mista.

Auerroës ergò respondit, quòd formæ, & qualitates elementorum remittuntur; nec esse inconueniens, quoniam formæ elementorum imperfectæ sunt, & suscipiunt magis & minus. Sed hoc falsum est: Nam elementata sunt elementa castigata per te. Ergò eorum magis est castigari, & intendi, quàm elementorum. *3. cal. T. 67.*

Præterea perfectiora sunt simplicia compositis. Præterea vel sunt simul formæ; & sic eadem materia informabitur à quatuor; vel seorsum, & non erit mistum, nec ho-

miomerum, sed coaceruatio, vel mistio ad sensum, non secundum rem. Item vt intensæ oppugnant intensas, ita remissæ remissas: ergò non pax; ergò non mistio.

Respondent Latini, quod formæ elementorum, & qualitates corrumpuntur, & generatur noua qualitas vna continens in virtute sua illas quatuor; & eius ope producitur forma misti vnica, quæ virtute continet elementa; cælo sic cooperante: Sed hæc ratio fallit: nam si illa forma eminenter continet virtutes elementares, calefaceret magis & melius quam ignis, & frigefaceret plusquam terra, &c. Item istorum ratio subtilis nihil docet pro Aristotele. Ipse enim probat, quod si elementa corrumpuntur, non sunt in misto, neque possunt cum propria mole deinde separari, quoniam iam perierunt, ergò facta est generatio non mistio: neque ergò fiet separatio: quomodo enim genitum in præcedentes formas quatuor potest conuerti, cum nec acetum in vinum propter ordinem redeat, nisi post innumeras mutationes? Aristoteles autem vult miscibilia manere ita vt possint separari, non generari post mutationes plurimas. Et si formæ sunt corruptæ, a quo regenerabuntur vt separentur?

Scot. 2. d. 15. Greg. Hebr. Ægid.

Præterea palam docet Galenus, & Aristoteles inesse frigus in corpore nostro, & calorem, non in virtute tertij, sed sui entitate, idem & D. Thom. sæpe docuit, remanere scilicet qualitates sed remissas. Item forma non potest in formam conuerti secundum Aristotelem, sed à generante educitur de sinu materiæ. Cum ergò omnes formæ, & qualitates elementorum corrumpantur, eorum vires non possunt in noua forma seruari, alioquin posset virtus rei viuere absque eo cuius est virtus, & transiret de essentia in essentiam. Præterea mistio non esset alteratorum, sed corruptorum vnio, hoc autem generatio.

Præterea probatur generaliter, quod elementa Aristotelica non possunt venire ad mistum, neque æquari. Nam vel mistio fit in aëre, vel in medio maris, vel in medio terræ. Sed in gremium terræ, & in profundum maris, vbi sunt pisces, & metalla, ignis & aër non descendunt. Si autem aliqua portio illorum descendat, à tanta aquæ mole contraria, vel terræ, corrumpatur oportet, ergò non æquantur.

Præterea ignis Aristotelicus sublunaris leuissimus nunquam potest in terram; & in mare descendere; neque visus est vnquam, nisi sol in his actiones omnes facere, ergò fictitius est, & impossibilis mistio ex illo.

Respondet Aristoteles primo Meteor. quod à cæli motu impellitur deorsum sicut globuli ignei, & ex his fit mistio: sed hoc stultum est, tum quia neque cælum deprimit deorsum cum regulariter in se feratur; Neque si deprimeret, globuli demissi, ad terram venirent, sed statim sursum reuerterentur velocius quàm glebæ terræ deorsum ex aëre decidunt. Si autem mistio fit in aëre, vel in igne tellus non potest ibi esse nisi in fuligines corrupta, & non amplius terra. Ergò non æquatur cum eis: sicut neque quomodo bitumen, & calida entia in cauernis terræ fiunt ab igne, Arist. nos docet; neque docere potest, sed nos à sole palam omnia generamus.

Præterea, dato quòd veniret ad mistum, non possent æquari, quia elementum, intra quod fit mistio, cætera superaret, & corrumperet iuxta dogma eorum, vel saltem prædominaretur, & sulphur esset frigidum: quia fit in terra.

Præterea dantur aquæ sulphureæ, & vinum, & alij succi, qui videntur nihil ab aqua differre, & in eis aqua prædominari deberet; & tamen sunt calida à prædominio, igneáque, ergò nequaquam fit contrariis ex elementis mistio, sed à calore producuntur res omnes ex terrena materia immutata, sicuti nos docebamus.

Præterea nusquam vidimus elementa misceri ad rerum productionem, sed omnia à calore solis ex terra fieri, & ex propriis seminibus calidis spiritibus plenis: & hæc mistio similis fit chimeræ.

Præterea quod dicunt, posse contraria refracta simul esse, non autem intensa, palam mentiuntur; sicuti enim intensum agit in intensum, ita debile in debile, dum contraria sunt: non enim suæ naturæ, & contrarietatis obliuiscuntur, alioquin deserunt esse, quòd sunt. Ergò no possunt conciliari, neque misceri. Quod etiam dicunt in vino esse plus materiæ aqueæ, sed virium plus ignis, figmentum est super figmentum: non enim vis ignis maior esse potest in materia disposita, & regnata à frigore; quàm frigoris, sicuti neque in igne potest vis frigoris esse maior calore

Nota quod Aristot. ponens generationem, & corruptionem rerum cum Parmenide, non potest ponere mistionem rerum cum Empedocle, cui propterea miscentur, quoniam non videntur elementa in inuicem sibi transmutabilia: propterea que omnia facit mistione. Arist. autem ponens transmutationem, imprudenter tuetur mistionem, propterea que sibi contrarius, ex contrariis exscribens Philosophis, vt in Metaph. ostendimus: hinc discipulorum eius dissidium iam examinatum.

Ad primum Resp. quod in elementato non est nisi, quod in elementis alteratum tamen: sed non quidquid est in omnibus, sed ex vno habet materiam, vt ex terra; ex altero virtutem actiuam, vt à sole, per se habet & concinnationem formamque ex his immutatis resultantem iuxta ideam autoris elementorum: sicut in arteficiatis habet gladius materiam à ferro, vim innatam à cælo; formationem materiæ, & virtutis eius ab artifice vtente igne, & ferro, cæterisque instrumentis, concinnantibus talem formam, non autem oportet contraria ponere in misto.

Ad secundum Resp. quod vnius tantum virtus est in elementato, sed refracta non satis materiam exuperans, alioquin fieret elementum, si enim ignis exuperet terram, facit ignem, si liquefacit, indurat, mollit, rumpit, miscet, facit alia entia, quæ non sunt ignis, sed participant. Neque tamen quia solus calor fecunda entia format, vno dolore oportet solum doleri: nam materia mistorum est dissimilaris, & mollis, & dura, & crassa, & liquida, & tenuis, vt patet in homine; & qualibet particula immutata à sua prima formatione, facit dolorem, vnde alia ægritudo est affecto spiritu, tenui parte: alia affecto sanguine, alia liquidarũ; alia neruosarũ: est enim diuersitas & differentia, & priuatio, & aliæ dissimilitudines, & si non contrarietas in elementatis, & sentificatio multiplex.

Præterea à nimio calore, calor exilis trahitur extra temperiem, quæ constituit animal, & à frigore simul exteriore vexatur, & à vento, & à vapore, & à cibo nimio, vel difficili, vel variæ temperiei: ita quod oportet plurimos esse dolores ab intrinsecis, & extrinsecis immutationibus, quamuis vnus sit calor, & patet in textu: sicuti neque quatuor dolemus doloribus, si quatuor sunt elementa; neque quatuor medicamentis vtimur, sed pluribus; sic ad affectiones diuersorum membrorum, & spirituum, & humorum, à causis diuersis inditas diuersis vtimur medicinis. Vide Medic. lib. 5.

Ad tertium etiam Galenus hoc negat: nam augmentum caloris natiui à cibo; vel ira, vel inedia, aliisve de causis, facit varias febres, & mortes. Item intemperies nascitur à cibis, potibus, à ere, mæstitia, ira, timore, otio, labore nimio. Vnde licèt vnus sit calor, tamen varius est in membris variis temperie, dispositioneque, & vno infirmato, cætera languent, & mors sequitur.

Præterea calor semper exhalat ad cælum, & depascitur proprium subiectum exsiccat, & ad senium deducit, adeo, vt non possit amplius nutriri, & sic fit mors naturalis, quoniam calor est extra locum suum, & ad illum contendit semper; sed ignis in loco, & subiecto suo, sibi exuperato, viuit semper, vt ratio probat; neque discordia est humorum contrariorum, sed dissimilarium dum propriam temperiem excedunt.

Ad quartum verum dicit, si illud elementum esset in summo robore, & in materia, & loco proprio, non in alieno, vbi castigatum in medium Ens, non in extremum, cedit.

Ad quintum, vide responsionem in quæst. 9. vbi inquisiuimus, an elementa sint quatuor, & respondimus humores esse longe plures, & omnes esse excrementa, vt etiam Arist. docet vel cruditates, excepto sanguine; neque correspondere quatuor elementis, neque esse quatuor anni tempora, sed duo.

Item dicimus humores secundum corpulentiam, aquæ omnes respondere, non terræ sed secundum vires igni; omnesque enim à calore genitos esse, nullos à frigore, cuius est non humores, sed glaciationes facere. Sed flegma dici frigidum, quia est minus calidum; sic atram bilem siccam, & frigidam, quia minus humida, minusque calida, cum sit fex, sed datur triplex aut quatruplex flegma, etiam salsa, & calida, & vrina est alius humor, & sputum, & serum, & ros. Sed Medici accõmodarunt quatuor nomina, vt quatuor elementa falsò posita declarent: cum tamen plura deberent nomina poni pluribus humoribus à calore tamen omnibus genitis, blando, robusto, medioerique iuxta

diſpoſitiones materiæ patientis. Vide ſupra, & p. Medic. liquido etiam conſtat non humores eſſe omnes, niſi forſan ſerum: ſed fluores, lentores, viſcoſitates, rores, lubricoſitates, alioſque gradus, à calore eodem diſſimilari ex materia genitos.

Præterea humorum differentia non indicat elementa differentia: ſed ſolius aquæ, cui conuenit eſſe humor, varietatē: quæ etiam extra animal reperitur. Sunt enim aquę nitroſæ, & acidæ, & calidæ & frigidæ, & ſalſæ in terra: quapropter falsò dicitur bilis calidus humor ac ſiccus: tanquam ſi diceres calor frigidus. Similiter melancholicus humor ſiccus. Si enim humor, quomodo ſiccus? ſi frigus quomodo calidus? Præterea ſi in animali elementa inquirenda erant, potius in ſolidis partibus terra: in humoribus aqua, in ſpiritibus ignis: in vaporibus aër locandi erant. At cùm omnia iſta à calore ſint concinnata ex terra immutata, profecto ſolum terræ materia, & ignis vires erant agnoſcenda in vocatis miſtis.

Ad ſextum reſponſum eſt ibidem, quod febres ſunt plures quam quatuor; nec reſpondent elementis; neque continua in cholera, ſed in ſpiritu fit; neque tertiana in flegmate: ſed in cholera, &c. vide infra in propria quæſtione de febribus etiam, & in 7. Medic.

Ad ſeptimum negatur, quod vltima reſolutio ſit in quatuor elementa, ſed in ignem. Theophraſtus dicit in ſulphur, ſal, & Mercurium: ſed cum ab igne iſta fiant, ſunt ignis effectus non elementa. Democritus in atomos reſoluit, nec tamen ſunt elementa, ſed partes materiales. Vide quæſtionem 9. ibi reſponſum eſt, & p. p. Metaph. lib. 1. & ſeq. art.

Ad octauum, etiam ibidem reſponſum eſt nobis, quòd à calore generatur aqua & aër in miſto; neque tellus eſt, ſed materia eius à calore immutata, & concinnata. Frigus enim non intrat naturæ opus: omnis autem operatio, & actio miſti à calore eſt ſolo, vel cum ſua mole agente. vide ibi.

Ad nonum Reſp. quod ſiccitas eſt à calore quoque indurante per accidens, humiditas ab eo fundente per ſe: frigus verò non ineſt, neque enim os, aut neruus à frigore generatur, ſed à calore indurante, dum tenuitatem educit, & à calore innato nutriuntur, ergò, &c.

Ad decimum reſponſum eſt ibidem, quod nos non nutrimur ex elementis, alioquin à ſummis illorum viribus noſtræ imbecilles ſubito abſorberentur, vel extinguerentur: ſed nutrimur ex ſimilibus nobis elementatis, quæ in noſtri naturam poſſumus conuertere, vt ex plantis, & animalibus, & liquoribus, & aëre, blandè calidis, conſimilibuſque.

Ad vndecimum Reſp. eſt quod frigus natiuum non ineſt nobis: fiunt autem rigores, quia calidus ſpiritus fugit ab illis membris in quibus peſtilens humor, vel vapor accenditur, & ſic tremunt membra ſpiritu deſtituta ex parte; & abſceſſus caloris eſt ſenſus frigoris, quia defectus eſt caloris. Mox ſpiritus abrepta fiducia accenditur contra morbum, & pugnat, & talis accenſio, & feruor, eſt febris: res bona, vt infra patebit: Si enim non pugnaret, victus periret: ſic in omni timore ſpiritus intro fugiens, membra ſenſu, & calore eius deſtituit; deſtituta autem frigent, non frigore innato, ſed caloris defectu, vt dictum eſt.

Ad duodecimum, Alchimiſtæ falluntur, quoniam illi humores à calore gignuntur. Calor autem non gignit entia frigida, neque terram, neque aquam Peripateticis: nobis verò omnia præter terram: ergò illi humores pro materiæ diſſimilaritate, & caloris actionibus varij fiunt, non quia quatuor inſint elementa ibi; ſed aliquando plures, aliquando pauciores conſiſtentiæ: quoniam aliæ partes natæ ſunt fieri ſpiritus, aliæ vapor, aliæ liquor, aliæ fluor, aliæ lubricitas, &c.

Ad decimum tertium Reſp. quod omnes herbæ à calore ſolis generantur ex terra immutata priuataque frigore; omneſque à calore nutriuntur, & fouentur. Quapropter nulla herba eſt natura frigida, dicuntur tamen frigidæ reſpectu noſtri, quæ ſunt nobis calidæ minus; earumque ſuccus nobis appoſitus ſenſum frigoris facit, quia noſter calor multus in eo dilatatur, & retunditur, ſicut exacuitur à calidiſſimis ſuccis, quoniam ſpiritus augetur, & inflammatur. Lactuca ergò ex craſſi humoris copia

refrigerat,& opplet caput,& facit somnum, dum spiritus colligitur ad expellendum vaporem eius crassum. Cicorea verò amara cum sit, calida est; sed eius calor iecur penetrans relaxar, & flammam iecoris exhalare facit per accidens, & in succo eius ampliari, & retundi, vt infra dicemus: quare res nulla à frigore genita dici potest. & sic patet responsio ad decimum quartum, & infra magis.

Ad decimum quintum Respondetur, quod calor natiuus est in vapote calido, vnde fit nix, superueniens autem frigus gelat vaporem, non extinguit calorem, alioquin candor perderetur. Dicimus ergò in niue esse vtrumque, sed non conciliata ad faciendum vnum tertium, sed pugnantia, & calorem esse natiuum, frigus verò extrinsecum, sicut in vino & oleo calidis postquam glaciantur: similiter Aër calidus natura est; semper tamen à frigore oppugnatur, & occupatur, ligante caloris actiones, non extinguente, quia non tantum potest.

Ad decimum sextum Respondetur quòd Aqua, & vinum ambo calida sunt, licèt vinum calidius, possúntque misceri, neque nos negamus: videmus quoque posse separari per spongiam aquæ amicam: sed duo contraria misceri prorsus ad faciendum tertium ens pacificè negamus, præsertim vt Arist. ponit. In medicinis mistiones virium prædicamus, quoniam fit temperies noua apta morbo expellendo; sed tamen illa contraria elementa misceri nolumus: vires enim herbarum à calore esse, & alias acutiores, alias crassiores pro materiæ dispositione coaptari aptas ad id, quod volumus, probè nouimus. Vinum purum nimis fumosum, & calefaciens est: dilutum autem tenui aqua, eius calor spargitur, & minuitur, & crassities fumi eius minoratur, & sic temperamus ad vtilitatem. Acuimus pulueribus aromaticis ad frigidas passiones.

Quòd Calor natiuus non est compositus ex quatuor elementis.

Videtur mihi Galenus nimis concretè philosophari: si enim calor natiuus habet frigus admistum, mirum est, quomodo non semper diffident, atque mutuò corrumpunt; & cum calor sit fortior, quoniam calor vocatur, iam frigus corrupisset: si verò sunt æqualia, non magis debet vocari calor natiuus, quam frigus natiuum; pacifica autem esse nequeunt, alioquin frigus non esset frigus, neque calor calor.

Item aut sunt in eadem parte materiæ, vel in diuersis, & sic sequuntur rationes memoratæ in hoc articulo contra Aphrodis. vide. Prætereà cum calor sit per se incorporeus, non potest esse humidus, neque siccus, nisi ratione subiecti. Galenus autem corporeum illum faciens, omnes calores corporeos oportet dicat, sic & frigus: ergò non datur res incorporea, neque lux; & ipse hoc concedit, quoniam Plato putat esse corpoream: sic Sanctus Augustinus ad Volusianum; sed reuera in corpore est, non autem corporea, vt in p.p. Metaph. probatum est. Resilit enim ab opacitate, non à densitate, quæ crystalla clarissima permeat. Item sic redit opinio Democriti, quam in Metaph. exprobrauimus, non enim lux corporea posset tanta à Sole manare non exhausto; neque reflecti, & multiplicari millies. Corpus enim non se multiplicat, neque effundit, neque auget, neque agit; Actiuus ergò calor, & lux, incorporea sunt.

Ad Galenum respondetur, quod in pueris calor est humidus tactui, non quia ipse calor sit humidus, sed materia in qua est calor; quam cum tangimus, sentimus simul vtrumque: similiter in osculis, & tactionibus, antequam tangas, sentis humorem, vel siccitatem; quia calor continuò expirat per poros, & trahit secum materiam exilem vel crassiusculam, quam dicimus siccam ab effectu, licèt tenuior sit humidior. Manifestè quoque in materia sicca calor apparet siccus, & mordax, quoniam robustior est ob vnionem eius in denso; in molli verò expanditur, & fit blandior, vt patet in carbone, & flamma. Frigidiusculus apparet quando est languidior nostro, vnde manus medici apparet frigida febricitanti, sano verò calida: quoniam ab eo aufert calorem, & huic dat.

Ad 18. simul Respondetur, quod non modò à mistura frigoris calor minuitur, sed etiam in materia exili, vnde maior robore in carbone, quam in flamma, vbi copia maior; Prætereà abscessu sursum sui pars remanens, absque frigore decrescit.

Item in feruenti aqua si tepentem inijcias, calor decrescit, quoniam in ampliori mole expanditur, & vnio robusta relaxatur: sic respondetur.

Ad 19. Quod febris, vt infra patebit, est augmentum caloris natiui: non autem augetur, quia frigus mistum illi minuitur; sed quia ipse vnitus roboratur, & multiplicatur ob naturam sui diffusiuam, ad vincendum causas morbosas: dicitur tamen aqueus, aëreus, terreus, ob subiecti dispositionem magis, minusvè mollem, aridamvè; non quia ipse calor ex his constet elementis. Inest aliquando frigus extraneum, vt in vino, & aëre, in nobis.

Ad 20. Respondetur, quod sapores omnes sunt caloris vires, non frigoris, ergò miscibiles. Item humor, & siccitas miscentur in luto, & faciunt mollitiem: quoniam non est contrarietas actiua in eis, sed passiua, & calor est in vtrisque.

Item miscentur lux & tenebra iners, quæ est facies materiæ, non autem tenebra actiua facies frigoris: sed & calor cum frigore ratione subiecti miscetur ad pugnam, non ad pacem, vt in misto oporteret. Item Tarditas Motus non est à mistura quietis oppositæ virtutis, esset enim à Frigore: sed à mistura Torporis, qui est proprius actus materiæ, sicuti Tenebra eiusdem facies: Item à resistentia Medij inunoti, vel opposita via moti.

Quòd Frigus non intrat opus naturæ.

COROLLARIVM.

EX his patet, quod frigus non ingreditur opus naturæ, vt etiam Peripatetici propriam vocem ignorantes fatentur. Res enim nulla a frigore constituitur: neque ipsum est vt constituat, sed vt calorem oppugnet, ne subitò terram vrat; sed imminuatur, & variis modis concinnetur ad varias variarum rerum formationes: neque nix frigus natiuum habet; neque venena. Non enim à frigore cicuta occidit; alioquin niuis haustus occideret magis; ipsa autem vniuersaliter vtimur: sed occidit vaporum viscosorum copia, & intemperie: qui meatus spirituum opplent, cósque suffocant, perduntque. quod & Agnanæ antrum vapore tetro vdóque, & copioso facit, spiritus lucem sua caligine obscurans, tenuitatem crassitie aggrauans, motumque sistens; & calore calorem vincens, de his alibi.

ADDITIO.

Post hæc quoniam Chimici Empiricorum more philosophantes putant se inueniſſe noua Elementa mistorum corporum seu principia rerum in suis fornacibus, & quotidie vellicant aures philosophorum Mundum totum inspectantium, quasi inexpertorum, quamuis principia instituere & defendere Metaph. sit munus, tamen hic quæstionem interferere non erit inutile.

Vtrùm Elementa sint mistorum corporum sal, sulfur, & hydrargirium.

ARTIC. II.

1. VIdetur quidem Alchimistis Germanis ita esse, primò, quoniam ignis ope ex cunctis corporibus mistis ista tria educuntur, & in hæc fit resolutio, ergo ex his componuntur. Alij Chimici Galli nunc addunt Oleum, Aquam, & Aërem; quoniam & in hæc, mista soluuntur.

2. Præterea oportet principia semper manere, & nunquam interire: hæc autem tria, siue quinque, non mutantur in inuicem, nec in alias res, sed tantum commiscentur, & separantur, in minutiásque redacta occultantur in aliis corporibus; at nunquam intereunt, sed eorum particulæ congregatæ iterum in sua corpora rediguntur. Sicut particulæ Aquæ in vaporibus eleuatæ in aërem, si coëant, iterum in Aquam spissantur. Hoc idem salis, olei, & aëris, & sulfuris partibus accidit: ergò ista videntur prima Elementa mistorū.

3. Præterea cum è materia communi ista tria vel quinque penitus extrahuntur, remanet corpus immutabile ab igne, quod vocant caput mortuum: non quidem cinis, ex quo ignis potest aliquid facere, vt vitrum, sal, oleum: sed quid simplicius: ex quo ignis nil facere potest, quoniam omnis factio est ex his tribus; quibus sublatis non fit mistio; nec generatio: ergo ista sunt vera mistorum principia.

SED Contra eos tota Philosophia & natura proclamat. Etenim Elementa [non quidem materiæ, cuiusmodi sunt Atoma corpuscula apud Democritum; sed Elementa mistorum, de quibus & Chimici & Philosophi Peripatetici, Platonici, Stoici, & Pythagorici loquuntur, composita ex materia & forma simplicibus non subsistentibus per se principiis] sunt quidem prima mundi corpora, ex quibus sunt mista, quæ secunda dicuntur. Item maxima magnitudine & virtute. Item maximè contraria, maximèque actiua: habent enim vires integras potentissimas, quæ in secundis corporibus sunt refractæ & castigatæ. 4. Item sunt notissima, sensibúsque obuia, in quos nimirum subitò & maximè agunt. 5. Item & propter hoc in extremis mundi locis locata; non enim coëunt contraria. 6. Item generant omnia mista quasi per accidens præter intentionem; & ipsa non generantur ab aliis, sed per se ex intentione semetipsa generant amplificando se se & diffundendo; & cum resoluuntur è prælio, propria virtute ad propria loca reuertuntur. At corpora posita Chimicis, tanquam elementa oppositas habent hasce prorsus conditiones. ergò non sunt Elementa nisi apud ignorantes quid sit Elementum.

Probatur primò, Nam non sunt prima tempore; nec magnitudine; nec loco; nec viribus; ne dignitate; nec natura: nam quæro vtrum Deus à principio fecerit Elementa & principia Physicarum rerum, an principiata? Si principia, ergò hæc sunt principia quæ nos posuimus Cælum & Terra, teste Moyse, vel falsò scripsit: *In principio Deus creauit Cælum & terram.* Cum debuisset dicere In principio creauit Sal, Sulfur, & Mercurium; ex quibus deinde tanquam ornatum eorum fecit Cælum, & Terram. Si principiata, hoc contra ordinem Dei, & naturæ asseritur; quòd nimirum prius sit filius quàm pater, & ornamentum quam res ornanda. Præterea hoc iterum quærendum, quomodo sal, sulfur, & Mercurius venerunt ad entium secundorum constitutionem: si ab initio & prius non fuerunt? At si fuerunt, vel in gremio Terræ vti nunc, immobiliter fuerunt, vti lapides, vel mobiliter extra gremium: Si primum, quis deduxit ea, & qua via ad mistorum compositionem: cum ipsa non moueantur per se nec soluantur nisi ab igne, ipsorum sobole? & mox ipsa cur delituetunt in visceribus mistorum compositorum? si secundum quo pacto amiserunt motum, & in viscera suorum filiorum ingressa sunt, vbi torpeant?

Quòd non sint prima secundum magnitudinem manifestum est: sunt enim minoris molis quàm Terra, & quasi particulæ Telluris: vel perennes, si Tellus esset animal, vt placet Senecæ, & Pythagoricis: vel pridem genitæ, si Elementum esset similare; in secunda hæc corpora immutatum ab igne, veluti & in alia, scilicet lapides, metalla, liquores, Plantas, animalia, &c. quæ etiam excedunt Mole elementa Chimicorum: ita vt appareant minora elementis nostris & elementatis.

Quod non præcedant viribus cætera corpora quæ nos posuimus Elementa, imo nec elementata, manifestum est; cum neque effundant proprias vires, nec liberent se cum sunt ligata: & manifestè à calore remisso de substantia Terræ ex resistentia frigoris debilitato, generentur, sicut lapides & alia corpora secunda. Et in toto isto libro ipsorum generatio manifestatur, sicut cæterorum consimilium. Idem color, sapor, torpor mediis corporibus, non summis extremis, conuenientes, declarant.

Quod autem sint posteriores loco, liquidò constat, quoniam non sunt in extremis mundi locis, tanquam summas extremásque habentia vires; sed intra viscera Terræ tanquam particulæ aut proles Terræ, quemadmodum lapides metallaque insunt innascunturque. Nemo quidem tam delirus qui non intelligat elementa continere intra se elementata: non autem elementata continere elementa. Nec enim pars continet totum, nec fætus Patrem, & Matrem. Sol quippè & Tellus parentes istorum omnium quomodo putabuntur filij, filij verò parentes.

Quòd Sol & Terra dignitate excedant sal, sulfur & hydrargirium, est communis hominum concessio sensibus communibus hausta, magnitudinem, vires, speciem, loca, &

gloriam spectantibus, vnde omnis natio fatetur solem esse Patrem Terrámque matrem, & cum aberrarent ab inuisibilis numinis notitia adorauerunt, Solem Cælum, Terram, non autem sulfur, sal, & hydrargirium, imò & Animalcula dignificauerunt potius quam ista in sacris, in Politicis verò Aurum & alia multa.

Quod verò debetur Elementis summa contrarietas, in textu probatum est, quoniam & elementata participant contrarietatem quæ non potest eis aliunde quàm ab elementis inesse. Item in mundo toto experimur lucem, tenebras, motum, quietem, humorem siccitatem, calorem & frigus, ex testimonio sensus & Chimicorum: ergo maxima contrarietas debet esse in elementis & per essentiam. Sed sal & sulfur sicca sunt & calida, non ergo opponuntur in qualitatibus actiuis nec passiuis. Similiter oleum & aër & hydrargirium & Aqua, calida sunt & humida omnia vt demonstrauimus, ergò in vtrisque conueniunt qualitatibus inter se: At à sale & sulfure, passiuis solis non constituentibus contrarietatem primam elementarem, distinguuntur, ergo non sunt ritu elementorum contraria. Sed quoniam putant aliqui hydrargirium frigidum, conuinci ex eo possunt quod mouetur & viuit spiritu, quorum vtrumque est munus caloris. Præterea calor, humor, siccitas, & frigiditas (si quis etiam hanc inesse contendat) sunt in his Chimicorum elementis in remisso gradu vt vix sentiantur contacta, nihil autem si non tangantur, quoniam non se se diffundunt multiplicantque elementarium virtutum ritu: ergò nec contraria sunt, nec summè contraria sunt.

Præterea quod non sint maximè actiua quis non videt, cum ignis & terra potentissimè agant vrendo & conglaciando; non solum cætera elementata, sed etiam ista Chimicorum elementa, quæ tam debiliter agunt, & multum patiuntur, vt potius videantur passiua entia quam actiua. Præterea mistorum multa sunt illis actiuiora vt vinum, piper, allium, antimonium, leo, canis, &c. putare autem quod imbecilliora dent vires potentioribus, & non è contra, stultissimum est.

Ex hoc similiter sequitur, quod notissima sensibilissimáque non sint, quoniam paruæ sunt molis & occultæ, & adeò imbecillæ actiuitatis, vt sentienti animæ obuia non sint, nec in sensum agant hominum vniuersaliter, nec a longè: at solùm in quosdam & propè dum contrectantur, vt mirum sit, qua ratione elementa manifestissima ignem & terram abiurent Chimici: perquirantque occultas partes infirmásque rerum, & productionis expertia, pro elementis.

Quod autem Chimica corpora ista non generent res alias à se, sicut faciunt vera elementa, palam est: quoniam nec generant elementa, quæ nos ponimus prima, neque elementata. Primum nulli obscurum. Non enim generant Solem & Terram: nec Aquam & aërem, neque à principio, cum sint posteriora illis, neque nunc. Infirma enim & parua sunt corpuscula, non se se effundentia, nec potenter multiplicantia, quomodo ergo possunt gignere magna & validissima, suique ipsorum diffusiua? Nec quispiam hoc sensu vel ratione sensata adhuc expertus est. Secundum pariter clarum, sal enim sulfur & hydrargirium nunquam è propriis sedibus se se effundendo venire ad pugnam possunt, cum sint alligata Telluris partibus, associatáque aliis debilioribus & fortioribus. Nec vires habent validas, quibus soluere se se à corporum coactione queant effunderéque in alienas sedes ad congressum & generationem aliorum: nec Terram transmutare ad generandum plantas animalia lapides; sed videntur fieri & mutari ab igneo sole, sicut & ista secunda entia. Præterea nil est in elementatis & causatis reale, quod non sit prius & magis in elementis. At in causatis est motus tenebra, lux, sensus, leuitas, frigus, quæ nec prius, nec magis sunt in Chimicorum elementis. Præterea si quis quærat, quomodo & vnde, Anima, sensus, Ars, compositio, formatio, vires, colores, &c. in mistis reperta, ab sale sulfure, & Mercurio fiant, respondere nunquàm possunt: quoniam non dant quod non habent: ergò non principiant, nec elementant.

Tandem quod non generent se ipsa Sal sulfur & Mercurius, vt illi volunt, at neque Aqua, Aër, & Oleum, manifestum est, quoniam non ab aliquo sale magno se se multiplicante vt ignis, vel alias in se res conuertente, fit iste & ille sal sicut ignis hic à Sole: nec Aqua facit aquas, vt suprà ostendimus, nec Aër, nec oleum, nec sulfur, nec Mercurius generant olea, sulfura, mercurios; sed fiunt pariter in Terra ex terra à Sole ipsam immutante,

tantc, quemadmodum, plantæ lapides, & animalia: quibus magis ex hoc conueniret esse elementum: quoniam planta & animal generant. Sed in mille annis aqua & oleum & sal, &c. non conuertent lignum, aut aliud mistum in aquam, in oleum, &c. ignis enim & terra omnia in se conuertunt. Respondent, quod Sol subactas materias non verè conuertit in sal sulfur & mercurium, sed extrahit præinexistentia. Ast hoc, inquam, itidem de lapidibus & plantis, &c. dici potest. Præterea omne Agens sibi simile facere intendit: ignis ergo è terra facere ignem intendit, & multiplicare, & conseruare, non aliena: & dum non potest, facit res medias, quales sunt sulfur, sal, vinum, Oleum, lapis, planta, &c. huiusmodi: quapropter debent Chimici agnoscere sal, sulfur, Oleum, Aquam, Aërem, & cætera corpora imbecilliora, è terra educi, conspecta à Sole gigni sicut & lapides & metalla, cum sint calida consimiliter vt Sol, eiusdémque naturæ & conditionum debilitatarum, & fædata rū mistione ac repugnantia frigoris & Telluris: nisi quis ita desipiat, quod putet ignem agere in subiectas materias, vt liberet elementa sal sulfur & mercurium, non autem vt faciat sibi simile ex toto vel ex parte quantum potest: sicut tota Natura & philosophia testatur: vnde ista pietas in igne, & à quo commissionem Liberatoris habet?

Quidam victi, dicunt, non esse elementa prima sal, & sulfur, & mercurium, sed sal Terræ substantiam esse, mercurium Aquæ, sulfur ignis, & ex iis constare elementa quatuor. At cum isti quatuor elementa Aristotelis & Hippocratis non negent, debent assignare quartam substantiam ab Aëre. At qui addunt Oleum pro quarto, apponunt quintum & sextum: Aërem videlicet, & Aquam. Ergo totam philosophiam ipsorum euertunt. Item nec mercurius erit ex Aqua, cum Aqua sit elementum siue secundum, siue primum velint. Item Oleum ignis est æque ac sulfur; quo pacto duas ex vno educunt substantias? sal præterea mordet vt piper & ignis, quare datur terræ insipidæ? forte propter siccitatem, sed siccitas terræ non mordet illis, vt ignea illis putata; ergò ab igne vim habet. Aqua enim maris calida amaráque, quia salsa probatur Aristoteli & cunctis philosophis.

Præterea nil ineptius quam quod priores Chimici faciunt, componere cælum & terram ex iis corporibus posterioribus cælo & terra; & igni & aëri indere sal, sulfur, & mercurium corpora crassa Tenuibus sine causa deorsum, & quis vnquam ex aëre potuit ex trahere sal sulfur & mercurium. Item quomodo ex eisdem componunt corpora contraria. Item vnde qualitates elementorum contrariæ si omnia constant ex sale sulfure, & mercurio. Præterea si alterius naturæ est sal in igne & in terra, quomodo erit ortus nutritusque ex eisdem principiis; æquiuocisne? & quomodo transmutatio mutua saltem transpositiua, si non eiusdem generis sunt transpossibilia. Præterea manifestum est, quòd ista omnia ab igne ex sola terra sunt & non in aliis primis corporibus tenuibus leuibus ineptisque transmutationi nostræ, nedum transpositioni Chimicorum liberantium, non generantium. Etenim ignis comburendo Terram non autem Aërem & Aquam & se ipsum, facit cinerem, & Sal, & Calcem. Ergò Sal est res genita & à Sole, & calida non frigida, vt Tellus, cui assignatur: sulfur quoque à flamma terrestri puteolis fit: Oleum distillatione seminum terrestrium nascitur ab igne, vt adeps in animali, aliique succi. Aquam, & Aërem ab igne fieri, nec posse Aquam generare Aquam, nec Aërem Aëres in textu probatum est. Item spiritus vitæ positus à Paracelsistis, ab igne fit, vt in Metaphys. probauimus. At fortasse Chimicorum positio nil probat, nisi fortasse quod Sal, Sulfur, & Mercurius, sint quasi semina tria, vel partes seminis rerum ad mistionem. Semen enim est compendium omnium causarum decisarum ad constituendum aliud numero ens. Siquidem in semine humano corpulentia seminalis, materia proxima; & spiritus, vis actiua, & ideæ participatio ad cuius instar efformatur in hominem: alioquin ouum gallinæ, cui incubat columba, non in gallinam, vt experimur, sed in columbam effingeretur. Est etiam formæ inchoatio per ideam: & partes molles, viscosas, fluidas, pingues sic præparatas, vt queat in partes humani corporis absolui: similiter finalis causa in ideatione, & per-

fectionalis in formatione celantur: si ergo sal, sulfur, & mercurius sunt quasi semina continentia elementorum verorum vires proximas & remissas non firmas intensasque, aliquid forte dicerent Chimici si adderent tria semina vel seminum mistorum partes, sed hoc non sapiunt. Et qui addunt Oleum, & Aërem, euertunt dogma. Item volunt hæc præcedere spiritaliter elementa nostra; & æquinocè mox de principiis elementaribus spiritualiter loquuntur effugiendo argum. & cum videant fieri à Sole, dicunt extrahi parentes à filio: & semper irrationabiliora & pugnantia addunt vt in Metaph. p. p. In nostra Philosophia posset quis dicere elementa extrema robustissima ignem & terram, Aërem verò & Aquam debilibus viribus prædita refractisque intrare seminaliter, sed alienum. Sunt enim secunda corpora, & res genitæ ex primis extremis. Etenim ex secundis corporibus etiam sunt secunda alia corpora immediatè: sed vt à primis.

Alij Chimici deuicti mecum locuti dixerunt, ignem esse accidens, se autem loqui de omnium principiis substantialibus, sed ridiculi sunt: ista enim fiunt, non faciunt vt probatum est. Item oporteret etiam terram vocare accidens, quæ valde substat. Item si substantiam intelligunt corpulentiam, hæc etiam est in igne & terra. Si vocant ignem solum calorem, oportebit solum frigus etiam vocari terram: est quidem calor accidens respectu loci & materiæ, quæ illi substat, quo etiam modo omnis forma substantialis est accidens, etiam forma salis & sulfuris, sed si substantiæ constitutiuum est subst. calor, & apprimè substantia actiua est. Item nec præter essentiam, aut potentiam, aut intentionem, aut voluntatem naturæ est calor cuiusmodi sunt entia accidentaliter orta, sed de intentione Dei & vniuersi, & omnium corporum (excepta forsan terra) quæ priuata calore, priuantur esse suo substantiali & vita: nedum ignis. Quod & quomodo sit substantiæ, probauimus in q. 8. & cum calor omnia corrumpat, & omnia generet, sitque concinnatus in gradibus certis substantia rerum secundarum nedum ignis, per stultitiam ineptam vocatur accidens, quasi adsit & absit præter generationem & corruptionem vbique vt sit in materia vt substentatus more circuli motus & quietis & tenuitatis, & non vt Regnans, dominans, & agens.


Ad primum argumentum, respondetur quod propter hoc ipsum non sunt elementa, quoniam non propria virtute, sed ignis vt validioris, secerni possunt. item dico quod ignis è mistis non elicit ista tria corpora, sed generat (sicut & multa alia nedum hæc) vel à se genita auget. Eius enim est ignire, & cum non potest donat mediis suis conditionibus ad ideam istorum redactis, vt clauis igne, malleo, incude, lima ab ideatore fabro, in ferro facta. Item ea sunt elementa misti, in quæ soluuntur vltima resolutione. At in hæc non fit vltima resolutio, sed vt in aliis solum media. Namque etiam sal sulfur & Mercurius ab igne in alias res etiam in oleum, & tandem in Aërem & ignem vertuntur. Præterea à quæ sunt in misto elementa manifestantur, & certificantur, si antequam miscerentur in erant manifestiora, quia viuaciora, vt ignis & terra: si ergo sal, sulfur, & mercurius, & Oleum erant alicubi antea potentissima & ad mistuiam venere refrangendo inuicem vires, possent haberi pro elementis, vtique etiam possent statui principia. Nos autem videmus, ignem & terram, sic se habere; neque esse in mistis, & in ipso sale, sulfure, & mercurio, & Oleo, nisi ignis vires, & terræ molem in modos formasque deductos ad alicuius ideæ instar. Dum enim calor conuertit terram in lentorem, mollitiem, viscositatem, lubricositatem, fluorem, liquorem, vaporem, & tenuitatem, gradus scil. materiæ seorsum, vel commistas, & in colores varios & varios operandi modos, facit res varias, sicut & hæc facit. Insunt ergo sal, sulfur, & oleum in mistis, quia possunt fieri à calore, tanquam effectus, non tanquam causæ præeuntes, non enim æternaliter fuere nec composuere.

Ad 2. Arg. Resp. quod elementa secundū totam molem non transmutantur, sed semper manent: alioquin corrueret rerum machina: sed mutantur in partibus vicissim & circulo, vel generatione mutua, vt nos dicimus, vel sola mistione, & transla-

tione vt veteres: de quibus in Metaph. Arista elementa Chimicorum etiam mutantur inuicem. Ex sale enim fit oleum, & sulfur, & ex his sal, & oleum, & aër, & ex omnibus omnia: si autem separari, non mutari substantialiter asseras, tunc non dabitur generatio & corruptio, sed solum congregatio, vt dicebant veteres ab Aristotele damnati nescio an iure. Item dicam, si hoc contendant, quod etiam partes auri, & lapidis, & carnis &c. non conuertuntur substantialiter sed tantum occultantur in aliis dissimilibus cum pereunt, id est per illa eunt, & manifestantur in similibus, cum congregantur: at ex hoc sequitur Anax. homiomeria, per quam non magis insunt partes salis & sulfuris &c. immortales, quàm rerum omnium, quæ mens & sensus perfectus congregat, & separat ad rerum productiones & mutationes. Ergo non magis Chimicorum corporum particulæ, quam aliorum sunt ipsa principia. Profectò alij possunt addere acetum, alij calcem, alij aurum, & quidquid volunt; nam sal ex aceto, vt acetum ex sale, & sulfur ex calce, & è contra, aurum ex Mercurio & è contra: & quodlibet ex quolibet seminaliter deducent per mutationes plurimas. Et ad argumenta occurremus ponendo sal, & sulfur, & Mercurium spiritalia, & deinde corporalia, semper æquiuocando vt Chimici & fabulatores faciunt.

Ad 3. Arg. Resp. quod caput mortuum, de quo nihil fieri posse aiunt, fortasse est terra pura, quam Plato solam inconuertibilem esse dixit; sed cum videamus ipsam in plantas à modico semine conuerti, conuertibilem fateri cogimur. Si contendas transferri tantum, & manere occultatam sub alienis misturæ speciebus; difficile respondebo: sed nil lucrantur ex hoc Chimici, nam nec ignem transmutari statuerem tunc, vnde sequitur, duo esse prima principia immutabilia, ignem & terram. Et quidem Plato componit ignem, aërem, & aquam ex eadem substantia scalenorum secundum magis & minus. Et hæc propterea in inuicē transmutat, quia habent symbolum: Terram verò nequaquam, quia cum eis non habet symbolum, vt pote constituta ex isoscelibus. Ignis ergo occultatur non extinguitur. Quod si extinguitur, ergo & sal, & sulfur &c. vel omnia erunt in terra mutabilia, & in chaos. Ergo vicit Anaxag. sed nos in Metaph. victum determinauimus ipsum, atque Platonem: sola enim materia prima est intransmutabilis. Ista autem Chimica secundis constant materialitatibus, & viribus ad ideam concinnatis. At de isto corpore mortuo alias. Quidam veteres & noui dixerunt non mutari terram in plantas, sed tantum aquam, *Apud S. Clem. Ro.* sumpto argumento ex eo quod fiunt herbæ multæ ex terra madefacta seruata in testa: quam terram post multas generationes herbarum & mortes, si libretur inuenies eiusdem ponderis atque antequam in testa poneretur, & propterea non germinat sine aqua, vertenda in virgulta. At si hoc esset verum, in lignis nil esset nisi aqua & fluerent ritu aquæ. Præterea arbores supra mineram ferri nascentes in Patria mea, non possunt accendi, nec supernatant aquis, sicut nec ferrum; ergo etiam tellus in plantas vertitur. Nam nec in putis aquis fiunt plantæ, nec in luto: pondus ergo vel modicè imminutum apparet quasi nihil: vel pars aquæ etiam in terram conuertitur.

De Astralitatibus & spiritu vitæ continente in se omnia elementa, mundum totum, & de elementis spiritalibus, eorumque vaginis, & triadibus, & aliis portentosis dictis Paracelsistarum in p. p. Met. lib. 2. disputabimus.



QVÆST. XIX.

DE CAVSIS OMNIBVS RERVM *secundarum.*

Vtrùm præter Materiam passiuum principium cum spatio, & Calorem, & Frigus causas actiuas duas, ex quibus elementa facta sunt, requirantur alia causarum genera ad rerum naturalium productionem.

ARTIC. I.

VIDETVR Aristoteli, non sufficere Materiam, & causas agentes elementares, quoniam sunt instrumenta: ideò requiri adhuc causam regulantem principem, quæ est motus cæli, vt dictum est in quæst. 16. Item causam formalem, quæ dat esse rei; & finalem, propter quam omnes causæ causant: ergo materialis est ex qua aliquid fit cum insit; vt æs materia statuæ. Agens est principium motus, & mutationis non inexistens in re facta, vt statuarius. Forma est rei factæ dans esse, vt imago Cæsaris in statua. Finis verò est propter quem statuarius facit statuam, id est memoria, & honor Cæsaris; putatque finem Quo esse formam statuæ: Agit enim ad formam introducendam: Gratia cuius verò esse id propter quod est forma: effectus particulares reducit ad causas particulares; vt hæc statua statuario huic: vniuersales vniuersali, vt statua statuario. In natura verò patet, quod omne agens agit propter finem, vt planta facit folia propter tegendos fructus ex materia succi cum tali forma ampla.

Nobis quoque sufficere minimè videntur calor & frigus actiuæ causæ, materia & spatium passiuæ. Calor enim calorem, & cœlum facere intendit calefaciendo & illuminando per se, attenuando & mouendo propter se, sicut Frigus se se multiplicare ac Terram Regnum suum, dum per se frigefacit, & offuscat; & propter se immobilitat incrassatque. Non autem sciunt nec intendunt facere Animalia & Plantas & rerum distinctum tenere ordinem. Ad hæc enim se habent per accidens & præter intentionem: & instrumentaliter: hæc ergo vt fiant, alia superintendens causa requiritur, illorum vires moderans, finésque præconcipiens, quos summa arte videmus euenire, nec tamen à præfatis principiis intendi aut sciri. Imò calor & frigus non minus destruunt imò magis, quàm construant, Plantas & Animalia, nisi moderentur, vtque instrumenta non sciunt effectum, sed Artifex. Nec enim calamus sapit scriptionem & sensum & finem eius. Hanc autem causam moderantem non esse motum cæli vt putat Arist. qui accessu generet, recessu corrumpat, quoniam contrariorum contrariæ causa: vterque enim generat & corrumpit, & alter alteri non contrariatur, sed calor frigori, & soli Tellus; sed causam potentissimam & sapientissimam & optimam superioris ordinis, exinde patet, quod motus est quasi non ens, nec intelligit rerum artificiosam constitutionem: nec aliud facit, quàm adducere actiuas cœlestes causas ad certos situs super materiam terræ in quibus agant. Nec Sol nec obliquus eius motus moderatur vires suarum causarum, cum Sol per accidens Aristot. generet calorem ictu, causam generationis, & nolens, & aliud nihil intendat, tanquam prudens principium, sed ordo operandi per varietatem artificiosam motus, deferentis vires eius, aliunde videtur pendere. Vt enim Sol feratur in obliquo circulo & non in recto, & nunc hic, nunc illic effundat vires suas, & det spatium in nocte, & in hyeme, frigori inimico sese suumque regnum instaurandi, quod in die, & in æstate ipse victor destruit, non videtur esse caloris & frigoris prouidentia ordinatióque: nec solis qui

(margin: 2. Gen. T. 51. & seq.)

terræ tantum exitium curat; sed superioris Artificis: sicut quod asset & non vrat ignis carnes, & educat clauem, nec liquefaciat solummodo ferrum, non est ignis ars, sed coqui & fabri: nec motus ipsius, quo faber admouet, remouetque à ferro ignem & malleum; sed Artificis solerter mouentis, & non temerè. Benè quidem Arist. calori & frigori contra Parmenidem loquens effusis & temerariis viribus agentibus artificiosam naturalium constructionem principalem aufert, at non rectè eam motui cœli attribuit, sed causis delatis motu idest soli & calori. Imo nec his, nisi instrumentaliter, cum fines non intendant nec artem generatorum, sed sui solum amplificationem, & contrarij extinctionem; at causæ priori delationem moderanti debebat adscribere. Sed timuit, quoniam non putauit Deum inferiora posse respicere: nisi vilescat (Vide Met.) idcirco alij colchodeam inuenere. Mox ideas non rectè aufert Arist. rectè factis: cum nil artificiosum fiat absque idea. Nec enim quia simile fit à suo simili aufertur idea; imò propter hoc asserenda erat. Similitudo enim ab idea communi est, & plurima fiunt artificiosè etiam à non simili; & qui ponit agentem, ideam ponit, si non casu agit. Ordinari autem motus ab autore naturæ vidimus in Met. per influxus magnos, necessitatem, fatum, & harmoniam, cuius ars participata rebus indita dicitur natura. 2. *de gen. T.* 54. & *seq.* *T.* 51.

Cum igitur natura sit diuinæ artis ratio innata deducens res nascentes ad proprios fines; & simul vniuersitatem nascentium gubernans, veluti ars fabri in horologio impressa motibus & naturalibus, & violentis, ducens omnes horologij particulas ad significationem horarum: quam non ipsæ, sed artifex prædeterminat: hinc manifestatur prima causarum actiua: ac simul finalis. Finis autem, gratia cuius est ipsemet agens: Nam etsi Medicus pro fine habet Ægri sanitatem, tamen propter sui lucrum & honorem agit: agricola propter fructus colit terram: fructus autem suæ vitæ gratia quærit, licet planta propter se fructificet: igitur finis Quo non mouet agentem, cum non sit; sed finis gratia cuius; qui est ipsemet agens, mouet se: & sicut dicit S. S. *omnia propter se ipsum facit Deus.* Sic omne agens propter se facit omnia. Et quoniam non est à se & propter se, sed propter Deum inuenitur Deus finis omnium supremus. At nedum finis agentem determinans est in agente, sed etiam idea dirigens agentem ipsum ad finem. Sine enim idea circuli, nunquam ego facerem circulum magis quàm alias figuras. At finis acquirendus requirit media. Hæc autem sunt materia & forma. Gladius enim fit propter bellum, non in forma obtusa, sed acuta vt pungat: nec de materia cartacea, vel lignea inepta perforationi & offensioni, sed ferrea. Ita quod finis gratia cuius mouet agentem; finis Quo accersit materiam & formam, idea vero ordinat: agens operatur vsque ad perfectionem, in qua est vsus materiæ formatæ, & finis quo; idcirco causa perfectionalis est finis quo, plerumque vel vsus perfectæ rei. Porrò in tota rerum vniuersitate tam in particularibus effectis quàm vniuersalibus similiter dicendum; sunt enim media alia aliorum fines, vt secat hic propter dolatorem, dolat iste propter nauifactorem; nauifactor fabricat nauem propter nauigationem. Nauigator nauigat propter negotiationem; negotiator propter lucrum, lucrum propter vitam seruandam; quantum ordinauit dator vitarum: vita propter datorem Deum, cui omnia seruiunt; partium enim finis est totum, licet id ipsæ ignorent arte, non natura: sicut capra ignorat se saginari à Pastore propter cibum Regis.

Quas ob res conclude, in omni naturali & morali actione, prius est præstitutio & prædeterminatio finis in agentis mente. Secundò est inuentio mediorum per ideam agentis, & hoc est prouidentiæ munus. quæ considerat materiam & formam atque disponit & ordinat: deinde est adeptio finis per gubernationem atque conseruatio finis mediorum, donec ad finem supremum, gratia cuius omnia, deueniamus.

De prima causa agente & de fine vniuersali gratia cuius omnium entium, deque suis ideis & prædestinatione, & prouidentia, & gubernatione, & influxibus magnis, & de prima manatione, & finali rerum mutatione totali, ad Metaphys. spectat tractatio. Physiologia verò attingit fidesolum naturalium respectu non per se & quidditatiuè: At de principiis rerum naturalium, & de finibus particularibus considerat per se magis quidem quò, quam gratia cuius. Sunt autem principia actiua duo calor & frigus, & materiale rerum corporea moles, tanquam principales eorum, quæ faciunt per se; sed instrumen-

taliter eorum, quæ per accidens & præter intentionem, & tanquam media ad fines medios. Ex finibus autem mediis ad finem vltimum aliqualiter discurritur. Ita vt Deus sit artifex: intelligentiæ ministri: Cœlum sigillum, elementa organa, elementata susceptiua ideationum. Hinc agens vniuersale vt Deus, & particulare vt Pater, & instrumentale vt calor & frigus; & ministeriale vt mentes. Causis minus potentibus dantur instrumenta ad potendum sic operari; præpotentibus autem ad modificandum peculiares actus, siue coniuncta vt manus & cornua; siue disiuncta inanimata vt calamus, & cythara, & nauis, & animata vt equus & seruus executor. Plus instrumentalitatis tamen habent, quæ minus à se sunt vt penna; minus, quæ minùs, vt bos, seruus, miles, iudex.

Nota 1. Omnis causa ad effectum producendum, excedentem vires suas indiget auxilio; ad effectum adæquatum nullo indiget; ad effectum minorem indiget modificatione; quemadmodum calor vt decem ad calefaciendum, vt quindecim, indiget auxilio: ad vt decem, nequaquam; sed ad vt quinque indiget modificatione & minoritate. Auxilium addit; adæquatio seruat; modificatio minuit. Similiter in moralibus, potestatiuo adhibetur iubens, & disponens, & exequens causa; cognoscitiuo, consilians; appetitiuo, exhortans. Instrumenta autem ad auxilium pertinent vel augmentatiuum, in causis inferioribus, vel ad diminutiuum, vt in superioribus; quò attemperent se suis inferioribus.

Nota 2. Ad vnum effectum totalem, requiritur vna tantùm causa totalis eiusdem ordinis. Nec enim possum ego & tu scribere simul hos eosdem caracteres; sed penna, manus, brachia, spiritus, & mens, & dispositor, consultor, & iussor, sunt concausæ, vnam perfectam facientes ex diuersis ordinibus. Sic ad plantæ constitutionem concurrit sol, calor seminis spiritus inanimans, agricola & ligo, & calefacta terra; aliæque dispositiones. Omnia tamen ista habent varias causas finales, sed vna est totalis ab agente totali. Similiter vna materia totalis, nam aqua tellus, & corporea moles, & fimus, insunt; at tamen sunt vna causa totalis, & multæ dispositiones eius partiales præsertim in eterogeneis, vna etiam forma totalis est plantæ & animalis: licet multæ partiales. Alia enim est forma ossis, alia carnis, alia nerui, specificarum scilicet partium. Similiter alia capitis, alia pedis, alia iecoris, partium scilicet integralium. Tandem vna est idea totius, plures partium. Item perfectio vna totalis, plures partiales, & diuersi ordinis.

Similiter clauis fit à malleo, à discipulo, à magistro, ab igne, à lima, ab incude, ab aqua. Et sicut in artibus, sic in natura proportionaliter.

Vtrùm entia naturalia fiant à casu, & fortuna, & contingentia: an à consilio propter finem: an vtroque modo.

ARTIC. II.

1. Videntur Democrito, & sequacibus Epicureis, omnia casu fieri: nam elementa temerè agitantur, & agunt, neque secunda entia sciunt producere: casu autem euenit, vt fiant homines, plantæ, lapides, prout concursus, motus, positura, & figura ferunt: neque oculum factum propter videre, sed casu; deinde vsus eius fuit videre.

2. Idem probant mala innumera in mundo; quæ si quis præesset consilio regens, non euenirent.

3. Ergò vel Deus non est, vel non curat mortalia; alioquin vilesceret, & infelix esset in tanta rerum turbatione.

Empedocles putat, omnia ex necessitate quadam fieri, tam in arte, quam in natura: ponimus enim lapides grandes in fundamento domus, quoniam grauia necessario deorsum vergunt, leuia sursum in tecto: quoniam ita fert eorum natura. Item

molares dentes ampli sunt ob concursum cerebri eò in amplum; anteriores acuti, quia in cautus humor descendit in eos concrescens: sic Philosophatur in cunctis.

Consilia autem sequuntur necessitatem, non præcedunt.

Putat alias rerum formas factas esse ex litigio elementorum, vt sphinges hyrcocervos, chimeras; sed non perdurasse, quoniam necessitas rerum ita tulit.

1. E contra Stoici omnia à consilio fieri docent, ordine fatali Deum cuncta agere: quoniam videmus quæcunque fiunt propter melius ita euenire, quamuis causæ nobis notæ non agant propter illud.

2. Fabrica vermiculorum, & partium, & particularum, & vsus & ratio, adeò sunt admirabiles, etiam quæ à casu fieri dicuntur, vt non possis, nisi sapientissimo artifici ea committere: multò autem magis fabricam mundi, & gubernationem.

3. Cum non liceat aliquid subterfugere Dei potentiam, & sapientiam, consequens est vt consilio Dei omnia sint facta, & fiant, & spiritus ipse intus operetur omnia in omnibus.

Aristoteles medians inter hos, ne Deus vilificetur, sicut figulus in luto operans, veluti opponit Stoïcis Aphrodis. in libello de Mistione, & Arist. in 12. Metaph. & ibi Auer. Itemque ne videretur mundum sine Deo facere, posuit Deum quasi animam primi orbis prouidentem cælo, intelligentiis, vt filiis, ne aberrent à proprio fine: inferioribus verò vt seruis: & ideo sub luna casum fortunam inueniri, non supra. Hanc sententiam sic intellectam à Cicer. & Plutarcho & Chrysostomo Hom. 2. ad Hebr. repellit Origenes vt impiam in lib. contra Celsum. At quamuis ponat Aristoteles in cælo aliquam prouidentiam, quia omnia ibi necessariò eueniunt absque contingentia, non tamen eam intelligere cælum, neque aliquid extra se: neque prouidere Deum concedit; sed mouere tanquam amatum amantes: quod nescit se amari, & ideò rectè Origenes ponit Aristotelem Epicureis impium magis, & nos in pat. 2. Metaph. & Ambros. lib. de offic. T. 51.

Probat in 2. Physic. & in 6. Metaph. quòd quædam fiunt à casu; nam monstra sunt præter intentionem naturæ. Item à fortuna, quoniam exiens ad bibendum noctu, accidit ex mala fortuna, vt à transeuntibus latronibus occideretur. Hoc autem non fuit decretum à Deo nec à cælo. Item p. periher. probat quod si de futuris contingentibus esset prædefinita veritas, periret liberum arbitrium, quoniam non posset arbitrari nec facere, nisi quod prædefinitum est, periret scientia & lex, & exhortatio, & consilium, quod est de contingentibus & possibilibus aliter se habere. Item nil casu, aut fortuito accideret.

Quærens autem quid sit casus & fortuna, ait, euentum in minori parte præter intentionem agentis propter alium finem: sique agens est naturale dicitur casus: si voluntarium, dicitur fortuna. Probat, quoniam in his, quæ eueniunt semper, non est casus, & fortuna, vt solem oriri; lunam congredientem in nodis eclypsare solem: neque in his quæ frequenter fiunt, vt quod in hyeme pluat, & nascatur homo cum nigris capillis: sed in his, quæ fiunt rarò, vt quod ningat sub canc; & homo cum sex digitis nascatur, dicuntur à casu; & quod offendat pedem ad limen dicitur à fortuna; Thesaurum inueniat fodiens sepulchrum: non enim propter Thesaurum operabatur: quæ cum accidant in mundo inferiori, palam est, quod casus, & fortuna apud nos sint: aliquando ex impotentia agentis, aliquando ex materiæ impedimentis: rescindit ergò casus, & fortuna ordinem fatalem. Item in primo periherm. ait, quod si non esset casus, & fortuna, de futuris contingentibus determinata esset iam veritas, & sic periret consilium & lex. 2. Phys. Cap. 5.

SED Contra est Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Item Apostolus Rom. 11. *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.* Et Ephes. 5. *Operatur Deus omnia secundum consilium voluntatis suæ*: & Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis suæ* & Thren. 3. *quis est iste, qui dixit, vt fieret Domino non iubente*? & Eccles. *Mors & vita, diuitiæ, & paupertas, bona, & mala omnia in manu Domini, & Dominus in Euangelio.* Math. 10. *vestri capilli omnes numerati sunt. Et non cadit passer vnus absque voluntate patris*; & Iob 22. redarguuntur qui dicunt, quod *Deus excelsior cælo super verticem stellarum sublimatur*,

circa cardines cœli perambulabat, nec nostra considerat, & quasi per caliginem iudicat. Præterea tollit fortunam Deus Exod. 21. docens, quod homicidium factum casu, non per insidias, fit, *quia Deus tradidit illum in manus percutientis*, & quæ nos sorti tribuimus, ea Deo in scripturis tribuuntur.

Quapropter Aristotelici, & Epicurei satis superque per autoritatem diuinam conuincũtur. Portò, sciendum quod Physici admirantur artificium in formatione rerum: propterea Plato dat ipsam animæ Mundi, Auic. colcodeæ, Alex. intellectui actiuo: Anaxag. intellectui diuino: Telesius ordini rerum à Deo ordinante, & virtutibus actiuis vt Parmen. Arist. tandem motui zodiaci: at formationem fætus, motui generantis: quo nil stultius, inertissimæ rei, & quasi non enti dare artificium, vt in q. præced. & seq. patebit. Nos autem causis actiuis damus principaliter causationem suam per se, vt calori calefacere: per accidens vero, vt facere plantam; influxibus quoque magnis necessitati fato & harmoniæ primi entis modificationi: at artificij executionem intelligentiis mouentibus ad formam quasi agricolando, non quidem caloris & frigoris agentiũ causarũ actiones agendo aut minuendo per imperium, sed artificiosè applicando, vt coquus & ferrarius: hoc autem influxibus magnis vtendo facere possunt, & diuinas ideas inspectando formare. Vide Metaph. Arist. ergo Deum excludendo, errat, vt in præced. art. palam est enim quod fortuna, & casus sunt euentus præter potentiam, aut intentionem agentis, aut scientiam, aut voluntatem, aut ordinem, consuetudinem naturæ. Præter Dei scientiam, aut potentiam, aut voluntatem, nihil in suis operibus euenire potest, alioquin vel esset impotens, vel ignorans, vel malus, ignauusque: dicimus ergò, quod multa eueniunt præter voluntatem, & scientiam secundarum causarum; & illa sunt à casu respectu illarum; non autem respectu primæ causæ, quæ omnia scit, & vult saltem permittere, & si non facere, vt peccata: permissio autem hæc in naturalibus cadit super causarum conditione, & causatione & actu: & in hoc bonitas & scientia Dei est multa, quia melius futurum ex illo prouidit, vt ex corruptione elementorũ generationem elementatorum: in moralibus vero cadit super conditione causæ, non super actu malo, sed bono tantum, in Moralibus enim fatemur præter Dei voluntatem peccari: sed non præter Dei voluntatem hominem esse liberum, ad faciendum quidquid vult: etiamque contra Dei præceptum, peccare posse. De his autem in Metaph. hic tantum dicimus, quod causæ fortes actiuæ non impedibiles facient effectum necessarium, impedibiles contingentem: decretum omnipotens facit effectum fatalem: paruipotens casualem: voluntas efficax concinnum & ex voto: inefficax fortuitum: ita vt fortuna sit defectus harmoniæ, casus fati, contingentia necessitatis in causis secundis. At in prima quamuis in singularibus fiat quippiam propter eius intentionem, & consilium, & potestatem ordinatam: Et hoc solum à causis arbitrariis: tamen generaliter hæc decreta sunt, quoniam Deus ita volens res euenire aptauit causas & necessarias & potẽtes deficere & repugnare, & liberas potẽtes obedire suę antecedenti voluntati.

Ad primum Democriti Resp. quod elementa nesciunt efficere elementata, sed coguntur, dum volunt se ipsa generare, ignis ignem, tellus tellurem, facere secunda entia dum non possunt se augere. Coactio autem est ab influxibus magnis à fato, necessitate, & harmonia. Est enim fatum series, & ordo causarum: nam tellus in medio posita, & sol circum illam gyrat, vt corrumpat: & ex hoc euenit ne corrumpat, sed tantum immutet, dum gyrat, nec semper eandem partem lædit, & per vices agit. Necessitas cogit quoque secunda facere entia, quoniam calor coactus remanere in terra, & debilitatus ita modificatur, vt non possit nec velit, nisi talia, quæ facit facere vt in textu. Harmonia tertius influxus est, quoniam amor sic faciendi eis necessariò succedit & propter fines à Deo cognitos, dum enim calor vult terram vincere facit plantam: dum planta vult se immortalem seruare, facit fructus; qui non sibi, sed animalibus, etiam per harmoniam vsui sunt. Animalia verò aliis, & omnia omnibus deseruiunt, & omnia Deo, vt patebit ex textu, & maximè in compositione animalis, & melius in 2. p. Metaph. Hæc autem sic euenire absque Deo non possunt prouidente.

Ad

Ad secundum Respondetur, quòd mala eueniunt consilio Dei volentis, aut permittentis propter maius bonum. Quid tyranno peius? & tamen ipse sanctos, & martyres facit, & peccata punit: de vsu serpentum, pediculorum, & aliorum vsum, saltem ignotum, quæ cum artificiosè formentur, sicut & aliæ res vtiles, nil dubium, quin habeant vsũ saltem ignotũ. Vide 2. p. Metaph. Sed palam est, quod non fiunt entia noua; nisi ex corruptis prioribus. Corruptio autem mala est illis, bona est istis: Ergo per accidens volita: At culpa moralis nulli est bona cum sit contra Deum vniuersale bonum, ergo non est volita per se nec per accidens: sed si fiat, postea vult Deus, non ex ordine peccati ad bonum, qui nullus est: imò est deordinatio: ergo non ordinabilis: sed ex omnipotentis bonitatis ordine, vt sit occasio boni, sicut docet S. Thomas.

Ad tertium Respondetur, quòd Dei sapientia non est passio à rebus illata, vti nostra; ipse enim est autor rerum, non admirator. Autor autem scit antequam fiant: sua scientia est infinita, & potestas: ideò non turbatur, neque infælix est. Sed Epicurei non distinguunt inter scire Dei, & nostrum, omnia metiuntur se ipsis: ideò errant. Vide Metaphys.

Ad Empedoclem, dicimus, quod necessitas materiæ non est causa rerum, sed consilium vtentis materia: ponit faber lapides graues in fundamento, quoniam melius sustinent fabricam: leuia in tecto, quoniam melius sustinentur, & dentes acuti sunt ad secandum cibum, lati ad molendum, ex certis materiebus, & omnia propter vsus naturæ, & artis. Empedocles ad pauca respicit, quoniam consilium nostrum non facit res, sed vtitur factis. At quæ fiunt à nobis ipsum conuincunt, non enim facio A. & B. & cæteras figuras talibus sublineationibus, & non aliis ex necessitate materiæ, sed quia sic aptæ ex consilio videntur ad significandum: manifestum est enim, quod Arabs, & Græcus, & Iaponensis aliter figurant scripturam suam, quam Latini. Ergò consilium, non materia est rerum causa prima, vel consiliorum parens. Imò Deus consilio suo omnia faciens, bonum esse facere tot res materiales statuit propter varios fines.

Similiter neque natura facit dentes anteriores acutos, quia guttatim in acutum defluit eorum materia; sed ideò cogit ipsum guttatim defluere per angustum, vt acuti fiant, aptique ad secandum cibum; sicut in planum ad molares faciendos promit, vt sint apti ad molendum. Neque ergò casu fiunt oculi, vt putat Epicurus, neque necessitate materiæ, vt Empedocles & mox sequutus est visus videndi. Sed reuera fabricati sunt ex tenui materia, transpicuaque, & non ex alia, propter videre; neque enim Ars necessitate materiæ fecit gladium acutum aut casus, sed propter finem præconceptum ad pugnam, & penetrationem: ergo natura sapientior arte, & quam Ars imitatur, vt discipula, & longè magis facit propter finem.

Neque putandum est alias species rerum ab initio extitisse, nisi quas Deus voluit, monstra enim non semper esse voluit, sed aliquando ad aliquid ostendendum nobis, vel ob alium finem, neque enim dormitando Deus fabricatus est mundum, sed consilio voluntatis suæ.

Ad Stoïcos dicimus, quod rectè Philosophati sunt; neque ipsorum sententias infringi posse, nisi dicant, Deum esse Spiritum subtilem corporeum omnia penetrantem, quod illis Aphrodis. impingit, & Plutarchus & Seneca: sed quod sit vbique attingens à fine vsque ad finem operans omnia in omnibus, nos fatemur, neque laborare & sordere, vt Peripatetici somniant; quoniam eminenter est Deus in rebus, & res in Deo. Vide Metaph. Impugnantur Stoïci à Theologis, quia auferunt contingentiam, & omnia necessario euenire per prouidentiam statuunt. Sed respondetur pro eis: quod omnia respectu Dei eueniunt necessariò necessitate infallibilitatis, non autem coactionis, vt D. Thomas etiam docet: & ideò non tolletur libertas, neque contingentia. Dicuntur enim multa casu, & contingenter fieri respectu causarum secundarum, non autem primæ: vt casu seruus conseruum inuenit in platea respectu sui: non autem respectu Domini, qui miserat hunc obuiam illi, & sciebat sic euenturum. Imò Stoïci ne temeretur libertas humana prouidentiam Dei in homines ex parte minuunt, vt & Damasc. & Nyss. comprobant non quia non ordinet Deus actus humanos, sed non

prædeterminat speciatim, vt sic & non aliter fiant. Sed de hoc in Metaph. & in Theologus in quo errent docemus.

Ad Aristotelem dicimus, quod eius sententia reprobatur Iob. 22. Prouidentia enim Dei omnia singularia, & minutias comprehendit; sed quia negat authorem Mundi, negat & prouidentiam. Præterea iam patet, quod & in cælo aliqua fiunt præter consuetum ordinem, & raro, vt noua stella sub Hipparco, & alia sub Tycone, in octauo orbe. Item cometæ multi. Item exorbitantiæ. Præterea neque Deus prouideret in cælo, qui se solum scit Aristoteli: nec cælum nec motum intelligit; quoniam intelligere est pati: Ergo, ait, pateretur: Ergo esset materialis. Vide consequentias vanas, confundentes intelligere inuentoris & admiratoris. Imò postponentes: nec enim intellectus hominis est materialis, quia exteriora intelligit etiam secundum Aristotelem.

Ad probationem de monstris, & inuentione thesauri dicimus casu & fortuna euenire respectu causarum secundarum, quæ ignorabant ita euenturum, & propter alium finem operabantur, non autem respectu Dei. Sic lilium efficit florem propter semen, & propagationem sui, homo verò vtitur illo ad luxum: hoc casu accidit lilio, non autem homini, qui propter hoc lilium nutriebat in horto. Casu à latrone exiens ad bibendum occiditur, sed tradidit illum Dominus ait Moyses ob finem aliquando notum, aliquando occultum nobis, sic de cæteris, non enim propter nos solos factus est mundus, & quæ in eo sunt. Adsunt alia entia quorum sunt vsui, quæ nobis officiunt: & Angeli id norunt contemplantes artem Dei, sibi notam, ibi occultam nobis.

De Casu, Sorte & Fortuna corrigitur Aristoteles.

NOta, quòd nos dicimus casu, & fortuna euenire, non ea solum, quæ raro fiunt, vt Aristoteles putat. nam & miracula Deus quædam raro facit per sanctos, nec casu, sed consilio multo: Præterea accidit casu, vt Medicus cytharizet, quia non quatenus Medicus, sed quatenus cytharedus cytharizat; neque hic est finis Medicinæ; & tamen frequenter euenit medicos cytharizare: sic etiam casu sol generat plantas, quoniam præter intentionem suam, cuius est facere modò ignem, & tamen frequenter facit plantas, necessitate, fato, & harmonia vrgentibus; & casu calor indurat, & frequenter; per se verò emollit. Quapropter Ecclesia canit, *Noctemque sors reduxerit*; & tamen non sorte, & raro; sed semper euenit nox: sed dicitur venire sorte, quoniam sol non intelligit facere noctem nobis, neque tellus ob id emittit vmbram, sed vt se defendat contra cælum. Igitur sors est ordo à Deo positus. Similiter casus, & fortuna: differunt autem hæc vocabula, quia ordini, & naturæ, & proposito deseruiunt, sed sæpè confunduntur. Vide Metaph.

Item S. Bernardus in serm. 26. super Cant. deplorat propriam fortunam in morte Fratris, & S. Thomas p. 2. bona exteriora vocat bona fortunæ; ergò palam est, quod ignorantia nostra, vt dicebat Polus, facit casum, fortunam, & sortem.

Est ergò omnis euentus præter quidditatem, aut potestatem, aut intentionem, & voluntatem, aut ordinem, aut consuetudinem casus illi rei, extra cuius quidditatem, ordinem, & voluntatem, & scientiam fit. Ergò omne per accidens est casus ei, cui accidit; sed dicitur accidens respectu subiecti, cui præter essentiam adiicitur: dicitur sors & contingentia respectu potestatis, cui additur: casus respectu intentionis, & sapientiæ præter quam fit: fortuna respectu ordinis, & consuetudinis, præter quam euenit: sic igitur elementis elementata à casu fiunt, & sorte, similiter & dies, & nox; sed respectu Dei à consilio dici debent. Similiter quæ eueniunt in rebus humanis insperata, nolita inpræmeditata à casu, & fortuna sunt.

Item si præmeditata, sed non vt euenit; scio enim in ludo bonam, vel malam sortem; vel neutram affuturam: sed non hanc & illam. Sed tamen nos solemus

solemus fortuita vocare magis, quæ rarò accidunt, quoniam quæ frequenter accidunt quasi scimus, & non miramur. Quapropter respectu cæli fiunt multa casu, quoniam tellus illi repugnat, & frigus & distantia, & varietas motionum impediunt eius effectum; non enim est omnipotens cælum: sic respectu terræ, & nostri; longè plura habentium impedimenta: At etiam sæpe Angelorum, quando Dei voluntatem ignorant: vnde Angelus regni Persarum repugnabat conatibus Angeli Hebræorum. Sed respectu Dei nihil est à casu, & fortuitum: Quoniam omnia decreuit generatim & speciatim. naturalia: arbitraria saltem generatim: & vt possent ad vtrumque operari: ordinauitque quidquid succellerit etiam ad aliquę vsum: licet illud de sui natura non esset ordinabile, vt peccatũ morale. Ergò nec propterea perit lex, & consilium, vt putat Aristoteles, quoniam lex, & consilium sunt de numero causarum in serie fatali, & à Deo mouentur, & permittuntur iuxta propriam naturam regi, non vi; liberè enim Laius filium neci addicit, liberè ab aliis eripitur, liberè fit dux contra ignoratum patrem, liberè occidit patrem, & matrem ducit vxorem, sicuti per oraculum, vel Astrologiam prænunciatum erat euenturum infallibiter, & respectu ipsorum casualiter, sicut respectu Dei ex industria. Vide Metaph. & S. Thom. Casu accidit me intrante domum, fulgurare, sed non Deo. Quapropter errant Astrologi, qui à causarum cælestium consideratione sola diuinant. Nam & terræ resistentias, & Dei ordinem scire oportet; sed qui plures causas considerat, & fortiores, aliquid plus scit, sed non omninò, & totum vt Deus aliquando dicitur per accidens causæ materiali, non respectu scientiæ, sed voluntatis, non quidem permittentis, sed optantis, aliæ verò causæ omnibus modis.

QVÆST. XX.

DE SECVNDIS CORPORIBVS SINGILLATIM SEQVITVR INQVISITIO, ET PRIMO DE AQVIS, ET DE MARI.

Vtrùm Mare sit æternum, nullis ex causis natum, nec nascens ex fontibus, vt Aristoteli videtur; an natum sit ex primis corporibus, perpetuóque propriis ex fontibus instauretur.

ARTIC. I.

1. PROBANT Aristotelici mare esse æternum, quoniam est vnum ex quatuor elementis: elementa autem æterna sunt, ergo & Mare.

2. Addunt nostrates, qui sequuntur Aristotelem; quamuis non sit æternum esse creatum à Deo, vt primũ elementũ: nam in Genesi 1. dicitur *Creauit Deus calũ & terrã. Terra erat inanis & vacua, & Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Ergò ab initio creatæ sunt aquæ.

3. Præterea probat Arist. in cap. 2. Mare esse elementum aquarum, quoniam in ipsum feruntur omnes aquæ: sicut tellus terrarum, & ignis ignium, quoniam ad ignem sublunarem, & ad terram nostram feruntur ignes, & terræ omnes.

4. Dubitans quomodò possit esse aquarum elementum, quod debet esse dulce, ac frigidum: mare verò est salsum, & calidum. Resp. hoc illi per accidens aduenire ex mistura exhalationis decidentis vnà cum pluuiis; & ex mistione terræ: & quia sol educit, quod tenue, & potabile, subsidetque crassum quod est, salsumque.

5. Præterea Arist. 2. Met. cap. 1. arguit contra Hesiodum, & Orpheum aliosque Theologos Gentilium, docentium mare è terræ fontibus salsis oriri lacunarum ritu,

his rationibus. 1. Nam fontium alij manufacti ab hominibus, alij sponte fluunt. Mare non nascitur ex manufactis sicut quidam lacus, vt experientia testatur. Neque ex spontaneis, nullos enim fontes videmus tam magnos, qui tantæ molis aquam, quanta est marina, gignere queant.

6. Item qui sponte fluunt ab alto fluunt: At nullos ex altis montibus fluere fontes conspicimus ad maris constitutionem, & instaurationem: sed dulces omnes tenues. Resp. autem objicientibus fluxum Euxini in Ægeum, & Borealis in Australe, id accidere ex fluuiorum illapsu, & impulsu: item ex minori profunditate Borealis maris; & non quia ex fontibus propriis.

7. Item multa sunt Maria, quæ inter se non commiscentur, vt Rubrum non communicat cum Gaditano. Caspium verò nullis commiscetur, & circumhabitata Maria sunt multa. Quorum omnium fontes incolas, non laterent, si essent vlli.

SED Contra est Moyses, antiquissimus Theologus (quem secuti sunt Orpheus & Hesiodus & alij prisci Theologi gentium) is in Gen. 7. dicit in principio diluuij vniuersalis ruptos fuisse fontes abyssi magnæ, & in fine clausos cap. 8. sed Abyssus est congeries aquarum apud Doctores Græcos Heb. & Latinos, magna autem abyssus est mare oceanum. Ergo mare habet in terra fontes, ex quibus oritur. Idem confirmat Iob. 38. *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat de vulua procedens?* vbi de terra ab initio ortum esse mare quasi vrina de vulua, sic enim intelligi debet. Non enim salsum amarumque esset si solum quasi ex fonte procederet, aliorum fluuiorum ritu: vrina autem salsa est amaráque ea ratione qua mare, vt mox patebit. Præterea Genes. 1. dicit Moyses, quod *Deus congregationes aquarum appellauit Maria*, idest amarum, vt patet ex libro Ruth, & interpretibus sanctis. Appellatio autem Dei est institutio naturæ, vt docet S. Ambrosius. Igitur ab initio mare fuit salsum, amarúmque, quoniam natum est ex terra adusta, vt dicebamus in textu: & Orph. & Hesiod. contestantur: & sicuti tunc creatum est mare ex terra tanquam eius appendix, vt docet Lactantius lib. 3. ita nunc continuò recreatur reficiturque ex fontibus terræ salsis, alioquin deficeret, cum non sit corpus primum, idest elementum, vt probauimus autoritate Lactantij, Basilij, Chrysostomi, & aliorum sacrorum Doctorum, duo sunt corpora prima, primoque idcircò creata, vid. cælum & terra. Cætera enim sunt ornatus eorum, vt dicunt Patres, & epilogando Moyses intimauit dicens. *Igitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum.* Vnde Hieron. in Iob. 38. *Duas magnas Deus de nihilo fecit Mundi partes, cælum & terram: cætera verò ex eis. Nam mare de vulua terræ fecit: vuluam,* ait, *maris sinum terræ dictam existimo, ut de ea mare progenitum noverimus, &c. Item de occultis terræ sinubus.*

Præterea totum mare est calidum, salsumque natura: ergò non per accidens. Non enim accidentia possunt rerum essentiam mutare, quin pereat. Perisset ergò iam mare præsertim si decuplo terra maius fuit Aristoteli, & nunc experimur decies millecuplo terra esse minus. Et mirum quomodo per tot sæcula non periit, præsertim si æterna, vt vult Arist.

Præterea si mare incessanter non reficeretur ex propriis *fontibus abyssi magnæ*, idest Oceani, vt scriptura Genes. 8. nos monet; iam vel defecisset conuersum in sal ab adurente, minuentéque incessanter sole: vti accidit omni marinæ aquæ, in quam dulcis non miscetur: & hoc in calidioribus, & sub æquatore prorsus eueniret; vel à fluuiorum mistura dulcium, iam dulce, tenueque factum esset: si enim consideres quantas aquas quotidie Nilus, Nigir, Zuana, Ganges, Indus, Pegù, Menan, Euphrates, Tigris, Tanaïs, Ister, Padus, Tiber, Tagus, Bethis, Rodanus, Renus, Mosa, Albis, Oczera, Vistula, Origliana, Plata, aliaque ingentia flumina totius terræ influunt, videbimus, quod in vno anno, & forte in vno mense, plus dulcis aquæ intrat in mare quam salsæ inexistat. Omitto quanta à pluuiis restituitur: nec tamen mare fit dulce: fiendum quidem vel in centum saltem annis, vel in mille, in quibus ista influxerunt illi flumina. Ergò oportet mare refici ex salsis fontibus, proptereàque non perire, neque dulcescere. Quàm diminutæ fuerit considerationis Arist. ex hoc licet agnoscere, quòd confessus mari restitui aquas, quas Sol eleuat, per pluuias, & multo plures per fluuios; nihil tamen verius est docere Maria imminui, & salsescere per actionem solis; & insultare generan-

tibus Mare,vti nos generamus,quod non possunt salsedinis Maris causam reddere, quoniam quot eleuat Sol,totidem restituit Mari aquas.Cum ipse neque salsedinis, neque diminutionis,neque cur sub ardenti Sole,& longe à fluxu fluuiorum, non conetcuit in salem; neque cur à tot fluminibus se maioribus non dulcescat, nec tenue fiat,aut in pristinum redeat frigus,præsertim iuxta terminos fluxus ingentium fluuiorum,reficierit. Resp. tamen Aristoteles 2. Meteor.c.2.quod propterea à fluuiis non augeatur Mare,quoniam in immensam eius molem delati arescunt,& sunt quasi nihil; sicuti Cyathus aquæ super mensam sparsus arescit. puerilis sanè responsio. Aqua enim modica per siccam sparsa mensam,subito arescit: non autem si multa,& non super siccam rem, cuiusmodi non est mare : bene quidem fluidum, & Aristoteli visum elementum frigidum,aquarum principium,ad quod omnes reuertantur, tanquam ad sui conseruatiuum non ad destructiuum,& arefactiuum: neque enim ignes sursum,& glebæ ad terram deferuntur, nisi quia cum suo toto magis,meliusque conseruantur. Præterea tanta est moles aquæ fluuiorum, quæ vno in anno maris magnitudinem adæquat exceditque. Non enim profunditas maris ducentorum est passuum : nec superficies tertiam partem terræ operit,vt quotidie experimur,& Esdras dicit sextam tantum.Item si quæ particulæ pluuiales educuntur ex mari, id quod non subito fit,sicut augetur subito, à pluuiis restituuntur,ipsius etiam Aristotelis testimonio,ergò responsio nulla.

Ad 1. Resp. quod nunquam Scriptura sacra dicit Mare fuisse æternum: vel factum ab initio seorsum à Cælo,terraque,tanquam alterum ab eis elementum : creauit enim à Principio Deus Cælum, & terram, tanquam prima mundi corpora vocata elementa, vt dicit Bas.& Hier.aliiq; sancti, aquas verò deinde nominat tanquã concreatas,vt secunda corpora : & profectò continuò videmus aquas & dulces, & salsas, & acidas, & aliorum generum fieri à Sole ex immutata terra,& non ab aliis aquis,vti ignis ab igne, & tellus à tellure; vt manifestum sit non esse Aquam primum corpus,vires in summo habens, quæ se ipsam generare,& amplificare valeat,sicut ignis,& terra corpora prima. Vnde manifestum est ex scripturis Mare esse prolem terræ, & caloris, & propterea nominatur post ipsa: quoniam Spiritus Domini ferebatur super aquas, quæ erumpebant de terræ visceribus adustis sicut vrina de vulua,vt Iob dicit,& ibi.Her. Lact.vero in 3.lib.c.13.contendit aquas esse terræ appẽdicem,& non elementum,hoc enim,ait,Scripturæ sanctæ repugnat,duo ponenti elementa. Basilius verò esse terræ quasi sanguis corpori animalis, id est eius quasi portionem,quoniam in eo fit. Non negamus aquas ab initio creatas à Deo, imò asserimus: sed non vt prima corpora primum,sed cum primis. Nam & homo & plantæ,& feræ creata sunt à Deo,sed vt secunda corpora ex primis genita: Aqua autem ante hæc,quoniam ita necesse erat elementationi cæterorum, vt palam est. Hinc mirere insipientes Telesij insectatores.Et Moyses inter ornamenta ponit aquas,non autem primis corporibus,cęlo nimirum terræque adnumerat,& hoc probat Hier. Et sic resp. ad 2.

Ad 3. Ratio, hæc non concludit Mare esse elementum, sicut nec ciuitas est elementum hominum, quoniam ad ipsam homines congregantur. Cum enim Mare fit in vallibus terræ,& aquæ in sublimibus partibus non possint se se sustinere, vt puta natura graues fluidæque: necesse est,vt in Mare illabantur.Mare autem in terræ concaua, vt in propriam sedem.At minimè omnium Aristoteli id dicere licet, quippè qui flumina in mare influere,vbi arescant,dixerit,quasi cyathus aquæ super mensam.Præterea elementum cęterarum conseruatiuum,ad quod propterea aliæ accurrunt aquę, ab ipso & cum ipso nimirum conseruari appetentes, est natura frigidum dulce,ac tenue. Mare autem calidum,amarum, & crassum: ergò elementum nullo pacto videri potest, nec ad ipsum, vt ad elementum ferri aquas. Propterea que Peripateticorum multi negant mare esse elementum aquarum,sed potius asserunt fluuios: ergò.

Ad quartum dicimus argumentum validum esse: solutionem verò nullam: non enim accidens mutat rei substantiam in contrarium ens, quin pereat, vt dictum est in corpore articuli,& in sequenti articulo probabimus,posse nihil tenuium eductione, aut exhalationis mistura elementum aquarum salsescere,& crassescere: tum quia restituuntur plures,quam eleuantur: tum quia lacus idem paterentur: tum quia nulla dulcis aquą quantumuis coquatur,salsescit, crassescitque vnquam, etiam ipsius Aristotelis testimo-

na in 4. Mete. ne dum sensu,& experientię perpetuæ autoritate.

Ad quintum Respondetur, Mare oriri ex fontibus non manufactis, sed naturalibus, non quidem manifestis nobis, sed in terræ visceribus vt dixit Iob,& Moses & Orph. Aquæ enim dulces fiunt ex vapore in concauitatibus condensato; propterea eorum origo patet: at aqua salsa ex tellure combusta in visceribus terræ, liquefactàque, quoniam partes tenuiores exhalare exinde nequeunt, sed adustis miscentur crassioribus, vt istæ liquescere valeant: similiter vrina fit in iecore, & in visceribus animalis, & non in ore, sicut sputum, aut in cerebro, fontibus manifestioribus. At quidem plurimi fontes salsi apud nos etiam visuntur, præsertim in Apulia, terra plana, humilique, in cuius visceribus calor operans fundit in salsas crassasque aquas telluris occupatas partes. Præterea nec quia non videntur fontes Maris, negandi sunt. Nam etiam super montes editissimos fiunt lacus multi, & fontes in Africa, & Asia, & Europa; quos etiam in Apenninis vidimus: nec tamen constat quibus ex fontibus oriuntur: visuntur tamen aliquando aquę ex fundo terræ resilire per foramina, venas vocata; aliquando minime, quapropter nihil mirum si Maris fontes imi valde, non conspiciuntur. At continua perseuerantia Maris in sua salsedine, & crassitie, non facta crassiori, & sal omninò, ab ardenti Sole; neque dulci ab illuuionibus fluuiorum, manifeste indicant ex propriis fontibus Mare continuò instaurari, & à dulcibus temineri, ne fiat sal. Prętereà æstus ab imò maris incessabiliter celebratus ostendit etiam ab imo fontes prosilientes impellere sursum aquas. Moses quoque testatur extare fontes Abyssi magnę: omnes autem Theologi & ipsa scriptura docet Abyssum magnam esse Oceanum: ergo Oceanum habet fontes suę originis vt supra.

Ad sextum, diximus spontaneos fontes propterea nobis esse notos plerumque & ab editis locis, quoniam aquę dulces non fiunt in profunda terra, sed in cauitatibus montium plerumque. At multos esse ignotos, lacus ipsi peremnes ostendunt, quorum fontes latent etiam in iugis montiū. Mare autē ex crassa adusta, liquataque terra nascens nequaquam fontes habeat manifestos nobis, vt dictum est. Attamen manifestum est humilium planarum terrarum aquas esse crassas, salsasque, quoniam ab ima tellure, & non è montibus, nec ex vaporibus enascitur. Dubitatio Aristotelis est inanis, & inanior solutio. Non enim Aquę à Borea in Austrum feruntur, sed è contra potius, vt seq. art. probabitur. Nec tellus editior est ad Boream, nisi vbi montana. Prætereà etiam licet editior; tamen nisi nouę aquę fiant ibi, non perpetuò fluet: cum enim repleuerint concaua humiliora, fluere cessant. Mouetur Euxinus in Ægeum ex copia nouarum aquarum; rursus à calore solis ad occasum feruntur omnes, & alibi magis, alibi minus æstuant, fluunt refluuntque ob causas mox dicendas.

Ad septimum, omnia maria commisceri iam nauigatio patefecit excepto Caspio, nisi subterraneis cuniculis quis misceri contendat. Attamen latent fontes, quoniam ab ima non ab edita tellure fluunt, vt dictum est.

At dicet quis. quid fit de tanta aquarum mole incessanter fluentium in Mare, quod non crescit ab eis? Responsio illabi in telluris venas, & terram instaurare, vt possit sufficere fontium generationi; alioquin a Sole arescat totáque prorsus deficiat: vnde fontes etiam si à mari per longum iter exeant, salsi non sunt, & ideò videntur sancto Basilio esse quasi sanguis in Animali, cui sanè est nutrimentum. Rerum enim conditor prouidit vt assiduo Mare reficiatur è terra, vt non dulcescat; & è fluuiis, vt non arescat versum in sal, & tellus assiduo reficiatur ex mari, fontibúsque vicissim, donec rerum nostrarum vicissitudo permansura est. vide Art. 6.

Vtrum Mare sit primum inter secunda corpora, calidum, salsum, amarúmque origine sua, ex terra adusta liquefactáque natum caloris vi, vti nos docemus, terra longè minus; an corpus primum decuplo maius natura frigidum, humidúmque, sed violentia, calidum, siccum, amarúmque salsúmque, imminutúmque, vt putat Aristoteles.

ARTIC. II.

1. Aristoteli sic videtur, quoniam accepit ab Antiquis quatuor esse elementa aquarum autem elementum non potest esse nisi Mare, quoniam omnes aquæ ad ipsam recurrunt, vt ignis ad elementum ignis, & glebæ ad terram. *In 2. Meteor. c. 2.*

2. Docet esse natura frigidum, & humidum, quia tale esse debet elementum aquæ. Nec esse terræ sudorem, quoniam terra sicca non exsudat nunc: ergò nec à principio. Item sudor & vrina salsescunt ex indigesti mistione; non autem ex calore educente humorem ex sicco.

3. In 2. Meteor. cap. 2. inquirens cur sit salsum, & amarum, & non humidum, dulcéque, quale esse debet. Resp. ita factum esse à Sole, qui aufert illi partes dulces, & tenues, remanentésque siccas facit, & salsas, sicut calx, & cinis, & vrina, quæ à calore salsescunt, & amarescunt.

Neque contentus hac ratione adducit aliam, quòd videlicet, exhalationes calidæ, siccæque eleuantur in aërem, quæ à pluuiis deorsum adductæ cadunt in maris superficiem, redduntque salsum, & amarum: sed per vasa cerea decolatum dulce suscipitur mare. *1. Meteor.*

4. Quærentes de magnitudine dicunt mare esse decuplo terra maius, ipsámque locare per circuitum totam, sicut aër mare, & aërem ignis, & ignem cælum, & probat quoniam talis situs, & symbolum elementorum. Item ex vno pugillo terræ fiunt decem pugilli aquæ; ex vno aquæ decem aëris.

5. Alij putant mare congregatum esse extra situm suum, vt det animalibus terrestribus locum viuendi, & maiorem esse terra, sed eum esset natura circumdans tellurem, à Deo coërcitum est propter hoc, vt dicitur apud Ieremiá. *Ego posui arenam terminum mari.*

6. Esse elementum quoniam in prima origine à Deo factum est, & non à Sole ex terra: multique Patres ita asserunt.

SED Contra est Moyses Gen. 1. docens in principio fecisse cælum, & terram tanquam prima mundi corpora secundum Bas. Hier. & Lact. De Mari verò locutus est, deinde cum congregat aquas, quæ fluitabant in terræ superficie, tanquam eius sudor, ait Emped. vel sanguis, vt ait Basilius, Lactantius verò, vt terræ portionem factum mare putat ex sacris literis, & nullo pacto esse elementum. Seneca lac terræ matris ad suos fœtus alendos dixit Aquam.

Præterea ex tunc factum fuisse salsum, & amarum. Nam maria in lingua Hebræa etiam sonat amarum: ergò & minus terra, & amarum origine fuit, non vi posteà factum. Idem probat Iob 38: *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens?* ergò de terra erupit mare iussu Dei, sicut de vulua vrina salsa, & amara. Hier. ibid. docet, Mare sic Ortum ex Terra primitus.

Præterea omnes Patres docent post diem Iudicij elementa remansura, sed in Apoc. 21. dicitur quod mare non erit, & ita Beda docet, ergò mare non est elementum. Præterea 4. Esdræ 6. dicitur, quod mare septima parte terræ congregatum est, & sex exsiccatæ remanserunt: ergò in superficie mare est septima pars terræ, ergò non decem partes habet plusquam terra: in profundo verò mensi sumus mare Siculum, quod Aristoteles profundissimum esse putat, sicut Sardoum, & Tyrrenum, nam Oceanum spatiosius,

non profundius illi est: inuentumque est non excedere septuaginta duos passus: esto mille. At terræ semidiameter, quibus breuissima est, excedit viginti octo millia stadiorum, & Tyconi est 5400. milliaria Germanica, tota autem diameter, qua caret mare, est 10800. quid autem est vnum milliare ad 10800. milliaria: ergò aquarum moles est ad terram sicut vrina ad corpus nostrum totum, vel sanguis vt rectè sanctus Basilius docet.

Præterea Maria Amphitrites non excedunt 200. passus: esto mille, & ambitus eorum angustus vix quadraginta gradus latitudinis habet inter Arabiam, & terram Australem, vbi latissimum est: qui tamen secundum longitudinem, & sicut circellus ambit terram profunditatem verò modicam multitudo insularum arguit. Quapropter nulla est quantitas maris ad terram, & rectè Copernicus hoc probauit. Errauerunt antiqui, quoniam ignorabant alterum hemisphærium, opinantes immensa aquarum in mole terram supernatare: sed iam patefacta veritas corrigit errantes. Quod si non habet mare frigus, & dulcedinem, & quantitatem elemento competentem; palam est, quod non sit elementum, huiusmodi autem ab exordio est, non autem à Sole factum, teste scriptura Dei, ergò ab exordio non fuit elementum.

In 1. Met. Et in lib. de Sens. Præterea non generat aquam, sed generatur, non habet vires summas imò neque elementares remissas, si caret frigore, & humiditate. Nam Aristoteli & Auerroi vocatur siccum, calidúmque, ergò elementum non est, mox autem probabimus omnes aquas esse natura calidas. Quod autem è propriis fontibus imæ telluris, vti lacus, assiduè generatur post primam generationem: ne deficiat à dulcibus superatum alibi probatum est.

Ad primum Respondetur, quod omnes aquæ tendunt ad mare, quoniam omnes partes ad totum vadunt: nam mare est humilius terra, licet globosum, neque effluit in terram, nisi fodias in littus imum. Ideo ad ipsum recurrunt è superioribus terræ. Homines currunt ad ciuitates, non propterea ciuitas est elementũ, sed locus tutus inter similes.

Ad secundum negatur assumptum, si enim Mare esset natura frigidum humidúmque, non potuisset naturam hanc amittere, nisi ipsum corruptum foret: at mare seruatur potius à Sole, quàm corrumpatur, ergò &c. Resp. autem ad ea, quæ opponit Empedocli contrà sudoris analogiam ex seq. Resp. patebit.

De causa Salsedinis Maris, contra Aristotelem.

Ad 3. ERrat Aristoteles, quoniam si Sol eleuando tenuitates salsum redderet mare, & imminutum; tunc magis salsescerent lacus, & fluuij, plus patientes ob exiguitatem. Item tot fluuij maximi assiduò in mare fluentes per tot secula, quales sunt Ganges, Indus, Eufrates, Ister, Nigir, Nilus, Tanais, Vistula, Plata, Origliana, & alii immensarum aquarum à principio Mundi, vel à mille annis iam mare obruissent, & dulce tenuéque redidissent, nisi fontibus è salsis continuo reficeretur: nulla ergò apparentia est quod salsescat à Sole, qui longè plus dat quam aufert, sed natura sua est tale, vt sudor & vrina.

Præterea ipse Arist. in 2. Mete. cap. 3. ait, quod qui generant mundum de nouo, vt Plato, non possunt reddere causam salsedinis, & minorationis, quoniam quot partes à Sole eleuantur, totidem restituuntur per fluuios, & pluuias, & plures. Ergo idem dicam contra Aristotelem, si totidem restituuntur: ergò non minuitur, neque salsescit ob id. Præterea aqua dulcis dum coquitur, nunquam salsescit, neque crassescit, sed tenuatur, teste Arist. in 4. Meteor. & 2. de gen. An. & Medicis, & experientia: ergò mare nunquam fuit dulce, & tenue, nec à Sole immutatum.

Secunda ratio salsedinis est fallax, quoniam exhalatio sicca nulla datur, & si datur non descendit cum pluuiis, sed ascendit & vnitur, quoniam tenuissima est.

Item si descendit cum pluuiis, lacus pluuiales essent salsissimi; quod falsum est: ergò Mare est salsum natura, quoniam ex terra adusta, liquefactaque fit, & proprios in terra fontes habet, vt docuit Orpheus; & Moyses nominat fontes Abyssi magnæ, id est Oceani, & palam videmus fontes plurimos origine salsos, alios sulphureos, alios oleaginosos, & Plato ponit tartarum, & sanctus Gregorius; & Iob fluuium Cocyti in cauernis terræ; à quo Poëtæ mutuati sunt; & per hos intelligimus fontes maris, alioquin deficeret continuo absorptus à terra sugente, à Sole eleuante, &c. Concedimus extrahi dulcem aquam per

per decolationem,quoniam fluuii,& pluuiæ dulces illi admiscentur, quod autem Imperatus scribit salsedinem esse colaturam,seu lotionem terræ,acceptum est ab his qui sal ex aqua colata per fimum faciunt:sed errant,quoniam salsedo hæc est accidentalis per alterius salsi misturam:sed naturalis est caloris opus,& calida omnia,adustaque, salsa sunt, & ideo mare non salsescit,quia tangit terram;sed quia à terra combusta ortum habet, alioquin omnis fons præsertim in arena sicca salsus esset.

Cum autem Arist. quærit quare Tellus non exsudat nunc salsam aquam, diximus in Textu,& in art. præced. quod fontes etiam nunc salsi sunt in imis Terris, vnde calor non exhalans adurit liquefacitque,vrina etiā non est salsa ex mistura vt lixiuium.sed ex calore incluso vrente liquefaciente.Similiter & sudor: qui concrescit in sal in Appulis messoribus exsiccatis. A principio ergo Tellus adusta liquescens facta est salum,& fit nunc: nec mistione Terræ,sic enim & lacus salsescerent,teste ipso Arist. contra sic opinantes. Nec Metaphora est sudor,vt exprobat Empedocli,sed analogus & vniuocus sermo. Humor dulcis,nunquam fit salsus,nisi mistione etiamsi feruecat tempore multo: sed nascitur salsus ex materia sua talis ambusta liquefactáque: quæ a Sole & igne in purum sal vertitur: non autem dulcis.Mare autem non fit sal concretū fluuiorum mistura, vt dictum est.

De Magnitudine Maris errant Aristotelici.

AD quartum errat Aristot.quoniam Mare in septima vix parte terræ cōtinetur, quoad superficiem;quam etiam si ambiret adhuc longe minus esset, cum vix sit vndecima millesima pars terræ in altitudine (vt demonstrauimus) Neque quia ex pugillo terræ fiunt decem aquæ,sit maior aqua,sed longè minor, vtpote quantus vnus mons terræ,qui si fundatur facit forsan tantumdem maris,quantum nunc est. Ideò terra ob vnionem multæ molis est,& proportionatur cęlo:sed vbi ostendes mihi mare maius.vide art.

Ideò ad quintum Resp.quòd si mare secundum naturam debet esse dulce,frigidum, & decuplo terra maius per vos,& non sic est:vos contenditis cum Deo de Potentia, & Sapientia,quod non fecerit,aut nescierit,aut nequiuerit facere quantum , & quale per vos esse debebat;& estis correctores operum Dei,non inuestigatores: si autem natura est quale,& quantum à Deo factum est,frustra,& impiè dicitis, aliter esse debuisse propter Aristotelem vestrum:& circumdate terram,& non ima in valle teneri:sed dicunt,Deum fecisse sic propter commoditatem animalium: ergò,inquam,naturale est illi sic esse,non enim Deus violentat naturas,sed quidquid ab origine fecit,illud natura est. Vnde sanctus Augustinus super Genes.incusat eos,qui in creatione miracula ponunt:nam natura rerum omnis est facta quomodo esse debebat, & ita naturale est omnibus esse, vti facta sunt: Neque,quia aqua tertio die congregatur, naturale est illi operire terram : nam stellæ quatodie ex luce collecta fiunt,non tamen est supernaturale esse illarum ; & cum dicitur , quod Deus posuit ostia & vectem etiam terminum mari , ne cooperiat terram; intelligitur de lege naturali,non miraculosa: nam pondus aquarum ad inum datum à Deo,facit ne terram operiant,vt ipse Arist. docet per Mathematicam rationem,& ideò globosum est,quia deorsum partes vergunt omnes. Dicitur etiam in Psal. 103. de montibus : *Terminum posuisti eis , nec conuertentur operire terram.* Non propterea coërciti sunt,sed naturali lege stabiliti.

Ad sextum dicitur quod factum est à Deo,sed tanquam secundum corpus ex vtero terræ,& non vt primum elementum,cum non nominentur, nisi cælum, & terra primitus,vt Hier. pobat.

Item Mare non facit aquam, neque vires habet,quales requirit elementum. Quod autem Porta putat terram non posse liquescere,nos in fornacibus aliter experimur, & in textu patet ratio cur sic illi videatur.

Vtrùm omnes Aquæ sint natura calidæ, vt nobis videntur, an frigidæ, vt Aristoteli: idem quærimus de niue, glacie, grandine.

ARTIC. II.

1. Palam est, inquit Arist. ad tactum aquas, niues, & glacies frigidas esse; qui autem negat sensum indiget baculo; præsertim hoc valet contra nos, qui sensu philosophamur non ratione, nisi sensata.

2. Aqua est contraria igni, ipsúmque extinguit, ergò frigida, quoniam ignis calidus; nisi fingamus etiam contra sensum ignem esse frigidum. Contrarium autem a suo contrario corrumpitur.

3. Dicit Christus in Euangelio, qui dederit potū aquæ frigidę, non amittet mercedē.

4. Dicitur Eccles. & Sap. & passim in tota Script. aqua & nix, frigida, & opponitur igni.

5. Medici omnes consentiunt aquam esse frigidam, & ad refrigerandum vtuntur, omnis autem entitas ab effectu cognoscitur.

Gen. 1. SED Contra est Moyses, qui à Deo congregationes aquarum vocatas esse Maria docet; hoc est amaras. Omne autem amarum calidum est, teste Galeno, & cunctis medicis, & natura, & ratione, ergò à principio mare fuit calidū falsúmq; & non postea ex accidēte.

Præterea dixit Deus, *Producāt aquæ reptile animæ viuentis, & volatile.* Productio autem animalium, non est absque calore, vt ibi S. Ambr. etiam probat: fecit ergò Deus aquas calidas, & Spiritus Dei incubabat eis dans vim generatiuam, & motiuam, ait Chrysost. ibi, quæ sine calore fingi non potest; qui vt dicit Arist. 4. Meteor. & 3. de gener. Anim. 11. constituit corpora, & viuificat, & format: frigus autem mortificat, ineptúmque est motui, productionique animatorum. Idem probabimus tractantes de Anima.

Præterea elementa habent qualitates in summo gradu, hoc enim differunt ab elementatis, quæ habent easdem refractas: pisces autem elementati sunt, & qualitates habent debiles parúmque caloris. Si ergò aquæ essent frigidæ, non viuerent in eis pisces, vermes, cancri, herbæ, apius, & mentastrum, quæ calidæ sunt à prædominio. Deus ergo rectè consuluit aquas calidas faciendo ab initio rerum.

Præterea aqua epota si summè frigida esset, statim extingueret nostrum exilem calorem, ergò frigida non est.

Præterea multi succi herbarum, & venena ponuntur medicis frigidiores aquis: ergo aqua non est prorsus frigida: nec elementum frigidissimum. Idem probatur ex constitutione; omnis enim aqua generatur, vel ex terra liquefacta à calore, ac proinde calida fit à calore, non frigida: vel generatur ex vapore condensato, & sic calida est, vapor enim calidus à calore genitus, eleuatúsque: sed aiunt Peripatetici, quod à frigore densatur in aquam; & mentiuntur. Nam in æstate frigus non est in aëre: & Aristot. ad montes Arabiæ, & Æthiopiæ sub calidissimo, serenissimóque cælo, ait, grandes in æstate fiunt pluuiæ, & tanto grandiores, quanto calidior aër, ergo sine frigore prohibiti à montibus vapores in aquas vertuntur.

P. Meteor. Trac. 3. c. 2.

Nam sola condensatio fumi facit aquam, vt patet in operculis ollarum, & cerebris animalium, & laquearibus balneorum, & in alembichis: ex quibus vapores prohibiti ascendere, densati decidunt, & in calidas guttas, si autem frigus faceret aquas sine illo nunquam fieri possent: nec calidæ nascerentur vllæ.

Præterea quamuis adsint vapores, & quantumuis sæuiat frigus, non fiunt aquæ, nisi densentur, ergo densatio, non frigus, facit aquam, nisi fortè quatenus densat aliquando.

Præterea reperiuntur aquæ sulphureæ, & calidæ multæ in visceribus terræ: si autem essent natura frigidæ in summo, vt putat Arist. non possent esse absque frigore, sicut nec ignis summè calidus absque calore: nunquam videbis ignem frigidum, ergo nec aquam calidam, si natura frigida esset.

Præterea omnis natura conseruat id cuius est natura; sed frigus aquas corrumpit, & è mollibus fluentibúsque facit immotas, duras, glaciésque, & crystalla, ergo earum natura non est frigus, sed calor, qui eas mox in aquas reducit, mobiles, mollésque: & licèt à calore summo vertantur in vapores, hoc indicat eas non summo, sed blando calore natiuo præ-

ditas esse. Vnde Arist. 5. de gen. An. nullus ait, humor sine calore, & in 4. Meteor. Aquas & humores omnes gelari priuatione expressi caloris. Ergò inest eis calor natiuus.

Prætereà, quod miratur Aphrod. si summe frigida est aqua, non potest ei frigus addi: sed additur, & glaciatur: ergo non erat frigida, vel in summo: summo enim non potest fieri additio. *1. q. nat. 6.*

Prætereà Arist. 4. Meteor. Aqua, ait, mel congelat, non secundum sui naturam, fluidam, sed per frigus extraneum. Itidémque ait, quod putrefactio est caloris natiui ab externo deperditio, & ideo aquæ stagnantes putrescunt, non autem currentes, quoniam harum calor à motu seruatur: si autem illæ putrescunt: ergò calorem natiuum habent, quem amittunt; & istæ, quem seruant. *Tract. 1. cap. 3. Tract. 1. cap. 2. Ibidem T. 10. T. 14.*

Prætereà motus aquarum indicant calidam naturam. quæ motu gaudet, frigus verò quiete. Vnde Arist. aquas immotas corrumpi, currentes seruari dixit, quoniam earum calor natiuus motu seruatur. in 4. Met.

Prætereà transpicuitas, & albedo aquæ, manifestant calorem natiuum Albedo enim facies caloris est: transpicuitas autem opus eius exuperantis materiæ opacitatem. Stupidus, qui hæc non considerat.

Tandem sapor salsus, & sulphureus, & varius aquarum, manifestat calorem. Omnis enim sapor caloris est actio; & Hipp. aquas meliores, ait, esse saporosas in lib. de aere, aquis, & locis. Arist. aquas vocat dulces alias salsas, alias acidas, sed alibi putat esse insipidas. At etiam sic calidæ sunt; ea enim insipida sunt, quæ calorem blandum nostro persimilem habent. Idcóque sapor earum non sentitur nobis, quia simile à simili non patitur: idcircò albumen oui, & caro à calore genita, sunt linguæ insipida absque sale ob similitudinem, ergò calidæ sunt res, & saporosæ, & insipidæ, & profectò omnes dilatant linguam, vel modicum: dilatare autem opus caloris est. *2. Met. Tract. 1. cap. 3. lec. 6.*

Quòd si aquæ calidæ sunt, cum grando, & glacies, & nix, sint aqua à frigore conspissata, adhuc calida sunt: non enim vinum glaciatum amittit calorem, vel oleum; sed ligatur à frigore calor eorum, ne valenter possint operari; sed transpicuitas, & albedo, & sapor indicant eorum calorem. Nix disgregat visum, & excæcat sicut lux, vt patet in militibus Xenophontis; & Arist. illam albedinem à luce aliquando mutuatur, & Albertus.

Quapropter frigus eorum extraneum est. Calor verò natiuus delectans calidum spiritum oculorum. Vnde Eccles. 43. *Pulchritudinem*, ait, *candoris niuis admirabitur oculus, & super imbrem eius expauescit cor.*

Item generantur vermiculi rubri intra niuem, & pilosi, teste Arist. & Plinio; & fæcundat nix terram, & fermentat, quod caloris est opus; vrit frigus eius, quia calorem nostrum constipat, prouocatque. sed si pergat, humorem exsiccat, & calorem extinguit, & glutinum, instar vrentis ignis. expellit etiam nix maculas olei, vt sapor calidissimus.

Ad primum argumentum, Resp. quod sensus visus, & gustus discernunt calorem aquarum, & niuium: sed sensus exterior crassior non cognoscit naturam internam niuis exilem, sed extrinsecam crassam, vigentémque, & non fallitur, quoniam verè frigus est in ea: sed non propterea natiuus calor blandus negandus est. Indiget autem baculo, qui omnes sensus negat, & rationes sensatas. Nam totum mare calidum salsum, & amarum, imo & siccum, ipsi quoque fatentur: vbi autem erit aqua frigida, si suæ vniuersitati omnis pars elementi conformatur? sentitur autem tactui mare, & vinum frigidum, at linguæ & frigus externum, & calor internus, innotescit actu, non sola potentia, vt aiunt. *2. Met. & de Sens. & sensil. ponitur Aristoteli mare calidum amarum, salsum & siccum.*

Ad secundum non contrariatur aqua igni, alioquin lux non multiplicaretur in aqua, ita vt resiliens comburat, sed frigus extraneum contrariatur.

Prætereà non extinguit aqua ignem agendo, alioquin conuerteret ipsum in aquam, sed sua viscositate occludendo poros ligni, & faculæ, vnde flammula, quæ est vapor egrediēs per poros exit & ardens; & sic extinguit suffocatione per accides, non actione per se, patet autem, quoniam & vinum calefactum, etiam, & oleum copiosum, extinguit ignem hac ratione, non tamen frigidæ sunt naturæ. Item fiunt, teste Plinio, & Cardano, ignes artificiales ex bitumine in materia non porosa, qui ardent in aqua, & accenduntur ab ea, & à sola terra extinguuntur: ergò aqua est pabulum ignis, & omnis humor, vt patet in magnis incendiis iniecta, vbi ignescit antequam meatus constipet flammis. *Nota.*

Respondetur ad tertium, quod loquitur de aqua frigida nobis non naturæ, & frigore externo, non natiuo. patet enim, quod si Aqua esset natura frigida, non diceret potum aquæ frigidæ, sicut non dicimus, da ignem calidum, quoniam scimus semper per se esse calidum; non sic aquam; sic in tota scriptura Spiritus sanctus loquens nobis ad nostrum sensum verba pronunciat, sed Physicè loquens dat illis amaritudinem, & vim generatiuam, ergò calorem. sic & lunam luminare vocat, etsi stellis minor, sed no naturæ, at nobis.

Chrysost. verò dicit ly Frigidæ distingui contra calorem artis, quo aquas calefactas vino veteres miscebant, vt in q. de siti probauimus: quare frigida erat vilioris prætij, & tamen remunerationem habet apud Deum, &c. non ergò contra calorem natiuum.

Ad quartum, Medici non rerum naturas considerant in se, sed ad nostrum vsum; sic autem multas frigidas aquas scimus, sed non omnes. Refrigerat aqua niualis frigore extraneo, & quia nos sumus calidiores, ab omni aqua refrigeramur, excepta marina, & minerali. Quoniam calor noster in ea spargitur, & ab eius frigore extraneo retunditur, & maior à minori patitur, ob molis commistionem. Aqua tepidiuscula inflammationem plagæ ex vstione, tollit; quia emollit crustas, & calori, vt exhalet, parat exitum blanditia caloris sui: sic in æstate terra laxata calore, exhalat, qui erat in aquis, & remanent frigidiusculæ & cauernæ, &c. Heraclitus, Telesius, & alij philosophi, teste Cic. de Nat. Deor. idem asserunt.

Vtrùm Maria moueantur à Borea in Austrum, vt putat Aristoteles, an ab Oriente in Occidentem, vt dictum est in textu.

ART. III.

Arist. 2. Meteor. cap. 1.

ARistoteli prima sententia placet. Primo.

Quoniam Polus Boreus est altior Austrino.

2. Tellus ad Boream est montosa magis, & editior, ergò inde fluunt aquæ ad Austrum, quasi deorsum: vnde Physiologi quidam existimarunt solem à Borealibus montibus occultari, non autem terram ad Antipodas circuire.

3. Potest probari, quoniam plus maris est in plaga Australi, quam Boreali. vbi plus terræ & minus profunditatis, vnde Meothis fluit in Euxinum profundiorem: Euxinus in Pontũ se profundius: Pontus in Ægeum; Ægeum in Sardoũ & Siculum profundissima.

4. Dextrum est Oriens, sinistrum est Occidens; Ante, & sursum Borea; deorsum, & retrò Auster, vt patet situando hominem in cælo sic.

SED Contra est Prouerb. 8. *Quod certa lege, & gyro vallabat Abyssos*, gyrum autem abyssi est ab ortu in occasum: ergò & motus, qui figuram mobilis insectatur. Præterea cælum, Aër, Sol, & sidera sic mouentur, & secum mare, quod minus particeps tenuitatis, minus absoluto circulo consequitur & huius gyrum. Nauigatio quoque id docet, quoniam iter à sinu Arabico ad Calecut difficile, & tardum est; è contra verò quoniam ab ortu in occasum, facile, & celere inuenitur à nautis. Item calore Solis mouet aquas, ergò sicut mouetur Sol.

Ad primum Respondetur, quod polus Boreus dicitur altior respectu nostri, non mundi, etenim his, qui habitant post Æquatorem altus est Austrinus, Boreus verò depressus.

Ad secundum Respondetur, quod æqualis est tellus vndique, neque montes Borei dant mari motum ad Austrum, sed fluuiis tantum: qui ex illis montibus non magis in Austrum ad Euxinum, & Eoum, quam in Boreã ad scythicũ mare perlabuntur, sicut & Nilus in Ægypto ab Austro quoque ad Boream: & multi ex Apenninis apud nos. Nigir verò ad Occidentem: Ister autem ad Ortum, & omnis fluuius ad mare propinquum. Sed Nilus, & Rhenus, & Mosa indicant terram Australem editiorem, non tamen sic est, nisi in partibus, non in toto. Coniectura illa physiologorum vana fuit, & in vanitate fundatur argumentum Arist. Imò Mare Boreale continuò influit in terræ suppolaris cauitates, vt recentiores nautæ referunt, per canales quatuor.

Ad tertium verum est. Sed non quia à Borea fluit mare, sed quia sol prius excurrit in austrum, & plus terræ ibi in maris soluit substantiam, vt in textu.

Ad quartum falsum assumit, quoniam dextrum mundi potius est Borea, quàm Oriens. Ibi enim grandiores, & plures stellæ. Neque rectè Arist. figurat hominem: cuius dextra fingenda erat in Polo Boreo, sinistra in Austrino, caput ad Occidentem, posteriora in Orientem, prout motus eius rationi congruit. Sed Arist. pueriliter a descriptione in tabella plana, seu Mappa, deceptus est. Ptolomeus, Pythagoras, & sacra Scriptura ei repugnant, & Bodinus.

Vtrùm Æstus maris bis in die intumescentis, ac bis detumescentis, sit tribuendus terræ arctanti, & libranti; vel casui, & resilitioni aquarum, vt Arist. putat. An verò Lunæ, vt Plinio, & Astrologis placet: an tandem Solis calefacientis, rarefacientisque præsentiæ, & opposito concursui, vt nos in textu docuimus.

ARTIC. IV.

ARistoteles suo more rerum naturas fingens, non peruestigans, putat Oceanum, omniáque Maria tumescere, quoniam a littoribus terræ stringuntur, & in altum eleuantur, cum fluida sint, ac mox librantur huc & illuc inclinando, sicut lances bilancium. *2. Meteor. Cap. 1.*

1. Probat hoc, quoniam circa littora magis conspicitur elatio, & depressio maris, quàm in medio, quia vicinior arcentibus terris.

2. Circa Gades maximè apparet; vbi ab Hispanis, & Africanis arenis angustiatur, ac reciprocat elatum mare in ortum, & in occasum vergendo.

3. At ista ratione non contenti Aristotelici addunt, quod è summis scopulis, & montibus in imum cadentes aquæ subsiliunt, & resiliunt sursum, ac iterum cadunt; fitque perennis talis reciprocatio; quoniam summa & ima perpetua sunt, neque vnquam aquæ fluiditas deest: & hoc ex textu Aristotelis elicitur: dicentis, quod humidiora influunt in profundiora, & sic fit agitatio fluens & refluens. *2. Met. Cap. 1.*

Alij autem videntes inanes esse causas eiusmodi: quoniam senis statis horis crescit, & senis horis decrescit mare; idque causæ mobili ac certæ tribuendum videtur. Idcircò ad lunam confugerunt, id quod Plinio valde placet. Distincto namque cælo in quatuor quartas, singulam nonaginta gradus continentem, putant, quod dum luna ascendit ab Horizonte Orientale ad nonagesimum gradum, idest in Zenith, similiter augetur aqua, & ascendit. Dum verò à Zenith in occasum luna descendit, pariter & aquæ deprimuntur: ab occasu verò in imum cæli, quod dicunt Nadir, luna ascendit in altero Hemisphærio, & per sex alias horas aqua similiter: à Nadir verò ad ortum nostri hemispherij luna descendit, & aqua. Ita quod euenit vt senis crescat, & decrescat senis totidem horis, & bis in die, qui est viginti quatuor horarum Æquinoctialium. *Plin. lib. 2. cap. 107.*

Probant hoc potius lunæ, quam soli conuenire, quoniam.

1. Est Mater humorum, sidus fæmineum, aquas augens, non exsiccans, vti sol. Quapropter cancri, & conchilia, & sanguis, & cerebrum, etiam humanum, exuberant ipsa aucta, imminuta verò, deficiunt.

2. Patet æstus maris ante & post synodum cum sole, fieri modicum: augeri verò post diuiduam lunam, & crescere vsque ad plenilunium, & mox auctum magis paulatim decrescere: ergò à luna fit, non a sole.

3. Cæsar in commentariis narrat mare Britannicum vsque ad plenilunium crescere, & ad interlunium decrescere.

Aa iij

4. Ptolomeus dat lunæ naturam frigidam, & humidam; soli calidam, siccamque: ergò illa aquis præsidet.

Quærentes autem qua ratione luna id faciat, alij dicunt lumine, sed cum careat in synodis, vt mare intumescat, visum est dari sympathiæ, vt sicut magnes eleuat ferrum, ita luna aquas. Nam æquum vt frigida, humidaque, aquas eiusdem naturæ afficiat. Alij occultæ virtuti lunæ hoc tribuunt. Nam si calore ferueret aqua, vreret manum.

Isa. c. 57. SED Contra est sacra Scriptura Isa. dicens: *Cor impy quasi mare feruens.* Feruor autem caloris euaporantis est opus. At luna non calefacit mare, nisi vbi lumine plena est: neque tanto abundat calore, vt attollat aquas: ergò hoc opus soli tribuendum videtur. quoniam perpetuo lucet, vti mare perpetuò consimiliter feruet. Ita quod motus ab ortu in occasum fit à sole & à toto cælo: de quindena in quindenam auctio & decrementum à luna inidem crescente & decrescente. Sexhorarius à sole in Zenith, & ab occursu vndarum in Nadir, vt in textu pluribus probatur, vide.

Præterea enim cum luna est in nostro hemispherio, non attollerentur aquæ in Nadir vbi non ascendit, si propter eius ascensum fit elatio maris: ergò fallax doctrina est Astrologorum.

Præterea probatum est ex Sacris literis & Doctoribus, lucem lunæ esse calidam, quod maximè Chrysostomus docet, super Psal. 134. & omnes Patres: non ergò alia sympathia assignari potest, quam feruor à calore factus; qui in luna cum sit insufficiens, soli assignandus venit.

Præterea falsa est ratio, quòd luna ascendat in cælo, & descendat. In gyro enim enim non est ascensus, neque descensus, nisi respectu nostri: neque quatuor cæli quartæ sunt vbique eædem, sed pro Horizontum multiplicitate multiplicantur absque fine, vt nequeas fictione assequi cur ascendat magis quàm descendat in quolibet puncto cæli, & in quolibet momento temporis. Neque hinc redditur causa, cur in oppositis punctis mare exuberet; quoniam non intellexerunt hi vndarum concursum. Neque possunt dicere, cur sex horis crescat, & sex decrescat in quolibet Horizonte; & cur etiam vbi luna non ascendit, aqua ascendat, & vbi ascendit, descendat, vt palam fieri obseruatoribus conspicuum est: dico respectu Horizontis, & excentrici.

Contra Aristotelem verò nihil est, quod immoremur, quoniam contra propria decreta loquitur, qui elementa suis in locis quiescere dixerat, & contra naturam. Non enim aqua hinc, & inde quasi ligno constanti bilancium appenditur, vt possit librari: neque à terra cogitur sicut neque à vase firmo, quod non impellit, sed tantum continet. Neque decidentes aquæ assurgunt perpetuò, sed conquiescunt mox paulatim, & omnino, vt patet, si intra luterem spatiosum lapidem altum ponas; ex cuius vertice aquas cadere sinas. Nam etsi primò resiliant ex fundo luteris, tamen mox sedantur. Nec in lacu volsinio, vbi est insula, deesset idem æstus etiam sine sole & vento. Alias ergò oportebat inuenire causas, & aliunde. Item contra naturam aquæ est moueri Aristoteli.

Neque quia à cælo est supra naturam, sed violentia maior, vt probatum est prius, quando ignem natura, non raptu circumferri docuimus. Naturale est aquis, ita moueri, quoniam calidæ sunt, vt à cognato sole adiuuantur, & sic seruantur per motum, vt Aristot. interdum fatetur, ne putrescant: & S. Chrysostomus super Genes.

Mouetur ergò mare natura calidum, quoniam ita seruatur motu, & siderum vi vbique idest calore, vti aquæ dum igni admouentur nos docent. Nec propterea quod non æstuat vrendo sicut aqua ollarum, non sit caloris æstus, etenim mustum æstuat, & non vrit: euaporationem ex salsis & nitrosis attollere humores, vbique competens est.

Ad primum Respondetur, quod circa littora apparet magis æstus maris, non quia à littoribus fit, sed propè immobilia motus discernitur magis: sic sol velocior apparet prope Horizontem, quam in Zenith: & nauis circa littus, quam in alto nauigans, motus enim non est per se sensibilis, sed per appropinquationem, vel elongationem mobilis à re immota, vt dicemus infra.

Item impulsus vndarum à ventis afficit in angustiis mare, & cursus impeditur, &

exaltatur, vt inter Africam, & insulam sancti Laurentij.

Ad secundum quod in freto Gaditano, & Siculo ob eandem causam apparet magis.

Item quoniam aqua in littus allidítur, innotescit, sed reuerà null[illegible] fit à littoribus, sicut neque in vase nauiculato, & strictiori circa medium.

Præterea si fieret sic sexhorarius regulariter non esset, ventis impedientibus propensionem alterius lancis, quasi semper.

Ad tertium Responsum est supra, quod impossibile assumit. Neque enim in vase, cuius in medio sit lapis, & de vertice aqua demittatur, fit recursus ab imo semper; & in olla non facit feruorem caro immersa: sed ignis: ad cuius absentiam, & præsentiam feruet, & deferuet. Vide textum.

Ad primam opinionis secundæ Resp. quod calor lunæ est blandus, aquæ rarefaciendæ aptus, ideoque augendæ: non tamen hoc facit, nisi vbi præsens est, & non modicus: & aquæ fluxibiliores, & pro rata caloris sui. Quoniam ergo calor eius augetur ab interlunio ad plenilunium, aquas tunc temporis paulatim, & liquida omnia, rarefacit, augetque: non tamen tantum, vt possit mare Oceanum crassissimum commouere: sed tamen addere commotioni à sole inditæ: & ideò verum est, quod illa auctio, & decretio, quæ fit per quindenas dierum à luna sit. Illa verò quotidiana sexhoraria à luna esse nequit, quoniam lumen eius non est perenne nec æquale: neque tantum quantum feruefaciat mare. Patet autem, quoniam si vis lunæ hoc faceret, magis in mediterranea sentiretur, quod tamen expers est æstus illius magni: quoniam non communicat cum occursu vndarum Oceani; & breue, ac tenue est, vt vapores ingenitos elabi sinat: nec sat efferueat in solis præsentia, præterquam in æstate sub meridie aliquantum; quoniam directus sol in ipsum agit extrà consortium cum cæteris pelagis. Idem puto in Hircano mari euenire, sequestrato ab omnibus; licet ergò sol exsiccet crassa & dissimilaria entia: fluida tamen dissimilaria rarefacit, augetque spatio, non substantia: nam & plurimam tenuitatem educit.

Ad secundum & tertium ex his patet responsio.

Ad quartum Resp. quod Ptolomeus loquitur more Medicorum respectu nostri. Blandus enim calor lunæ fouet aquas blandè calidas: sed quia in medico sensu aquæ sunt frigidæ, & humidæ, ideò luna ponitur ipsi frigida, humidaque. sed tamen sæpè docet post primam quartam esse calidam, & humidam: in tertia verò calidam, & siccam: in quarta frigidam & siccam. In prima frigidam & humidam. Solem verò esse humidum, nos probauimus, in substantia, & Cardanus super primo Quatrip. & nunc palam factum est, quod crassum mare liquefacit potius quam exsiccat, & nisi flumina intrarent, in sal verteretur mare. At quid obest ne feruere faciat, cum ollam ignis ita afficiat?

Ad quintũ Respondetur, quod sympathia non est, nisi ex consimili qualitate in corporibus; & licet luna in se esset calidissima, vti sol, non tamen in radiis ad nos missis, qui retusi paulatim modo rarefaciunt.

Neque æstus maris à sole vrat manus, vt ollæ ab igne, ille enim est à calore peremni, cognatoque ordinario, qui nobis, & piscibus connaturalis est: ideò non vrit; sparsusque calor, & vapor à sole ingenitus, in tantam molem aquarum retunditur, vt non vrat.

Præterea non solus calor tumorem facit, sed & aquarum ex lateribus in oppositam regionem concursus, ita vt vis caloris non sit sæua, neque sola. Neque enim æquè vrit aqua apposito igni proxima in aheno, & in parte opposita resiliens sursum, bulliensque. Adde quod frigus externum, vt in aëre, & ventis, nunquam deest. Quapropter non rectè quidam neotericus eleuationem in Zenith & in Nadir, lunæ simul tribuit: non enim eleuare vndique potest, nisi vbi illuminat & imminet.

Causa, qua Mediterraneum, & lacus non patiantur tantum æstum, & depressionem, dicta est in textu. Item & cur in mare Balthico in octo horis fit æstus: & ad Ghineæ littora variat: quoniam sol à montibus exceptus nõ agit pariter in omni mari eiusdem Horizontis: & à Promontoriis aquæ impeditur communicatio in æstu, prout in textu.

Opinio Heracliti apud Plutar. quod venti agitent mare eiusmodi motionibus à sole, vana est. Nam nullis flantibus ventis in partem etiam fit fluxus. Venti etiam temerè

ſpirant: mare autem ordinato fluxu refluxuque ſexhorario agitatur.

Seleucus apud Plut. motui telluris, ſicut & Ariſtarchus, & Philolaus opinati eſſe debent, tribuit motum hunc ſexhorarium, alioſque: quod qua ratione fieri queat ſcribit Galilæus, quamuis ipſe profiteatur ſe decreto ſacræ inquiſitionis contra motum telluris obedire ex corde. Examinandi ergo ſunt dialogi Galil. nuper editi poſt multos annos ab harum qu. q. abſolutione; an reuerà noſtra poſitio per antiquorum de motu telluris opinionem, de qua ſcripſi Diſputat. ad Card Bonif Gaetanum, expugnari queat.

An Galilæus verè demonſtrauerit opinionem noſtram de fluxu & refluxu aquarum eſſe falſam: & meliorem antiquos ex Telluris motu concepiſſe.

ARTIC. V.

1. GAlilæus in 4. dialogo cum probaſſet à luna non fieri fluxum maris refluxumque per virtutem occultam, ſubdit quod nec per rarefactionem; quia non niſi per fertiſſimum augetur calorem ebulitque, idemque valet contra ſolem. Non enim olla facibus prope girantibus feruet, ſed igne multo.

2. Præterea, ait, fretum Venetum augetur, non autem ſimul Anconitanum & Neapolitanum, quod accidere oporteret à feruore culminantium luminarium in Italiæ Zenith.

3. Prætereà mare venetum non creſcit, & poſt quinque aut ſex horas recreſcit ad decem palmos altitudinis. Hoc non fit à prædicta aqua rarefacta; ſed alia nouiter accedente eiuſdem ſalſedinis, frigoris, denſitatis, ponderis: ita vt nauigia æque ſupernatent; ergo non à calore, nec ab aqua Oceani.

4. Præterea non poteſt per anguſtias Gaditanas tanta intrare aqua, & tam citò ad littora Aſiæ per tria millia milliariorum expandi in tantam tamque amplam altitudinem; & totum augere mare: nec non torquere nauigia ad Orientem omnia.

5. Prætereà nec moueri poteſt ab ortu in occaſum inceſſanter, vt aiunt: ſic enim exhauſtum fuiſſet extra fretum Herculeum migrando inceſſanter: & quid dicent de effuſione maris ad occidentem in refluxu?

6. Prætereà pagina 439. Non poteſt, ait, calor ſolis & lunæ tam artificioſè pelagum mouere; ac lacus, aliaſque modicas aquas non item. Poſſunt quidem plus & minùs adiuuare cauſam huius motus luminaria, non autem facere: vt patet in coniunctione & oppoſitione. At non à calore, ſed à motu lunæ mouentis terram, cui eſt annexa.

7. Prætereà aër mouetur ab ortu in occaſum præſertim intra tropicos: non poteſt autem à cœlo læui rapi, ſed à terra aſpera faciliter.

Fundamenta opinionis antiquorum de motibus maris ex motu telluris, Galilæi ſagacitate agnita: & à Plutarcho attributa Seuleuco Philoſopho.

AQua (tunc ait, ſuam opinionem pandens) non poteſt in vaſe immoto moueri; nec eleuari ſurſum & deorſum, niſi vas eleuetur ex altera parte, exque altera deprimatur & libretur. Vel ſi detur ſolido vaſi impetus, cuius motum non poteſt aſſequi fluidus liquor. Nec hoc ſufficit, niſi aliquando acceleretur, aliquando tardetur: tunc enim in acceleratione retrocedit, in tardatione procedit.

Aqua ergo in terræ cauitatibus ſicut in vaſe continetur: & ſicut videmus nauigium plenum aquis cum acceleratur, aquam non eadem celeritate affici, ſed remanere: & cum tardatur nauigium, ipſam procedere vltra, non deponendo impetum, quod ſolidum deponit vas; ergo in celeritate deprimitur in prora, & eleuatur in puppi: in tarditate

ditate è contra eleuatur in puppi, & deprimitur in prora.

Ergo, ait, non est necessaria noua aqua vt fiat eleuatio: nec vt occurrat aqua in vno extremo vsque in alterum. 2. Aqua media non eleuatur, nec deprimitur sensibiliter, nisi velocissime cymba repente offendat, tunc enim totam excuteret fere aquam. Aut si velocissimus superueniat impetus, 3. Quamuis media aqua parum leuetur respectu extremarum: tamen ad plus spatij excurrit, quàm extremæ.

Cum ergo tellus mouetur ab occasu in ortum motu annuo in 365. diebus velocissimè in Zodiaco vna cum orbe magno vsque ad Lunam. Et motu diurno in se in 24. horis gyro 32. millium milliariorum & ab occasu in ortum: contingit vt in abside superiori, hoc est, in quo conuenit motus annuus cum diurno, sit velocior motus terræ: in inferiori tardissimus; quoniam contrarius est diurnus annuo: in mediis longitudinibus in quarum altera Occidentalis ascendit tellus, in altera Orientalis descendit, æquatur motus: & totius affectio vna: nil enim addit aut demit diurnus annuo: si igitur non essent duo motus in terra non daretur acceleratio & tardatio: sed semper æqualitas: ergo nec fluxus & refluxus.

Tunc ait, in vase accelerato impellitur aqua in anteriora si superuenit tarditas, & in posteriora, si celeritas; & in extremis eleuatur magis, vt in extremo sinu Adriatico; in medio excurrit, cum modica eleuatur, vt Anchonæ.

Sed quæritur, (cur alternatio eleuationis & depressionis est sexhoraria, & non duodenaria, sicut oportebat in horis 24. Respondet non est verum, quod periodus sit sexhorarius duntaxat, sed magis obseruatus in nostro mari. At in Euripo est terhorarius, alibi aliter.

Addit Maria, quæ non extenduntur ab ortu in occasum, sed in latitudinem vt Erithreum, non habent fluxum ac refluxum, quoniã motus terræ est solum in longitudine.

In angustiis aqua transiens accumulata valde eleuatur, & veniens etiam plus valde deprimitur, vt inter Scyllam & Caribdim, inter Africam & insulam S. Laurentij, maximaautem in Magellanico; at non in Propontide, quoniam situs est in latitudinem non in longitudinem, idcirco aquæ excurrunt ab Euxino ad Ægeum absque cumulo.

Acceleratio & tardatio faciunt in mari varietatem: at etiam grauitas aquarum superaddit, eleuatio enim appetit descendere ad æquilibrium: hoc etiam fit magis in mari minus profundo; in profundiore minus; hoc est, motiones humilis maris sunt plures & celeriores; profundi pauciores & tardiores, vt patet in pendulo lapide per filum breue & longum: subsidunt aliæ aquæ in vna hora, aliæ in duobus, aliæ in tribus, & cum hic motus alteri coït, magnus est fluxus, cum discordat minus; & fiunt aliæ perturbationes inobseruabiles: sinuum etiam varietas & ventorum vis addunt alterationes alias. Similiter humilitas & altitudo aquarum & receptaculorum & fluuiorum multorum illapsus.

Deinde addit Anomalias duas, alteram menstruam, quæ fit à luna terræ appensa; quæ in interlunio propinquior soli, in plenilunio remotior, ideo tardat, vel accelerat motum terræ, & per consequens fluxum & refluxum; quod à priscis non est obseruatum, nisi in effectu: Alteram anomaliam annuam; Aliter enim in Tropicis & solstitiis existens terram afficit, & motus diurius annuo non respondet exacte. Hæc vir sagacissimus.

Examen opinionis Galilæi.

AT non videntur extra dubium dicta sua, nec fundamentum stabile: quo putat cum vase immobili non posse aquam pati fluxum ordinatum ac refluxum. Indicat enim olla igni admota, quod potest in 4. quartis fieri augmentum & decrementum aquarum sexhorarium per ignis circumlatam ordinatam applicationem: si quidem in loco ignis & in diametro semper excrescere videtur: in lateribus verò deprimi: ibi per feruorem, & occursum accumulatarum vndarum; hic per vtriusque istorum defectum. Argumenta huic rationi contraria in præcedenti articulo soluta sunt.

Ratio autem Galilæi, qua motus vasis eleuationem dat ac depressionem, non vi-

detur ad propositum : nec si esset valeret primum probatur, quoniam quæ vasa sunt extra centrum terræ siue moueantur rectâ siue circulo, habent motum alium à totius sphæræ motu : & si est circulare vas componetur ex eleuatione & depressione respectu mundi. aliæ enim propè centrum quæ retro vertuntur, aliæ longè, quæ ante: & dicuntur in apogeo, vt illæ in perigeo, ita quod contentum dicitur in co fieri supra & infra, imò & necessario cadet cum in longitudine anterioti media fuerit, & excutitur à tota; erigitur cum in posteriori per vim. At in sphera telluris non sic: neque enim nos sumus supra, neque qui habitant Nadir in altero hemisphério, sunt infra; neque ascendunt, neque descendunt, sed ita se habent in mediis longitidudinibus sicut in absidibus: ita quod vna longitudo est aux alterius, omne punctum omnis oppositi puncti, & æque omnes eundem situm habent ad cœlum & terram: ad quã inclinantur perpetuo pondere non impedibili ordine. Ergo nec contenta in ea cadunt aut excutiuntur, sed adhærescunt telluri naturaliter, & motu feruntur naturali, omnis incommodi atque excussionis experte. Patet enim, quoniam homines ambulantes in naui ex nimia velocitate inclinantur, & vacillant; & quæ sunt in ea non benè adhærescentia, quod in telluri motu non accidit, vel minima vacillatio. Et hoc respondet Copernicus argumento Ptolomæi de excussione rerum terræ hærentium & nubium: quæ responsio nulla esset, si exemplum Galilæi valeret. Non ergo est verum quòd fluidum non consequitur solidum in motu naturali, suumque totum; sicut in violento, & suam partem.

Nec respectu motus orbis habeat ante & retro; & summum in quo velocitas, & imum, in quo tarditas. Orbis enim motus velocior motu telluris, non communicat telluri suæ parti, nisi motum communem, nec impedit ipsam à suo diario motu; nec de naturali, facit violentum: nec de æquali inæqualem: nec igitur aquæ aliquid patiuntur à motu orbis magni, nisi respectum; siquidem ad sidera superiora aut ad solem relatus motus diarius, dicitur esse in auge & in opposito, & tardari & accelerari, nulla in eo mutatione facta: & sicut epicyclus addit velocitatem in superiori, & retrocessionem in inferiori respectu ad sydera, nihil patiente epicyclo, nec quæ in eo sunt res: sic terræ epicyclus non patitur ab orbe, nec orbis ab illo nisi respectus: vnde fatetur Galilæus, quòd si isti motus essent seorsum, non dicerentur pati ab inuicem, sicuti nunc dicuntur; quamuis fierent isti motus eadem qua nunc fiunt velocitate. Addit ergo solam apparentiam motus vterque alteri in respectu ad fixas & solem. Ergo aquæ non tardantur in imo, nec velocitantur in summo: sed seruant eundem tenorem: perperam ergo tribuitur illis tardatio & accelerario à situ; cum nullus situs sit dissimilis alteri nisi relatiuè relatione quàm dicunt rationis; vt columna fit mihi dextra & sinistra me mutato, non ipsâ. Cymba autem verè acceleratur & tardatur proptereàque verè in ea regrediuntur & promouentur aquæ.

Præterea eius partes sunt extra centrum mundi, cum agitantur ante & pone violenter agitantur & faciunt lineam quasi rectam non circularem ad terræ circulum, patiunturque excentricitatem: & ponderat in extremis magis quàm in medio, quo spheram attingunt: extrema enim remota sunt magis, & propria impulsio non recipitur æqualiter in eis. At cum tellus fertur, omnia ei adiuncta æquè conferuntur; eandem ad centrum seruant posituram vbique, vnde accusatur iustè Physicus quidam putans, Nilum ab vno tropico in alterum transeuntem sub æquatore eleuari. Profectò si hoc paterentur aquæ, excuterentur omnes in depressione post absidem superiorem.

Porta.

Præterea hoc nulli non persuadeat, quòd cum currus portat testas, in quibus natæ prǽaltæ arbores creuerunt: fastigia tenera plantarum & rami vsque ad truncum inclinantur retro, non valentes assequi motum testæ solidæ, sicut nec aqua motum nauigij. Ergo pariter omnes plantæ inclinarentur in occasum tam celeriter sub circumducta tellure, cui implantatæ sunt. Nubes quoque & aër eundem motũ non assequentes retroferrentur: Nec ad perpendiculũ caderent grauia: nec pilæ bombardarum ad omnẽ positionẽ mouerentur æqualiter; quod negãt Copernicæi, docentes hunc motum esse partiũ & non totius: quem faciunt vnà cum orbe magno. Item lacus ab ortu in occasum siti semper paterentur impulsum ab ortu in occasum in nocte, at in die è contra. Præterea vt verificetur sententia Galilæi requiritur vt non fiat illo tempore ebullitio in latera, nisi ex

offensione obliqua in insulas & promotoria. Item in die non fieret eleuatio in sinu Veneto, sed in Iudeæ littora: in nocte verò ad venetorum littora. Item in freto inter Caribdim & Scyllam haberent nautæ impetũ ab occasu in ortum in nocte è contra. Item lacus magni similiter afficerentur. Nec inueniretur vllus absque eleuatione diurna ad situm Orientalem, & absque nocturna ad Occidentalem, ita vt nulla fiat, nisi diminutio in Orientali. At experientia non contestatur, & Galilæus hæc obseruare prius debuisset.

Pars secunda probatur: non enim redditur ex hac positione eorum quæ accidunt ratio: nam diarius motus semel consentit anuo, & semel dissentit. videlicet in superiori & inferiori abside epicycli terrestris, ergo in duodecim horis fiet fluxus & in duodecim refluxus; vel si quid intermedia possunt, erit status in eis, ita vt octo sint fluxus, octoque refluxus, & quatuor in vtraque intermedia quiete: regulariter loquendo. At experimur quod & in meridie, & in media nocte fiunt refluxus in præsentia & in absentia solis, ergo motus iste dandus erat motori externo varianti vices, & non interno non varianti: sed perpetuò eundem seruanti tenorem.

Respondet Galilæus negando has vices sexhorarias: sed profectò fallitur, contra omnium experimenta nautarum & Philosophorum, Græcorum, Latinorum, Indorum, & omnium littora maris habitantium; & cum adducit alterum motum grauitatis aquæ æquilibrium appetentis pro partiendis sexhorariis vicibus, non est ad rem: hoc enim fit in lateribus telluris, non in imo & supremo Epicycli, in quibus est ebullitio, & concursus eleuantes, & non subsidentia appetiti æquilibrij. Item eleuatio & depressio continuæ sunt, & libratio non valet ad mutandum duorum punctorum fluxum & refluxum, nisi sit extraordinaria & non naturalis. Prætereà semper fieret in nocte motus, atque in occasum, & in die in ortum; quod experientiæ non concordat. Præterea de Euripi vicibus & aliorum pelagorum non redditur facilè causa secundum positionem Galilæi: sicut ex nostra; quam vis nulla possit certò satisfacere positio.

Opinio propria.

TOtum mare totius cœli & stellarum & luminarium lucibus conceptis & alterantibus, necessariò rarescit: iisque demptis gelaretur. Item rarefactum necessariò mouetur: non rarefactum statim immobile fieret: sicut ergo stellæ & luminaria mouentur ab ortu in occasum: sic & mare & aër, non tractus asperitatibus terræ & vi: sed calore & luce rarefacientibus & vitalitatem dantibus in subiectos fluores & tenuitates: & hic est motus totius. Cuiusmodi fieret in Concha plena aquæ admotis ignibus & circumlatis; circumferri enim videretur aqua, & conceptum motum continuans.

At dum tota moles maris sic fertur, partes eius à præsentia solis & lunæ alium patiuntur motum, quem ingeniti vapores dum egrediuntur, eleuant, & dum non egredi possunt, turbant magis, sicut vapor in dolio musti pleno ostendit.

Propterea ergo à luna quidem incrementum & decrementum habet quindenarium; sicuti cum apponimus feruentia quę faecem: & amouemus paulatim: Id enim omnes docent humores, qui augentur aucta luna & minuuntur decrescente: & à canicula subuertuntur. Quapropter miror Galilæum pro ludibrio hoc habere, & solum motum impulsus corporei, & non etiam à viribus qualitatum in cunctis actionibus ignis & frigoris, manifestum agnoscere. Quod dicet de lunari herba folia augente, quotidie vnum per quindecim dies, & deponente per alios quindecim eodem ordine? & de animali Indico quotidie nouum colorem à synodo in diametrum lucis mutante: & per quindecim pari ordine reuertenti dietim ad primum, vsque ad interlunium? Oportet etiam iuxta eius dogma non modò negare vires magnetis & venenorum, & alias mirificas supra qualitates elementares, sed & actiones qualitatum, ita vt calefactio sit motus localis atomorum aculeatorum, & frigefactio obtusorum; & omne augmentum & decrementum Physicum; & solum motus locales sine mouentibus dare temerarios, & causas, & principia, & primalitates de Philosophia relegare, & artem, qua concinnantur plantæ & animalia, etiam temeritati, nullis artificibus nec motoribus tribuere; quæ positio non modo nostra in Metaph. improbatur, sed & apud Platonicos, & Pytagoræos, quibus inhæret, & apud Stoïcos & sapientes nationum est detestabilis. Vide q. 16. art. 12.

A Sole autem mare habet motum (exhorarium eleuationis & depressionis: qui non impeditur adeò à diario: quoniam ebullitio superueniens est. & ideo in latera, nedum in ortum & occasum facit impetum incessanter, qui sane Galilæo non fieret cum aqua sui nauigij ante & ponè in longitudinem modò rapiatur impetu. Tota ergo moles aquarum fertur ab ortu in occasum: ideo nauigationes ab indis in Brasil breuiori fiunt tempore, quàm è contra, vt fatetur Galilæus: quod quidem non eueniret si aquæ tanto excurrunt tempore ad anteriora, vt ad proram, quanto in posteriora, vt ad puppim, iuxta Galilæi positionem. Imò potius ab occasu in ortum ferrentur nauigia, & cum sic terra feratur, & motus in puppim adiuuetur à motu terræ, non autem qui in proram. Porrò dum tota machina maris fertur ab ortu in occasum, partialiter, simul decurrunt aquæ in omnem situm à feruore solis, & simul augentur & minuuntur de quindena in quindenam. Plures autem motus fieri in aqua, si impuleris in gyrum, quæ feruet in aheno videbis ante & pone ex loco applicati ignis expandi.

Quod verò docet Galilæus mare rubrum propriè non commoueri hisce motibus, quoniam positum est ad latitudinem, non habet vim; etenim nil differt Adriaticum quoad situm, vel parum: eiusque latitudo à gradu 38. in 45. est idest à Corcyra in Venetos: rubrum verò à Catefa vsque in idumeam, est totidem graduum: nec obliquitas maior.

Prætereà Euxinum vtrimque patitur refluxum, licet perpetuo currat in Ægeum fluuiorum multitudine oneratum.

Alterum mare rubrum in America Boreali, ad Califurniam, similem habet situm; de quo experiri oportebat, vt in Resp. patebit.

Nobis enim non tollit refluxum fluxumque Erithrei latitudo nimia, sed fauces angustæ non sinunt motum ab ortu in occasum illi communicari. Forte etiam fluxus & refluxus modicus, quoniam non est profundum mare adeo vt vapores ingeniti egredi non valentes, commoueant mare; vnde & lacus minus profundi minus patiuntur alterationem hanc. Nota etiam quod profundissima Maria in hyeme nauigantur, ac minus agitantur, quoniam vapores modici ipsum tumefacere non possunt, in estate verò agitantur, calore multo vapores in generante; è contra breuia in æstate nauigantur, quoniam ingeniti vapores facilè educuntur: in hyeme verò alterantur magis quia vapores ingenerantur, egredique nequeunt.

Situs maris etiam pacificum & bellicosum facit: siquidem mare post fretum Magellanicum ad occasum dicitur pacificum, quoniam sol non multum in ipsum agit, prohibitum fere vsque meridiem à montibus, dictis Cordiglietis, Americæ Peruanæ in principio dici. Similiter Mare Chineæ, & Balticum patiuntur alterationes varias à cæteris, propter situm & montiũ impedimenta, de quibus in textu. Adde quòd è fontibus salsis perennibus nutritur mare, qui non modicam faciunt alteritatem, in loco vbi scatent.

Ad primum argumentum respondetur, quod aquæ nostro vsui applicatæ, non feruent in ollis & ahenis feruore extraordinario, nec tam citò, quantum nobis opus est ad coquendum cibos; nisi per calorem summum extraordinarium.

At calore non summo teneri ab initio liquidum, ne geletur; & tarefieri vt agitetur, nemo neget, qui fluores nostros lunares vices sentire, experiri fategerit. Faces etiam diuturno tempore admotæ ahenis motiones efficiunt; quas non rectè Galilæus negat: quæ enim non excedunt calorem nostrũ, non sentiuntur nobis, sed aquis & limacibus, & cęteris entibus min calidis: nec doloriũ musto plenorũ, feruor ingeniti vaporis nostro tactui patet: æstuant tamen inundantque calore. Item ego ex fenestra ignem accensum in officina ferrariorum per ducentos passus in planta manus sentiebam, non autè in aliis partibus. Sidera lucere & calefacere, & si lateat, certum est: Atque nemini dubium quod demptis cæli luminibus, mare staret & glaciaretur. Ergò si ingeniti vapores in musto æstum faciunt, ita vt dolia & lagenas disrumpant: & tamen nostro tactui frigoris non caloris sensum faciunt: cur in salso calidissimo liquore marino non plus faciant? Sunt qui Nilũ euaporatione nitrosa intumescere etiam arbitrantur, citra caloris excellentis sensũ.

Ad secundum totum mare augetur, magis autem in centro feruoris: at maximè in angustiis, vbi cumulantur aquæ, & in extremis littoribus, quæ transire non possunt partes priores; at aliæ superuenientes aggerem efficiunt vna cum eis. Propterea in veneto freto

excrescunt valde, quoniam & refluxus illiditur in extremum sinum, & motus ab Oriente additur impellens & augens. At in mari Anchonitano & Parthenopeo eleuantur aquæ vt & in medio suæ cymbæ fatetur Galilæus: at non tam valde, nec ergo tam sensibiliter, vt in littore extremo sinus.

Ad tertium, verè aqua eiusdem generis & saporis & frigida, vt prius, nobis videtur, quæ facit augmentum, quoniam tenuitatis gradum & frigoris tantillum aucti, aut & minuti experiri non datur: augeri autem æstu vel impulsu aquas, compertum est, & quæ in sinu Veneto excrescit, profecta ab Oriente cumulatur mota ad sinum, & simul à calore rarefaciente; & hoc in die sic se habet: in nocte vero aliter dicemus.

Nauigia æquè natant, quoniam eiusdem naturæ est aqua, & modica attenuatio, aut ingeniti vaporis æstus nil tollit lignis natantibus; vel si tollit, non est sensibile. Intrant etiam in Euxinum fluuij multi, nec tamen mutatur visus natandi: nec aquarum qualitas sensibiliter.

Ad quartum, dico pro refluxu ac fluxu diurno non oportere ex Gaditano freto in Mediterraneum multam aquarum intrare congeriem. Sufficit enim præsentia Solis eleuare per vapores, quos ingenerat, egredi non potentes, mare hoc totum, cum sit intra spatium ferè quadrantis vnius. Abeunte autem Sole necessariò decrescit substracto æstu: sic in nocte cum Sol tenet Nadir, potest etiam intumescere non quidem æstu, sed aquarum ex Gadibus & Euxino fluuiorum multitudine pleno, ac nullius vaporis eductione minuto, vnde humores omnes etiam nostri noctu augentur. Nec quomodo tam cito per sexaginta sex gradus expanduntur, admirabimur: cum intellexerimus aquas ab occasu & in occasum, & in ortum impelli aucto per imminentis Solis æstum Athlantico mari, & quomodo tota moles incipit à principio noctis recurrere, & in medio superueniente vndarum concursu, crescere partibus partes consocias impellentibus.

Fateor difficilis ratio, cogens ponere Tartarum, & aquarum sub terra communicationem, vt Plato facit, & sanctus Gregorius, & Augustinus, cum ab eodem fonte longe dissita quatuor flumina Paradisi educit; sic enim facilior ratio augmenti. Ac quidem in dogmate Galilæi non minus difficultatis. In nocte enim aquas in Occidentem omnes illi velocitas intorquet, videmus autem ad ortum & ad omnem situm expandi, bullientium more aquarum: Præterea & cisternæ, & putei: augentur aucto mari, & detumescunt diminuto; vt vel communicent aquæ omnes, vel eadem causa possit in omnes vt experimur in plagis, & cicatricibus, & fistulis mutationes cæli euidenter etiam intra cubicula inclusi. Cur ergo neget Galilæus has mutationes, nec nisi per localem motum factas credat?

Ad quintum facilis est ratio, quod aquæ ab ortu in occasum feruntur motu cælestium rarefacientium. Nec exhauriri, quoniam reuertuntur per refluxum ex Gadibus, & per flumina Euxini maxima, Istrum, Vistulam, Tanaim: & propriis etiam fontibus instaurari incessanter, probat Telesius. Plato verò ex tartari recursu, immersionibus & mersionibus. Reditus ad Libellam quoque negandus non est: faciens varietatem & recursum.

Ad sextum, calor Solis artificiosè effunditur in mare, propterea artificiosum affert effectum, & incessanter eiusdem tenoris, excepto impedimento aliarum causarum variante: & vbi materia non recipit eodem modo, & tempore, & loco, & mensura, vt declaratum est in textu. Lacus etiam & fluuij sentiunt etiam Lunæ, nedum Solis, passiones: at non ritu maris prorsus cum terram non circumdent, sed quando imminet Sol, patiuntur magis, & cum vapor concoceptus exagitat. Possunt etiam fontes communicationem cum maris fontibus habere; similiter & putei, vt experientia docet; sunt etiam stellæ & Luna, & fluuij in causa, vt liquidæ perseuerent, nec gelentur aquæ, & tantisper moueantur. Obliquitas Solis diaria & annua, & directio eiusdem in aquas variant æstum; vt patet in puteis & fontibus, & lacubus, & cisternis.

Quod autem Galilæus, ait, posse Solem & Lunam iuuare aut impedire aquarum cursum, non calore, sed motu, valde voluntarium & democraticum est. Manifestè enim Luna calore & luce, etiam occulta nobis, sed non aliis rebus, vt Mediceorum & stellarum vis occultarum, auget humores, & rustici norunt ligna cæsa sub crescente Luna, citius

germinare & fracescere: Barbas similiter rasas hoc tempore crescere celerius, latiú, quę; & in corpore nostro humores abundare, & minui aucta, & diminuta Luna ordinariis vicibus, quod in illa fit extraordinariis: & mustum vapore concepto æstuare & vasa disrumpere videmus, & mare per quindecim dies crescere, testatur Cæsar, & quicumque maritimas incolunt plagas: vt mirum sit quod hoc sagax vir neget.

Amplius quod docet Lunam pondere suo motum telluris & aquarum variare, & quoniam interlunio propinqua est soli, facere arcum ampliorem, in oppositione e contra; non videtur rectè dictum. Nam docere oportebat cur in coniunctione & oppositione sit Luna distantior à terrâ, in quadratis vicinior, & quomodo eius vis impedit aut expedit telluris motum, & quæ terram virtus defert, & quæ Lunam, & cur eleuat & deprimit, & cur si æquè distantior à terra in plenilunio atque interlunio, non pariter afficit terram, & quomodo hæc se habent. Nobis enim facile fuit à luce vtrinque eleuari recta, ab obliqua vtrinque deprimi.

Ad septimum facilè nos respondemus, quod aër fertur ab ortu in occasum, non à cæli asperitatibus & motu tractus, licet hoc etiam iuuet, sed à luminibus ita impellentibus quorsum mouentur, faciendo æstum in anteriora: multo autem magis sub æquatore, vbi minus à motibus & asperitatibus impeditur, vt faces ostendunt circa ahenum ductæ aquas mouentes quorsum ipsæ mouentur: & æstum. At in Galilęo dogmate hoc vix extricari potest. Copernicus enim putat vnà cum tellure aërem & aquas circumuolui, & propterea cadere proiecta desuper ad perpendiculum. Nunc autem oportet hanc thesim negare: ac docere quod aër & aqua non potentes consequi motum terræ ab occasu in ortum compellantur ab ortu in occasum. Id quod verum esset tantum in nocte, quando nimirum celeritas additur motui diario ab annuo: non autem in die, quando tarditas superuenit: & tamen & in die & in nocte eodem tenore aura spirat intra tropicos ab Oriente, & similiter mare confertur, & propterea nauigationes breuiores & faciliores ab India ad promontorium Bonæ spei: difficiliores verò ac longiores à promontorio illo ad Indos & Chinenses. Imò à Gadibus in Mexicum facilior & breuior nauigatio, quam è sinu Mexicano in Gades, quamuis retundatur vis maris retro à sinu Mexicano, & Iucatham & Potossis, & reuera hoc argumentum difficillime soluitur.

Hæc autem eueniunt incommoda Thesibus Galilæi ex eo, quod putant solo impulsu aërem cieri, non autem ex rarefactione & lumine pellente, quod Galilæo videtur corporeum & aptum mouere vt ventus: nihilominus hoc principio neglecto, omnem motionem ab aliquo motu præcedente fieri putat, absque tamen motore; quoniam qualitates actiuas negat, & causas & principia & primalitates: non enim illis vtitur ipse, nec Democritus, nec Lucretius. Nec experiri voluit quomodo rarefactione aër & aqua circumuoluuntur, & tumescunt & detumescunt, apposito & amoto igne circumducto, quæ omnia quàm absurde asserantur in prima parte Metaphysicæ luculenter probatum est.

Hic notandum quod etiamsi Tellus circumferretur ab occasu in ortum, vt putat Copern. adhuc motus Aquarum ab ortu in occasum esset à Sole, radiis in obuias aquas agente: à retardatione verò humiditati in solido, nequaquam vt dictum est, nisi violentus esset motus & nubibus, & aëri, & plantis, imò, & animalibus communis.

Vtrùm inundatio Nili sub Cane, & Eufratis, & Gangis & Menan, & Duinæ, sit à ventis, vel à niuium liquefactione, vel ab imbribus, vel à Sole, vel à Canicula, vt multi variè opinantur.

ARTIC. VI.

THeologi Diuinæ Prouidentiæ horum fluuiorum inundationes adscribunt; vt, vbi non pluit, illorum aquæ ad terræ fructificationem inseruiant: sicut in Arabia Ros plurimus: sed hoc absque controuersia est inter rectè sentientes. Verùm de Physica ratione, qua prouidentia executioni mandatur, est concertatio.

Videtur Thiesti apud Herodotū,quod Etesiæ sint in causa,qui spirant à Septentrione contra ostia Nili, eiusque aquas retro impellunt ad telluris alluuionem: probatur,quia simul est causa & effectus. At simul incipiunt Etesiæ,& Nili inundatio, & simul desinunt.

SED Contra sequeretur, quod omnes fluuij à meridie in Boream decurrentes in littore Africano similiter inundarent,quod falsum est de fluuiis Cyrenarum, & Carthaginis,& Tingitanæ.Præterea Menan,& Ganges,& Duina, & Euphrates, à Borea in Austrum fluunt: & tamen inundant similiter.

Item quamuis Etheliæ nobis fiant è vaporibus marinis : tamen non adeò validi sunt,vt possint tantas aquas retro agere, cum mites sint.

Item omnes fluuij idem paterentur in mare delati.

Alij dicunt imbres Æthyopiæ æstiuos esse in causa, qui ex vaporibus ab Ethesiis ad montes ipsorum,vnde effluit Nilus,fiunt copiosi tunc temporis. *Opinio 2.*

Sed hæc ratio nihil probat, quoniam Ethesij mites venti sunt in maritimis flantes, nullas nubes eleuantes,vt palam est.

Item omnes fluuij ex Apenninis defluentes inundarent,quoniam ex infero,ac super mare in Italia Ethesiæ ad ipsorum iuga vapores attollunt, inundaret & Padus, & Arnus,& Tyber,quod non fit.

Timeus autem putat fontes Nili grandes sub terra immergi,& sub Cancro à Sole perpēdiculari extrahi,& inundare,sed hoc falsum est,quoniā Sol abest plurimū, tunc à fōtibus Nili,qui sunt vltra æquatorem ad Austrum admodū,à nostro Tropico quasi 35.grad. *Opinio 3.*

Alij tandem Caniculæ hoc tribuunt exortui.

Sed cum Canicula non nisi calorem addat solari,oportebat causam materialem tantarum aquarum inuenire,& modum inundationis. *Opinio 4.*

Quapropter videtur verum assertum nostrum,quod hyems est tunc in fontibus fluuiorum.Idcircò abundantius aquæ decurrunt.

Quod autem Peripatetici dicunt,cum Arist.2. Met.ex niuium liquefactione augeri Nilum,vanum est; quoniam in origine Nili tunc hyems est cum fluat longissimo itinere.

Præterea in Eufrate, & Gange, hoc verius dici posset,quoniam in eorum origine æstus viget sub cancro:sed cum alij plurimi fluuij in suis principiis habeant tunc æstatem, & ex montibus prolabantur,difficultas resultat in eos,& in nos. *Opinio 5. Arist. 2. Met. Tr. 2. c. 2.*

Arbitror tamen,quod quia flumina multa coëunt ad hæc magna plurimis è montibus,ad quos delati vapores,& transire prohibiti,ita magnos vertuntur in imbres,& ad de niuium, & glacierum defluxum : idcircò eiusmodi tunc inundationes facere. Caniculam verò prodesse tunc ad aquarum feruorem tum ad defluxum niuium,tum ad vaporum copiam.Magis autem hyems hoc facit in Nili principio,vt dictum est in textu, & quoniam Africa calida est,tunc vapores crassi,& multi sunt, quales nobis in vere, & ideo copiam aquarū produci. Lunationis verò principium post solstitium inundationem efficere maximè par est vaporibus multis accretis ipsius vi, vt solet; vbi dispositio adest. *Opin. 6.*

Ad primum Respondetur,quod Ethesiæ fiunt simul,quoniam ab eadem causa, non quia sunt causa,Sol enim perpendicularis è mari vapores extrahit post meridiem, qui fiant in Canis exortu aucta vi solis in aquas. At tunc augentur imbres ob absentiam solis sub Capricorno,vnde fluit Nilus,& defluūt niues,& vapores fiunt multi aquā augentes.

At Eufrates & Pegu & Menan opposita ratione inundant: quoniam scilicet Sol in Cācro liquefacit mare Scythicum glaciatum hieme,quo fluuij propè ipsum caput habentes subterranea communione augentur,& niues,& glaciata Tellus & glaciati lacus funduntur à Sole tunc,non siccantur,& vapores crassi plurimi eleuantur,qui in montium cacuminibus spissantur in aquas.In mediis .2. regionibus orti fluuij tunc minuuntur : exsiccati propinquitate solis ad fōtes,& cursū ipsorū: & vapores attenuātur nō spissantur:vt in Textu. *Secunda. 4. & 5.*

Secunda opinio esset vera nisi Etesiis tribueret imbrium causam.

Tertia & quarta dicunt concausas, non autem perfectè causas. Oportet autem fidē omnia obseruare ritè philosophari volentem.

Appendix ad Articulum de Nili incremento.

EX dictis planè agnoscimus Ægyptiis Sacerdotibus haud ignotam fuisse causam inundationis Nili in æstate: siquidem refert Eudoxus apud Plutarchum, eos dixisse

propterea id fieri,quoniam quando æstas est in Ægypto, est in Nili fontibus hyems, eandem causam assignauit Agatarchides Chius. Vnde miror illorum fatuitatem, qui ex opposita Zona trans Æquatorem non posse effluere ad nos citra Tropicum æstiuum, propterea quod tellus rotunda est,cum ita esse doceant illi,qui ab Hispano Rege ad Æthyopiæ Regem nostris temporibus mittuntur legati: & ratio moneat omnia Maria,& flumina super terram rotundam labi,nil obstante rotunditate,cum sit æquè à centro distans vndique,nec ex eleuationibus,& depressionibus constet,quales sunt in rotis nostris. Miror quod non timeant isti nebulones,& quidem Mathematici, ne fortè naues ex Hispania in Americam soluentes,rotunditate maris excutiantur, & cadant in cælum; sicut rudis antiquitas,veniáque digna ex parte, eueuturum putabat. Græcis autem Philosophis occulta fuit ratio,qui proprio arbitratu,non naturæ decretis philosophabantur.

Porta cum eis.

Hinc è contra elucescit,quod inundatio Duinæ,& Pegu,& Menan è Septentrione in meridiem meantium,nequaquam eidem rationi tribui debet,in textu enim diximus id euenire fluminibus per longa itinera à locis hyemalibus ad æstiua labentibus, quod fluuio Nigir,& Sancti Spiritus in Africa ex eadem regione cum Nilo fluentibus accidit. At his qui Europam,& Asiam abluunt,valet ratio de itineris longitudine, non autem de opposita constitutione,sed sicuti dixit Anaxagoras, Euripides, Sophocles, & alij de Nilo,quod in æstate solutis niuibus in montibus Æthyopiæ augebatur, quæ sanè nullæ fiunt in Æthyopia calidissima niues: id ita verum est in nostris fluminibus. Cum enim in Cancrum Sol accesserit Septentrionalis plaga soluit niues,& glacies in aquas, & terram madidam in vapores,imò & gelata maria in hyeme,nunc liquefacit. Vnde nouæ pluuiæ, & grandiores fiunt in aëre,grandinésque mirifici, vti ad montes Euganeos Patauii sub Cane experti sumus. Propterea que euenit fluuiorum inundatio, non quidem omnium, sed illorum,qui fontes habent propè Scythicum mare, & ad Riphæos montes, & vltra, manifestum est enim apud nos,quod maris effluxus,& turgentia, implet fontes, & puteos. Adde illis solutiones niuium,&glaciei ob dierum longitudinem maximam,& ingentes pluuias,& tunc intelliges,cur non æquè omnes inundent.

At si sub Canc modò id fiat,ratio prompta est,& Timeo placet, quoniam proprium huius sideris aquas extrahere feruentes faciendo, vti Plinius notauit, arenas,& algas ex ortu Caniculæ ex fundo etiam eleuari,& vina fæcibus excitatis sursum misceri. Additus enim calor eius solari feruorem auget,olla autem feruens,modica licet aqua, eam extra versat: sic maria,& fluuiorum fontes in amnes exsudant. Quapropter quatuor causæ concurrunt,Niues,Glacies,Pluuię,Exuberantia æstuantis maris,& fontium. Non rectè ergò Democritus à nostro Septentrione vapores solutarum niuium ad montes Æthiopiæ, vbi niues deesse agnouit, accersiebat in æstate: feruor enim aëris ab Austro in Boream currit,& non è contra; nisi fortè in nocte regurgitet ad implendum id quod attenuatum erat interdiu in meridie: sed lex certa incrementi Nili id non admittit, neque tanti vapores in nocte ferri queant,qui per quadraginta dies tantam aquam gignant. Aliquid melius dixit Endimon Maxiliensis, quod à mari Australi intumescente augeatur. Verum hoc fieret semper in omni maris tumore: nunc autem solum in æstate sub Canc. Hoc tamen video,quod ad res magnas causæ simul cælestes,& terrestres, & marinæ consentiunt,totáque Harmonia mundi requiritur,vt in Metaph.

APPENDIX.

1. Contigit tandem opusculum videre de hoc Nili incremento, quod scripsit non vulgaris ingenij homo Gallus Dominus *De la Chambre*, Philosophus,ac Medicus excellentissimi D. Petri Siguerij, Galliarum Cancellarij, virtutum ac literarum Mecænatis. Is post multas inquisitiones perspicaci intellectui non satisfacientes, cum narrationem certam audiret,lutum Nili nitrosum esse; simulque considerans, nitrum pinguedinis camporum,& euaporationis multæ,quæ aquas augere,& exundantes facere solet causam esse; suspicari cæpit, in nitro latere huiusmodi euentus rationem; idque inde non leuiter confirmat; quoniam Ægyptij ex pondere nittosi luti Niliaci maiore vel minore, præsagiunt,

præſagiunt, quanta futura erit inundatio, & quanta vbertas anni; At quoniam in 17. die Iunii, & in mane incipit ſemper inundatio, duratque per quadraginta dies, putat accidere hoc ex introitu ſolis in Cancrum, ſignum nempè humidum augendis humoribus aptum; verum quoniam Sol intrat in Cancrum die 21. Iunii, ſuſpicatur hoc accidere, quoniam gradus quinque præcedentes reputantur pro principio ſequentis ſigni. Dat etiam pro concauſa niuium liquefactiones; ita vt Sol in tropico ſit cauſa vniuerſalis, & quaſi remota; euaporatio, & rarefactio Nitri propinqua & peculiaris, liquefactio niuium, & pluuiarum copia in Zona torrida cauſa ſit adiuuans: propterea ſibi flant venti ab auſtro in Boream, in Martio, Aprili, & Maio, ſic etiam conſimiliter Sole procedente, quoniam euaporatio fit in fluuio nitroſo, qua montibus vtriuſque ripæ prææltis in Ægyptum fertur. At in Iunio euaporatio abundantior, vnde ſequitur inundatio, Etheſiarum generatio, qui ad Boreales regiones delati, per totam æſtatem vndarum more ad oſtia Nili repercutiuntur.

2. Prudenter quidem certas plenaſque ſimul cauſas incrementi Niliaci ignotas adhuc putat, nec facile dictis acquieſcit aliorum: prudenter quoque nitrum ventoſum eſſe, euaporationiſque multæ probat in puluere pyrio, in deſtillationibus Chimicorum, & in ſyruporum, & vinorum, aliorúmque ſuccorum ebullitionibus, iis enim ſal aut nitrum ineſt, quæ calore æſtiuo ſoluta augmentum faciunt extraordinarium; haud tamen ſoluuntur niſi in humido: prætereà probat hoc in Nilo, quoniam maior nitri prouentus ex maiori pondere notus, indicat incrementum maius, minor minus; & fœcunditatem maiorem vel minorem: variatio autem prouentus ex cæli diſpoſitione maiore vel minore accidit. Conſentit ratio, Nitroſum eſſe niliacum ſolum, quoniam totum à Zona torrida cum illo defluxit, ſicuti Patauinus ager cum Brenta, & Poleſine, cum Pado: nam Ægyptia tellus dicitur donum Nili apud Platonem, & tota nitroſa ſpectatur, præſertim quam Nilus non attingit.

3. At cum fœcunditatem à Nitro accerſit in Ægypto, probatam ex multigena animalis generatione, ex fœnum copia, & viuacitate, & pinguedine gentis, poteſt calumniam pati Chambræus, quatenus ſali, ac nitro fœcunditatem pinguedinémque regionis tribuit, ſal enim nitrúmque herbas occidunt, & vermes, & à putrefactione præſeruant, quæ generationis eſt via; propereaque ſolent irati principes ſal ſuper demolitas ciuitates ſerere, veluti Patauio ab Attila, & Mediolano à Federico accidit; quoniam à ſale ſterileſcunt exſiccata omnia & marceſcunt; imò etiam Deus, vt dicitur in Pſal. 106. vertit *terram fructiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium*; vt ſterileſceret.

Reſp. non tamen vir doctus errauit, cum manifeſtum ſit quod pro dogmate ſuo adducit in mari fœcundiora eſſe animalia, ac nitrum aquâ dilutum in terram feracem, effuſum efficere feraciorem; & calce, & cinere, & cornu in puluerem acto per ignem, fœcundari terram; propter hoc enim & Virgilius ſtipulas cremat, & in ſyluis poſt incendia naſcuntur virgulta grandiora, & viuidiora, vt recenter apud Veſliuum; quamuis imperitè dixerit Auer. Calorem ignis, ſolum deſtruere; cœli verò ſolum viuificare: item ſpармatica vaſa vrinariis ſalſis ad venereum ſtimulum natura aptauit] propterea reſpondet, quòd nitrum & ſal admixta humidis fœcunditatem faciunt, non ſeorſum, & id nos in textu docuimus, ad generationem ſcilicet plantarum & animalium multiplicem requiri materiæ affectionem, hoc eſt lentorem, fluorem, mollitiem, viſcoſitatem, vaporem, ſeu ſpiritum; propereaque in arena ſterilitas, quia deeſt lentor, fluor, viſcoſitas; & in luto ſterilitas, quoniam deeſt tenacitas, & ſpiritus, quapropter ſal, & nitrum ſterilitatem faciunt, ſeruantque à putredine, vbi non ſimul exuperat fluor, & lentor, & mollities à ſpiritu Nitri architectanda. Si quidem Nitrum potius actiuas dat vires, & incentiuas, & ſpiritales, quàm materiales & craſſas, ſine quibus ſterileſcit ſubiectum attenuantis ſalis, & exhalantis, ac proinde quod reliquum eſt, exſiccantis; ſicut è contra ſterileſcit craſſus fluor, & mollities, niſi ſpiritu nitri animentur.

4. Rectè etiam docere videtur, quod eadem ſit cauſa incrementi Nili, & ponderis luti, vnde quaſi ex ſigno, vel ex coeffectu agnoſcitur magnitudo incrementi illius, ac pariter feracitatis Ægypti, cũ enim plus inũdat, plus fertilitatis affert: & quidẽ ſi relatio iſta certa

est, vt multorum non imperitorum testimonio habetur, bene concludit Chambræus, Nili inundationem proximam habere causam in Nitro; quando & certum est nitrum euaporando augere liquores, & ego causam fluxus, & æstus maris euaporationi dederim; & in musto plenis vasis, & in ollis experimur. Quamuis enim & alij fluuij in æstate inundent, Tanaïs, Siam; Ganges, Pegu, &c. & non ex Nitro; vnde arbitrari quis posset hanc causam esse nullam vel incertam; fauent tamen ei flumina Africæ, Nigir, Zair, Zuama; & Spiritus Sanctus, eisdem ferè ex fontibus vel regionibus manantes & inundantes eodem ritu.

Quod venti ab Africa in Ægyptum intra Nili ripas, montibus prę altis munitas, flant, in Martio, Aprili, & Maio propter euaporationem exilem, ac in Iunio inundatio propter maiorem ab æstu solis maiori, fieri autumat, quamuis ab impetu fluuij aërem & vaporem impellentis, fieri in cæteris fluminibus, palam sit; tamen in Nilo magis propter illam euaporationem, concedendum puto; dummodo iis ventis non detur ratio ingurgitationis Nili, sed potius velocioris fluxionis, cum non spirent ab ostiis eiusdem, sed ad ostia. Etesias autem è mari ortum habere & cur, in textu probauimus. Atqui intra Zonam torridam, non sunt Ethesiæ, sed alius ab ortu in occasum perpetuus flat ventus ordinatúsque, qua via ritúque Sol atque mare feruntur: via autem obliqua insensilis est, & non recta ducitur ab æquatore in tropicum, nec incessanter, veluti ab ortu in occasum, quapropter difficile quis tueri posset, quòd Sol per Nilum ventos insequendo præmittat, quamuis enim australes ad nos semper venti agitari deberent a Sole in Capricorno vsque in Cancrum, tamen etiam Boreales cientur vicissim, vt notauit Homerus, propter accidentia altera; siquidem, qui fiunt ex aeris ebullitione ita feruntur, non autem qui ex vaporibus.

6. Veruntamen quod subdit post ventos inundationem; quia in Iunio Sol potentior, & vltima exhalatio abundantior, vt patet in alembichis, patitur difficultatem; vel enim loquitur de potentia solis extra Tropicos, vel intra; si extra verum est: attamen non probat quod vult: inundatio enim est ab aquis decurrentibus à Zona torrida in ægyptum positam ad 7. grad. extra tropicum. In Iunio Sol potest minus vltra æquatorem vsque ad fines Nili, similiter & citra per 10. ferè gradus: vnde non videtur hoc solis potestati maiori tunc adscribendum. At nec euaporationi, nisi velit quod euaporatio facta in Ægypto, & paulo ante sit causa inundationis; ac non quæ intra tropicos. Quod experientiæ, non consonat, Nigir enim fluuius, & Zuama, & Sanctus Spiritus ab iisdem fontibus fluunt in occasum & in austrum, non autem in Boream, sicut Nilus, inundant tamen quando Nilus; ergò vltra æquatorem incipit inundatio, vbi tunc Solis vis potest parum: proptereáque abundant incessabiles pluuiæ bene grandes à Martio ad Iunium quæ debent reputari materialis causa horum fluminum incrementi, non autem euaporatio Nitri nisi vt concausa. Sunt enim & hæc nitrosa; non ergo aliunde quærenda principalior causa. Iam enim patefactum est, quòd per sex menses hyemis nostræ, id est à Septembri ad Martium, siccitas & æstus viget in fonte Nili vltra æquatorem, grad. 12. quem circundat mons Nitri, & mons Argenti, & Cafates; (ita vocantur) similiter sub æquatore, vbi alius eius fons immensus nempè lacus latus 220. M. P. A prima autem Luna Aprilis ibi perpetua grandisque pluuia, quæ exsaturat primò aridam tellurem, deinde sub Iunij medium cum ibi cor hyemis est, nobis verò æstatis, exundat Nilus aquis plenus vndique illabentibus vsque in Ægyptum: idémque fluuij faciunt omnes decurrentes à locis vbi est hyems, ad loca vbi æstas: si extenduntur in latitudinem, vel etiam vbi est hyems, si ad longitudinem, vel ad polum alterum. Profectò si vna tantum Nitri euaporatio causa extaret, accideret inundatio quando sol est in ariete, tunc enim ibi maximè potens est: præterea quibus annis nitrosum lutum ponderis plus habet, inciperet inundatio prius, quàm quibus minus: propterea solers Chambræus nō solum nitro dat incrementum Nili, sed etiam pluuiis vti nos. At quæ potior causa, lis est; forsan pluuia vniuersalior, nitrum peculiatior. Illa materialior, ista actiuior licèt cum materia,

7. Verum enimuero illud mirificè torquet Chambræ opinionem atque meam, cur in 17. Iunij, & non vltra citràque incipiat inundatio. Non enim dari potest sempiterni constantisque effectus causa inconstans & variabilis, ideo vel causa est exortus Caniculæ, vel lunatio ante Cancrum, vel ingressio solis in Cancrum, sed nulla harum satisfacit, itaque vix credam, quòd inundatio semper incipiat in 17. Iunij nostræ epochæ, sed citius & tardius, iuxta solis introitum in *69*. Quos enim mutuatur dies Chambra noster à præcedentibus gradibus quinque, subtiliter quidem, non mihi videtur habere in hoc conuenientiam sicut in horoscopo, vbi præcessio radiorum & vicinitas, confert conformitatem gradibus præcedentibus cum horoscopo, ac proinde cæteris domiciliis artificialibus: nisi enim sol incipiat retrocedere, non videtur aquis posse dare retrocessiuam ingurgationem, sicut nec olearum & Tiliarum vertit in austrum comas, nisi dum intrat in Cancrum; antea enim perpetuo à Capricorno huc vsque ad Boream spectare cogit. Præterea inundatio in Aegypto manifestatur in grad. 5. ante solstitium. Oportet autem incepisse multo prius in medio vel in prin. Nili, cum duret 40. dies. Prætereà sol in Cancro non afficit aquas, quia in humidum intrat signum, hoc enim fieret in Capricorno alterius Hemisphærij, vbi est Capricornus domus Lunæ, & dum intrat in Scorp. & Pisc. signa humida: nihilominus plus in Aquario Aquarum facit, & in Ariete; sed aliter in aliis regionibus: sub Aquario enim æstuat vltra æquatorem, & friget sub Leone; citra verò è contrà: ergo humiditas signi non est in cælo, sed in actione solis omnia soluentis, & rarefacientis, vbi calor eius blandus est, vt intumescat; non robustus, vt exsiccet, sicut in Cancro, licèt D. Chambra tueatur, solem in *69*. quamuis nostrarum regionum exsiccet aquas, posse dici humidum signum ex secreta vi, quam diuinam vocat Hipp. ac per illam augere Nilum. Concedo quidem vim occultam, vt in Astron. at vtrum Cancer id præstet dubito, sol enim in Cancro vi suâ manifesta, qui est calor, non auget aquas; sed exsiccat nobis, & lacus, & fluuios, & mare. At Nitrum tunc magis euaporat, in quo secreta vis Chambræ, hactenus ignorata, inundationis ponitur.

Prætereà annus Aegyptiorum, & menses non sunt quales, quantique Iuliani nostri, vt patet ex Ptolomæo & Copernico; ergo non est illis 17. Iunij quintus ante Cancrum, imò ante Kal. Gregor. XIII. erat sol in Cancro etiam in 12. Iunij: & ante exorbitantias tempus fuit, quo Sol in Cancrum etiam in fine Iunij intrabat, & tempus erit quo solstitium in principio fiat Iunij; nisi intercalatio noua celebretur interim: vt in Astronom. declarabimus.

Arrideret autem magis aliorum sententia, qui dicunt in lunatione intrantis Solis in Cancrum incipere, si esset stabilis: sed cum anticipet, & postponat frequenter introitum solis in Cancrum, non potest statuti diei, qui est 17. Iunij esse index, & quærendum esset, cur tunc Luna tantum possit.

Tertia sententia ex ortu Caniculæ habet etiam suas difficultates: quoniam fixæ stellæ mutant distantiam à puncto Cardinali: quæ enim nunc Canicula est in octauo Cancri, temporibus Metonis erat in decimo Geminorum. Solstitia enim & æquinoctia in antecedentia signorum 28. gradus peragrauere. Quapropter potuit Timeus exortui Caniculæ ascribere incrementum Nili, quando ista erat in Geminis; nunc autem non item, siquidem oritur in Aegypto cum Sol tenet 27. gradum Cancri multo post inundationem. Iis verò qui sub æquatorem habitant, oritur fortasse cum Sol intrat in Cancrum, vltra verò æquatorem ad fontes Nili paulo ante, cum habeat latitudinem Merid. grad. ferè 40. Declinat. verò quasi 16. Quapropter non sine causa prouidus Chambra istam quoque neglexit causam, quamuis verum sit quod Canicula turbet Maria, & aquas, & vina, & omnia illa sursum, deorsúmque agat. Equidémque propter hoc Caniculæ assentior: at non quando exoritur Eliacè, sed quando coniungitur soli, vt simul vterque scandat horizontem, incrementum fluuiorum illorum facere, quibus imminet intra æquatorem & Capricornum, forsan dicenda est: ergo antiquis temporibus sub aliis diebus; nostra autem quando Sol est in vigesimo quinto grad. Geminorum, cum stellis Orionis

turbulentia faciat in Ægypto inundationem: quam tamen incæpisse oportet multò ante, quando simul oriebatur incolis vltra æquatorem, & euaporationem Nitri, & aquatum turbationem faciebat, posset quispiam futiliter suspicari, quod cum Sol est in Antiscio Caniculæ, idest in 22. ♊ incipiat inundatio, sed latitudo Caniculæ non seruat Antisciorum legem. Nec tunc vires exerit Canicula: sed in exortu aut Synodo cum Sole. Profectò, qui tuetur causam inundationis esse pluuias, inuestigare cogitur; vnde incipit inundatio, experiendo quantum temporis consumit moles lignea dimissa à Siene, & altera à Meroe, altera ab æquatore, altera à primo Nili fonte, vsque in Ægyptum. Operosum negotium. Igitur relatio Andreæ Alpini solertis doctique viri, quam Chabræus existimat certissimam, valet pro seculo nostro, prout dictum est, & quoniam inundatio durat quadrag. dies: tantum temporis consumat à suo exordio oportet: iudicet qui sapit: vnde. Nec puto optimum veritatis cultorem dissentire ab his, donec meliora inueniamus. Et contentum esse posse quoad nouam philosophos cogitationem excitarit: nec leuis coniecturæ prodiisse Autorem.

NOTABILE.

HIc disputandum foret, an aquæ, niues, grandines, rores, ex vapore solum fiunt educto ex aquis calido, humidóque, vt dicit Arist. P. Met. Tract. 1. cap. 4. & Tract. 3. c. 1. venti verò ex exhalatione calida, siccaque, & non ex vapore, educta ex terra; & similiter ignitæ impressiones: vnde sequitur secundum Arist. terram non esse materiam aquæ, nec aquam terræ, nec in inuicem transmutari: ergo nec communem habere materiam, quoniam seorsum aliam subministrat aliis rebus materiam, quod quoniam Arist. testimonio est falsum, & cum probauimus vapores, & exhalationes differre crassitie, tenuitate, maiori, minorique calore, & dispositionibus in inuicem vertibilibus, non est immorandum.

Porta reprobatur. Item quoniam nouus Autor negat posse exhalationem reperiri, aut vaporem, sed aërem esse imperfectum, solúmque aerem esse materiam ventorum, aquarum, niuium, grandinúmque, cæterarum vero rerum meteorologicarum halitus ex mistis eductos, & prima sententia per se vana apparet, maximè cum niuem ex aëre spumoso facit, cum spuma non nisi concepto aëre etiam ipsi fiat: Aer autem commotus aërem non concipit, sed ipse diluitur, & alia indigna philosopho promit; nemin̄emque ausum fuisse Aristoteli contradicere, præter se ipsum se iactat, duobus millibus annis; & tamen libros Telesij legit, quem mihi fatebatur se vix intelligere: legit & nostros etiam manuscriptos, vnde aliqua decerpsit, vultque ignorari. Idcirco nos quoque ipsum ignoramus, nec sua alio examine aggredimur: quod autem plurimi contra Aristotelem scripserint etiam ante Telesium in p. q. patuit.

DE ORTV FONTIVM, ET FLVVIORVM.

Vtrùm flumina, & fontes è mari, an ex terra, an ex aëre, an ex pluuiis originem habeant.

ARTIC. VII.

Sentent. Salom. Eccl. 1. 1. VIdetur quod è mari exoriri fontes nequeant. 1. Mare enim est in sinu terræ maxime imo: fontes autem ab altissimis scatent montibus, ad quos nulla ratione potest attolli mare, nullos enim videas fluuios, qui non è montibus descendant, & si qui ex planitie videntur oriri, eos vel ex stagno, vel ex monte in imas partes secretis viis aquas mittente nasci oportet: quemadmodum canens Dauid Psal. 103. *Super montes, ait, stabunt aqua: & intermedium montium pertransibunt aquæ, &, rigans montes de superioribus suis.*

2. Non potest aqua per spongiositatem montium ascendere, sicuti per filtrum, vt quidam dicunt; quoniam oportet siccum esse, quod bibit aquam, sursúmque eleuat. Montes autem omnes sicci non sunt, nec tantam habent siccitatem, vt bibant tam ingentia flumina, quanta emittunt, dicebat quidam nuperrimus autor contra nos. *Porta in suis Meteor.*

3. Neque potest per siphonem ascendere, vti Plinio videtur. Siphon enim aquam demittit per pedem longiorem ad ima porrectum magis, quam locus, vnde aqua incipit ascendere. Sed palam est, quod venæ terræ & fluuij non sunt humiliores mare, sed editiores.

4. Neque potest calor id efficere quemadmodũ placet Alberto Magno, videlicet generando vapores calidos multos vi solis, & stellarum, qui in mari fluxum, & refluxum faciunt; in terra verò aut foras exhalant, aut exitum non nacti in solidas montium summitates incurrunt; vnde reflexi, nec desinente calore, alios trahere in aquam vertuntur, & per montis latera erumpunt. Idcircò bullosæ aquæ, & calidæ in suorum orificiis fontium plerumque sunt. Contra hanc sententiam, quippè insurgit præfatus autor, & monstrosam vocans, etenim calor montis trahit sursum aquam, vacui ratione. At hoc est impossibile cum tellus poris abundet, possitque repleri aëre, nec proinde ex fundo aquas attahere ad sui repletionem per vim.

Item cum traxerit per porum, quo emittit aquam, statim posset aër intrare, & aqua subsidere, sicut euenit in phiala vi caloris, quasi cucurbitula sursum aquam trahens dum perforatur.

5. Item opinio dicentium maris impulsu in montes aquam depuratam ascendere, falsa est. Nam aqua tantum ascendit, quantum descendit. Ergò non vltra elatio rem maris.

Item & quod qui dicunt flatus intra terram in baratro efficere, quod extra in mari, quod aliquando eleuatur, vel aliquando deprimitur: sic per eleuationem intra terram fontes aquarum erumpere: vnde fluuij ortum habent. Etenim id rara ratione accidit: at fluuij sunt peremnes, & ex montium vertice quousque elatio non fiat.

Quapropter cum nulla possit assignari ratio, qua aquæ ad montes eleuantur, videtur falsa sententia.

6. Item aqua maris per mille cophinos arenæ decolata, numquam salsedinem dimittit, vt probatum est. Ergo fontes dulces e mari non sunt: ergo neque flumina.

Opinio Platonis de Tartaro in centro mundi, vnde fluunt, & quo reuertuntur flumina, ab Arist. etiam reprobatur. Primo, quoniam sequeretur quod aqua contra sui naturam ascenderet. Secundo, quoniam si tanta aqua additur, quanta demitur Tartaro, non erit vnde pluuiæ fiant. Tertio, non videmus aquas ad Tartarum relabi, sed ad mare, & si qua flumina absconduntur, vt Guadiana in Hispania, iterum aliunde egrediuntur, & ad mare tendunt, non ad Tartarum in centro. *Opinio Plat. in Phedon. & in Gor.*

4. Item quomodo ex Tartarò dulcis fluminum, & amara pelagi aqua simul emanat?

His sententiis deiectis reuertuntur quidem ad opiniones antiquorum. Alij enim sententiam, quam recitat Aristoteles, & Seneca, tuentur, videlicet, quod omnes fontes ex aquis pluuialibus in cauitatibus terræ receptis exoriuntur.

1. Probatur; nam aliqua flumina in æstate cessant fluere, quia receptacula illa parua exhausta sunt. Aliqua peremnia, quoniam receptacula ingentia semper subministrant aquas, donec iterum pluat hyemis exordium: sed tamen minus in æstate.

In Lybia, & locis aridis; vbi non pluit, quasi nulli fontes, nec fluuij fiunt, nisi à longe, vbi pluit, deriuentur. At in Germania, & Gallia, aliisque locis vbi plurimæ pluuiæ, plurimi fontes, ac fluuij, magnique: posita enim causa, ponitur effectus, & ablata, aufertur.

1. Contra quam sententiam arguit Aristoteles, quod aqua, quæ ex flumine vno posset colligi in vase vno, non posset contineri in vase, quod terram non exuperet, aut adæquet, quomodo ergò possunt tam grandia conceptacula pluuiarum reperiri? *1. Meteor. summa 4. Cap. 1.*

2. Iterum alij dicunt, quomodo potest istud vas super montem aquam submittere? & quomodo exeunt extra, si infra se foramen habent?

3. Item fossores metallorum, qui montes transuerberant, nullibi hæc receptacula inuenerunt: fossoresque vinearum testantur nullam pluuiam intra decem pedes altitudinis terram madefacere: eius enim partem terra sorbet: partem flumina: non ergo faciet sibi conceptaculum.

4. Multa flumina ex saxeis erumpunt montibus, vbi tellus non bibit conceptaculo, ergo, &c.

5. Putei in siccis locis defossi ad trecentos vsque pedes aquam viuam inueniunt, quousque pluuia nulla descendet.

6. In vertice montium etiam fiunt fontes, pluuiæ autem deorsum decurrunt.

Has ab orationes alij putant in visceribus terræ esse aquas dulces, & stagnari, quemadmodum in superficie; & dare principium fluminibus, vt lacus Lemanus Rodano: contra hos valent prædictæ ex parte rationes, quomodo enim erigentur ad cacumina montium? & vnde peremnes esse possint?

Opin. Senec. Quidam Senecæ adhærent ex parte, pythagoræo, ex parte Stoico. Vult enim terram habere in se aquam, & aërem vt sanguinem, & animam, & frigore densari aërem in aquam: & ex se ipsa liquefacta aquam gignere, & complecti se ista tria, vel quatuor, vt nullum sine altero; & propterea mutuis peremnibusque inuersionibus sufficere; nihil enim deficit, quod in se redit. Mare est vnum ab initio, habet venas, quibus impletur & æstuat. Quomodo maris, sic & huius aquæ mitioris vasta, & occulta via est; quam nullus fluminis cursus exhauriet: tantum ex illa, quantum superfluum fit, emittitur. Hæc ille, proptereà Plutarchus etiam quærebat: an in pressa tellure aqua distillat, sicut in vulnus sanguis, an sicut in mammas lac nutricis: quorum primū Basilius, secundum concedet Seneca: nam quod ipsa emittit, superfluum est: quod autem nos elicimus, quid erit? Philon Iudæus lac dicere consueuit, etiam cum eo Theologi multi; potest addi & lacryma ex argilla, & tupho fluens.

Porta in suis Meteoris. Hanc sententiam nouus autor acceptat ex parte; hoc tamen de lacte, & sanguine, vt Metaphoricum vix concedit, & tamen lege animationis concedit. Terram tamen nullo pacto in aquam verti posse in suis distillationibus se expertum esse autumat: nec aquam in terram nec aliud elementum, puluis enim terræ in cisterna nunquam fit aqua, neque ergò exhalatio aut vapor ex terra, fiat.

Opin. Arist. Quas ob res statuit Aristotelis sequi sententiam, qui ex vapore frigefacto in cauernis terræ, & montium, stillas aquæ fieri: ex stillis fontes: ex fontibus fluuios. Etenim vas niue plenum adhærentem aërem in stillas vertit: & quidem Arist. ex vapore pluuiæ non ex aëre generat aquas infra terram; licèt alij addant aërem. Neque ex terrea exhalatione, quam non nisi ventorum, & ignium statuit esse materiam.

Quapropter rectè arguitur quibusdam, quia insufficientem tantis fluuiis causam assignat: expresè enim in 2. Meteor. ex vapore pluuiali aquas gignit, & non aliunde in cauernis. Ergò si damnat antiquos, quoniam faciunt flumina ex pluuia, quæ teplerent totam terræ cauitatem, multo minus possunt fieri ex halitu pluuiæ, & receptaculorum. Proptereà alij addunt & halitus ex aquis etiam aliis, quæ intra terram sunt.

2. Sed profectò Arist. aquam extraneam terræ elementum facit; nec sicut sanguinem eius Stoico more, & à terræ frigore potius aquam glaciari, quam euaporari dicendum erat.

3. Et vnde, quæsò, illæ aliæ aquæ? non ex terra, quoniam ex ea non vult gigni iste autor, nec Arist. qui ex vapore, non ex exhalatione facit aquas. Neque ex mare, quoniam reuerteretur opinio Platonis & eorum, qui ex mari generant aquas omnes, quod tu non vis: ergò ex pluuis. Igitur ratio valida remanet contra Aristotelem; omnis enim fontalis aqua dulcis ex pluuiis est illi. Quod si ex mare: quid tantopere laboras aduersus eos, qui ex mare eam accersiunt? & hic nouus autor hostis Telesij in deteriores labitur errores, quàm Aristot. Ipse enim non è mari nec ex terra generat, sed ex vapore, qui non potest esse, nisi ex pluuia. Ergò absurdissimè ex culice generat elephantem.

Non desinam tamen admirari Arist. qui in lib. 2. de gener. Omne elementum in omne conuertit: hic verò aquas non nisi ex vapore aqueo modico immodicissimas facit, & eius assecla mare ex salis fontibus educit: & vnde quæsò salsi fontes, nisi ex adusta terra? si

verò neque in sal volunt terram verti: Ergò neque in aurum, ergo neque in lapidem. Ergò neque in plantam. Dicat ergò quomodo granum sinapis tam ingentem plantam, tam modicum producit? non quidem ex sola aqua: tota enim planta esset aqua, & caderet absque fulcimento: neque ex aëre, quod difficilius: ergo ex terra, & aqua. Si ergò vnam terræ conuersionem concedis, concede & alias. Mirum prætereà, si materia prima est eadem, quomodo non transmutantur in inuicem, quæ in ea conueniunt. Licuit olim Empedocli nullum in nullũ inuertere elementum, propterea quod quatuor elementa, quasi quatuor materias fecit; tu verò qui vnam ponis materiam, & transmutas tria elementa in inuicem, videlicet, ignem, aquam, aëremque: quomodo etiam non & terram?

Respondet; quoniam nunquam puluis terræ in cisterna factus est aqua, & terra liquefieri no potest, vel liquefacta indurescit. At ex hoc agnoscere poteras, aquam gigni a sole ex terra, & non generare se, nec esse elementum primum: nulla enim aqua generat aquam, vt terra terram, & ignis ignem. Generari autem ex terra aquam succus ille petrificus, & solutus sal, & alia multa te docere poterant, non sua, sed ignis virtute: quomodo autem terra liquefit in aquam multipliceny in gremio, & non foris, diximus in textu & in Metaph.

SED Contra recentiorum, & Arist. sententiam est Ecclesiastes 1. dicens, *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.* Et iterum: Nihil sub sole nouum, præcessit enim in seculis, quæ fuerunt ante nos, quid est, quod futurum est, nisi quod factum est. Hoc idem probat Plato, qui Tartarum posuit, & reuersiones has, itidem Seneca & tota natura. Omnia enim terrestria ex terra in terram nascuntur, & intereunt: & ipse magis Arist. ita cogitur fateri, qui omnes ignes ab elemento ignis, omnes aquas ab elemento aquæ, aeres ab elemento aëris ponit in mistura, & in suas soluit origines, sicut Empedocles, & Hippoc. & prisci docuere Philosophi.

Totum telluris sistema vsque ad finem sui circuli vaporosi, vel semper est idem, & reficitur mutuo ex suis partibus; vel si ad solem aliquod vsque eleuatur, aër erit, non vapor, nisi igne sustentatus in aëre, vt lignum aëre in aqua, quod nostrum mundum probat mortalem. Præterea putei vt testantur Architecti aquam non accipiunt nisi ad libramentum maris, & fluuiorum fodiantur: ergò aquæ intra terram quousque vis siderum attingit, sunt omnes æquè à centro ferè distantes. Item paludes si effodiantur ad maris libellam, statim exsiccantur à venis terræ absorptę. Quod Neapoli pluuiis submerso remediũ fuit puteorũ orificia rumpere, vt aquas sorberent. Præterea Cæsar præcidendo venas fontis Vxelloduni ciuitatis Gallicanæ super montem positę, aqua priuatâ cæpit ciuitatem obstupescentem: quia fons perennis erat. Ergò palam est quod ab imis radicibus nedum vapor, sed etiam aqua alicubi ascendit vno dictorum modorum. Præterea intumescente mare crescunt putei, & fontes insigniter ex tali accidente: nedum pariuntur fluxum, & refluxum sexhorariũ cum cæteris aquis maritimis à sole, & quindenarium a luna, si quis attentè considerat. Item vnde Maragnonus, Plata, Indus, & alij fluuij latitudinis centum miliaria habentes, & immensam profunditatem absque maris ope fiant? Ergò indoctè iste homo, nedum impiè putat sententiam Ecclesiastes non posse defendi: vocatque ipsam opinionem, & non dogma, quasi Ecclesiastes esset quidam Aristotelicus. Præterea Moyses Genes. 7. Diluuium vniuersale factum narrat diruptis fontibus omnibus abyssi magnæ, & apertis cataractis cæli: abyssus magna est congeries aquarum maris, & telluris in sinubus, vt Isidorus, & Hier. & Augustinus docent. Cataractas cæli forsan, & constellationes intelligit, vnde dicuntur Astrologis Apertiones portarum: quæ aquas ex mari, & abysso in altum extulerunt ad quadragenariam pluuiam. Quapropter & Moyses, & Ecclesiastes, & eorum expositores sunt pro Platone. Item Dauid, abyssum quasi vestimentum terræ vocat: ex quo super montes extant aquæ in Psal. 103. quid clarius? vnde S. Thomas cælestibus obedire aquas: & propterea eleuari non contra naturam, nec tamen ex sui natura ad montium summitates, & in aërem, vnde pluant, sic Deo prouidente: cuius Basilius & alij Patres hunc motum nutibus adscribunt. Nunc ad soluendas rationes contra hanc elationem ad montes reuertamur.

Ad secundum in principio positum dicimus per spongiam posse trahi aquas sursum ad montes: nec refert siccitas, sed abundantia subsequentium, postquam enim benè humectatus est panniculus lineus semper trahit aquam. Sed fallitur iste Chimicus; quoniam siccitati dat tractionem, & non similitudini: Aqua enim ascendens non vult ab alia diuidi, sicut nec alia ab ipsa; idcircò se se insequuntur, donec in cacumen elatæ iterum recidant: non tamen eadem via, quoniam aliæ insequuntur: siccitas necat aquam, non trahit. Nos autem non vnum hunc modum Ascensionis posuimus, sed plurimos. Non enim in caput hominis sola vena eleuat humorem, & spongiositas, sed etiam vapor. Item docuimus sanguinis instar fieri petrificas aquas & salsas ex fusa terra: dulces verò ex vapore. Nunc autem constitutis aquis eædem ascendunt in vaporem actæ ex mari, aut per pumicosam viam, aut per impulsum: & quidem optimè D. Thomas, & Albertus vi siderum, sol enim, & luna, & canicula, manifestè aquas eleuant, & in vaporatione, & cum feruore: & simul adiuuant pumicositatem.

Ad tertium, sæpè in ampullis id probaui, quod aqua non descendit nisi inferius, cum vellem perpetuum motum experiri. Attamen aperto foramine, & apposita spongia per illam descendere potest. Item cum ierit deorsum intra terram, quid vetat aliunde sursum egredi, cum similiter tantundem ascendat? sed hoc aliquando erit in terra, non enim omnis elatio per syphonem est, & per vacuum.

Ad quartum non intelligit rationem Alberti: cuius librum non habeo, vt tamen memini, Albertus vapores vi siderum eleuat calidos, & angustia cauernosi verticis, & frigore in aquas vertit, & per latera educit vnà cum vaporis portione, quæ non est conuersa in aquam. & cum calor duret intra terram, durat vaporis eleuatio: & super montis cacumen fons salit aliquando: nec potest aliter, nisi insequendo vaporem mistum, vt sanguis è vena, spiritum: & quidem vidimus sæpè bullas, & quasi bullientes aquas ita exilire: vt mirum sit, quomodo iste homo hanc veritatem irrideat, vt monstrosam vanamque: etiam venæ propè ripam fluuij Stylensis quasi bullientes aquas, non tamen calidas, sed bullosas emittunt: & Venæ acceolis vocantur; nec de fluuio, sed de monte descendunt, & Stignani in loco Brisi vocato, scaturiunt aquæ in planitie plurimæ bullosæ pluribus è foraminibus saltantes: nec mons imminet, nisi collis modicus arenosus: at in hyeme calidæ sunt, ita vt rustici frigidas manus eis foueant: in æstate frigidæ: per multa milliaria, & ●llibus dissiti montes a loco absunt: Sed in Hindari plano altero loco fontali, neque collis eminet: tractus ratione vacui rarus est fons, nisi misceantur aliæ causæ.

Ad quintum: Et si mare ad cacumina montium non eleuet aquas perennes, nihil vetat eorum cauernas pro tempore replere, ex quibus euaporantibus sursum fiant scatebræ perennes: possunt enim alias repleri antequam deficiant conceptacula: quibus & pluuiæ, & aliæ causæ subministrant.

Ad sextum, & si per arenam aqua non deponit salsorem, & amarorem, tamen per montes, & terras multas deponet. Non enim tota aqua maris est sal liquidum, sed plurima dulcis, quam ex distillatione elicimus. Item sal subsidet: vnde mare salsius in profundo contra Arist. probant Salis confectores. Ouum enim, quod in aqua superiori submergitur, in inferiori natat, proptereà quod ad vertices dulcis peruenit pars, nō salsa. Item concedo quod aliquando salsa fluuios salsos, quales in Sicilia, Caria, Armenia, Battris, & in Apulia apud Lauellum semisalsus exiens, effecit, aliquando in vaporem versa, dulces: attamen ex sui natura salsos fontes, & montes in Calabria habemus: & in Africæ interioribus sale tanquam lapide fabricantur domus, teste Butero: scio mare à terra in principio ortum iubente Deo, cum vrebatur: teste S. Hier. in Iob. 38. & suis è fontibus salsis sustentari: at terram intus permeare, & fontes gignere non dubito: & aquas ab eo dulces, & ex terra etiam educi, vt in textu per vltimam decolationem ad superiora non ad inferiora vt fecit opinator. Item per destillationem, vt patet in alembicis. Nauigantes enim ipsis vtuntur sæpius destillando.

Ad septimum, nihil dicit Arist. nam aquæ pluuiales ex vaporibus maris, & Tartari & fluuiorum absque positionis Platonicæ incommodo fieri possunt, quæ similiter reuertuntur in Tartarum, siue per fluuios, siue per mare; vt patet in arctis terris, vbi

mare in vastos hiatus præcipitari dicitur, de aqua dulci: & eleuatione ad montes dictum est paulo ante: non enim similaris aqua Tartari, vt aqua vitæ.

Secunda sententia principalis solum probat, quod sub ardente cælo fiunt modicæ aquæ, quoniam vapor non densatur, sed dissoluitur: & aqua exsiccatur antequam per venas è mari ad superficiem transeat aridam. Flumina quæ æstate deficiunt, fortan ita creantur: non perennes. Argumenta Arist. in ipsum retorsimus: quomodo enim Maragnonus, & Plata, & Ganges, & Indus, qui sexaginta leucas latitudinis habent, & inexplorabilem profunditatem è solis stillicidiis pluuialis flatus, imò ex toto aëre faciemus?

Alij opinantes omnes aliquid rectè dicunt; sed insufficienter, est enim aqua intra terram a calore intrinsecato vapores educente crassos, qui in aquam continuò constipantur angustia loci, vnde & calidam hyeme. Iuuantur & mari, & in pluuiis, vt non deficiant, nisi venæ rumpantur. Similiter benè Aristoteles facit aquas, sed non sufficientes fluminibus; nec sufficienti ratione, quoniam frigore solo eas creat, cum & calidissimæ erumpant: & è calidis vaporibus in laquearibus balneorum, calidæ stillent. Ideircò nec calidorum medicatorum fontium rationem reddet vnquam: nec eius assecla, nisi ad nos, vt solet refugiendo. De sensu terræ alibi.

Fossores non inueniunt venas, & receptacula, quoniam in originibus fluuium non effodiunt, sed possunt fluuij grandes exsiccare præcidendo venas in radicibus montium, vt fecit Cęsar in Gallia. Item pluuiæ hic, & in lybia exsiccantur ante decem pedes. Sed non in Scythia: nec propteà non fouent receptacula tum sua substantia influentes, tum obserando terram, ne vapor attenuatus euolet, sed retentus, frigefactúsque crassescat in aquam, vt in pileo alambicorum apposita frigida operatur. Quare non rectè ponitur pluuia substantialis causa semper. Ex monte Styli prealto secreto, ab apennninis, toto prorsus lapideo erumpunt plurimi fontes, calidus vnus sulphureus ab Ortu: alij dulces frigidi à meridie, quidam vt sanguis è vena abundans, quidam vt lachryma tenuis per tophum expressa, & melior: sed alij duo largiores in Ierulli loco, & aqua Vona altera, in æstate siccatur: nec tanta aqua è pluuiis esse potest, sed vapores frigido lapideo monte hyeme spissantur, æstate dissoluuntur: vnde humiliores, & exiliores peremnes: calor enim lapidum æstiuus ad eos non subingreditur.

Scirpus Mentastrum, Arundo, aliquæ herbositates indicant vbi vena aquæ ex crasso vapore latet: in Tophis tamen capilli Veneris lachtymam indicant tenuiorem.

Vtrùm ex vapore calido, humidóque, à frigore condensato, expulso calore, fiat pluuia: ex pluuiæ guttis mollibus coactis nix: ex conglaciatis, grando, vt Aristoteli & Plinio ex parte videtur: an sola condensatio faciat pluuiam non expulso calore, grando verò ex condensatione, non pluuiæ, sed vaporis crassi, tenuibus priuati: nix autem ex vapore crassiusculo, calido, non amisso calore, neque tenuitate, fiat, prout in textu docuimus, sed ligatis.

ARTIC. VIII.

SEd quod sola condẽsatio ex vapore generet aquas calore non expulso, probatum est in textu: & in quæst. 20. art 2. vt patet in operculis ollarum, & balneorum laquearibus, & cerebro animalium: & ipsæ pluuiæ calidæ tepentes adhuc decidunt: & calidæ in terra multæ nascuntur; non autem postea ex accidente calent.

Quod autem nix non ex pluuiæ guttis glaciatis parum, fiat, sed ex vaporibus conspissatis non emisso calore neque tenuitate, palam itidem factum est: quoniam can-

nam candor & mollities, & tertæ fermentatio, & vermium in ea generatio, & fumositas quando tangitur ab ea exhalans, & oculorum disgtegatio annunciant tenuitatem, & calorem eius. Prætereà quoniam fit nix absque tonitruis eiicientibus tenuitatem, & ex calidis vaporibus Austrinis, albisque, cum supervenerit Aquilo, quod & Iob docet, & Ecclesiasticus ex parte. Item quia fit in locis frigidis, montanis nimirum, & frigido iam cælo. E contra verò quia grando fit in maritimis sub calido cælo, & in die potius, & æstate, & post tonitrua ingentia, palam fit abscessu tenuitatis à calore accensæ, & erumpentis indurari: vnde crassiores illas veluti amplexu insequentes compinguntur in durum Ens. Modicus autem calor remanet in grandine, quod transpicuitas, & albedo enunciat, & facilis ipsorum resolutio. Impossibile autem videtur, vt ex pluuia fiat grando, quoniam in tempore, & loco calido pluuia non potest indurari, & antequam à frigore aeris ficto induretur decidit in terram. Item tonitrua ostendunt abscessu tenuitatis talem conglaciationem suboriri.

Idem Arist. p. Met. Tr. 3. c. 1. & 2.

SED Contra ait Arist. gelu fit ex aqua glaciata per frigus: ergò & grando, & nix.

2. Item aqua calida facilius glaciatur, quam frigida, ideo calidus vapor magis quam alius.

1. Met. Tract. 3. c. 1. & 2.

3. Prætereà antequam ex vapore fiat durities, transitus fit per liquorem, & mollitiem, vt dicitur in textu.

4. Prætereà frigus magnum est in niue, & grandine: Ergò per illud spissantur, & non per accidens: vel assignare oportet, vnde illud frigus in re calida. Aristot. autem secundæ aeris regioni tribuit illud.

SED Contra sunt rationes memoratæ hic & in textu.

Ad primum Resp. quod licèt aqua apud nos glacietur per frigus: tamen non cum tonitru, & fulgure, sicut grando; neque in calido loco, & tempore: oportet ergò ex crasso vapore dissimilari per abscessum tenuitatis tonantis concrescere grandines. De niue fatemur, quod à frigore ligetur, & non induretur, quia tenuitas calida non educta permanet, & mollitiem facit.

Ad secundum: facit pro nobis; quoniam calidi vapores crassi abscessu partiũ tenuium glaciari possunt ea ratione magis. Non enim aqua calida facilius glaciatur, nisi quia exhalat tenuitas per calorem & frigus per raritatem factam facilius ipsam penetrat, & in densitate augetur, quod in glaciata per nitrum docuimus. Sed Arist. causas ignorat sponte: nam eas fatetur: & tamen hæc generans intra calidum aërem in calido vapore accersit frigus p. Met. lect. 15. contra Anax. generatem grandines solum in aëre frigido. Nam & ignis subitò attenuat densitatem, quam calor lentus prius emollit, & liquefacit, & postea attenuat. Quando ergò vi, & per accidens fit transitus, potest non expectato medio sensibiliter extremum adipisci.

Ad quartum Resp. quod frigus niuis est à Boreali constitutione superueniente in australes calidos vapores. Sed frigus grandinis est ex priuatione caloris, & ex eo quod semper in aëre vel modicum est, quod gaudet densis rebus, idcircò ad vapores condensabiles abscessu tenuitatis statim vndique colligitur, & collectio vires auget: Est enim sui multiplicatiuum. Neque quia rotundi sunt grandines ex guttis pluuiæ fiunt. Nam possunt concretiones illæ repentinæ disiunctim fieri, vt pluuiales; rotunditas autem cunctis rebus fugacitate confectis inest: vt enim sese feruent conglobantur, vt sæpè in textu legitur. Imprudenter Arist. ab motu tornari putat: multos vidimus grandines non rotundos, & Arist. fatetur, quia fiunt in imis. At & ipse ad montes Arabiæ, & Æthiopiæ sub calidissimo, & serenissimo cælo grandes imbres fieri narrat, & tanto grandiores, quanto calidior aët: vt facilè intelligas abscessu tenuitatis densari, vt apud nos in æstate. Frigus autem aëris hoc facere non posse: sed colligi subito post factum, & conciliare duritiem, & frigiditatem, vt dictum est per sui augmentum: Et quidem errat ibi Aristot. cum frigescieri de se abceslu caloris vapores docet in calido aëre imò magis, ait, in calidiore: & tamen frigus in vapore non erat, nec in aëre calidissimo: vnde ergo fiat pluuia nisi ex sola condensatione: cum ex calido calida in calido oriatur etiam Aristoteli? Frigus autem grandinis decepit eum, quoniam illius vim multiplicatiuam non intellexit.

P. Meteo. lect. 15.

QVÆST. XXI.

Vtrùm omne Mel, & Manna de cælo veniant, vt placet Peripateticis, & Medicis: an verò plerumque succus arborum sit purißimus, vt in textu dicitur.

ARTIC. I.



RIOR sententia probatur.

Primò, quoniam non è solis floribus mel colligitur,& Manna, sed è frondibus, & surculis ante solis ortum, teste Plinio. Præcipuè autem è quercus, & Tiliæ, & arundinum, foliis.

Videtur Plinio esse vel siderum saliua quædam, vel cæli sudor, vel aëris se purgantis succus: quoniam in exortu siderum magnorum reperitur vt Vergiliariũ,& Caniculæ,& Arturi. Virgilius etiã cęli donum mel vocat.

In sacra Scriptura Manna de cælo pluisse memoratur, & panis Angelorum vocatur, quia de stellis est,& mellisflui cæli vocitantur. Nec dicas mannam Mosaïcam fuisse alterius naturæ, quoniam in Exod. dicitur, quod saporem habebat similæ cum melle, qualis & nostræ Mannæ inest in Calabria: & similiter à sole soluebatur. Idem sentiunt Serapion, Matthiolus, Dioscorides, & alij obseruatores: & tandem sub quibusdam constellationibus solet manna decidere pestilens super fruges, tenella fœmina enecans, & super lapides visitur, & ramos, & vbique.

SED Contra est Pattum sententia. Quod mel ex floribus ab apibus colligatur, vt eorum succus, licet Amb. Hex. v. cap. 21. Rorem ex floribus colligere, qui in cellis postea conuertitur in mel, opinetur. De Manna verò Mosaïca miraculum esse dicunt, quod cælo deciderit: & hoc palam, quoniam gustus eius, teste sapientia, omne delectamentum bonis præbebat quodcunque optassent. Item igne tortellæ & manna torrebantur: quod nostra haudquaquam suffert. Experientia quoque testatur, quoniam inciduntur fraxini quibusdam in locis apricis, & succus exsudans ex cæsuris colligitur mane in mense Maij, & Iunij, & vocatur Manna de corpore, qui verò ex frondibus legitur, Manna de fronde. Quam transpiratione eiusdem arboris fieri oportere diximus in textu: proptereà quod arbores vicini,& lapides absque manna sunt: quod si de cælo veniret, non eueniret. Prętereà ponentes desuper linteamina inuenimus in foliis mannam: ergò non de cælo venit. Neque fingant aërem penetrare linteum, nam succus ille crassus est, & in linteis detineretur. Prætereà neque ascendant infernè, & à lateribus, vt alij respondent: crassiusculus enim est sudor, quam vt attolli posset, vel depressus, nisi calore attenuante iterum: quando tamen euanescit: eadem ratio mel succum arboris esse probat: quoniam vesperi testa herbarum florentium sub tecto posita, adhuc flores sugenti reddunt mel diluculò. Item oscilla ficuum manifestè reddunt mel ab intus, & aliorum multorum fructuum. Et Arundo, vnde exprimitur saccharum, manifestat mel & manna ex arboribus manare.

Ad primum Ref. quod vbi mel, & manna reperitur in campo, & in herbis quibuscunque indifferenter, vtique oportet concretiones factas fuisse in aëre, & decidisse, quod fatemur. Nam veluti pluuiis alij sunt apti vapores, alij rori, alij niuibus, alij nebulæ, sic alij mannæ, & melli interdum idonei erunt: Aër enim est sicut pileus alambicorum. Nos autem de Manna, quæ in Calabria oritur, & de melle ordinario. Et de aëreo, quoniam non est ab aëre, sed ex vaporibus arborum concretis in aëre.

Ad secundum Imperitè Plinius loquitur: si enim ignea sunt sidera, saliua carent;

si verò ſiſtemata, vt Pythagoricis videntur, ad nos ſuos ſuccos non demittunt, ſicut nec noſtra ſtella ad illas: vapores enim concreſcentes in ſpatio aëreo connato, ad centrum earum reuertuntur, vt in mundo noſtro: ſuccum autem aëris melius dixit, quoniam vapor concretus deſcendit, vt aër purgatus remaneat, ſed non ſemper, quoniam & ex arboribus extruditur.

Ad tertium Reſp. quod manna data per Moyſen miraculosè à Deo deſuper pluebat, quoniam per quadraginta annos omni tempore demittebatur, in Sabatho verò ceſſabat. Manna autem noſtra, & quæ nunc etiam fit in Arabia, etiam Sabatho colligitur; neque omnibus anni diebus, niſi à principio ferè Maij vſque ad decimum quartum Iunij: Neque igni noſtra reſiſtit, vti Moſaica.

Ad confirmationem Reſp. quod licet ſimilæ admiſtæ melli Manna Hebræorum ſaporem haberet & nauſeam aliquibus prouocaret, ſicuti noſtra ob dulcedinem eiuſmodi, & à ſole conſumeretur; non tamen propterea erit ab eodem principio cum noſtra. Nam & cato miraculosè genita, & panis in miraculo quo quinque millia hominum ſaturauit Ieſus Chriſtus, ſunt eiuſdem ſaporis cum pane ordinario, quoniam ad eundem vſum. Sed tamen illa Moſaïca talem ſaporem præbebat qualem pij optabant. Præterea neque ab igne ſoluebatur, vti noſtra: ſed à ſole, propter miſterium & declaratur in lib. Sap. At nemo putet Angelos (ait S. Cyrillus) qui natura incorporei ſunt manna ſenſibili veſci, vt Heb. ſed alio inuiſibili ſimili proportionaliter, vt dicit Raphaël in Tobia: dicta tamen eſt manna Hebræorum cibus Angelorum ob ſimilitudinem proportionis, vel ob figuram panis Euchariſtiæ, quo ſpiritualiter Angeli aluntur. Legimus mellifluos cælos in ſcripturis, ſed per Metaphoram & Proſopopciam: cum enim gratiæ à Deo in nos defluunt, quia cælo dicitur eſſe Deus, vbi magis ſuā demonſtrat gloriam, cælos mellifluos fieri dicere ſolent: aliquando cælum æneum, ſi nulla gratia à Deo datur, legimus fieri in Deut.

Ad quartum, non mouemur opinantium autoritate, vbi teſtimonium habemus oppoſitum: ſcimus autem in Calabria manna ex arbore extrahi, neque in lapidibus, & herbis, & folijs contiguorū excipi: ergò &c. Manna autem peſtilens, quod impropriè ita vocatur, exhalationis fætidæ concretionem ex aëre cadentem, inficias non imus. Aliquando etiam manna à calore ſoluta in aërem eleuata in die, concreſcit frigore noctis, & decidit in vicinas fraxinis, & ornis arbores.

Neque propterea quod in Magnorum ſiderum exortu manna colligitur, à ſideribus defluat; ſed tempus illud congruum eſt ſolis conſtitutioni ad arbores ſicafficienda. Neque enim quia Amygdalæ florent in occaſu Aquilæ, effectus Aquilæ ſunt, ſed ſolis tunc ad nos aduertentis. Neque mare emittit vapores ad Etheſias conſtituendos in ortu caniculæ, quia canicula id efficit; ſed ſol tunc validior. Nam ſi ſol nobis tunc non immineret perpendicularior, mare non agitaretur ſic; ſed ſtellæ coadiuuant & ſpecificant effectus ſolares.

Appendix ad quæſtionem de Manna.

EX herbis, & arboribus vaporum genera multiplicia tranſpirare cogente ſole, luna, & ſtellis, certum eſt. Idcircò Impreſſiones vix opinabiles in aëre fieri; accendique quaſdam, vbi quaſi narangij & aquæ vitæ halitus plurimum ineſt. Item & in Manna, & mel concreſcere, quæ ex fraxinis, ornis, & floribus quibuſcunque educuntur. Propterea que etiam ſuper lapides, & arbores cadere eiuſmodi concretiones; quæ tamen ex certis rebus in terra educuntur. Similiter medicatum rorem, & pruinam non aquæ terræque modo vapore fieri, ſed herbarum, animalium, & arborum tranſpirationibus; idcircò varias habere virtutes. Nam niues & pluuias ſanguineas in Armenia fieri ex vaporibus de terra minioſa rubra eleuatis, Theophraſtus, & Euſtathius teſtificantur. Aërem ergò dicimus ſummitatem alembicchi diuini eſſe: ſolem ignem diuinum; terras, aquas, mineralia, plantas, animalia, & quidquid ſubſidet aëri, eſſe ſimplices ſpecies, ex quibus educuntur omnes vapores, ſucci

aquæ, res igneæ, ventosæ, & quicquid in aëre fit, vt in toto libro apparuit: neque enim è stellis cadit mel, vt Plinio apparet, sed ex terrestribus educitur, & ad terrestria redit. Mellifluos cœlos scriptura dicit respectu agentis causæ sidereæ, & aëris, qui cœlum est. Manifestè enim sub Iulio cum colligitur manna, propè meridiem in aërem euanescit, ergò in nocte reuertitur concreta iterum in terram, & propterea nostrates vident in aliis locis etiam longè à fraxinis, & oris, mannam vento delatam, & à frigore nocturno concretam.

QVÆST. XXII.

Vtrùm Venti, & tonitrua fiant ex sicca calidáque exhalatione, pluuia verò, & nix ex calido humidóque vapore, vt Aristoteli placet; an omnes impressiones in aëre ex vapore calido humidóque, vt nobis.

ARTIC. I.

DVPLICEM exhalationem sursum attolli à Sole putat Arist. alteram calidam, siccámque, quam propriè exhalationem dicit, & è terra siccisque rebus educi: Alteram calidam humidamque, quam vaporem potius appellat, & ex aquis aqueisque educit, ex prima ventos, & tonitrua generat; ex secunda aqueas concretiones. *P. Met. Tract. 1. cap. 4. & Tract. 3. 61.*

Patet enim quod tellus cum sit sicca, siccum exhalat fumum. Aqua verò humidum, vt ipsa est, sed calidus omnis est, quoniam à calore fit.

Nos autem humidos experti austros, vt Iob fatetur: nequaquam ventos sicca ex materia facimus. Præterea cum exhalatio nil differat à vapore, nisi quia ille tenuior, iste crassior: Tenuitas autem, vel Aristotelis testimonio, sit humiditas, quoniam, ait, replet vacuitates, & suscipit figuram tangentis, qualis est ratio humidi: nulla exhalatio sicca ponenda erat, sed humidior, quæ tenuior: namque Aër Aristoteli videtur humidior quam aqua: ergò exhalatio vapore, similiter autem ostendimus ignem esse humidissimum, quia tenuissimus. Vapores ergò dicemus vdos, vbi crassi sunt roscidique. *2. De gener. & corr. tex. 10.*

Ratio autem eius, quod è terra sicca egreditur exhalatio, nulla est, sibique contraria: nam & Aqua ex terra liquefacta fit, & tamen humida. Aër quoque humidus ex terra fit Arist. non autem Empedocli: à quo non transmutante elementa in inuicem, accepit dogma de duplici materia meteorologicorum, non videns quod sibi repugnat ex omni elemento omne elementum facienti, nedum vapores omnes. Neque quia facilius accenditur exhalatio fit siccior, sed humidior, calidiórque, facilè transiens in ignem. De lignis autem secus est, quoniam ligna fiunt arida ab igne, vel à Sole arefaciente, qui calorem indit, poros aperit, & succum crassum attenuat, disponitque ad accensionem; quæ fit per ingressum in poros, & conuersionem accendibilis in ignem: ligna autem madida, & succo plena non admittunt ignem, quia occlusi sunt pori, & minus à calore disposita sunt. Quapropter non siccitas facit accendibilitatem, alioquin lapides natura cciores, duriorésque melius accenderentur, quàm ligna: sed humiditas, & tenuitas magis; ideò plus ardent ligna, quàm lapides, plúsque arefacta ob tenuitatem, & admissionem; quàm succi plena. At in vaporibus est tenuitas quoque magis accendibilis, quoniam calidior, faciliórque combustioni: idcircò coacti accenduntur intra nubes, vt mox dicemus. Tellus autem non facit vapores tenues, quia sicca densaque: hac enim ratione crassiores faceret, sed quia difficilè vertitur in vaporem ob resistentiam: partes autem eius quæ euaporant sunt minus repugnantes, & multa vi solis fiunt, & à penetralibus terræ educti, difficilem habent exitum ex crassitie, & non nisi tenuissimi egredi possunt, & tanto tenuio-

res,quanto terra aduſtior. At ex aqua,& madida ex terra, cum ſit facilè in vaporem, & plurima conuertibilis abſque repugnantia dans exitum, & ſubſtantiam non multo ſolis labore,ſubitò in vapores multos & craſſos vertitur: ſicut patet in textu, vbi docuimus, quis calor,quibus è rebus,quam educat tenuitatem. Neque exhalatio exſiccat ob tenuitatem,ſed ob caliditatem: neque vapor humectat,niſi blanditie caloris, vel admiſtione humoris ſui,non actione humoris,vt ſatis ſupra,& in textu patuit. Sal quippè frigido vento ſiccatur: at auſtrali liqueſcit,quoniam concreuerat eductione humoris, eiuſdémque introductione liqueſcit blandi ac ſubintrantis caloris copia in tenui humido: robore autem caloris etiam indutatur per accidens, vt infra patebit & hoc Plato inſinuat, quod triangulis aquæ aperitur: non autem igneis.

Vtrùm tonitrua, & fulgura fiant extinctione ignis de ſideribus cadentis in nube aquea,vt Plinius putat cum Anaxagora; vel luctatione eiuſdem intra nubem,& eruptione accendantur,vt Ariſtoteli videtur. An verò exhalatione accenſa intra nubem: ideóque erumpente, vt nobis videtur.

ARTIC. II.

Opinio 1. PRima ſententia, probatur apud Lucretium lib. 6. ex eo quod candens ferrum in
Idem narrat Ariſt. aqua immiſſum, diſſonum vaporem gignit, & quæcunque decidunt concutiendo
2. Met. Tract. 4. cap.2. & Plin. li. 2. aërem, ſtridorem faciunt,vt vibrata tela: ſi autem vapor ille in nube luctatur,tonitruum; ſi erumpit,fulmen; ſi longiore tractu nitatur,fulgetra fiunt.

Epicurei verò poſſe attritu nubium fieri tonitruum,& igniri,vt Lucretius, & Diogenes narrant,vel aërem ſurſum contendentem à ſideribus depreſſum reboare in nubibus,vt in vexica: multáque huiuſmodi imaginantur ad ſtrepitum lauri igniti.

2. Meteor. Tract. 4. cap. 1. Ariſtoteles verò intra nubes contingere,vapores tenues cogi; qui erumpentes foras,vt è terra in concuſſionibus eius,ipſo impetu accenduntur,& coruſcant: videri autem prius coruſcationem,quàm audiatur ſonus,quoniam velocior eſt viſio,quam auditio, & lux ſono.

Opin.4. Nos autem impoſſibile arbitramur poſſe tonitruum edi,niſi erumpat vapor: hic autem erumpere haud poteſt,niſi prius accendatur,& ſpatium maius appetat, veluti puluis bellicus intra bombardas. Nam vapor ex terra ipſique venti erumpunt,quoniam à duritie terræ cohibentur; nubes autem molles ſunt; ergò non coarctant, oportet ergò ignem eſſe,qui impetu prærumpat nubem antequam cadendi tempus naneiſcatur. Odor quoque ſulphuris indicat exhalationes erumpentes talis eſſe naturæ, quæ facilè accendatur, ac proinde efferatur.

Ad primū dicimus eſſe coniecturam inanem. Neque enim ignis è ſideribus cadit vnquam,quæ nimirū omnes portiones ſui ſuum in centrum conglobatas amoris vi habent. Qui autē ab illis Plinio in ſerenitate quoq; cadere videtur,potius in aëre generatur,vt in textu diximus,ſed non tonat niſi in anguſtia nubium,alioquin omnes impreſſiones ignitæ tonarent. Præterea ignis ſurſum,non deorſum fertur: ergò impetus eius non ſtridet ad nos. Præterea nec à nube extinguitur,ſed accenditur ignis candes, vt patet in fumo ſubterpoſito lucernæ: ſi autem verſa eſt nubes in aquam, prius cadit. Item ignis tenuior aëre,non ſtridet,niſi preſſus. Craſſa autem ſtrident præpedito eis motu. Quod vapor non tonet,niſi accenſus intra craſſitiem,dictum eſt. Quod non fulminet erumpendo,palam eſt ex his quæ de fulmine locuti ſumus,ſed potius ſonitum,& fragorem edit. Fulgetrum autem eius ignis luce fieri,vel ſolis radios nubibus aduerſis pertranſeuntibus, & intercipientibus, vbi ſonus abeſt.

Ad ſecundum nil recti dicunt. Non enim nubes attritæ tonant, vt patet quando à ventis etiam contrariis agitantur,ſed diſruptæ. Nam nihil commotis nubibus,at coapta-

tis,subito videmus fulgur,& tonum subsequentem; vbi palam est eruptione, non attritione fieri,quod bombardæ & castaneæ virides torrefactæ, & oua, & terremotus ostendunt: fit aliquis stridor vix sensibilis nubiũ attritu.Impcrirè,quoque putant,sidera aërem sursum tendentem deprimere,cum in se ipsa regulariter ferantur: & quando fiunt celsiores,etiam in Apogeo omnes,tonitrua etiam audimus. Modus quoque talis fictus est. Non enim Aër absque igneo impetu impactus nubi tonat,aut accenditur vnquam. Exemplum de stridore lauri igniti docet,non nisi accenso igne intra crassitiem facere tonitruum. Sententia Aristotelis minus incongrua est, sed oportebat addere intra nubem accẽsionem,vt dictũm:vnio enim robur dat calori,& accensionem,non eruptio,vt supra.

Vtrùm fulminis substantia fiat ex fuligine, vt nos docuimus, an ex lapidibus per ventos sursum elatis, vt Aristoteli placet.

ART. III.

Licèt in textu Fulmen triplex posuerimus,vt Latinè cum Plinio in nomine concordemus.Non tamen videtur dici fulmen rectè nisi solida substantia impetu, & sonitu de cælo deorsum erumpens: prosternens turres,& arbores,& quidquid tangit. *1. Opinio.*

Hanc putat Arist. primò Meteor.summa 2. cap. 4. in aëre fieri ex vaporibus non posse: quoniam non nisi à frigore densari vapores putat: frigus autem, aut niuem, aut grandinem,aut imbrem facit. Putat ergò à ventis sursum lapides impelli interdum, ac impetuosè cadentes impactos lædere obiecta.

Anaxagoras autem e Sole cadere autumat,atque prædixit in Olympiade septuagesima octaua casurum inde lapidem,& ita euenit in Thracia ad Ægos flumen:similiter ab Abydo colitur frustrum saxi,quod Anaxagoras casurum prædixerat alibi. Vaticinii verificatio ostendit veram esse Anaxagoræ sententiam, quod sol sit lapis ignitus,qui aliquando frustula sui demittat. *2. Opinio.*

Albertus autem concretiones has in aëre fieri posse ex terræ portiunculis è puluere sublatis vi siderum, & pisciculos,& ranas interdum. *3 Opin.*

Alii dicunt vi dæmonum: nam & lacte,& sanguine,& carne,& ferro,& lateribus coctis,& lana in historiis Romanis legimus pluisse.Item armorum strepitus,& homines armati visi sunt in aëre,teste Plinio,& Iosepho, & libris Machabæorum. *4.Opin.*

Nos autem peritiorem in hoc physiologismo existimemus Albertum, & vni Telesio cedere.

Quod autem Aristoteles decipiatur,patet,quoniam lapis, qui cecidit apud Castrouillarum in Calabria sub Telesio triginta tres libras ponderis habens, non pumiceus, sed instar ferri,sulphur olebat,& impetuoso decidit motu, & fragore ingenti, terrámque ictam exussit,& in profundum se immersit palmos duodecim,& liquefecit tellurem adiacentem,& nullis præcedentibus ventis,sed diuturno æstu,& serenitate: si autem à vento euectus esset,sulphureus non fuisset,neque accendisset tacta, neque tortuosè cecidisset. Præterea nulla vis ventorum tanta est, vt lapides tam grandes sursum eleuet vnquam; multo autem minus,vt accendat. Præterea venti tortuosè feruntur,& obliquè super terram.Idcircò sursum lapides rectà perducere nequeunt. Quid autem dicet de lacte,sanguine,& animalculis,&c.Quapropter melius est,quoniam tellus crassa eò efferri nequit, in minutias fuligineásque actam attollere vt facilè est: ac exinde per accensionem conflatis fuliginibus rem duram gignere; quæ impetu ignis feratur sursum, pondere deorsum,& ideo tortuosa via,& calore nimio vrere,ac liquefacere,vt in textu dictum est. Vide Textum.


Ad primum Resp. quod non omnis concretio in aëre fit à frigore; sed enim, & à calore erumpente, & fuligines liquefaciente, & abscessu tenuitatis compingente, & complexu simul crassitiei infestantis magis spissante, rationabiliter concretiones hasce decernimus.Neque primum grandines a frigore densari dicimus, vt patet in textu.

Ad secundum Anaxagoræ delirium esse putamus, quod sit lapis ignitus, sed forsan systema solidum intellexit. Prophetiam verò eius non ex Positionis veritate verificatam, sed fatidico spiritu. Multa quidem diuinauit Anaxagoras, sed non propterea positio vera est, cum constet aliunde esse prophetiam. Neque enim si dicam, in mense Maij, die plenilunij pluiturum, quoniam luna aqueæ est substantiæ: propterea erit aquea Luna, si pluet: nam constat aliunde pluuiam posse euenire, & me prophetare afflatu numinis, vel ex Astrologia. Quomodo enim Sol in sublimi subsisteret se lapidem tam ingentem, si frustula eius minus ponderosa sustineri secum non possunt? Demon quoque potuit se immiscere, vt tanquam vates coleretur, & ipse lapides dimisit.

Ad tertium, Albertus rectè dixit, si modum concretionis animaduertisset omninò, Telesio diligentissimo seruatum, vt patet in Opusculo eius de fulmine.

Ad quartum concedimus, Dæmones rectores aëris, teste Apostolo, prodigia multa facere, & apparitiones: posse quoque eorum opera lapides multos eleuari, lateres, & lanam, & sanguinem, vt sæpè contingit, sed naturaliter fieri lapides aliquos, non plurimos simul, haud negamus. Quin etiam Dæmonis opera colligi fuligines, & igniri, & fulmina fieri applicando actiua passiuis etiam concedimus cum D. Augustino. Et quidem lapis niger parum transpicuus, qui lapidem, nec metallum præ se fert, sed quid mistum ex his, qui nunc in Templo Sanctæ Sabinæ adseruatur Romæ, & à Diabolo contra sanctum Dominicum orantem demissus narratur, absque vlla dubitatione videtur mihi opera Dæmonis concreuisse, naturæ viribus vtentis: vas oblatum de choro Diabolorum, & sagarum, & datum Regi Anglorum, eiusdem misturæ quoque esse scribunt, sed de his alibi. Nihil negem tamen ex cadaueribus eleuari posse vapores post bellum multos, qui concrescant in sanguinem iuxtà temperiem aëris illis accommodam. De pisciculis, & ranis palam est, quod fiant guttis in puluerem decidentibus calidis crassisque, & spiritum cogentibus viscoso ex puluere facta crusta, & carne, qui subito organa facilia efformet, nec tamen semper ita repente compleat corpus, quoniam Helianus in itinere Puteolano musculos partim terreos, partim carneos ex puluere cadente pluuia suboriri conspexit, & historiæ mandauit. Multum ad hoc valet mundi Harmonia illi rei tunc attemperata: solæ enim stellæ sic haud conficiunt ista prorsus, vt mox dicemus. Nec sola Iouis stella fulminat, vt antiqui fabulantur; nec Deus, nisi per naturam, & concursum causarum multarum ob fines in textu, & in Metaph. declaratos, quando miracula non facit.

Sunt qui negant concretiones ferro-lapideas cadere & fulminare: sed impetum aëris putant esse. At sulfuris & ignitionis causam non reddunt: nec cur Tholum templi S. Andreæ Romæ perforauit in vtroque muro: & saxometallicæ molis sæpè visæ, arguuntur experientia. Ventus autem forare non potest impactus muro, sed difflatur in latera, &c.



QVÆST. XXIII.

DE FVLGETRIS, ET CORRVSCATIONE, ET LVMINOSIS SPECIEBVS.

Vtrùm Fulgetra omnia sint ab accensione exhalationis, alteriusvè materiæ in Aëre.

ARTIC. I.

VIDETVR antiquioribus accensione Fulgetrum fieri, sed Emped. à radio Solis inter nebulas retento accendi, & fulgurare putat, ex collisione verò nubis tonare. Anaxag. ex igne ab æthere delapso seruatóque in nube. Alii adducunt ignem ad exhalationem vrendam, vel excitum motione spiritus, vt Diogenes, vel

delapsum

delapsum à supero igne ad somitem, ait Arist. qui etiam posse fieri ignitionem elisione, vt nucleus ex digitis expressus. Quamuis in modo accensionis fallantur. Neque enim radius Solis detinetur in nube, neque cadit ignis purus à loco suo: neque motus vllus accendit vaporem, sed dispergit, vt probauimus in Quæst. de Tonitruo.


Nihilominus quod accensione fiat probari potest, quoniam lucet, & ignis speciem ostendit.

2. Item stellas cadentes, faces, aliásque impressiones ignitas in aëre fieri in textu concessum est.

3. Quoniam Castores ignes in nauibus post naufragia, & in sepulchretis, & patibulis suspendiosorum; & dum milites ad bellum inflammantur: & dum aliqui dormiunt, in eorum vultibus & coma apparent, vt Virgilius, & Titus Liuius, & alii multi testantur.

4. Recentissimus autor modum accensionis ostendit ex hoc, quod vapores oleaginosi pingues ex bituminatis, & letamatis terris, & sulphureis, & animalium sudoribus exhalant; quorum in aëre facilior est accensio accersito igne à suprema regione in æstate. Alibi à Sole per refractionem radiorum idem docet. Item Aqua-vita cui infusa est Camphora, ex ella accensa euaporans implet cubiculum; & vbi ad accensam candelam peruenit, totum cubiculum ardere à summo vsque deorsum apparet: sic ergò in aëre fiunt coruscationes ex talibus vaporibus: alias exhalationes accendi posse non putant.

SED Contra sunt in textu experimenta: cum enim noctu coruscat, non semel sed millies repeti videas fulgores in eodem loco. Vapor autem pinguis, seu exhalatio, totus simul perit, consumitúrque: vnde autem statim tot oleaginosi vapores à summo vsque ad inum cæli succedunt, vt tot fulgetra fieri queant? Neque in cubiculo vineus vapor camphoratus, nisi semel totus coruscat. Quapropter fateri oportet, quod ad lucem solis vmbram terræ sua magnitudine communicantem, nubes emergendo ex vmbra illustrantur, & per totam suppositam regionem reflexam lucem reflectunt, illustrántque, & aliquando de nube in nubem lux reflexa ad nos deuenit: sit Sol in A. Terra in B. vmbra. C. oculus in superficie terræ. E. nubes intra vmbram ex vmbra transeant ad F. & ad G. tunc necesse est vt reflectant lucem ad E. & ad se inuicem, quod nemini spectanti Fulgetra non innotescit: sic etiam vbi arena in aërem noctu ventus effert in Lybia solet euenire: & in conflagratione Puteolana lux de cinere in aërem elato tota fulsit nocte, teste Simone Portio.



Ad primum concedo speciem ignis, lux enim Solis ignea est. Quando autem sentitur sulphuris odor, & accensio aliqua ex fulgore in rebus nostratibus fit, tunc proculdubio vapor bituminosus accensus fuit sulphureúsve, vt & nos in textu diximus. At non fit nisi vna fulsio tunc temporis, non mille, & plures, vt in fulgetris iam dictis.

Ad secundum ergò patet responsio; stellæ enim cadentes semel in eodem fulgent vapore statim consumptili, sic & aliæ ignitæ in aëre apparitiones.

Ad tertium dicimus hos ignes fieri pingui vapore calido à frigore exteriori vnito, accensóque sui vnione, radij enim Solis vniti vrunt non autem sparsi: sic potest iis euenire. At si subito non consumuntur, splendores esse nocturnarum lucum oportet. Videmus enim Echinorum testas intraneas, piscium squammas, putrida ligna, & cicindularum caudas in nocte lucere: adde oculos catorum, quæ in die luce solis victa non lucent: sic & aqua marina, non sub dio tantum, vt Aristoteles dicit, ex reflexione stellarum; sed etiam intra cubiculum in obscurissimo loco, vbi necunde refulget, com-

mota fulget. Vnde Cleodemus ruditer, ab Aristot. reprehensus, argumentabatur fulgorem tonitrui esse absque igne, non rectè quidem de tonitruo cum accendat obstantia, & sulphur oleat: sed rectè de Fulgetris & Castoribus. Etenim ex vapore maris falso fulgidóque, & ex flatibus nauigantium in malo, aut puppi nauigiorum, post naufragia visuntur quasi ignes. Quos prisci Castori, & Polluci, quoniam in eorum capitibus dum nauigarent cum Argonautis, teste Valerio Flacco, visi sunt, omenque sedatæ tempestatis acceperunt, attribuebant. Nostri verò sancto Etasmo, vel Telmo, quoniam dum nauigarent cum eo nautæ in Orientem, viderunt hoc in eo omen. Plinius in hastis, & capitibus militum, & in nauigiis non sine prænunciatione videri dicit. Alii irrident quasi superstitionem, sed re vera possunt Angeli, & Diaboli vti iis ignibus ad consolationem, vel desperationem, & Deus enim apparuit per Angelum in rubi flamma non vrente: & in magnis rerum mutationibus apparent ignes, & in sacris etiam apud Hebræos: & cum Christiani Turcarum mancipia, Turcas ducatum triremium interficere, & occupare triremes pararent; Petrus Athanasius, facinoris autor, ignem de cælo in eas descendisse blandum, & quasi cohortantem mihi narrauit; vnde arreptis animis in Turcas dominos insiluerunt, viceruntque. Nouitius quidam frater sanctæ Mariæ de Sanitate Neapoli, quoties intrabat, aut exibat de cella, locum dabat Angelo custodi, quem credebat semper secum ambulare: ac semel in pio gestu vidit specie ignis Angelum, sic Iosue: quapropter cum corpora regantur ab intelligentiis proculdubio fiunt ostensiones ab eis, quamuis in naturalibus: vnde pro conditione Angelorum idem signum aliis salutare, aliis noxium. Naturalis est iris, & tamen Dei signum, etenim & Lunæ influxu vtuntur Diaboli in demonoplexia, de hisin Metaph.

Quidam curiosi accedentes ad hos ignes nil viderunt, vnde Xenophanes ad certum motum videri modò lucidas posuit nebulas esse. Alii scintillas ex oculis micantes, quidam miles, floccum aqua madidum, cum experiretur, se vidisse narrauit. Haud tamen omnia ostenta eiusmodi. Plinius plurima expertus in maiestate naturæ abdita esse fatetur, quoniam præsagia mira in se habet: nec casu fieri, sed propter finem, vt Etrusci etiam olim augures, & Theologi, Seneca referente, opinabantur; sic trabes, foueæ, scuta, lampades, bolidæ, capræ saltantes, aliique diuersorum colorum, & figurarum ignes.

Ad quartum: nequaquam putandum, quod solum pingues, & oleaginosi vapores accenduntur: cum omnis exhalatio restricta idem patiatur, & fumus non solum candelæ, sed cuiusque ligni suppositi lucernæ accersit ad se deorsum ignem lucernæ. Haud tamen inficiandum quin sulphurei pingues, salsique melius accendantur: nec tamen oportet ex solis præfatis rebus educi, sed etiam à calore gigni, alioquin non esset generatio transmutatio; sed transpositio tantum: sicut ergò calor in cortice Arangii humiditatem gignit accendibilem velocius atque aquam vitæ: & in corpore caballi, & hominis stercora salsa, pinguia, vnde educit Sol inflammabiles vapores, & alibi bitumen, alibi sulphur; sic etiam vapores, quos è terra educit pro viribus educentis, & recipientis dispositione, alios accensioni aptiores facit, alios minus. Accendi autē vel à nube grauatos coactósq; vt fœnum strictum vidimus accendi: vel à frigore vt è naribus muli cum lupo pugnantis assolet calidus vapor cogi ignirique, vel à Solis radiis è superiori nube reflexis, vnitque in vaporem sulphureum. Quapropter quod Aristoteles, & iste autor è Sphera ignis trahunt accensionem, falsum videri debet, cum propè terram sæpè incendantur, & in vmbra, & ignis non descendat, nisi exhalatio ipsum tangat: & napta enim odore intermedio transpirante ignem accipit. Ipsis verò contrarium peripateticis: qui inter vapores hosce & ignem, frigidam aëris regionem interponunt, alioquin non putant posse generari aquam: perperam cum in operculis ollarum & alembicis fiant aquæ sine frigore; & pluuiæ sub calidissimo æquatore plurimæ fiant, & grandiores: vbi negant etiam aliqui ex eis esse intermedium frigus. Quomodo ergò ignis per frigora descendet, aut allici potest. Quod autem ex elisione fingunt, puerile est. Elisio enim stringentibus digitis duro osse plenis

fit. Nubes caret craſſitie,dura, nec ſtringit expreſſione; nec erumpit quod latet,niſi amplius,robuſtiuſque factum: amplius,robuſtiuſque non fit,niſi accendatur: propterea de tonitruo loquentes fieri non poſſe diximus,vt ex eruptione accendatur; ſed erumpere, quia iam accenſus erat,ſed vnde tot fulgetra,nec dicere audent.



QVÆSTIO XXIIII.

DE COMETIS.



DISTINGVNTVR Cometæ ſitu,figura,motu, colore,& magnitudine, duratione.

Alii enim fiunt intra tropicos,& raro;alii extrà, præcipuè ad lacteum circulum. Alii per ſe ſeorſum à ſtellis fixis,& errantibus. Alii videntur ſectari vnam ex fixis,vel errantibus,& ipſis quaſi cauda, aut barba eſſe, vnde dicuntur Cometæ caudati,aut barbati. Alii videntur fieri propè Lunæ circulum: Aliæ Iouis,aut Saturni,aut Mercurij,& nouiſſime in ſigno Caſſiopeæ in ſtellato cælo factus eſt Cometes anno 1572. à Thycone multiſque Mathematicis deſcriptus: quam ſtellam eſſe nouam dicunt, tum quia in cœlo ſtellato,tum quia æque cum ſuis eiuſdem aſteriſmi ſodalibus mouebatur. At eiuſmodi ſitum eis aſſignare cogimur,quoniam parallaxis nulla illi fuit, ſitus etiam aliarum ex eadem parallaxis ratione Metaphyſici optimi probant,ſtatuuntque.

Figuram alii habent inſtar ſtellæ caudam emittentis vſque ad triginta aut quadraginta,aut octoginta gradus; quaſi radios,& capillos;proptereaque comata dicitur ſtella, & Cometes. Alii formam gladii,alii hominis referunt, alii aliam, ſunt quæ nec ſtellæ baſim habent,ſed quaſi trabes,aut lancea,aut penna, qualem in anno 1618. vidimus protenſam à 20. Virginis gradu,vſque ad finem propè Scorpionis, occupantem Craterem, Coruum,Hydram,Centaurum, & Feram. Alii alias ſortiuntur figuras, quas in medio quaſi curuatas etiam obtinent.

Magnitudo non omnibus eadem,aliæ enim viginti gradus;alii ſignum vnum,alii duo, alii tria occupant:ſed non memini nonaginta gradus vllam exceſſiſſe. Color aliis albus, aliis flauus,aliis cineritius;aliis rubeus: aliis ſplendidus,& micans;aliis ſubobſcurus, aliis varius.

Motum ſortiuntur alii cum fixis æqualem,aut cum Planeta,cui alligantur: alii ſeorſum,& de ſe mouentur ab ortu in occaſum;alii ab occaſu in ortum;alii ad Boream; alii ad Auſtrum,alii intermedias in regiones.Quem enim obſeruaui anno 1618. ex lancibus per Coronam in Bootem excurrebat; donec in caudam Vrſæ maioris deuenit,vbi poſt triginta dies extinctus eſt.

Motus aliis velocior,aliis tardior;alii vno die gradum vnum, alii plures conficiunt; & variant: alii ſeruant tenorem velocitatis,& tarditatis à principio.

Tempus durationis breuiſſimum eſt dierum ſeptem,aliorum eſt per quindecim dies, & per menſem,vt plurimum,ſed per ſex menſes; & per annum,qui ſub Tito Hieroſolymis imminebat: & alii quatuordecim menſes fulſere: omnes tamen deſinunt euaneſcentes.Alij mutantur colore,alii in eodem perſeuerantes.

Vtrùm Cometes fiat ſublunari in regione ex incraſſata accenſa per motum exhalatione; ac poſtmodum nutrita quemadmodum Ariſtoteli placet.

ARTIC. I.

1. ARiſtoteles primò Meteor.ſumma 2.cap.1.docens eorum, quę in aëre fiunt, duplicis naturæ vaporem materiam eſſe: alterum ſiccum, & ſpirituoſum,ex terra eductum;alterum humidum ex aquis, hunc facit materiam pluuiæ,roris,niuis,grandinis; illum ventorum,ſiderum currentium,& omnium impreſſionum ignitarum.

2. Cauſam accenſionis inquirens,dicit,quod ſub cælo immediatè ſitum eſt,eſſe exhalationem hanc accendibilem facilè: & propterea ὑπέκκαυμα hoc eſt ſuccenſionis fomitem,ſuccendi verò agitatione,ac motu cæleſtium corporum, at pro materiæ accendibilis ſitu,& copia fieri differentiam: cum enim eſt in latum, & in longum fit flamma, qualis ſtipularum,ſi in longitudinem ſolum accendatur, fiunt trabes & capræ, & currentia ſidera.

Quarum quædam fit,vt fumus lucernæ ſuperaccenſus ab altera lucerna ſuperius poſita.Quædam verò,vt nucleus diſſiliens è digitis: ſic enim è nubibus coactis gelu, expreſſus ignitus vapor diſſilit deorſum, & quorumlibet.

4. Mox in cap. 4. eiuſdem declarans,quo pacto fiunt Cometæ præſupponit, quod ſub Lunari Sphera eſt corpus, totum eſſe exhalationem accendibilem: ſub qua deinde ſubeſt aër,& vtrumque ſimul agitari gyro ex motu cæli,& propterea accendi,& fieri ſtellas currentes, & capreas ſaltantes, aliaſque impreſſiones ignitas, quæ ſubito diſpereunt.

5. Cometas tunc fieri,cum principium igneum inciderit in denſitatem,quod principium factum à conuerſione cæli,non adeò copioſum ſit, vt citò, & quam plurimum comburat: nec ita debile, vt extinguatur cito; ſed amplum,& copioſum,& ſimul ex infero loco contingit aſcendere exhalationem aptè temperatam. Hæc autem temperies apta accenſioni durabili videtur Ariſtoteli eſſe condenſatio ipſius exhalationis: quam fieri vult à conuerſione cæli, vt ibidem patet: & expoſitorum teſtimonio, & Ariſt. mox docet Cometem fieri quando a toto cælo motu concretio,ſeu denſatio fit, quando verò fit ab aliqua ſtella,ſiue errante,ſiue fixa; tunc illius ſtellæ fit quaſi barba, aut cauda.

6. Non tamen in illa exiſtit,ſed in infero cælo,id eſt aëre,& refertur ad ſtellam, ſicut area ad Lunam.

7. Nutrit tamen Cometam,vt duret,exhalatione ab infero loco craſſiuſcula,ſed accendit in ea,quæ ſubeſt cælo,vocata fomite, ſeu ὑπέκκαυμα.

SED Contra eſt rerum natura, quæ conſtanter docet, omnem exhalationem ſubito totam accendi, & in tenuitatem inuiſibilem abſumi: quod ſtellis cadentibus, aliiſque impreſſionibus ignitis euenire, & ſenſus teſtatur, & ipſemet Ariſtoteles, & ratio: Siquidem exhalatio res tenuis eſt ſubſtantiæ, facilèque accendibilis, tenuitas autem igni pabulum non præſtat; ſed ſtatim euaneſcit. Nullo enim negotio impedimentóve ignescit, quod autem ignitur in tenuitatem abit inuiſilem, vt flammæ apud nos declarant in fumo accenſæ.

Præterea & ſi craſſa eſſet exhalatio, vti palea, quæ in ſuperum locum eleuari non poteſt, aut vti bellicus puluis, qui ſurſum non effertur, aut vti aqua viris, ramque copioſa, vt montes Lybani adæquet,non poſſet quidem durare per diem vnum; imò nec per horam, quin abſumpta in tenuitatem euaneſcat. Quanto ergò magis exhalatio adeò tenuis, vt ad ſublunarem locum efferatur? Neque enim quæ craſſiuſcula eſt eouſque attollitur: nec ſublata, accenſaque non ſubitò pereat: id eſt per aërem cælumque eat, inuiſile redacta in ens. Cometes autem durat per menſem, & annum.

At Aristoteles concrescere vult, esseque benè copiosam, vt sufficiat accensioni diuturnæ. Sed si concrescat quantum bellicus puluis, aut palea, id quod nec fieri potest, & sit quanta est tellus, non durabit per mensem; nec per diem. Præterea concrescere non potest a motu cæli, vt Arist. fingit. Motus enim diurnus disgregat dissoluitque: vt ipsemet Arist. in primo Meteororum 2. cap. 4. affirmat, dum propterea non intra tropicos fieri cometas statuit, quod solis & astrorum motus disgregat, quod constitit concrescitque. Experientia quoque idem admonet. Præterea idem Arist. primo Meteor. sum. p. cap. 4. docet non fieri nubes in superiori regione quoniam radij siderum disgregant, attenuantque consistentiam: idemmet docet, quia prope ignem attenuantur, qui est sub Luna, & paulò post: sufficiens est, inquit, vna solis latio tantum disgregare aërem, & ignire; & 2. de cælo tex. 42. sagittas motu disgregari plumbeas, ita vt liquescant: quare miror quomodo naturæ decreta propriaque etiam benè alias fundata euertit Arist. vt præsentem positionem falsam tueatur, motum scilicet faciendo causam condensationis: quod sui acceptant, alij dissimulant; voluntque exhalationem aëris humore concrescere, vel succedentis humidi vaporis aggregatione, & sicut stuppa, quam cera vestit longo tempore durare instar candelæ.

Sed & isti longè etiam aberrant magis. Aër enim tenuis ita est, vt non amplius accendibilis sit: nec vspiam visus est accendi vnquam; quod intra Tropicos factum esse oportuisset, vt totus aër comburatur: ea enim entia accenduntur, quæ ab igne non sunt deuicta, inque tenuitatem acta: propterea enim ignit ignis, vt vincat crassitatem inque sui sedem, tenuissimam scilicet conuertat: Actio enim cessat cum similitudinem agentis totam patiens accepit: tenuis ergò aër non est accendibilis. Ergò non potest exhalationi dare crassitatem, vt accendi queat duretque tanto tempore accensio: præsertim aër ille supremus tenuior inferiori. Cera nutrit paulatim ignem mixi, quia non tota ponitur intra ignem: at exhalatio intra spheram ignis tota subito distribuitur: tota crassa cousque non penetrat, nec ad aëris supremam regionem, nec ad infimam.

Qui vero vapore crasso nutriunt exhalationem non minus ridiculi apparent: siquidem vapor nullus, nisi tenuis ad locum Cometarum eleuatur: qui sanè statim accensus instar fumi lucernæ suppositæ, abit in inuisibilem tenuitatem; eoque magis, quod vapores illi sulphurei sunt, instarque bellici pulueris inflãmabiles. Præterea, vt supra ostendimus, exhalatio à vapore nil differt, nisi quod illa tenuior; igiturque humidior est (omne enim tenue humidum est ipsi quoque Arist. in 2. de gener. tex. 9. & nobis) quamobrem vapor iste etiamsi aqueus esset, qualis aqua vitis vocata, statim inuisibilis ex accensione fieret. Præterea fieri non potest, vt intra tenuem agitatumque incessanter aërem, vapor continuè accedat ad nutrimentum exhalationis accensæ, in eadem forma, & copia, in qua perseuerare videtur Cometes per mensem, & annum; vtque sol tam cito educat vaporem tantum incessanter, & tam rapido motu sursum attollat, inflammetque in eadem figura, & quantitate, veluti oleum succedit in ardente lucernæ mixo, cum præsertim terræ magnitudinem Cometes adæquet, imo viginti duobus vicibus aliquando excedat, vt Mathematici probant, ita quod continua exhalatio viginti annorum, non sufficit ad incendium Cometicum vnius horæ. Præterea Cometes in gyrum fertur aliquando vnà cum stellis, & sole, totamque perambulat super terram. Non potest autem fingi, quod vapor continuò ascendat ex aliis terræ partibus, & maris per gyrum, & tota subito, & æqualis ei, quæ accenditur, consimilique figuræ. Nec si ex aliqua terræ parte, puta ex sola Italia eleuetur Cometæ vapor, quando sol in Americam transit subsequens Cometes poterit nutriri ex Italico vapore præcipuè per mensem gyrando; & variando latitudinem, & triginta fascias eiusdem vaporis circa terram exigendo. At si hoc non fit, quomodo ex Athlantico mari vapor consimilis Italico vapori subministratur, & mox ex America tellure & deinde ex aliis terris Americæ Septemtrionalis, & Occidentalis, & tandem ex Iapone, & Chinis, India, & Perside, & Syria, & Græcia, aliisque partibus eiusdem paralelli tam dissimilibus, per quem circumuoluitur Cometes, & continuò consimilis in copia, & velocitate ascendendi sursum, & figura, eleuari queat.

Augetur etiam difficultas in Cometa in Boream rapido motu simul rapto.

Hoc non declarant, nec animaduertere volunt Peripatetici, Aristotelis, & non Dei

potius admiratores, & perſcrutatores inertes. Quæ etiam diximus in hoc contra rationem Ariſtot. qua circulum facit lacteum, etiam contra Cometem ſuum valent. Sed præcipuè illud, quod Cometæ fiunt ſupra lunam, nedum in ſublunari regione. Thyconi autem omnes ſupra lunam fieri probantur in proprio de Cometis commentario, & in progymnaſmatis. At euſque exhalatio tanta, tamque craſſa, vt menſtruæ, & annuæ ſufficiat accenſioni, prouenire non poteſt, etiam Ariſtotelis teſtimonio. Igitur eius opinio inanis eſt exploſaque parallaxis ratione, cuius diminutio ipſam ſupra lunam fieri oſtendit.

Præterea Cometes factus in Capricorno circumuoluitur ſupra terram ab ortu in occaſum ſpatio horarum octo in noſtro climate: ſub æquatore ſpatio horarum duodecim; ſub Cancro in horis ſexdecim: ergò tantum moratur ſupra terram, quantum *fixæ*, & planetæ qui diſtant à terra triginta quatuor eiuſdem Semidiametris: quarumquæque eſt 5011. miliariorum. At aëris ſuprema regio non diſtat, niſi quatuordecim miliaris, vt probant Vitellio, & alij Mathematici: ergò non appareret Cometes ſupra terram niſi his, in quorum Zenith fieret; & quidem modico tempore, ob ſui circuli anguſtias. Neque enim nubes & ſtellæ cadentes viſuntur, niſi ad quorum Zenith fiunt. Quæ fiunt in Capricorno, & æquatore nobis non apparent. Demonſtrant etiam hoc Mathematici recentiores quam doctiſſimè. Præterea cum eſſet Cometes in vertice noſtro non videretur Coma flammea, quia ſurſum extenditur: nunc autem videtur, flexa, aduerſa ad ſolem: ergò non eſt accenſa, ſed illuſtrata.

Ad primum aſſertum Ariſt. reſponſum eſt, quando de vaporum differentiis tractauimus: & quomodo nulla reperitur ſicca exhalatio niſi per accidens, quæ vocatur fuliginoſa ex intertextis eleuatiſque craſſis atomis.

Ad ſecundum dico Ariſtotelem verè inſanire; quoniam id, quod ſub luna circumfertur corpus, vocat exhalationem, & ὑπέκκαυμα, id eſt fomitem accendibilem, & non ignem potius: ſi enim datur elementum ignis in eius doctrina, & hoc non eſt cælum, vti nobis: igitur quod lunæ ſubeſt, ignis dicendum erat; & quod maximè à natura intenditur non veluti per accidens ex cæli motu fieri interdum doceat. Præterea ſi totum, quod cælo ſubeſt, exhalatio eſt; & hæc eſt accendibilis quacunque cæli agitatione: cur iam non eſt a principio rerum accenſum totumque verſum in ignem ab æterno, rapidiſſimoque cæli motu? Quod autem motus non poſſit ignem, & calorem generare in
q. 9. & 10. ſuperioribus quæſtionibus probatum eſt. Motus enim excitat incluſum latentem ignem in materia craſſa denſaque, ictus excipiente. At aër ſublunaris tenuis eſt apertum habens, expanſum, ideóque non robuſtum calorem, neque excipit ictus, ſed ſubterfugit: propterea nullo pacto ignis elementaris, nec quo ardet Cometes, à motu cæli fit vt in quæſt. 9. probatum eſt. Præterea Santuccius, & Galilæus Mathematici probi oſtendunt cælum non poſſe mouere ignem, nec aërem in gyrum exemplo vaſis aqua pleni, & circumuoluti velociter, intra quod nec aqua circumfertur, vt immotum probat pomum, nec aër vt immota candelæ flamma intrapoſitæ probat: quam nos probamus: nec niſi à ſe moueri aërem, quia eſt pars cæli, dicimus, ſi mouetur.

Ad 3. & 4. & 5. repugnatum eſt in hoc articulo, quia nec motus cæli congregat exhalationem, vt fiat apta accenſioni, nec congregata in molem tellure maiorem ardebit per diem, nedum per menſem. Probatum etiam, quod vapor à tellure, præſertim in toto ambitu motus Cometæ non poteſt ſubminiſtrari ad nutrimentum illius, præſertim in eadem quantitate, & forma.

Ad 5. & 6. replicamus, quod parallaxis diminutio oſtendit Cometas non fieri ſub luna: ſed ſupra plerumque: Thyco addit, ſemper: ergò non ſunt inſtar areæ ſub luna, quando ſtellarum caudæ apparent fixarum, vel errantium: ſi enim ſic fieret, non ex omni parte mundi apparerent in eodem loco: neque cum planetis, & fixis ferri vndique apparerent. Sed ab aliis terræ incolis alibi, vel nullibi. Hiſtoria autem docet Regiomontani, & Plinij, & ipſius Ariſtotelis, quod perpetuò inſectantur ſtellas, quaſi ipſarum barbæ: ergo apud ſtellas fiunt, & non vbi area, & halo, & parilij in aëre noſtro: quæ vndique in eodem ſitu non ſpectantur: nec niſi ſub eodem cælo degentibus.

Stupidiores quidam Peripatetici, propterea ſpectari in eodem ſitu cum ſtellis, qua-

rum sunt barbæ, opinantur, quod stellæ atque Cometæ coeant leues, & separari non posse videantur. Item quia cum sint vicini nobis Cometæ, exiguum describunt circulum: stellæ verò amplum: & ideò videntur eadem ferri velocitate cum eis, quibus sunt appositi. Perperam sanè: spatium enim inter Cometas, & fixas longè maius est in immensum, quam quod inter nos, atque Cometas. Idcircò necessario ex aliis terris seiungi à stellis, quibus appositi sunt, omnino viderentur. Nec motus in breuiori circulo quicquam prodesset considerantibus quantopere excedat distantia inter stellas, & aërem, illamque inter nos, & Cometam in aëre pendulum: vnde motus stellæ ita Cometem præterlaberetur, vt seiuncti omninò fiant; imò nec videretur Cometes in aëre, vt probat Antonius Sanctuccius. Præterea eò inculandus est Aristot. quod Cometas seorsum factos à stellis in inferiori loco eos fieri declarare nobis supponit: quamuis appositi in superiori appareant. Nihil enim prohibet quin vtrique in superiori fiant, & iam Thyconis, & Mathematicorum, & Iesuitarum obseruationes Aristotelem tanquam Mathematicæ, & Philosophiæ inscium condemnant.

Cometarum etiam generatio substulit omnem ambiguitatem Aristotelicis, suspicantibus adhuc cælum esse quintæ incorruptibilis, & impenetrabilis naturæ.

Vtrùm Cometes *sit errantium stellarum congressus, vti Anaxagoras, & Democritus opinantur.*

ARTIC. II.

Democritus autem, ac Anaxagoras putant stellarum congressum radios plures emittentium esse Cometem.

1. Hoc probant primo quoniam sæpè dissoluto Cometa apparuerunt stellę in loco dissolutionis quædam.

2. Item cum fiant supra lunam Cometæ: nec vapores eò efferantur, nec fixæ possint aliunde comam sumere, consentaneum est esse stellas errantes, quæ coire simul solent.

SED Contra hos arguit Arist. in primo Meteor. sum. 2. cap. 3. si coïtus errantium esset Cometes: ergò in omni dissolutione illius, & non in quibusdam modo fieret stellarum apparitio, quę coierant. Pręterea quando Planetæ cum fixis coëunt, quod euenire probant testimonio Ægyptiorum Mathematicorum, fieret Cometes: quod tamen, ait, non accidit, quando Iupiter Geminorum stellam coniunctione occultauit. Prætereà quanquam stellæ magnitudinis variæ sint, tamen indiuisibiles apparent. Indiuisibile autem additum indiuisibili non facit maius, præsertim tantas comas, quantæ quartam cæli partem occupent, vt solent.

SED Contra has Aristotelis rationes declamat Seneca in quæst. naturalibus, prima enim non valet, non enim adeò magnę sunt semper coeuntes stellę (diceret Democritus) quod semper dissolutæ appareant: sed sufficit quod aliquando, id est tunc cum magnitudinem visibilem habent. Ad secundam concederet Democritus, quod etiam aliquando in congressu fixarum cum errantibus fit Cometes, sed non semper, nisi cum reflexionis situm sortiuntur ad nos. Ad tertium negatur antecedens, & consequens. Nam stellæ non sunt indiuisibiles quantitate reali, nec apparente: si enim indiuisibiles realiter, nullo pacto vnquam viderentur: si etiam apparenter, multò minus. Amplius possunt, quę indiuisibiles sunt apparenter, fieri diuisibiles realiter. Nam licèt granum milij in aliqua distantia sit nobis inuisibile, & imperceptibile; tamen multa grana vnita videntur in eodem situ, sicut etiam Galaxiæ stellulæ, quæ non videntur, tamen vnitione, quasi speciem lactis ostendunt, vt Telescopio agnouimus: lacteus autem circulus nil differre à Cometa videtur Aristoteli, nisi copia, & magnitudine.

Ratio autem, qua huiusmodi opinio ritè exploditur, est quia nos, & alij Mathematici

Vera reprobat. continuò congressus Planetarum obseruantes, nunquam viderunt Cometem ex illis fieri. Sed cum non coeunt, fieri vidimus: præsertim in anno 1618. quando Planeta nullus fuit in loco duarum Cometarum nobis obseruatarum: erant autem fixæ, sed non faciebant comam. Nam alter Cometes ex lancibus per Coronam, & Bootem excurrens, in caudam Vrsæ maioris tandem prouenit, ibique dissolutus est. Oportebat autem in illo mense nouembris in quo durauit, fieri plures reflexiones eiusdem Cometæ nouas, quando nouas stellas adibat: vel lances migrasse cum illo; quod non accidit, sed ferebatur proprio cum capite, propriisque capillis.

Præterea vt Seneca considerat, congressus Planetarum inter se, aut cum fixis non durat per vnum diem. Cometes autem durat per mensem & annum: & his rationibus nulla responsio prodest.

Vtrùm Cometes sit vna de stellis errantibus in aliis systematibus supra fixas: quæ ad nos aliquando descendunt, vti Pythagoricis videtur multis.

ARTIC. III.

1. Opinio. Videtur quidem Pythagoræis non Ignobilibus Cometes esse vna de errantibus, quæ ad nostrũ descendunt cælum, iterumque ad suam reuertuntur; & post multum temporis apparent iterum, prout ad imam descendunt absidem. Probat hoc Gemma Phrisius, quoniam stella noua visa in anno 15[illegible]2 in sedili Cassiopeæ, paulatim cæpit post decem menses subobscurari, ac minui: & tandem disparuit, more eorum, quæ a nobis paulatim recedunt: & quidem alij comam deferre semper secum putant, alij verò à terra nostra attrahere humorem, in quo noster ad solem retractus visus comam quasi videt: id dixit Hippocrates Chius, & Eschilus Pytagorici ambo.

Contra hos Arist. nihil opponit, nisi quod errantes intra tropicos spatiantur, cometæ autem extra. Sed contra Aristotelem exclamat Seneca, quis confines posuit errantibus; nam & planetæ nostri mundi intra tropicos spatientur nostros, haud tamen propterea omnes aliorum systematum eadem incedant via. Ideóque angusti animi est putare omnia errantia angustiari debere intra Tropicos nostros: sicuti si quis elephantos vellet solum in Africa contineri. Præterea, ait, cur non videntur ad Austrum Cometæ, sed plurimi ad Boream, & præsertim in Galaxia.

Respondent Pythagorici: quoniam intra tropicos vapor humidus ex arida terra eleuari non potest. Ad Austrum verò vltra Capricornum etsi eleuatur, non tamen relucet nobis; quoniam paralellæ viæ solis portionem exiguam ibi habent super horizontem nostrum, nec proinde refrangere posse nostrum visum ad solem, sicuti in Boreali extra Cancrum regione, vbi maior sectio supra finitorem, ita vt refrangant vapores visum ad solem.

Sed Arist. arguit contra eos, quoniam oporteret apparere stellam hanc aliquando etiam sine coma. Item omnes planetas fieri comatos. Nec verum est, quod intra tropicos & Austrum cometes non fit. Etenim, ait, magnus cometes factus est, cum terremotus concussit Achaïam, ab occasibus Æquinoctialibus, idest in medio Tropicorum. Item sub Eucleo, Molonis, Rege factus est Cometes ad Austrum extra Capricornum. Hoc etiam nos obseruauimus in anno 1618. quando factus est Cometes instar plumæ Aquilinæ propè Tropicum hyemalem, longus ex vigesimo gradu Virginis, vsque ad decimum nonum Scorpij, transiens ex Cratere per Coruum, & Centaurum vsque ad Feræ pectus: non tamen vltra. Præterea addunt Peripatetici: si Cometes esset apparens oculorum refractio non posset videri in speculo, vel in fluuio per aliam refractionem.

Item, ait, Arist. Cometæ multi per se fiunt, & sæpius, quàm circa stellas, & per se mouentur: ergò non sunt ipsæ caudæ. At

At rationes istæ no conuincunt: quoniam & planetæ omnes comam assumunt: at qui dicunt ex alio mundo ad nostrum descendere, nec conuincuntur Aristotelis argumento vllo: neque in eos est inuectus, nisi per hoc, quod omnes planetæ sunt intra Zodiacum, id quod Seneca negat pro eis.

Qui verò dicunt à nostra tellure humorem trahere, neque ab Aristotele conuincuntur per hoc, quod fiunt etiam intra Tropicos, & ad Austrum: id enim raro euenit, quia raro hinc vapores attrahunt ex mari Athlantico, & Eoo, Pacifico, etsi non ex Africana, nec Americana terra. Ad Austrum verò fieri negarent illi, & Arist. testimonium non euincit, quoniam fortè factus est ille sub Eucle Aristoteli obseruatus statim extra Tropicum, quemadmodum ego obseruaui alterum iam dictum statim intra: non autem ad paralellos minores ad antarticam tellurem.

Vltima ratio nulla, quoniam, & Iris, & Halo, & Parilij visuntur in speculo, quamuis sint refractiones. Præterea nec propterea non sunt refractiones quia fiunt per se seorsum à Planetis, & sole: sufficit enim, vt à sole lucem excipere ad nos queant.

Rationes autem efficaciores, quibus premuntur huius assertionis autores, sunt hæ. Primò quoniam non obseruant apparitiones planetarum: hi enim cum in superiori sunt abside parum aut nihil videntur: Mox descendendo apparent paulatim grandiores, & lucidiores, vti Mars facile ostendit: deinde humillimi facti, sunt maximæ molis, & lucentissimi: cum verò mox eleuantur, paulatim magnitudo, & lux disparet. At cometes cum primò apparet maximam sui quantitatem, & lucem ostentat. Deinde paulatim minuitur, donec euanescat: Ergò non descendit à superioribus in principio, sed vel ascendit a terra ad superiora, vel fit, & paulatim interit. Quod necessariò asserendum, si ex terra exhalante capit originem. At si quis respondeat, principium apparitionis exilis propter exilitatem latere: at quando nobis apparet benè magnum, iam descendisse, nosque mouisse ad sui considerationem, profectò voluntariè respondeat: plurimi enim ab obseruatoribus conspecti sunt semper à principio maximi: & nullus minoris molis. Et quoniam per annum aliqui durant vtique in tribus primis mensibus exigui apparere deberent. Similiter qui obseruatus est in anno 1618. post primum, à vigilantibus multas præcedentes noctes super primo deprehensus est ad lances libræ, & tamen in magnitudine sui maxima: & ego oculatus sum testis. Præterea cum tam subito appareat magnus, & tandiu perseueret in sua magnitudine, hoc est per mensem, si mouetur in epycicło, necessario ille epicyclus excedet sphæram Martis, nedum Epicyclum Veneris in diametro; ergò longè maior est vniuersitas, & systema, quod ambit toto nostro mundo à Saturno vsque ad suum diametrum. Præterea rediret ad nos in suo circulo per certa quædam tempora, sicuti Mars ad suum absidem. At nulla est certitudo, & mensura ipsorum motus, qualis est planetarum: Ergò non videtur esse vna de stellis aliorum mundorum: neque plures, seruarent enim reuersionis, & apparitionis, & figuræ & magnitudinis tempora, & numeros, & mensuras certas; id quod historiam ipsorum considerantibus deprehenditur fallax. Præterea alij mouentur ab ortu ad occasum; alij è contra. Ergò non sunt vnus planeta alterius mundi: nec in eodem circulo; vel sunt tot circuli, quot cometæ. At hoc natura negat nil superfluum faciens. Præterea si stella hæc attrahit humorem, vt isti dicunt, sol, & planetæ attraherent: sed absque humore ex sola nube fieri reflexiones palam est. Nec credo Hippocrates humorem dixerit, vt Arist. ei impingit, sed vaporem ex humentibus rebus, qui ex sua causa humores appellantur. Præterea in hoc incusandi sunt hi Pythagorici, quod spectantes, & confitentes comam fieri ex refractione lucis solaris, etiam stellam ipsam ab eadem luce fieri non statuerint: cum videamus in Phialis, & in nubibus lucem solarem, quasi stellam comatam ad auersam effingere partem; id quod aliis Pythagoricis placuisse ex dictis Aristotelis, & Plutarchi liquidò constat. Idem ex situ comæ manifestatur. Si enim sol est in horizonte cometes Matutinus ab eo emittit comas in Occidentem, & si simul sol est in australi plaga, cometes mit-

tit comas in Occidentem, & in Boream simul. Si vero à sole Vespertinus est cometes Occidente sole ipse apparet comas ad Orientem protendens, vt nulli dubium sit cometem totum non accensione vaporum, sed illuminatione tantum fieri.

Vtrùm Cometes fiat ex incorruptibili Galaxia, moueaturque per circulum magnum circa Solem, accipiatque à venere refractionem lucis: & incuruetur aliquando, quia quæ pars minus distat, videtur curua, vt docet Thycho Brahæ in libro de Cometis, & in progymnasmatis.

ARTIC. IX.

Probat Thyco, & Santuccius, eosque secuti recentiores, fieri Cometas supra lunam, & in cælo etiam stellato, quoniam parallaxis diminutio, & nullitas hoc docent. Item addunt.

2. Secundo quoniam Telescopium res vicinas magnificat longe magis quam distantes, minimè autem distantissimas: vnde stellas fixas, teste Galilæo, quasi nihil amplificat. Sed cometes visus per Telescopium, vel nihil, vel modicum augetur, ergò distat valdè à nobis, & est in mundo sidereo.

3. Quoniam fit sæpè in Galaxia erit ex substantia Galaxiæ factus incorrupta. Nam vapores terræ non possunt incorruptibile cælum penetrare.

4. Motus qui fiunt in circulis maximis, apparent fieri quasi in linea recta. Sed motus cometarum apparet in linea recta: ergò est in circulo maximo.

5. Obseruat Thycho in cometa Vespertino, qui apparuit anno 1577. quod primo soli proximus videbatur; deinde paulatim ab eo recessit secundum ordinem signorum, & minuebatur in magnitudine; quod euenit planetis circa solem ascendentibus ad absidem; & deinde cæpit soli propinquare, ritu Veneris, & Mercurij: ergò mouetur in circulo circa solem. Sed quoniam recessit à sole gradibus sexaginta: circulus eius maior est circulo Veneris, quæ solum gradibus quadraginta octo à sole recedit vltro citroque. Ergò eius motus est in circulo maximo, cuius diameter forsan est centum viginti graduum.

6. Quoniam eius coma Veneri, & non recta ex auersa parte videbatur, à Venere lucem recipit.

7. Quoniam incuruatur aliquando coma, hoc accidet quoniam pars eius vicinior faciebat incuruatam videri, vt ostendit Vitellio, & alij Prospectiui.

Sed profectò circa materiam errat Thyco: si enim cælum incorruptibile, non poterit conuerti in cometam, nisi prius corrumpatur. Item nec Galaxia est densior cæli pars, ex qua materia cometarum excauetur. Sed stellulæ minutæ. Præterea in Galaxia australi cometæ non fiunt nobis, sed forsan Australibus incolis: & quidem faciendi essent, quoniam illi non reflexiones, sicut Pythagoræis, sed reales luces videntur cometæ, & proprium sortiti circulum. Poterat admoneri Thyco, quod si vapores terræ eousque non ascendunt, esse substantiam cæli mutabilem, & corruptibilem, vt docet sacra scriptura; vel si ascendunt, similiter: alteratur enim, quod penetratur ab alterabili alterante: nec fingere generationem sine corruptione: nec bonus Aristotelicus, nec bonus Pythagoricus existimatur.

Quod verò postremo asserit à Venere esse reflexionem, omninò falsum est: cum om-

nes tum antiqui, tum recentiores obseruatores, præsertim Sanctucius, & Galilæus, ad solem recta reflexione cometicam faciant, & nos ita esse perpetuò obseruauimus in quinque cometis. Veneris etiam lux modica crescens decrescensque instar lunaris, tantam lucem in cometæ corpore, & crinibus, quæ quartam cæli partem occupet, efficere non potuisset. A sole autem autem effici statim potest & cum ab vtroque potuisset fieri in cometa Thyconico anni 1577. miror cur placuerit potius Veneri tribuere. Sæpè etiam Venere existente Vespertina a sole ita vt eius radij absorbeantur confusi in solaribus, fit matutinus cometes distans à sole plusquam gradibus quadraginta in occidentalem plagam: id quod accidit anno 1618. posito sole in 5. Sagittarij, & Venere in 21. gradu Capricorni, cometæ verò principio in septimo ferè Scorpionis: vnde nihil a Venere capere potuisset. At si dicat alios à sole alios à Venere fieri; oporteret hos esse obscurissimos, illos lucentissimos. Nunc autem non tanta est differentia fulgoris eorum: imò qui Venerei sunt Thyconi aspiciuntur plerumque fulgentiores: ostendit etiam Galilæus quomodo etiam Thyconem Mathematica ratio delusit.

Septimum Thyconis dictum valde aberrat: non enim ista incuruatiò fit nisi per duo media res vna videatur: vt patet in remo partim intra aquam, partim extra. Nec Vitellio aliud demonstrauit, sed docuit quomodo res obliqua cernitur & recta: si radius oculi inter vtrumque extremum cadat rectè in medio, aut citra. Nihil autem de curuitate dixerunt Vitellio, & Alahen in propositionibus à Thycone citatis; & Galilæus probè manifestat, & nos quotidie experimur, rectam lineam curuam non apparere propter hoc quod alterum extremum eius oculo est propinquius. Imo rectitudo sic exploratur posito altero extremo ad oculi pupillam, vt iaculatores, & gladiatores, & fabri lignarij vbique, & semper, duce natura explorare consueuere.

Quartum Thyconis assertum est fallax: non enim propterea quod videtur recta fieri linea, motus cometæ est circularis & in circulo maximo: nisi prius probatum sit, quod non sit rectus: sequaces autem Galilæi dicunt esse rectum, Similiter etiam Keplerus suspicatur. Non enim solum qui in circulo maximo fiunt recti videntur: sed etiam qui verè per lineam rectam. Quod verò neque in circulo circa solem, sub quo lateant, & à quo oriantur, vt quinta ponit assertio, ex hoc patet: quoniam alij mouentur Orientem versus, vt obseruatus à nobis in anno 1577. alij verò ad occasum, vt duo illi in anno 1618. fieri autem non potest, vt in eodem circulo iidem, vel alij cometæ in contrarias ferantur vias, Cum autem Thyco, ait, regredi ad solem, quia sic obseruauit in cometa Vespertino anni 1577. sicuti Venus, & Mercurius Vespertini: decipitur valdè. Nec enim qui Matutini sunt reuertuntur vnquam, imò semper magis elongantur ad anteriora, & qui sunt à nobis obseruati quatuor, & ab aliis qui euanuerunt in elongatione maxima, nulla ostensa reuersionis specie. At profectò illud fefellit Thyconem: quod Vespertini cum motum incipiunt retardare, quoniam irregulariter sæpè mouentur à sole, qui in consequentia subdeficit incessanter à fixis, sicut & illi, vicinius incipiunt spectari: cuius contrarium accidit matutinis à quibus sol incessanter distantior fit, vt potè motus in consequentia signorum. Nihil etiam prohibet in immenso cæli spatio ad alios impingere vapores inuisibiles, tardatique vel deficiescente materia, & vi motiua fieri tardiores. Nihil ergò habet soliditatis Thyconicus orbis cometarum. Præterea irregularitas illa maxima in motu non redens ad regulam, more aliorum cælestium corporum ostendit, non esse cometem de natura cælestium. Item id etiam omnia excedit absurda, quod cometæ digrediuntur à sole sexaginta, aliquando etiam nonaginta gradibus: vnde sequitur, quod cum fiunt perigei, non modo tangunt terram, sed etiam infra terram descendunt. Hanc etiam rationem adduxit Copernicus ad excludendum Veneris epicyclum, qui tamen non nisi graduum quadraginta octo diametrum habet. Cometicus autem centum viginti, & aliquando centum octuaginta.

Respondent scioli recentiores, posse fieri hunc motum in circulo ouato, vel excentrico, cuius inferior absis sit sub sole: aut per lineas irregulares: idcircò non oportere Cometem ad terram vsque descendere. At quidem imperitè: non enim potest ouata figura aut taliter excentrica ita constitui, vt motus per eas factus videri possit per

lineam rectam, qualiter Thyconi & asseclis videri ponitur: ideoque in circulo maximo. Præterea nequaquam intra Solem & Lunam locus Cometæ ritè datus videtur ab Thyconis asseclis. Si motus fiat in præfato excentrico, vel ouata figura in latera solis producta: & supernè inferneque depressa, vnde secum pugnant, vt probè Galilæi sequaces ostendunt. Videntur enim illi nec scire definitionem circuli maximi: nec intelligere, quod Cometæ situs ab illis assignatus, positioni repugnat, & experimento circa motum ad anteriora, & posteriora per tot immensa spatia.

Mirum præterea quomodo alij excentricum, cuius inferior absis supra solem sit, imaginantur ad Cometæ motum, & in circulo maximo: alij sub, propriæ positioni contrarium; & quanquam concedat Galilæus posse delineari eiusmodi motum in excentrico, haud tamen extricari posse absurditatibus si circa solem meant Venus, & Mercurius, id quod Thyco etiam concedit, & circa terram Luna. Etenim iste orbis cometarius infringet illorum orbes: aut si solum imaginarij sunt orbes, qua ratione fiat, vt cælestis Cometes tam irregulariter, & non planetarum ritu ad regulas deducibili circumferatur: at & hoc valde premit eos: quoniam plurimos annos latet cometes sub sole, nec assignari potest ratio tantarum latebrarum: cum per mensem vnum gradibus septuaginta visus sit moueri: vel si sursum tunc rapitur, nec proinde videtur, nisi cum ad inferiorem accedit absidem: videbitur quidem ante, & post solem, sicut Venus, & matutinus fit vespertinus apparenter, & citissime, si eius motum nobis notum diuidamus; & non post tot annos.

Quod autem aiunt, fieri posse Cometem per lineas irregulares: omninò inuerisimile est: si enim cælestis res est, vt isti volunt semipythagorici, non habebit irregularitatem ad regulam nullo pacto reducibilem. Si verò vapor est, benè loquuntur, sed eius motus non erit in circulo ab eis assignato: nec vlla passio motus eius demonstrari potest: quemadmodum isti profitentur, id enim irregulare est, quod ignotum est omnino, nisi quo. d accidentia indiuidualia hîc, & nunc sensibilia: sphæras quoque irregulares natura abhorret: & Copernicus, atque Thyco propterea à Ptolomeo desciscunt, quod in centro alieno regularitatem sphærarum, Ptolomeo positam inuenire non potuerunt. Quid ergò nunc reuertamur ad vomitum?

Et quidem non in positione circuli, & materiei, & motus Cometarum corrigendus Thyco videri debet: sed etiam in situatione videtur Galilei asseclis: si enim Cometes non est vapor accensus, neque res vlla subsistens, aut perseuerans, argumentum ex diminutione parallaxis nullum est: quæ enim apparenter sunt, vt Iris, Halo, parelii, & alia huiusmodi parallaxim non admittunt, sunt enim solum ad oculos videntis relata. Quapropter oportebat Thyconis asseclas prius probare cometam esse rem aliquam subsistentem, hoc est, vel stellam, vel accensum vaporem, & deinde ex parallaxi supra circulos planetarum fieri ipsam demonstrare. Idque concedunt recentiores Galilæo respondentes, sed se nihil hoc cogitare voluisse aiunt: quoniam Cardanus & Telesius id asserentes, non sunt audiendi.

Hæc fuga sciolorũ, nam & Pythagorici veteres, teste Arist. & Stratone apud Plutarchum, & Heraclitus, & Metrodorus, & Xenophanes, vibramenta radiorum solis ex nube esse cometas dixerunt. Telesius præterea inter Philosophos adeò illustris est, vt Europeorum plurimos habeat fautores. Rationes etiam adeò certas, vt scioli diffidant se posse soluere, ideircò fingant se nolle: qui tamen vbi quid valent etiam infimæ classis sciolis respondent insultantque; sed de his postea. Indoctè etiam concedunt parallaxim. Nam luna, & planetæ sunt lucis solaris spectra Galilæo, & admittunt paral. Argumentum verò sumptum ex modica magnitudine obiectorum valde distantium per Telescopium, adeò insulsum, falsumque deprehenditur, vt nullum magis. Telescopium enim idem in eadem vitrorum distantia, alias non esset idem, æquè magnificat distantia, ac vicina obiecta, vt experientia probat, & Galilæus ratiocinatur. Et quanquam dicit fixas non adeo magnificari ipse declarat id fieri, quoniam absque tubo videntur cum radiis circumcirca: qui quidem non sunt in fixis, sed in oculis nostris ex reflexione è crystallino in corneam vti experimur quotidie, qui radii per tubum non

videntur,sed quasi abraduntur:hoc etiam in lucernis exploramus, vbi oculos claudendo addimus radios,aperiendo auferimus,& quidem in quæst. de Iride hoc satis demonstrauimus,quoniam iridem lucernæ intra oculos fieri deprehendimus. Hoc etiam palam est, quoniam spatia inter fixas augentur,quæ enim duo sidera vicina videntur per tubum sine vitris: eadem appositis vitris non videntur,quoniam spatium inter ipsas augetur, nedum ipsæ. Præterea Mediceæ stellæ,& multæ aliæ in firmamento fixæ non videntur sine Telescopio: per Telescopium autem visibiles fiunt: ergò augentur eorum magnitudines valde quantumuis remotissimæ,& qui contra Galilæum in hoc contendere voluerunt,iam omnino pudefacti silebunt.

De Sententia Telesij, Santuccii, & Galilæi de Cometis.

ARTIC. V.

Videtur quidem Telesio Cometes non esse vapor accensus,sed illustratus à Sole intra Cælum Planetarum, & Stellarum aliquando: & quidem è terra eousque efferri posse autumat, quod nulla occurrit ignea sphæra nobis, sicut Aristoteli, sed tenuissimum æthera,immensùmque collecto calore non donatum,sed eo, qui tenuitates ascendentes consumere non valeat,& quoniam id rarò accidit, & non certis repetitis vicibus, idcircò raro Cometas fieri,nec certa temporum lege,quemadmodum eueniret illis, qui vnam de errantibus Cometem faciunt: & quoniam Comas assumit auersas soli per rectam lineam à Sole eas illuminari censendum: & quidem intra æthera, quoniam parallaxis diminutio, & motus vnà cum errantibus,aliquando verò cum fixis,id certò probant. Moueri quoque in gyrum nunc ante Solem,nunc pone,nunc ad Austrum, nunc ad Boream,quo propriæ lucis,& caloris impetus fert: ipsiúsque vaporis natura fugiens inimica sectansque amica entia, & loca, & stellas: siquidem vapor à se ipso diuidi non vult, nec rebus ab aliis,quibus fouetur,nec stringi,& in aliud densari ens facilè patitur. *Tel.*

Santuccius Mathematicus Florentinus hanc sententiam libenter suscipit, sed vapores suprà aërem non eleuat,cum adhuc sphæram ignis asserat, & cælorum incorruptelam,sed ex re cælesti fieri illuminata à Sole Cometem contendit. Quid autem res illa sit non dicit nec dicere potest,nisi cum Thycone ex Galaxia ipsam accersiat, quod falsum esse in ipsorum dogmate ostendimus : vel cum Pythagoricis ex stellarum telluribus, quod non credit. Præterea hoc etiam proprium habet, quod omnis Cometa mittat caudam ad occidentem, & sint vespertini à Sole. Atqui videntur matutini non quidem esse,sed sic apparere; quoniam sunt in paralello borealiore à Sole, & propterea citius oriuntur,sicuti & stellæ multæ, quæ post Solem sunt in longitudine,& tamen ante Solem propter latitudinem borealem oriuntur. Idque etiam probat, quoniam non coma prius oritur,sed caput Cometæ super horizontem. *Sant.*

Galilæus vero Telesij sententiam in nullo non acceptat: & cælum enim ipse aëreæ naturæ,nec dari sphæram ignis; & vapores super Planetas efferri docet in Academico sermone Guiducii. Attamen posse motum Cometæ esse verè rectum affirmat,opinando, non asserendo: nec probari tutò ex parallaxi,quod sit suprà Lunam : præterea esse quasi virgam lucis in vapore,qualis fit in mari à Sole aduerso in loco vbi spectamus, quando lux quidem est in toto mari: nobis autem sola vna via lucida apparet, qua refranguntur visuales radii rectà ad Solem. *Gal.*

Vtrùm Cometes fiat ex luce reflexa, vel transiliente vapores soli aduersos, vt Telesio, & Galilæo placet.

ART. VI.

1. Cometem non esse reflexionem lucis è vapore, probant recentiores.

Primò visus est Thyconi Cometes magnitudine Iouem adæquans luce nitidus, elegans, & venustus, vnde apparebat potius de substantia cælesti quam elementari, sed lux reflexa non potest videri adeo splendens, elegánsque, ergò &c.

Secundò vapor Cometarius rectà ascendat sursum iuxta Galilæi sententiam oportet; sed anno 1618. quando factus est Cometes in Libræ lancibus, plurimi venti flatúsque præcessere, qui ascensionem rectam omninò impediuissent: est etiam quasi miraculum, quod vapor fluxilis res, inter æthera fluxile, tenuéque, vbi etiam vapores alij, & concretiones fiunt, incolumis, rectúsque ascendat, ac non potius dissipetur, vt nullam reflectere queat lucem.

Tertiò, dato quod vapor ascendere queat, cum totus à Sole illustretur, nubium appositarum ritu totus fulsisset, & non in stellę caudatæ figura, & ex vna parte & non ex omnibus, sicut borealis aurora, quam lux Solis in vaporibus extra nocuni vmbræ aliquando efficere solet. Præterea fulgorem ex certa parte non remittit, nisi Iris ob aqueam naturam vaporis, quæ quidem crassa eum sit supra Lunam efferri non potest.

Quartò, Cometes anno 1618. adeò fulgens visus est magnúsque, vt superaret magnitudine & fulgore fixas regias, nedum errantes stellas: sed tantus fulgor reflecti non potest, nisi ex materia valde densa, terminataque opacitate: siquidem trabs eodem tempore visus non fulgens, sed albicans videbatur, radijsque orbatus. At si densus opacúsque vapor Cometicus fuisset occultasset stellas, aut maiores ostendisset, id quod non fecit, ergò tenuissimus fuit, ergò non poterat tantum emittere splendoris, ergò Cometes non est lucis reflexio.

Quintò, vapor ascendens est eiusdem conditionis cum his, qui visi instar macularum ambiunt Solem: sed hi mouentur in gyrum: non ergò videtur in rectum posse semper ascendere, dum fit Cometes.

Sextò, spectrum ex reflexione luminosi vaporis genitum, sectatur motum luminosi; at prædictus motus non sic: etenim quando apparuit in 29. Nouembris Sol erat in 7. Sagittarij, & migrabat ad ortum, Austrúmque in Capricornum; Cometes verò in contrariam partem à principio scorpij, in boream, & occasum, donec in cauda Vrsę maioris extinctus est: nec reuertente Sole in boream in die 22. Decembris, quando Tropicum tenuit, Cometes reuerti cæpit in Austrum, vt vel aduersis motibus imitaretur: ergo nihil habet à Sole.

Septimò, si Cometes reflexio esset pura, ex certis exiret angulis, quę ad oculum faciunt circulum, sicut Iris, & Halo: at motus Cometę non fuit circularis: neque apparentia circularis: neque circuli segmentum.

Octauò, parallaxis simulacrorum est vna cum parallaxi luminosorum, vnde fiunt: sed Cometa non est passus parallaxim solis: ergò non producitur ex reflexione solis. Maior est Galilęi: minor ex obseruatis Thyconis probatur, qui Cometam anni 1577. distasse à terra testatur semidiametris eiusdem 211. Sol autem distat 1150.

Nonò, quę fiunt spectra à luminaribus instabilia sunt: nunc enim apparent: nunc minimè: variant figuram, fulgorem: & breuissimis spatiis temporis durant. Cometes autem per mensem seruat figuram, fulgorem, & regulam, ergò non est de spectrorum natura.

Decimò, Aristot. contra Hipp. probat proptereà non fieri reflexione Cometam: quod plerique per se fiunt, per seque mouentur: nec vllas ambiunt stellas instar coronarum.

Sed in contrarium est autoritas Tost. & aliorum Patrum, qui Cometem

ex reflexione solaris lucis fieri admonent.

Respondeo, multas esse spectrorum differentias. Alia enim sunt solum intra oculos, & referuntur foras, vt Iris circa lucernam apparens, & croceus color spectatus in obiectis per oculum croceo suffusum humore. Alia sunt in re facta ex reflexione, & præsentia alterius rei, qua remota desinunt esse, vt imago in speculo: & Sol in Conca aquæ plena: hac ratione etiam fit via lucis aduerso Sole in mari ad oculum visa directè. Alia dicuntur fieri ex refractione, vt remus in aqua medius apparet fractus in confinio aquæ, & & aëris, quoniam ibi frangitur radius visualis, vt Mathematici aiunt. Nos autem, quia ibi lux tincta coloribus obiecti frangitur, aut diuersificatur. Hæc autem fiunt per plura media, sed hæc plura media, aut variant partes obiecti, vti remi partim in aqua, partim in aëre locati: aut non variant, sicuti denarius visus intra aquam apparet maior, quam sit, & in situ superiori. Alia fiunt transilitione, vt Halo: lux quippè transiliens phialam vitream, aut vaporem, multiplicatur, eiusque radij in oppositam partem profunduntur, at debiliores passim fiunt, qui in phiala sunt vniti, in aëre vero disperguntur, præterquam in puncto coni, vbi pyramidem faciunt. Idem euenit omni imagini: sed propter exilitatem suæ lucis, quæ est color fœdatus, iam non apparet, nisi ab opaco reflexa vniantur, & fortificentur, vt reagant in visum nostrum: semper autem in medio vnitiori, & transpicuiori lux, & imago maior, clariorque apparet, puriórque: in rariori & opaciori, minor, obscuriórque, & fœdatior: potest tamen ex opaco subiecto in purum reflexa, aut extensa aërem, ipsum quoque aërem fœdare: vt cum ex nigra nube prosilit, aut resilit, ostendit.

Porrò si Cometes fit reflexione vti suspicatur Galilæus, oportebit ipsum recto ferri sursum motu; ac veluti quæ ex mari relucet via aduerso Sole, fieri, & caput magnum rotundum non habere. Igitur etsi campus magnus vaporum, & quasi mare sit in æthere, ad nos tamen non reflecti, nisi ea ex parte, ex qua radii, recta ad nos reflectuntur: ergò mutatis nobis, mutaretur Cometæ locus; quemadmodum via lucis in mari: quæ non omnibus eadem, nec mutatis nobis non mutatur, vt quisque experiri potest super mensa læui, vbi lucerna ex aduerso in ipsam incurrens ferit oculos, facitque viam lucis mutabilem ad oculorum mutationem. At quidem hoc non accidit Cometæ: etenim idem visus ab Italis & Hispanis, & Germanis notatur in eadem via Cometes, nedum stella noua in Cassiopea anno 1572. & altera in Sagittario anno 1604.

At si fiat transilitione, quemadmodum nos in textu affirmamus, facilius redduntur apparentiarum causæ, vbi enim vapor conglobatur ibi fit caput, per quod quasi per phialam transiliant in oppositam crines partem: & siquidem rotunda est vaporum congeries, Comam habebunt acutam in extremo; si plana, æqualem principio; si cauam & Sol respicit conuexum, strictam: si concauum, latam; vt experimur in phialis, & hac ratione etiam parallaxis ratio conuincit fieri supra solem: phiala enim, per quam lux transuehitur, parallaxim facit alteram à luminosi corporis illustrantis parallaxi.

Ad primum ergò Resp. quod Sol spectatus in aqua lucentissimus est, & eius lux ex parietibus etiam, & paleis resiliens nitida apparet valde, ita vt à stellarum luce non secerni valeat. Maximè autem nobis existentibus in vmbra.

Ad secundum patet responsio, quoniam licet venti præcessissent vaporum illustrationem, quod rarò accidit, fiunt enim post serenitates, & siccitates: nihilominus haud potuissent vapores eleuatos impedire. Venti enim secundam aëris regionem vix attingunt. Vapores autem iam transilierant circulum vaporosum, donec in locum peruenirent, vbi Cometes formari queat. Multi enim sunt vapores in cælo, sed Cometem non faciunt, nisi recta ad Solem vespertini, aut matutini sic referantur, vt, & ad nos recta radiorum redditio fiat; si enim apponatur soli acronichius comam nullam ostendet, cum super auersam regionem promittat.

Ad tertium facilè nos respondemus, quoniam efficit Cometes transilitione splendere totum vaporem, sed ea figura, quam transilitio assumit: qui autem sola illustratione fiunt non habent comas, sed instar trabis, aut ensis, aut pennæ apparent, prout vaporum figura disposita inuenitur. Imperitè deinde fingunt non posse vapores valdè illustrari, nisi aquei sint: quales esse non possunt, qui in æthera eleuantur ob crassitiem repugnantem: nam & ex tabulis, & parietibus, & paleis fit reflexio valdè luminosa, vaporésque elati sunt aquei, nisi in Empedoclis dogmate, qui segregationem, non generationem affirmat.

Ostendimus etiam de Iride loquentes absque guttulis aquæ, ex omnibus fumis telucere, & translucere solem. Nubeculæ etiam Occidente illustratæ sole, clarissimum ostentant lumen, quamuis tenuissimæ & non aqueæ: quomodo autem lucidam viam forment Galilæus ipse facilè ostendit: horúmque patefacit imperitiam, qui non nisi vno modo illustrationem fieri norunt, ideóque negant alios.

Ad quartum: Hæc ratio maiorem habet apparentiam in suspicione Galilæi, quam in nostra coniectura. Non enim videntur tenues vapores reflexionem facere, nisi quapiam terminati opacitate. At traducere possunt non terminati. Nec tantam requiri densitatem vapores crepusculorum tenuissimi, ac fulgentissimi simul, indicant. Nec vapor Cometicus est in crinibus, per quos stellas spectamus fixas, sed sola lux per cælum extensa, transuectaque vaporem, & sæpè in radios capillorum instar diuisam. Nec quispiam spatium inter fixas per Cometæ visas capillos ritè adhuc metitus est, nec magnitudinem num priori æqualis sit.

Addit Galilæus pro vaporibus pugnans, stellas visas per nouum medium non efficere refractionem vbi ad angulos rectos medium secant, vel quasi rectos. Non occultauit autè quia fractus forsan in medio erat vapor per quem visus transferebatur Galilæo.

Ad quintum nullum inconueniens est, quod vapor, qui rectà ascendit, assumat circa solem, deinde circularem motum à motu solis. Ast à longè conspectus faciat reflexionem, & transilitionem radiorum eiusdem. Arist. quoque vapores ad sublunare concauum eleuans, remouet deinde in gyrum; & lignum deorsum cadens rectà in mare, assumit motum deinde circularem maris, vel &c.

Ad sextum Cometes mouetur quò proprium fert desiderium sectandi aliquid sibi proficuum: vel fugiendi destructiuum. Nec in omnibus solem imitari debet, nisi in coma, quæ semper rectà ad solis oppositionem stet, id quod nullus Cometes facit.

Hoc tamen argumẽtum potius Galilæum vocat in certamen, quam Telesium, aut nos. Pro Galilæo autem respondit ipse ac Stellutus amicus. Hic, quod Cometa non ritu Iridis, Halonis, & Parcliorum fit, sed viæ lucidæ in mari, aut virgarum nubes pertranseuntium. At cum via lucida reflectetur visum, & solem ad certos angulos, sibi inuicem occurrentes, non videtur satisfecisse Stellutus. At Galilæus Mathematicè ostẽdit debuisse Cometem non ergà solem moueri, sed elongari, vti fecit etiam secundum demonstrationem aduersarii. Etenim cum Sol est in puncto H. videtur ab oculo, qui est in A. esse in puncto I. & cum esset in G. apparebit in E. & cũ in F. apparebit in D. super superficiem B. O. quæ Maris viam indicet. At inquit Galilæus, si continuentur lineæ

neæ visionis ad posteriorem arcus partem, vt I. ducatur in L, & D. in N. tunc verè apparebit, cum Sol procedit per N. P. F. eius simulacrum moueri per L. M. N. id quod volebamus. Deinde satis ostendit, Aduersarium in illum errorem incurrisse, quod ascendere in verticem, sit descendere centrum versus. Præterea si id quod facit simulacrum, facit etiam reale obiectum: sequitur, quod dum simulacrum accedit ascendente Sole per I. P. D. versus A. oculum, Sol etiam accedat ad oculum A, id quod est falsum. Quod patet ducendo lineam ab O, in R, rectam: & simul producendo N, G, F, ad P, Q, R; per quam Sol passim potius elongatur ab oculo, & quamuis Sol circulo feratur, nihil obstat rectam fecisse, exempli gratia. Nam si lucerna, aut aliud luminosum rectà eleuetur sursum, efficiet has easdem apparentias prorsus, & argumenta confirmabit super læui tabula facto experimento. Nec Cometes debuit reuerti in conuersione brumali ipsius solis: nisi prorsus immotus stetisset, vti mare, & vapor Cometarius motum nullum habuisset proprium.

Ad septimum non valet ratio, etenim licèt simulacrum sit, non tamen sicut Halo, & Iris, sed nobis: sicut lucis per phialam transuectæ: quæ comatam ostentat stellam. Galilæo verò sicut via lucis in mari, aut virga per nubes transiens, quæ ambæ longam, non circularem referunt figuram. Circularis fit in coniunctione solis cum vapore per centrum oculi, vt Halo; aut in oppositione, quando intermediat oculus, vt Iris, Cometes autem nec iungitur, nec opponitur soli, propterea non debet apparere circuli segmentum, sed via lucida: cuius tamen extrema circulum faciunt, aut rectam lineam, si oculus in gyrum eandem seruans distantiam, aut in rectum mouebitur.

Ad octauum facilè respondemus parallaxim Cometæ facti per lucis transilitionem non oportere esse eandem cum solari, si in coniunctione solis non est, sicut Halo, & Corona. Tunc enim moto visu non amplius eadem corona spectatur, sicuti nec eadem via lucida in mari. At vapor illuminatus suprà mare centum cubitis habet propriam parallaxim ad montes oppositos relatus, semper enim in eodem vapore fit spectrum vndecunque spectetur: non autem in mari, nec in corona. Nec Galilæus asserit nulla simulacra admittere parallaxim, excepto Halone: in cæteris verò seruari docet, sed non situ verorum simulacrorum. Quod Cometes fiat supra solem aliquando, & parallaxis ostendit, & tempus apparitionis, tantum, quantum habent Planetæ, ac fixæ supra terram vndecunque spectentur. Cometes autem, aut Halo, aut Iris facti in aëre, non spectantur in aliis regionibus; nec durant horis tot, quot stellæ supra terram, & quia ex toto mundo spectantur, ex quoto planetæ, iterum probant proprium situm in regione stellata. Item quia Planetarum sectantur motum, quarum fiunt quasi barbæ, eorúmque situm habent.

Ad nonum dicimus quidem à Sole perpetuò eodem non fieri mutationem in simulacris: sed à materiæ fluxibilitate, & inconstantia, quæ maior est in Iride, & Halone, quoniam propè pugnam elementorum in nostro aëre fiunt. At vapor Cometicus ascendit ad æthera tenuissimum quidem; sed quod non easdem varietates patiatur, & ideò posse per plures durare menses aliquos: aliquos verò non nisi per tres, aut septem dies, alios per horas qui sunt inobseruabiles, prout vapor situm fortitus est sibi magis, aut minus conuenientem vtilemque: & ad solem, & propter hoc variari etiam eius motum, figuram, colorem, & situm: quoniam fluxibili constans materia, à Solo, & à proprio motu, & à stellis, & à motu cæli, & obuiorum interdum vaporum assumit varietatem, ad regulam non reducibilem. Hoc argumentum maximè afficit Aristotelem, cui accensio non potest per horam durare eadem, sicuti nobis illuminatio, & Galilæo.

Telesij tamen sententia verior apparet: quoniam via lucis in mari à distantibus oculis aliter apparet, & alibi. At Cometes anni 1577. nedum stella anni 1572, & 1604. semper visi sunt in eodem situ ab Anglis, & Gallis, & Italis, & Germanis, vt potius vapor lumine repletus, quam via lucis ex amplo vapore rectà relucens existimari debeat. Nec Galilæus nisi problematicè hanc sententiam vulgari voluit, quippe qui nihil temerè pro certo affirmare solet.

Ad decimum Resp. quod reflexio non modo fit in coniunctione luminaris cum illuminato, qualis corona: sed etiam in opposito, & in aliis sitibus, vt palam est.

Vera reprobat. continuò congressus Planetarum obseruantes, nunquam viderunt Cometem ex illis fieri. Sed cum non cocunt, fieri vidimus: præsertim in anno 1618. quando Planeta nullus fuit in loco duatum Cometarum nobis obseruatarum: erant autem fixæ, sed non faciebant comam. Nam alter Cometes ex lancibus per Coronam, & Bootem excurrens, in caudam Vrsæ maioris tandem ptouenit, ibique dissolutus est. Oportebat autem in illo mense nouembris in quo durauit, fieri plures reflexiones eiusdem Cometæ nouas, quando nouas stellas adibat: vel lances migtasse cum illo; quod non accidit, sed ferebatur proprio cum capite, propriisque capillis.

Præterea vt Seneca considerat, congressus Planetarum inter se, aut cum fixis non durat per vnum diem. Cometes autem durat per mensem & annum: & his rationibus nulla responsio prodest.

Vtrùm Cometes sit vna de stellis errantibus in aliis systematibus supra fixas: quæ ad nos aliquando descendunt, vti Pythagoricis videtur multis.

ARTIC. III.

1. Opinio. Videtur quidem Pythagoræis non ignobilibus Cometes esse vna de errantibus, quæ ad nostrū descendunt cælum, iterumque ad suum reuertuntur; & post multum temporis apparent iterum, prout ad imam descendunt absidem. Probat hoc Gemma Phrisius, quoniam stella noua visa in anno 1572. in sedili Cassiopeæ, paulatim cæpit post decem menses subobscurari, ac minui: & tandem disparuit, more eorum, quæ a nobis paulatim recedunt: & quidem alij comam deferre semper secum putant, alij verò à terra nostra attrahere humorem, in quo noster ad solem refractus visus comam quasi videt: id dixit Hippocrates Chius, & Eschilus Pytagorici ambo.

Contra hos Arist. nihil opponit, nisi quod errantes intra tropicos spatiantur, cometæ autem extra. Sed contra Aristotelem exclamat Seneca, quis confines posuit errantibus; nam & planetæ nostri mundi intra tropicos patiuntur nostros, haud tamen propterea omnes aliorum systematum eadem incedant via. Ideóque angusti animi est putare omnia errantia angustiari debere intra Tropicos nostros: sicuti si quis elephantos vellet solum in Africa contineri. Præterea, ait, cur non videntur ad Austrum Cometæ, sed plurimi ad Boream, & præsertim in Galaxia.

Respondent Pythagorici: quoniam intra tropicos vapor humidus ex arida terra eleuati non potest. Ad Austrum verò vltra Capricornum etsi eleuatur, non tamen relucet nobis; quoniam paralellæ viæ solis portionem exiguam ibi habent super horizontem nostrum, nec proinde refrangere posse nostrum visum ad solem, sicuti in Boreali extra Cancrum regione, vbi maior sectio supra finitorem, ita vt restangant vapores visum ad solem.

Sed Arist. arguit contra eos, quoniam oporteret apparere stellam hanc aliquando etiam sine coma. Item omnes planetas fieri comatos. Nec verum est, quod intra tropicos & Austrum cometes non fit. Etenim, ait, magnus cometes factus est, cum terremotus concussit Achaiam, ab occasibus Æquinoctialibus, idest in medio Tropicorum. Item sub Eucleo, Molonis, Rege factus est Cometes ad Austrum extra Capricornum. Hoc etiam nos obseruauimus in anno 1618. quando factus est Cometes instar plumæ Aquilinæ propè Tropicum hyemalem, longus ex vigesimo gradu Virginis, vsque ad decimum nonum Scorpij, transiens ex Cratere per Coruum, & Centaurum vsque ad Feræ pectus: non tamen vltra. Præterea addunt Peripatetici: si Cometes esset apparens oculorum refractio non posset videri in speculo, vel in fluuio per aliam refractionem.

Item, ait, Arist. Cometæ multi per se fiunt, & sæpius, quàm circa stellas, & per se mouentur: ergò non sunt ipsæ caudæ. At

At rationes istæ non conuincunt: quoniam & planetæ omnes comam assumunt: at qui dicunt ex alio mundo ad nostrum descendere, nec conuincuntur Aristotelis argumento vllo: neque in eos est inuectus, nisi per hoc, quod omnes planetæ sunt intra Zodiacum, id quod Seneca negat pro eis.

Qui verò dicunt à nostra tellure humorem trahere, neque ab Aristotele conuincuntur per hoc, quod fiunt etiam intra Tropicos, & ad Austrum: id enim rarò euenit, quia raro hinc vapores attrahunt ex mari Athlantico, & Eoo, Pacifico, etsi non ex Africana, nec Americana terra. Ad Austrum verò fieri negarent illi, & Arist. testimonium non euincit, quoniam fortè factus est ille sub Euele Aristoteli obseruatus statim extra Tropicum, quemadmodum ego obseruaui alterum iam dictum statim intra: non autem ad paralellos minores ad antarticam tellurem.

Vltima ratio nulla, quoniam, & Iris, & Halo, & Parilij visuntur in speculo, quamuis sint refractiones. Præterea nec propterea non sunt refractiones quia fiunt per se seorsum à Planetis, & sole: sufficit enim, vt à sole lucem excipere ad nos queant.

Rationes autem efficaciores, quibus premuntur huius assertionis autores, sunt hæ. Primò quoniam non obseruant apparitiones planetarum: hi enim cum in superiori sunt abside parum aut nihil videntur: Mox descendendo apparent paulatim grandiores, & lucidiores, vti Mars facile ostendit: deinde humillimi facti, sunt maximæ molis, & lucentissimi: cum verò mox eleuantur, paulatim magnitudo, & lux disparet. At cometes cum primò apparet maximam sui quantitatem, & lucem ostentat. Deinde paulatim minuitur, donec euanescat: Ergò non descendit à superioribus in principio, sed vel ascendit a terra ad superiora, vel fit, & paulatim interit. Quod necessariò asserendum, si ex terra exhalante capit originem. At si quis respondeat, principium apparitionis exilis propter exilitatem latere: at quando nobis apparet benè magnum, iam descendisse, nosque mouisse ad sui considerationem, profectò voluntariè respondeat: plurimi enim ab obseruatoribus conspecti sunt semper à principio maximi; & nullus minoris molis. Et quoniam per annum aliqui durant vtique in tribus primis mensibus exigui apparere deberent. Similiter qui obseruatus est in anno 1618. post primum, à vigilantibus multas præcedentes noctes super primo deprehensus est ad lances libræ, & tamen in magnitudine sui maxima: & ego oculatus sum testis. Præterea cum tam subito appareat magnus, & tandiu perseueret in sua magnitudine, hoc est per mensem, si mouetur in epycielo, necessario ille epicyclus excedet sphæram Martis, nedum Epicyclum Veneris in diametro; ergò longè maior est vniuersitas, & systema, quod ambit toto nostro mundo à Saturno vsque ad suum diametrum. Præterea rediret ad nos in suo circulo per certa quædam tempora, sicuti Mars ad suum absidem. At nulla est certitudo, & mensura ipsorum motus, qualis est planetarum: Ergò non videtur esse vna de stellis aliorum mundorum: neque plures, seruarent enim teuersionis, & apparitionis, & figuræ & magnitudinis tempora, & numeros, & mensuras certas; id quod historiam ipsorum considerantibus deprehenditur fallax. Præterea alij mouentur ab ortu ad occasum; alij è contra. Ergò non sunt vnus planeta alterius mundi: nec in eodem circulo; vel sunt tot circuli, quot cometæ. At hoc natura negat nil superfluum faciens. Præterea si stella hæc attrahit humorem, vt isti dicunt, sol, & planetæ attraherent: sed absque humore ex sola nube fieri reflexiones palam est. Nec credo Hippocrates humorem dixerit, vt Arist. ei impingit, sed vaporem ex humentibus rebus, qui ex sua causa humores appellantur. Præterea in hoc incusandi sunt hi Pythagorici, quod spectantes, & confitentes comam fieri ex refractione lucis solaris, etiam stellam ipsam ab eadem luce fieri non statuerint: cum videamus in Phialis, & in nubibus lucem solarem, quasi stellam comatam ad auersam effingere partem; id quod aliis Pythagoricis placuisse ex dictis Aristotelis, & Plutarchi liquidò constat. Idem ex situ comæ manifestatur. Si enim sol est in horizonte cometes Matutinus ab eo emittit comas in Occidentem, & si simul sol est in australi plaga, cometes mit-

tit comas in Occidentem, & in Boream limul. Si vero à sole Vespertinus est cometes Occidente sole ipse apparet comas ad Orientem protendens, vt nulli dubium sit cometem totum non accensione vaporum, sed illuminatione tantum fieri.

Vtrùm Cometes fiat ex incorruptibili Galaxia, moueaturque per circulum magnum circa Solem, accipiatque à venere refractionem lucis: & incuruetur aliquando, quia quæ pars minus distat, videtur curua, vt docet Thycho Brahæ in libro de Cometis, & in progymnasmatis.

ARTIC. IX.

PRobat Thyco, & Santuccius, eosque secuti recentiores, fieri Cometas supra lunam, & in cælo etiam stellato, quoniam parallaxis diminutio, & nullitas hoc docent. Item addunt.

2. Secundo quoniam Telescopium res vicinas magnificat longe magis quam distantes, minimè autem distantissimas: vnde stellas fixas, teste Galilæo, quasi nihil amplificat. Sed cometes visus per Telescopium, vel nihil, vel modicum augetur, ergò distat valdè à nobis, & est in mundo sidereo.

3. Quoniam fit sæpe in Galaxia erit ex substantia Galaxiæ factus incorrupta. Nam vapores terræ non possunt incorruptibile cælum penetrare.

4. Motus qui fiunt in circulis maximis, apparent fieri quasi in linea recta. Sed motus cometarum apparet in linea recta: ergò est in circulo maximo.

5. Obseruat Thycho in cometa Vespertino, qui apparuit anno 1577. quod primo soli proximus videbatur; deinde paulatim ab eo recessit secundum ordinem signorum, & minuebatur in magnitudine; quod euenit planetis circa solem ascendentibus ad absidem; & deinde cæpit soli propinquare, ritu Veneris, & Mercurij: ergò mouetur in circulo circa solem. Sed quoniam recessit à sole gradibus sexaginta: circulus eius maior est circulo Veneris, quæ solum gradibus quadraginta octo à sole recedit vltro citroque. Ergò eius motus est in circulo maximo, cuius diameter forsan est centum viginti graduum.

6. Quoniam eius coma Veneri, & non tecta ex auersa parte videbatur, à Venere lucem recipit.

7. Quoniam incuruatur aliquando coma, hoc accidet quoniam pars eius vicinior faciebat incuruatam videri, vt ostendit Vitellio, & alij Prospectiui.

Sed profectò circa materiam errat Thyco: si enim cælum incorruptibile, non poterit conuerti in cometam, nisi prius corrumpatur. Item nec Galaxia est densior cæli pars, ex qua materia cometarum excauetur. Sed stellulæ minutæ. Præterea in Galaxia australi cometæ non fiunt nobis, sed forsan Australibus incolis; & quidem faciendi essent, quoniam illi non reflexiones, sicut Pythagoræis, sed reales luces videntur cometæ, & proprium sortiti circulum. Poterat admoneti Thyco, quod si vapores terræ eousque non ascendunt, esse substantiam cæli mutabilem, & corruptibilem, vt docet sacra scriptura; vel si ascendunt, similiter: alteratur enim, quod penetratur ab alterabili alterante: nec fingere generationem sine corruptione: nec bonus Aristotelicus, nec bonus Pythagoricus existimatur.

Quod verò postremo asserit à Venere esse reflexionem, omninò falsum est: cum om-

nes tum antiqui, tum recentiores obseruatores, præsertim Sanctucius, & Galilæus, ad solem recta reflexione cometicam faciant, & nos ita esse perpetuò obseruauimus in quinque cometis. Veneris etiam lux modica crescens decrescensque instar lunaris, tantam lucem in cometæ corpore, & crinibus, quæ quartam cæli partem occuper, efficere non potuisset. A sole autem effici statim potest: & cum ab vtroque potuisset fieri in cometa Thyconico anni 1577. miror cur placuerit potius Veneri tribuere. Sæpè etiam Venere existente Vespertina a sole ita vt eius radij absorbeantur confusi in solaribus, fit matutinus cometes distans à sole plusquam gradibus quadraginta in occidentalem plagam: id quod accidit anno 1618. posito sole in 5. Sagittarij, & Venere in 21. gradu Capricorni, cometæ verò principio in septimo fere Scorpionis: vnde nihil à Venere capere potuisset. At si dicat alios à sole alios à Venere fieri; oporteret hos esse obscurissimos, illos lucentissimos. Nunc autem non tanta est differentia fulgoris eorum: imò qui Venerei sunt Thyconi aspiciuntur plerumque fulgentiores: ostendit etiam Galilæus quomodo etiam Thyconem Mathematica ratio delusit.

Septimum Thyconis dictum valde aberrat: non enim ista incuruatio fit nisi per duo media res vna videatur: vt patet in remo partim intra aquam, partim extra. Nec Vitellio aliud demonstrauit, sed docuit quomodo res obliqua cernitur & recta: si radius oculi inter vtrumque extremum cadat rectè in medio, an citra. Nihil autem de curuitate dixerunt Vitellio, & Alahen in propositionibus a Thycone citatis; & Galilæus probè manifestat, & nos quotidie experimur, rectam lineam curuam non apparere propter hoc quod alterum extremum eius oculo est propinquius. Imo rectitudo sic exploratur posito altero extremo ad oculi pupillam, vt iaculatores, & gladiatores, & fabri lignarij vbique, & semper, duce natura explorare consueuere.

Quartum Thyconis assertum est fallax: non enim propterea quod videtur recta fieri linea, motus cometæ est circularis & in circulo maximo: nisi prius probatum sit, quod non sit rectus: sequaces autem Galilæi dicunt esse rectum, Similiter etiam Keplerus suspicatur. Non enim solum qui in circulo maximo fiunt recti videntur: sed etiam qui verè per lineam rectam. Quod verò neque in circulo circa solem, sub quo lateant, & à quo oriantur, vt quinta ponit assertio, ex hoc patet: quoniam alij mouentur Orientem versus, vt obseruatus à nobis in anno 1577. alij verò ad occasum, vt duo illi in anno 1618. fieri autem non potest, vt in eodem circulo iidem, vel alij cometæ in contrarias ferantur vias, Cum autem Thyco, ait, regredi ad solem, quia sic obseruauit in cometa Vespertino anni 1577. sicuti Venus, & Mercurius Vespertini; decipitur valdè. Nec enim qui Matutini sunt reuertuntur vnquam, imò semper magis elongantur ad anteriora, & qui sunt à nobis obseruati quatuor, & ab aliis: qui euanuerunt in elongatione maxima, nulla ostensa reuersionis specie. At profectò illud fefellit Thyconem: quod Vespertini cum motum incipiunt retardare, quoniam irregulatiter sæpè mouentur à sole, qui in consequentia subdeficit incessanter à fixis, sicut & illi, vicinius incipiunt spectari: cuius contrarium accidit matutinis à quibus sol incessanter distantior fit, vt potè motus in consequentia signorum. Nihil etiam prohibet in immenso cæli spatio ad alios impingere vapores inuisibiles, tardarique vel deficiente materia, & vi motiua fieri tardiores. Nihil ergò habet soliditatis Thyconicus orbis cometarum. Præterea irregularitas illa maxima in motu non redens ad regulam, more aliorum cælestium corporum ostendit, non esse cometem de natura cælestium. Item id etiam omnia excedit absurda, quod cometæ digrediuntur à sole sexaginta, aliquando etiam nonaginta gradibus: vnde sequitur, quod cum fiunt perigei, non modo tangunt terram, sed etiam infra terram descendunt. Hanc etiam rationem adduxit Copernicus ad excludendum Veneris epicyclum, qui tamen non nisi graduum quadraginta octo diametrum habet. Cometicus autem centum viginti, & aliquando centum octuaginta.

Respondent scioli recentiores, posse fieri hunc motum in circulo ouato, vel excentrico, cuius inferior absis sit sub sole: aut per lineas irregulares: idcircò non oportere Cometem ad terram vsque descendere. At quidem imperitè: non enim potest ouata figura aut taliter excentrica ita constitui, vt motus per eas factus videri possit per

lineam rectam, qualiter Thyconi & assectis videri ponitur: ideoque in circulo maximo. Præterea nequaquam intra Solem & Lunam locus Cometæ ritè datus videtur ab Thyconis assectis. Si motus fiat in præfato excentrico, vel ouata figura in latera solis producta; & supernè inferneque depressa, vnde secum pugnant, vt probè Galilæi sequaces ostendunt. Videntur enim illi nescire definitionem circuli maximi: nec intelligere, quod Cometæ situs ab illis assignatus, positioni repugnat, & experimento circa motum ad anteriora, & posteriora per tot immensa spatia.

Mirum præterea quomodo alij excentricum, cuius inferior absis supra solem sit, imaginantur ad Cometæ motum, & in circulo maximo: alij sub, propriæ positioni contrarium; & quanquam concedat Galilæus posse delineari eiusmodi motum in excentrico, haud tamen extricari posse absurditatibus si circa solem meant Venus, & Mercurius, id quod Thyco etiam concedit, & circa terram Luna. Etenim iste orbis cometarius infringet illorum orbes: aut si solum imaginarij sunt orbes, qua ratione fiat, vt cælestis Cometes tam irregulariter, & non planetarum ritu ad regulas deducibili circumferatur: at & hoc valde premit eos: quoniam plurimos annos latet cometes sub sole, nec assignari potest ratio tantarum latebrarum: cum per mensem vnum gradibus septuaginta visus sit moueri: vel si sursum tunc rapitur, nec proinde videtur, nisi cum ad inferiorem accedit absidem: videbitur quidem ante, & post solem, sicut Venus, & matutinus fit vespertinus apparenter, & citissime, si eius motum nobis notum diuidamus; & non post tot annos.

Quod autem aiunt, fieri posse Cometem per lineas irregulares: omninò inuerisimile est: si enim cælestis res est, vt isti volunt semipythagorici, non habebit irregularitatem ad regulam nullo pacto reducibilem. Si verò vapor est, benè loquuntur, sed eius motus non erit in circulo ab eis assignato: nec vlla passio motus eius demonstrari potest: quemadmodum isti profitentur, id enim irregulare est, quod ignotum est omnino, nisi quo. d accidentia indiuidualia hîc, & nunc sensibilia: sphæras quoque irregulares natura abhorret: & Copernicus, atque Thyco propterea à Ptolomeo desciscunt, quod in centro alieno regularitatem sphærarum, Ptolomeo positam inuenire non potuerunt. Quid ergò nunc reuertamur ad vomitum?

Et quidem non in positione circuli, & materiei, & motus Cometarum corrigendus Thyco videri debet: sed etiam in situatione videtur Galilei assectis: si enim Cometes non est vapor accensus, neque res vlla subsistens, aut perseuerans, argumentum ex diminutione parallaxis nullum est: quæ enim apparenter sunt, vt Iris, Halo, parelii, & alia huiusmodi parallaxim non admittunt, sunt enim solum ad oculos videntis relata. Quapropter oportebat Thyconis assectas prius probare cometam esse rem aliquam subsistentem, hoc est, vel stellam, vel accensum vaporem, & deinde ex parallaxi supra circulos planetarum fieri ipsam demonstrare. Idque concedunt recentiores Galilæo respondentes, sed se nihil hoc cogitare voluisse aiunt: quoniam Cardanus & Telesius id asserentes, non sunt audiendi.

Hæc fuga sciolorũ, nam & Pythagorici veteres, teste Arist. & Stratone apud Plutarchum, & Heraclitus, & Metrodorus, & Xenophanes, vibramenta radiorum solis ex nube esse cometas dixerunt. Telesius præterea inter Philosophos adeò illustris est, vt Europeorum plurimos habeat fautores. Rationes etiam adeò certas, vt sciolis diffidant se posse soluere, idcirco fingant se nolle: qui tamen vbi quid valent etiam infimæ classis sciolis respondent insultantque; sed de his postea. Indoctè etiam concedunt parallaxim. Nam luna; & planetæ sunt lucis solaris spectra Galilæo, & admittunt paral. Argumentum verò sumptum ex modica magnitudine obiectorum valde distantium per Telescopium, adeò insulsum, falsumque deprehenditur, vt nullum magis. Telescopium enim idem in eadem vitrorum distanstia, alias non esset idem, æquè magnificat distantia, ac vicina obiecta, vt experientia probat, & Galilæus ratiocinatur. Et quanquam dicit fixas non adeo magnificari ipse declarat id fieri, quoniam absque tubo videntur cum radiis circumcirca: qui quidem non sunt in fixis, sed in oculis nostris ex reflexione è crystallino in corneam vti experimur quotidie, qui radii per tubum non

videntur,sed quasi abraduntur:hoc etiam in lucernis exploramus, vbi oculos claudendo addimus radios,aperiendo auferimus,& quidem in quæst. de Iride hoc satis demonstrauimus,quoniam iridem lucernæ intra oculos fieri deprehendimus. Hoc etiam palam est, quoniam spatia inter fixas augentur,quæ enim duo sidera vicina videntur per tubum sine vitris: eadem appositis vitris non videntur,quoniam spatium inter ipsas augetur, nedum ipsæ. Prætereà Mediceæ stellæ,& multæ aliæ in firmamento fixæ non videntur sine Telescopio: per Telescopium autem visibiles fiunt: ergò augentur eorum magnitudines valde quantumuis remotissimæ,& qui contra Galilæum in hoc contendere voluerunt,iam omnino pudefacti silebunt.

De Sententia Telesij, Santuccii, & Galilæi de Cometis.

ARTIC. V.

Videtur quidem Telesio Cometes non esse vapor accensus,sed illustratus à Sole intra Cælum Planetarum, & Stellarum aliquandò: & quidem è terra vsque efferri posse autumat, quod nulla occurrit ignea sphæra nobis, sicut Aristoteli, sed tenuissimum æthera,immensúmque collecto calore non donatum,sed eo, qui tenuitates ascendentes consumere non valeat,& quoniam id raro accidit, & non certis repetitis vicibus, idcircò raro Cometas fieri,nec certa temporum lege,quemadmodum eueniret illis, qui vnam de errantibus Cometem faciunt: & quoniam Comas assumit auersas soli per rectam lineam à Sole eas illuminari censendum: & quidem intra æthera, quoniam parallaxis diminutio,& motus vnà cum errantibus,aliquando verò cum fixis,id certò probant. Moueri quoque in gyrum nunc ante Solem,nunc pone,nunc ad Austrum, nunc ad Boream,quo propriæ lucis,& caloris impetus fert: ipsiúsque vaporis natura fugiens inimicas sectánsque amica entia, & loca, & stellas: siquidem vapor à se ipso diuidi non vult, nec rebus ab aliis,quibus fouetur,nec stringi,& in aliud densari ens facilè patitur. *Tel.*

Santuccius Mathematicus Florentinus hanc sententiam libenter suscipit, sed vapores suprà aërem non eleuat,cum adhuc sphæram ignis asserat, & cælorum incorruptelam,sed ex re cælesti fieri illuminata à Sole Cometem contendit. Quid autem res illa sit non dicit nec dicere potest,nisi cum Thycone ex Galaxia ipsam accersiat, quod falsum esse in ipsorum dogmate ostendimus: vel cum Pythagoricis ex stellarum telluribus, quod non credit. Prætereà hoc etiam proprium habet, quod omnis Cometa mittat caudam ad occidentem, & sint vespertini à Sole. Atqui videntur matutini non quidem esse,sed sic apparere; quoniam sunt in paralello borealiore à Sole, & propterea citius oriuntur,sicuti & stellæ multæ, quæ post Solem sunt in longitudine,& tamen ante Solem propter latitudinem borealem oriuntur. Idque etiam probat, quoniam non coma prius oritur,sed caput Cometæ super horizontem. *Sant.*

Galilæus vero Telesij sententiam in nullo non acceptat: & cælum enim ipse aëreæ naturæ,nec dari sphæram ignis; & vapores super Planetas efferri docet in Academico sermone Guiducii. Attamen posse motum Cometæ esse verè rectum affirmat,opinando, non asserendo: nec probari tutò ex parallaxi,quod sit suprà Lunam: prætereà esse quasi virgam lucis in vapore,qualis fit in mari à Sole aduerso in loco vbi spectamus, quando lux quidem est in toto mari: nobis autem sola vna via lucida apparet, qua refranguntur visuales radii rectà ad Solem. *Gal.*

Vtrùm Cometes fiat ex luce reflexa, vel transiliente vapores soli aduersos, vt Telesio, & Galilæo placet.

ART. VI.

1. Cometem non esse reflexionem lucis è vapore, probant recentiores.

Primò visus est Thyconi Cometes magnitudine Iouem adæquans luce nitidus, elegans, & venustus, vnde apparebat potius de substantia cælesti quam elementari, sed lux reflexa non potest videri adeo splendens, elegánsque, ergò &c.

Secundò vapor Cometarius tectà ascendat sursum iuxta Galilæi sententiam oportet; sed anno 1618. quando factus est Cometes in Libræ lancibus, plurimi venti flatúsque præcessere, qui ascensionem tectam omninò impediuissent: est etiam quasi miraculum, quod vapor fluxilis tes, inter æthera fluxile, tenuéque, vbi etiam vapores alij, & concretiones fiunt, incolumis, rectúsque ascendat, ac non potius dissipetur, vt nullam reflectere queat lucem.

Tertiò, dato quod vapor ascendere queat, cum totus à Sole illustretur, nubium appositarum ritu totus fulsisset, & non in stellę caudatæ figura, & ex vna parte & non ex omnibus, sicut borealis aurora, quam lux Solis in vaporibus extra nocum vmbræ aliquando efficere solet. Prætereà fulgorem ex certa parte non remittit, nisi Iris ob aqueam naturam vaporis, quæ quidem crassa cum sit supra Lunam efferri non potest.

Quartò, Cometes anno 1618. adeò fulgens visus est magnúsque, vt superaret magnitudine & fulgore fixas regias, nedum errantes stellas: sed tantus fulgor reflecti non potest, nisi ex materia valde densa, terminatáque opacitate: siquidem trabs eodem tempore visus non fulgens, sed albicans videbatur, radiisque orbatus. At si densus opacúsque vapor Cometicus fuisset occultasset stellas, aut maiores ostendisset, id quod non fecit, ergò tenuissimus fuit, ergò non poterat tantum emittere splendoris, ergò Cometes non est lucis reflexio.

Quintò, vapor ascendens est eiusdem conditionis cum his, qui visi instar macularum ambiunt Solem: sed hi mouentur in gyrum: non ergò videtur in rectum posse semper ascendere, dum fit Cometes.

Sextò, spectrum ex reflexione luminosi vaporis genitum, sectatur motum luminosi; at prædictus motus non sic: etenim quando apparuit in 29. Nouembris Sol erat in 7. Sagittarij, & migrabat ad ortum, Austrúmque in Capricornum; Cometes verò in contrariam partem à principio scorpij, in boream, & occasum, donec in cauda Vrsę maioris extinctus est: nec reuertente Sole in boream in die 22. Decembris, quando Tropicum tenuit, Cometes reuerti cæpit in Austrum, vt vel aduersis motibus imitaretur; ergò nihil habet à Sole.

Septimò, si Cometes reflexio esset pura, ex certis exiret angulis, quę ad oculum faciunt circulum, sicut Iris, & Halo: at motus Cometę non fuit circularis: neque apparentia circularis: neque circuli segmentum.

Octauò, parallaxis simulacrorum est vna cum parallaxi luminosorum, vnde fiunt: sed Cometa non est passus parallaxim solis: ergò non producitur ex reflexione solis. Maior est Galilęi: minor ex obseruatis Thyconis probatur, qui Cometam anni 1577. distasse à terra testatur semidiametris eiusdem 211. Sol autem distat 1150.

Nonò, quę fiunt spectra à luminaribus instabilia sunt: nunc enim apparent: nunc minimè: variant figuram, fulgorem: & breuissimis spatiis temporis durant. Cometes autem per mensem seruat figuram, fulgorem, & regulam, ergò non est de spectrorum natura.

Decimò, Aristot. contra Hipp. probat proptereà non fieri reflexione Cometam: quod plerique per se fiunt, per seque mouentur: nec vllas ambiunt stellas instar coronarum.

Sed in contrarium est autoritas Tost. & aliorum Patrum, qui Cometem

ex reflexione solaris lucis fieri admonent.

Respondeo,multas esse spectrorum differentias. Alia enim sunt solum intra oculos, & referuntur foras,vt Iris circa lucernam apparens, & croceus color spectatus in obiectis per oculum croceo suffusum humore.Alia sunt in re facta ex reflexione, & præsentia alterius rei,qua remota desinunt esse,vt imago in speculo: & Sol in Conca aquæ plena: hac ratione etiam fit via lucis aduerso Sole in mari ad oculum visa directè. Alia dicuntur fieri ex refractione,vt remus in aqua medius apparet fractus in confinio aquæ,& & aeris,quoniam ibi frangitur radius visualis, vt Mathematici aiunt. Nos autem, quia ibi lux tincta coloribus obiecti frangitur,aut diuersificatur. Hæc autem fiunt per plura media,sed hæc plura media,aut variant partes obiecti,vti remi partim in aqua,partim in aëre locati: aut non variant,sicuti denarius visus intra aquam apparet maior,quam sit, & in situ superiori. Alia fiunt transilitione, vt Halo:lux quippè transiliens phialam vitream,aut vaporem,multiplicatur,eiusque radij in oppositam partem profunduntur, at debiliores passim fiunt,qui in phiala sunt vniti,in aëre vero disperguntur,præterquam in puncto coni,vbi pyramidem faciunt.Idem euenit omni imagini: sed propter exilitatem suæ lucis, quæ est color fædatus,iam non apparet,nisi ab opaco reflexa vniantur,& fortificentur, vt reagant in visum nostrum:semper autem in medio vnitiori, & transpicuiori lux, & imago maior,clariorque apparet, puriórque: in rariori & opaciori, minor, obscuriórque, & fædatior: potest tamen ex opaco subiecto in purum reflexa,aut extensa aërem, ipsum quoque aërem fædare: vt cum ex nigra nube prosilit,aut resilit,ostendit.

Porrò si Cometes fit reflexione vti suspicatur Galilæus, oportebit ipsum recto ferri sursum motu; ac veluti quæ ex mari relucet via aduerso Sole, fieri, & caput magnum rotundum non habere. Igitur etsi campus magnus vaporum,& quasi mare sit in æthere,ad nos tamen non reflecti,nisi ea ex parte,ex qua radii,recta ad nos reflectuntur: ergò mutatis nobis,mutaretur Cometæ locus; quemadmodum via lucis in mari: quæ non omnibus eadem,nec mutatis nobis non mutatur, vt quisque experiri potest super mensa læui, vbi lucerna ex aduerso in ipsam incurrens ferit oculos,facitque viam lucis mutabilem ad oculorum mutationem. At quidem hoc non accidit Cometæ: etenim idem visus ab Italis & Hispanis,& Germanis notatur in eadem via Cometes,nedum stella noua in Cassiopea anno 1572. & altera in Sagittario anno 1604.

At si fiat transilitione,quemadmodum nos in textu affirmamus, facilius redduntur apparentiarum causæ,vbi enim vapor conglobatur ibi fit caput, per quod quasi per phialam transiliant in oppositam crines partem: & siquidem rotunda est vaporum congeries, Comam habebunt acutam in extremo; si plana,æqualem principio; si cauam & Sol respicit conuexum,strictam: si concauum,latam; vt experimur in phialis, & hac ratione etiam parallaxis ratio conuincit fieri supra solem: phiala enim, per quam lux transuehitur, parallaxim facit alteram à luminosi corporis illustrantis parallaxi.

Ad primum ergò Resp. quod Sol spectatus in aqua lucentissimus est, & eius lux ex parietibus etiam,& paleis resiliens nitida apparet valde,ita vt à stellarum luce non secerni valeat. Maximè autem nobis existentibus in vmbra.

Ad secundum patet responsio,quoniam licet venti præcessissent vaporum illustrationem, quod ratò accidit,fiunt enim post serenitates, & siccitates: nihilominus haud potuissent vapores eleuatos impedire. Venti enim secundam aëris regionem vix attingunt. Vapores autem iam transilierant circulum vaporosum, donec in locum peruenirent, vbi Cometes formari queat. Multi enim sunt vapores in cælo, sed Cometem non faciunt,nisi recta ad Solem vespertinum,aut matutini sic referantur, vt,& ad nos recta radiorum redditio fiat; si enim apponatur soli aeronichius comam nullam ostendet, cum super auersam regionem promittat.

Ad tertium facilè nos respondemus, quoniam efficit Cometes transilitione splendere totum vaporem,sed ea figura,quam transilitio assumit: qui autem sola illustratione fiunt non habent comas,sed instar trabis,aut ensis,aut pennæ apparent, prout vaporum figura disposita inuenitur. Imperitè deinde fingunt non posse vapores valdè illustrari,nisi aquei sint: quales esse non possunt,qui in æthera eleuantur ob crassitiem repugnantem: nam & ex tabulis, & parietibus, & paleis fit reflexio valdè luminosa, vaporésque elati sunt aquei,nisi in Empedoclis dogmate,qui segregationem, non generationem affirmat,

neæ visionis ad posteriorem arcus partem, vt I. ducatur in L, & D. in N. tunc verè apparebit, cum Sol procedit per N. P. F. eius simulacrum moueri per L. M. N. id quod volebamus. Deinde satis ostendit, A ducerarium in illum errorem incurrisse, quod ascendere in verticem, sit descendere centrum versus. Præterea si id quod facit simulacrum, facit etiam reale obiectum: sequitur, quod dum simulacrum accedit ascendente Sole per I. F. D. versus A. oculum, Sol etiam accedat ad oculum A, id quod est falsum. Quod patet ducendo lineam ab O, in R, rectam: & simul producendo N, G, F, ad P, Q, R, per quam Sol passim potius elongatur ab oculo, & quamuis Sol circulo feratur, nihil obstat rectam fecisse, exempli gratia. Nam si lucerna, aut aliud luminosum rectà eleuetur sursum, efficiet has easdem apparentias prorsus, & argumenta confirmabit super læui tabula facto experimento. Nec Cometes debuit reuerti in conuersione brumali ipsius solis: nisi prorsus immotus stetisset, vti mare, & vapor Cometarius motum nullum habuisset proprium.

Ad septimum non valet ratio, etenim licèt simulacrum sit, non tamen sicut Halo, & Iris, sed nobis: sicut lucis per phialam transuectæ: quæ cometam ostentat stellam. Galilæo verò sicut via lucis in mari, aut virga per nubes transiens, quæ ambæ longam, non circularem referunt figuram. Circularis fit in coniunctione solis cum vapore per centrum oculi, vt Halo; aut in oppositione, quando intermediat oculus, vt Iris. Cometes autem nec iungitur, nec opponitur soli, propterea non debet apparere circuli segmentum, sed via lucida: cuius tamen extrema circulum faciunt, aut rectam lineam, si oculus in gyrum eandem seruans distantiam, aut in rectum mouebitur.

Ad octauum facilè respondemus parallaxim Cometæ facti per lucis transilitionem non oportere esse eandem cum solari, si in coniunctione solis non est, sicut Halo, & Corona. Tunc enim moto visu non amplius eadem corona spectatur, sicuti nec eadem via lucida in mari. At vapor illuminatus suprà mare centum cubitis habet propriam parallaxim ad montes oppositos relatus, semper enim in eodem vapore fit spectrum vndecunque spectetur: non autem in mari, nec in corona. Nec Galilæus asserit nulla simulacra admittere parallaxim, excepto Halone: in cæteris verò seruari docet, sed non ritu verorum simulacrorum. Quod Cometes fiat supra solem aliquando, & parallaxis ostendit, & tempus apparitionis, tantum, quantum habent Planetæ, ac fixæ supra terram vndecunque spectentur. Cometes autem, aut Halo, aut Iris facti in aëre, non spectantur in aliis regionibus; nec durant horis tot, quot stellæ supra terram, & quia ex toto mundo spectantur, ex quoto planetæ, iterum probant proprium situm in regione stellata. Item quia Planetarum sectantur motum, quarum fiunt quasi barbæ, eorúmque situm habent.

Ad nonum dicimus quidem à Sole perpetuò eodem non fieri mutationem in simulacris: sed à materiæ fluxibilitate, & inconstantia, quæ maior est in Iride, & Halone, quoniam propè pugnam elementorum in nostro aëre fiunt. At vapor Cometicus ascendit ad æthera tenuissimum quidem, sed quod non easdem varietates patiatur; & ideò posse per plures durare menses aliquos: aliquos verò non nisi per tres, aut septem dies, alios per horas qui sunt inobseruabiles, prout vapor situm fortitus est sibi magis, aut minus conuenientem vtilemque: & ad solem, & propter hoc variari etiam eius motum, figuram, colorem, & situm: quoniam fluxibili constans materia, à Sole, & à proprio motu, & à stellis, & à motu cæli, & obuiorum interdum vaporum assumit varietatem, ad regulam non reducibilem. Hoc argumentum maximè afficit Aristotelem, cui accensio non potest per horam durare eadem, sicuti nobis illuminatio, & Galilæo.

Telesij tamen sententia verior apparet: quoniam via lucis in mari à distantibus oculis aliter apparet, & alibi. At Cometes anni 1577. nedum stella anni 1572, & 1604. semper visi sunt in eodem situ ab Anglis, & Gallis, & Italis, & Germanis, vt potius vapor lumine repletus, quam via lucis ex amplo vapore rectà relucens existimari debeat. Nec Galilæus nisi problematicè hanc sententiam vulgari voluit, quippe qui nihil temerè pro certo affirmare solet.

Ad decimum Resp. quod reflexio non modo fit in coniunctione luminaris cum illuminato, qualis corona: sed etiam in opposito, & in aliis sitibus, vt palam est.

DE MOTV COMETARVM EX TELESIO, SANTVCIO, ET GALILÆO.

An omnis Cometa sit ad Solem Vespertinus.

ARTIC. VII.

DIctum est in textu, Cometas alios moueri in Orientem, alios in Occidentem, alios in Boream, alios ad Austrum, alios multis, & incertis vagari motibus, quos Cardanus, & Regiomontanus, & veteres notarunt, & quidem quandoque tardius, quandoque velocius: quoniam sui natura mobiles cum sint vapores, quò ipsius commodius, icundiúsve, aut expeditius est iter, eo moueri possunt, eóque assiduè mouentur: & quidem tenues sunt, & incrassari nolunt, quoniam illis densatio est mors, neque ab inuicem separari, dissoluique, quoniam & hoc est mors: sensum autem propriæ conseruationis habent. Idcircò quò iste fert sensus, ipsi feruntur. Adde quod ad stellas, aut ad cæli partem sympathiam, aut antypathiam sortiri possunt, & à vaporibus aliis impediri, & ab ætheris diuersitate in denso & raro, idcirco regula motus eorum non datur, neque enim vbi, & à quo comprimuntur, aut dissoluuntur, aut alliciuntur, aut fugantur, videre possumus. Est vbi immobilitantur, quoniam motus eorum est contra motum cęli, & æqualis, qualis super Ierusalem visus Cometes sub Vespasiano. Aliquando fixarum naturam imitantur, aliquando Planetarum.

Quapropter miror, quomodo in eam deuenit suspicionem Guiducius Galilæi, vt omnem Cometem motu recto, sursúmque semper moueri statui posse opinetur. Santucius verò omnes in ortum ferri, dirigereque comas. Nam quæ apparuit in Cassiopea anno 1572. nec comam, forsan ob distantiam maximam, ostendit: nec semper post solem scandebat horizontem: cum per 18. menses apparuerit Sole totum, & plus circumeunte Zodiacum. Prætereà Cometes anni 1618. visus est ante Solem, positum in quarto Sagittarij, gradibus plusquam triginta, quippè etenim apparuit in principio Scorpij, & digressus est ad Arctos per septuaginta gradus vsque ad caudam Vrsæ, sempérque apparuit ante Solem. Item comam non ad ortum, quemadmodum fieri Santucio oportebat, sed ad occasum, & Boream extendebat. Prætereà neque Cometæ latitudo borealis tanta fuit, vt quamuis orientalior, tamen prior emergeret, vt palam est.

Ratio autem Santucij nulla est, nam etsi aliqua potuerit crinita adeò borealis esse, vt cum esset posterior in ordine signorum, tamen anterior nasceretur, non tamen de omnibus idem obseruandum: vti ex historia diligentissimorum Astronomorum, & oculis nostris ipsi cognouimus. Nec quia non coma, sed caput prius emergit, sit omnis vespertina à Sole. Hoc enim illis accidit modò, quas Santucius obseruauit, non autem omnibus: fateor tamen, me non potuisse commodè his frui spectaculis.

An possit omnibus Cometis rectus modò aptari motus.

ARTIC. VIII.

VIdetur quidem rectus non posse fieri perpetuò Cometarum motus: cum enim vapor sit de nubium natura, quæ in certo desinunt situ, moueri amplius sursum; nequeunt quantumuis enim tenues, non tamen cælo tenuiores: oportet ergo aliquando sistant motum rectum, & accipiant circularem: & quorsum à luce impelluntur, aut à sequela, vel fuga, vt paulo ante dicebamus: & Telesius doctè opinabatur. Prætereà omnis cometes à principio magnus, & deinde minor, & deinde minimus appareret: quo enim magis à terra eleuatur, eo minus visibilis fiat. Santucius

autem obseruat Cometem anni 1572. prius paruam, deinde magnam, deinde maximam. Et quidem nec illam, nec oculos nostros Sol perstringebat à principio. Præterea Cometes genitus in nostro Zenith à principio esset terræ propinquior, nec videretur suprà terram, si fertur cum firmamento, nisi hora vna ob angustiam circuli: deinde videretur horis duabus: & quo magis ascenderet, eò pluribus horis conspiceretur. Nunc autem à principio ad finem videtur æqualibus: ergò non recta fertur. Præterea cum esset in vertice nostro, quando ad motum firmamenti fertur, non videretur coma, si transluceret, vti nobis videtur; vel spectaretur breuior, si veluti placet Galilæo est via lucis in vapore. At hoc non fit, imò notauit Santucius, quod tunc temporis non sublata sursum coma, sed transuersa, & recta ab ortu in occasum, vel è contra spectatur: idque probat contra Aristotelicos, volentes comam esse flammam accensi vaporis, quæ quidem cum recta sursum tendatur, in vertice apparere non posset. Idémque accidet Guiduccio, vt disparcat tunc.

Præterea ipsemet Galilæus fortiter sibi opponit, motum Cometæ in boream: si enim rectus esset incessanter versus Zenith fieri appareret, non autem ad boream: nisi tellus moueatur in Austrum, vt dicebat Copernicus. At neque hoc satisfacit variationi motus Cometæ in boream, neque reuersioni illius Cometæ obseruati à Pontano, qui nunc remissò, nunc concitato gradu ferebatur ad Arctos: vnde tanta celeritate iter reflexit, vt vna die triginta metiretur gradus in Austrum, donec in Arietem, Taurúmque remeans videri desiit: hoc etiam iter valde contrariatur positioni Thyconis de orbe Cometario circa solem. Præterea non semper velocior est Cometes à principio, vti eueniret rectam lato per lineam: quoniam angulus maior fit in oculo, qui tamen continuo minoratur, & hoc positis in regionibus diuersis similiter apparet vti plures obseruatores Itali, & Vltramontani simul referunt. Et quanquam multa dicere possint qui pro Copernico pugnant, semper tamen remanet difficultas, si solus rectus Cometis assignetur motus: & inextricabilia argumenta. Præterea etiam si vni ex Cometis iste motus concedi queat, non tamen omnibus: vnde tutior Telesius quoscumque fert experientia, dari posse docuit: hoc enim, & vaporum instabilitati, & sitibus, & cælorum varietati congruit magis.

Puto equidem Trabem visam in principio Nouembris anno 1518. posse fieri ex reflexa luce, & recto motu, & circulari posse donari potius, quàm subsequens Cometes, capite, & capillis longissimis præditus, nec per æquam viam; sed continuò latiorem vsque ad finem totius comæ.

Vtrùm Cometæ significationem habeant super res humanas, ac naturales.

ARTIC. IX.

EPicureis, & Peripateticis, qui casu Cometam fieri autumant, nihil portendere Cometas visum est, nisi forte æstus, siccitates, & mutationes aëris, & ventos excitatis nouis vaporibus, vel exsiccatis ignea illorum vi.

1. Probatur primò, Deus non dat nobis cometas tanquam signa, quoniam inferiora non curat, fiunt autem aceruato vapore casu quodam. Idcircò nihil significant, nisi quod casu cum eis contingit.

2. Telesius neque mortem Regum, neque Regnorum mutationes, neque alia huiusmodi portendere probat: quoniam etiam sine Cometis ista sæpè accidunt: & aliquando præcedentibus Cometis non accidunt. Item cum intemperies aëris fit, mors plebeis, & principibus contingit, notatur autem magis in principibus, ideò non propter illos accidunt: sed neque in illos tantum operantur, licet nobis ita videatur.

3. Præterea Res humanæ libero arbitrio reguntur, quod sidereis passionibus non

subditur; ergò bella saltem, & regnorum mutationes, & violentæ neces, & hæreses, & seditiones a voluntate hominis ortæ, á Cometis non indicantur.

4. Cometæ rerum futurarum non habent significationem, vt causa super effectum. Nam causa facit sibi simile: ergò Cometa cometam facit, aut calefactionem, aut lucem, quatenus corpus est calidum, & lucens: non autem pestes, mortes, regnum nouum, legem: quæ sunt alterius generis. Neque vt effectus. Præteritum enim futurorum non est effectus. Nec vt signum: hoc enim signum, vel est à Deo; & semper significatum eueniret: & Deus nobis reuelasset quid quicumque Cometes indicet, & super quibus rebus: vel est a natura, & sic vel necessariū; & semper eueniret, quod significat: vel contingens frequenter, & sic quasi nunquam falleret, vt hyems est quasi semper pluuiosa. Vel contingens rarò; & sic casu, & furtuitu aliquid significat: & nullam facit nobis scientiam, vt probatur primò. Poster. & 6. Metaph. ab Aristotele.

Scripsit Autor 1611. 5. Si Cometes consignificat, ergò & cadentia sidera, & lampades, & dolia ardentia, & trabes, & fulgura, & fulmina, & tonitrua, & colores, & coronæ stellis accidentes, & pallor solis, & pluralitas solis, & Lunæ, & clypei ardentes, & ignes discurrentes, & faces in sepulchretis, & luces nauigantibus in malo apparentes, & militibus in pileis, & hastis, & equis, & hominibus pugnantibus flammulæ: quod si acceptet, nulla erit res insolita, quæ aliquid non significet, ergo vera sunt auguria, & auspicia, & obseruationes Gentilium, quas pietas Christiana execrat.

1634.

APPENDIX.

6. PRæstereà Canones sacri & Bullæ Sixti V. & Vrb. VIII. damnant prædictionem Astrologicam sub pænis grauissimis: ergò istæ prædictiones sunt fallaces. Nam Papa omnia potest pro veritate: & nihil contra veritatem, vt dicit Apost. 2. Cor. 13.

SED Contra est Matth. Euangelium narrans, quod stella Deo sic iubente Magis Monarchæ orbis terrarum Dei natiuitatem ostendit. Nec Deus nobis errandi in suo orbe

Autoritas. tu occasionem dedisset, si obseruatio Cometarum & siderum diabolica esset. Nam & Christi stellam Calcidicus Platonicus memorat ad probandum significationem Cometarum, & alii multi, & solus Faustus Manichæus insimular Math. erroris Gentilium, teste S. Aug. ait, ser. de Epiph. quod Astrologi putarunt stellā illam esse fatum, sed fuit signum, & in q. 63. Qui etiam Nou. & Vet. Test. Iudæorum natum Regē intellexerunt, cum stella temporalis Rex soleat designari. vnde & Tost. ait, *Cometa Regum mortem non natiu. signat.* Et Beda in lib. de Rerum nat. cap. 24. *Cometæ*, ait, *sunt stellæ flammis crinitæ, repentè nascentes Regni mutationem, aut pestilentiam, aut bella, aut ventos, aut æstus portendentes.* Et S. Leo Papa in serm. & Patres sancti doctissimi approbant studium spectantium sidera, & Cometas. Item legitur in vita Sanctorum, quod in obitu eorum, sępè solet apparere sidus comatum, vt in morte sancti Thomæ Aquinatis, & quod ignis columna prodiderit S. Gregorium latitantem: & examen apum sancti Ambrosij eloquentiam, & sanctitatem, teste Paulino, & Cometes gladij effigie per annum Ie-

Experientia. rosolymis imminens prænunciauit exeidium à Tito illatum, teste Iosepho: & Constantinopoli, teste Nicephoro: & Mexicanis, teste Buteto, aduentum Hispanorum. Item S. Beda de temporibus, & in historia sæpè sępius probat ratione, autoritate, & experientia, Cometas habere significationem in res sublunares. Item S. Damascenus lib. 2. de fide Ortod. cap. 25. in res sublunares naturales, & humanas, & supernaturales, vt signa. Historiæ autem Gentilium plenæ sunt his portentis, vt de Cometa in bello Cæsaris, & Pompei: & altero in principio Neronis, & in morte Cæsaris de Bolida in bello Mutinensi, & de Trabe cum Lacedæmones Classe victi imperium Græciȩ amiserunt, & de Cometa significatore Tamerlanis, & de altero Lutheri, & de altero ante schisma Anglicanum: & si

Ratio. hoc argumentum persequi velim, libros pęgrandes totos scribere oporteret.

Sed & ratio ipsa suadet, nedum experientia. Mundus enim instar horologii pulcherrimi constructus, quidquid noui accidit priorem mutat ordinem, & nouum orditur. Præterea lux, & calor tantus, nouáque stella mundo addita, necessario aliquid facit aut destruit eorum quæ fiebant. Pręterea impium, stultúmque videtur putare, quod res tanta in Dei opificio casu accidat, & non propter finem, sed pręter Dei or-

dinationem: ergò ad significandum, & faciendum nouitates res tanta, ac noua à Deo prærordinatur. Præterea significatio datur obseruantibus signum: inter animalia solus homo obseruat cometas: ergò datur illi propriè in signum, & super res humanas habet indicationem, nedum super naturales, in quas habet actionem, sicut omnis calor, & stella. Præterea Deus, & natura nihil faciunt frustra: Ergò multo minus tam magna entia, & spectacula mirifica. Præterea probatur ex consensu cunctarum nationum significationem cometis adscribentium. Item omnium Astrologorum, præcipuè autem Ptolomei: cuius doctrinam de cometis, & ecclypsibus certis, & si non plurimis experimentis verám inuenio: & præcipuè ante duos annos cometes in Leone visus horoscopante in Natalitio Rodulphi Imperatoris, ei carceres, & mortem minatus, hoc anno 1612. perfecit. Ecclypsis autem anni 1606. in 4. Lib. qui est locus solis aphetæ P. notissimi in politica laborem, & schisma Hen. verificauit: prædixique illis reconciliationem in 1607. propter Ecclypsim solarem in piscibus Ioue & Venere interregnantibus, & subsecuta est pax post tres menses, quoniam in vndecima domo ferè ecclypsis præcesserat ante meridiem. Similiter in Calabria anno 1599. Cometes Mercurialis, & Martialis prope terram visus in quadrato Saturni qui erat in libra meo horoscopo, prouinciæ & mihi cladem indicauit: contestantibus terremotibus, & inundationibus eadem configuratione excitatis, & aduentu militum ab occidente, vnde motus cometæ in ortum fieri cernebatur: & depopulatione regionis, & plurimorum captiuitate, & ruina: & pauca quidem, aut nulla fuit à nobis facta diuinatio ex cometis & ecclypsibus falsidica. *Experiēt.*

APPENDIX.

COmetæ duo anni 1618. præcesserunt Turcarum bellum: Imperij ipsorum pericula, mortem, depositionem duorum Turcarum Imperatorum: & apud nos mortem Romani Imperatoris: Bohemiæ inuasionem: Palatini Comitis expulsionem: duorum summorum Pontificum mortem: Galliarum turbationes, & Sueciorum, & Polonorum, Persarum illuuionem citrà Babylonem: Mortem Regis Hispani. Ormuzi, & Brasilis amissionem, & cunctarum rerum mutationes. Thyco etiam an 1572. ex noua stella sedilis Cassiopeæ prædixit de Finlandia oriturū ducem, qui subiugaret Europam, & mutaret imperiū & religionē ad melius, in anno 1632. & in hoc eodem anno, Dux Finlandiæ Rex Sueciæ inuasit Imperium prostrauit Germaniam in hoc cōfisus oraculo. At in culmine victoriarum occisus est anno 1633. sui tamen adhuc prosequuntur bellum.

Ad primum Resp. Quod licet respectu nostri prouidentiam Dei, & ordinem causarum ignorantium, casu fiant cometæ; non tamen Deo, & naturæ. Si ego præcipetem seruo, vt foderet vitem, vbi cælaui pecuniam, ipse casu sibi, non autem mihi, pecuniam inueniret. Quod autem Deus mortalia curet, notissimum est considerare volentibus rerum ordinem, vsus, constructionem, & finem, & sapientiam hominis, quæ non nisi à causa sapientissima regente mundum originem habere potest, vt alibi probauimus. Item dicimus, quod vapores, & siccitates per se generant cometæ: quoniam lux calida est, additaque lucibus stellarum, & solis nouas in rerta actiones facit; sicut Canicula soli addita: pestes autem, & fames ex vapore diro aërem inficiente, & fruges, & corpora nostra infirmante, suboriuntur per accidens. Bella quoque ex accensione iræ, & fastidio præsentium non necessariò fiunt, sed per accidens, si animus humanus passionibus per sidera illatis consentire vult, quod sæpius euenit, teste S. Thom. 3. contra gent. quoniam homines sensu potius, quam ratione reguntur, proptereáque culpantur.

Ad secundum respondetur: quod secundum naturam per se faciunt aëris mutationes, & aquarum, sed per accidens, bella, & pestes, & mortes regum, ac plebeorum, si naturam cometæ spectes, in quantum causa est vel concausa mutationum harum: sed quatenus est aliquando signum positum à Deo, aliquid portendit, quod tamen non causat, veluti mortem sanct. Chr. natiuit. &c. Habent tamen ex natura significationem super Reges, & illustria, ait Beda & Ptol. quando sunt primo exortu in fastigio cæli his, quibus fastigiant tantum: & cum sunt in signo regio: & cum Iouiales, solares: quæ

oportebat distinguere: nec putare, quod semper plebi & Regi simul, & idem comminatur, licèt natura vaporis hanc distinctionem non ferat, fert tamen cæli, & siderum configuratio, & symbolum cum cometa. Vide Ptolom. in 2. quat. Item dicimus non esse causas necessarias, nisi vaporum, æstus, siccitatis, humiditatisque per se: sed per accidens cætera posse ab eis fieri, vel ex instituto diuino significari. Cometes Ierosolymis cladem annuncians, ensis effigiem habebat; hoc autem natura non facit, sed tantum vaporem illuminatum. Deus autem naturæ autor, Angelorum ministerio aptat naturam in figura, & colore cometæ, vt possit etiam significare aliquid, quod de se non facit: & qui hanc doctrinam spernit, negat totam Theologiam, & historias gẽtiles, & Christianas, ac nullam potest rationem certam reddere de huiusmodi portentis: quoniam potiores causas omittit: ex instrumentis autem quid certi dicent?

Ad tertium Resp. quod voluntas humana non subditur cælo, neque passionibus corporalibus, nisi volens, & consentiens sponte: alioquin, vel nemo peccaret, si non posset, nisi rationem sequi: vt dicit Iouinianus: vel necessariò peccaret, vt dicit Manes si cogi à passionibus posset: quorum vtrunque falsum. Dicimus ergò agere cælum in voluntatem indirectè, dum calorem & frigus, siccitatem, & humorum commotionem, & corporis affectiones per se gignit, quibus voluntas sępè trahitur: & ideò Astrologi sæpè diuinant de arbitrariis quoque actionibus, teste S. Thoma doctè hoc ipsum interpretante.

Ad quartum Respondetur quod futurorum cometæ sunt causæ per se, & per accidens: per se qualitatum elementarium, & affectionum corporis: per accidens verò rerum, quæ has mox sequi consueuerunt: & ideò significant syllogismo demonstratiuo, quæ per se faciunt: probabili verò, quæ per accidens. Item aio, futurorum non esse effectum cometam, sed posse esse coëffectum: causa enim rei futuræ potest & cometæ esse causa. i. siccitatis exhalationisque & simul cometæ, qui est effectus eiusdem constellationis, siccitatem facientis: licet autem ab vno effectu præcedenti alium consequentem syllogizare. Item aio esse cometam aliquando à Deo; & tunc aliquid supernaturale habet, quoniam sæpè figuram humanam præ se fert, teste Plinio, & Butero, & S. Chrysostomo; aliquando gladij formam: aliquando motum, quasi rationalem, vt fuit cometes Christi, procul dubio ab Angelo tali motu, & situ donatus; & cum captiui remiges inito consilio vellent occidere Turcas milites, & aufugere cum duabus triremibus (facinus audax) in nocte decreta affuit igneus globus in triremibus candidus blandiens Christianis; vt mihi narrauit vir bonus vnus ex eis: qui exhilarati portento, remibus, & gladiis milites & heros interemerunt, & fugerunt in Hispaniæ littora alacriter. Puto quod & diabolus aliquando hos ignes ostendit, sed tetros sulphureos, non autem cometas faciat, qui ad vniuersi gubernatum, & ordinationem spectant. Igitur quando à Deo per Angelorum ministerium ad significandum accommodatur, vel à natura iussu Dei, vt Iris, teste Moyse, nunquam fallit in eo, quod significat: quando verò à Natura, vt signum ponit, potest fallere frustrato effectu per superuenientem Eclypsim, aut cometam contrarium; qui prioris decreta tollit, vel auget, vel mutat: & tunc est prophetiæ comminatoriæ persimilis non prædestinatoriæ, quę semper impletur. Neque oportebat à Deo nos doceri quid, quando portendat: mundum enim tradidit disputationi nostræ, vt exerceantur ingenia in consideratione Autoris, teste Richardo in Benjamin maiori, siquidem vt Christus in Euangelio ait, faciem cæli ex colore nubium, & coruscatione homo discernere potest, & pluuias, & serenitates diuinare: nec tamen à Deo docti sumus ista: sed vt quæramus, voluit, & exerceamur.

Nota quod potest necessaria demonstratio fieri à signo, quod non est neque causa, neque effectus, vt cùm probat Euclides triangulũ æquilaterũ, quoniã latera æqualium circulorum possunt esse semidiametri: esse semidiametrum circuli, non est causa, quod sit æquiualens: nam etiam non constitutis circulis à principio æquale erat latus lateri: neque est effectus: sed signum modò intellectui nostro per notiora ignota captanti: sic cometas potest aliquando signum esse cum neque effectus, neque causa sit, & à natura, & à Deo. Vide logicam nostram. Fortuitò verò non fieri, iam dictum est. Decem autem notanda sunt in cometæ iudicio, magnitudo, color, splendor, forma, duratio, situs, lo-

cus signiferi, motus habitus ad solem, & ad mundum, de quibus in Astrologicis.

Ad quintum Resp. quod nihil fit sine causa, & quidquid per accidens & à casu respectu aliquarum causarum fit, reducitur ad causas per se: & ideò quæcunque ostenta significant, aut efficiunt aliquid. De cadentibus sideribus, & iaculationibus ignitis Ptolomeus pauca, & vera tradidit. De cæteris Plinius narrat euentus. Nec propterea cuilibet signo credendum est: nam fiunt aliqua à demonibus ad fallendum. Sed quidquid à natura fit, & demon immisceri non potest, aliquid operatur, & significat. Deus enim, & natura frustra nihil operatur. Auguria autem capiuntur per signa à nobis posita: quibus, cum vana & futilia, vel ad prauum finem sunt, dæmones respondent, teste S. August. Quando verò ex Dei instituto, & naturæ, nihil est quod timeas. Vide Metaph. super hoc; quoniam ipse expertus sum in cunctis hisce signis plurima: & fallacias demonum detexi. Nec loquor, vt stulti, & femellæ solent, decepti imaginatione, sed sensata experientia, & verè, quidquid Athei indocti & ad pauca respicientes obloquantur.

Ad sextum Resp. S. Pontifices vetare (ait Sanct. Thom.) quædam vt falsa: quædam vt periculosa. Nec ergo aduersari veritatibus naturalibus, neque Euangelio Mathæi, neque Patribus, neque Scholasticis Theologis: imò fauere. Illi enim tria prohibent, vnum quidem tanquam Sacerdotes, id quod à Deo principaliter est, tribui creaturis, idest Astris, in fauorem idolatriæ: secundum tanquam sapientes, id quod falsum incertumque est haberi pro vero, certoque: tertium vt politiæ totius curatores, id quod probabile, & coniecturale est, in Reip. perniciem pro certo conuerti: quartum vt sacerdotes & sapientes, & Principes simul, vetanr stellis humani arbitrij libertatem subiicere. At Matth. Euangelista, non quidem Astrologismum confirmat eorum, qui teste Augustino & Beda, fatum inuincibile sideribus tribuunt, vt putat ineptè Faustus Manich. sed eorum, qui fatum à fante Deo agnoscunt, & stellam in Christi natiuitate non dedisse fatum Deo, sed accepisse fatum idest decretum à fante Deo (ait Aug.) asseuerant. Vt enim Christus se siderum conditorem declararet, nouum sidus ad sibi famulandum tunc fieri iussit. Et quoniam gentiles siderali scientiæ plurimum tribuebant, siderali ostento facto supra naturam, tanquam argumento ad hominem, suam natiuitatem esse supra naturam declarauit. Non enim, ait Beda, erat planeta: quoniam extra zodiacum; nec fixa quoniam nunc ad ortum, nunc ad occasum ferebatur; & nunc stabat, & descendebat; nunc incedebat, veluti columna nubis sub Moyse. Iudæis verò reuelationem non stellarum, sed Prophetarum & Angelorum, argumento ad homines iis eredere solitos, & ad rem facto, traxit ad fidem. Mat. & Moys. de hac stella loquentes, dant occasionem Philosophandi, vt Dauid monet. Psal. 8.

Præterea S. Pontifices vetant prognosticum ex Astris, non autem ex cometis, ab omnibus approbatum ni periculosum. Amplius quoniam cœlum non agit supernaturaliter: nec moraliter, sed naturaliter, non vetatur prædictio eorum quæ ab astris verè & certò fiunt; vt anni tempora per ingressum solis in puncta Cardinalia, & eclipsim, & siderum congressus res inferiores mutantium; & quod sublunaria à motibus astrorum afficiantur ac mutentur in communi. Hoc enim pro vero certoque in Kalendariis suis affirmant & Pontifices, & Doctores: sed quod prædicunt de supernaturalibus & arbitrariis, hoc vetant S. Pontifices. Etenim probatum est in omni Philosophia, quòd rerum, supernaturalium sidera sunt tantum signa: vt dicitur in Euangelio, *Erunt signa in Sole & Luna, stellis.* Et Aug. ait de stella Christi, Magus, & Astrologus *putauere fatum, sed fuit signum.* Nam à Deo eleuantur ad significationem supernaturalem. Rerum verò naturalium ordinariarum sunt causæ vniuersales, & signa; & sic de his Astrologari Philosophi & Theologi concedunt. Vnde in bullis approbatur Astrologia tanquam vtilis ad Medicinam, ad Agriculturam, & ad Nauigatoriam. Et Christus in Euangelio ait, *Faciem cœli diiudicare nostis, dicitis enim mane: Hodie tempestas: rutilat enim triste cœlum: & sic est &c.* At eorum quæ vel rarò accidunt, vt quòd hodie pluat, cras spiret boreas, causæ sunt frequenter; & pro- Luc. 12. Math. 16.

babilis hinc fit scientia, nunquam prohibita. Rerum verò arbitrariarum sunt causæ per accidens & indirectè. Cœlestia enim per se mouent, illuminant, calefaciuntque, ac attenuant, humectant, & indurant per accidens, & infrigidant. Atqui ad has impressiones sequitur directè licèt aliquando per accidens sterilitas, abundantia, infirmitates, sanitas, æstuatio & corporum afflictio, & Bruchi, & vanæ, &c. Et de his prædicere nulli negatur: sequitur etiam per accidens, sed indirectè in mente humana studium bellandi, pacificatio, Reip. mutatio, regnorum calamitas, hæreses, & nouæ scientiæ, & noui ordines religionum & populorum transmigrationes, & peccata, & opera pia, ex arbitrio humano pendentia. Cum enim ait, D.Thom. 3.cont.gent. sidera directè agant in corpora, & in spiritum sensitiuum corpulentiæ alligatum & organis; vnde succedit voluptas, ira, timor, & aliæ passiones, à quibus mens organo non alligata accipit notiones & affectiones sensibiles; quibus potest per suam libertatem assentire & dissentire, & operari secundum illas & contra. (Indirectè enim sic in illam possunt sidera) fit vt non nisi coniecturaliter de euentibus arbitrariis possit Physicus prognosticari sicut & politicus ex aliis signis, & affectibus: propterea Pontifices prisci, vt patet ex canonibus, & ex regulis positis in Concilio Trid. vetuerunt fieri certum prognosticum, sed non vetuere coniecturale. Hoc enim ibi & ab omnibus Scholasticis & Patribus conceditur. At Sixtus V. vetuit etiam prognosticum coniecturale. Non quia nobis negat coniecturas concessas à Physicis & Theologis, sed negat themata cœlestia, natalia, & extemporanea ad certos euentus, quoniam perniciosa sunt conscientiis & Reip. Multa enim (ait S. Thom.) prohibentur quia falsa; multa quia periculosa, vt gestare pugiones, & Archibugettos: quamuis, ait. Astrologi de arbitrariis etiam iudicium verum sæpè ferant, quoniam plures homines reguntur passionibus sensualibus, quæ subsunt astris, quàm ratione pura, quæ libera ab astrali dominio est. At Vrb. 8. vetuit etiam non modo & coniecturales figuras Astrologicas, sed etiam si fiant aut teneantur aut dicantur, etiam cum protestatione, & recitatiuè, vt si dicat: hoc dicit Astrologia, sed ego non credo, & protestor me non credere. Hoc enim dicunt ad eludendam vim Pontificij diplomatis, & cum pernicie Reip. etenim venere propter Astrologismum minantem Pontifici mortem, Cardinales ab Hispania ad nouum Papam eligendum anno 1633. & omnes principes in Astrologismo confisi cogitabant nouitatem facere, & mouere. Sæpèque accidit, vt venenis & insidiis, & bello appetant eos, quos Astrologus morituros affirmat. Scimus quid Arbaces, Drusus, Agathocles, & alij, capta occasione ex Astris aggressi sunt. Item alij putant ad mala æquè atque ad bona sideribus vrgeri, & libertatem pessundant: imò aggrediuntur coniecturales euentus pro certis, sicut Rex Sueciæ ex Thyconis prognosi Imperium & Religionem mutare tentauit: & occisus est: propterea mirificus Vrb. VIII. prognostica de Papatu & Religione arctissimè inhibuit, tum quia non subsunt Astris nisi valdè per accidens: de his autem quæ per accidens fiunt non est scientia: tum quia Reip. periculosissima: & abusui obnoxia. Mouent quidem sidera sensus hominis: sensus vero suggerunt mentibus, liberis quidem, nam alij in bonum alij in malum à sideratione moti, feruntur; sicuti nautæ ab eadem Cœli pluuia agitari, alij blasphemant, alij vouent, orantque Deum. Ita quod motio vniuersalis modificatur ab arbitrio particulari: constat ergo quam fidem possumus adhibere Astrologismo: at longè tutiorem cometis, quoniam Dei nutu; vt Beda, & Damasc. & Aug. testantur ex tempore fiunt, vt signa faciendorum à Deo; & causæ motionum elementarium per se, & mentis humanæ per accidens, circa signa & causationes liberè operantis. Vide quæst. pro bullis Pontificum contra iudiciarios.

QVÆST.

QVÆST. XXV.

DE IRIDE.

De Iride multa controuertuntur, quæ breuiter, ac sensatè dilucidare oportet.

Et 1. An omnis Iris fiat in nube rorida reflectente visum ad corpus luminosum, posito oculo inter nubem, & luminare.

2. An colores Iridis fiant propterea quod splendidum in nigro, & per nigrum apparet puniceum, & visus longiùs extensus languet, & trahatur ad viride.

3. Vtrùm sint tres tantum colores Iridis, quia aspectus tripliciter validus, medius, & imbecillior, tres transit in colores.

4. Vtrùm duplex Iris fiat, qua placet Aristoteli ratione, an Assecli, an meliorem præstet Telesius.

5. Vtrùm Spatium album inter duas Irides à fortiori luce occupatum.

6. Cur Iris matutina complet, sed angustiorem; meridiana complet, sed ampliorem repræsentat circulum.

7. Vtrùm Iris lucernæ, & foraminis obscuræ aulæ, fiat in lucerna, & foramine, an in oculo cernentis.

Vtrùm omnis Iris sit reflexio.

ARTIC. I.

VIDETVR Aristoteli in 3. Meteor. c. 2. tex. 10. & 11. Propterea quæ Iridi accidunt, euenire, quod sit reflexio: cum enim docuisset à tex. 8. quod nunquam fit completus circulus, & quod nunc, & vesperi non fit maior semicirculo, sed amplioris ambitus & in Autumno, in æstate raro: & semper tricolor: aliquando verò duplex, nunquam numerosior, sed contrario ordine colorata, quoniam circulus interioris amplior puniceus; exterioris verò angustior: medius vtriusque viridis, extremus purpureus: Concludit in tex. 10. Horum omnium causa est, quoniam Iris reflexio est.

1. Probat in tex. 12. quoniam ibi fit modo: vbi visus flecti potest, vid. in aqua, & speculo, & aëre, quando fit speculum: fit autem vbi nubes in minutas aquæ guttas concrescit, quæ quamuis non continuæ continuum repræsentant colorem ob transpicuitatem, non autem figuram ob paruitatem.

2. Probat Telesius lib. de Iride c. 5. idem, quoniam subitò fit, & subitò aboletur, quod directè perseueranti aspectui non accidit.

3. Item quoniam aboletur nube nihil inmutata, sed interposita altera nube inter illam, & solem.

4. Quoniam quæ in guttis aquæ remo, vel manu sparsis fit, non apparet fieri vspiam

Hh

nisi luce in eas effusa; cuius aspectu illico gignitur, & disparitione euanescit.

An in nube tantum opposita fiat Iris.

SEcundò quæritur, vtrum Iris fiat solum in nube opposita soli è regione, vti videtur Aristoteli, & non aliter.

1. Probat assertum ibidem tex.20. quoniam fieri non potest Iris nisi in nube rorida, sed non potest rorescere, nisi è regione: aliæ enim illi viciniores sunt, & calore dissoluuntur.

2. Item nec nisi nostro visui nubes fiat speculum, vnde reflectatur ad solem: quamobrem alij colores luci proximiores apparent: alij distantiores, prout vivacior, aut languidior visionis fit reflexio. Et hoc fieri non potest, nisi nobis positis inter solem,& nubem, in qua sicut in speculum intuemur. Oportet ergò per visum centrum Iridis, & solis rectam lineam quasi transire: quod aliter non fiat: hoc ergò modo tantum fiat Iris oportet.

3. Ego quoque soleo ad lucem per fenestram intrantem spargere aquam; ibique Iridem intueri, at non nisi medius sim inter solem sparsasque guttas: qui enim sunt à latere, vel vltra guttas non ipsam Iridem, sed solas guttas vident: vident autem, qui citrà mecum sunt Iridem.

4. Probari potest ex hoc, quod dum per littora Ionici Stylo Scillaceum versus equitarem, sole in altum mare quasi ad meridiem posito, videbatur Iris in iugis Apennini ad Boream fieri, & ambulare versus Orientem, quorsum ipse ibam. Montes autem omnes nubilosi, & tempus pluuiosum erat. In aliis verò locis Iris nulla fiebat. Ergò non nisi nobis positis inter solem, & nubem fit.

SED Contra duplex assertum Aristotelis insurgit Telesius.

Primo, Sæpe visuntur Irides à latere solis: quas inter solemque nos minimè sumus.

2. Traditur in historiis visas esse multas Irides simul vsque ad 4 non minus decem gradibus à sole distantes. Vide Plin. lib. 2. Alber. in 3. Met. Plutar. &c.

3. Præterea quæ fit in guttis aquæ remo sublatis, & quæ in phiala vitrea aquæ plena, & in vitro ferratili, & circa lucernam planè apparent nobis inter luminare,& Iridem nequaquam positis.

4. Adde etiam, quæ in saponis vexiculis visuntur.

5. Præterea quoniam color est lux,materiæ fœdata nigredine, palam est non oportere ad ipsius generationem aduersam nigredinem. Nam virgæ, quas rabilios Arist. vocat, tinctæ irinis coloribus è sole transeunte per nubes fiunt nobis aduersis, nubibus verò mediis.

6. Item visæ sunt sub sole Irides plures in modum coronæ completo circulo, vt palam sit non in opposita modo, sed in supposita etiam nube fieri Iridem, & colores eiusmodi.

7. Ipse quoque sol nubibus leuibus tectus puniceus: crassioribus flauus; aliis subrufus apparet, & in aëre omnes colores gignuntur, luce nubes permeante, nedum resiliente.

Accusatur Arist quod non nisi in roscida nube incipiente in aquas stillari, fieri probat Iridem.

Primo, quoniam circa lucernam in crassiusculo aëre fit, qui nullam vertitur in pluuiam.

2. Quoniam & nubes, & aër densus colorantur irinis speciebus, & sol ipse per nubes non aqueas conspectus.

3. Quoniam sæpè neque præcedentibus, neque succedentibus fit pluuiis.

4. Quoniam Iris stabilis spectatur aliquanto tempore, guttæ autem extemplò ac gignuntur decidunt: quod si aliæ illarum loco succedant, impossibile est tam citò ex eadem nubis portione, & quod nulla fiat immutatio in Iride continua, sicuti fit successio continua guttarum.

At si quis contra Telesium dicat, sensum latere, fallitur. Nam per quindecim ferè horæ minuta ipse Iridem aspexi absque nube roscida fieri, & permanere mirificam semel, & ter, & nulla præcedente, aut sequente pluuia. Item quam ipse guttis fingere soleo, statim euanescit guttis cadentibus, quamuis minutissimis; & quæ tantum lento motu cadant, sicuti puluis lentè in aquam submergitur, & cum nouas ore aspersiones facio fit mutatio in Iridem.

Illud tertio loco Arist. damnat, quod non nisi dicas fieri mutuò ambientes statuat, cum & quatuor simul factas historici, & Peripatetici nouerint. *Contra 3.*

2. Item, cum si mille remi eleuent aquas mille Irides fiant, non est dubium, quia si nubes distinctæ soli opponantur, & supponantur, vndecumque plures itidem fiant.

Quartò errat, quoniam semicirculo maiores fieri non posse autumat, cuius contrarium experientia docuit. Senecam in p. q. nat. & Auer. in 3. Meteor. & Albertus. Ego quoque Neapoli ex arce Santermiana videbam Iridem in planitie citrà Vesuuium montem, sole in Occidente properante, altissimam supra quam dici possit, excedentē longè semicirculum: & quidem non nisi ouatum, quod non semel spectaculum exhibuit. Videbantur enim quasi duæ columnæ in planitie eleuatissimæ, in cuius summitate dupla, vel tripla supra montem Santermum, & Vesuuium eminente, quasi fornix complebatur, viuidis coloribus: & per minuta horaria quasi decem aut quindecim perseuerauit. Item quæ fit in supposita nube, & in lucerna integrum obtinet Iris circulum. *Contra 4.*


SED Contra Aristotelis, & Telesij assertionem nos plurima habemus experimenta. Et licet enim in nubibus fiat ex reflexa luce Iris, haud tamen omnis Iris eadem ratione fit, sed plurimæ intra oculum ex reflexione lucis ex crystallino ad vueam, & album oculi, quod multis post experimentis sic inuenimus.

Primo enim in lucernæ circuitu, vbi nulla aëris crassities, video circularem fieri Iridem, cum tamen lux sit pyramidalis: & vndique circulum absolutum tribus coloribus plerumque: cuius extimus rubicundus, subsequens flauus, tertius viridis, mox sequitur intimus, interdum alurgus: si autem Iris à luce fieret, tunc non circularis, sed pyramidalis esset. Et si in aëre vaporoso, tunc pars ima, in quam vapores è flamma non descendunt, nulla pars Iridis esset. Sed semicirculus saltem appareret, vel differentia saltem colorum: vt suprema pars viridiores, & alterius speciei colores obtineat, vbi vapor crassus attollitur: Verum agnosco nil efficere vaporem illum cum sit teter, nisi quia lucis apicem rubram reddit. Sed Iris super ipsam & tetram fuliginem, appatet. Item quando ipse propinquior lucernæ fio, Iris fit angusta, parui scilicet circuli; & quo magis a lucerna recedo, eò magis ampliatur Irinus circulus totus, donec me abeunte cum per palmum creuerit, si plus recedo, euanescit. At si fieret in aere propinquo non cresceret ex meo recessu, quoniam aër ille crassus haud propter me recedentem amplatur recedit vc; sed quoniam dum recedo pupilla oculi dilatatur, & neruuli eam stringentis quasi os marsupij, fit laxatio, & crescit Iris ad confinia latiora vueæ, vt patet ex dictis in Physiologia nostra.

Prætereà me certum reddo: quoniam si posuero digitum inter oculi centrum, & lumen, ita vt lumen in crystallinum non intret statim euanescit Iris, quæ circa lumen videbatur, & in illo aëre, mihi non minus viso nunc atque ante, nullus fit color Irinus: fiendus quidem in eo ex luce reflexa, quam illi non impedio: sed meo tantum crystallino, si verè & antea erat Iris in ipso. Prætereà soleo inter Iridem illam, & oculum ponere pilei, aut nigræ vestis partem, vt aërem circa lumen non videam, sed solum lumen & tunc Iris fit mihi citra pannum, & pileum, quæ prius circa lucernam in aëre fiebat: verum paulo angustioris circuli; & eò angustioris, quo obiecta res oculo est vicinior; amplioris, quo distantior, vt nulla restet dubitatio fieri Iridem in oculo, & non in aëre ex luce reflexa ex crystallino. Verum est hoc obseruandum, quod si post lucernam aliam lucem, vel albam rem posueris, non apparet Iris, at si nigram magis, & certius apparet: quoniam illa lux, & albedo totum oculum subiens colorationem radiorum ex crystallino in oculi ambitum sua specie vincit, insensilemque reddit. At & hoc nulli non persuadeat, quod in speculo illa Iris non apparet, si centrum

abſcondatur: Ergò non eſt in aëre. Iris autem quæ in nube fit, apparet optimè in ſpeculo etiamſi ſolis, & lucis centrum in ipſum non reſpiciat. Etenim cum fieret intra Veſuuium, & Santermum Iris, & egò non poſſem videre ex feneſtra in occaſum ſpectante, extuli ſpeculum auerſum ſoli, & aduerſum Iridi, audiens à mulieribus, quod ibi erat Iris, & vidi eam optimè; vt verè dixerit Deus, arcum ponam in nubibus cæli, & Eccleſ. quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ.

Præterea aliud mirabile promam, ex foramine quadrato, cuius quodlibet latus palmi eſt vnius, intrat in obſcurum cubiculum lux aëris non viua ſolaris; & intus ſi nulla eſt lucerna, magna fit Iris circularis non quadrata, circa foramen quadratum; & cum ſpecularer id negotij, inuenio quod in oculis fiat, non enim in pariete, nam ſi quid pono etiam paruum inter oculum, & lumen medium foraminis, Iris perditur: ſi verò inter Iridem, & oculum, Iris apparet citra obiectam rem, & ſimul in pariete: ſed tanta eius portio, quanta eſt res obiecta, anguſtior tamen quàm in pariete, vbi video aliam portionem ſimul maiorem; ita vt alterius circuli in quantitate, non in colore videantur eſſe portiones, in hoc ſchemate videre licet.



Quapropter clariſſimè concludere licet, Iridē non fieri omnem in nubibus, & vaporibus obiectis, vt vult Ariſt. neque in obiectis, & ſubiectis permeatis, & non permeatis, vt Teleſio apparet, ſed intra ipſum oculum eas fieri, quæ in ſpeculo non repræſentantur. At dixeris. Quomodo tanta magna apparet intra tam paruum oculum affecta? & quomodo nos foris, & propè lucernam eſſe putamus, nec aduertimus, quod intra nos fiat? Reſpondeo idem dubium eſſe de cunctis viſibilibus. Nihil enim videmus, quod non recipiatur in oculi cryſtallino: attamen videmur omnia foris vbi ſunt ſpectare, non intra nos, quoniam refertur ſpecies intra nos ad obiectum extra, vti declarauimus in Phyſicis. At ſicuti colores ſui oculi croceos ictericus putat ſe videre in obiectis corporibus, & ſi poſuerit manum inter ſe, & obiecta videbit eoſdem colores croceos in manu, & re non crocea: ſic & nos Iridem, quæ fit intra oculum; & pro oculi dilatatione, & conſtrictione nunc grandiorem, nunc minorem. Item expergiſcens, & confricatus oculus circulum lucis videt quaſi extra ſe, qui tamen eſt in ſe. Quomodo autem oculus luci proximans pupillam ſtringit, ne à nimia luce humores rareſcant, & fabrica oculi deſtruatur: & in vmbra dilatatur, vt intret modicè illuſtratum obiectum, & in receſſu à luce, quoniam minus timet, dilatatur magis, declarauimus in Phyſica.

Ad rationes primas Ariſt. & Teleſij reſpondentes, dicimus ad primum, quod non fit Iris modò, vbi reflecti poteſt, ſed vbi poteſt lux tingi quomodocunque. At in oculo fieri etiam per reflexionem ex cryſtallino.

Ad 2. 3. & 4. patet reſponſio, quod non omnis Iris fit in oculo, ſed multæ in nubibus, quæ non minus in oculo, quam in ſpeculo videntur.

Ad argumenta secundæ quæstiunculæ nego, quod non fiat Iris nisi in nube roscida: fit enim in omni aëre crasso, & in oculo. Illud ruditer etiam dicitur, quod aër sub Sole non roreseit, & vbique eo quod sit soli vicinior; hoc vix Rusticus admittet, cum solis distantia tam longissima pro nihilo habeat, & minus puncto, spatium nubis oppositæ, & suppositæ, & in omnes æquè agat.

Ad secundum assumit falsum, quod oporteat nobis nubem fieri speculum: sufficit si tingat solis radios, licèt aliquando sit & hoc verum. De visus reflexione mox disputandum erit.

Ad tertium verum est, quoniam, qui vltra guttas sunt, lucem penetrantem non possunt videre, nisi sicut in patiliis, & cum sit ibi vmbra non transilit in parilios versa. Qui à lateribus reflexionem non recipiunt. Qui in medio, lucem resilientem excipiunt à guttis positis inter vmbram, & lucem iam fœdatam: sed extrà cubiculum in aëre aperto non fit Iris eiusmodi, quoniam vmbra non adest, sed vndique lux, quæ simul in oculos influens lucem illam paruam reflexam exuperat, nec videri permittit.

Ad quartum verè Iris mecum currebat, quoniam vbique fieri poterat totis montibus existentibus nubilosis. In me autem quæ rectà reflectebatur, erat visilis, & propterea me ambulante ambulabat.

Ad alia argumenta nil respondeo, quoniam rectè concludunt contra Arist. sed non rectè contra me. Id enim quod affert Telesius de lucerna examinatum sibi non fuit.

Vtrùm colores Iridis appareant, quia visus reflectitur de nube ad Solem, vt putat Aristoteles: an quia lux de nube ad visum, an quia tingitur lux atque offertur visui; & cur duplex aliquando Iris.

ARTIC. II.

Aristoteles in 3. Meteor. textu 20. & 25. assumit, in guttis minutis non posse apparere figuram, sed cum sint speculum aliquid apparear oportet, ergò color.

Quoniam splendidum in nigro puniceum apparet, quoniam aspectus in eo refrangitur, & debilitatur, & paulo longius visus extensus languet. Item nigror negatio quædam est, & quæ à longè spectantur, minus spectantur, & nigriora apparent: & nubes in aqua apparent atriores, & irinæ in se ipsis albæ: & aspectus fractus sicut efficit, quod atrum est propter imbecillitatem atrius apparere, efficit etiam, quod candidum est, minus candidum, ergò puniceum.

SED Contra. Iste discursus Aristotelis videtur hominis in ratiocinio agonizantis, & nescientis quid dicat. Nihil enim ad rem facit nosse, quod in paruis guttis non apparet figura, sed color: vel enim vt speculum solis illas facit, & sic verius erat, & quod figuram suscipiat: quoniam & circularis est Iris, vt sol: vel nostri aspectus; & tunc esset visio non solaris lucis, sed nostrorum oculorum sine figura in Iride.

Præterea falsum est assumptum; nam non modò in aëre roscido, sed in quocunque crasso etiam figura apparet. Qui enim fodiunt mineralia, sui speciem in aëre vident: & non defuerunt, qui in omni aëre, teste ipso Aristotele, se ipsos videbant. Non ea ratione, qua visum debilem ab aëre reflecti ipse statuit, sed quia spiritus tenuis per laxas oculorum tunicas facilè patitur, etiam ab aëris quibusvis affectibus. Præterea aër roscidus continuatus colores refert: ergò & figuram.

Item manifestè falsum, quod visus ad nubes, & de nubibus ad solem feratur: sic enim totum solem videret, & quæ ante, & quæ retro, nec debilitas ostenderet partem, sed totum minus lucidum, vt in speculo. Item hanc opinionem de visione facta extramittendo Arist. contra Prospectiuos, & Platonicos repulit in lib. de Ani. 2. & in de sensu & sensibili: nunc autem quoniam à Mathematicis has qualescunque inops propriarum rationes

audiuit, nescit loqui, nisi iuxtà ipsorum dogma. Sed respondent. Idem euenit mutato visu ac visibili. Benè, inquam, in sola ratione visionis: At nunc sermo est, cur alius color luci proximior, alius distantior in Iride: cui responderi non potest ex obiecto, lux enim eadem è tantilla distantia non potest tantum immutari, vt colores in alios degeneret, quod in multò maiori non facit, nisi etiam tingatur, quod Arist. non intellexit. Ideò iterum hoc examinetur.

Mox Arist. declarat tex. 27. 21. puniceum colorem Iridis apparere in maxima Zona, quoniam ex maxima copiosior aspectus reflectitur ad solem: proptereàque videt eum puniceum. Est enim puniceus proximus candori.

De secunda verò Zona non tam ampla, non tam copiosus visus reflectitur ad solem, propterea apparet viridis, qui color magis ab albo recedit. De tertia tandem intima, & de minima minimus visus ad solem refertur: propterea purpurea apparet: purpureus enim distat maximè ab albo. Alii colores non spectantur. Deinde declarans cur superior Iris habeat etiam eosdem colores, sed ordine contrario, tribuit idem visus reflexioni ad solem magis, minúsque vigorosi; sed non assignat eandem rationem, & languoris: hoc est magnitudinem, & minoritatem Zonarum, sed distantiam. Ait enim tex. 30. quod intimus color est puniceus, quoniam vicinus extimo inferioris Iridis, & nobis; & ideò visus copiosior ab eo reflectitur: à medio minus copiosus tanquam à distantiori; Ideóque apparet viridis: à supremo tanquam distantissimo, debilissimus, & modicissimus reflectitur, idcircò apparet purpureus. In eodem textu putat contrario ordine fieri in exteriori Iride colores, & distantiores, quàm in interiori, quoniam magis distat, & imbecillior fit reflexio à distantiori: alias rationes adducit nullas.

Sed profectò nimis audacter, & tanquam qui brutis vel pueris verba det, talem protulit sermonem, sibi ipsi aduersum, & naturæ decretis manifestissimis: si enim lux reflectitur à nube ad oculos, vt in libris aliis docuit visum intramissione fieri, manifestè deliiat. Nam lux viuacissima ad quascunque fertur partes, & ad sidera absque sui tam subita ac quisita languiditate, vt post quodlibet breue spatium altera appareat, alteriúsque coloris. Spatium enim inter vtramque iridem, quasi nullum ad lucis vires labefactandas est. Imò & superior aliquando vicinior soli esse queat: at ab vna vnius Iridis Zona in alteram tam breuis est transitus, vt ridiculus sit, qui eam subito mutari statuit, quam per longissima spatia adhuc vigere intuemur. Præterea quamuis sit amplior Zona exterior ambitu, altitudine tamen eadem apparet, vnde & punicea videri debeat; vel si extensio minor id faciat: tunc oportebit Iridem quæ propius terram sit, ca rere Zona punicea. At si distantia magis minúsve colorat: tūc colores superioris Iridis omnes purpureos esse oportet, quoniam tota magis distat, aut partes chordæ viciniores omnes puniceas videri. Si magnitudo, tunc Iris exterior tota punicea foret, quoniam maior. Rationibus ergò secum pugnantibus Arist. dogma fundat. At cur in medio spatio inter vtrasque Irides nullus apparet color Irinus, docendi eramus ab Aristotele, cum & ab eo lux, aut visus reflectatur.

Sin autem statuat Aristoteles suorum decretorum, vt solet in præsenti semper euersor, visum seù oculi radios ad nubem emitti; indeque ad solem reflecti, & triplicem in interna Iride pati varietatem ob triplicem magnitudinem Zonarum, ex quibus magis, minusque copiosi resiliunt; in extrema verò etiam triplicem, & non ob magnitudinem triplicem, sed ob distantiam triplicem: profectò etiam plurimas magnitudines in interna, & plurimas in externa distantias, & intermedio spatio, nos, & omnis sensus agnoscit: causaque reddenda erat, cur non alij etiam Irini colores in medio spatio, & in duabus Iridibus fiant. Item cum visus vsque ad stellas tam subito effundatur, nec propterea stellas inferiores nigrioris coloris, aut è conuerso, nec superiores albioris, nec maiores magis claras: Arcturus enim, & Aldebaran recedunt ab Iouis, & Veneris: & Mars & Saturnus à Fidiculæ & Caniculæ claritate, & candore, nec è conuerso spectantur, sed prout cuiusque substantia colorata est, vtique impostura videtur visui istas varietates tribuere. Præterea mille homines quoque alij visum debilem, alij robustum habentes, eandem simul stellam, & Iridem eodem colorum situ, & differentia cernunt: oporteret autem eum, qui debilior est, videre Zonam viridem eam,

quæ robustiori apparet punicea. Nubes quoque longè distantiores, solique suppositas, nedum aduersas aspicimus suis quasque coloribus; quas omnes atras videri oporteret, si visus progressio de vno ambitu vnius Iridis in alterum modico remotiorem colorem variat in atriorem. Mirum præterea quomodo tam modica distantia externæ Iridis ab interna non modo languidiores Aristoteli colores facit, sed contrario ordine etiam ponit, cum tot aliæ distantiæ iam dictæ longè maiores, nec debilitent colorem. Item ocularia, & Telescopium rem obiectam augentia, nequaquam immutant coloris speciem, & à suo ordine, sed visiliores faciunt in eodem ordine. Præterea si externa Iris languidior apparet ob remotiorem distantiam, ergò & internæ Zona amplissima deberet apparere languidior suis ambitis angustioribus, quoniam distantior.

Si verò magnitudo facit hanc viuaciorem, ergò & omnes Zonæ externæ essent viuaciores internis. Vide quam audax impostor pugnantia in eodem textu proferens, non veretur hominum ingeniis quasi brutorum posse redargui. Præterea datis his Arist. palam est, quod si à nube lux in nostros resilit oculos, Iris vnica erit, eóque ordine, quo interna colorum. Nam extimus ambitus soli vicinior, ideóque clarior: si verò radius oculi ad nubem, indéque ad solem exilit, vnica etiam erit Iris ordine colorum quo exterior, siquidem visus copiosior ad intimam Zonam illius porrigitur, magisque progressus debilitatur: quare nihil Arist. ostendit quomodo duplex fiat Iris, & vndenam id accidat, quamuis dentur illi fictiones iam reprobatæ.

Cur medium inter duas Irides spatium spectetur simplex.

Peripatetici defectum Aristotelis videntes in eo, quod cur medium spatium careat Irinis coloribus, tacuerit, respondere conati sunt.

Ait ergò Alex. definitam esse distantiam, in qua oculi radius è speculo resilit in luminosum, & finaliter qua luminare in speculo lumen immutat; quam vltra citraque non fit irinus color, sed licet in distantia definita sit oportet: haud tamen intermedii illius spatii ad solem, & ad nos distantia est altera ab illa, quæ ex vtraque Iride in solem & ad nos & illud falsum, quod luminaris ad nubem distantiam definitam facit, cum non modo in eas in quibus Iris fit, lux effundatur, sed in longè remotissimas ad ortum, & occasum, & Boream, tam celeriter, & vbique fulgeat vel coloretur pro nubium opacitate maiori, vel minori: doceat nos Alex. si potest, quomodo spatium illud non habet congruam distantiam, cum nos videamus in maioribus, & minoribus distantiis lucem, & vigere, & colorari, & Irides fieri interdum altiores, interdum humiliores, interdum in eo situ, in quo spatium illud aliquando inter duas albescit.

Ammonius verò propterea in intermedio spatio non fieri colores irinos docet, quoniam radii oculorum, vel luminis perpendiculares in ipsum feruntur, & transferuntur, & non reflectuntur ob vigores ad nos, vel ad solem. Rectè quidem dixit de solis radiis fortioribus sicuti nos in textu, sed propriam sententiam iugulauit, dum nimis fauet Arist. non enim radii oculorum perpendiculares sunt spatio intermedio, sed centro Iridis: imò nec radii solis iuxta Peripateticos ex Arist. de quorum mente loquitur. Præterea si spatium illud esset centrum à quo vtraque Iris æquè distet, altera versus cælum, versus terram spectaret altera, vt pariter à centro distent. Hæc enim est ratio centri. Nec præterea Ammonius hinc causam reddit, cur languidiores superioris Iridis colores appareant: si enim æquè distat à centro, æquè vigentes ostendat colores. Deficit etiam, quoniam cur lux in medium delata robustior superiori, & inferiori existit, non agnouit: quod si perpendisset inuenisset, quoniam à media illa sole, istæ ab lateribus incuruatioribus emanant.

Alij Peripatetici recentiores, istas fallacias non ferentes, putant Iridem superiorem esse imaginem inferioris, propterea que minus visibilem quemadmodum de vno speculo in alterum solet reflecti nubes, ergò superior speculum sit inferioris.

At dupliciter errant, quoniam in medio spatio, quod etiam magis speculum est, viciniúsque melius repræsentaretur, & similiter in aliis è mediana regione positis nubibus. Præterea pars conuexa exterioris Iridis fieret concaua, quæ enim in speculo præsentantur, quo remotiora sunt, eo remotiora apparent. Itaque chorda vicinissima, & arcus di-

ftans,& è conuerfo,vt patet cuilibet ingenio, videri oporteret.

Ex his concludere licet iridem fieri vt in textu ex reflexa tinctàque luce folis, non quacunque,fed obliqua tingi apta,& propterea,nec totum circulum obtinere;& fuperiorem ex fuperioribus difci obliquitatibus,inferiorem ex inferioribus: nec reflexam id lucem efficere,fed tinctam:tingi autem non omnem,fed minus validam : proptereáque & in nubibus fuppofitis,& in aqua,& vitro,& vbicunque fieri,fi fædari contingat, fed non circularem, nifi vbi ex fola obliquitate fpherici luminofi accidat fieri.

Cur Iris circularis fiat,& matutina, ac vefpertina femicirculum complet,meridianáque minor,& an aliquando etiam totum.

ART. III.

Videtur Arift. Iris propterea circularis fieri,quoniam non poteft nifi in oppofita fieri nube, ad cuius centrum linea à centro folis per oculum tranfeat : oculi autem radii ad nubem delati in eadem ratione fint finguli ad fe ipfos fingulos è nube in folem reflexos oportet,vt fimiliter omnes paffi eundem colorem in toto ambitu fentiant. In circulum ergò proiecti ad certum terminum æqualiter refle&untur, & circularem figuram adipifcuntur colores:& quidem mane,& vefperi fole nondum eleuato, media pars ipfius confpicitur in nube,& reflexio vifus ad medium: ergò ad femi circulum fit. Quanto autem magis eleuatur, magis deprimitur Iridis centrum, ergò minor portio femper confpicitur,donec pofito fole in medio cæli non amplius videri poffit Iris,quoniam eius polus infra horizontem demergitur. Hæc accipit à profpectiuis,vt & Auerroës;fed affumptum Ariftotelis falfum eft. Non modò enim Iris fieri confpicitur,vbi medii nos,nubes folémque inter fumus,fed ad latera; & cum fol eft in meridie vifa eft Iris ad Boream,& ad ortum,& occafum. Item iuxtà folem non minus decem gradibus, & fub fole integri circuli,& fub luna,& aftris maioribus interdum. Item in guttis remo fublatis,in vitro ferratili & phiala, in patiliis, fiunt irini colores. Quapropter non eft ratio Ariftotelica,& quotundam Peripateticorum,propria adæquatáque quæftioni. Quantum autem abfit ab Iride lucernæ, & foraminis noftri ex dictis patet. Quomodo etiam nos, & Seneca,& Auerr.& paffim multi,Irides aduerfas maiores femicirculo viderimus, dictum eft prius, 1635. ratio ergò mathematica non fatisfacit. Prætereà cum manifeftum fit, lucem vbique coloribus irinis tingi,eorum caufa non pendet iuxtà Ariftotelis rationem à certo fitu vifus, aut nubis ad folem,fed à tintura,vbicunque fiat: & licet vt tingatur certo fitu opus eft,in quo languefcat,& vapor ipfam fædare queat: haud tamen opus eft certo fitu, vt quo colore eft fædata eo nobis etiam præfentetur, cum innumeri homines in diuerfis fitibus omnes eandem lucem eodem colore tinctam afpiciant, quamuis etiam debiliores vifu alii,aliique fortiores. Item nec omnes poffunt effe fimul centrum oculi omnium eiufdem Iridis,centrum enim vnum eft. Neque mille Irides fiant in eadem nube à mille hominibus fimul confpectæ: fed vna: omnes enim dicunt in eodem fitu fe feillam videre non fecus ac folem,& lapidem videmus omnes eundem in eodem. His itaque probatis non rectè ergò Arift.caufam cur matutina, & vefpertina circuli portio media, pomeridiana verò circuli portio minor media,nos docuit. Notandum autem, quod area lunaris, & aftrorum,quam Peripatetici non negant,licet vnicolor aliquando appareat,talifque illis ponatur,tamen vifa eft fæpè ficuti & Iris multicolor in gyro: in medio verò fufco albore tincta,quoniam radii obliqui in gyro fic tingi certa ex nube queant. Vidimus & folem fumo puluetis bombardarum rufum,croceum,multicolorémque non rarò.

Pofthac vidi Parifiis pridem Lunarem completi circuli.

Iris igitur circularis fit,quoniam radij,qui tingi apti funt in nube circulares funt,& circulariter deferuntur:nō tamen complet circulum,quoniam non media,vigénfque difci folaris lux apta eft tingi, fed obliqua, quæ perficit in alia parte folis circulum,quæ ad nubem irinam pofitum habet auerfum, non aduerfum. Matutina, vefpertináque complet,& excedit femicirculum,fed anguftiorem; quoniam non è partibus lateralibus val-

dè

de lux irina fit,sed vicinioribus medio duci: siquidem per tertias defertur vaporésque multos: qui obscurant lateralem,nedum parum illam fr dant. Igitur semicircularis, vel paulo maior appareat, est opus; non autem completa, quoniam incuruatio earundem partium minime permittit,& minoris ambitus,quoniam à strictiori Zona solis lux porrigitur irina. Meridiana verò minor fit semicirculo,quoniam à luce remotiori à medio fit, quæ latiorem ambitum habet,sed statim incuruatur,iamque nec semicirculum eius aspectus ad nubem rectus complet. Arist.autem causam,cur meridiana Iris minor portio amplioris circuli sit,matutina maior minoris,proposuit dicere; sed dissimulandò pertransiit,quoniam ex suo dogmate nulla reddi potest.

Vtrùm Aristotelici potuerint causam reddere cur Iris matutina,minoris circuli portio apparet, meridiana,maioris.

ARTIC. IV.

Dicunt ergò Peripatetici(quorum libris nunc careo)propterea ita euenire,quod Iris matutina fit in aëre superiori,& puriori; meridiana in crassiori, quia terræ propinquiot,submergitúrque centrum Iridis:quæ autem in crassiori,& viciniori spectantur,maiora apparent his,quæ in superiori tenuiórique. Hæc ratio non est admittenda, etenim partes Iridis matutinæ,chordæ viciniores,tangunt & ipsæ terram, sicuti & Iris meridiana,ergò solum in vertice debet videri angustior non in partibus imis,quæ in eodem vicino crassóque fiunt aëre. Item apparerent partes alterius Iridis, istæ ampliores; verticales verò angustioris; quod nunquam vidimus, inquit Telesius. At profectò quam ipse vidi inter Vesuuum Sanctermúmque quasi super duas columnas verticatam, talem admittit rationem,sed cum non semper id eueniat, neutiquàm satisfactum est. 1. *Opinio.*

Alii dicunt matutinas fieri in crassiori aëre, in quali radiorum perfractiones minores à perpendiculari fiunt. At hoc præterquam quod suis dogmatibus de visione repugnat; experientiæ refragatur. Sol enim & sidera orientia, & occumbentia in matutino, & vespertino aëre crassiusculo,maiora visuntur,& Thyco ex hac ratione probat non benè Copernicum solstitia,& æquinoctia,& obliquitatem cæpisse: quoniam, quæ humiliora, & minora sunt,in horizonte elatiora,& grandiora apparent. 2. *Opinio.*

Tertia sententia ex dicta veritate elicit mendacium; ex hoc enim,ait,quod grandiora omnia sint in crasso aëre matutino,& vespertino,iudicat sensus ea esse distantiora, quoniam interponitur terra,& crassus aër:in meridiana verò non interponitur,ideóque iudicat eam maiorem: stulta sane ratio. Neque enim visus iudicat aliquid maius,vel minus quàm sibi apparet,sed discursus;qui non dicit apparere quantum visui apparet;sed quamuis visui tantum appareat ex aliis sensationibus probat alterius esse magnitudinis. Quis enim vnquam neget solis apparere diametrum vnius ferè palmi? negant tamen ita esse: sic non rectè Iris ponitur maior,quia iudicatur maior in meridie, sed quoniam apparet maior,& huius apparentiæ causa quæritur,non autem an ita sit. 3. *Opinio.*

Alij docent super eadem chorda fieri omnes arcus,sed cuius portio minor si eandem chordam habet,vt meridianus, oportere maioris circuli portionem videri. Verum hoc quidem,sed petit principium;nos enim quærimus cur fiat chorda eadem, minoris & maioris portionis.

Alii tandem dicendum existimant, solem sublatum attenuare nubes in quibus fiebat Iris matutina,sic in longinquioribus fieri iridem. Itaque & conum turbinis, cuius iris est basis,longius protendi:ergo & radios inter se minus vnitos facere,& basim maiorem habere oportere, sed multipliciter errat opinator. Aut enim radii nostrorum oculorum faciunt in nubem delati basim pyramidis, aut solares, qui ad nos flectuntur: si primum, palam est, quòd etsi in longum ferantur, magis debilitantur, & stringuntur; quæ enim sub maiori angulo videntur, maiora videntur, & angulus fit minor in oculo, quo res distantior: vt omnes Prospectiui docent, & experientia, si hoc ad basim solarium refert radiorum, manifestè fallitur: nulla enim ad tantam

à sole distantiam est illa portiuncula distantiæ nobis meridianæ à matutina, vt patet ex mathematica. Physica quoque idem monet; quæ solem in longè distantiori, & in vicinioti, Iridem facere nouit, vt in supposita nube etiam. Item nec semper viciniores nubes dissoluit: est enim quando omnes aëris partes puræ sunt; qui autem soli subiacet nubibus obsitus, quæ eius aspectum diù tegant: vt vanissima sit ratio ex tam inconstanti variabilissimáque causa deducta in Iride meridiana, quæ perpetuò constantérque semper maioris circuli portio apparet. Prætereà illa maior basis nobis remotior est, ad nostrúmque visum refertur, vt si quid addat distantia obiecto, demat idem visioni.

Vtrùm colores irini sint tres modò, aut quatuor, aut plures, & cur.


ARTIC. V.

VVlt Arist. 3. Meteor. tex. 27. tres modò esse Iridis colores. Probat.

1. Primo validior aspectus reflexus è nube ad solem in puniceum transit: proximus in viridem: Is, qui adhuc imbecillior est, in purpureum: vltra hos autem color nullus videtur. Item cæterorum mutatio sub sensum non cadit.

2. Item maxima aliarum rerum pars ternario numero terminantur: ergò & Iridis colores.

SED Contra Aristotelem pugnat experientia. Perpetuò enim quatuor in Iride colores spectantur hoc ordine, Puniceus, Flauus, Viridis, Purpureus. Aliquando verò & ceruleus, & alii colores miscentur, sed quatuor illi desunt nunquam.



Respondit Arist. ibid. tex. 28. & 29. Flauum non esse colorem verum Iridis, sed apparentem ex punicei viridisque iuxtà se collocatione. Probat, puniceus est vicinior albo quàm viridis; igitur iuxta viridem positus, qua parte attingit Viridem, apparet albior: ergò Flauus.

2. Quando fit Iris in nube nigerrima ex nigredinis iuxtà se collocatione, puniceus apparet longè albior, quam ex solius viridis associatione, & propterea magis, & totus ferè flauus: vnde tales Irides viuos ostendunt colores, & quasi nullum puniceum.

3. Iride propè terram euanescente, puniceus color flauus appatet: nebula enim alba in qua puniceus primus apparebat iuxtà Iridem posita coloris flaui refert imaginem.

4. Iris Lunaris, quæ noctu apparet, prorsus alba videtur, quoniam in nigra fit nube, & obscurato aëre.

5. Sicut ignis additus igni, sic quod nigrum est nigro additum, efficit vt quod remissè album erat, cuiusmodi puniceus est color, albus appareat prorsus.

6. Idem in florum corollis, & texturis variorum colorum, accidit, vt alius pro alio color collatione, & comparatione appareat, magis autem in noctu, ergò flauus non est verus color, sed apparens.

SED Contra Aristotelem clamat tota rerum natura: non modò enim flauus color spectatur in rebus mistis puniceo viridique, sed etiam in simplicibus totísque flauis, quale aurum, arangium, vrina, bilis fellea, ergo est vnus de coloribus. Quos si Arist. concedat, haud tamen in Iride, eadem experientia reprobatur: semper enim Iris flauum habet secundum colorem, non modò, quæ in aëre fit, sed etiam in lucerna, & foramine. Item in nubibus est, vbi alias flauas, alias puniceas, alias rufas, alias virides, alias purpureas, alurgásque videas, luce solis eas subeunte eadem varias. Item ego am-

pullam vitream aquæ plenam ciliis super imponens, video omnes colores ex luce tincta permeante, quodam ordine, sæpeque diuerso fieri, sæpe colorem puniceum cum flauo mistas, & absque viridi, vel alio opaciori; quod cuilibet experiri licet.

Ad primum Arist. rationem respondeo, quod etiam si visus reflexio colores pariat, haud propterea erunt tres modo, validus, imbecillus, & imbecillior: nam & validissimum, & validiorem, & validum, imbecillum, imbecilliorem, & imbecillimum, & intermedios multos experiri licet. Ipse quoque nubes, & aquæ per refractionem inspectæ, & per reflexionem, & rectà plurimas ostendunt colorum differentias, multòque magis refractio, cui videtur Aristoteles inniti, falsúmque assumit, quod sub sensum non cadant; sicut qui dicit videntibus, nolite videre, impius apud Prophetam.

Ad secundum benè ostendit Arist. neque hæc paucula, quæ de Iride scripsit sua esse, sed quemadmodum, quæ de spheris docuit in 12. Metaph. ea à Kalippo, & Eudoxo mutuatur: & quæ de elementis in 2. de Gen. & Cor. ab Ocello Pythagorico, omnia etiam verba exscripsit: sic quæ de Iride ab aliquo Mathematicorum Pythagoricorum, qui vt seruaret dignitatem numerorum solent sic argumentari. At si licet sic argumentari, quod Arist. in Pythagora sæpè deridet, damnátque: ponendi erant potius quatuor colores; nam quatuor sunt Aristoteli elementa, vnde etiam quatuor sensoria alibi statuit. Trinitas autem in dimensionibus corporis Mathematici commendatur, non in Physicis speciebus.

Ad tertium summoperè impugnatur à Telesio, quod posuerit flauum viciniorem albo, quam puniceum, cum è contra se habeat, paululum enim obscuratus flauus, viridis fit, non puniceus, ergò est medius inter puniceum, & viridem.

2. Item lux per tenues vapores transiliens punicea apparet, per crassos flaua: vnde Ptolomeus solem flauum pluuiæ, puniceum serenitatis posuit prænuncium: sic etiam nubes.

3. Item flammæ in tenui fumo puniceæ, in crasso flauæ apparent.

4. Item in vitro ferratili puniceum à flauo, & flauum à viridi excipi videmus, & in crassiori parte has fieri, illas in graciliori.

5. Item comprimendo oculos parùm super palpebras lux punicea, mox prasina, tandem purpurea, alurgáque, cum maximè comprimimus transparet. Igitur color flauus medius est inter puniceum, viridémque, & propterea medius apparet, quoniam à languidiori fit luce, magis ergò passa, prodit enim ex obliquiori solis parte, vt dictum est prius. Hæc Telesius in locis multis. Nos autem dicimus, quod etiamsi verum sit, quòd flauus sit luci proximior, haud propterea ratio Aristot. valet. Isti enim colores in Iride quadam mistione fiunt, non punctualibus distincti interuallis. Medium autem sapit extremorum naturam in physiologia etiam Aristotelica: Igitur mistura erit flauus viridis, & punicei. Quod si Aristot. non placet, quoniam arbitratur flauum esse puriorem vtrisque, tunc inuestiganda erat causa, qua interponitur intra locum non suum, & corrigenda etiam positio de colorum visione ex visus maiori, & minori efficacia. Quomodo enim vbi debilior est visus, potuit Aristoteli apparere albior color ex comparatione, quam visus reprobat? imò si hoc sit verum ex natura, visus non admisisset: quemadmodum in nocte, & vbi debilis est, alium pro alio videt colorem. Itaque quarta ratio longè fallitur. Non enim quia nigerrima est nubes debuit puniceus videri albior, nisi nubes esset ab eo separata, ita vt puniceum & nigrum sint tanquam in duabus tabellis. At si visus in eis subit vnitis refrangitúrque, necesse est, vt puniceus non albior, sed nigrior appareat, & hoc fuit primum etiam Arist. principium, quod in nigro, & per nigrum lux visa, aut radius oculi videns luminosum, non videt album sicuti est, sed minus album, & impurius: vide quomodo stat in suis, & quomodo in decretis naturæ homo.

Quapropter ex hoc, quod in nigerrima nube puniceus est flauus, colligendum erat, flauum esse impuriorem, & crassiorem colorem, & lucem fœdatam magis, sed quia de coloribus nihil prorsus sciuit, vt in quæst. sua videbimus; idcirco loquitur Zingarorum more.

Ad quintum. Hæc ratio Aristotelis secum pugnat: si enim Iridis punicea Zona propè

terram euanescit: ergò crassorum vaporum terræ mistura obscuratur eius aspectus, & transit in flauum: si verò alba nubes illi obiicitur, vt videtur dicere, tunc non albius, sed nigrius, quod puniceum erat fieri oportet, iuxtà ea quæ paulo ante dixit, quod nimirū obiectum nigræ fit albius, ergò flauum nigrius puniceo. Quoniam Arist. cauillatur, & imponit nobis: liceat eius cauillos in illum retorquere.

Ad sextum, Hoc igitur argumentum etiam isti contradicit: si enim alba Iris lunæ ob nigredinem, ergò & nigra præcedens mutatio obiecti albæ nubis.

At propterea Iris lunaris albior, quoniam lux eius non efficax est quæ possit vapores profundos permeare, benéque tingi, sed ab ipsorum superficie reflexa talem albidam ostendit Iridem. At in supposita nube eius Area, crocea, & rubra visitur, valentiórque. Probauimus etiam nos, quod qualis est lux è nubibus per foramen subiens, tales fiunt colores Iridis, debiliores ab obscuris, & fuscæ debiles, & claræ, ceruleæque à sereno cælo: aliquando ad croceum omnes declinant, stante distinctione colorum.

Ad septimum patet ex dictis responsio.

Ad octauum, vera est experientia, mihi quotidie comperta, at non propterea flauus erit color apparens, & non verus: componuntur enim colores, & in oculo etiam eorum species humorum oculi qualitate alterantur, vbi fortissimi non sunt; sicuti lux per humorem in phiala retentum in varios colores alteratur: sic in columbæ collo vario in situ exiliens, lux ad nos varia spectatur, & multicolor: haud tamen propterea flauus non sit color, aut à viride distet magis atque puniceus.

QVÆSTIVNCVLÆ PRIMÆ.

CVr colores, qui in phiala, cilio superposita, apparent, tam multi omnes hunc ordinem ferè seruant, vt extimus, & qui tenebris sit proximius appareat puniceus, consequens flauus, alius cæruleus, viridis: paucissimi virides: sed purpurei, id est alurgi multi.

Et cur si ex luce solis directiori fiunt punicei; ex obliquiori, flaui, ex magis obliqua, virides, ex maximè obliqua purpurei; euenit in phiala soli non opposita, sed intra cubiculum super oculos posita tanta colorum multitudo vt plurimum, & ordine locatorum, quo in Iride; vbi sanè varietas lucis non adest, qualem è solis curuitate, accersit Telesius? & cur lux non tingitur, nisi in phiala superposita oculo, vel in situ quodam obliquo.

Respondeo vnicam esse in qualitate lucem, sed prout ex multa vel pauca eiusdem aquæ quantitate refrangitur, euenire, vt multipliciter coloretur. Et quia super oculos fit refractio lucis ex aqua ad oculum, & ex obliquis sitibus; Idcircò lucem immutari obliquam, quæ directa fortis est, & vna tantum reflexione non patitur, sed ex multis, quæ hoc in loco declarare operosum est.

Dico etiam, quod seruant ordinem, qui in Iride, quoniam quæ in multa aqua refrangitur, plus fædatur, quæ à modica, minus: idcircò prout ad angulum, quem facit aqua in phiala, plus, aut minus accedit refractio, clarior, aut impurior lux fit, quod & in vitro serratili triangulari innotescit magis.

QVÆSTIVNCVLÆ NOVÆ SECVNDÆ.

QVæritur cur in oculis fiunt Irides quales in nube, video enim circa lucernam proximum lilj quasi lilii purpurei colorem, cui succedit viridis, cui flauus, cui puniceus: similiter in foramine, vt dictum est in p.ar. & cum aliquid interpono iidem colores prorsus apparent etiam in re interposita, si tamen solam Iridem impediat, non lumen: sic enim neutrum viderem, quamuis locum Iridis nihil intermediet: si ergò qui luci est proximus debet esse puniceus, vt Aristo. & Telesius docuerunt: cur in lucerna, & in foramine puniceus extimus est à luce distantissimus. An quia in oculo lux, quæ è crystallino resilit in oculi ambitum fædatur magis à medio humore aqueo: in extremo verò desinit ad albumen oculi in fine transpicuitatis corneæ tunicæ, & propterea mista albo fit

clarior, & punicea? sed profectò cum humor aqueus sit transpicuus, corneæ verò albæ pars opaca, videtur magis potens impurare, quæ est opaca. Me hoc anxium tenet, & id quod in Iride quam soleo amicis monstrare ad lucem solis per fenestram intrantis pars extima, quæ vmbram attingit est rubicunda: Neque enim apparet, nisi in interliminio lucis, & vmbræ, vbi colores aptius fiunt ex fœdata luce mista vmbræ per intermistas guttas aspersæ aquæ: quod præterea indicat propiorem luci esse purpureum, cui viridis, cui flauus, cui puniceus, & nigerrimus horum respectu, succedat: Hæc autem vera non sunt. Quapropter oportet iterum de coloribus Philosophari. Neque enim Telesius, neque egomet mihi in cunctis satisfacio; nec cæteris pro certis incerta, more Aristotelico, imponam.

Quæstiuncula 3.

AN possint fieri plures in Iride colores. Profectò non nisi quatuor visuntur licèt aliquando nonnulli appareant adiuncti. In phiala autem, & in nubibus plures. Item in pariliis: vbi Telesius suas obliquationes non afferat: sed potest magis, minusque nigrum eidem admiscere.


Illud etiam mirabile, cur non Iris appareat à latere Orientali, & Occidentali solis instar arcus, cuius vna extremitas cælum, altera terram spectet, nam exinde etiam obliqua lux exoritur, non secus ac ex superna, & inferna parte.

Ratio inquisitiua de nouis Iridibus à me consideratis.

DE coloribus Iridis, & hoc mirabile promam, euenit aliquando, vt in foraminis ore interiori mihi apparerent octo colores, primus proximus foramini albus 2. succedens albidus, 3. luteus similis vitello oui aut fuluæ Iaspidi, 4. benè alurgus, quem alij pauonaceum dicunt. Telesius purpureum, est enim instar lilij, 5. cæruleus similis cælo serenissimo, & marinæ aquæ, quando cælo per similis, 6. viridis clarus, 7. flauus, seu croceus, 8. extimus, qui in maximo ambitu, puniceus, id est rubicundus; & post hunc cubiculi sunt tenebræ. Hoc modo videre mihi contingit septies, aut octies per octo horaria minuta, & duplicatam quasi Iridem, sibique duas contiguas pari modo: & statim diligenter colores describebam. Cum causas quærerem, vnde in oculo meo ista monstra fierent, inueni, quod iuxta qualitatem nubium oppositarum foramini, variantur Iridis colores. Ex cælo enim sereno, vt iam dixeram, omnes colores fiunt quasi cerulei, sed clara, & diluta cerulitate; ex nubibus croceis omnes colores Iridis, quasi crocei sunt, nec tamen desinunt esse, puniceus, croceus, viridis, alurgus, vt ante; sed languidius, & & insensibiliter: ex rubra nube, sic etiam omnes rubescunt modicè tamen, vt non cessent esse quales erant. Ex hoc intellexi, quod variæ nubes erant, ex quibus, quasi duplex Iris, vel tot colores in oculo meo facti sunt: etenim cum interponerem digitum inter oculum, & foramen, Iridem non videbam in foraminis orificio interiori, sed ipsum orificium vndique obscurum, vt solet videri semper, quando oculus meus recta via foraminis medium non aspicit ità, vt fiat centrum illius. Cum verò aliquid inter oculum & Iridem interponerem, quod tamen lineam perpendicularem ex oculo in centrum foraminis non impediret, videbam Iridem citra interpositam rem, sed paulo angustiorem eisdem tamen coloribus octo, & gyris. Admiratus autem quomodo tot colores in oculo fieri possent, inueni mirabilius esse, quomodo res innumerabiles, & colore varias, simul videmus. Igitur quoniam lux à crystallino reflexa in ambitum oculi sese expandit varia prout à foramine ex nubibus variatis recipitur antequam ad totum ambitum oculi expandatur (dico naturæ, non temporis anterioritate) impurificatur ab oculi humore aqueo, & vuea, quæ interior est, in aqueo sit, quæ exterior in vuea vsque ad album. Adest intus nigrum, & ceruleum oculi, vt misturam varient: ideo etiam in phiala cilio superposita innumeros colores, sed non ita ordinatos, vt mirum non sit posse etiam in humore oculi tot repræsentare, in quo est mirificus ordo à suo centro ad circumferentiam. Hoc etiam manifestum; vt primo in art. adnotaui, quod facilius intra

obſcurum cubiculum fiunt. Oculus lucis auidus ad illam modicam nimis dilatatur, & vuea operitur valde in centro, ergò in circumferentia ſua ob contractionem condenſatur; & ſic lucem magis impurificat, & variat. Verum cum lucernæ Iridem aſpicio, ſi paululum à lucerna recedo videtur Iris dilatari, & diſtantior fieri à flammula lucernæ; & cum magis recedo, magis ipſa Iris expanditur ſicut expanditur vuea. Haud tamen intra Iridem, & lucernæ flammulam viſuntur alij irini colores, quemadmodum in foramine, ſed aër purus, vt in locis Iride non occupatis. Hoc autem fit, quia lux lucernæ non variatur, ne dicas, poteſt ergò facere Irides ſicut aër certis obſitus nubibus. At memini me in lucerna aliquando ſimiliter vidiſſe colores plures irinos, ſed bis ferè, nec adnotaui eos, nec cauſas, cogitans me aliis vicibus eodem ſpectaculo riturum. Et iam ſex menſes tranſierunt, nec in lucerna, nec in foramine video, niſi ternos ferè colores, puniceum, croceum, viridem, qui vix diſcernuntur, ſi cælum nubiloſum, pluuioſumque nimis eſt, ſed cum lux certo modò ferit aduerſas nubes, euenit color octiplicatus. Miror quomodo veteres in lucerna id non conſiderarunt.

Poſt ſcriptum hoc vidi ſæpiſſimè iterum octo colores in foramine: cum nubes opponebatur non nimis lucida, nec opaca, ſed ſublucida, ex qua Iris duplicabatur.



Oculus in A. videt Iridem maiorem B. non autem D.
Oculus in C. videt minorem ſolum Iridem D. omnes tamen in eodem ſitu circa lucernam.

His ex obſeruationibus ſpero me quantocyus veritatem de coloribus, & de Iride exculpere, Deo fauente, cum dabitur cælo frui experirique ad ſolem in aſperſionibus, & phialis, & miſturis pictorum, & tinctorum, & in ſpeculis multis ea, quæ mente concepi: mirabilia enim ſunt, & vltra fidem: nec decet Philoſophum ex conceptis imaginatiſque, niſi plurimis adhibitis experimentis, dogma poſt experimenta benè examinata,

pandere: nec inuidendum aliis, si ex nostris obseruatis supra nos profecerint.

Post hæc venientes in lucem obseruauimus, fieri Iridem in Oriente submerso iam sole sub horizonte Occidentali, ex nube lucidissima amplissimaque: imò duplicem aut octo coloratam colotibus: vt in foramine iam dicto. Vnde conieci, nubis lucem fucatiorem colorari aptiorem & pluries, esse;imitarique solis gyros, si verè tunc latebar.

Dubitatio suprema, & solutio non suprema.

QVinque habemus signa quibus Iridem non posse fieri extra oculum demonstratur, 1. quoniam circularem habet figuram sicut oculus, nec potest è nubibus, nisi sint quasi speculum solis, irides reflecti; & tunc omnino circulum absolutum haberent siue enim in aqua siue in nubibus vultus solis recipiatur, totus quidem & circularis apparet. Quod autem Arist. ait, centrum solis, & centrum oculi, & centrum iridis conuenire, falsissimum est: oculus enim semper inferior est; & quasi in angulo obtuso lineæ ductæ à centro solis per oculum ad nubem, quando sol radit horizontem; sed cum est valdè eleuatus; tunc angulus accedit ad rectum, vel ad acutum. Prætereà vidimus Parisiis in anno 1635. Lunarem iridem albidam (nunquam anteà nobis visam) & quidem completi circuli, colorum eorundem sed debilissimorũ: ergo circularitas ista intra oculum ad oras foraminis rotundi tunicæ vueæ fit: ita quod si Catus, cuius vueæ foramen est quadratum, respiceret per foramen parietis, etiamsi rotundum, quadratam omnino iridem spectaret, non enim ex rotunditate obiecti, sed organi in rebus apparentibus, & non prorsus extra oculum existentibus, fit rotunditas, 2. est quoniam irides quas circa lucernas videmus, & circa foramen quadratum tenebrosæ aulę, circulares sunt: si autem fierent extra nos, quadratæ fierent à foramine quadrato, & rotundæ à rotũdo; & pyramidales à lucernæ flamma pyramidali; nec apposito digito centrali lineæ visuali qui non impedit nisi lucem mediam, quã rectà ad crystallinum fertur, non autem iridis loca (remanent enim hæc spectabilia) cessarent spectari iridis colores. At quidem non spectantur: ergo à centro oculi lux resiliens in vueam, vel deforis per illam transiens colorantur; quemadmodum per phialam aqua plenam; nam & aqueus humor intus & extra vueam, implet oculum. *Pro oculo.*

3. Prætereà si iris esset in nube & non in oculo, currente oculo, iris non curreret, nec mutaret situm de iugis aliis in alia iuga Apennini.

4. Prætereà color puniceus iridis plus opacitatis habet, quàm cæteri colores, cuius contrariũ Arist. & Telesius affirmant. Ego autem vidi in lucerna, & in foramine, quòd qui maximè distat à luce puniceus est, & similiter in aspersionibus, quas facere soleo inter lucem & vmbram, circulus vmbræ proximus, est puniceus: remotissimus verò albidus: quoniam fœdatur ille magis ab vmbra, quoniã neruosis mẽbranulæ vueæ coarctatis portiunculis opacis reflectitur: alij vero colores sunt refractionis cẽtro lucido viciniotis. Idem quoque patet in vitro ferratili. Crassior enim pars rubedine afficit minus, crassã cæteris coloribus.

5. Prætereà no potest lux fœdari coloribus immediatis; neque enim vigor eius statim tantillus seriatim fit, vt alius à se appareat. Porrò & in centro iridis, & in omni portione intra chordam & arcum, est eadem lux, nec tamen coloratur; quod dico contra Arist. contra Telesium vero dico: quod partes solis non modo obliquè spectant nubem, quæ circulum eius refetunt, sed etiam quæ in centro eiusdem circuli & pariter obliquæ sunt; non ergo fieret circulus tam certus, sed cõfusio colorum variorum vt in flammis & nubibus, ergò rotunditas est ab oculo sicut experimur in iride lucernæ; & variatio colorum à refractione varia globosi oculi & vueæ tunicæ, sicut in phialis. Nam quando lucernæ propinquamus, angustior iris fit; quoniam oculi foramen angustiatur: quando recedimus amplior, quoniam foramen ampliatur. Et cum multum recesserimus euanescit iris, quia lux in centro oculi recepta minoratur, nec potest tam commodè reflecti, vel ab cornea refrangi.

E contra vero videtur iris nubium non posse in oculo fieri, 1. quoniam esset circularis tota, quale est vueæ foramen. *Pro nube.*

2. Fiunt in nube aliquando irides duæ aduersis coloribus; at oculus non habet gyros

duos consequenter positos. Et si pars inferior pupillæ faceret vnam, alteram verò superior, essent vnus circulus, sicut lucernarum iris, completus; cilia enim & palpebræ in hoc non cooperantur. Nec potest in contrarium adduci visio iridis per foramen octo coloribus distincta. Illi enim omnes sunt circulares colores, & vndique se complectuntur, nec aduersam posituram habent, quemadmodum irides nubium; nec dicere queas quod altera in cornea, altera in vuea; si quidem nulla visio potest fieri nisi intra foramen vueæ; à qua vna non habent varietatem. Præterea nec variatis fierent coloribus in situ & ordine.

3. Manifestum est quod ignis lux fumosi varios assumit colores, & parilij transuecta luce geniti à nubibus tinguntur non ab oculis: similiter nubes concepta luce multiplicibus colorantur non circularibus coloribus, qui possint oculo rotundo adscribi; sed ea formatis ratione, quâ positura nubium. Cum ergo colores sint extra oculos variè figurati; non sunt circuli etiam negandi ab orbiculari luminoso.

4. In aspersionibus remorum, & quas nos facimus, & vexicis saponis, & in vitro serratili, manifestè lux coloratur iris ritu, & non ab oculo: at sicut colores vestium necessariò sunt in vestibus, ita ignis in igne, & nubium in nube.

5. Præterea iris lucernæ cum in speculo præsentatur, non propterea præsentatur quòd circa flammam lucernæ in speculo visam fiat, sed quoniam lucernæ flamma in eodem speculo præsentatur, ex quo ad oculi centrum reflectitur; vnde in foramen resiliens, vel forsan antea insiliens, format iridem; quæ nobis in speculo similiter esse videtur. Nam si digito vel bacillo locum speculi occupes, in quo lucernæ flammula repræsentatur, cessat iris quæ circa flammam illam cernebatur; ergo quoniam flamma illa non amplius recipitur in oculi centro; vnde extensa in periferiam irinos faciat colores. Econtra verò si centrum iridis nubium minime videas, sed impedias rectam visualem ad centrum, non desinit comparere iris, ergo non à centro oculi ad suam circumferentiam fiebat. Etenim in speculo quoque visa nubium iris, si centrum illius in speculo impedias nihilominus apparet iris in gyro; si autem non appareret, necessariò intra oculum esset omnis iris asserenda.

Pro vtrisque Responsio. Porro hoc vnum certum est quod luminare & lux, & viuax & fœdata extra oculum sunt, nec tantum apparenter fiunt ex congressu obiecti visibilis & videntis spiritus, nisi fortè in esse visibili non in reali.

2. Nullam fieri iridem nisi lux alteretur vel in nube vel in aqua, vel in vitro; & reflectatur ad visum vel refrangatur. Alterata autem lux subiens oculum potest colorari per refractionem, quæ fit à cõuexo corneæ in aquam inclusã, & rotundari à foramine vueæ, intra quod solũ & necessariũ fit visio in crystallino, & refertur ad visibile extra oculum, etiam si innasceretur intra: nam si quod atomum natat intra corneam apparet aliquid magnum, aliquando rubrum, aliquando viride, aliquando nigrum, extra oculum in obiecto pariete, & moueri, sicut intra mouetur. Item quo amplius foramen vueæ fit dum accipit flammam, eò amplius obiectum apparet, sicut irides strictiores & largiores pro accessu & recessu in lucerna mihi ostenderunt. Præterea hoc etiam nouimus quod colores apparentes à retro positis vltra obiectis vel tolluntur, vel mutantur. Etenim iridis non apparent colores, si post lucernam sit albus paries, quoniam impedit oculum ad maius & vigentius obiectum. Similiter cum in phiala super ciliis apposita colores intueor, si manus vmbram in posteriori parte phialæ, vbi est confinium aquæ, & aëris, & vitri, appono, tunc color flauus illius confinij in ceruleum viuidissimum conuertitur: manúque ablata rursus flauescit, quoniam clarior præsentatur in crystallino, vel in conuexo pupillæ. Ita quod fœdatio lucis tam in obiectis quàm in reflectentibus obiectum, quã in oculo multiplex fit. Hoc tamẽ verum quod nobis vltimata ex fœdatione apparet.

Igitur colores simul ab extrinseco, simul & ab intrinseco fiunt: figura autem circularis apparentium & non existentium nisi ex parte, non videtur nisi oculis tribuenda. Similiter & illa lucis tam vicina distinctio tricolor & octicolor: multiplicatio autem colorum vsque ad octo ex nubibus multiplicibus partim claris, partim fœdatis, & intra nos & iridem, & vltra iridem positis accidit. Et hoc ritè pensandum ex dictis intelliges.

Qua autem ratione fiant irides duæ semicirculares in oculo, angustæ ab humili sole, amplæ

ampla ab eleuato, intra oculum nostrum conuersis coloribus, non intelligo, sed nubes anteriores & posteriores sunt in causa. At quomodo & vbi intra oculum locari queant, perpendens non inuenio. Nihil enim videmus nisi quod per pupillam intrat; at sicut diuersitas nubium facit o cto colores irides, ita & duplicitas: & sicut in lucerna iris videtur vna prope spectantibus: altera longè, posset dici quod superior sit in nube distantiori: & ab ipsa & ab altera propinqua simul duæ fiunt in oculo si à duabus lucernis non aquè distantibus etiam duæ fierent. At quomodo circulus infimus superioris conueniat cum supremo inferiori, dici forsan nequit ex parte oculi, cum iris foraminis etiam dissentiat, & color puniceus ad vmbram positus. Sed forsan puniceus confinis est albido & incarnatus solet vocari; ruber vero confinis nigro, & videntur confundi.

Cogitabimus & experiemur maiori sedulitate quã post primas promissiones fecimus.

QVÆST. XXVI.

DE GALAXIA.

Vtrùm Galaxia in aëre fiat ex reflexione lucis in collectis vaporibus, aut accensione, vt Aristoteli placet; an in cœlo sit stellato, ipsique coæua: & quid.

ARTIC. I.

VIDETVR Aristotelicis, quoniam cælum est quintæ naturæ, diuersitatem non patiens illi, Galaxia esse vapores à stellis, quibus subest multis illuminatos, continuóque ex tellure attractos, semperque durare eandem, quoniam suppeditantur semper.

Sed Arist. 1. Meteor. sum. 2. cap. 6. non quidem ex vaporibus attractis, & illustratis fieri Galaxiam, sed ex accensis, continuoque subministratis, sicut & cometas fieri docet.

Hanc sententiam nemo sequacium sectatur, nisi stulti quidam Mathematicæ & rationis expertes. Si enim ita esset, haudquaquã ex omni terrarum parte, in eadem cæli parte semper conspiceretur, quoniam parallaxim plurimam admittunt vapores in aëre. Præterea nec eadem Regio Italiæ in eodem loco Galaxiam spectaret, & fortè neque spectaret. Non enim vapores Neapoli conspicui, Venetis visuntur. At si eos attollat Arist. vsque ad locum in quo accenduntur cometæ, sibi, qui à plurimis regionibus simul conspiciuntur, tunc oporteret ab eadem sphera ignis accendi & hos vapores sicut cometas iuxtà dogma secum. Ergò gyrum ignis & lucis, non lac præseferrent. Præterea neque cometes sub luna ab omnibus regionibus eadem sub fixa conspicitur, sed visio eius ad alias & alias in diuersis regionibus refertur.

Quod non fiat ex vaporibus accensis, quasi comis totius circuli stellati, vt Arist. contendit in quæst. de cometis reprobatum est satis: nec per mille secula iidem durassent.

Stultè Niphus Aristotelem defendit, fingens ex vaporibus illis ad cælum stellatum lucem reflecti; & in stellato à nobis conspici lacteam viam: Tunc enim oporteret quandocunque & vbicunque vapores sunt in aere, cælum desuper lacteum videri, quod falsum est: cum non nisi pars illa lactea sit, & semper etiam quando nulli sunt in aëre vapores: similis huic viæ lacteæ apparet nubilosa præcepis, & Orionis, & Aculeus Sagittarij, & aliæ obscuræ circa crines Berinicis, & alibi areolæ lacteæ apparent perpetuò constanterque, nullis in aëre vaporibus existentibus. Quin etiam vbi vapores adsunt, non fit lacteum cælum, alibi: maximè fiendum quidem, præsertim vbi spissitudo stellarum inest. Præterea candor exilis à vaporibus aeris ad cælum stellatum per immensum spatium reuerti non potest, quin absumatur, & euanescat, vt patet in opticis. *In Auer. de sub orb.*

Præterea via lactea cum toto cælo circumduci videtur, vapores autem nequaquam

ftans,& è conuerfo,vt patet cuilibet ingenio, videri oporteret.

Ex his concludere licet itidem fieri vt in textu ex reflexa tinctáque luce folis, non quacunque,fed obliqua tingi apta,& propterea,nec totum circulum obtinere;& fuperiorem ex fuperioribus difci obliquitatibus,inferiorem ex inferioribus: nec reflexam id lucem efficere,fed tinctam:tingi autem non omnem,fed minus validam : proptereáque & in nubibus fuppofitis,& in aqua,& vitro,& vbicunque fieri,fi fædari contingat, fed non circularem, nifi vbi ex fola obliquitate fpherici luminofi accidat fieri.

Cur Iris circularis fiat,& matutina, ac vefpertina femicirculum complet,meridianáque minor, & an aliquando etiam totum.

ART. III.

Videtur Arift. Iris propterea circularis fieri,quoniam non poteft nifi in oppofita fieri nube, ad cuius centrum linea à centro folis per oculum tranfeat: oculi autem radii ad nubem delati in eadem ratione fint finguli ad fe ipfos fingulos è nube in folem reflexos oportet,vt fimiliter omnes paffi eundem colorem in toto ambitu fentiant. In circulum ergò proiecti ad certum terminum æqualiter reflectuntur, & circularem figuram adipifcuntur colores: & quidem mane,& vefperi fole nondum eleuato, media pars ipfius confpicitur in nube,& reflexio vifus ad medium : ergò ad femicirculum fit. Quanto autem magis eleuatur, magis deprimitur Iridis centrum, ergò minor portio femper confpicitur,donec pofito fole in medio cæli non amplius videri poffit Iris,quoniam eius polus infra horizontem demergitur. Hæc accipit à profpectiuis,vt & Auerroës;fed affumptum Ariftotelis falfum eft. Non modò enim Iris fieri confpicitur,vbi medii nos,nubes folémque inter fumus,fed ad latera; & cum fol eft in meridie vifa eft Iris ad Boream,& ad ortum,& occafum. Item iuxtà folem non minus decem gradibus, & fub fole integri circuli,& fub luna,& aftris maioribus interdum. Item in guttis remo fublatis,in vitro ferratili & phiala, in pariliis, fiunt irini colores. Quapropter non eft ratio Ariftotelica,& quorundam Peripateticorum,propria adæquatáque quæftioni. Quantum autem abfit ab Iride lucernæ, & foraminis noftri ex dictis patet. Quomodo etiam nos, & Seneca,& Auerr.& paffim multi,Irides aduerfas maiores femicirculo viderimus, dictum eft prius,

1635. *Pofthac vidi Parifiis pridem Lunarem completi circuli.*

ratio ergò mathematica non fatisfacit. Præterea cum manifeftum fit, lucem vbique coloribus iriuis tingi, eorum caufa non pender iuxtà Ariftotelis rationem à certo fitu vifus, aut nubis ad folem,fed à tintura, vbicunque fiat: & licet vt tingatur certo fitu opus eft,in quo languefcat,& vapor ipfam fædare queat: haud tamen opus eft certo fitu, vt quo colore eft fædata eo nobis etiam præfentetur, cum innumeri homines in diuerfis fitibus omnes eandem lucem eodem colore tinctam afpiciant, quamuis etiam debiliores vifu alii,alíique fortiores. Item nec omnes poffunt effe fimul centrum oculi omnium eiufdem Iridis,centrum enim vnum eft. Neque mille Irides fiant in eadem nube à mille hominibus fimul confpectæ: fed vna: omnes enim dicunt in eodem fitu fe illam videre non fecus ac folem,& lapidem videmus omnes eundem in eodem. His itaque probatis non rectè ergò Arift.caufam cur matutina, & vefpertina circuli portio media, pomeridiana verò circuli portio minor media,nos docuit. Notandum autem, quod area lunaris, & aftrorum,quam Peripatetici non negant,licet vnicolor aliquando appareat, talífque illis ponatur,tamen vifa eft fæpè ficuti & Iris multicolor in gyro: in medio verò fufco albore tincta,quoniam radii obliqui in gyro fic tingi certa ex nube queant. Vidimus & folem fumo pulueris bombardarum rufum,croceum,multicolorémque non rarò.

Iris igitur circularis fit,quoniam radij,qui tingi apti funt in nube circulares funt,& circulariter deferuntur:nō tamen complet circulum,quoniam non media,vigénfque difci folaris lux apta eft tingi, fed obliqua, quæ perficit in alia parte folis circulum,quæ ad nubem irinam pofitum habet auerfum, non aduerfum. Matutina, vefpertináque complet,& excedit femicirculum,fed anguftiorem; quoniam non è partibus lateralibus valde

dè lux irina fit,sed vicinioribus medio dici : siquidem per terras defertur vaporésque multos : qui obscurant lateralem,nedum parum illam fœdant. Igitur semicircularis, vel paulo maior appareat, est opus; non autem completa, quoniam incuruatio earundem partium minimè permittit,& minoris ambitus,quoniam à strictiori Zona solis lux porrigitur irina. Meridiana verò minor fit semicirculo,quoniam a luce remotiori à medio fit, quæ latiorem ambitum habet,sed statim incuruatur,iamque nec semicirculum eius aspectus ad nubem rectus complet. Arist.autem causam,cur meridiana Iris minor portio amplioris circuli sit,matutina maior minoris,proposuit dicere ; sed dissimulandò pertransiuit,quoniam ex suo dogmate nulla reddi potest.

Vtrum Aristotelici potuerint causam reddere cur Iris matutina,minoris circuli portio apparet, meridiana,maioris.

ARTIC. IV.

Dicunt ergò Peripatetici(quorum libris nunc careo)propterea ita euenire,quod Iris matutina fit in aëre superiori,& puriori ; meridiana in crassiori, quia terræ propinquior,submergitúrque centrum Iridis:quæ autem in crassiori,& vicinori spectantur,maiora apparent his,quæ in superiori tenuiorique. Hæc ratio non est admittenda, etenim partes Iridis matutinæ,chordæ viciniores,tangunt & ipsæ terram, sicuti & Iris meridiana,ergo solum in vertice debet videri angustior non in partibus imis,quæ in eodem vicino crassióque fiunt aëre.Item apparerent partes alterius Iridis, istæ amplioris; verticales verò angustioris ; quod nunquam vidimus, inquit Telesius. At profectò quam ipse vidi inter Vesuuum Santermúmque quasi super duas columnas verticatam, talem admittit rationem,sed cum non semper id eueniat, neutiquàm satisfactum est. 1. Opinio.

Alii dicunt matutinas fieri in crassiori aëre, in quali radiorum perfractiones minores à perpendiculari fiunt. At hoc præterquam quod suis dogmatibus de visione repugnat; experientiæ refragatur.Sol enim & sidera orientia, & occumbentia in matutino, & vespertino aëre crassiusculo,maiora visuntur,& Thyco ex hac ratione probat non benè Copernicum solstitia,& æquinoctia,& obliquitatem cæpisse : quoniam, quæ humiliora, & minora sunt,in horizonte elatiora,& grandiora apparent. 2. Opinio.

Tertia sententia ex dicta veritate elicit mendacium ; ex hoc enim,ait,quod grandiora omnia sint in crasso aëre matutino,& vespertino,iudicat sensus ea esse distantiora, quoniam interponitur terra,& crassus aër:in merid ana verò non interponitur,ideóque iudicat eam maiorem:stulta sanè ratio. Neque enim visus iudicat aliquid manus,vel minus quàm sibi apparet,sed discursus;qui non dicit apparere quantum visui apparet,sed quamuis visui tantum appareat ex aliis sensationibus probat alterius esse magnitudinis. Quis enim vnquam neget solis apparere diametrum vnius ferè palmi? negant tamen ita esse : sic non rectè Iris ponitur maior,quia iudicatur maior in meridie, sed quoniam apparet maior,& huius apparentiæ causa quæritur,non autem an ita sit. 3. Opinio.

Alij docent super eadem chorda fieri omnes arcus,sed cuius portio minor si eandem chordam habet,vt meridianus, oportere maioris circuli portionem videri. Verum hoc quidem,sed petit principium;nos enim quærimus cur fiat chorda eadem, minoris & maioris portionis.

Alii tandem dicendum existimant, solem sublatum attenuare nubes in quibus fiebat Iris matutina,sic in longinquioribus fieri iridem. Itaque & conum turbinis, cuius iris est basis,longius protendi:ergo & radios inter se minus vnitos facere,& basim maiorem habere oportere , sed multipliciter errat opinator. Aut enim radii nostrorum oculorum faciunt in nubem delati basim pyramidis, aut solares , qui ad nos flectuntur : si primum , palam est, quòd etsi in longum feratur , magis debilitantur, & stringuntur ; quæ enim sub maiori angulo videntur , maiora videntur , & angulus fit minor in oculo, quo res distantior : vt omnes Prospectiui docent , & experientia si hoc ad basim solarium refert radiorum , manifestè fallitur : nulla enim ad tantam

à sole distantiam est illa portiuncula distantiæ nobis meridianæ à matutina, vt patet ex mathematica. Physica quoque idem monet; quæ solem in longè distantiori, & in viciniori, Iridem facere nouit, vt in supposita nube etiam. Item nec semper viciniores nubes dissoluit: est enim quando omnes aëris partes puræ sunt; qui autem soli subiacet nubibus obsitus, quæ eius aspectum diù tegant: vt vanissima sit ratio ex tam inconstanti variabilissimáque causa deducta in Iride meridiana, quæ perpetuò constantérque semper maioris circuli portio apparet. Prætereà illa maior basis nobis remotior est, ad nostrúmque visum refertur, vt si quid addat distantia obiecto, demat idem visioni.


Vtrùm colores irini sint tres modò, aut quatuor, aut plures, & cur.

ARTIC. V.

VVlt Arist. 3. Meteor. tex. 27. tres modò esse Iridis colores. Probat.

1. Primo validior aspectus reflexus è nube ad solem in puniceum transit: proximus in viridem: Is, qui adhuc imbecillior est, in purpureum: vltra hos autem color nullus videtur. Item cæterorum mutatio sub sensum non cadit.

2. Item maxima aliarum rerum pars ternario numero terminantur: ergò & Iridis colores.



SED Contra Aristotelem pugnat experientia. Perpetuò enim quatuor in Iride colores spectantur hoc ordine, Puniceus, Flauus, Viridis, Purpureus. Aliquando verò & ceruleus, & alii colores miscentur, sed quatuor illi desunt nunquam.

Respondit Arist. ibid. tex. 28. & 29. Flauum non esse colorem verum Iridis, sed apparentem ex punicei viridisque iuxtà se collocatione. Probat, puniceus est vicinior albo quàm viridis; igitur iuxta viridem positus, qua parte attingit Viridem, apparet albior: ergò Flauus.

2. Quando fit Iris in nube nigerrima ex nigredinis iuxtà se collocatione, puniceus apparet longè albior, quam ex solius viridis associatione, & proptereà magis, & totus fere flauus: vnde tales Irides viuos ostendunt colores, & quasi nullum puniceum.

3. Iride propè terram euanescente, puniceus color flauus apparet: nebula enim alba in qua puniceus primus apparebat iuxtà Iridem posita coloris flaui refert imaginem.

4. Iris Lunaris, quæ noctu apparet, prorsus alba videtur, quoniam in nigra fit nube, & obscurato aëre.

5. Sicut ignis additus igni, sic quod nigrum est nigro additum, efficit vt quod remissè album erat, cuiusmodi puniceus est color, albus appareat prorsus.

6. Idem in florum corollis, & texturis variorum colorum, accidit, vt alius pro alio color collatione, & comparatione appareat, magis autem in noctu, ergò flauus non est verus color, sed apparens.

SED Contra Aristotelem clamat tota rerum natura: non modò enim flauus color spectatur in rebus mistis puniceo viridique, sed etiam in simplicibus totisque flauis, quale aurum, arangium, vrina, bilis fellea, ergo est vnus de coloribus. Quos si Arist. concedat, haud tamen in Iride, eadem experientia reprobatur: semper enim Iris flauum habet secundum colorem, non modò, quæ in aëre fit, sed etiam in lucerna, & foramine. Item in nubibus est, vbi alias flauas, alias puniceas, alias rufas, alias virides, alias purpureas, alurgásque videas, luce solis eas subeunte eadem varias. Item ego am-

pullam vitream aquæ plenam ciliis super imponens, video omnes colores ex luce tincta permeante, quodam ordine, sæpéque diuerso fieri, sæpè colorem puniceum cum flauo mistas, & absque viridi, vel alio opaciori; quod cuilibet experiri licet.

Ad primum Arist. rationem respondeo, quod etiam si visus reflexio colores pariat, haud propterea erunt tres modo, validus, imbecillus, & imbecillior: nam & validissimum, & validiorem, & validum, imbecillum, imbecilliorem, & imbecillimum, & intermedios multos experiri licet. Ipse quoque nubes, & aquæ per refractionem inspectæ, & per reflexionem, & rectà plurimas ostendunt colorum differentias, multóque magis refractio, cui videtur Aristoteles inniti, falsúmque assumit, quod sub sensum non cadant; sicut qui dicit videntibus, nolite videre, impius apud Prophetam.

Ad secundum benè ostendit Arist. neque hæc paucula, quæ de Iride scripsit sua esse, sed quemadmodum, quæ de spheris docuit in 12. Metaph. ca à Kalippo, & Eudoxo mutuatur: & quæ de elementis in 2. de Gen. & Cor. ab Ocello Pythagorico, omnia etiam verba exscripsit: sic quæ de Iride ab aliquo Mathematicorum Pythagoricorum, qui vt seruaret dignitatem numerorum solent sic argumentari. At si licet sic argumentari, quod Arist. in Pythagora sæpè deridet, damnátque: ponendi erant potius quatuor colores, nam quatuor sunt Aristoteli elementa, vnde etiam quatuor sensoria alibi statuit. Trinitas autem in dimensionibus corporis Mathematici commendatur, non in Physicis speciebus.

Ad tertium summoperè impugnatur à Telesio, quod posuerit flauum viciniorem albo, quam puniceum, cum è contra se habeat, paululum enim obscuratus flauus, viridis fit, non puniceus, ergò est medius inter puniceum, & viridem.

2. Item lux per tenues vapores transiliens punicea apparet, per crassos flaua: vnde Ptolomeus solem flauum pluuiæ, puniceum serenitatis posuit prænuncium: sic etiam nubes.

3. Item flammæ in tenui fumo puniceæ, in crasso flauæ apparent.

4. Item in vitro serratili puniceum à flauo, & flauum à viridi excipi videmus, & in crassiori parte has fieri, illas in graciliori.

5. Item comprimendo oculos parum super palpebras lux punicea, mox praxina, tandem purpurea, alurgáque, cum maximè comprimimus transparet: Igitur color flauus medius est inter puniceum, viridémque, & propterea medius apparet, quoniam à languidiori fit luce, magis ergò passa, prodit enim ex obliquiori solis parte, vt dictum est prius. Hæc Telesius in locis multis. Nos autem dicimus, quod etiamsi verum sit, quòd flauus sit luci proximior, haud propterea ratio Aristot. valet. Isti enim colores in Iride quadam mistione fiunt, non punctualibus distincti interuallis. Medium autem sapit extremorum naturam in physiologia etiam Aristotelica. Igitur mistura erit flauus viridis, & punicei. Quod si Aristot. non placet, quoniam arbitratur flauum esse puriorem vtrisque, tunc inuestiganda erat causa, qua interponitur intra locum non suum, & corrigenda etiam positio de colorum visione ex visus maiori, & minori efficacia. Quomodo enim vbi debilior est visus, potuit Aristoteli apparere albior color ex comparatione, quam visus reprobat? imò si hoc fit verum ex natura, visus non admisisset: quemadmodum in nocte, & vbi debilis est, alium pro alio videt colorem. Itaque quarta ratio longè fallitur. Non enim quia nigerrima est nubes debuit puniceus videri albior, nisi nubes esset ab eo separata, ita vt puniceum & nigrum sint tanquam in duabus tabellis. At si visus in eis subit vnitis refrangitúrque, necesse est, vt puniceus non albior, sed nigrior appareat, & hoc fuit primum etiam Arist. principium, quod in nigro, & per nigrum lux visa, aut radius oculi videns luminosum, non videt album sicuti est, sed minus album, & impurius: vide quomodo stat in suis, & quomodo in decretis naturæ homo.

Quapropter ex hoc, quod in nigerrima nube puniceus est flauus, colligendum erat, flauum esse impuriorem, & crassiorem colorem, & luceni fædatam magis, sed quia de coloribus nihil prorsus sciuit, vt in quæst. sua videbimus; idcirco loquitur Zingarorum more.

Ad quintum. Hæc ratio Aristotelis secum pugnat: si enim Iridis punicea Zona propè

Ii ij

tetram euanescit: ergò crassorum vaporum terræ mistura obscuratur eius aspectus, & transit in flauum: si verò alba nubes illi obiicitur, vt videtur dicere, tunc non albius, sed nigrius, quod puniceum erat fieri oportet, iuxtà ea quæ paulo ante dixit, quod nimirū obiectum nigræ fit albius, ergò flauum nigrius puniceo. Quoniam Arist. cauillatur, & imponit nobis: liceat eius cauillos in illum retorquere.

Ad sextum, Hoc igitur argumentum etiam isti contradicit: si enim alba Iris lunæ ob nigredinem, ergò & nigra præcedens mutatio obiecti albæ nubis.

At propterea Iris lunaris albior, quoniam lux eius non efficax est quæ possit vapores profundos permeare, benèque tingi, sed ab ipsorum superficie reflexa talem albidam ostendit Iridem. At in supposita nube eius Area, crocea, & rubra visitur, valentiórque. Probauimus etiam nos, quod qualis est lux è nubibus per foramen subiens, tales fiunt colores Iridis, debiliores ab obscuris, & fuscæ debiles, & claræ, ceruleæque à sereno cælo: aliquando ad cróceum omnes declinant, stante distinctione colorum.

Ad septimum patet ex dictis responsio.

Ad octauum, vera est experientia, mihi quotidie comperta, at non propterea flauus erit color apparens, & non verus: componuntur enim colores, & in oculo etiam eorum species humorum oculi qualitate alterantur, vbi fortissimi non sunt, sicuti lux per humorem in phiala retentum in varios colores alteratur: sic in columbæ collo vario in situ exiliens, lux ad nos varia spectatur, & multicolor: haud tamen propterea flauus non sit color, aut à viride distet magis atque puniceus.

QVÆSTIVNCVLÆ PRIMÆ.

CVr colores, qui in phiala, cilio superposita, apparent, tam multi omnes hunc ordinem ferè seruant, vt extimus, & qui tenebris sit proximius appareat puniceus, consequens flauus, alius cæruleus, viridis: paucissimi virides: sed purpurei, idest alurgi multi.

Et cur si ex luce solis directiori fiunt punicei; ex obliquiori, flaui, ex magis obliqua, virides, ex maximè obliqua purpurei; euenit in phiala soli non opposita, sed intra cubiculum super oculos posita tanta colorum multitudo vt plurimum, & ordine locatorum, quo in Iride; vbi sanè varietas lucis non adest, qualem è solis curuitate, accersit Telesius? & cur lux non tingitur, nisi in phiala superposita oculo, vel in situ quodam obliquo.

Respondeo vnicam esse in qualitate lucem, sed prout ex multa vel pauca eiusdem aquæ quantitate refrangitur, euenire, vt multipliciter coloretur. Et quia super oculos fit refractio lucis ex aqua ad oculum, & ex obliquis sitibus; Idcircò lucem immutari obliquam, quæ directa fortis est, & vna tantum reflexione non patitur, sed ex multis, quæ hoc in loco declarare operosum est.

Dico etiam, quod seruant ordinem, qui in Iride, quoniam quæ in multa aqua refrangitur, plus fædatur, quæ à modica, minus: idcircò prout ad angulum, quem facit aqua in phiala, plus, aut minus accedit refractio, clarior, aut impurior lux fit, quod & in vitro serratili triangulari innotescit magis.

QVÆSTIVNCVLÆ NOVÆ SECVNDÆ.

QVæritur cur in oculis fiunt Irides quales in nube, video enim circa lucernam proximum lilij quasi lilii purpurei colorem, cui succedit viridis, cui flauus, cui puniceus: similiter in foramine, vt dictum est in p.at. & cum aliquid interpono iidem colores prorsus apparent etiam in re interposita, si tamen solam Iridem impediat, non lumen: sic enim neutrum viderem, quamuis locum Iridis nihil intermediet: si ergò qui luci est proximus debet esse puniceus, vt Aristo. & Telesius docuerunt: cur in lucerna, & in foramine puniceus extimus est à luce distantissimus. An quia in oculo lux, quæ è crystallino resilit in oculi ambitum fædatur magis à medio humore aqueo: in extremo verò desinit ad albumen oculi in fine transpicuitatis corneæ tunicæ, & propterea mista albo fit

clarior, & punicea? sed profectò cum humor aqueus sit transpicuus, corneæ verò albæ pars opaca, videtur magis potens impurare, quæ est opaca. Me hoc anxium tenet, & id quod in Iride quam soleo amicis monstrare ad lucem solis per fenestram intrantis pars extima, quæ vmbram attingit est rubicunda: Neque enim apparet, nisi in interlimino lucis, & vmbræ, vbi colores aptius fiunt ex fœdata luce mista vmbræ per intermistas guttas aspersæ aquæ: quod præterea indicat propiorem luci esse purpureum, cui viridis, cui flauus, cui puniceus, & nigerrimus horum respectu, succedat: Hæc autem vera non sunt. Quapropter oportet iterum de coloribus Philosophari. Neque enim Telesius, neque egomet mihi in cunctis satisfacio; nec cæteris pro certis incerta, more Aristotelico, imponam.

Quæstiuncula 3.

AN possint fieri plures in Iride colores. Profectò non nisi quatuor visuntur licèt aliquando nonnulli appareant adiuncti. In phiala autem, & in nubibus plures. Item in pariliis: vbi Telesius suas obliquationes non afferat: sed potest magis, minusque nigrum eidem admiscere.


Illud etiam mirabile, cur non Iris appareat à latere Orientali, & Occidentali solis instar arcus, cuius vna extremitas cælum, altera terram spectet, nam exinde etiam obliqua lux exoritur, non secus ac ex superna, & inferna parte.

Ratio inquisitiua de nouis Iridibus à me consideratis.

DE coloribus Iridis, & hoc mirabile promam, euenit aliquando, vt in foraminis ore interiori mihi apparerent octo colores, primus proximus foramini albus 2. succedens albidus, 3. luteus similis vitello oui aut fuluæ Iaspidi, 4. benè alurgus, quem alij pauonaceum dicunt. Telesius purpureum, est enim instar lilij, 5. cæruleus similis cælo serenissimo, & marinæ aquæ, quando cælo per similis, 6. viridis clarus, 7. flauus, seu croceus, 8. extimus, qui in maximo ambitu, puniceus, idest rubicundus; & post hunc cubiculi sunt tenebræ. Hoc modo videre mihi contingit septies, aut octies per octo horaria minuta, & duplicatam quasi Iridem, sibique duas contiguas pari modo: & statim diligenter colores describebam. Cum causas quærerem, vnde in oculo meo ista monstra fierent, inueni, quod iuxta qualitatem nubium oppositarum foramini, variantur Iridis colores. Ex cælo enim sereno, vt iam dixeram, omnes colores fiunt quasi cerulei, sed clara, & diluta cerulitate; ex nubibus croceis omnes colores Iridis, quasi crocei sunt, nec tamen desinunt esse, puniceus, croceus, viridis, alurgus, vt ante; sed languidius, & & insensibiliter: ex rubra nube, sic etiam omnes rubescunt modicè tamen, vt non cessent esse quales erant. Ex hoc intellexi, quod variæ nubes erant, ex quibus, quasi duplex Iris, vel tot colores in oculo meo facti sunt: etenim cum interponerem digitum inter oculum, & foramen, Iridem non videbam in foraminis orificio interiori, sed ipsum orificium vndique obscurum, vt solet videri semper, quando oculus meus recta via foraminis medium non aspicit ità, vt fiat centrum illius. Cum verò aliquid inter oculum & Iridem interponerem, quod tamen lineam perpendicularem ex oculo in centrum foraminis non impediret, videbam Iridem citra interpositam rem, sed paulo angustiorem eisdem tamen colotibus octo, & gyris. Admiratus autem quomodo tot colores in oculo fieri possent, inueni mirabilius esse, quomodo res innumerabiles, & colore varias, simul videmus. Igitur quoniam lux à crystallino reflexa in ambitum oculi sese expandit varia prout à foramine ex nubibus variatis recipitur antequam ad totum ambitum oculi expandatur (dico naturæ, non temporis anterioritate) impurificatur ab oculi humore aqueo, & vuea, quæ interior est, in aqueo fit, quæ exterior in vuea vsque ad almen. Adest intus nigrum, & ceruleum oculi, vt misturam varient: ideo etiam in phiala cilio superposita innumeros colores, sed non ita ordinatos, vt mirum non sit posse etiam in humore oculi tot repræsentare, in quo est mirificus ordo à suo centro ad circumferentiam. Hoc etiam manifestum; vt primo in art. adnotaui, quod facilius intra

obſcurum cubiculum fiunt. Oculus lucis auidus ad illam modicam nimis dilatatur, & vuea operitur valde in centro, ergò in circumferentia ſua ob contractionem condenſatur; & ſic lucem magis impurificat, & variat. Verum cum lucernæ Iridem aſpicio, ſi paululum à lucerna recedo videtur Iris dilatari, & diſtantior fieri à flammula lucernæ; & cum magis recedo, magis ipſa Iris expanditur ſicut expanditur vuea. Haud tamen intra Iridem, & lucernæ flammulam viſuntur alij irini colores, quemadmodum in foramine, ſed aër purus, vt in locis Iride non occupatis. Hoc autem fit, quia lux lucernæ non variatur, ne dicas, poteſt ergò facere Irides ſicut aër certis obſitus nubibus. At memini me in lucerna aliquando ſimiliter vidiſſe colores plures irinos, ſed bis fere, nec adnotaui eos, nec cauſas, cogitans me aliis vicibus eodem ſpectaculo' titurum. Et iam ſex menſes tranſierunt, nec in lucerna, nec in foramine video, niſi ternos ferè colores, puniceum, croceum, viridem, qui vix diſcernuntur, ſi cælum nubiloſum, pluuioſumque nimis eſt, ſed cum lux certo modo ferit aduerſas nubes, euenit color octiplicatus. Miror quomodo veteres in lucerna id non conſiderarunt.

Poſt ſcriptum hoc vidi ſæpiſſimè iterum octo colores in foramine: cum nubes opponebatur non nimis lucida, nec opaca, ſed ſublucida, ex qua Iris duplicabatur.



Oculus in A. videt Iridem maiorem B. non autem D. Oculus in C. videt minorem ſolum Iridem D. omnes tamen in eodem ſitu circa lucernam.

His ex obſeruationibus ſpero me quantocyus veritatem de coloribus, & de Iride exculpere, Deo fauente, cum dabitur cælo frui experirique ad ſolem in aſperſionibus, & phialis, & miſturis pictorum, & tinctorum, & in ſpeculis multis ea, quæ mente concepi: mirabilia enim ſunt, & vltra fidem: nec decet Philoſophum ex conceptis imaginariſque, niſi plurimis adhibitis experimentis, dogma poſt experimenta benè examinata,

pandere; nec inuidendum aliis, si ex nostris obseruatis supra nos profecerint.

Post hæc venientes in lucem obseruauimus, fieri Iridem in Oriente submerso iam sole sub horizonte Occidentali, ex nube lucidissima amplissimaque: imò duplicem aut octo coloratam coloribus: vt in foramine iam dicto. Vnde conieci, nubis lucem fucatiorem colorari aptiorem & pluries, esse, imitarique solis gyros, si verè tunc latebat.

Dubitatio suprema, & solutio non suprema.

QVinque habemus signa quibus Iridem non posse fieri extra oculum demonstratur, 1. quoniam circularem habet figuram sicut oculus, nec potest è nubibus, nisi sint quasi speculum solis, irides reflecti; & tunc omnino circulum absolutum haberent siue cum in aqua siue in nubibus vultus solis recipiatur, totus quidem & circularis apparet. Quod autem Arist. ait, centrum solis, & centrum oculi, & centrum iridis conuenire, falsissimum est: oculus enim semper inferior est; & quasi in angulo obtuso lineæ ductæ a centro solis per oculum ad nubem, quando sol radit horizontem; sed cum est valdè eleuatus; tunc angulus accedit ad rectum, vel ad acutum. Præterea vidimus Parisiis in anno 1635. Lunarem iridem albidam (nunquam anteà nobis visam) & quidem completi circuli, colorum eorundem sed debilissimorũ: ergo circularitas ista intra oculum ad oras foraminis rotundi tunicæ vueæ fit: ita quod si Catus, cuius vueæ foramen est quadratum, respiceret per foramen parietis, etiamsi rotundum, quadratam omnino iridem spectaret, non enim ex rotunditate obiecti, sed organi in rebus apparentibus, & non prorsus extra oculum existentibus, fit rotunditas, 2. est quoniam irides quas circa lucernas videmus, & circa foramen quadratum tenebrosæ aulæ, circulares sunt: si autem fierent extra nos, quadratæ fierent à foramine quadrato, & rotundæ à rotũdo; & pyramidales à lucernæ flamma pyramidali; nec apposito digito centrali lineæ visuali qui non impedit nisi lucem mediam, quã rectã ad crystallinum fertur, non autem iridis loca (remanent enim hæc spectabilia) cessarent spectari iridis colores. At quidem non spectantur: ergo à centro oculi lux resiliens in vueam, vel deforis per illam transiens colorantur; quemadmodum per phialam aqua plenam; nam & aqueus humor intus & extra vueam, implet oculum. *Pro oculo.*

3. Præterea si iris esset in nube & non in oculo, currente oculo, iris non curreret, nec mutaret situm de iugis aliis in alia iuga Apennini.

4. Præterea color puniceus iridis plus opacitatis habet, quàm cæteri colores, cuius contrariũ Arist. & Telesius affirmant. Ego autem vidi in lucerna, & in foramine, quòd qui maximè distat à luce puniceus est, & similiter in aspersionibus, quas facere soleo inter lucem & vmbram, circulus vmbræ proximus, est puniceus: remotissimus verò albidus: quoniam fœdatur ille magis ab vmbra, quoniã neruosis mẽbranulæ vueæ coarctatis portiunculis opacis reflectitur: alij vero colores sunt refractionis cẽtro lucido viciniores. Idem quoque patet in vitro ferratili. Crassior enim pars rubedine afficit minus, crassã cæteris coloribus.

5. Præterea no potest lux fœdari coloribus immediatis, neque enim vigor eius statim tantillus seriatim fit, vt alius à se appareat. Porrò & in centro iridis, & in omni portione intra chordam & arcum, est eadem lux, nec tamen coloratur; quod dico contra Arist. contra Telesium vero dico: quod partes solis non modo obliquè spectant nubem, quæ circulum eius referunt, sed etiam quæ in centro eiusdem circuli & pariter obliquæ sunt; non ergo fieret circulus tam certus, sed cõfusio colorum variorum vt in flammis & nubibus, ergò rotunditas est ab oculo sicut experimur in iride lucernæ; & variatio colorum à refractione varia globosi oculi & vueæ tunicæ, sicut in phialis. Nam quando lucernæ propinquamus, angustior iris fit; quoniam oculi foramen angustiatur: quando recedimus amplior, quoniam foramen ampliatur. Et cum multum recesserimus euanescit iris, quia lux in centro oculi recepta minoratur, nec potest tam commodè reflecti, vel ab cornea refrangi.

E contra vero videtur iris nubium non posse in oculo fieri, 1. quoniam esset circularis tota, quale est vueæ foramen. *Pro nube.*

2. Fiunt in nube aliquando irides duæ aduersis coloribus; at oculus non habet gyros

amplæ ab eleuato, intra oculum nostrum conuersis coloribus, non intelligo, sed nubes anteriores & posteriores sunt in causa. At quomodo & vbi intra oculum locari queant, perpendens non inuenio. Nihil enim videmus nisi quod per pupillam intrat; at sicut diuersitas nubium facit octo colores iridis, ita & duplicitas: & sicut in lucerna iris videtur vna prope spectantibus: altera longè, posset dici quod superior sit in nube distantiori: & ab ipsa & ab altera propinqua simul duæ fiunt in oculo si à duabus lucernis non aquè distantibus etiam duæ fierent. At quomodo circulus infimus superioris conueniat cum supremo inferiori, dici forsan nequit ex parte oculi, cum iris foraminis etiam dissentiat, & color puniceus ad vmbram positus. Sed forsan puniceus confinis est albido & incarnatus solet vocari; ruber vero confinis nigro, & videntur confundi.

Cogitabimus & experiemur maiori sedulitate quā post primas promissiones fecimus.

QVÆST. XXVI.

DE GALAXIA.

Vtrùm Galaxia in aere fiat ex reflexione lucis in collectis vaporibus, aut accensione, vt Aristoteli placet; an in cœlo sit stellato, ipsique coæua: & quid.

ARTIC. I.

VIDETVR Aristotelicis, quoniam cælum est quintæ naturæ, diuersitatem non patiens illi, Galaxia esse vapores à stellis, quibus subest multis illuminatos, continuóque ex tellure attractos, semperque durare eandem, quoniam suppeditantur semper.

Sed Arist. 1. Meteor. sum. 2. cap. 6. non quidem ex vaporibus attractis, & illustratis fieri Galaxiam, sed ex accensis, continuoque subministratis, sicut & cometas fieri docet.

Hanc sententiam nemo sequacium sectatur, nisi stulti quidam Mathematicæ & rationis expertes. Si enim ita esset, haudquaquā ex omni terrarum parte, in eadem cæli parte semper conspiceretur, quoniam parallaxim plurimam admittunt vapores in aëre. Præterea nec eadem Regio Italiæ in eodem loco Galaxiam spectaret, & fortè neque spectaret. Non enim vapores Neapoli conspicui, Venetis visuntur. At si eos attollat Arist. vsque ad locum in quo accenduntur cometæ, sibi, qui à plurimis regiónibus simul conspiciuntur, nunc oporteret ab eadem sphera ignis accendi & hos vapores sicut cometas iuxtà dogma secum. Ergò gyrum ignis & lucis, non lac præseferrent. Præterea neque cometes sub luna ab omnibus regionibus eadem sub fixa conspicitur, sed visio eius ad alias & alias in diuersis regionibus refertur.

Quod non fiat ex vaporibus accensis, quasi conus totius circuli stellati, vt Arist. contendit in quæst. de cometis reprobatum est satis: nec per mille secula iidem durassent.

Stultè Niphus Aristotelem defendit, fingens ex vaporibus illis ad cælum stellatum lucem reflecti: & in stellato à nobis conspici lacteam viam: Tunc enim oporteret quandocunque & vbicunque vapores sunt in aere, cælum desuper lacteum videri, quod falsum est: cum non nisi pars illa lactea sit, & semper etiam quando nulli sunt in aere vapores: similis huic viæ lacteæ apparet nubilosa præcepis, & Orionis, & Aculeus Sagittarij, & aliæ obscuræ circa crines Berinicis, & alibi areolæ lacteæ apparent perpetuò constanterque, nullis in aëre vaporibus existentibus. Quin etiam vbi vapores adsunt, non fit lacteum cælum, alibi: maximè fiendum quidem, præsertim vbi spissitudo stellarum inest. Præterea candor exilis à vaporibus aeris ad cælum stellatum per immensum spatium reuerti non potest, quin absumatur, & euanescat, vt patet in opticis. *In Auer. de sub orb.*

Præterea via lactea cum toto cælo circumduci videtur, vapores autem nequaquam

simul conuolui possunt in eodem persistentes ordine, nihilque dissipentur, & semper eandem faciem seruent.

Præterea lacteus candor conspicitur magis in Galaxia, quando cælum est serenum, quam vbi vapores adsunt, cuius oppositum Aristoteli præstarent. Præterea aut immoti semper iidem vapores sunt, aut noui succedunt. Non primum, quoniam vapor à luce dissipatur, & vt vult Aristoteles accenditur, & absumitur statim more cadentium siderum. Neque secundum, quoniam circumfertur illa via: impossibile est autem, vt omni ex parte telluris æquales vapores in quantitate, & figura ad eundem situm eleuentur. Præsertim cum nunc ad planas terras Galaxia spectet ambiendo tellurem, nunc ad montanas, nunc ad paludosas; nunc ad Oceanum. Tolerabilior est Poëtarum fictio, quod aberrante sole exustum est cælum. Quod Plato, & Pythagorici ad mysterium trahunt, vel quia vt dicitur in Ciuil. quondam aliam sol tenuit viam, sed exustio non remansisset: sicuti neque nunc fit in Zodiaco eius via.

Telesius verò cæli supremi partem densiorem esse putauit, vt Auct. quod nos in textu subscripsimus, non tamen à sole lumen totum excipientem, sed etiam per se lucentem, quoniam tale natura est cælum. A Deo quoque ita factum addidimus propter rerum inferiorum varietatem.

Albertus stellularum ad inuicem lumen emittentium, spissarúmque faciem esse putauit, & cum eo etiam Auct. ex parte S. Th. & tandē Galilæus perspecilli admirabilis beneficio ita esse deprehendit in Galaxia, & in Præsepe, & in aliis eiusmodi Asterismis: dum enim ob exilitatem sui, & remotionem greges stellarum aciem visus effugiunt: candorem solummodo illum commōstrant, vnde & nebulosa Orionis stellulas viginti duas continet, quæ videntur vna. Præsepè verò quasi quadraginta: nobis autem duo Aselli modo conspiciuntur: cæteræ vna nebulosa apparent.

Quapropter ad Aristotelem Resp. quod cælum non est quintæ naturæ: quod si esset nequaquam spissitudine molis, vel Asterismorum careat oportet, vt Auct. fatetur.

Telesius verò ægrè contra experimentum substentatur, cum & ratio doceat spissitudinem illam oportuisse in tanto tempore minui lucis opere, cum solida non sit, sed tenuissimæ molis.

Anaxagoras, & Democritus stellas esse à sole ob noctis vmbram non illustratas, dicentes (si vera refert Arist.) decepti sunt, quoniam omnes fixæ illustrantur semper, vmbra enim terræ Mercurium non transcendit.

Plinius lacteam vim herbis ab hoc circulo demittit: idcircò si plenilunium, aut interlunium accidat ibi frugibus noxium veneno quasi infici lac illud, oleráque & frumenta, & flores arborum enecari: sed fallitur, quoniam à cælo nihil tale aduenit, nisi vires solis iis in locis ita disponi velit vt succis olerum conferat: quod asserimus. Fortè si fiat ibi plenilunium, aut interlunium maleficis stellis in angulo positis, & in dicto loco, accidet malum herbis: bonum verò sub beneficis, vt in Astrolog.

QVÆST. XXVII.

DE VENTIS.

Vtrùm exhalatio sicca materia Ventorum sit, vt Aristoteli placet, vel vapor quicunque, & qualis.

ARTIC. I.

2. Meteor. cap 1. sum. 1.



VONIAM tenues, mobilésque venti sunt, vapores autem humidi crassi sunt, & in nubes, & pluuias potius conuertuntur; arbitratur Arist. siccam exhalationem esse ventorum materiam.

2. Exsiccant venti Aquilonares, & alii interdum: ergò &c.

3. Qualitates ex locis per quos transeunt, accipiunt, si quando humidi apparent, vt Austrini.

SED Contra habetur in Iob, quod venti omniugæ sunt qualitatis. Idem planius docet docet Chrysostomus super Psal. 134. At si originem spectes ex terra, & aqua, à sole attenuatis eleuantur: sunt ergò humidi omnes, quoniam tenues, licet alius alio magis, & ideò crassiores, & molliores, & frigidiores dicuntur. Quod tamen ex qualitate regionis mutatur, vt in textu dictum est. Quod autem nulla exhalatio sicca reperitur, dictum est prius. Item quod venti non modò fiunt ex vaporibus, sed etiam ex fluctibus aëris, vt docet S. Aug. in lib. de Cogn. veræ vitæ, & in textu palam aperitur; & à feruore, & quomodo, & vnde.

Ad primum concedimus crassos vapores in nubes, & pluuias concrescere: tenuissimos vero sursum attolli, neque in ventos agi: sed mediocribus spirandi tortuosè vim damus, prout in textu.

Ad secundum, ventos exsiccare vel calore adurente, dicimus: qualem Moyses à Deo in rubrum mare immissum narrat, dum scilicet calor depascit humorem in tenuitatem vertendo, vel à frigore constipante & exprimente vdum; quod frigus secum deferunt venti Aquilonares.

Ad tertium patet, quod auster per mare ad nos transiens madidus est, & calidus; quoniam ab Africa adusta: sicut Africanis è contra, Septemtrio madet, & crassescit, qui nobis frigidus est, tenuisque; quoniam à frigida defluit regione, frigusque secum propellit: cum tamen omnes calidi sint ex principio actiuo, & materiali; sicut & aer, qui similiter innumeris afficitur qualitatibus.

De numero ventorum consentit sacra scriptura, quod quatuor sunt principales à quatuor mundi cardinibus: collaterales autem octo addit Arist. sed vsque ad trigesimum sextum multiplicantur, patet ex tabella Cardani. Nautæ vtuntur vt plurimum octo.

At quidem ex eo quod dicitur in Psalmo Deus, *producere ventos de thesauris suis*: & in Iob: *Numquid nosti thesauros niuis?* arbitrantur, quod Deus omnium rerum thesauros diuisos habeat, immittatque pro tempore ventos ex proprio, & niues ex proprio, & pluuias, &c. sicuti Homerus Eolum ventorum Regem horum thesaurum habere cecinit: sed respondit Chrysostomus ibidem, quod thesaurus horum est rerum natura vnde Deus quidquid vult tam facile facit, ac si de thesauro nos pecuniam subitò promamus: & propterea Dauid hac vtitur elegantia sermonis.

Vtrùm ventus ab aëre circumferatur, an ab appetitu spatij sibi vitalis.

ARTIC. II.

ARistoteles, cur venti non sursum, neque deorsum spirent, sed circa terram quærens, opinatur quoniam sic aër conuoluitur, ventos conuolui, & principium motus ipsorum esse supernè, materiæ verò infernè.

Plinius verò à sole, vel sideribus elatos vapores percuti, & deorsum impactos telluri circumuersari.

Theophrastus siccitate sursum, humiditate deorsum trahentibus, euenire, vt in gyrum torqueantur.

Iob ad imperium Dei ob fines in textu assignatos. Sed nos Physiologismum huius negotij inquirimus. Dictum est autem in textu, quod nec tenues sunt, vt sursum attollantur: nec crassi, vt fiant, & nubes fiant, oportet ergò eos inferius hærere: cumque non capiat spatium hoc multitudinem succedentem eorum, cogi eos spatium vitale sibi acquirere, ac proinde conuolui, donec attenuentur in aërem, aut spissentur in aquas, aut in spatio conuenienti amplientur. Hoc autem à sensu mortis habent, & vitæ appetitu, quod tantopere concitentur, vt impetuosè efferantur. Vide textum. Feruntur tamen eò quorsum commodi spatij viam nancisci contingit:

& ideò nonſemper vnus, nec ad vnum ſitum ſpirat ventus. Aër enim à perturbatione, & ſideribus aliter alibi diſpoſitus eſt: & vis premens ex copia aliunde aliis temporibus incipit: idque ita eſſe vapor terrenotus, & turbinis indicat, vt non amplius dubitet Marchio noſter, vtrum ventus ſit ſolus, & ſemper aër impulſus, an etiam vapor.

Ariſtoteles apprimè errat, motus enim aëris exiguus eſt, inſenſibiliſque, vt flores vix agitet; ventorum autem vehemens, vt turres, & quercus proſternat: quomodo autem poteſt dare aër, quod non habet? quod ſi ita eſt, nullus eſſet vapor, aut nubes, quæ ſimiliter non rapiatur.

Item omnes venti eundem vbique motum haberent, quia eadem vbique aëris vertigo. Item plures venti ſuper montes fierent, vbi tamen nulli videntur Ariſtoteli. Et quanquã aër inferior à montibus cieri valide prohibeatur, ſupra montes tamen non habet motum, niſi qui ab ortu in occaſum: venti autem quorſum libet feruntur, impetúque longe maiori, quam qui ab aëre: ſpirant etiam apud nos Auſter & Boreas viciſſim non impulſu aëris, nec ſolis.

Plinius imperite loquitur; ſidera enim attenuant vapores, ideoque potius ſurſum trahant, quam deorſum impellant, niſi fingas, quod Ariſtot. de igne. Sed ſic, & quoſcunque vapores depelleret.

Theophraſtus nihil melius affert: ſiccitas enim de qua loquitur tenuitas eſt vaporis; humiditas craſſities: quod ſi copulentur, quod etiam Ariſtoteli non placet exhalationi ſiccitatem, & non humiditatem donanti; nequaquam impetu in latera terræ ſpirarent, ſed in regione ſibi conuenienti ſtarent, niſi ab alio agitentur, vel à propria vi actiua: veluti nubes, & nebulæ, & caligo in aëre, & propè terram ſtare viſuntur. Impetus autem tantus vndenam?

Quod aër non pellatur deorſum à cælo, dictum eſt alibi: quod nec vapor à frigore mediæ regionis, vt putat Aphrodiſ. ex hoc patet, quod propè terram fiunt in regione prima. Item nubes calidæ etiam maneut in mediæ regionis confinio immotæ.

S. Auguſtinus in lib. de Cogn. ver. vitæ, tribuit motus ventorum, & procellarum Angelis, & dæmonibus: ſed hoc verum eſt, cum præter naturaliter cientur, & inſuetis agitationibus naturales autem ſolitoſque rerum naturis adſcribere oportet.

Vtrùm Eteſiæ oriantur ſub ortu Caniculæ ex niuium liquefactionibus, vt Ariſtoteli placet; an è mari.

ART. III.

PRimam ſententiam Ariſt. tuetur, & cum eo Plinius; vocantque Eteſias Aquilonares, quoniam frigidiuſculæ ſunt, quales iſti. Incipiunt autem ab exortu Caniculæ, quaſi in meridie, & in occaſu ſolis, vel paulo ante terminantur; durantque dies quadraginta, ſicuti Fauonij circa finem Februarij in occaſu Aquilæ: Subſolani verò in Majo cum Vergiliis: Aquilo in Iunij fine cum Canicula: poſt quos in Autumno ſequuntur Auſtri ad exortum Arturi; cui ſuccedit Corus: & in occaſu vergiliarum ſub principio Nouembris Aquilones flant Hyberni.

Probat Ariſt. quod dictum eſt de Eteſiis, quoniam flant in meridie tempore æſtatis percalidiſſimo: ergò cum ſint frigidi non niſi à frigida regione ſpirant Boreali: ergò ex niuium ſolutione.

Sed hoc impoſſibile videtur. Nam flant ad nos ex mari infero, vt patet. Niues autem nullæ liqueſcunt tunc in Africa aridiſſima. In omnibus prætereà regionibus à mari diſtantiſſimis nullæ fiunt Eteſiæ fere ſed in maritimis, vel mari imminentibus montanis. Prætereà palã videmus mare quietum Neapoli ante lucem in ęſtate vſque ad horam Eteſiarum: cum ſubito aquas æſtuare cernas, & frigidiuſculam ſimul aurã in aëre conuerſari:

& manibus ipsis hoc tangitur, vt nec nautæ ipsi aliud sentiãt. Prætereà niues in editissimis montibus liquescunt, vapor autem deorsum ad maritima ora non descendit, sed potius sursum attolleretur, vel aliquantulum. Ergò non nisi à mari est aura lenis illa, quam sentimus, quicunque etiam à niuosis distamus montibus ad oram maris siti: vnde non rectè quidam suspicantur ventos ex Africa spirantes, à montibus Europæ & Asiæ repercuti vndarum rirc & sic facere Ethesias: non enim ab obliquis, & distantibus & humilibus, quales sunt Rifei; Pyrenei, Gates, Pybanus, Taurus, & Caucasus, & Parnassus: sed à rectis & concauis vicinis, quales Acroceraumi repercuti possent: nec fierent ætesiæ nisi vbi montes proximi Africæ. Nec fieret cum reuertitur sol à principio Cancri: fiunt autem tunc: & vbicumque est mare; & in oris Asiæ eois; & rationes iam dictæ damnant sententiam hanc.

Ad Plinium Resp. quod falso nomine Aquilonis donat Ethesias cum non nisi à mari exoriri sensus, locus, & agitatio maris tunc doceant, etiam in mari rubro, vbi nulla nix in Arabia. Obseruatio illa Plinij non concordat regionibus omnibus: sed hoc solum, quod in exortu fixarum magnarum noui flant venti, sed qualitatum diuersarum pro natura regionum. Vide Astrologica.

Ad Arist. Resp. quod frigidiuscula illa aura sub æstu potest à mari oriri; quoniam omnis aqua teneros vapores elicit, crassiusculosque, aëris feruorem remperantes, vt palam est. Flabellum quoque nouum indesinenter aërem adducens, & calefactum à nostra carne auferens, sensum frigiditatis, id est minoris caliditatis, efficit, vt palam est, multo ergò magis aura marina.

Sunt qui putant motum esse causã caloris & frigoris: quoniã flabellum etiam intra hypocaustum in aëre calido facit frigus. Quod motus non sit caloris causa, supra ostendimus. Quod neque frigoris, probat id quod contrariorum non potest eadem esse causa per se: & quoniam est operatio caloris, non potest frigoris esse quippiam. Multus aër flabello actus facit sensum frigoris calido corpori, quoniam est minus calidus quàm ille aër, qui tactu corporis calefiebat magis: & calorem exhalantem igit: ab aër calidior flabello pulsus, calefacit magis, vt & aqua: positus enim ego in balneo calido à principio, quasi vrebar: at postmodum facto symbolo cum adiacente aqua, facilius tolerabam. Sed aqua agitata depellens adiacentem, feruoris maioris sensum afferebat. sicut & frigida in balneo toleratur: at mota aqua prima, frigidior succedens apparet. Sic de flabelli aëre dicendum: nec putandum à motu per se fieri frigus. Sed afferre præinexistens frigus, aut intrudere magis adiacens.

QVÆST. XXVIII.

Vtrum stellarum viribus specialibus ventorum, & aliorum entium sublunarium, ortus, & conseruatio, speciatim tribui debeant.

ARTIC. I.



PROBATVR affirmatiua.

1. Ptolomeus 2. Quatrip. ventos Orientales Saturno; Occidentales Marti; Boreales Ioui; Meridionales veneri: quibus omnibus miscetur Mercurius; communes soli, & lunæ tribuit: & hac ratione triangulorum dogma statuit, & iudicia Astrologica.

2. Plinius ait, sicuti sol efficit annum eiusque tempora; ita reliquorum siderum; aliæ ætates & effectus: propterea est quibusque vis, vt aliud ros efficiat, aliud niuem, aliud æstum, aliud nebulam. Quod Saturnus ostendit, cuius transitu fiunt imbres: & Hyades cient pluuias, & Arturus procellas, & Canicu-

la Etesias,& æstum maris,& fluuiorum,& vini,& canum rabiem.

3. Ptolomeus signorum naturam declarat. Arietem scilicet grandinosum, & tonitruosum, sed in partibus prioribus circa hoc propriè imbrium, & ventorum causam; in mediis temperatum; in extremis æstuosum, & pestilens: in Septentrionalibus æstuans & corrumpens; in Australibus glaciosum, frigidiusculúmque pro siderum in eo natura; & sic de reliquis signis prosequitur.

4. Cometas tribuit Planetis, prout colore illis assimilatur; similiter & eclypsium decreta; nam si liuent, aut nigrescunt à Saturno sunt, & nocent nobis, & animalibus, & herbis vtilibus: prosunt verò serpentibus, & nociuis herbis, &c. si candent, referunt Iouis decreta; si rubent Martis, si flauescunt Veneris; si variant Mercurij, Sol autem, & Luna vniuersaliter significant.

5. Pro Planetarum copula inter se, & cum fixis in exordiis quartarum anni, & in Eclypsibus, & Cometis, & præcedenti Lunatione, pronosticamur de euentibus aeris, & maris, & morbi, & salutis humanæ, & mutationibus Reip. &c. ergò.

6. Ptolomeus lib. 3. & Alcabitius etiam corporis membra tribuit suis quæque Planetis, vt Cor Soli, lienem, & ossa Saturno, renes, & fel Marti, &c. & ex his fit præcognitio.

7. Videntur & animalia alia solaria, vt gallus, & homo, & leo. Alia lunaria vt Cancri, conchilia, pisces: alia Saturnina, vt Camelus, vermes, serpentes, alia, &c.

8. De Plantis videtur idem manifestum esse, quoniam Helitropium cum sole circumuertitur; olea, populus, salix, lupini cum obliquo motu consentiunt. Cypressus datur Saturno, Mirtus Veneri; selinites lunæ, Quercus Ioui &c. tandem in metallis idem probant Chimici: quoniam aurum soli, argentum lunæ, mobile argentum Mercurio, plumbum Saturno, &c. tribui videntur.

9. In lapidibus exempla non desunt, quoniam siderites lapis succo lemonis mouetur sideribus conspersus totus. Tephritis nouæ Lunæ speciem habet curuatæ in cornua. Astrios plenæ Lunæ flammulam in centro habet. Sandastros verò stellata aureis guttis est Hyadum numero, ac dispositione: & innumerabiles figuras est videre in lapidibus cognatas cælestibus.

10. Morbi quoque ipsi Ptolomeo teste Planetis correspondent, vt patet scientibus artem: quod cum S. Pontifices permittant, & commendent Astrologiæ vsum pro Medicina, Agricultura, & Nauigatione: ac tantummodò damnent eos, qui subdunt liberi arbitrij actus per se, ac supernaturales euentus cælo; & qui periculosè de morte hominum pro certo pronunciant, cum magna Reip. turbatione, quamuis de infirmitate loqui possint: illa enim duo perhibentur vt falsa, illud tertium vt incertum ac periculosum: & sæpissimè falsum: consequens est, vt id quod per se agunt & naturaliter astra, sit vero philosopho considerandum. Non enim agunt supernaturaliter, nec moraliter.

Porrò quoniam stellæ calore motu, aspectu, & lumine agunt omnes. Calor autem non nisi ignem efficere cupit: quidquid ergò efficitur formatum aliter, per accidens illi fit: idcirco stellarum industriæ non videntur rerum inferiorum formæ tribuendæ: sicut nec frigori, nec calori, quamuis à calore, & frigore fiant, dum aliud intendunt facere: ergò causæ intellectuali, sicut rectissimè probat Chryso. super Gen. ho. 6. & omnes Theologi doctiores & Phil. Neque Angelis motoribus cælorum, cum Arist. quis rerum formationes tribuat, nisi vt Medicis, & Agricolis, ait Aug. & Thom. quoniam motus defert lucem, & calorem, qui per accidens format, dum ita, atque ita calefacit: ergò potius artifici, Animæ mundi, vt fiat, vel Colchod. vt Auic. vel actiuo intel. vt Anax. & Alex. vel verius certiúsque Artifici primò vtenti Angelis tanquam discipulis, calore verò & frigore, & materia, tanquam malleis, & igne & incude & ferri massa, & lima; motibus verò tanquam applicantibus ista ex arte, sicut prius dicebamus: & quia multiplex, variúmque est opificium Dei, vtitur multis luminaribus, & actionibus variis, & applicationibus, sicut in textu diximus. Quapropter formatio hæc multiplex stellis vt instrumentis modificantibus vires solis, & specificantibus ad hoc, & illud opus, concedenda est: soli verò vt causæ generali operum istorum; Deo vt supereminenti Architecto, Angelis vt sigillatoribus executoribus. Asterismis vt sigillis: & qui sic non philosophatur, præterquam, quod impiè gentilizat, causas certas rerum reddere non potest, neque sibi, neque aliis satisfacere; si

tamen intelligere vult quod dicit, & non more Peripateticorum garrire, qui sunt lyræ benè sonantes, se ipsas autem non intelligentes, teste Diogene; quoniam in vocabulis, & sophismatis scientias ponunt. Nota quod S. Augustinus, & D. Thomas dant à sideribus etiam afflatus, & quandam fortunatam aptitudinem in 3. Cont. Gent. nedum calorem, & lucem, & motum, & aspectum, Angelis verò actionem quasi Agricolis & Medicis: qui non faciant formas, sed moueant ad formas applicando actiua passiuis: sed hoc in Metaph. disputandum.

Ad primum Resp. quod omnis effectus ab omnibus causis simul fit, sed specificatio, & particularizatio eius non apparet; nisi quando in tali situ, & ordine sunt stellæ, & præcipuè Sol, ex quo talis oriatur effectus; patet enim, quod floritio Amygdalæ est in occasu fidiculæ, cum cæpit hyems transire, & paruus ille calor sufficit ei, non autem oleæ, quæ non nisi in Iunio floret, cum æstus eius pinguem crassitudinem concoxerit: & quia Planetæ valdè specificant naturam solis in copia; & robore caloris circa inferiora, quorum constitutioni attemperantur: ideò Planetis tribuuntur effectus omnes, sed alij verè, alii doctrinaliter. Quidquid enim salubre nobis est, illud tribuimus Ioui, doctrinaliter quidem quoniam Iupiter nostræ constitutioni fauet: & omne fauens illi persimile æstimatur, eique tribuitur, quamuis ab alio planeta magis fiat: sæpè enim sub terra existente Ioue fit serenitas in nostro climate, & horizonte, quam ab ipso fieri non posse ratio docet: sed constitutionis consimilitudo annuit: constat autem Boreales ventos vtiles esse nobis, & ideo Iouiales. Africæ noxios, & ideò Saturninos: & Ethesiæ profectò ex mari fiunt visolis cum anicula, & tamen Ioui tribuendi sunt, quoniam fælix nobis est ipsorum constitutio. Credo etiam quod in Iouis præsentia prosunt magis, idem de cæteris dicere oportet. Ergò Ptolomeus quatuor ventos doctrinaliter sic assignat ob similitudinem: sed constat, quod igneo Marti non conuenit Zephirus, nisi fortè caleat Ægypto, in quo ista scripsit, sicuti nobis est tener, lenis, clarus. Propterea iuxtà climatum rationem est philosophandum, vt in Astrologicis demonstrauimus.

Ad secundum Resp. Quòd verum est stellas conducere speciatim ad rerum formationes, sed præsupposita solis actione generali; & idearum sigillatione, facta per Angelos in talibus instrumentis, & constitutione nutu Dei, cuius prouidentiam exequuntur: vtrum potius per mundi animam, vt Plotinus docet, vide Metaph.

Ad tertium Respondetur, quod signa has vires per se non habent: sed cum sol est in eis: patet enim, quod per Cardinum anticipationem translata sunt, & vbi erat Aries tempore Ptolomei, nunc sit Pisces, & in loco Piscium Aquarius, &c. & tamen fiunt eædem rerum formationes: sed insensibiliter variantur, quoniam sub aliis stellis nunc facit Ver Sol, & tunc: idcircò & quas planetæ faciebant formationes absque sole in his signis tunc, non faciunt nunc: pronosticatio ergò variatur, sicuti & Synodus lunæ aliud operatur in Cancro, aliud in leone, vel aliter.

Ad quartum, Pronosticatio ex Eclypsibus, & Cometis experientia constat. Ratio aliquid adstipulatur, sed non demonstratiuè ex coloribus, & facie, ideóque etiam probabiliter pronosticamur. sed cum ponuntur vt signa à Deo, demonstratio est à causa efficiente, quæ est Dei voluntas omnibus rebus: vide Astrologica, quoniam hic clarè tradere non possumus.

Ad quintum Palam est, quod aspectus planetarum specificat, & variat, quæ à sole, ordinariè fiunt, & per se, & per accidens, vt dictum est in quæst. 23.

Ad sextum rectè tribuuntur membra planetis, quoniam diuerso caloris gradu temperata sunt, qui gradibus caloris planetarum diuersis respondent per similitudinem, simile autem simile iuuat, & contrarium perdit, & ideo habent significationem planetæ super membra, quoniam modificatio caloris eorum cum sole varia, variis rebus aptatur ex symbolo, vt est hic, non vt in cælo.

Ad septimum, Nemo est, qui non conuincatur his exemplis: & consensum inferiorum cum stellis neget: si autem in sole poneres leonem vreretur, quoniam dissimillimi sunt: at vis solis in terra est illi apta magis, quàm Saturni, aut aliorum, & ideò solare est animal, & gallus, quia luce gaudet, solem præcinit, & instinctu Dei, qui ait Iobo, *ego dedi gallo intelligentiam*, quoniam ad vsum nostrum, & aliarum rerum, spectans Deus, ideas

effundit in formatione rerum varias,& idoneas,pro instrumentorum viribus,& tempore ad res tales aptas.

Ad octauum, Non conuincit Astrologomasticos. Nam etsi incerta valde sit Astrologia,tamen non sine fundamento aliquid inuestigat vtile, ac verum,nostram cum cælicolis indicans societatem:proculdubio aliæ plantæ calore Saturni fouentur, aliæ Lunæ, aliæ Iouis,& ita afficiuntur, vt eos insequantur nutu: sed tamen solis effectus sunt omnes: cuius caloris vires variantur à planetis, & res varias efficiunt: hinc patet quomodo causa vniuersalis continet eminenter quidquid habent particulares. Nam non est gradus vllus specialis in planetis,qui in calore solis copioso non sit,licet non secernatur.

Ad nonum mirabilia sunt, quæ de lapidibus scribuntur, quorum multa elementis damus,vt lucem,calorem,duritiem,perspicuitatem,&c.multa formatoribus Angelis: vt enim Hyades in lapillo imprimantur,calori quis dabit, horum intellectu vacuo? Numerus profectò ac dispositio formatori tribuendus est. Nam Nam pleides à longè non sigillant lapidem tali distinctione, cum ipsarum calor cum aliorum caloribus confusus demittatur in terram. Quod autem Nauis cælestis super naues,& aquas significet: Ophiulcus super serpentes: Canicula super canes: Algol super capite truncandos: Taurus super boues, & terrestria; & figuras imprimant, quas cælo Astrologi effinxerunt, magnam habet quæstionem, quoniam experientia illis fauet, dum in lapidibus formationes tales videmus: & in cæteris rebus multis: est etiam animal, quod colorem mutat per quindecim dies cum luna quotidie vnum, & sic ordinatim reuertitur ad primum per alios quindecim: & herba,quæ augetur vno folio per quindecim dies, & per totidem minuitur: & portenta talia in natura plurima sunt, & stellarum consensus nobiscum negari nequit. Neque dæmones,quò stellis credamus,opera naturæ efformare possunt: oportet ergò aliquid latere nobis in hoc,manifestum Angelis; & ideò subito res transmutant applicando actiua passiuis, tempore congruo,ac situ: ergò Astrologi formas cælo effinxere pro doctrina,non quia ibi sic sunt,vt Plotino videtur; sed vt tales stellas, talibus rebus prodesse,aut obesse intelligamus: si autem tanta sapientia non est nugacitas,non nisi Deo reuelanti tribuenda est hæc scientia,vt Plato,& Iosephus credit, qui Abraham ex Chaldea in Ægyptum attulisse illam narrat: & Iob meminit Arcturi, Orionis, Pleiadum, Hyadum,& aliorum Astetismorum,qui fuit ante Moysen, non ergò Græcorum, aut Ægyptiorum,aut Chaldæorum inuentio est, sed Noe ex Adam per traditionem maiorum ipsam accepit, sicut Berosus historiæ commendauit.

Tandem ad decimum de morbis dicimus idem,quod prius,quoniam alia putrefactio, alio calore fit,& alio sidere fouetur,aut tollitur: de his alibi, vide & Metaph.p.2.

Quomodo Plotinus,& Trismegistus animam mundi per spiritum vti Ideis,& seminalibus docet virtutibus,perque sidera tanquam instrumenta, & per figuras eorum figuret inferiora,in Metaph. tertius disputatur, vide 5. lib. Medicinalium nostrorum pro horum experimentis, &c.

Ibidem de virtutibus rerum à qualitatibus, & substantiis elementorum non manentium,ratio traditur ex corporatura Primalitatum, vide.

Diuus Thomas ab afflatibus siderum docet in 3. Contra Gen. euenire,vt alij sint efficaces in medendo,alii in ferendo,alii in præliando, etenim Astra sunt solum signum supernaturalium effectuum,vt dixit Dominus, *Erunt signa in Sole Luna, & stellis*. Naturalium verò sunt per se causæ vniuersales,nedum signa,& ideò alibi alias res faciunt, prout à situ,& materia elementari modificantur. Arbitrariarũ verò sunt causæ per accidens,& dispositiuæ,vt probat S.Thomas allegando verbum Centiloquii. *Mercurius in domo Saturni in bono esse dat intelligentiam rerum medullitus*. At in lib. de Fato docet sidera dare rebus,& naturalibus,& artificialibus ordinem,nedum effectus, & passiones, quod nos probauimus in bacillis ferreis natantibus super suberibus,& vertentibus se ad situm,in quo fabricati sunt: vide Metaph.& lib. de Sensu Rerum. Cur & quomodo summi Pontifices prohibuerunt prognostica Astrologorum, & quam veraciter, & vtiliter, præsertim circa moralia & supernaturalia,diximus in q. de Cometis art. 9. & in disputatione pro Bullis contra iudiciarios.

QVÆST. XXIX.

QVÆST. XXIX.

DE LAPIDIBVS.



POSTQVAM de Natura rerum, quibus materia est vapor, & fumus, & exhalatio, in superioribus dictum est, disputatúmque, quoniam in Epilogismo nostræ Physiologiæ sequitur de his sermo, quorum materia est fluor, & viscositas, & lentor, & de mistis ex his, & vapore, spiritúque; ac ante omnia de lapidibus, tanquam simplicioribus locuti sumus; idcircò sequentes quæstiones seriatim de iisdem discutientur, prius autem de lapidibus. Distinximus autem lapides in imperfectos, vt tofum, & perfectos: quos separauimus in albos transparentésque, & albos non transparentes, & transparentes non albos; & in nec albos, nec transparentes; vt faceremus doctrinam. Nunc autem in prætiosos, & non prætiosos diuidi possent. Non prætiosis vtimur in fabrica, & tellus in sui firmitate tanquam ossibus, & terminis: prætiosi in delicijs, quos secamus in transparentes, qualis adamas, pyropus, & in non transparentes, vt Iaspis, & Cyanus, & porphirites, &c. verum alij ex his prætiosiores, alij minus prætiosi, prout magis ad transparentiam, & duritiem accedunt, vel recedunt, quarum varietas conditionum textus amplè explicauit. Nec de his distantioribus quærimus, quandoquidem priores philosophi nihil in hoc concertarunt: neque Plinius, & alij, nisi historice scripserunt.

Vtrùm perfectiorum lapidum materia proxima sit crassus fluor, calore, vel frigore, vel vtrisque vicissim, & mali fuga, indurescens in formam lapidum; an exhalatio, vt Aristoteli placet, an Paracelsi elementa.

ARTIC. I.

ARist. in 3. Meteor. lapidum materiam ponit exhalationem fumosam, metallorum verò exhalationem vaporosam: illam vocat siccam, & hanc humidam: *Sicca* (ait) *igitur exhalatio igniens facit fossibilia omnia, vt lapidum genera ineliquabilia, vt Sandaracham, & ochream, & minium, & sulphur, & alia: plurima autem fossilium sunt, hæc quidem puluis colorabilis, illa autem lapis ex tali consistentia factus, velut cinnabari.* Nihil aliud dicit Arist. de lapidibus: neque hanc sententiam sensu, aut ratione probat, sed exemplo proportionali: *Sicut enim* (ait ante) *in aëre duplex est generatio duplicis naturæ ab duplici exhalatione fumosa, & vaporosa: sic spiritus terræ partibus inclusus facit duas corporum differentias: duæ enim sunt exhalationes, vaporosa, & fumosa, duæ quoque species eorum, quæ fiunt in terra, nam hæc fossilia, illa autem metallica.* Cap. vlt.

Potest probari, quia fulmina fiant nobis ex fumo in aëre, durissima.

Paracel. l. 1. de Rer. nat. lapides ex aquæ mucilagine gignit petris adnata: quæ in cucurbita coagulata lapidescit, quoniam constat ex sale sulphure & mercurio: sicut in renibus calculi & arenæ: Attamen gemmas ex subtilitate terræ, & pellucido crystallino mercurio sulphure, & sale: vulgares verò lapides ex subtilitate aquæ & mucilaginoso mercurio: probat ex artificiali lapide in cucurbita.

SED Contra est Iob 28. Terra (dicens) *è qua oriebatur panis in loco suo, igni subuersa est, loca saphiri lapides eius, & glebæ illius aurum, &c.* Vbi manifestè ex terra ab igne liquefacta saphiros, & lapides producit; vt & Lucretius contestatur de auro in Pyreneis genito. S. Ambros. verò super Apoc. 22. Crystallum subcrescere ex tenero fluore super lapides emergente contestatur. quod in textu probatum est: videtur mihi Arist. ad pueros loqui, neque de quibus affirmat, cogitasse.

Primò, quoniam exhalatio sicca est tenuior exhalatione humida in eius doctrina: idcircò illam posuit materiam tonitrui, & impressionum ignitarum, & ventorum siccorum in sua Meteorologia: lapides autem sunt res crassæ, ac densissimæ, & terræ natura, locóque proximæ: quapropter irrationabile est prorsus ex exhalatione lapides generare, quæ crassescere nullo potest modo in tam dura opacáque corpora.

Prętereà ossa, quę ptoportionem habent cum lapidibus ex crassiori parte seminis, non ex spiritu fiunt, neque enim spiritus potest ita compingi in ossa, vt sensus, & ratio, & Hippocrates contestatur, & Auicen. & Geber.

Præterea montes prçaltissimi lapidei ex fluore subcrescente aucti fuisse videntur, sicut ossa: exhalatio enim totius mundi compacta vix montem vnum paruulum efficere posset, si, quod impossibile, ita indurari posset. Quapropter non desinam admirari Gilbertum magneticę philosophię autorem: qui consenrit Aristoteli halitum esse causam lapidum: propterea quod venæ metallorum halitu ducente materiam, augentur. Non enim Arist. vtitur exhalatione tanquam anima lapidum, vti Gilbertus, atque nos; neque tanquam ductore materię, & actiuę causę vice, vti nos: sed tanquam materia lapidum, vti & eorum, quę fiunt in aëre; nec iuxta eius dogmata potest causa actiua esse simul materialis, vnde & semen masculi ad fœtus formationem actiuè, non autem materialiter, ea de causa, licet friuola, códucit; sed ex mēstruo materialiter animal effingit prorsus soloq;

Præterea Arist. ex quatuor elementis generat: nunc autem sui oblitus solam igneam exhalationem conducit.

Ad primum negamus esse duplicem exhalationem, nimirum siccam, & humidam, omnes enim humidæ sunt, & quam vocat siccam cum sit tenuior, humidior est: siquidem omne tenue humidum est: vt in præcedentibus quæstionibus Aristotelis quoque testimonio probauimus.

At neque si sicca, ignea sit tenuitas, potest in lapidem crassissimum concrescére, ac ponderosissimum opacumque, terreum natura non igneum, vt alibi ipse testatur, & sui.

Videtur tamen Arist. deceptus à sulphuris ingenio tam promptè accendibili, vnde argumentatur omnes lapides, sicuti, & sulphur ex exhalatione concreta fieri bene sicca, sed delirans sanè, ait, fieri omnia fossilia ex ea, vt lapidum genera ineliquabilia, & sulphur: si enim ineliquabilia sunt, nequaquam cum sulphure eliquabili citissimè, enumeranda erant; neque ex eadem materia proxima conficienda, sed ex crassiori, ac frigidiori: quod & Peripatetici passim docent contra ipsum, licèt inaduertentes, quod magistro contradicant. Prætereà liquefactibilium elementum ipse Arist. posuit aquam in 5. Metaph. & 2. Phys. & 4. Meteor. ergò sulphur si ita esset, aqueum potius ponendum fuisset, lapides verò ineliquabiles, terrei: quod videtur Porta docere, dum terram non posse eliquari docet. Prætereà nec sulphur exhalatione fit, sed combustæ ex terræ liquore, quemadmodum docuimus, & sensus apud Puteolos nos docuit, flamma enim ex crassa terra emergens crassissima suffocata in liquorem componitur: qui caloris vaporosi abscessu in sulphur induratur vnà cum altero fluore crasso. Arist. nulla experientia duce suo arbitratu, quidquid in buccam venit enunciat. Ponimus nos calorem in lapidibus, quoniam non potest fieri fluor, nisi ab igne liquefaciente terram; non tamen idcircò exhalatio tenuissima causa materialis sit crassissimorum lapidum, neque sulphuris.

Deinde quæ addit Arist. quod alia fossilia sunt concretus puluis, alia lapis ex tali consistentia factus, velut cinnabris sibi] ipsi contradicunt, & naturæ: si enim lapis ex puluere fit concreto; cum puluis sit tellus in minutias redacta, ac iuxtà eius dogma in 2. de gener. & corr. tellus agglutinatur ab humido aqueo (quod quantum valeat nos suprà examinauimus) vtique lapis non exhalatione fiet, sed ex terra, & aqua, vt meliores Peripatetici admonent: qui autem fiant ex tali consistentia obscurè profertur: nam vel ex consistentia exhalationis concretæ, vel quæ in cinnabaro reperitur: si primum: ergò falsò dixit suprà, omnia fieri ex fumosa exhalatione fossilia; cum fiant ex aqua, & puluere: si secundum, manifestè falsum est dogma de exhalatione. Cynnabarum enim suis venis concrescit ex liquore terreo, sicuti consimiles lapideæ metallicæque concretiones, experientia testante, & autoribus quam multis. Vnde in quatuor verbis errat decies Arist. quodam quasi casu ex modica inspectione facto enun-

cians dogmata quævis. Plato autem,& Peripatetici omnes inter frigidissimas constituentias ponunt lapides,tanquam ex terra,aquâque confectos; nos autem & si igne liquefaciente, non tamen materia inexistente,confecimus.

Hinc etiam vanitatem Peripateticorum licet infringere,ipsiusque Arist. qui in 2.de Cæl.probat cælum non esse calidum,sed posse calorem,& lucem facere ex aëre attrito, sicut lapides non calidi attriti etiam ignem emittunt:hic autem contrarium dicit,lapides esse igneos natura ex ignea confectos exhalatione. Quapropter & sibi ipsi aduersatur, & Peripatetici stulti sunt,qui ex lapide frigido ignem educunt: & qui ex intermedio aëre contrito,vt Alexander,contra quem ostendimus cinerem, & sulphur ex lapide, non ex aëre in attritu adduci: & non quoslibet lapides,sed ignitiores esse ignitomos, vt silex, & marchasita.

Ad tertium negatur proportio: quæ enim concrescunt, quasi lapides, vt grando, & nix,fiunt Arist.non ex sicca exhalatione,sed ex humida: quæ concrescunt quasi metalla,nulla sunt Aristot. in aëre:nam impressiones ignitæ ex sicca fiunt illi: nullæque sunt instar metallorum duræ: sibi igitur met contrariatur proportio. Præterea dato quòd ista proportio vera sit,non tamen est identitas,sed proportio, ita quod ponenda erat intra tellurem duplex materia,fossilium,scilicet,& metallorum: illamque fluorem tenuiorem respondentem exhalationi siccæ ponendum erat: hanc vero crassiorem respondentem vaporosæ proportionaliter. Aristot.autem idem ibi & hic ponit halitum tanè causam,& eorum quæ in aëre,& quæ in terra materialem: inferior autem quæstio probabit non hanc esse metallorum & lapidum differentiam, vaporem nimirum & fumum, sed viscositatem,& lentorem,quia metalla abundant admodo, viscositatéque, quibus carent lapides.

Ad quartum negatur similitudo,nos enim composuimus fulmina ex particulis terræ minutissimis,vstisque cum vapore sursum delatis,ac mox igne accenso,& se segregante, conflatis,compactisque eius abscessu,exhalatione tenuissima nimirum abeunte, & crassitie quasi insequente,seséque,ne diuisa pereat,cogente. Quapropter si lapides in terra hac ratione fiunt,vtique ex exhalatione,sed & ex terreis particulis colliquatis,conflatisque fiunt nobis.Aristoteli autem id non fauet,quoniam in aëte lapides gigni negat.

Contra Anaxag. quod non sint solis frustula,neque siderum abdicationes,vt Plinio placet,alibi diximus.Neque nubeculæ solares Galilæo concrescunt, vt ad nos cadant in centrum,quod putat soli alienum:sed hoc in recognitione Metaph. seruo: heri enim de eius obseruatis nouis,ita audiui.

Ad Paracel. dico veriora principia dedisse lapidibus, sed dum Terræ passionibus omissis ad corpora ideata recurrit, cogitur loqui per ambages. Neque enim ex petræ mucilagine fiunt lapides, quoniam illa constat ex principiis sale sulphure & Mercurio: quæ in omnibus materialibus ipse agnoscit: sed quoniam lapidis proxima materia,quæ per euaporationem indurescit. Nec gemmæ ex subtili terreo, Rustici autem lapides ex aqueo,rectè facit,nempè transpicua ex opaco, & opaca ex transpicuis, sed è conuersò philosophandum erat.Quæ addit de Mercurio perlucido,& mucilaginoso, sunt absque ratione dicta:possem enim dicere ex sale transpicuo,& nigro,vel re. Multa homo comminiscitur,vt suis in principiis stare videatur.

Vtrum lapides fiant ex quatuor elementis eâ,qua Platoni Timeóque placet ratione, nimirum ex terra aqua mista per ignem euaporante, a ëréque in euaporantis inania intruso,terram,aquámque compingente: an sicut nobis placuit, ex concreto fluore, & aggenerato, & nutrito.

ARTIC. II.

PRimus placet Platoni modus in Timeo dicenti: *Terra species per aquam emergens, hoc modo fit lapis: congelata enim aqua,quando in commistione deficit in aëris speciem*

transit: hic aer in locum suum recurrit: vacuum autem ipsorum nihil: proximum ergò in aërem pulsat: iste si grauis sit pulsus, circumfususque terræ moli, vehementer illidit, séque ipsum in eas sedes vnde nouus ascenderat aër, conducit. Terra denique ab aëre indissolubiliter cum aqua coacta, lapides concreat, pulchriores quidem illos, qui perspicuè ex æqualibus, planisque partibus emicant: deformiores verò, qui è contra: deinde prosequitur de speciebus lapidum.

SED Contra est Iob, ibidem ex fluida terra faciens lapides, & aurum, & argentum in suis venis, sicuti animal a in suis vuluis: secundum autem Platonis sententiam lapides sunt concretiones tantum: at quomodo simul potuerit vnus mons lapideus concrescere, ex tali opinione non potest reddi causa: non enim aqua in sublimi retinetur, vt inde euaporans admittat, in locum vnde exit, aërem. Præterea ex suo arbitratu, & principiis generant Platonici, non ex natura. Non enim potest fingi quomodo aër vehementer ita percutiat terram priuatam aqua, vt compingat, & indissolubilem reddat: paulatim enim aqua euaporat, ergò & paulatim in eius locum aër succedit, non violentia impetúque. Præterea si in locum aquæ intruditur aër, cum aër sit tenuior aqua, non compinget reliquam molem terræ, sed laxiorem faciet sua mole tenuiori, quod paulo inferius concedit Plato. Aquæ enim concretionem (inquit) debiliorem ignis, & aer diffundunt, aër per inania, ignis per triangulos. Item Aer caret termino proprio, quomodo dabit, quod non habet. Neque si non mole aër compingit consistentiam reliquam, compinget actione: etenim aër non est frigidus Platoni, nec Aristoteli, vt possit per se congelare, & indurare; neque calidus vehementer, vt id per accidens efficiat educendo tenuiores partes, crassiores cogendo: sed exiliter calidus est: exilis autem caloris est laxare, & lentificare molem crassam, non compingere: ergò neque mole, neque actione aer lapidescere facit terram, quam aqua regebat. Corallium autem, & ossa pueri in aëre indurantur, non ab aëris natura, vel violento impetu, intrusionéque, sed a frigore terræ, & caloris blandi defectu, qui in fluore blandus corallium, & ossa seruabat mollia.

Præterea iste modus Platonicus insufficiens est: non enim ex terra, & aqua euaporante potest fieri lapis, etiamsi a potente igne sic compingatur, sed potius lateres fiunt, aut tophus, vt patet: quandocunque aquam terræ miscemus, & igni admouemus, ex argillacea terra lateres; ex arena, & fluore tophus manifestè fit. Præterea nulla redditur ratio qua fiunt pulchri lapides, & deformes: æqualitas enim, & inæqualitas non erat in terra, vel aqua, sed ab igne fit liquefaciente, & immutante omnia variis modis, vti nos diceba-mus. neque cur alii opaci sint, alii transparentes nos sufficienter Platonis ratio docebit.

Ad primum ergò negatur autoritas Platonis, & Timei: retinemus autem Iob, & Ambrosium, qui melius id explicuerunt obiter, quam Plato ex professo, licèt constantior Aristotele, quoniam saltem quatuor præiacta elementa non omittit.

Vtrùm Plato de lapidum speciebus meliores atque nos reddiderit, sufficientioresque rationes.

ARTIC. III.

1. PLura quidem Plato dixit in Timeo de Rerum natura, quàm Arist. in tot tantisque suis libris: nec tacuit lapidum generationes & species, sicuti Aristot. videamus tamen an rectè etiam: Reddens causam lapidum pretiosorum, & non pretiosorum, ait.

„ 2. Terra ab aere indissolubiliter cum aqua coacta lapides concreat, pulchriores quidem illos, qui perspicuè ex æqualibus, planisque partibus emicant: deformiores verò qui contra.

„ Vbi verò ignis acumine humor omnis resoluitur; corpusque aridius redditur, ea restat species, quæ solida vocatur, fusilisque tellus.

„ 3. Quandoque etiam humore relicto, terráque fusili per ignem facta, ac deinde accedente gelu, niger fit lapis.

„ 4. Quando verò id ipsum similiter ex cōmistione multa priuatur humore, sed tenuio-

ribus terræ partibus constat, falsumque est, nec semiglaciale fit, perque aquam emergit, partim quidem olei, terræque purgatorium genus, nitrum dicitur : partim verò quotidiano victui conmodissimum legitimè, sal; Deo amicum corpus: & paucis interiectis de foutione & liquefactione, ait. "

Corpora ex aqua, terraque composita ita vt aqua terræ obstruat vi coarctata inania, &c. "
Hæc partim aquæ minus habentibus terræ quemadmodum vitri genus, & lapides illi fusiles appellantur, partim plus aquæ, qualia sunt, quæ conglutinata sunt, ceraque euadunt, & vapores emittunt. In his desinit sermo de lapidibus. "

SED Contra est Iob: qui metalla, & lapides producit ab igne ex terra variis deuictà modis ibidem, vt infra magis patebit. Quapropter nos considerantes transpicuitatem, & luciditatem pertinere ad pulchritudinem lapidum, duritiem verò ad robur: & illas ab igne solo fieri, vincente sua facie faciem materiæ: hinc vero a calore per accidens, & a frigore per se; vtique meliores, ac sufficientiores reddimus causas. Et omnia lapidum genera in distinctione huic quæstioni præfixa comprehendimus. Plato autem indistinctè loquitur, & insufficienter, quoniam non omnia genera lapidum complectitur, & entia non lapidea, sed cerea cum eis confundit.

Ad primum negamus, quod terra cum aqua possit ab aëre compingi in art. 2. Item falsum est, quod similaritas facit pulchritudinem, & inæqualitas deformitatem lapidis. Terra enim æqualis est sibi, nec tamen pulchra, idest transpicua, lucensque; at si aqua misceatur pulcrior fit & tamen dissimilarior est mistura ex aqua, & terra, quàm ex sola terra. Item aqua aëri mista, vt in maris spuma patet, est pulchrior, transparentior, & lucidior, & tamen dissimilarior: non ergò æqualitas est causa pulchritudinis, sed calor ipse natura lucidus, qui terræ faciem vincens, reddit illam transpicuam amicamque luci: quæ propterea in transpicuis multiplicatur rebus, quoniam in sui amico, sibique cognato reddito corpore, conualescit, congaudetque. At si eandem aquam accipies; verè, quæ similarior est, lucentior est, si comparetur ad misturam rei opacæ: aqua enim mista fluori opaco, minus est pulchra; & si comparetur ad aërem, & ignem, non quo similarior est, eo est & lucentior, & pulchrior; sed quo dissimilarior, idest quo plus aëris continet in se, aut ignis: idcircoque aqua ardens pulchrior est, quàm vinum & liquores, crassioresque res, ob igneitatem.

Ad secundum, vera est de resolutione non extrema: constat enim, quod si tota aqua ex terra educitur, fit tellus deformior; & hoc condemnat primum eius dictum; at si terra amplius igniatur fit cinis, & mox vitrum; quoniam quo plus à calore vincitur, eo pulchrior redditur: quando autem solus humor effluit, remanet tellus priuata alieno nitore humoris sola: at si magis ampliùsque exuperetur regeturque ab igne, non cremium, ac cinis, sed res splendida fit quæ vitrum, & tandem vapor, vti credo, quod vitrarij negent fortasse: sed vide p. p. Metaph. lib. 2.

Ad tertium, negamus assertum: si enim humor relinquitur, terráque funditur, hoc non potest fieri nisi in visceribus terræ, aut in fornace vndique obturata: alioquin tenuitas humoris exhalaret, vti diximus de generatione aquarum salsarum: humor autem qui relinquitur disponit terram ad fusionem, terra autem fusa deuicta, humorique mista necessariò albescit: vnde enim nigredo? si autem accessu frigoris putat nigrescere, vti dicit, fallitur, frigus enim faciem caloris haudquaquam extinguere potest liquefacientis tellurem: quin nec in niue, & grandine hoc facit: nec in crystallis diuturno frigore compactis. Non ergò sic fit lapis niger, sed vti nos dicebamus, ex terra impura, crassaque à vehementi calore fusa, ac deinde compacta eius abscessu, vel frigore; si autem transpicuus est lapis, nigerque, à calore vincente faciem materiei, ex similari terra, purificataque fiet, albus, & transparens, sicuti adamas: cui deinde admistus extraneus liquor niger, facit in eo nigredinem, sicuti de prætiosis lapidibus docebamus in textu.

Ad quartum, non errat, sed insufficienter loquitur de nitri, & salis genetatione: nos in textu plura, ac certiora diximus: semper aduertens, quod fluor est horum materia, non autem aqua dulcis, tenuisque, quam elementarem ipsi putant: sed fluores ex terra educti iam combusta; hic agnosco Platonem ex Moyse descripsisse quidquid dicit de

sale, vt rectè Ambros. dixerit, meliora ab eo Platonem furatum esse.

Ad quintum, videtur Plato ignorasse transparentiæ causam, & duritiei, vti & Arist. Non enim dixit, vitrum plus terræ, quàm aquæ habere; ceram verò plus aquæ: si enim aqua transpicua, terra verò opaca, cur in transpicuo vino plus terræ est, quam in opaca cera? sed ipse respexit ad duritiem, & soliditatem: quod si verum foret, tunc plus terræ esset in crystallo, quam in vitro, & quam in topho; & plus terræ in adamante, quàm in metallis, & lapidibus, & plantis, aut quàm in luto, & latere. Igitur melius diximus nos vitrum esse transpicuum, quia facies terræ in eo deuicta est; durum verò ob similaritatem partium abscessu caloris vehementiore amore sese complectentium.

Vtrùm transpicuitas lapidum, & aliarum consistentiarum sit à calore vti nobis, an à poris rectis, vti Aristoteli, an ab æqualitate vti Platoni placet.

ARTIC. IV.

ARistot. in problematis ter, aut quater, quærens cur lux transiliat res diaphanas, semper respondet, quoniam poros habet rectos lucique idcircò peruios: quod probari potest.

1. Quoniam non est ob tenuitatem, nam vitra crassiora lux penetrat, non autem paginam gracillimam.

2. Neque ob lucis cum ea conuenientiam. Lux enim calida est, aqua verò frigida: magis autem glacies, quam etiam transilit.

3. Neque ob similaritatem, quoniam & cera sibi ipsi similarissima est, homogeneáque, nec tamen lucem admittit.

Plato verò æqualitati materiæ id tribuit. Nam tabulæ inæquales opacæ sunt: at si politione adæquentur superficies resplendent, fiuntque transpicuæ. Quapropter videtur lux transilire diaphana quatenus æqualia.

SED Contra, si opacitas est propria terræ, vt docet S. Basilius, & Chrysostomus: ergò transpicuitas est propria ignis, vt iidem docuere: quæcunque ergò transpicua sunt, ignis sunt opera. Patet enim, quod res opacas ignis exuperans, in cinerem vertit, & mox in vitrum, aut in fluores, omnes scilicet transparentes res. Aqua autem, quæ frigida eis videtur, à calore fit ex terra liquefacta vel in fumum versa, qui in aquam densatur, vt vbique videas transpicuitatem esse opus: ignis ideoque lucem transuehi per ipsam & augeri, quoniam facies ignis est, cognatoque gaudet subiecto.

Ad primum & tertium signum nos consentimus, quoniam nos ipsa inuestigauimus, nec ab Aristotele accepimus.

Ad secundum, negamus aquam esse frigidam natiuo frigore, quod mille rationibus & sensibus probauimus, & Chrysostomi, & Ambrosij autoritate.

Ad consequentiam Arist. ergò est propter pororum rectitudinem transilitio lucis in diaphanis: negatur. Etenim potius ab igne dicendum erat. Præterea aqua continuo mota non seruat eandem pororum rectitudinem, dum exagitatur, & tamen semper continuoque lucem admittit. Vitrum etiam quacunque positione luci opponatur, eam intra se accipit: non potest autem sub omni positu seruare rectitudinem pororum, nisi sit tota inanis, & incorporea. Idem patet cum omnibus liquoribus, & diaphanis. At glebam terræ, vel cartham, & quodcunque opacum, quacunque opponas luci ratione, nunquam lucem admittit, etiam si foramina ipse facias. Præterea aqua sibi coit magis quam tellus, & poros proprios obstruit, quod tellus non facit ad terminum proprium innatum: ergò aqua minus posset, quàm tellus, per poros lucem admittere. Præterea lux Aristoteli est incorporea. Incorporeum autem non penetrat corpus per poros, sed intra se infundendo. Potius autem Platoni conueniret hæc opinio ponenti, corpoream

lucem aliquando: quod Arist. impugnat. D. Augustinus autem per poros admittit lucem, quam corpoream fatetur ad Volusianum.

Ad Platonem dicimus, quod æqualitas non facit transparentiam: partes enim cornu æquales sunt similaresque: non tamen omnes transparentes, sed quæ albæ sunt magis: caro est similaris, nec transparet, quæ autem similarissima transparent magis, quoniam ab igne præpotenti æquè attenuatæ fuerunt, deinde æque partes, non quia de se æquales. Item vitrum compositum ex inæqualibus, & aqua marina ex crasso, dulcique liquore, & vinum ex aqua, & vino, & aliis dissimilaribus fluoribus transparent. Charta autem combusta nigra remanet æqualissima, tenuissimaque, non tamen transparet: quoniam opacitas illi inest, & vitrum opaco velo terminatum non translucet: opacitas ergò, non inæqualitas est causa non transparendi: ergò transpicuitas est victoria faciei ignis super faciem materiæ. Plato quoque omnia visibilia facit per ignem, & colores esse ignis flammulam: ergò transpicuitas, quæ ignem, idest lucem, maximè admittit, multiplicatque, est cognatio opusque ignis, non autem æqualitatis, nisi quatenus fit ab igne.

Ad argumenta, quæ possent Platonicis fauere. Resp. quod dum tabula adæquatur, partes eleuatæ, quæ alias opacant, vt minus lucis admittant, æquantur, ac proinde æquè omnes admittunt: ideò videtur æquatio esse causa transparentiæ, quę solum est causa auferendi impedimenta. Ferrum autem cum perpolitur opacam partem, & rubiginosam, & puluerem, quæ lucem ne penetraret, impediebant, abiicit peruiumque se luci facit quantum est secundum naturam, nam & ferrum lucis, calorisque est liquefacientis opus: idem de metallis.

Porrò aqua reddita ampullosa non transparet magis, vti debere videtur, non quidem ex aëris conceptatione in bullis facta: aër enim transparentior est aquis, & dare non adimere transpicuitatem potest: ergo nec ex inæqualitate, vt dictum est ad Platonem. Sed quoniam lux in tot bullis recepta non rectà permeat: sed in conos varios transiliens agitur, & deinde in alios torquetur, ita vt non sinat visionis transitum rectum, & obiecti. Patet hoc quoniam vnica bulla transparentior est quàm aqua: plures autem se se impedientes minus transparentes apparent, cum non sint minus.

Vtrùm sit opacior aqua, quam tellus, vt Aristoteli videtur.

ARTIC. V.

1. Videtur Aristoteli in lib de coloribus, quòd sic. Nam pueri humidi in ventre matris nigris cum capillis reperiuntur, vt nigredo videatur ab humore.

2. Item Tellus pura qualis est cinis, alba est; mista tamen aquæ fit fusca.

3. Similiter res nigræ, & arena ipsa alba, aquis perfusæ plus nigrescunt: vnde ab aqua videtur nigredo illis addi.

SED Contra est Chrysostomus, qui terram obscuram natura esse docet; quod & sensus, & tenebræ ex ea effusæ declarant: & opacitas lucem non admittens: Aqua vero lucem admittit, multiplicatque. Item transpicuitas contraria est opacitati, ac cognata luci, & candori: aqua ergò transpicua opacitatis est vacua, vel minimam habet: nam & lux in plurima aqua fædatur: & probauimus omne transpicuum esse per se album: & per accidens colorari aliis coloribus. Hic non desinam admirari Keplerũ, qui Arist. In hoc acquiescens, concedit maculas lunæ esse maria, & lacus cum Plutarcho; nequaquam concedendum. Nam in solis diametro illæ maculæ splendorem magnum emitterent, qualem aqua solet in cuiuscunque luminaris oppositione sita. Galilæus autem aquas esse putat, non ea ratione · sed quia partes editiores lunæ prius à sole illuminari videntur quàm planæ, maculæ autem illæ illuminantur nunquam; vnde patet non esse partes montuosas lunæ neque planas sed alterius generis: ergò non terrestres, sed aqueas: hęc tamen consequentia non couincit. Nam possunt esse valles profundissimæ, aut aliquod

genus corporum cum nostratibus haud conueniens: licet autem maria profundissima nigra appareant: quoniam lux opacatur in tanta mole antequam ad imum descendat: non tamen in superficie splendida minus visuntur à longè spectantibus: vbi sol radios immerserit in illos: sic fieri deberet in aquis lunaribus. Prætereà maria lunę longè minus profunda, quam terrestria nostra essent; cum luna sit tertia Telluris pars in magnitudine. ergo relucerent sicut maria minus alta: & huius rei gratia hunc articulum addidi, quoniam pridem dissertationem Kepleri legi. Prętereà quamuis non ex tota aqua propter æqualitatem sui fiat reflexio lucis, sicuti ex tota terra propter scabrositatem, vndique reflectentem: tamen ex directè opposita aquę partę lux resilit valida, quasi lamina lucis: quæ ex aquis lunę non apparet vllibi vlla.

Ad primum Arist fallitur. Nam capillitium puerorum est flauius, quam iuuenum, quoniam calor debilior illud vrere non potest, spoliaréque alba tenuitate. At si quando nati capillitium efferunt nigrum, calidi sunt natura, & à fuliginibus, quibus capilli nutriuntur, capillaturam nigram habent, non ab humore.

Ad secundum, errat: cinis enim non est pura tellus, cum sit ab igne tam validè immutata, suique facie, idest albore, ex parte donata: pura tellus est, quam nec ignis, nec aliud ens vexauit, immutauitque: cinis ergò albore donatus igneo, vt & sapor, & odor & coloratura, & abstersiua vis, combustiuáque, eius docent: si aqua perfundatur nigrescit, non quia est nigra aqua, sed quia puluis tenuissimus in quo plus alboris inest, aut disperditur, aut miscetur cum cæteris particulis, crassescitque cum eis, nigrescitque luciminus peruius.

Ad tertium, res nigræ puluere conspersæ atomisque albis non valenter nigredinem ostendunt. Vestes quoque albæ aqua perfusæ quasi opacantur, quia flocculi, & tenuissimæ eminentiæ, gracillimęque lucem admittentes aquæ viscositate cõprimuntur, ac densantur, minusque lucis imbibunt ac prius. Aquaque ipsa excipit lucem antequam vestem tangat. Idem dico de arena, cui aqua non addit nigredinem, nisi minimam (omne enim ens aliquid opacitatis habet, licet obtectum, cùm sit materiale) at tenuitates, & minutias, quæ lucem plus excipiebant confundit, vt dictum est. At aquis lotæ resopacitatem perdunt, & plus semper candoris acquirunt, testificando aquas esse candidiores.

Vtrùm induratio lapidum sit à frigore per se, & à calore per accidens, & ab amore primaliter; vt nobis apparet: An etiam à calore congregante homogenea, & disgregante eterogenea per se fit induratio, vt Aristoteles docet. An à triangulis penetrantibus sit solutio, vt Platoni placet, induratio verò ab impulsu aëris, vel abscessu ignis, vel gelu, vt idem docet.

ART. VI.

Aristoteles definit calorem, qui congregat homogenea, & disgregat eterogenea. Frigus autem vtrumque congregat, in 2. de gener. & corr. At in 4. Meteor. quæ soluit aqua, ab igne concreta suspicatur: quæ soluit ignis, ab aqua.

1. Patet de frigore sine controuersia; de calore autem manifestum esse potest, quoniam ex luto disgregat aquam in aërem, lutum verò cum suis portionibus consimilibus congregat: nec quicquam indurat calor, nisi educendo partes tenues dissimiles remanentibus crassis.

2. Patet quoniam sal ab aqua soluitur, & lutum pariter: quæ tamen à calore igneo indurantur: sic panis, &c.

At Plato has ponit regulas, dum de salis liquefactione philosophatur. *Terreas moles ignis, & aër non liquefacit, quoniam tenuitas horum pertransit capacissimas terræ vacuitates absque*

absque resistentia, nec illam proinde efficit.

2. Aqua vero terram mole compactam vi liquefacit, quoniam eius partes maiores sunt, & fluxu violento terram dissoluunt. Terram verò benè compactam solus ignis dissoluit, quia solus penetrare potest suorum triangulorum acutate.

Aquam malè compactam aër, & ignis soluunt, ille per inania: iste per triangulos: at benè compactum solus ignis.

3. Aerem vi constrictum nihil nisi per elementum soluit: sine vi cohærentem solus ignis resoluit.

4. Corpora ex aqua & terra ita composita, vt aqua terræ inania vi coarctata obstruat, sic prorsus se habent, vt aqua exterior per ea influere non possit; ideoque minimè liquefacit: sed ignis aquæ meatus penetrans, quemadmodum, aqua terræ inania, ac aquam sic afficiens, vt ignis aërem communi corpori liquefactionis causam præbeat.

Propositio Arist. de frigore vera est, de calore, falsa. Non enim calor congregat, cum eius sit rarefacere, & attenuare semper ac per se: sicuti frigoris est congregare, & condensare semper & per se.

Ad primum negamus, quod lutum, & massam induret: sed duritiem latentem manifestet, volumus; dum partes aquæ terreis mistas, suæque actioni minus repugnantes iam attenuatas educit, sub quibus terrea crassities tegebatur: Addimus etiam crassas partes sui similitudine plus compingi, dum nolunt separari; quod pati abscessu tenuium verentur. Non disgregat ergò dissimiles calor, sed omnes: verum prius, quæ minus suæ repugnant actioni: at remanentes etiam postmodum, vbi plurimus est, liquefacit, attenuatque, sicuti in superioribus docuimus: spectandaque est eius actio in factis, non in faciendis.

Ad secundum: falsa est. Nam & quæ frigus, & quæ calor compingit, possunt ab igne vehementi liquefieri, & in vapores agi: vt experientia docet: quapropter non rectè lapides incliquabiles posuit Aristoteles. Nam & calcinantur, & liquescunt, & vitriantur omnes, vti in textu docuimus. Quæ autem ab aqua soluuntur, non ab aqua tanquam frigida soluuntur. Frigus enim omnia constipat, induratque: quod Aristoteli declarare poterat aquam non frigidam; sed à blando aquæ calore molliuntur, soluunturque ob quandam consimilitudinem, sic soluitur sal, & panis, non tamen soluitur later, & lapis, & alia à calore grandi indurata, sed quæ abscessu tenuitatis modicè parum concreuere: ideóque sal in igne obstrepit, quoniam non totam amiserat tenuitatem; quæ ergò remansit attenuatur, ac exiliens dirumpit: soluuntur ergo ab aqua, quæ parum induruere, & tenuitatem habent aqueæ consimilem: qua cum disponunt cæteras portiones ad expansionem propriam, caliditati vel blandæ.

Ad primum Platonis, qui meliora dicit, que Arist. concedimus assertum, si Tellus consideretur, qualis in superficie est: etenim in imo durissima non nisi per ignem solubilis censenda est.

Ad secundum non rectè putat, fluxionis impetu terram malè compactam solui. Etenim sine impetu posita intra aquam indurata argilla emollescit. Nec sola aquæ penetratio id facit, cum & pumicem penetret, & spongiam, non tamen liquefaciat; sed caloris etiam aquę blandi persimilis, & paulò maioris, quàm qui in argilla inest, vi, fieri existimandum est. De actione autem blandi, & robusti caloris in epilogismo dictum est; & quod blandus aptior est ad soluendum, quàm robustus, vt patet in ventriculo, & iecore: sed per accidens est aptior: quia iste non educit tenuitatem: sicut robustus, cuius abscessu res indurescit; sed commiscet cæteris partibus emolliendis, vt per illam præparentur ad liquorem. De igne benè dicit: sed trianguli non sunt nisi vis caloris, quæ per acumen triangulorum pythagoricè exprimitur, quorum instar penetrat: vt in Metaph.

Ad tertium, concedimus: non tamen si aqua sit pura, & non fluor, illa enim omnis ab aëre soluitur ob cognationem, vt glacies, & nix: fluor verò induratus, si terreus est, requirit ignem, vbi induratio multa fuit diuturnaque, vt in Crystallo.

Ad 4. dicimus esse voluntariam: non enim aër compingitur in rem insolubilem: sed in aquam, aut niuem, aut quod huiusmodi ab ipso aere solubile semper; vbi solidus

est fluor, ibi ignea vis requiritur. Non autem talis fit ex solo aëre.

Ad quintum, verum esse dicimus, vbi indurruerit concretio: nam ex aqua, & terra argilla composita, etiam ab aqua dissoluitur, & quandiu aquæ partes immanent, semper ab aqua dissolui possunt ob symbolum. Ergo propositio simpliciter est falsa: nisi vbi durities talis fuerit, vt aquam exprimat, exempla de vitro, ac cereis adducit, quæ ex fluore sunt deuictæ molis, non ex aqua. Cinis sanè in vitrum vertitur, ex quo omnis excesserat humor. Ecce quantum errant, dum quatuor hærent elementis: coguntur enim non causas pro causis reddere.

Nota quod Arist. ac Plato causas ignorant, cur aliqua blando, aliqua lento calore, aliqua breui, aliqua longo soluuntur. Item de varia indurationis ratione, ex dissolutionis modo percepta nobis, nihil intelligunt: at cum in textu declarata sit, tam à frigore, & vicissim, quàm ab amore, & odio: non est cur sic amplius immoremur. Partitur ignes Chimicos Paracel. duce experientia. Rationem tamen non dixit, quomodo alia alio ignis gradu soluantur, mutentúrque.

Vtrùm lapides, & metalla fiant generatione quoque nedum concretione, crescantque etiam nutritione: an sola concretione, & appositione fiant, & augeantur, vt Arist. Plat. videri potest.

ARTIC. VII.

EX dictis Aristot. vtque Auicen. exponit in libello proprio, lapides non nisi concretione gigni, & appositione exteriori augeri habemus; similiter & metalla. Plato autem non explicat nisi in eundem modum: potest tamen alium sentire, cum Pythagoricis subscribat. Nam de metallorum, & lapidum compositione loquens non secus ac de ossium primaria mistura ratiocinatur, quando Dei munere res primo ortæ sunt: at de propagatione aliter sermo esset instituendus: non enim elementorum congressus sic celebratur, sed elementatorum successus ex elementatis; vtcumque sit his rationibus vallari possunt ambo.

1. Lapis non generat lapidem, nec metallum metalla; ergò ex sola concretione

2. Lapis caret anima vegetatiua, & nutritiua, similiter & metallum, in hoc enim differunt à plantis, quod istæ viuentia sunt corpora, illa verò inanimata non viuentia; ergò nec nutriuntur, nec generantur ex inuicem.

3. Manifestè patet, lapides fieri vti lateres, & calculus in vesica, & renibus, & sicuti scopulus, hæc autem omnia aggregatione fiunt; & induratione: nec nutriuntur, inquit Auic. & Auer.

4. Si lapides nutrirentur, accrescerent in fabrica parietum, cuehiret, vt paries cresceat, nullus autem sensus hoc vidit. Montes etiam lapidei videntur semper eiusdem magnitudinis.

5. Non nutriuntur ex terra, nam tellus per se non potest in lapides introire, nec in metalla. Item nulla vis attractiua est in lapide, quæ terram exugat: neque concoctiua & digestiua, quæ conuertat eam in lapidis substantiam: ergò &c. Nec ex aqua, nam in vase aquæ positus lapis nil augetur: ex tenuioribus autem nutriri non potest: idem patet in metallis.

6. Videtur impossibile, quod possit nutrimentum ex radicibus montis lapidei, vsque ad fastigium penetrare.

7. Carent lapides venis & vasis nutrimentum deferentibus, vti patet, sic & metalla, ergo, &c.

SED Contra ait Iob 28. *Habet argentum venarum suarum principia, & auro est locus in quo conflatur.* Ergò principia generationis, & nutritionis, & locus quasi vulua est metallorum; quod experimenta docent tandem de venis metallicis vt Plinius, & Agricola, & Imperatus, & Gilbertus abundè ostendunt. Quod autem & lapides similiter crescant

& generentur, elicitur ex Iob. Sed clarius docetur a S. Ambrosio super Apoc. 22. *Crystallus* (dicendo) *lapis est clarior omnibus lapidibus: nascitur autem in frigidissimis locis, à quibus nunquam frigus recedit, qui ex inferiori parte saxo aliquantulum molliori, radicem in eo parumper defigens, sursumque crescens, erigitur, sex angulos habens; in summitate verò acutus, eundem tamen ordinem sexangulorum vsque ad summitatem seruans.) Idem Ambrosius in Hexam. Corallium (dicit) esse arborem in aqua crescentem, & vegetantem, qui extra est lapis.* Idem patet ex Ostreis, & margaritis. Sed nulli non suadeat, cum videamus conchyliorum, & lymacum testas apprimè lapideas, & spinas echinorum marinorum augeri, nutririque, exque paruis fieri grandes, vt sæpè obseruaui: & dentibus quinque terram abradunt, & herbas marinas, ex quorum mistura, & colore ipsæ spinæ apparent, & ingestiones etiam ex quibus nutriuntur. Ossa quoque & dentes nil à lapidibus ferè difformes generantur, nutriunturque ita, vt doceant idem lapidibus euenire: testæ quoque oliuarum, & nucum osseæ. Item tantæ molis Alpes lapideæ, & Caucasus, & Lybanus, Apennini, Acrocerauni, Taurus, aliique montes, nequaquam subito fieri potuerunt concretione, vt supra probauimus, ergo paulatim nutritione creuerunt. Magnes quoque ferri scobe nutriri probatur Portæ, & Cardano, licèt Gilberto non probetur. Marmora in Hispania, & ferrum in Elba insula Etruriæ subcrescere testatur Plinius: imò & montes consolidari, si quis abstrahat lapideum illis frustrum. Non tamen credo omnes, & vbique. Neque enim ossa omnia, nisi iuuenum sic bene reficiuntur. Hoc tandem tempore absque controuersia omnes experientia victi fatentur, quod non extrinsecus per appositionem fiat accretio lapidum, sensus ostendit; & echinorum spinæ, & testæ conchiliorum, & ossium nutritio.

Ad primum assero lapidem non generare lapidem, sed aggenerari: similiter & metallum: ex fluore namque terreo in loco vbi nascuntur, qui est quasi vulua, attrahunt, inque sui substantiam vertunt: quod est aggenerare; sic caro ex sanguine aggenerat carnem, & os, os, non tamen aliud os. Differt generatio animalis, & plantæ, & lapidis. Animal enim generat sibi simile per coitum cum femina: planta verò ex sola seminis decisione excepti à terra, exque hac exugentis liquorem, quem sibi aggenerat: lapis verò neque coïtu, neque semine, sed sola aggeneratione quæ simul est nutritio sicuti os se multiplicat, augetque: similiter & metalla.

Ad 2. negatur. Non modò enim vegetante facultate, sed etiam sentiente stupido tamen modo, lapides, metallaque donata, in 3. lib. de Sensu rerum, abundè demonstrauimus: dicuntur quidem non viuentia a vulgo Peripateticorum, quoniam operationes vitales paucissimas, stupidas, & insensibiles penè habent, ita vt plantis comparata dicantur non viuere: non tamen prorsus carent vita; vt S. Ambros. quoque contestatur, altricem, & auctricem eis dans facultatem. Dicimus quoque nos inanimatos lapides comparatiuè: vel quia animam per se operantem non habent, vti spiritum in cerebro, & in fibris & neruis discurrentem plantæ habent. Animatio nihilominus aliqualis inest eis. Quod Thales docuit, & Gilbertus adeò magnificat, vt putet virtuosiorem ad sese effundendum extra corpus esse magnetis animam, quam humana: illa enim intra spheram suam a longè trahit, non autem hæc: nos autem has ineptias in primo de Sensu rerum refutauimus, cõfirmamus solum animam Magnetis, non autem vires supra humanam. Electrum quoque, ac alij lapilli sunt attractiui, aliique mouentur succo lemonis, vt siderites: vnde palam est sensu obtuso excitabili per acetosum acumen illis inesse, vti ferro ad magnetem currenti euenit. Vide lib. de Sensu rerum.

Ad tertium concedimus plurimos lapides fieri absque generatione, & augeri sola accretione exteriori, vti lateres, & nominati lapides, & vitrum in fornace, non tamen propterea non etiam fient generatione, sicuti animalia, alia sponte, alia ex concubitu: & plantæ aliæ ex semine, aliæ ex ramo, aliæ ex aggeneratione in radice, & propagatione aliæ sponte è putri fiunt. Cum autem lapis sit simplicior, & terræ propinquior, vtique ex concretione fieri potest magis, nec propterea non ex generatione, vt patet in lymace. Atquidem Auer. 3. Met. conuictus fatetur lapides etiam ve-

getatione fieri, nutrique, ac animationis saltem obscuræ, non expertes.

Ad quartum negamus lapides extractos de originali loco, similiter & metalla posse augeri; nec ideò in origin di non augentur, sic dens & os, & ramus arboris, & corallus in suo principio nutriuntur, extrà nequaquam. Montes autem lapideos crescere docet ratio: sensus non v.det: nam nec plantam videt quemadmodum augetur, sed post tempora auctam cernit. Lapidum incrementum est exiguum magis plurisque temporis: ideò ætas vnius hominis notare id non potest. Sed in fodinis marmoreis Hispanicis Plinius augmentum deprehendi docuit, & in Ilba ferri, & in testis lymacis palam est. Mirum præterea, quomodo ex Ilba in mille annis, & ante, Virg. teste, potuit plus ferri extrahi, quàm tota Ilbæ moles decuplo: & vnde ferri augmentum tantum.

Ad quintum vtique ex terrestri fluore arbitror lapides per radices nutriri, sic & metalla, esseque illis vim attrahendi, & conuertendi, qualis in dente, & osse, & testa lymacis. Expertus sum sedulo perscrutans lymaces tenuissimo lymo ali, quod succo mistum per venas quasdam in testas distribui, inque eas verti. Echinus marinus pascitur herba marina, & simul tenui arena, & topho, vt carnem illa, & his spinas, & testam nutriat: ideóque quinque dentes habent conspirantes, vt forfices, durosque; inspexique quasi globulos minutissimos tophi per quædam inuolucra sutuiis quibusdam testæ innexa in Echinis traduci: qui blando calore Echini liquescunt, & per rimulas exiguas intruduntur in testas, & spinas; sicque fieri nutritionem istorum: vnde puto Histricem, & Herinaceum huius cibi haud expertes, vel ex parte: sic puto ex radicibus lapidum, & metallorum trahi succum pulueris tenuissimi plenum in lapides aggenerandi: in metallis verò viscosiorem, & minus puluerulentum: cum ductilia sint, & flexibilia. Vis autem digerendi est in eis. Latet nos sicut Echini facultas, & lymacis, quæ calida cum sit, tamen non sentitur. Blandum autem calorem aptiorem esse ad liquefaciendum intra viscera, nos in textu docuimus: & quare in vase; ergò ex aqua non nutritur lapis, quoniam a sua est vniuersitate abstractus viribus defætus, ergò &c.

Ad sextum dico testas nutriri æqualiter vti os, lapides verò in radicibus tantum, sicuti pili, & spinæ, quibus auctis moles eriguntur. Metalla verò etiam in ramos, sicuti arbor: quoniam spiritu copiosiori abundant ducente materiam quorsum nutrimentum reperitur, & spatium. Non igitur necesse est, vt ad cacumina montium feratur alimentum: licèt hoc penitus haud improbem, cum in lymacibus pateat: insunt enim venæ, & per totam latitudinem, non angustæ, sicuti animalibus; quod patet fractis alabastris, intra quæ quasi vndantes varietates conspiciuntur, & distinctiones, alimenti perinde dela:i testimonia. In venis autem metallorum magis ista patent: nam & quasi fibræ inueniuntur. Et corallium hoc declarat, putoque teneriores esse lapides, & metalla in suis radicibus, & intra venas, vti putamen ouorum: abstracta verò indurari magis, vt S. Ambros. & ratio, & sensus contestantur.

Sicque responsum est ad 7. Nec Arist. negat poros lapidibus præsertim transpicuis, quæ rectioribus donat. Ergò per illos nutriantur nobis inuisiles: nam nec atomos videmus, nisi ad solem, nec omnes. Vide lib. de Sensu rerum. Extant lapides duri, albique in patria mea Stylo, qui singulis mensibus bis generant fungos gustui optimos, & salubres. Aduersamus illos in testis ad fenestras, solemusque aqua irrigare: quod si calidiusculam adiicias, plures, & grandiores boletos habebis. Hinc argumentari licet poros esse in lapidibus, & venas, & halitus ex eis emitti, qui aquam in fungos vertunt, vel ipsi secum inuertuntur, vt agnoscas facultatem immutatiuam, & altricem: nec mirere amplius.

ARTIC. VIII.

Hoc in loco de lapidum inter se, & cum metallis, & cum sideribus & plantis Sympathia, & Antipathia dicendum foret, vt de magnetica, & electrica attractione. Sed quoniam in libris de Sensu rerum ista dicta sunt nobis ad metalla transeundum est.

QVÆST. XXX.

DE METALIS.

Vtrùm Metalla ex lentore, fluore, viscositatè, & spiritu compactis, vti nos docuimus, fiant; an ex solo vaporoso halitu, seu spiritu, vt Aristoteles docet.

ARTIC. I.



EQVITVR Arist. in 3. Meteor. Quæcunque metallica sunt, « aut ductilia, aut fusilia, facit exhalatio vaporosa, cum includitur: & « maximè in lapidibus propter siccitatem coarctatur velut ros, aut « pruina cum excreta fuerit: hic autem antequam excreta fuerit ge- « nerantur hæc. «

2. Quapropter hæc sunt quidem vt aqua, sunt autem vt non: « potentia enim aquæ erat: est autem non amplius. Neque ex aqua « facta propter quandam passionem, vt humores: neque enim sic « fit, hoc quidem æs, illud autem aurum, sed antequam fiant, concreta exhalatione, singu- « la horum sunt. «

3. Quapropter & igniuntur omnia, siccam enim habent exhalationem. Aurum autem « solum non ignitur: communiter igitur dictum est de omnibus. «

SED Contra est Iob, qui ibidem omnia metalla ex terra producit fusa immutatáque per ignem, vti nos. *Habet* (ait) *argentum venarum suarum principia, & auro locus est in quo conflatur. Ferrum de terra tollitur, & lapis solutus calore, in æs vertitur, &c. Terra de qua oriebatur panis igni subuersa est, locus sapphyri lapides eius, & gleba illius aurum, &c.* Quæ verba statim aperiunt sensum totius generis metallici clarè, & sapienter. Verba autem Arist. plena ambagibus, erroribus, & futilitate, deprehenduntur, sententiam nostram in textu prolixe aperuimus, non est cur immoremur.

Ad Arist. prima eius propositio est erronea, quoniam purus halitus non potest concrescere in sic densam, crassámque molem, quale est ferrum, & plumbum: potius autem in Mercurium, & quidem transpicuum, solúmque conuertibilis foret: quod nec affirmandum: exhalatio namque in liquorem tenuissimum non opacum vertitur, vt patet in aere, non in crassum iuxta suæ molis tenuis rationem. Vapor sanè nullus in rem crassam concrescit, sed fortasse in fulmen, quando mistam habet fuliginem, tem densam, minutámque, vt in fulminibus dicebamus. At quomodo intra lapides inclusus halitus in metella transeat, imperitè docet: neque enim lapis sua siccitate agit; sic enim aquam multo celerius induraret, quàm halitum; ipsaque frigida marmora vapore attracta, madescunt verso vapore in humorem tenuem, non autem in crassum metallum, opacúmque: nec potest fieri opaca res ex vapore vllo pacto. Quapropter omnia metalla essent transparentia, est autem nullum. Item nec si vapor in ros concrescit, & pruinam, res glaciales, & frangibiles, & transpicuas, concrescit in metallum, rem densam, ductilem, non frangibilem, atque opacam. Videtur mihi Arist. quidquid in buccam venit enunciare, dogmata minimè examinando. Nec Plato ausus est ex his metalla facere; sed ex fluore, addita interdum terra.

In 2. & 3. loquitur nimis insulsè. Cur enim dixit, quod potentia erant aqua ipsa metalla? Si enim ex halitu, ergò aër est materia eorum, non aqua: si quia ex halitu redditò aqua: ergò non halitus, sed aqua statuenda erat materia eorum, sed tunc erant actu aqua

non potentia, vt ipse dicit, sed in 5. addit non facta esse ex aqua propter quandam passionem, vt humores, sed antequam fiant singula horum sunt. Quæro ergo, quid fiunt antequam fiant? sunt ne metalla, antequam fiant metalla? non quidem, sunt ne aqua ex halitu facta? ita; ergò non sunt hæc antequam fiant, nisi potentia. Quod autem ait, non fiunt propter passionem aquæ, sicut humores, declarandum erat, qua nam fiunt ratione. Oportet enim liquorem illum immutari, & pati, si in metalla transire debet: hæc passio declaranda erat; quod cum nesciret: nec satis tute posset dicere, quomodo ex aqua passa fiant; quoniam & humores sic fiunt: sophistice fugitat, putans nobis illudere posse; quia dicit antequam fiant concreta exhalatione singula fuisse. Hoc autem stultiloquium est prorsus, neque enim exhalatio, nisi sit ex vena metalli potest metalla producere, quæ potentia præest, neque nisi ex alia et altiori materia fluida, cui exhalatio admissa sit, & ductrix, proptereaque vaporem habent metalla, & humores & viscositatem nobis, & lentorem aliqua: sed magis minúsque.

4. Propositio sibi repugnat: si enim ex vaporoso halitu fiunt, qui fumoso, sicco, vnde fiunt lapides, contrarius est, nequaquam accendibilia pronuncianda erant metalla ex eò quod habent siccam exhalationem in se, sed potius lapides. Prætereà ignitio competit omni metallo, etiam auro: ergo errat. At si pro ignitione hæc accipit consumptionem metalli, quæ fit per ignem, quam aurum non patitur, seruat enim idem pondus post fusionem, nequaquam à sicco halitu id petendum erat, sed à vaporoso, vt patet in plumbo, & stanno, & Mercurio magis: hoc contra ipsum: nam idem est vapor, & exhalatio nobis, differentes tenuitate, & crassitie aliquantulum.

Vidit D. Thom. 3. Met. lect. 9. exilitatem principiorum, ex quibus Arist. producit metalla, & lapides, & dicit exhalat. fumosam & vaporosam esse forsan materiam remotam, at super Iob dicit, non posse lapidescere, nec metallescere, nisi misceantur Aqua, & Terra. Hic verò adducit materiam propriam sulphur, & hydrargirium, quasi propinquam materiam. Ex quibus virtute stellarum minerali, fiunt variæ concretiones etiam ab Alchimistis, prout magis & minus miscentur. Et quidem ait, aliquando sine exhalatione: aliquando faciendo exudare prædictam exhalationem ab aliquibus corporibus. At modos componendi non declarat. Paracelsus autem addit etiam sal sulphuri & Mercurio. Hæc enim tria sunt illi mistorum elementa de rerum natura lib. 6. & quidem ait, *Omnium principia nascentium sunt flegma. Pinguedo, & Cinis: flegma est Mercurius, pinguedo sulphur, cinis est sal. Nam omne quod igni fumat & euaporat est Mercurius: Omne quod comburitur est sulphur, & omnis cinis est sal.* Nos autem probauimus quod Tellus prius in lentores, & mollities, & viscositates, & lubricositates, & fluores, & liquores vertitur, quàm in exhalationem fumosam ac vaporosam. Propterea videtur exhalatio excessisse limites materialitatis huius: sed materia densi, duri, & opaci lapidis, & metalli, esse fluor, & lentor; indurari autem expressione vaporis: purificari, expressione rubiginis. At vbi materia est similaris, vt in Auro, & Mercurio, non posse fieri separationem hanc: sed solum forsan extingui spiritum Mercurij vel cohiberi. At si qua exhalatio est principium metallorum illa ex præiacenti metallo producta est: quæ concrescit in metallum, sicut fumans ostendit Mercurius. Non rectè ergo materia ponitur exhalatio rerum densarum & opacarum. Quod dicunt Chimici de sulphure, sale, & Mercurio voluntarium est, nam & ista fiunt à Sole ex terra, sicut plantæ & lapides, & non sunt priora aliis, vt q. 18. probatum est, & cum separantur ab inuicem, generationem prius potiúsque agnoscimus, quam separationem. Sicut cum ex Pane fit sanguis, & caro, & neruus, & os, & flatus in corpore nostro, non est putandum quòd ista præinerant in pane, sed generantur ex pane, nisi quis Anaxagoreus esse velit. Paracelsus quidem ex omni metallo educit mercurium, sed non totum metallum vertit in Mercurium, quoniam non est similare nisi aurum. At si totum est Mercurius & non apparebat, quid cælabat eum, cum non inesset alia substantia cælans sibi commista? ergo non inerat Mercurius, sed genitus est. Et quidem ex omni metallo gigni facile vidimus, quoniam attenuatis partibus purioribus & in spiritum actis animantur, idque Paracels. in lib. docet totum metallum conuerti in Mercurium, si prius calcinetur, & cum tantodem Mercurij ponatur in sublimatorio, donec in amalgama coagulentur, & mox Mercurius sublimetur è calce metallica: & mox simul

rerantur, & toties sublimentur donec calx super candela vt cera liquescat, postea ponatur in digestione & totum fiat argentum viuum] Ast hoc videtur mirificum: quoniam si non est generatio hæc, totum præcedens quodlibetque metallum erat Mercurius. At cur non apparebat? ergo non erat, sed ignis genuit cum & attritio, non autem liberauit. Nos quidem ex omni metallo extrahimus aliquam partem Mercurij, sed non totum: ergo non inest solum Mercurius nisi Mercurius sit sicut sanguis ex pane, qui mox in alia conuertitur corporis nutriti partes: at profecto & fæces etiam sequestrantur ex pane & chilo, ergo non præinerat solum sanguis: imò nil; sed omnia generantur: quoniam materia dissimilaris est panis in hæc conuertibilis: verumtamen potius panis quàm lutum aut metallum potest conuerti, quoniam in pane cum fiat ex animalis immobilis semitubus, faciles sunt dispositiones ad partes animalis mobilis, magis autem in carne bouis, & gallinæ: & sic potest esse quod in sale & sulphure, & Mercurio sit dispositio ad metalla, & ex metallis ad isthæc, sicuti ex cadauere fiunt animalcula, & herbæ: vnde Paracelsus & Animalium & plantarum ex eisdem plantis & metallis attritis, & putrefactis celebrat instaurationem. Verumtamen non assero magis mercurium, quod euaporat, quàm Aquam; nec magis sulphur, quod comburitur quam oleum, & lignum; nec magis sal quod subsidet quam cinis, & calx, aut vitrum, potius autem quam terra, & aridam eius aridorum principium, vt in tota nostra Philosophia declaratur: Immo innumeri sunt vapores non mercuriales: mercurialis autem vnus duntaxat. Item comburuntur plurima quæ non sunt sulphur: cuius combustibilitas est à participio ignis, ad quem ex hoc facilis transitus: sicca, autem plurima, quæ non sunt sal, imo sal Aquæ similis soluitur ab ea. Non autem Tellus vnquam vertitur vi Aquæ in Terram, at nec Terra in sal vi salis, sed ignis; nec in aquam vi aquæ, sed ignis, vt in cunctis prima elementa sint Ignis & Terra: Proximæ autem lentor mollities, viscositas, lubric. fluor, liquor, vapor, tenuitas, &c.

Vtrùm ex aqua fusili Plato rectè generet metalla.

ARTIC. II.

PLato cum Timeo duo prima genera aquarum, alterum humidum æquale, quod ignis mistura participat inæqualitatem, & motum, eodémque abeunte frigescit, & coacervatur in grandines, glacies, niues, & huiusmodi: alterum fusile, quod abscessu ignis patitur ab aëre vacuum non permittente impulsum, & densationem ex quo fiunt metalla: vnde ait. Ex his, quas fusiles aquas appellamus, quod ex tenuissimis, lenissimisque fit densissimum vniforme, splēdidum, flauumque prætiosissima res est, aurum florescens per petram compactum est. Auri autem ramus propter densitatem durissimus, & nigro prætereà colore suffusus adamas appellatur: sed quod auro proximas habet partes, pluresque vna species continet, aut quoque densius, & terrenæ partis paucæ, tenuisque particeps adeò vt asperius, duriúsque fit: verum ex eo quod interualla intrinsecus habet magna, leuius est, hoc genus nitentium concretarúmque aquarum vnum est, atque æs nominatur.

Rectè quidem Plato ex aqua fusili generat metalla, est enim fluor, & lubricositas id quod fusile dicit; humidum autem vocat aquam dulcem, & marinam &c. At insufficienter. Non enim sufficit fluor, cum ex hoc etiam lapis possit gigni, sed addenda erat causa ductibilitatis, viscositas, & non transparentiæ, lentor: nullum enim metallum transparet, vti lapides duri. Prætereà non rectè ex aëris impulsu indurari fluores statuit, sed abscessu ignis, & tenuitatis rectè quidem: frigore tamen aëris postmodum conferente ad duritiem; quod à terra numat sed cum aëre illabi intra metallicas concretiones addendo, consimilitudinis contractusque amorem, odiumque dissipationis, vnionem, & duritiem proinde perficere, sicut in Epilogismo docebamus, plurima quidem hac sola ratione cogi videntur maximè, vt vitrum, & aurum.

Ad primum, De generibus metallorum tentauit aliquid dicere Plato. Arist. diffidit. Sophistæ de realibus ægrè loquuntur. Describit Plato aurum quodque fiat ex fusilibus

aquis; at quomodo,& quare,nequaquam. Cur namque densissimum,& æquabilissimum fiat ex aqua fusili non docet,neque vnde vniformitas,& splendor, & pondus inamissibile,& croceus color declarauit. Dicit tamen per petram florescere,quia vena auri inter lapides marmoreos,& minium sæpè reperitur: quorum quasi flos aurum intermiscetur: hinc Arist.accepit exhalationem siccitate lapidum concrescere: at perperam omnino. Nescio quem adamantem nigrum auro associat,durissimúmque; vel non extat, vel mihi ignotus est. Adamas enim albus est transpicuusque,non ergò est ramus auri,& qui colligunt adamantem in India,referunt de eius generatione ea,quæ nos in textu propè. Adamas lapis est,non metallum, vide quam imperitè veteres philosophantur de certissimis rebus,de incertis verò,& supra sidera pronunciant certissima dogmata.

De Ære postmodum philosophantur,quod sit proximum auro,sed paucam terram, tenuémque admistam habet,& propter raritatem est leuius. Non ineptè, sed tamen tellurem putam non debebat afferre,sed lentorem,& minus viscositatis,quàm in auro,ideò plus tenuitatis intercipit,estque ponderis minoris. At si sic est, ex ære sequestrata terrea portione,statim fieret aurum,maximè ex Corinthiaco: cur autem Chimici Mercurium potius subiiciunt? quoniam purius, & penetrabilius, faciliúsque ad suscipiendam auri formam,& vires fortasse. De que huius æqualitate in textu.

Vidimus Geberis summas post hæc: sed quoniam dogmata doctrinalia non à rerum natura habent, & in cæteris ad quatuor elementa recurrit, pertranseo: superat tamen physiologos in multis.

Hæc habemus ab antiquis de lapidibus, & metallis, quasi puerilia: qui tanta tamen veneratione coluntur imperitia vulgi potius quam sui virtute: laudandi tamen sunt si vt prodessent,non vt glorificarentur, laborarunt.

ART. III.

HIc quærendum esset de differentia inter lapides, & metalla: sed quia veteres nihil dixerunt,nisi ex parte materiæ: Aristoteles adducendo halitum siccum illis, istis humidum: Plato verò aquam terrámque illis,istis fluorem: nos autem omnes differentias in textu explicauimus,& generationis,& constitutionis,& differentiarum, ac passionum,& proprietatum,& transmutationum modos,& fine controuersia; idcircò ad reliqua transgrediamur.

Vtrùm metalla in inuicem transformari possint natura & arte, sicuti in textu diximus, vnde Ars chymica comprobatur, an sint intransformabilia.

ARTIC. IV.

TRansmutationem, & transformationem idem putant Chymici. At Philosophi Peripatetici transmutationem sumunt pro Alteratione, aut Generatione: in Generatione dicunt alii deperdi penitus formam præcedentem, & generari consequentem in materia nuda,alii formam sequentem præcedenti adiiciunt, vt nobiliorem ignobiliori, præparatoriæque. At in transformatione ipsis ignota non perditur forma, neque subiicitur sequenti,sed in illam transformatur,vt linea ex forma recta in curuam,si flectatur,inuertitur. Ponunt & Theologi transubstantiationem, quando totum compositum transfertur in totum,vt si ex pane nil deperdente fiat caro,vt illius materia,& forma fiant huius materia,& forma,quæ à transformatione fortassis nihil differt præterquam si accidentia non transferuntur.

Tunc alii Scholastici opinantur non posse metallorum fieri transformationem: quoniam aut erit sola alteratio,& sic vnum in aliud specie non transfertur: aut erit generatio, & tunc oportet priorem formam abiici,& posteriorem introduci: hoc autem non

potest

potest fieri ab arte. Natura enim est formarum datrix, aut anima mundi. Natura autem non generat, nisi ex corruptis. At metalla non corrumpuntur, sed perficiuntur igne; pluribus tamen transmutationibus possunt natura transmutari in inuicem, plurimóque tempore.

2. Si autem prior forma est præparatio ad sequentem, tunc non erit nisi vna species metallorum, ad quam omnes aliæ sunt præparationes, quod falsum est: nam nec vna species est animalis homo, ad quam omnia animalia transmutari possint: nec plantarum est, sed modus, neque lapidum, ergò neque metallorum.

3. Idem potest probari, quia species non transit in speciem, neque triangulus fit cirlus, neque homo lupus, & hoc S. Ambros. in Hexam. exaggerat, docens præceptum esse Dei, vt producat terra herbam virentem, & lignum pomiferum faciens semen iuxtà genus suum, atque impossibile esse vt degeneret: sed tamen posse speciem vigorem, & perfectionem, iuxtà latitudinem eiusdem formæ generis immutari (vocat genus, quod logici speciem, speciem vero vocat pulchritudinem Ambrosius) at posteà melius cultum restitui ad suum genus: negat triticum in lolium degenerare, sed alterius generis lolium esse dicit.

4. Idea non transit in ideam: neque enim ex idea gladii facimus ideam domus: ergò nec ideata metalla in inuicem conuertuntur.

5. Item licet vena ferri producat ferrum, & auri aurum, & crystallum crystallum, vt castanea castaneas, ficulnea ficus, & salix salicem, qui licet videatur absque semine, tamen habet granum in fronde loco seminis, ait Ambrosius; quod in vlmis ego quoque expertus sum: nec fieri posse, quod non à seminibus, vel ex ramo, vel ex radice sui generis. Rafanus autem in suis minutiis etiam sparsis pullulat, nunquam autem ex alienis. Quapropter frustrà Chymici metalla transformant diuersi generis.

6. Item si natura hoc non facit, nisi post innumeros annos, & certis in locis, sicuti animal in vulua, & quadam arte nurifica per opus intelligentiæ assistentis, vt Idea per Fatum, Necessitatem, & Harmoniam ritè exprimatur, sicuti docui in Metaph. ex Origene, & Augustino: nequaquam potest Ars tam breui, nec intelligens ideationis gradus & ritus, species transmutare: ex his patet omnem aurificinam esse sophisticam, & miscери metalla, & aliis alia occultari, & fucari, non tamen verè aurum fieri, quod ex aliorum experimentis hucusque noui.

SED Contra est Iob, *Lapis* (ait) *solutus calore in æs vertitur, & terra igni subuersa sa-phiri locus eius, & gleba eius aurum.* Quapropter palam est, quod natura non solum metallum in metallum mutat, sed etiam lapidem, & terram in metallum virtute ignis. D. Thomas cum Alberto in 3. Metaph. cap. vlt. putat posse metalla in inuicem transmutari per Chymicam artem, fierique verum aurum; at non tam nobile, quam naturale. Ægidius autem etiam nobilius fieri posse contendit. Ars enim perficiet naturam, videmúsque aurum physicum aurificis arte per ignem purificari, & perfici. Nos quoque vidimus ex plumbo fieri stannum & ex stanno argentum, quod ab argento naturali secerni non potest. Inest tamen semper aliqua mollities. Ex ferro calibem fieri palam est: natura quoque idem docet: quæ enim conueniunt subiecto, in inuicem transmutantur pluribus mediantibus mutationibus, vt ex carne fit terra; ex terra, herba, ex herba panis; ex pane caro, aut mediante vna, vti ex vino fit acetum, non deperdita forma, & quantitate, sed transmutata vi caloris partes acutiores facientes: sic sapor dulcis in amarum transit, & omnis prior gradus in posteriorem, quoniam calor transmutans addit, non demit. Ideo ordo est, vt ad priorem non possit, nisi circulo reuerti: nec enim ex aceto facies vinum nisi radicibus vitis infundas per quas in vuam transeat, & in vinum. At ex vino fit acetum, ex viuo mortuus; non ex mortuo viuus immediatè: nam ex pane fit chilus, ex chilo sanguis, ex sanguine caro, nec tamen chili forma perditur: nec sanguinis forma annihilatur, vt fiat caro, sed solum incrassatur à calore elaboratus in carne, vt in testibus fit semen.

D. Tho. 3. Met. lect. 9. docet.

Aiunt Raymundum Lullium, & Arnaldum, & alios aurum fecisse, ac nouissime Bragadinum Venetiis; sed tamen ex auro tenuissimum verso in liquorem, potente sua Mercurium forma afficere, quo liquore deficiente, defecit artificium nebulonis.

Nn

Præterea si forma est temperamentum, cum hoc possit mutari, mutabitur forma; si est gradus caloris, cum tali dispositionis materialis gradu, qui ideæ suæ correspondeat, vti nos docuimus, palam est, quod gradus, & dispositio sunt transmutabiles in maius, & minus, sicuti sapores docent: quid in vino mutatur nisi sapor, quando fit acetum, sapor autem est caloris gradus certus cum certa suæ molis dispositione, vt infra patebit: sed quatenus à lingua sentitur in ipsam agens dicitur sapor, quatenus conformat est forma aceti suæ ideæ conformis. Ars de se non dat formam substantialem, sed applicando actiua naturalia passiuis, & modificando assequitur hoc, panis est quoque alterius formæ habitualis, quam farinæ nedum inserta arbos. Præterea Paracelf. lib. 7. de Rer. Nat. transmutat omnia metalla in aurum & argentum per 7. gradus Transmutationis, qui sunt Calcinatio, Sublimatio, Solutio, Putrefactio, Distillatio, Coagulatio, Tinctura, & gradus ignis quibus fiũt & modos docet: deinde ex Ferro facit Cuprũ; & plumbum, & ex cupro plumbum, & è conuerso ex cupro electrum: ex plumbo stannum: aliásque lapidum mutationes facit: quas nos duce natura in Textu tetigimus, & aliquorum metallorum vidimus mutationes, non tamen aurum & argentum ex cunctis fieri vidimus nisi sophisticum: & mirum quomodo tot Chimici post Paracelf. laborantes adhuc non inuenere viam ad verum aurum. Illud tamen puto verum, quod philosophiæ veræ sunt expertes, & errant in praxi. Item in p. lib. fatetur quod metalla ex terra à sole oriuntur. At Chimicus transmutat tantum, vt suprà, vel instaurat, si redegerit prius in Mercurium, ex quo in ventre equino per ignem artis renascuntur metalla, sicut planta ex suis cineribus & oleis, sicut posteà dicemus: quæ metalla instaurata sunt nobiliora, & tingunt & conuertunt alia in se. Item docet ex sulphure, metallorum anima, extrahere quintam essentiam instar rubini per spiritum vitæ, qui coagulat figitque Mercurium in aurum. Mihi tempus non est practicè ista examinate: at non vereor tamen in Phys. dicere impossibilia.

Ad secundum concedit S. Thomas, quod omnia metalla sint quasi præparationes imperfectæ ad ipsum aurum, quod semper facere natura intendit, tanquam perfectissimum: cúmque non possit facit alia metalla, quæ cum ad aurum ordinentur, possunt perfici, & in aurum ascendere: negat tamen idem esse de animalibus, & plantis, cum enim ista sint perfecta in specie sua, atque organica, non sic ordinantur ad vnum, vt possint transmutari in illud, sed ad vsum eius. At alij concedunt ex tritico fieri lolium, vti ex vermi papilio, & multas esse inuersiones mutuas inter animalia, & plantas, quod insertatio docere potest, & generatio muli ex asino, & equa. Ego autem puto plures species metallorum esse, omnésque intentas ab opifice rerum, nec ordinari alia ad vnum: sicuti neque omnia membra corporis oculum esse Natura cupiuit, sed quodlibet id, quod suo vsui inseruit. Metalla partes sunt in mundo quælibet ad suum vsum a Deo destinata: possunt tamen in vniuersalem inuerti, quoniam sunt homogenea vicinæque naturæ, & quasi gradualiter differentis, & quia inuersio fit per ignem qui semper purificat educendo excrementa, & indurat tenuitates exprimendo, idcirco in aurum purissimum fit omnium vltima conuersio, ad quod respiciens S. Thomas rectè loquutus est.

Credo equidem in lapidibus esse quoque hanc transformationem, nam opaci lapides liquefacti sæpè in transpicuos conuertuntur & in vitrum, ac vitriationem esse vltimam conuersionem in textu docuimus: sed inter plantas, & animalia ob partium dissimilitudinem, & eterogeneïtatem non fit talis conuersio, nisi in quibusdam dictis, & in phenice si fabulosa non est, sed ex hac sententia. S. Thomas potuit conspicere falsam doctrinam resolutionis vsque ad nudam materiam.

Ad tertium bene Ambrof. loquitur, dum res manent in suo gradu essendi, sic enim semper ficulnea ficus facit, & triticum triticum, non auenam, nec lolium: at si transmutetur vi causarum externarum, quoniam tota natura variabilis, non neget, credo, variari & semen, vt patet in insertis quoque arboribus: sed esto, quod ita semper sit in plantis, vt ipse docet, non tamen in metallis: nam ista homogenea suæque naturæ proxima sunt, & non de semine est sermo, sed de transmutatione, quam facilem in homogeneis eiusdem generis esse nemo neget, qui vinum in acetum, & chilum in sanguinem conuerti nouit, & vt ipse docet, aquam in diuersos succos intra plantarum corpora specie differentes: ex homine fieri lupum non credo, nisi affectu, vt lycontrophi asserunt, neque

à dæmone posse fieri transformationem, quam natura non potest, licèt Sagę à diabolo deceptæ, putent se in bestias transmutari: ex triangulo non fit circulus, sed res triangulata per extensionem laterum fit circularis.

Ad quartum negatur consequentia, idea enim intransmutabilis est: ideatum cum sit ipsa materia, cui est idea impressa, potest in aliam aliquando transferri, non annihilata priori, sed commutata, quatenus in materia, non quatenus in se: palam est quod idea triãguli non fit idea circuli: at cereus triangulus expansus in lateribus fit circulus: positione mutata: sic ex eisdem literis fit Virgilii poëma, & Ciceronis oratio, non corruptis, sed transformatis: situs ipse videtur annihilari, & constitutio, nescio tamen an potius in aliam simulationem transferri melius dicam: sic mihi dextra est columna: sed mutato me in alium situm, fit mihi sinistra, priori situatione non annihilata, sed in hanc translata. At videtur corrupto filio paternitas in patre annihilari, fortasse non annihilatur, vt est in patre, sed vt est ad filium, sicuti ablato combustibili, combustio in igne non perit, nisi vt est ad combustibile, cuius ablatione, aut corruptione aufertur, aut corrumpitur. At de formis metallicis alia est ratio: re vera enim patet plumbum non corrumpi in forma, cum fit stamnum, sed meliorari, & de forma imperfecta perfectam fieri; non enim sunt relationes, & non entia, ad coëxistentiam pertinentia tantum, aut diuersæ ideationis, vt gladius, & domus; aut non ordinatæ seriei; vti vinum, & oleum; aut eterogeneæ consistentiæ, vt plantæ, & animalia; aut contrariæ, vt calor, & frigus; in quibus omnibus non fit transitus cum melioratione, sed cum destructione.

Ad quintum concedimus, vnumquodque fieri ex proximo principio, vel ex approximato; sic mus fit ex mure, vel ex putredine proxima semini muris. Aurum primò ex vena auri, vel ex metallo sibi consimili facile in ipsum inuertibili: at vena auri ex terra originem habuit à sole sic concinnata, cum æterna non esse possit, coæuáque elementis à quibus ortum ducit: si tellus potuit in auri venam conuerti, cur non & Mercurius, & Cuprum, quæ consimiliora sunt illis?

Iam diximus etiam quod secus de plantis, ac de metallis iudicium extat: & palam ferrum in calibem conuertitur, & calibs diuturni temporis, quasi argentum fit. Item vim magneticam acquirere solet, vt Gilbertus experitur.

Ad sextum, si sumas naturam pro arte rebus à Deo indita, vt ars faciendi castaneas est in castanea, faciendi ficus in ficulnea: verum est, quod Ars humana illam non potest imitari, vt efficiat castaneas, & ficus. At si sumas naturam pro arte vniuersali, quæ vtitur calore, & frigore tanquam instrumentis ad immutandam materiam in varia entia per concursum causarum, & necessitatem coagendi, & compatiendi omnium simul, & per Harmoniam hinc resultantem: vtique Ars humana potest illam imitari, & veluti calore, & frigore, materia, & cæteris concausis vtitur pharmacopola, & his omnibus: & Agricola vtitur seminibus, terra, ventis, bobus, sole, stercoribus ad fruges: hac ratione, potest Chimicus vti igne diurno, fornacibus, malleis, carbonibus, & reliquis instrumentis ad metallorum transformationem: & licet natura communis multum requirat temporis, & locis, & modis vtatur in causarione, tamen ars humana incipit à breuioribus, & quasi à fine, non à principio: vt enim tellus fiat aurum annis quinque millibus operatus est sol in terram, quoniam tellus auro discrepans est valdè; at vt æs fiat aurum, cum sit naturâ proximum, non tantum temporis requirit. Prætereà ignis est fortior solaribus radiis, & facilius transmutat.

Nec Ars humana, sed natura ipsa ignis, & metallorum ab arte humana applicatæ: nec Medicus facit sanitatem, sed applicat facientia: vnde August. ait, quod intelligentiæ non immittunt formas, sed mouent ad formas vt agricolæ & medici. Ars ergò humana in his est pro intelligentiæ arte quæ adsistit, vt exprimatur idea: puto & Angelos adesse, quatenus est opus etiam naturæ illa conuersio, sicut cæteris naturalibus adsistunt. Fateor gradus illos, & ritus, difficillimè obseruari posse; & semel inuentas sæpe effugere mensuram inuentorẽ. At inueniri posse non negem. Coquus carnem non assat, sed ignis; at vt asset, & non vrat, in quodam gradu, vtitur coquus distantia, & tempore certo, & loci eminentia; sic vtitur Chymicus ignis gradibus, & fornace, & cæteris tanquam instrumẽtis. Alius est .n. (inquit Parac. ignis viuus vel flãmeus, qui reuerberat & calcinat omnia corpora. Alius

ignis iugis elycnii, qui fixat omnia corpora volatilia. Alius ignis carbonum, qui cementat, colorat, & purgat metalla à suis scoriis: Aurum & argentum altius graduat. Alius ignis laminæ ferreæ ignitæ, in qua tincturæ metallorum probantur, &c. Aliter calefacit Scobs ferri: aliter Arena: aliter cinis, aliter balneum maris: quo multiplices distillationes, sublimationes, & coagulationes fiunt. Aliter balneum roris: Aliter venter Equinus, in quo præcipuè putrefactiones, & digestiones fiunt. Aliter ignis inuisibilis, id est radij solares, & qui ex speculo reflectuntur nimirum. Tam mirabilis est iste ignis, vt per eum metalla liquescant, & omnia pinguia & fluxibilia in mensa absque igni, & omnia facile combustibilia in carbones & cinerem redigantur.] Nec est negandum, ergo per artem fieri metalla: nam fatemur etiam elementa non facere secunda entia, sed artem, quæ elementis vtitur: ste non facere ignem metalla, sed Artem illam in venis: in fornacibus autem humanam, quæ æmulatur illam. Quænam sit illa, alii dixere mundi Animam; alii Colchodeam, alii Intellectum actiuum; alii Angelos mouentes ad formam, non dantes: alii Deum. Arist. ineptè cælum & per accidens, dum ex attrito aëre facit ignem, vt dixi in q. 16. de quibus opinionibus in Metaph. disputauimus. Artem nostram dare speciem rebus mediante natura indicat Theriaca ex multis vnam nacta speciem: & clauus positum artis seruans super subero in aqua; vt in lib. de Sensu Rerum cum Gilberto annotauimus, & alia multa.

Ad Iob autem respondere etiam oportet. Non enim videtur lapis in metallum conuerti posse, cum illi desit viscositas, quæ metallo debetur ad ductilitatem, & flexionem sine fractione. Igitur loquitur Iob de lapide viscoso, & de materia terrestri concinnata ad metallicam naturam, quam largo modo lapidem vocauit.

Item Stylenses ferri fodinæ dant quandam terram crassam rubram duram, quasi lapidem; vnde ferrum fit, postmodum in fornace ex eo soluto, non tamen est purus lapis, sed metallicus: testatur & Lucretius ad Pyreneos montes, quando primum combusti sunt, auri riuulos effluxisse, diuturno igne terra in ipsum concinnata, ergò Iob loquitur sensatè.

Ad S. Thomam, eius opinionem vt probabilem non inficiamur, licèt ipse transformationem non explicauerit, tamen fateatur oportet. Haud tamen Ægydium condemnamus: nam licèt in fine sui operis Ars det aurum non sic perfectum, vt natura: tamen potest deinde successu temporis, & per replicatas liquefactiones illud aurum meliorari: omnis enim species habet latitudinem, quidquid Arist. secus garriat. Idcircò ad medicinam non subitò illo vterer, vt rectè admonet S. Thomas.

Vtrum metalla excrementorum purgatione, & euaporatione, transformentur; an animatione nobilioris in ignobilius intrusa, & cum multiplicatione, & vtrum etiam ignobilia è conuersò fiant ex nobilibus.

ART. V.

EQuidem sensum sequutus primam sententiam in textu pronunciaui: manifestè enim per indurationem maiorem fit ex plumbo stamnum, & calibs ex ferro, & ex calibe damascena species succo parietariæ, & sale. At non se habent metalla inter se, sicuti aqua, & nix, & glacies, & ros, & grando, & pruina, in quibus eadem materia inest sola condensatione maiori, vel minori, & loco differens; sed alia crassiora sunt, alia tenuioribus constant partibus; alia puris, alia impuris: ergò non sola requiritur densatio: sic enim ista non haberent ordinem inter se, sed sicuti ex niue potest fieri grando, & aqua, & ros, & pruina, & è conuerso ex singulis singula: sic ex omni metallo omne metallum fieret. At quoniam alia sunt crassiora, & impuriora, alia puriora, & æqualiora, & graciliora: consequens est, vt si per ignem fiat transmutatio, cuius est attenuare, & purificare, ordinatim procedatur ab impuris ad pura, & à mollibus ad dura in dissimilaribus. Ergò ritè ex plumbo stamnum fit per ignem, qui dum vrit, & segregat impuritates plumbi, ipsum red-

dit purius; dum tenuitates eleuat reddit durius: & tunc fit stannum: de cæteris autem in textu per ordinem diximus, qua itidem ratione transformentur. At verò ex argento non fit stannum vnquam per ignem, quoniam ab igne induratur, & purificatur: vt autem fiat stannum, oportet emolliri, & impurius fieri: quod non nisi mistione plumbi, fiet, & sic erit mistura inuisibilis nobis, sed non lynceo, non autem transformatio. Ideò dicebamus, nec ex transparenti lapide posse fieri non transparens, neque ex albo nigrum, nisi per misturam liquoris nigri, aut rubri, &c. Vt diximus loquentes de falsis gemmis in textu. Ratio est manifesta, quoniam ignis non impurificat, nec emollit corpora dissimilaria. Sed quid dices de Mercurio, & auro similaribus? Resp. quod ab igne solo Mercurius non potest indurari vllo pacto: statim enim totus in fumum soluitur: quoniam eius omnes partes æquè sunt calori vincibiles. Aurum verò aliquantulum induratur, quoniam licet similaribus constet partibus, tamen tenacioribus, solidioribus quàm Mercurius: quæ liquescant quidem, haud etiam attenuentur, nisi insensibiles paucissimæ, ideóque caloris abscessu, non tenuitatis, indurescit, sicuti etiam vitrum: nisi modicum nimis.

1. Sed videtur verior via Alchimistarum: eliciunt enim ex auro animam, seù quintam essentiam, vt alij dicunt: quæ tenuissimus, & spiritalis quidam liquor est, quam infundunt Mercurio, statimque conuertunt in aurum. Nobilius enim agit in ignobilius, & spiritale in corporale magis.

2. Sicuti semen tritici terram in triticum suo spiritu conuertit, sic anima metalli aliud metallum in se.

3. Item in 4. de Sensu rerum argumentabamur, quod sicuti spuma canis rabidi transmutat spiritus naturales eius quem mordit, in caninos, & catulos tandem in semine producit; & Tarantula in Apulia immutat à se affectos: sic auri spiritus in vehementi liquore per ignem facto, alia metalla in se mutabit.

4. Experti sunt amici non semel quod Parac. scribit, Aurum verti in calcem croceam: cui positæ in cucurbita si infundas bonam & recentem aquam Regis, & aquam gradationis ita vt quatuor digitis supereminecat · iterum abstrahe in 3. grad. ignis donec nil amplius ascendat: & iterum destillando abstrahe, donec videas aureum surgere in vitro, in forma arboris cum mirificis ramis & foliis. Idem faciunt de aliis metallis, vt agnoscas in eis spiritum vitæ, qui possit suam materiam in arbores mutare: & alienas ergò in se, si iuuetur externis caloris viribus.

5. Nescio quid de spiritu Stoïcorum quidam comminiscuntur, qui vt est in auro conuertit alia entia in aurum.

6. Hoc etiam experimentis patet. Nuper enim Bragadinus istud efficiebat Venetis per aurum potabile, quod possibile ostendit Moyses dans illud bibere filiis Israel.

7. Alij eò deuenerunt vt putent ranarum spiritum extrahi posse per alambicos, sicuti spiritum vini, qui est aqua ardens, atque luto infundi, vt ranas iterum procreent, non animalia perfecta. At Theophrastus Paracel. ranam aut auem combustam intra cucurbitam sigillatam in tertio gradu ignis in puluerem versam claudit, vt putrificetur putrefactione summa ventris equini, in phlegma mucilaginosum: mox hoc phlegma occludit in priorem testam donec in auem, aut ranam iterum, &c. mutetur. Idem pollicetur de omni re: & plantas enim, & animalia renouat, & metalla omnia in Mercurium redigit: & ex illo metalla facit. Hominem verò ex semine humano putrefacto in cucurbita sigillata summa putrefactione ventris equini per 40. dies aut donec incipiat viuere, & deinde augeri, producit augetque, & sic nasci putat homúculos & gigantes ex terra, &c. in lib. de nat. rerum. Quod examinauimus in lib. de Sensu rerum.

8. Alij vtuntur puluere auri ad Mercurium sistendum, & metalla transmutanda: alij lapide philosophorum, de quo controuertitur apud omnes.

9. Alij vtuntur confectionibus multis ex variis simplicibus ad mirificè, ac subitò transmutanda metalla, nec mirum: quando si componas simul vnciam tutiæ, & dimidiam resinæ pineæ, dimidiamque sulfuris virginis, ita vt quasi vnguentum fiat, & quod in frusto linei panni ligatũ ponas intra vas fictile de calce virgini plenum in medio, ita vt vasis partes nullas tangat inque figuli fornace, dum vasa coquuntur, sinas igniri, postmo-

dum videbis, quod solo sputo accenditur, non aqua. Aliquid simile exscara dolij fit, vt solo aëris aspectu accendatur: sic ergò potest tam efficax medicina fieri in auro, vt subitò omnia in se metalla conuertat. Quid dicemus ad hæc?

Ad primum concedo ex auro extrahi purissimam partem, quam quintam essentiam dicunt, qui præter elementa aliquid à cælo mutuantur in constitutione entium nostrorum, putantes cum Aristotele cælum alienæ esse naturæ ab elementis. Nos autem purissimam partem dicimus, cælestemque: quoniam ignea est, vti & cæli substantia nobis: nec ineptè dicitur, anima, quando & Moyses, *sanguis*, ait, *bestiarum pro anima est.* Critias animam putat esse sanguinem; cui Hippocrates nil repugnat: at addere oportet spiritum ex sanguine genitum in animalibus, vel humore proportionali sanguini, vt in lymacibus, & ostreis: in lapidibus verò & metallis in quibus non sunt cauitates, quibus spiritus hospitetur, confunditur pars spiritalis cum liquore, ita vt segregari nequeant, quoniam crassus est spiritus eorum: ex his bene arbitror posse liquorem illum viuidissimum infusum metallis non solidis, sed liquefactis, vt possit imbibi, posse corpus metalli tantum in se inuertere, quantum prius animabat, antequam extraheretur ignis vi. At sic non fit multiplicatio, nec lucrum, de quo sollicitantur Chymici.

Ad secundum, ergò triticum tantam inuertere terram, quanta est sua virtus, vt ex vno grano fiant triginta, vel sexaginta: quoniam sic operabatur in suo generante, cuius retinet simulacrum, facitque herbam, & spicas, vti generans fecerat, & illud vti aliud generans donec venias ad primum, quod Dei præcepto, & Idea efformatum est, cuius vox est rerum natura, vt ait Basilius, & Ambros. At aurum retinet Ideam auri sui, & quia illud non generabat, sed aggenerabat, nec vbique, sed in vena sua: sic istud aggenerat, quanta est virtus sua ex fluido metallo, non tamen sine fine nec vbique. At dicis genitum granum efficere alia grana, & hęc.

Respondeo etiam aurum genitum aliud generare, si iterum in spiritale semen per ignem redigas: sicuti calore terræ semen tritici fæcundatur; sed tamen non multiplicare, vt vnum auri granum efficiat plura grana, quoniam non accepit à Deo hanc præceptionem; Dictum est, producat terra herbam facientem semen, non sic de auro.

At quomodo in vena sua nutritur, & augetur. Respondeo etiam dentem in sua vena nutriri, & os, & ramum plantæ; at recisa, ista non nutriri, nec si liquescant supra suam mensuram agent.

Ad tertium mouit mentem meam hæc consideratio valdè, putóque concedendum esse, quod si quis spiritalem liquorem illum tanta ignitione donaret, vt non perdatur essentia auri, at virtus roboretur, qualis canina per æstum in rabie, possit multiplicationem celebrare, semper tamen in liquefactis metallis; non tamen in infinitum: cum non consentiant aliæ causæ, nec fatum, nec harmonia mundi, de quibus in Metaph. At vix credo, quod hoc aurum immutatum, ac deinde refrigeratum immutet aliud metallum: sed plurima liquefacta simul posse quasi à coagulo per vnum prius prensari spiritum, & paulatim omnia aurum fieri; quod tangens alia metalla, vel infusum liquidum, vel in puluere, si forte conuertet illa; non tamen mox illa refrigerata conuertent & alia; vel conuersio paulatim repatiendo degenerabit, & deficiet.

Quæstio difficillima. At dicet quis, si forma auri est gradus sui caloris tantus, talisque in tali materiæ dispositione concretus, vti nos dicebamus; tunc oportebit cum in spiritum aurum vertitur, amitti auri formam, quoniam alius gradus caloris longè superior reperitur: aliáque dispositio materiæ, & habitus, quàm in denso auro: & sicuti vapor ex aqua factus non est aqua, nec aqua ardens est vinum; sic spiritus auri non est aurum: quomodo ergò generabit aurum? Quod si fit, formæ rerum non sunt gradus, sed aliquid diuinius: sed quomodo manet hæc forma in materia iam non sua? Oportet vel Stoïcorum spiritum accersire: sed si est vnus per totum mundum diffusus, qua ratione in non auro faciet aurum ex non auro, cum eius sit vbicunque ex suo quæque facere semine, non quodlibet ex quolibet? Difficilis sanè quæstio. Neque Peripatetici respondere possunt: neque Galenistæ: isti enim formas putant esse temperiem quatuor elementorum. At cum ignis liquefaciat aurum, & in spiritalem fluorem vertat, vtique frigus, & siccitatem interimit, remanetque ignis, & fluor non aqueus, qui est frigidior illis, sed alterius naturæ; nisi

velint elementa absque suis qualitatibus formas seruare posse, quod Auerroës negat, & sensus, & ratio: præsertim si formæ eorum sunt qualitates ipsæ, vt placet Galeno, & Alexandro, & Olimpiodoro, & melioribus Peripateticis. Nec illa qualitas media hæc seruatur, quam Durandus, & alij fingunt; Nam vbi totum exsuperat ignis, medium non est, sed extremum, forma autem substantialis Peripateticorum, quæ non est complexio, vti Galeno, nec ipsa potest in spiritali auro seruari: ipsa enim destructo subiecto ex quatuor elementis complexo, perimitur. Dicamus ergò iuxtà nostra principia, vtique formam esse gradum illum cum dispositione sua Physicè. Attamen latitudinem habere non in indiuisibili consistere, nisi in indiuiduo, in quo etiã habet latitudinem indiuidualem. Alia enim est in eodem sano, & ægro, iuueni, & sene. Naturam tamen non dicimus esse ipsam formam, vt Peripatetici; sed artem illius formæ effectiuam, & conseruatiuam, quæ constat ex potentia essendi, sensu essendi, & amore essendi, vt in Metaph. docuimus: similiter operandi, & agendi. Item posse formam minui, & immutari manente natura, idest potentia, sapientia, & amore talis esse, & tunc cum immutatur forma in magis, aut in minus, potest reuerti ad se, dum natura seruatur; at natura perdita, non posse dicimus: vnde rectissimè Richardus in Benjamin distinxit inter formam, & naturam, licet de natura tam altam doctrinam non considerauit. Sic dico nunc, quod quando auri forma densi, & blande calidi, transfertur in liquorem mollissimum, calidissimamque, patitur transformationem nobis: Peripateticis vero etiam perditionem; dicendum foret; at natura auri remanet, qui est potentia, sensus, & amor talis esse, quod est aurum. Idcircò potest alia metalla in se conuertere operando secundum artem, vt ad formam talis artis redigantur: sic sanè etiam triticum in terra mollescit, & tumescit spiritu, & sic fœcundatur, & conuertit in se terram; dum autem manet in forma pristina non potest agere: similiter canis rabidi spuma potest immutare morsi animalis temperiem in caninam; quia vehementi calore affecta vigorosior est; quod non potest spuma canis sani, quoniam vehementia illa caret, vt hic videas calorem esse instrumentum primæ artis, & res non destrui, nisi destructis naturis. Ideam dicimus esse & formæ, & naturæ: per naturam vero Ideationem reparari, non autem per formam; si natura deficiat, vt patet in cypresso secto non reparabili.

Vel dicas passam esse formam, non abolitam, vt patet in vitro liquido.

Ad quartum dictum est in Metaph. de spiritu Stoïcorum, quem nolumus esse Deum nec corpus, sed forte animam mundi, aut Angelorum ministerium, qui non reparant ex destructa natura, vt dictum est.

Ad quintum concessum in primo aurum potabile, sed de multiplicabili est quæstio: ne deficiente liquore deficiat aurificatio.

Ad sextum nescio quid dicam absque experimento; non tamen nihil posse fieri videtur, quin spiritus ranarum exhalent: quod autem illa distillatio valeat ad ranas procreandas, credibile potest, cum seruetur ex parte sensus, vt diximus in quarto de Sensu rerum, & ranarum generatio sit facilis, vt patet, cum ex guttis aquæ æstiuæ in puluerem cadentibus calidum subitò concreatur: de his infra. Nec Paracelsi experientiæ sunt negandæ sed reficiendæ volenti ipsum emendare, aut commendare.

Ad septimum, de Mercurij fixione in sequenti articulo dicam, de lapide Philosophorum nil certi habeo.

Ad octauum; Itaque dico ex conjecturis fieri lapidem istum fingi à Chymicis: sed quod pro exemplo adducitur nil probat: Ignis viuacissimus nullam materiam sibi alienam existimat: in omnibus concipitur, & roboratur, maximè autem in subiectis combustibilibus, qualia sunt iam dicta; potestque statim accendi in liquore, quoniam subitò in fumum vertitur, & in flammam à præpotenti calore, qui in crassitie se ostentare non poterat. At auri anima, cum sit in gradu mediocri, & non omnes materias sibi vendicet, vt in Metaph. diximus, vtique ad tantam vehementiam, vt sic transmutet, non ascendet; sed quemadmodum declaratum est: ergò philosophorum lapidem, quasi pro fabula habeo, non tamen nego, plurima enim latent incredibilia nobis, quæ experientia vera postmodum patefacit.

Sciendum, quod per istam animationem, etiam ignobilia immutabunt nobilia,

si vigorentur: sicuti canis venenum immutat humanam temperiem.

Vtrùm Mercurius poßit coagulari, & affixari, vt dicunt Alchimistæ, fierique argentum optimum, & aurum.

ARTIC. VI.

1. VIdetur quod sic; quoniam plures experientias iactant Chimici.

2. Videtur esse argentum liquidum, vnde hydrargirium vocatur: liquidum autem potest coagulari, & condensari, & indurari, quando est opacum, vt ratio docet. Opacitas enim lentorem habet, & densitatem, operâque caloris manifestabilem. Mercurius autem opacus est, ergò.

3. Præterea etiam liquor transpicuus induratur, vt patet de crystallo facto ex antiquissima glacie in alpibus. Ergò multò magis opacum hydrargirium.

4. Tandem post decem annos ab horum scriptione ipsemet Romæ puluerem exhibitum à Gallo homine in hydrargirium vasculo igni operto, imposui, & perfectissimum exiuit argentum.

5. Paracelsus probat Mercurium esse omnium metallorum, materiam, & in omnia conuerti posse.

Respondeo nequaquam ex puro hydrargirio posse argentum verum fieri: est enim similarium partium, quæ simul igne euanescunt, non ergò aliæ remanent incrassandæ elabentibus aliis, sed omnes simul abeunt: at etiam si conspissetur in duritiem, vt aqua in glaciem, percussus malleo in frustula frangitur, vti vitium & glacies propter carentiam tenacitatis, quæ dat extensionem, & flexionem, nec permittit fractionem, vti in textu. Expertes Physices Chimici talia mentiuntur: neque Peripatetici, neque Philosophi antiquiores hanc de metallis scientiam intellexerunt, quoniam de materialibus gradibus, & mistturis consideratio eos latuit. Vix Telesius aliquid lucis attulit: non est ordo ex fluore ad viscositatem, sed è contra.

Coagulatio comprensatio. Potest argentum viuum densari per congelationem, quæ fit solo frigore diurno intra frigidissima entia, si posueris, vt inter Alpium niues profundissimas. Item per coagulationem, vt si illi addas fermentum medicatum, quod tenuitatis acumine calorem, elabi faciat, vt coagulum in lacte. Idcircò enim non nisi acetosum est fermentum. Potest succus herbarum ad hoc valere: nam & cicutæ culmis vacuis impositus Mercurius intra furnum post panis coctionem lento calore condensatur: & hæc densatio est congelatione melior, quoniam tenacior abscessu tenuitatis minime, fit: potest etiam apprehensione condensari, si auri aut argenti puluerem eidem injicias, aut liquorem. Totus enim tunc ad tactum auri agglutinatur gaudens illius amplexu, vt ferrum magnetis, & magis; quoniam ob liquiditatem facilius complecti vndique potest aurum. Ipsique aurifices scobes auri Mercurio colligunt: his modis omnia metalla condensantur, & insuper per ignem educentem partes tenues, & crassas per accidens congregantem, quod opus est amoris. At hydrargirium sic densari non potest ob similaritatem, quin totum euanescat, potest tamen blandulo calore condensari, vt dictum est, si tamen intra fesuccum fermentatiuum, aut auri scobem habeat. At si omnibus his vtare adminiculis, vt scilicet puluerem iniicias argenteum, vel aureum, & simul succum inteufectorem caloris hydrargirij aut venenum, qui eius spiritum occidat, vel ex parte, ac ponas in lento furno, & deinde vicissim in frigore sæuissimo, credo posse durissimum ens fieri, non tamen ductile, sed medium inter frangibile, & ductile; nisi abundet puluis argenteus. Vidimus tamen ex stamno, & hydrargyrio fieri argentum bonum ad vasa fusilia; non autem ad malleatam monetam.

Ad primum non nisi, vti diximus experimenta fieri possunt.

Ad secundum concedo posse condensari, & indurari, non tamen ductile fieri, & licet

licèt lentorem habeat, quatenus opacum aliquantulum est, nam non ex totó: haud tamen ideo extendetur, nisi & viscositatem habeat. Alioquin etiam lapides opaci ductiles forent: illa nihilominus opacitas dat mihi spem conuersionis eius in metalla per animationem: non enim videtur penitus similaris si ex opaco, & transpicuo constant, & nuper experimentum vidi: nec ex solo Mercurio fit nisi aurum.

Post hæc ex mistura metallorum cum Mercurio video fieri ductilem & auream rem, quibusdam adhibitis, quæ alibi, &c.

Ad tertium, concedimus vt in crystallo Mercurij indurationem, sed non metallificationem, cùm tenacitas desit: nisi occidatur spiritus, & incorporetur ità, vt consolidescat, & coquatur, & albor pallescat, & aurescat. Coctio enim ex albo facit croceum stabilem colorem, non mistio, nisi euanescentem: vt quæstione de Coloribus palam erit.

Ad quartum, Chimicus ille deceptor in carcerem missus certa suspitione, quod intra carbonem argenti limaturam occultauerit, carbonemque vasculo ardenti in quo erat Mercurius iniecerit, quod liquescens abeunti successerit Mercurio: nec potuit veritas ab eo extorqueri.

Vtrùm metallorum nobilissimum, optimúmque sit aurum, superetque lapides omnes virtute.

ARTIC. VII.

Videtur quòd non, siquidem ait Plinius, si respicias pondus nobilius est plumbum, cui aurum cedit ponderositate. Si rebur, & duritiem nobilius est ferrum, quod domat omnia metalla, & lapides &c. si colorem, candidius est argentum, candor autem luci proximus, fuluus color opacior, & materialior, minusque cælestis est: si respicias pretium vincitur lapidibus, vt à pyropo, adamante. Lapides autem metallis inferiores sunt: si ad obedientiam, obedientius est plumbum, in vsu vtilius est ferrum: ergo, &c.

Sed in contrarium est Iob, & Salomon, & tota scriptura sacra, quæ optima quæque auro assimilat. Item omnes Philosophi, & Poëtæ ætatem optimam priscam vocant auream: similiter aurum Moyses præ cæteris metallis eligit: & Plato in Hipp. libram argenti æstimat quanti vnciam auri.

Respondeo, quod aurum potest considerari, aut secundum naturam, aut secundum vsum humanum, primo modo est metallorum vtique optimum, quoniam purissimum non enim rubiginem euomit, sicut cætera, quia caret terrestri impuritate; neque pondus amittit, quia caret tenuitate, qua elabente cæteræ pauciores remaneant; neque defectus tenuitatis est illi vitium, quandoquidem partes remanentes haud crassæ sunt, ignobilesque, sicut in lapide rustico: est ignis iniuriarum expers, & terræ, & aquæ ob conformitatem partium. Item omnia metalla ad ipsum accurrunt, quasi ad nobilius sui generis; Mercuriusque id docet, qui cùm argento sit secundum faciem similior, tamen auro tenacius adhæret. At verò adamas, & vitrum auro sunt nobiliores, quoniam materia eorum deuicta est magis à calore, factique sunt cælo similiores: & licet minus durent iniuriis, non propterea minus nobiles: nam & oculus minus resistit, quam cornu, nec tamen ignobilior cornu est. Nobilitas autem ex accessu ad solem maiori est in secundis entibus pensanda. Item cætera metalla dum purificantur, fiunt aurum, non autem è conuerso, vt gradum supremum in auro agnoscas.

Si autem ad se ipsum comparetur non est disputandum. Omnis enim res sibi optima est super omnes; vt ego mihi optimus, etiam super Angelos, melius enim mihi est esse meum, quam esse Angelorum; non tamen super Deum, cuius esse est eminenter omne esse, & cuius nomen est omne nomen, & meum esse est ab ipso, & in ipso, & eius gratia, & propterea omnis creatura etiam insensata magis amat Deum naturaliter quam se ipsam, ait S. Thomas. Oo

Si autem fiat comparatio ad totum mundum, puto lapides præaltissimorum montium esse meliores auro; quoniam maioris vsui sunt montes, quam aurum.

Si verò consideres aurum secundum nos, vtique non est optimum ipsum, sed ferrum, quoad vsum: possumus quidem sine auro viuere, non autem sine ferro, vnde Ecclesiasticus ponit ferrum inter principia vitæ humanæ, non autem aurum.

Si quoad delitias, & ad bonum iucundum præcedit aurum: veluti ferrum, quoad vtile: est enim ad deaurandas vestes, & templa pulchrum, & ad potum salubre, corruptionis inimicum, cordis hilaritas, & temperiei nostræ conseruator: & licèt Adamas, & pyropus sint auro in deliciis prætiosiores, non tamen ita in victu interiori ad salutem, nullus enim lapis potabilis, aut comestibilis esse potest, quoniam carent tenui liquore, glutino, & viscoso, quo corpus nostrum continetur, excepto sale, qui omnibus præficitur: quoniam liquescit, & cibos sanat, vt in textu. At metalla non sunt comestibilia, & potabilia. Verum aliqua sunt venenum, vt quæ maximè rubiginosa; aurum & argentum sunt medicamen: illud tamen magis, quoniam purius, blandius, & incorruptibilius: quas autem habet proprietates communicat ens omne. Item in monetarum ratione aurum pretiosius cunctis metallis, non tamen vtilius, possumus enim ex ferro, & ære pecuniam cudere, sed diuitiæ in auro plus conseruantur: quoniam nec ab igne, nec ab aliis elementis minuitur; estque secundum naturam, quod vncia auri valeat duodecim vnciarum argenti in quolibet vsu, etiam antiquitus, teste Platone in Hipparco.

Ad primum mentitur Plinius. Aurum enim plumbo ponderosius esse probatur, si duas pilas eiusdem diametri efficias, alteram plumbeam, alteram auream, ponasque in bilancibus; quod omnes aurifices, & gemmarij, norunt pondus auri esse maius.

Ad secundum, concedo ad vsum hominum esse ferrum vtilius, non tamen etiam iucundius, vt dictum est. Impuritatem eius arguit rubigo, & squamæ; at ad vsum belli, & agrorum habet dignitatem, & robur, nec Medicinæ ignotum, at magis aurum. Quid si de ferro tollas omnem vaporositatem, & rubiginem? vel erit aurum, vel melius auro: quoniam vnitius, durius, robustius, & vtilius: vt infra docebimus.

Ad tertium, argentum, & stannum candidiora sunt auro, non tamen puriora, nam tingunt cartham nigrore, quoniam materialis opacitatis multæ sunt participia. Verum quoniam constant etiam partibus tenuibus multis, quæ faciem opacam obtegunt, videntur auro candidiora ad oculum nostrum; & reuerà si ex sola candida portione constarent: aurum nobilitate vincerent, quod quidem candidum non est, non quia partibus purioribus caret, sed quia æqualibus constat: nec habet illas tenues, quæ suam faciem albificent: sed quale est, tale apparet: argentum autem fallit. Nec purum aurum sic tingit nigrore cartham, vti argentum, quoniam illa puritate caret. Nihil autem prohibet secundum partem aliquid esse melius, aliquid verò secundum totum.

Ad quartum, concedo lapides transpicuos iure pretiosiores: quos tamen in multis aurum superat in vsu. Natura tamen admonet superari opacum à transpicuo. Nec verum est, quod lapides metallis cedunt; sicuti nec aquæ lapidibus, sed in multis vincunt, & vincuntur. Peripatetici tamen quæ plura continent miscibilia dignificant super elementa quoque, vt Alex. in p. de An. & Auer. & hoc falsum est: Viciniora enim cælo digniora in secundis corporibus. In primis verò dignius est cælum terra; sed terra tota secundis omnibus prævalet excepto homine, non respectu corporis, sed animæ à Deo conditæ, & glorificationis futuræ etiam in corpore capacis: sed hoc est gratia, non natura. Habent & lapides virtutes plurimas nobis comparati, vt corallium, & iaspis sanguinem sistens, & Abizoar febrem comprimens; qua autem ratione id faciant in 4. lib. de Sensu rerum; vbi de Magia locuti sumus, inuenies.

Vtrùm vitrum per artem fieri possit flexibile; infrangibile & ductile.

ARTIC. VIII.

AT quoniam diximus aurum propterea non metalla modo sed etiam lapides omnes nobilitate antecellere naturali, at si diaphanum esset vt crystallum longe fore excellentius: quæritur an crystallum & vitrum possit assumere auri tenacitatem, ita vt frangi nequeat sed flecti tantum metallorum ritu: ac proinde fieri pretiosis auro; videtur quod non.

1. Transparentia enim fit ex eo, quòd materia lapidis victa sic à calore est, vt & rusticitatem caloris vis, & opacitatem caloris facies exsuperet obtegatque; hoc autem non fit nisi in cinereas minutias dissocietur materia & mox in fluorem fundatur; ergo non manet gluten, viscositasque vlla, in cineribus omni glifcorride priuatis, ac in vitrum actis. At flexibilitas, vt paruit in textu à viscositate tenaci inest, ergo vitrum non potest flexibilitatem metallicam assumere, deposita lapidea frangibilitate.

2. Item nulla flexibilis res, diaphana vnquam apparuit: nec fieri posse apparet. Vitrum autem diaphanum est; ergo è contra flexibile fieri nequit nisi perdita transpatentia: & tunc non amplius vitrum erit, ex illa pretiosum.

3. Præterea nulla res potest constitui ex duabus differentiis essentialibus duarum specierum disparatarum: non enim homo ex rationalitate & rudibilitate constitui potest, si vna res est, vniusque substantialis formæ. At sicut in textu probatum est flexibilitas seu potius ductilitas, eam præsupponens, est differentia distinguens metallum à lapide, & planta; frangibilitas vero constituit lapidem & distinguit à metallo. Ergo non possunt in vitro simul conuenire.

Resp. difficillimum quidem videri magisterium: quo vitrum fiat ductile ob dictas rationes: at non desperabile, si vera est historia illius, qui Tib. Imperatori hoc ostendit, & in premium mortem accepit. Experimur quidem sicut ex asino & caballa nascitur mulus, sic ex metallicis vaporibus & lapideis, fieri fulmen, saxi metallique gerens imaginem. Item lignum ex luto fieri commassato apud aquas spartas, Princeps Federicus Cesius, Philosophus vidit, collegit mulrum, deditque mihi eruceam maiusculam trium palmorum, quam nulla nota posses fecernere à ligni natura. Præterea ligna, super quibus fabricant veneti, temporis diuturnitate lapidescunt, & in musæo Imparati Neapoli, & Mutieri Parisiis vidimus ligna, frumentum, herbas succo petrifico in lapidem versas. Quapropter non videtur absonum è conuerso lapideum vitrum metallescere mitigata duritie: nam & calybem ex ferro, in vitream naturam fere conuerso, in ferrum molle antimonij ope reuerti vidimus. Quapropter si quis liquefactum vitrum Mercurio, vel plumbo, vel stanno liquefactis nosset incorporare, is videtur mihi posse etiam vitrum ductile ac flexibile efficere: At quomodo non transpicuitatem amitteret opacis commistum metallis?


Resp. si metallum illud per calcinationes, sublimationes, & admistiones aquarum lauaretur (posse enim opacum luto dilutum transpicuitatem assumere indicat saccarum opacum, cum post liquefactiones in aqua siruporum redditur transparens) si quis ergo Mercurium sæpè lauaret, & ne exhalet argenti scobe, vel liquore conglutinaret, & vitro fuso incorporaret, fortasse quod exiis fieret, transpicuum ac ductile corpus foret; similiter ex stanno, & vitro vel ex ferro, vel ex plumbo aliquid mirificum fieret. Non sic ex ære, & crystallo incorporatis; quoniam recedunt ab albedine magis, proptereaque fiet flauum aut puniceum licet transparens. Præterea inuenire aliquid, quo durities fiat mollities absque mistura metallorum aliorum, optimis Chimicis committo; nec desperandum puto: quamuis enim non ita facilis sit mistio hæc veluti ea quæ fit ex ære & plumbo ad constitutionem æramenti, cui plumbum dat plenitudinem & æs neruosi-

tatem quod tamen compositio ex lapide & ferro, qualis in fulmine, neganda videtur, negotium tantum in eo consistit, vt seruetur transpicuitas.

Ad primum Resp. quod in vitro adhuc est aliquod gluten, alioquin in atomas partes dissolueretur, vt euenit fulminatis rebus; eius ergo viscositas modica mista cum metallica multa, qualis plumbea, commassationem facerent elegantem.

Ad secundum, quamuis metallum natura nullum faciat transpicuum, quoniam non vltima actione ignis per quam fit vitrum, generantur; tamen aliqualem habere transparentiam, cum liquescunt, & purificantur, deprehendimus: quæ sæpius calcinata & lota per artem mistáque vitreo fluore, facile in ipsius naturam & faciem verti queat, quemadmodum de aliis opacis experimentum habemus, in transpicua versis corpora.

Ad tertium, essentialis differentia agnoscitur inter lapidem & metallum per frangibilitatem & flexibilitatem, sed aliquid ideale præsupponunt; posse autem fieri saxo metallum & fulmen declarauit; & mistura Chimica. Præterea planta habet flexibilitatem & frangibilitatem, quorum alterum in lapide alterum in metallo; cur etiam non sit aliquid quod ductilitatem accipiat dimissa frangibilitate; quemadmodum de calibe ferrum antimonij vi, probatum est.



QVÆST. XXXI.

DE SECVNDIS DIFFERENTIIS SEcundorum corporum, sequentibus lentorem, mollitiem, viscositatem, fluorem lubricositatem & fumum, & tenuitatem, mirificam explicatio Chimicis gratissima.



QVONIAM in textu posuimus differentias materiales lapidum, & metallorum, & plantarum, & intermediorum corporum (siquidem inter lapides, & metalla mediat Magnes, & electrum, inter metalla, & plantas coralium, & cornu, & pilus: inter plantas, & animalia spongeæ, & agnus Scythicus) eásque differentias deduximus ex gradibus, qui sunt inter constrictionem materiæ, & dilationem summas: vt lentor mollities, viscositas, lubricositas, fluor, liquor, fumus, & flatus: Diximus ergò lapides ex lentore fieri, & fluore, non autem ex viscositate; ideóque frangibiles esse, & quæ minus habent similaritatis in partibus crassis esse etiam friabiles, vti tophus: Propterea que non extendi. Metalla autem duci, & extendi, quoniam tenaci viscositate insuper constant, & fumo. Vnde liquescunt magis, & inflectuntur: plantas verò fluore lentore, fumo, mollitie, & flatu insuper constare, qui spiritus ipsarum est, fluores ad nutrimentum ducens; propterea que frangi sicut lapides ex lentore duriusculo, flectique sicuti metalla ex viscoso. At in seipsas deflecti, ac redire, quod non faciunt metalla, excepto calibe, propter duritiem, quæ flexioni repugnat: licèt ex tenacitate illam patiatur. Intermedia verò intermediis hisce differentiis donata videmus. Distinximus etiam differentias lapidum inter se ex opaco, & transpicuo desumptas, metallorum verò ex duro, & molli puro, & impuro, & ex coloribus: plantarum verò ex laxitudine, & densitate materiæ. Vnde tot differentiæ sequebantur. Nunc autem liber, quas Aristoteles passiones materiales corporibus tribuit, examinare.

Vtrùm sufficienter, rectéque Aristoteles enumeret secundas differentias passiuas corporum.

ARTIC. I.

COncedit Arist.in toto quarto Meteor. qui multis non videtur esse Aristotelis,lapides,& metalla fieri ex aqua,& terra,quod in tertio negarat,solam adhibens exhalationem,& per totum semper humidum, & siccum passiones esse materiei docet, nec aliquando illis vtitur vt actiuis principiis,quod fecerat cum quatuor elementa componit; Summ.3. c.1. nec est capitulum in quo hoc non docet,& humectationem,& siccitatem calori,& frigori,non humori,& siccitati tribuat:à calore autem,& frigore siccantibus,& humectantibus has oriri differentias in corporibus passiuas statuit, vt scilicet. *Aliud sit concretile, aliud inconcretile. Item eliquabile,& ineliquabile: mollificabile,non mollificabile: Tingibile, non tingibile: flexibile,non flexibile: frangibile,non frangibile: friabile,non friabile: impreßibile,non impreßibile: Trahibile,& non trahibile: ductile,& non ductile: fißibile, & non fißibile: secatile,& non secabile; viscosum,fragile; commassabile,& non commassabile: Combustibile, non combustibile: exhalabile, non exhalabile.*

At quidem non omnes differentias videtur Arist.docuisse,& quas docuit, quibusdam coincidere; nec varias esse: primò quidem esse tersum & opacum omisit; quæ maximum præstant notitiam corporum; licet enim à calore,& frigore per se sint, tamen Arist.ab humido opacitatem facit; transpicuitatem verò deberet a sicco,si contrariorum contraria causa,vti docet. At si à rectitudine pororum faciat transpicuitatem, vt in problematis docet; vtique differentiis materialibus annumerare debuisset. Nam fissile, & non fissile à poris declarat.Item poterat addere stridulum,& non stridulum, quoniam à materiæ gracilitate fit.Item coagulabile: & licèt concretili, & non concretili conformentur;tamen alia ratione congelatio fit,atque coagulatio, vt de hydrargiro loquentes diximus.Prærereà sic videtur superfluum:liquabile enim,& incliquabile,cum mollificabili,& non mollificabili conueniunt. Mollities namque ad liquiditatem est via. Quod si pergat,etiam lubricabile,& illubricabile ponendum erat: indurabile,& durabile: lentabile,& illentabile; vaporabile,& non vaporabile. Aliud enim est ipsi ab exhalabili: concoctibile,& inconcoctibile. Videtur autem Arist. non respexisse ad passiones innatas corporibus,sed inferendas ab externis causis. Omnes quippe hæ differentiæ ad externas spectant,quod cum sit,oporrebat ponere concoctibile; refactibile, & inarefactibile: natabile,& mergibile,& alias iam dictas, quæ inferuntur: laudandus sanè est, quoniam ista non spreuit,si tamen eius est liber quartus Meteor.nunc quî illas declaret examinemus.

Vtrùm rationes, & causas dictarum differentiarum Aristoteles bene docuerit.

ARTIC. II.

EXaminando rationes, & causas,quas de illis adducit seriatim: Videtur mihi deficere; quoniam extrinsecè eas declarat, omissis veris, intrinsecisque causis, exceptis quibusdam, nos singulis eas aptabimus.

De Concretili, & Inconcretili.

COncretio,& induratio est idem Aristoteli in seq. cap. Induratio quoque exsiccatio illi est ibidem.Et in 2. de gener.& Cor. *Concretio ergo,* ait, *fit à calido, vel à frigido: à*

calido exprimente humidum : à frigido exprimente calidum. Declarat autem causam qua omnia aquea à frigore concrescunt, *quod congregat homogenea, & eterogenea, à calore autem aqua non concrescit.* Quæ autem terrea non declarat quo pacto concrescant, sed quæ ex aqua, & terra componuntur, ea à calore, & frigore concrescere statuit, & incrassari, vt lac, lutum, sal, & c. cum hac distinctione, *quod quæcunque plus habent aquæ quàm terræ, crassantur ab igne, vt lac; quæ autem plus terra, concrescunt, vt nitrum, sal, lapis, & fictile. Frigus verò exsiccat, & concrescere facit aquam: incrassat verò aerem, vt ait* c. 3. summæ secundæ.

Rursus in c. 2. sum. 3. *Inconcretilia*, ait, *quæcunque non habent humidum aquosum, neque aquæ sunt, sed plus calidi, & terræ, vt mel, & mustum, & quæcunque aquæ quidem sunt habent verò plus aeris, vt oleum, Argentum viuum, & viscosa, vt pix, viscum &c. & ante, oleum, ait, incrassatur ab frigido, & calido : non tamen concrescit, exsiccatúrque, quoniam viscosum est, & aerem habet, quem euaporare non finit: sed incrassatur à frigido vertente aërem olei in aquam. Ab igne autem albescit euaporante aqua: & crassescit, quod marcescente calido ex aere fit aqua successu temporis.*

In hac prima declaratione, ex pluribus capitulis collecta, multa absurda, & sibi, & naturæ contraria colligimus.

1. Primò si à frigido exprimente calidum concrescit aqua : ergò calida natura est aqua, vti nos volumus: quandoquidem naturale est illi esse liquidam, non congelatam: ergo vera docet, sed contra se Aristoteles.

2. Cur Aqua à calore non crassescat, neque concrescat, minimè docet: si enim ex vaporatione induràt, cum euaporet aquam indurabit, oportet ergò ad nostras theses recurrere, quod aqua similaris, ideo non induratur, & quod caloris non est indurare, nisi per accidens, hoc est detegere duritiem, hocque dogma reiiciendum, quod *Calor congreget homogenea per se*, vt de lapidibus loquentes, & alibi docuimus.

3. Si Aqua non crassescit à calore, quomodo Mare potuit illi crassescere; quod purissima aqua elementaris est Peripateticis? sed abscessu tenuium à sole crassum, amarumque redditum Aristoteli contra præsens dogma in Met. 2. lib. docuit.

4. Videtur non intelligere, quæ dicit de incrassatione: si enim calor incrassat educendo tenuitatem: frigus vero condensando, vt dicit de aëre, vtique Nitrum, & sal ab igne concrescunt, & incrassantur, sicuti & lac, sed & idem erit incrassatio, & concretio, quæ fit ab igne. A frigore verò non fit incrassatio, cum non educat tenuitatem, sed concretio, hoc est congelatio, & induratio. Manifestum est enim, quod ignis, vti fatetur aquam non indurat, neque incrassat, quoniam similarium est partium, similiter nec ceram, frigus autem indurat aquam, non tamen incrassat, quia euaporare non facit, sed congregat homogenea, & eterogenea. Errat ergò Arist. & secum pugnat: si autem incrassare est facere spissum, & crassum, vtique frigus omnia incrassat, nedum aërem, quoniam ex raro facit spissum: si autem est per tenuitatis eductionem copulare residentes portiones, tunc solus ignis incrassat, & indurat, sed per accidens, vt sæpè dictum est.

5. De inconcretilibus ineptè loquitur: si enim mustum, vt prius dicebat, est aqua per vitem destillata, & immutata: vocátque aquæ species vinum, vrinam, serum, & quæcunque paruam habent subsidentiam. Ergò falsum est, quod mustum, quia caret aqua non concrescit: sed, & quod in alio capite dicit, Mustum plus terræ, & vinum plus aquæ, vanum est. Nam aquositas Musti in vaporem abit, ita vt statim agnoscas plus aquæ in musto, videtur mihi ludere Arist. dum pro causis non causas adducit. Profectò & mel, & mustum crassescunt à calore euaporante, vt ipse postmodum docet, & concrescunt à frigido indurante, non autem à calido: oportet tamen sæuissimum esse frigus; quoniam plurimum calidi innati habent hæc corpora, nec sinunt se cogi à frigore, à calore autem non coguntur, quoniam eius est rarefacere omnia, & non congregare, vt ait Arist.

6. Quod ait de oleo, & pice, quod non concrescunt ob aërem, & tenacitatem, sed incrassantur, vtique falsum est. Incrassatio enim fit euaporatione. Quapropter non possunt, nisi à calido incrassari. Concretio autem, quæ ab incrassatione seiungitur, est congelatio. Oleum autem congelari vidi ego; sed quoniam calor multus inest rebus vnctuosis à materiæ tenuitate defensus: idcircò sanè à frigore difficile concrescunt; à calore verò nunquam, quoniam omnia rarefacit. At picem duriorem fieri postquam ab igne

correpta frigefcit, exiſtimo verum; quoniam aliqua tenuitas exhalauit,ſed ratio Ariſt. vana eſt,quod aër repugnat concretioni per calorem. Ipſe enim eductione humidi res à calore concreſcere ſtatuit. In oleo autem ponit aquam, & aerem, vtrumque humidum, quod actioni caloris facile obedit: Igitur ſibi ipſi contradicit; nec quid doceat verè nouit; dum ab elementis mutuatur rationes: ſimiliter dum aërem verti in aquam à frigore in oleo ſtatuit: quando incraſſatur,manifeſtè confitetur concretionem: neque enim Aër fit aqua Ariſt. niſi exprimatur, aut moriatur calor: dum verò à ſole albeſcere per aquæ euaporationem docet,vtique incraſſationem fatetur,ſed alborem à calore fieri, non ab aquæ eductione dicere debebat,vt cera,& omnia, quæ blandus calor occupat, docent. Aquam quoque albam eſſe,tranſpicuamque quis non videt? ſed de hoc alibi: nec ex aëre fit aqua in oleo; alioquin minus arderet,ſed fluor conſubſtantialis. Ariſt. errat dum ſuis elementis hæret.

Nota,quod ſanguini concretionem dat abſceſſu caloris: ceruinum verò frigidiſſimum putat,quoniam non concreſcit,nec habet fibras vt ſanguines aliorum: ſed fallitur, non enim frigiditas hinc erat argumentanda, ſed ſimilaritas ſanguinis: ſi enim frigidus citius congelabitur; vt vinum, & aqua ardens, ſponte non congelantur, ſed imitantur ſanguinem ceruinum: ergò Ariſt.loquitur per ambages: villorum carentia poterat ſimilaritatem illi declarare, & ſanioſum ſanguinem non frigidum, ſed calidum dicere oportebat: calor enim iecoris vehemens antequam ſanguinem bellè fundat, ſoluit intenuiſſimum liquorem,quod in hydropicis patet de quo alibi. Vidi etiam virum, cuius ſanguis in vaſe exceptus non coagulatur,inſtar ceruini fluens.

De Liquabili, & Ineliquabili.

Liquabilia, ait,ab humido eſſe, quæ humoris abſceſſu per calorem indurauerant, vt ſal, ſed non ſi induratio fuit tanta,qua molem aquæ intra poros non admittat,vt in latere &c.

2. Quæ autem calidi priuatione per frigus indurauerunt, omnia à calido liquantur; vt æs, glacies, plumbum.

3. Quæ autem ab igne, & frigore indurauerunt, ſunt ineliquabilia, niſi ab aqua, & igne, quæ coire non poſſunt. Ratio eſt, quoniam calor exprimit humidum, tunc à frigido, quod remanet comprimitur, ita vt nec humido deinde relinquat tranſitum introrſum,neque calori, cui frigus inimicum.

4. Item ignis coëgit ipſe, quod autem ipſe facit non diſſoluit, ferrum ergò idcircò inſolubile & lapides,ligna verò iiſdem; ſed quoniam ſunt terræ, & aëris, ideò potius vſtibilia quàm liquabilia.

5. Deinde,ait,quæ ignis eliquat,ſunt aquea, vt omnia metalla; quæ aqua,ſunt terrea, vt ſal,nitrum; quæ à neutro, aut terra,aut amborum:ferrum tamen in cap. altero inter terrea ponit cum cornu, & cortice.

Ad primum in his collectis ex pluribus cap. multipliciter errat Ariſtoteles dùm elementis inhæret ſuis,necdum agnoſcit regulam vniuerſalem noſtram. Omnia ſcilicet à frigore indurari,& à ſolo calore ſolui,qui non indurat, niſi per accidens, & omnia iſta etiam ſoluere aptus eſt,& in fluorem,& vaporem: hac poſita examinemus, quæ ſingula dicit.

Prima Aſſertio eſt erronea,quæ humoris abſceſſu indurauerunt, ab humido diſſolui. Nam vel humidum diſſoluit,quatenus humidum,& ſic potius ab aëre, elementorum illi humidiſſimo ſoluetur ſal, quam ab aqua: cuius ſolius ope ſolui vult ſal: ſi verò ab humido tanquam frigido vult ſolui: ergò frigori dabit virtutem ſoluendi,liquefaciendique,& diſgregandi; quod non ſolum eſt contra nos,& naturam,ſed contra ipſum Ariſtotelem, qui frigoris rationem ponit,quod congreget omninò & homogenea, & eterogenea: liquefacere autem eſt diſgregare,quod caloris eſt opus: vide præterea alteram inconſtantiam, ſtatuit enim quod quia abſceſſu humidi indureſcit ſal, eiuſdem humidi reſtitutione liqueſcat: hæc eſt theſis eius, nihilominus in cap.3. ſummæ ſecundæ. *Nitrum*, ait, *& ſales,ſolubilia ſunt humido,non omni,ſed frigido: quapropter aqua,& aquæ ſpeciebus liqueſcunt: oleo autem non liqueſcunt, ſicco enim calido contrarium frigidum humidum, ſi igitur coëgit alte-*

rum, alterum soluit: sic enim contrariorum contrariæ erunt causæ. Quibus in verbis adhuc inconstantia altera detegitur. Si enim humidum Aristoteli non est actiuum, & ipse in toto libro liquefactiones, humectationes, exsiccationes, copulationes, terminationes fieri à calore, & frigore docet: pati autem ab humiditate, & siccitate; nequaquam humido per se danda erat liquefactio salis, sed vel frigori, vel calori: non frigori, quoniam eius est condensare: ergo calori, & quia per aquam liquescit, in aqua calorem blandum agnoscere debuisset.

Tunc inquirenda erat ratio, qua non soluuntur sales ab oleo calido, humidóque: etenim si quia calidum, tunc ab aqua calida sal non solueretur, & in olla non rectè, nisi liquatum poneretur. Nec quia aëreum est oleum non liquefaciat, vt fortè saluatores Aristotelis effutire possent: nam Aër humidus, calidúsque duplici ratione habet vim liquefaciendi, est enim liquidum omne humidum, calidumque.

Prætereà palam est, quod sal spirantibus Austris ventis humidis, calidisque liquescit, ideóque nos summo frigori, vel igni admouemus, ne soluatur. Igitur palam factum est, quod sal liquescat blandi caloris vi subeuntis, sibique concinnantis. Idcircò ergò ab aqueis rebus, quoniam calidæ sunt calore blando, humore vero aptæ intrudi in salis meatus: melius Plato dixit propter inania salis ab aqua subeunte liquefieri, quàm Arist. ob frigus, assignans causam causæ veræ penitus contrariam.

Cur autem in oleo sal non liquescat ex antipathia venit; cinis namque & sal oleum habent inimicum ob temperiem contrariam: ideóque saponem ex sale, & cinere conficimus, & oleo, ad maculas olei ex vestibus abstergendas: oleum enim inuitat oleum ad humorem, & humorem: cinis, & calx expellunt. Omnia enim vnctuosa corrosiuis contraria: sic medicinas purgatiuas ex similibus inuitantibus, & contrariis expellentibus conficimus: sensus ergo salis cogit suas partes, ne oleum subeat, multúsque calor oleo non est aptus liquefactioni eius: quoniam excedit symmetriam: non enim ab omni calore omnia soluuntur: sed alia à blando, alia à robusto, vt in textu diximus: quod Arist. ignorans in tot absurditates est lapsus. Oleum autem, cui si salis granum imponas, diutius sufficit combustioni in lucerna, non quia frigore salis impeditur combustio, vt scribit quidam medicus: nam à frigidioribus lapillis plus sic impediretur; sed quia ab Antipathia cohibetur olei sensus hilaritas, & expansio; aut attenuatur, vt paulatim affluens plus duret.

Latin. Tancr.

Quod autem calidum, siccum elementare non sit vllum: neque frigus humiditati coïre possit, in prioribus quæstionibus disputauimus; & à Telesio doctè probatum est, & à nobis in Polemicis iuuenilibus contra Martam.

Ad secundum secunda propositio condemnat priorem, si enim fictile non soluitur ab humido aqueo, cum condensatum sit à calido: tunc palam est, quod frigoris non est soluere. Aqua enim Aristoteli est frigidissimum elementum; vtque sæpe repetit, contrariorum effectuum contrariæ sunt causæ. Igitur deberet à frigore solui fictile. Neque enim est de insolubilibus Aristoteli assignanti pro insolubilibus ea solum, quæ à calore, & frigore vicissim agentibus indurruerunt. At fictile in fornace à solo igne calido, siccóque ipsi concreuit, cur non liquescit nunc à frigore, & aqua? Resp. quoniam meatus habet strictos aquam non admittentes. A Platone mutuatur hanc rationem penitus sibi inualidam. Actio enim non est humidi, sed vel frigoris, vel caloris per Arist. frigus autem incorporeum est illi. Ergò potest fictile penetrare, & de facto penetrat, nec tamen soluit, sed potius indurat, ergò fallax fundamentum Aristotelicum. Quæ à calore coguntur, à frigore solui.

Item accipe pumicem, qui à calore concrescit in ethneis fornacibus vndique perforatum; nec tamen aqua subeunte liquabilem, nec à frigore, nisi condensabilem. Ergò positiones Arist, inualidæ. Igitur sal soluitur à calore blando in humido crasso proportionato sali, amicóque; panis verò ab humido etiam, quatenus calido. Nam ab aqua calida citius expanditur: similiter lutum, aliquando impetus aquæ soluit concretum puluerem, non frigus: fictile verò ob crassities, non, nisi à vehementissimo calore soluitur in fornacibus obstructis. Nulla enim res est, quæ igni resistat, hoc patet, quoniam si terram vertit in totentia ignis, vtique soluat illam necesse habet prius, & Arist. hoc dicere tenetur, elementorum inuersiones in inuicem dum celebrat in 2. de gener. & corrupt. Omnia ergò soluuntur.

Regula firmitudo.

soluuntur à blando, vel robusto calore; omniáque indurantur à solo frigore per se: a calore aliqua per accidens.

Ad 3. Tertia Arist. propositio vera est per se, sed insufficiens: nam etsi à calido liquescant metalla, non tamen à frigore indurverunt: sed à calore per accidens educente tenuitates, & ab Amore, & complexu partium, vt dictum est alibi. Item cum metalla à frigore non aqueo, sed terreo Aristotelico indurata sint, Aër enim illi calidus est: & in terra sine aqua ista indurantur, & in fornace Stylensi tellus elaborata fit fluidum ferrum, quod mox in aëre sine aqua indurescit: tunc non possent solui ab igne calido, siccóque, sed ab aëre calido, humidóque; indurata enim sunt à frigido, siccoque, si eius dogma stare debeat paulo ante memoratum; cum destrueretur prima propositio eius: ergò vndique vbique sibi, & naturæ repugnat, & cum non naturæ, sibi tamen.

Ad 4. Quarta propositio imperitissima est, licèt enim difficile soluantur, quæ à calore, & frigore indurverunt, non tamen impossibiliter: ab igne ordinatio verum est. At in fornacibus hæc omnia solui palam est, & tandem in vitrum conuerti, imò omnia metalla vicissim à calore, & frigore indurantur, & tamen liquabilia sunt. Item crystallum à frigore diuturno induratum, & Adamas, videntur inliquabilia, & tamen à solo frigore crystallum Peripateticis concrescit: ergò & tertia, & quarta propositio hinc corruunt. At vtrumque liquefieri à diuturno multoque calore iam docuimus in textu. Adamantem verò ex sanguine hircino, caussámque adduximus. De ferro & lapide mentitur: ergò ratio secunda Arist. est falsa, non enim ignis non soluit, quia ipse coëgit, tanquam opus suum veneretur: sed quia crassa est materia, vt non nisi igne plurimo, diuturnoque, & non exhalante, ne tenuitatis abscessu indurescat, fidem facit ventriculus densissimus struthionis, & columbæ, qui ferrum soluit, & lapillos, vt non solum magnus ignis, sed etiam blandus, dum non exhalet lapis, fundit lapides, & fictile. Aut à frigore diuturno concreta; indigent calore multo: loquitur ergò Arist. per Ambages, & imperitè. Nemini dubium est fornaces considerantii, & ventres animalium, nil esse ineliquabile igni.

Ad quintum propositio, quinta absurda est prorsus, & Aristot. contraria. Primò enim falsum est, quæ ignis eliquat esse aquea: nam tellus à calore vertitur in vapores per Arist. & non fit transitus ad extremum, nisi per medium: ergò prius in liquores, & in plantam vertitur à calore plantæ. Non enim ex sola aqua nutritur planta, quomodo enim ex aqua plantarum ossa, & cortices durissimi fient crassissimique? Igitur & terrea, & aquea à calore funduntur, & omnia vel blando, vel robusto: nam & lapides, & metalla ex terra, in fluores acta, fiunt: & aqua maris ex liquefacta: sal quoque, & nitrum calore liquescere probatum est blando. At etiam in fornacibus à vehementi: à neutro autem corpus nullum non liquescere iam dictum est: sed hoc ignorantissimo vix concedatur, quòd, quæ calor cogit, terrea sunt; debebat dicere, dissimilaria sunt: etenim quæ ignis eliquat, ait, sunt aquea. ergò metalla Arist. sunt aquea: lac, & sanguis, & semen, & alia puriora, & tenuiora, & transparentiora metallis, erunt terrea, quis ista credet? opaca tellus, crassáque transparentium, & tenuium mater erit. Aqua transparens, mollisque tenuisque, opacorum, & crassorum. Vide in quantas nos absurditates Aristot. deducit, ex hoc etiam sequitur, nos vesci posse magis metallis, quam lacte, & salubrius: nam terram manducantes morimur, aquam verò bibentes seruamur: at cum ferrum liquabile igni, terreum facit, propriam sententiam iugulat. Valeat tam rudis scientia hominum allucinatrix.

Plantas etiam liquescere in textu diximus, sed prius comburi, quoniam fumo multo densitati admisto constant, qui statim igni cedit, cæteráſque partes vstioni parat, hoc est, attenuationi, antequam liquescant visibiliter; liquescunt tamen. At vbi factæ sunt cineres, liquescunt; sic lapides vbi calces: quæ non considerauit Aristoteles.

Nota etiam in cap. penultimo Arist. docere, calidiora esse terrea, quam aquea, hæc enim frigidiora, quia igni aqua magis contrariatur. Attamen constare hæc omnia calido alieno, vt vinum, lixiuium, cinis, rectè calidum alienum terræ apponit, & aquæ feruenti. At non terram posse calidam esse, quæ verè sit terra, sed quæ immutata, dicendum erat.

Aquam autem sic: vinum verò calore proprio, & non alieno calore: siquidem hæc est vini natura: si autem calidius est, quod terreum magis, vtique terrestrius erit vinum, quam metallum Aristoteli, & quantæ sequentur ineptiæ, quis non videt? Debuisset ergò dicere, quod materia crassa in alieno loco plus ignis retinet, quam tenuis; in suo autem, vt in sole, & cælo, vel in ficta sphera Aristotelica, plus vigeat ignis in materia tenui, quam in crassa; secundum naturam enim ignis tenuis, vbi autem est in loco alieno, à crassis rebus magis retinetur & in eis plus vnitur, ob causas in textu.

De Mollificabili, & Immollificabili.

DOcens Arist. tertiam differentiam, ait, *Mollificabilia sunt concretorum quæcunque non ex aqua, velut glacies; sed quæcunque terra magis, & neque euaporauit humidum, sicut in sale, neque habet inæqualiter, sicut fictile, sed sunt trahibilia, non existentia humectabilia, aut ductilia, non existentia aquæ, & mollificabilia igne, velut ferrum, & cornu, & ligna,* hæc ille.

Resp. iurarem, quod Arist. nescius quid scriberet, ista dixit, describit extrinsecus, idem per idem, causas non attingit, cur enim humidum in terra remanens æqualiter, hanc dat passionem, non docet: docendum quidem, quando multa terrea sic affecta humido potius indurentur, quàm mollescant igne, vt argilla. Alia liquentur, vt mel: æs verò siccum prorsus idem patiatur. Item quæcunque liquescunt aquæ ipsi visa, similiter molliantur, quod negat in principio: sed à metallis redarguitur: mox docet, quid velit, vt mollescant: scilicet vt sint trahibilia, absque liquefactibilitate.

Hoc enim est humectatio secundo modo dicta Arist. in cap. 2. sum. secundæ, deinde vult, quod talia sint mollificabilia, vt cornu, & pili; sed addit lignum; quod tamen non est trahibile: neque cornu est trahibile, vt posteà exponit; sed solùm pilus, & neruus, & corium. Quapropter nescit quid sibi velit. Deinde addit, vt sit ductibile & non aquæ, vt ferrum: nam cætera metalla ductilia sunt, sed aquæ Aristoteli, ecce quas nugacitates; omnia verba ista dicuntur sine causa: assignanda enim erat, cur ista, mollescunt, & non dicendum solum, quod ista mollescunt. Ratio verò de humido æquali nulla fuit, nec de aqua modica: profectò imponit nobis tanquam pueris, vt reuerenter legamus scripta eius, non autem docet aliquid.

Nos autem dicimus omne liquefactile esse mollificabile, prius enim in lentorem, deinde in mollitiem, deinde in viscositatem, deinde in lubricositatem, deinde in fluorem transit; & tandem in fumum: deinde dicimus etiam ligna, & cornu, & pilos, quæ mollificabilia sunt, posse liquari, non tamen subitò, quoniam ex partibus valde dissimilaribus constant, ita vt subitò ingressus calor separare incipiat, expanderéque, ac proinde lentorem inducere, ac mollitiem. At plus agens calor, antequam partes crassiores molliat, tenuiores educit, inflammàtque, proptereàque sequentes crassiusculas priuatas mollibus, quasi in cremium agit, & in dutitiem, vel in ignis crassi formam. Igniuntur enim quæ fumum igni pabulum præbent: si ergò ligna emolliuntur sui fumi subita expansione, & molis crassæ; sed mox igniuntur, non expectata liquefactione aliarum, vt & lapides calcinantur. At cinis ipse quoque in fluorem redigitur, non tamen quin prius in lentorem, & mollitiem, dum conflatur, licet lateat passio in vehementi igne. Ergò non ex aqua reddenda erat ratio: sed ex fumo, & fluore, & lentore, & densitate commistis cum viscoso in pilis, & ossibus: non sic in plantis, aut non tanto.

De Tingibili, & non Tingibili.

ARistoteles ait, quædam non liquabilia ab aqua, non tinguntur, licèt ab igne liquescant, vt æs; quædam nullo modo liquabilia tinguntur, vt lana, & fructus, & terra, madefiunt enim. *Sunt tingibilia quæcunque terræ existentia habent meatus maiores aquæ mollibus existentibus, durioribus. aqua,* dubitat, & respondet; *quod nitrum liquescit*

aqua, sed non tingitur, quoniam habet meatus per totum, quare diuiduntur mox ab aqua particula; terra liquescit, & tingitur humido, quoniam in terra permutatim sunt meatus, qualiter qualitercunque susceptt, differt passio.

Contra prædicta, equidem arbitror omnia corpora transpicua, & opaca esse tingibilia, si liquescant: nam vitrum liquefactum coloratur colore gemmarum, vt in textu diximus, quocumque: sic fiunt gemmæ falsæ: puto & metallis posse dari colorem liquefactis, non tamen sic facile: opaca enim sunt: opacum autem colorem habet suum, quem permutat ignea actio, & lux concreta. Corpora verò non liquida, ea colorari puto, quæ fluore aquæ mollescunt, ita vt colorem imbibere possint, vt lana, linum, & similia: quæ autem dura sunt, obstructósque meatus habent, colorem in humido non admittunt, nisi liquescant. In superficie tamen colorantur; magis autem opaca, & scabra, quam leuia, quoniam plus bibunt; item ex opacis, quæ albo sunt proxima: nigredo enim colorem non suscipit, quoniam extremus in crassitate, nec recipit: nigrum omnes abiicit, medium eos tantum recipit, qui suo crassiores sunt, vt croceum suscipit viride, & fuscum, sed non è conuerso, nisi plurimo tempore, & calore maceretur; vti credo, locus non datur interrogandi rinctores: sic tamen ratio dictat. Non rectè de his Arist. philosophatur, sed quasi coniectans: neque tellus tingitur, nisi pulueruIenta, & immutata, quoniam suscipit humidum cum colore, hic enim sermo est de his quæ colorantur arte non natura. Nec ex permutatione meatuum hoc fit, sed ex intrusione humidi, & permanentia humefactibilis. Nitrum enim humido soluitur, nec ob meatus per totum, vt Arist. hic ait, sed caloris blandi vi, vt & ab Arist. Vide quod hic Aristoteles meatus pro causa assignat solutionis cum Platone; paulo ante verò assignauit frigus, quoniam à calido concreuerat sal, & nitrum: quod etiam reprobauimus. In nulla positione hic homo subsistit. De liquidis autem quomodo omnia tinguntur nil docet: neque quomodo etiam nitrum, & si liquescat humido colorante, tamen coloratum remanet in sua liquiditate, nolo immorari: nec cur cornu mollificabile, vt lana, non tingitur vt lana, ipse dixit, dicendum quidem.

De Flexibili, & Inflexibili.

Aristoteles de his nullam dat rationem, sed solum ait, *quædam flecti, & dirigi, flexio enim est curuatio, directio est à curuatione in rectum motus, vt in arundine, & vimine: inflexibilia carent hoc motu, vt fictile.*

Hæc Aristot. inani, longóque sermone docet, quasi grammaticus declarans vocabula; rationem autem assignat nullam, cur ista flectantur, illa non. Item nec cur aliqua flexa diriguntur à se ipsis, vt arundo, & calibs; alia verò non diriguntur, vt plumbum, & stannum; vtinam saltem vocabula sufficienter explicasset: ecce quam manca est doctrina Peripatetica. Nos autem in textu horum causas assignauimus densitati, & duritiæ, fluoris, & viscositatis expertibus: hæc enim non flectuntur, vt lapides & ligna durissima, & crassissima: flexionis autem fumum esse causam, & mollitiem, & lentorem palam est, lignum enim viride plenum fumo flectitur magis, quàm aridum, & siccum, cui deest: magnitudo molis etiam est in causa in viridibus, virgula enim flectitur, non truncus. Reflexa autem in se redeunt, quæ duritiem simul participant repugnantem flexioni, vt calibs: non diriguntur quæ minus duritiei habent, & lenta æquè, & similiariori materia constant; vt plumbum, & ferrum, & cætera, ariditatis expertia, non autem lentoris, & viscositatis.

De Frangibili, & Friabili, & oppositis.

Fractio est, ait Arist. *in magnas partes diuisio, & separatio; friatio est in quascunque & plures duabus. Quæcunque autem sic concreuerunt, vt multos habeant vicissitudinatos meatus friabilia sunt, vt glacies, & lapis. Quæcunque verò non multum, frangibilia, vt lignum. Quæcunque autem ambo, ambo, vt fictile.*

Rectè concretorum passionem ponit Friabilitatem: non tamen rectè definit: non enim meatuũ vicissitudo est causa friabilitatis in glacie, quæ cum ex aqua benè sibi cohærente ob flexibilitatem fiat, meatus varios non patitur, sed tota æqualis consistentiæ, æquè concrescit: non negem tamen aërem glaciei interponi, at experti videmus, vt non tanta eum diuersitate quanta in topho. Meatus autem in his quę diuersæ sunt cõsistentiæ, ægrè compinguntur, interiacent multiplices, sicut in topho ex arena, & fluore composito absque viscositate. Causa ergò friabilitatis est vel consistentia dura absque glutino viscoso, vt in glacie: cuius partes cum sint æquales non minus hic, quam ibi fractionem admittunt, vnde fit, vt in plures fiat simul diuisio: id quod & lapidibus aduenit: sed reuerà non debent dici friabiles, nisi tophi, & qui concrescunt ex minutis partibus, diuersisque, ægrèque fluore indurato cõglutinãtur: sic sunt omnia pulueruleta arenosa: lapides autem & glacies, licèt in plures frangantur partes ob dictam causam, friabiles non rectè dicũtur. Contingit & lignum in plures partes infringi, maximè siccum, & arundinem, sed non dicitur friabile, quoniam partes separantur, non dissiliunt ab inuicem: nec est verum, quod pauciores poros habeat lignum, quàm glacies, imò plures, & vicissitudinatos; vt patet ossium inspicienti aridum poris plenum, quod tamen frangibile Arist. diceret: non sunt pori in causa; sed ratio consistentiæ: & frangibile flexibili opponitur, quoniam hoc abundat humido, vt plumbum; illud arido, vt lapis. Arbor autem vtrumque patitur, quoniam vtroque separatur, & viscoso continetur, vt dictum est. Fictile autem frangibile potius est arido abundans: friabilitas autem inest ex varia consistenti animus vel ex nimis æquali absque viscoso.

De Impreßibili, & Formabili, & horum contrariis.

Impreßibilia, ait Arist. *sunt, quæ cedunt secundum partem in profundum tangenti, quæ retinent impreßionem, sunt etiam formabilia, vt æs, & cera: quæ autem non cedunt, vt fictile, aut cedunt secundum totum, non secundum partem, vt aqua, non sunt impreßibilia: nec quæ cedunt secundum partem, at non retinent figuram tangentis, erunt formabilia, vt lana, & spongia: reuertuntur enim pressa quædam ægrè, quædam facilè imprimuntur.*

Hæc Arist. Ego autem omnia mollissima, & fluida, & impressibilia, & formabilia dico, non tamen retentiua impressionis, & formæ: quoniam subitò partes in se reuertuntur, & aliò diffugiunt, causa tamen horum est mollities cedens, & non reuertens, non reuersionis causa est lentor cum densitate viscosa, vt in cera: versionis verò est durities cum viscositate, vt in carne, in spongia autem fluor terminis propriis carens, semperque alios insequens: de quibus alias, vt in aqua. Potest & humoris intra crassitiem plenitudo facere idem, aut flatus, vt in carne, & vesica vento plena, quæ &c.

De Preßibili, & non Preßibili.

Preßibilia sunt Arist. quæ pulsa coire possunt in se in profundum, nec superficies diuiditur, aut transfertur pars alia alio, vt in aqua. Quapropter premuntur, quoniam habent meatus vacuos, cognati corporis plenos, tamen molliores, vt spongia, cera, caro. Non preßibilia verò sunt, quæ coire non possunt, aut quia pars alia aliò transfertur, aut quia meatus non habent, aut plenos habent durioris corporis, vt aqua, & ferrum, &c.

Hæc ille. At mihi videntur pressibilia omnia mollia; & quæ extant expansiones post mollitiem. Premitur enim fluor, & aqua, sed tamen diffugit figuram prementis ob fluxibilitatem, non resistit. Caro verò pressa suscipit figuram, & posteà in se reuertitur, quoniam viscoso tenacique cum fluido, spatium suum repetente, constat: sic & spongia viscoso gracili, nec propter poros cedit comprimenti; cum caro, & aqua minus porosæ magis cedant, sed propter mollitiem: nam pumex porosa, plenaque molliori corpore, id est aëre, non cedit. Cedunt ergò omnia, quæ molem habent expansam, ita vt possit cogi; quæ autem habent coactam ita vt magis cogi non possint, prementi non cedunt, vt later, & adamas &c.

De Trahibili, & non Trahibili.

Trahibile est Aristoteli, quod transferri potest admouens, planum, continuum existens, vt pilus, neruus, corrigia, viscum, pasta.

Non trahibilia verò si non transferuntur secundum superficiem vt lapis, aut continuum non seruatur, vt aqua. At spongia pressibilis est non trahibilis; lana pressibilis, & trahibilis: pituita trahibilis, non pressibilis.

At mihi videtur omne pressibile trahibile, licèt subitò rumpatur, vt tractio non sentiatur. Omne enim tale viscositatis est particeps. Viscosum autem trahibilitatis est causa. Arida autem entia non trahuntur: potius enim subitò discontinuantur, quod aqua non statim patitur, nec pituita: insequuntur quippè mouens, vel tantillum. Lapis autem nihil, de spongia verò mentitur: nam manifestè trahitur, licèt non adeò vt pilus, & funis. Cur autem tracta reuertantur, etiam tenacitas est in causa, mista tamen arido. Fracta enim non reuertitur ariditatis defectu: sic dicebamus de flexione. Arist. autem horum rationes reddidit nullas. Filabile autem non tractione, sed continuationis catena filatur ex flocculis trahibilibus.

De Ductili, & non Ductili.

Ductilia sunt Aristoteli *quæcunque eadem percussione possunt simul in latus, & in profundum secundum superficiem transferri secundum partem. Non ductilia, quæ non possunt. Omnia ergò ductilia sunt impressibilia, non tamen è conuerso, vt lignum imprimitur, non ducitur. Pressibilia tamen alia ducuntur, vt cera, & lutum: alia autem non, vt lana, & aqua.*

Hæc ille rationem tamen non reddit ex suis elementis: nobis autem patet ex dispositionibus inter rarum, & densum. Lentum enim cum viscositate facit ductilitatem, impressibilitatem: cum duritie verò abiicit, vt in ligno: liquor verò diffluit, tenacitatis expers, vt patet ex dictis. Falsò ergò ductilia Arist. prius aquea vocauit, quæ si concrescat, non est tamen ductilis.

De Fissibili, & non Fissibili, Secabili, & non Secabili.

Fissibile, ait, *est quod ad plus potest diuidi, quam diuidens diuidit: præcedit enim diuisio, non sic autem in sectione. Causa est habere meatus secundum longitudinem, secundum quos adnascuntur inuicem, non autem secundum latitudinem. Ideo mollia non sunt fissilia, neque dura omnia: sed quæcunque humida. Neque impressibilia, neque friabilia; secabile autem est quod diuiditur, nec maior diuisio præcedit: nec diuisa comminui possunt. Idem est secabile, & fissibile vt lignum: sed sectio potius est secundum latitudinem, fissio secundum longitudinem.*

Rectè describit, non tamen rectè probat: causa enim fissionis est compositio corporis ex multis filis secundum longitudinem, quod patet in neruo, & carne, & fibris. Continentur autem glutino, quo arefacto finduntur, quoniam iam ab inuicem aliquo pacto discontinuabantur. Vnde lignum siccum potius finditur, quam viride in hoc enim tenacitas humoris præcessionem discontinuitatis non subito tantam admittit: patet autem quoniam durissima statim secundum totum finduntur, nulla tenacitate præpediente, vt lapis, & crystallum. Viscosa verò secundum nihil, nisi difficulter, vt metalla, & caro: plantæ autem in medio sunt, & addunt fumum in poris, & humorem inter aridas fibras.

De sectione non satis philosophatur. Nam si sectio est fractio coincidit ratio huius cum illa: si autem est vera sectio per ferram, aut gladium, aut aliud acutum corpus facta, tunc commune corpus secabile est, secundum magis, & minus: minimè autem omnium viscosa metalla. Damasceno quidem ferro cedunt & hæc, ægrè tamen: secantis autem vires considerandæ: nam etsi nobis aliqua sunt insecabilia, non tamen Orlando frangenti ferrum, vt fabulæ narrant: durities tamen arida potius fractionem, quam se-

Rectè concretorum passionem ponit Friabilitatem: non tamen rectè definit: non enim meatuũ vicissitudo est causa friabilitatis in glacie, quæ cum ex aqua benè sibi cohærente ob fluxibilitatem fiat, meatus varios non patitur, sed tota æqualis consistentiæ, æquè concrescit: non negem tamen aërem glaciei interponi, at experti videmus, vt non tanta eum diuersitate quanta in topho. Meatus autem in his quę diuersæ sunt cõsistentiæ, ægrè compinguntur, interiacent multiplices, sicut in topho ex arena, & fluore composito absque viscositate. Causa ergò friabilitatis est vel consistentia dura absque glutino viscoso, vt in glacie: cuius partes cum sint æquales non minus hic, quam ibi fractionem admittunt, vnde fit, vt in plures fiat simul diuisio: id quod & lapidibus aduenit: sed reuerà non debent dici friabiles, nisi tophi, & qui concrescunt ex minutis partibus, diuersisque, ægrèque fluore indurato cõglutinātur: sic sunt omnia pulueruléta arenosa: lapides autem & glacies, licèt in plures frangantur partes ob dictam causam, friabiles non rectè dicũtur. Contingit & lignum in plures partes infringi, maximè siccum, & arundinem, sed non dicitur friabile, quoniam partes separantur, non dissiliunt ab inuicem: nec est verum, quod pauciores poros habeat lignum, quàm glacies, imò plures, & vicissitudinatos; vt patet ossium inspicienti aridam poris plenum, quod tamen frangibile Arist. diceret: non sunt pori in causa; sed ratio consistentiæ: & frangibile flexibili opponitur, quoniam hoc abundat humido, vt plumbum; illud arido, vt lapis. Arbor autem vtrumque patitur, quoniam vtroque separatur, & viscoso continetur, vt dictum est. Fictile autem frangibile potius est arido abundans: friabilitas autem inest ex varia consistenti animus vel ex nimis æquali absque viscoso.

De Impreßibili, & Formabili, & horum contrariis.

IMpreßibilia, ait Arist. *sunt, quæ cedunt secundum partem in profundum tangenti, quæ si retinent impreßionem, sunt etiam formabilia, vt æs, & cera: quæ autem non cedunt, vt fictile, aut cedunt secundum totum, non secundum partem, vt aqua, non sunt impreßibilia: nec quæ cedunt secundum partem, at non retinent figuram tangentis, erunt formabilia, vt lana, & spongia: reuertuntur enim pressa quædam ægrè, quædam facilè imprimuntur.*

Hæc Arist. Ego autem omnia mollissima, & fluida, & impressibilia, & formabilia dico, non tamen retentiua impressionis, & formæ: quoniam subitò partes in se reuertuntur, & aliò diffugiunt, causa tamen horum est mollities cedens, & non reuertens, non reuersionis causa est lentor cum densitate viscosa, vt in cera: versionis verò est durities cum viscositate, vt in carne, in spongia autem fluor terminis propriis carens, sempérque alios insequens: de quibus alias, vt in aqua. Potest & humoris intra crassitiem plenitudo facere idem, aut flatus, vt in carne, & vesica vento plena, quæ &c.

De Preßibili, & non Preßibili.

PReßibilia sunt Arist. quæ pulsa coire possunt in se in profundum, nec superficies diuiditur, aut transfertur pars alia alio, vt in aqua. Quapropter premuntur, quoniam habent meatus vacuos, cognati corporis plenos, tamen molioris, vt spongia, cera, caro. Non preßibilia verò sunt, quæ coire non possunt, aut quia pars alia aliò transfertur, aut quia meatus non habent, aut plenos habent durioris corporis, vt aqua, & ferrum, &c.

Hæc ille. At mihi videntur pressibilia omnia mollia; & quæ extant expansiones post mollitiem. Premitur enim fluor, & aqua, sed tamen diffugit figuram prementis ob fluxibilitatem, non resistit. Caro verò pressa suscipit figuram, & postcà in se reuertitur, quoniam viscoso tenacique cum fluido, spatium suum repetente, constat: sic & spongia viscoso gracili, nec propter poros cedit comprimenti; cum caro, & aqua minus porosæ magis cedant, sed propter mollitiem: nam pumex porosa, plenaque molliori corpore, id est aëre, non cedit. Cedunt ergò omnia, quæ molem habent expansam, ita vt possit cogi; quæ autem habent coactam ita vt magis cogi non possint, prementi non cedunt, vt later, & adamas &c.

De Trahibili, & non Trahibili.

Trahibile est Aristoteli, quod transferri potest admouens, planum, continuum existens, vt pilus, neruus, corrigia, viscum, pasta.

Non trahibilia verò si non transferuntur secundum superficiem vt lapis, aut continuum non seruatur, vt aqua. At spongia pressibilis est non trahibilis; lana pressibilis, & trahibilis: pituita trahibilis, non pressibilis.

At mihi videtur omne pressibile trahibile, licèt subitò rumpatur, vt tractio non sentiatur. Omne enim tale viscositatis est particeps. Viscosum autem trahibilitatis est causa. Arida autem entia non trahuntur: potius enim subitò discontinuantur, quod aqua non statim patitur, nec pituita: insequuntur quippe mouens, vel tantillum. Lapis autem nihil, de spongia verò mentitur: nam manifestè trahitur, licèt non adeò vt pilus, & funis. Cur autem tracta reuertantur, etiam tenacitas est in causa, mista tamen arido. Fracta enim non reuertitur ariditatis defectu: sic dicebamus de flexione. Arist. autem horum rationes reddidit nullas. Filabile autem non tractione, sed continuationis catena filatur ex flocculis trahibilibus.

De Ductili, & non Ductili.

Ductilia sunt Aristoteli quæcunque eadem percussione possunt simul in latus, & in profundum secundum superficiem transferri secundum partem. Non ductilia, quæ non possunt. Omnia ergò ductilia sunt impressibilia, non tamen è conuerso, vt lignum imprimitur, non ducitur. Pressibilia tamen alia ducuntur, vt cera, & lutum: alia autem non, vt lana, & aqua.

Hæc ille rationem tamen non reddit ex suis elementis: nobis autem patet ex dispositionibus inter rarum, & densum. Lentum enim cum viscositate facit ductilitatem, impressibilitatem: cum duritie verò abiicit, vt in ligno: liquor verò diffluit, tenacitatis expers, vt patet ex dictis. Falsò ergò ductilia Arist. prius aquea vocauit, quæ si concrescat, non est tamen ductilis.

De Fissibili, & non Fissibili, Secabili, & non Secabili.

Fissibile, ait, est quod ad plus potest diuidi, quam diuidens diuidit: præcedit enim diuisio, non sic autem in sectione. Causa est habere meatus secundum longitudinem, secundum quos adnascuntur inuicem, non autem secundum latitudinem. Ideo mollia non sunt fissilia, neque dura omnia: sed quæcunque humida. Neque impressibilia, neque friabilia; secabile autem est quod diuiditur, nec maior diuisio præcedit: nec diuisa comminui possunt. Idem est secabile, & fissibile vt lignum: sed sectio potius est secundum latitudinem, fissio secundum longitudinem.

Rectè describit, non tamen rectè probat: causa enim fissionis est compositio corporis ex multis filis secundum longitudinem, quod patet in neruo, & carne, & fibris. Continentur autem glutino, quo arefacto finduntur, quoniam iam ab inuicem aliquo pacto discontinuabantur. Vnde lignum siccum potius finditur, quam viride in hoc enim tenacitas humoris præcessionem discontinuitatis non subito tantam admittit: patet autem quoniam durissima statim secundum totum finduntur, nulla tenacitate præpediente, vt lapis, & crystallum. Viscosa verò secundum nihil, nisi difficulter, vt metalla, & caro: plantæ autem in medio sunt, & addunt fumum in poris, & humorem inter aridas fibras.

De sectione non satis philosophatur. Nam si sectio est fractio coincidit ratio huius cum illa: si autem est vera sectio per ferram, aut gladium, aut aliud acutum corpus facta, tunc commune corpus secabile est, secundum magis, & minus: minimè autem omnium viscosa metalla. Damasceno quidem ferro cedunt & hæc, ægrè tamen: secantis autem vires considerandæ: nam etsi nobis aliqua sunt insecabilia, non tamen Orlando frangenti ferrum, vt fabulæ narrant: duritiés tamen arida potius fractionem, quam se-

ctionem petitur; tenax fectionem: humida diuifionem fimplicem.

De Vifcofo, & Fragili.

Vifcofum, inquit Arift. *eft cum trahibile, aut humidum exiftens molle fuerit: tale autem funt quæcunque alterna permutatione, veluti catenæ componuntur corporum. Hæc enim ad multum poffunt extendi, & coire; quæcunque autem non funt talia, fragilia.*

Hæc Arift. non ex fuis elementis elicit, fed ex Democriteis atomis variarum figurarum, nec rectè definit vifcofum, nifi extrinfecus. Quod fit trahibile, molle; vel humidum molle. Et aqua enim eft humidum molle, & lubricofitas. Nobis verò vifum eft, vifcofum effe craffities repugnans indurationi, patet enim ex aqua fluida, & farina ficca, dum hoc repugnant huic, fieri gluten.

De Commaffabili, & Incommaffabili.

Commaffabilia, ait, *funt, quæcunque preßibilium manentem habent compreßionem; quæ autem aut preßibilia non funt, aut non manentem habent compreßionem, incommaffabilia dicuntur.*

Caufam non adducit, neque exemplum, fed lutum commaffabile videmus, & picem, non autem carnem, & aërem, & lanam, & arenam: quoniam liquoribus commaffantur omnia commaffabilia: illa autem hoc patiuntur, quæ minutiffima funt, ac fimul vifcofitatis participia. Non enim fragmina minutiffima vitri commaffantur, licèt minuta fint. Arida enim funt, neque puluis fictilium; ex quibus expreffus eft omnis humor; non tamen argillarum puluis. At neque grana tritici, quoniam minuta non funt, in farinam tamen redacta commaffantur, quoniam & minuta, & non prorfus arida. Lana autem arida, & arena mifceri poffunt, tamen aliis glutinis non fuis. Aër verò effugit commaffationem, nifi cum aëre, & fumo: oportet enim & cognationem habere commaffabilia.

De Combuftibili, & Incombuftibili, exhabili, & Inflammabili Carbonabili.

Combuftibilia, ait, *funt quæcunque habent meatus fufceptiuos ignis, & humiditatem in his, qui fecundum directum meatibus, debiliorem igne. Quæcunque autem non habent, aut fortiorem, veluti glacies, & lapis, & quæ valde viridia, funt incombuftibilia.*

1. *Exhalabilia autem funt quæcunque habent humiditatem euaporantem vnà cum ignitis.*

2. *Eft vapor excretio madefactiua ex humido in aërem, & fpiritum à combuftiuo calido.*

3. *Exhalatio autem eft concretio ficci, & humidi fimul: ideo non madefacit, fed colorat magis, talis eft fumus ignis, pilorum, offium, &c.*

4. *Vt Empedocles ait, pinguis ipfius exhalatio, fuligo; vnctuofi Nidor.*

5. *De hinc, ait, oleum exhalare, non euaporare, quoniam pingue; fic & pingue vinum, dulcéque. Alia verò euaporare.*

6. *Diffoluuntur in cinerem omnia combuftilia, hæc autem funt, quæ concrefcunt, aut calido, aut frigido, calidoque. Hæc enim vincuntur ab igne: minimè autem carbunculus lapis.*

7. *Combuftibilium inflammabilia funt quæcunque poffunt mittere flammam; & quæcunque non humido exiftentia exhalabilia funt. Pix autem, & cera magis cum aliis, quam per fe inflammabilia; maximè autem emittentia fumum.*

8. *Carbonabilia funt quæcunque horum terræ plus habent, quam fumi.*

9. *Quædam funt liquabilia, & inflammabilia, vt thus; quædam inflammabilia non liquabilia, vt lignum; quædam è contra, vt æs, caufa eft, quia ligna totum fimul habent humidum, & per totum continuum, vt perurarur. Æs autem fecus vnamquamque partem, non continuum autem, & minus quam, vt flammam faciat. Thus autem hanc quidem fic; hanc autem illo modò.*

10. *Exhalabilia ea funt inflammabilia, quæ non liquantur; proptereáque magis funt terra.*

Siccum enim habent commune igni, quod incalescens, ignis fit: flamma est fumus ardens, lignorum igitur Exhalatio fumus.

Ceræ, thuris, & picis, & talium fuligo; olei, & oleosorum Nidor, & quæcunque minimè ardent sola, quia paucum sicci habent, transitus autem per hoc: cum altera autem citissimè, hoc enim est pingue, siccum, vnctuosum.

Exhalantia igitur humidorum humidi magis sunt. Ardentia autem sicci.

Ad 1. Nequaquam videntur pori, præsertim directi, solum esse combustionis causa, vt Arist. loquitur ad sola respiciens ligna: nam & bitumen, & sulphur alio modo poros habentia, vel nullos, etiam comburuntur, & Diaphana Arist. habent meatus rectos & pumix, nec vruntur. Causa ergò combustilitatis est facilitas patiendi ab igne. Facilè patientur, quæ minus resistunt quià similia: propterea ergò omnia fumosa pinguia percalida, & ab igne passa, vruntur magis: sic magis lignum exsiccatum à calore, quam viride, non solum ob poros admittentes ignẽ, sed ob præparationem: sic transpicua lucem magis admittunt, quoniam caloris sunt opus: humidum quidem pabulum calidi esse dicimus, frigorique inimicum, quod Arist. inuitus fateatur: glacies enim frigoris ope amittit humiditatem aqueam, & siccitatem acquisiuit Aristoteli: benè quidem viridibus combustionem negat, quia poros habet occlusos nimio fluore crasso; ita vt crassities sit in causa, non humor. At magnus ignis qualis fornacum statim viridia vrit; & aqua plus accenditur. Non enim aqua, & humor, qua inimicus igni, vt putat Arist. sed quà obstruit meatus, ex quibus fumum in flammam vertibilis, exit, extinguit ignem lignorum. At fiunt arte ignes in bitumine, & sulphure, qui in aqua ardent magis, quàm extra. Calx quoque aqua accenditur, quoniam tota ignita fuit, nec ex poris expectat fumum accendibilem. Aqua autem non quia humida non ardet, cum aqua ex vino extracta tenuior, humidiorque, & humidum oleum, vocatum Homero, statim ardeant: sed quatenus crassa est, & pinguedinis tenuis expers ita, vt in lucerna nõ attenuetur, & ignito elychno administretur: cuius calor impotens est huic muneri, non autem calor bituminis, & picis, & sulphuris, ex quibus fiunt ignes aqua ardentes; Sunt etiam fluuij, in quos immersæ faces igniuntur, teste Plinio, & ignes aqua nutribiles nemo ignorat, puto sulphureos, aut huiusmodi.

Ad secundum verè exhalatio datur, & mollior, & crassior; nulla tamen sicca, vti ipse putat, nisi quæ fuligini est admista: fuligo autem non est exhalatio pingui ex materia, sed vndequaque potest educi: est enim minuta particula crassa ex meatibus combustorum entium extracta vnà cum tenui vapore: proptereáque sursum ferri potest, quoniam minuta est, & tenuitati admista: ex hac fuligine nos fulmina composuimus, patet autem in caminis, vbi plurima à fumo relinquitur, eius crassities minuta, viscosaque: nigredo verò, quæ ex oleo educitur, vt patet superponenti laterem album, statim in nigrum verti visum, non est olei particula nisi sit crassum, amurcáque mistum: sed videtur esse mixi ardentis tenuis crassities fuliginosa, non enim ex pingui aëreo albo fuligo, sed opaca crassitie terrena magis exhalat. Arist. autem Empedoclem secutus videtur deceptus: siccitas ergò non ẽst in vapore, & exhalatione, quatenus est tenuis pars è crassis expressa, sed quatenus crassities cum eis minuta elabitur. Idcircò ex similaribus liquidisque rebus vapor eductus, similaris est, & madefactiuus; ex lignis verò dissimilaris, & coloratiuus: fuligini enim admistus est: sic qui ex sulphure exhalat croceos facit pilos, & albos suo nimirum principio, & admistæ crassitiei persimiles. Odor namque idem in vapore, & sulphure: adhuc ergò seruat qualitatem rei, ex qua exhalat. Nidor ex vnctuosis, vnctuosus est vapor eadem ratione. Responsum ergò est ad propositiones quinque.

Ad sextum, non omnia, quæ comburuntur, cinerem relinquunt, sed quæ dissimilaria sunt ex crassitie, & tenuitate composita. Aqua enim fornaci iniecta comburitur, & flammescit: similiter aqua ex vino extracta: haud tamen etiam cinerescit; nec omnia comburuntur, quæ concrescunt à calido: non enim fictile comburitur licèt igniatur, vt ferrum. Neque quæ ab vtroque calido scilicet, & frigido: crystalla enim, & lapides non vruntur, sed tantum, quæ ex fumoso, & crasso, & lento corpore simul constant, aut solo pingui. Vnde etiam tellus ardens reperitur in Frisia, quoniam bituminosa, &

oliginosa est. Puteolis etiam, quoniã sulphurea: at facta est sulphurea, quoniã prius vsta est. Omnia ergò sunt igni combustibilia: sed alia inter angustias, alia vna via alia multis. Siquidem & liquefieri, & quoddam vri est ad vstionem via. Inflammatio tamen in liquido ferro non fit, quoniam crassus est liquor, non fumosus, flamma autem fumus est: est tamen accensio in suo genere: sic omnis expansio materiæ per calorem acta, est aliqualis accensio: est enim accensio ignis procreatio ex materia aliena; omnis autem talis passio ab igne est assimilatio ad ipsum, & præparatio, vt palam est.

Ad septimum, falsa est, in quo inflammationem ponit absque humido, sine quo nullo potest fieri modo; in sicco autem vix carbones inuenies, nisi aliquis insit humor: quo expresso, cinis relinquitur solus. Ideò octaua verior.

Et nona contradicit huic, ait enim, ligna comburi, & inflammari, quoniam habent humidum per totum: quod verum est nobis; ipsi autem contrarium. Præterea ipse vult intelligi humidum aqueum: nam in prima propositione distinguit de humido debiliori, & fortiori, quàm ignis sit, & exemplificat in glacie, & ligno viridi, & sicco; sed hoc humidum non est per totum in ligno, vti in ære, cuius materies Aristoteli in hoc libro est aqua. Ligni autem aqua, sed plus terræ: de Thure verò nugatur: quomodo enim potest esse per totum, & per partem in eo humidum, in ligno verò solum per totum? Si enim per totum; ergo & per partes: causa igitur cur vrantur ligna est fumositas cum suo sicco, & humido: non autem liquescant ob dissimilaritatem, quam superiori paragrapho declarauimus. Æs autem liquescit igne multo, quoniam densior, & similarior; non autem inflammatur, quoniam crassus est liquor, & totus liquescit, non autem aliæ partes in crassum flammabilem prius fumum abeunt. Thus vero ex crassis dissimilaribusque: sed non densis, & terreis constat æqualibusque, vt æs; habet etiam pinguedinem, & accendibilitatem, quoniam fluor in quem vertitur, aptus est & in fumum abire ob pinguem tenuitatem, & inflammabilem: sic autem minimè fluor æris.

Ad decimum, pluribus refectam erroribus, negamus, quæ non liquantur ideò inflammari exhalabilium, quoniam sunt terrea. Nihil enim magis resistit tenuissimo, calidissimóque igni, quam terræ crassities frigidissima: idcirco, quæ sunt maximè terrea, vt fictile, & cinis difficillimè liquescunt, & igniuntur. Fumus autem terræ non est, sed potius aëris, pars enim tenuior est ligni, crassities verò ligni terrea est, quod in lib. de coloribus, & alibi passim Arist. docet, cinerem faciens puram terram, fumum verò combustibilem igneum. Sed positionis tenax falsæ, quod terra cum igne habeat symbolum in siccitate: nunc falsiora effutit: ipse quoque sæpe probauit pabulum ignis esse humidum, & in hoc paragrapho, & terrea minus obedientia igni: & oleum quia aëreum facilè inflammari; quomodo ergò nunc siccitatem terream combustioni adaptat? Quod ait de fuligine, non intelligit: fumi nigredo est à fuligine opaca, terreáque, sed non ipsa pabulum flammæ, sed tenuitas, vt dictum est.

Ratio autem, quare oleum, & pix sola, minimè ardent, quoniam carent sicco terreo, inanis est. Ignis enim, qui apud nos accenditur, continuò sursum ad cognatum euolat cælum, quapropter indiget crasso corpore, vt stet, immoretur, & augeat: & per quod oleum paulatim suppeditetur, ne totum simul in flammam actum euanescat: sic in lucernam myxum ponimus, non tamen terrenæ crassitiei, sed passæ ab igne, & lentæ, mollisque: ligna autem oleo, & pice illita, magis igniuntur, & flammas præbent grandiores, quoniam stabilior est ignis in corpulenta mole apud nos, quàm in exili, gracilique: in suo autem loco, vt in sole gaudet tenuissima, vt in textu loquebamur.

Fluida prætereà corpora sola non ardent, quoniam ardor est conuersio fluoris in fumum ignitum: illam conuersionem non potest calor non vnitus facere, vnitur autem in materia crassa apud nos. Præterea dum accenditur vna pars, ab alia suffocatur vapor flammescens: sic enim dicebamus oleum & aquam extinguere ignem, quatenus obstruunt poros, ex quibus nutrimentum flammæ exibat; hocque fieri viscositate molis, non actione: neque enim in aquam ignis ille extinctus conuertitur: hac ratione oleum per se non ardet, sed aliquid supereminens, ne suffocetur vapor; requiritur in oleo. Incendia tamen magna vincunt ipsos liquores, antequam descendant ad flammarum orificia obstruenda.

Quod

Quod vltimo addit, insufficienter dicitur. Nos autem in textu docuimus, quis calor, quibus è rebus, quam educat tenuitatem, vt magnificè Telesius considerat: liquescit in igne cera, sed non inflammatur, quoniam tenuitas eiusdem liquoris tota simul fieret, & distillaretur; nec stabile subiectum, & accensionis principium obseruaret, vt facit carboni, & elychno admista: sulphur tamen minus difflabile, & napta, principium seruant in sua crassitie, nec indigent corpore crassiori. At sulfureus ignis minus accendit per se, sed in ligno magis, quoniam vnitur magis, & robur copia acquirit: lux etiam disgregata non vrit, vnita in speculo vrit. Credo ignes fatuos idcirco non vrere, quoniam in exilissima materia, quasi lux in aëre inhærent.

De Natabili immergibilique quod densitate, & raritate, non autem pondere differant, palam est. Hebenum autem densum, fumique pauci, mergitur, & lapillus: non autem quercus ingens. At & figura confert, nam & extensum æs in laminas supernatat: multam enim ambit aquam, quam non potest profundere à lateralibus aquis fultam. De cæteris differentiis non est quod dicam, in textu sunt claræ, & ex his.

Vtrùm omnes differentiæ primæ materiales procedant à calore & frigore actiuis, & primis passionibus, constrictione videlicet summa, summáque expansione.

VIdetur quod non: omnis enim effectus reducitur ad suam causam per se: ergò sicci est exsiccare, per se enim id facit. Calor verò per accidens; prius autem quod per se. Sic Humidi est humectare per se, non autem frigoris, aut caloris, nisi per accidens.

2. Si expansio materiæ est causa humidorum: ignis expansiuissimus erit humidus, omnibus autem videtur siccus, nedum Aristoteli.

3. Vitrum induratur non à calore, nec à frigore. Induratio ergò est opus duri, & siccitatis, non primarum potentiarum nobis positarum.

SED Contra est Sapient. Salom. vbi habetur, quod ignis omnia soluit. Item in 47. Psalm. Induratio crystalli, & Meteorologicorum frigori tribuuntur. Induratio autem est constrictio, solutio est expansio. Arist. quoque in 4. Meteor. exsiccationes frigori, & calori tribuit; similiter humectationes, & omnes alias materiales passiones non semel, sed in omni capitulo. Hoc autem & in principio disputauimus, in hoc tamen damnandus, quoniam exsiccationem calori per se committit: si enim frigus per se exsiccat: ergò calor per accidens, non enim idem effectus per se à causis contrariis effici potest; quod & ipse passim docet. In aliis verò locis sibi contrariatur: plurimique Medicorum non naturam, sed passionem corporis nostri considerantes, consentiunt; de graui, & leui dictum est in principio. q.

Ad primum respondetur, quod effectus per se caloris, est calefacere, sed attenuare, & expandere est per se, sed non primario, vnde melius dicitur propter se, quam per se; attenuat enim, vt moueat, possideatque materiam: passio autem materialis non habet causam per se primò omnis. Sequuntur enim multæ ad primas. Nec sicci est exsiccare, cum siccitas non sit actiua, sicuti neque panis panificare. Neque curui incuruare: neque lapidis ex aqua facere lapidem, passiones enim sunt, & materialitates, quæ fiunt, sed non faciunt. Lapis autem vt materialis nimis sic se habet.

Ad secundum vera est, nec exsiccat vnquam ignis, sed tantum siccitatem sub mollitie, quando ipsam attenuat, eleuatque, latentem manifestat, vt pluries dictum est: per se autem omnia liquefacit, tenuat, explicatque tenuissimus: humidum autem est tenue omne vt Arist. quoque docet. Nobis autem exsiccat per accidens.

Ad tertium vitrum indurari abscessu caloris dicimus; quod eius præsentia fluebat, omnibus idem euenire dicimus: si enim omnem ab aqua calorem auferas, necessario induratur etiam absque frigore. Vitrum autem magis, quoniam partium est densarum magis; ex cinere enim fit. Quando ergo res natura densa a calore mollitur magno, & tanto, quantus acquiritur, vt possit partes expandere, illæ partes iterum densantur: non autem si calor blandus potest eas liquefacere, vt glaciem: nec sunt natura densæ.

Sed numquid non ex hoc ſequitur frigus non eſſe cauſam exſiccationis; ſed ſolam caloris carentiam? Ergò neque eſſe Ens, ſed priuationem caloris; vnumque tantum eſſe elementum, vel principium actiuum, vti Heraclitus docuit? nequaquam. Res enim omnes pe quæcunque ſimiles ſunt, ſibi ipſis coïre aptę ſunt; à calore autem expandi, à frigore cogi etiam caloris plenas: nix enim calida, vt eius facies oſtendit, congelatur, non abceſſu caloris, vt Ariſt. aliquando dicit, nec defectu, vt Heraclitus, ſed frigore externo cogente: datur ergò conſtrictio propriè per actionem à frigore: per amorem verò à Primalitate, & contactu ſimilarium conſtipante, vt in Metaph. ſubſequens autem frigus ab aëre addit conſtipationi.



QVÆST. XXXII.

DE NATABILI ET SVBMERGIBILI.

Quæſtio de Mergibili & Natabili præſupponit notitiam de Graui, & Leui: & quamuis determinauerimus in quæſtionibus prioribus non eſſe graue, & leue ſecundum naturam abſolutam, ſed reſpectiuam tantum, nunc amplius de hiſce quærere, quatenus corporum ſunt differentiæ opera pretium videtur, ob Antiquorum, recentiorumque controuerſias: quæritur ergò.

Vtrùm dentur corpora ſimpliciter grauia, & alia ſimpliciter leuia vt putat Ariſtot. An omnia ſint grauia, leuia autem dicantur minus grauia, vt Platonicis, & Democraticis, & alijs videtur. An è contra: an tandem nihil ſit graue, & leue abſolutè.

ARTIC. I.

1. Opin. Ariſt. RISTOTELES in 4. de cæl. tex. 42. ſicut, ait, eſt mutatio in contraria, & media ex contrariis, in magnitudine, & forma; ſic etiam in loco: ergò graue- « factiuum mutat ad deorſum, & leuefactiuum ad ſurſum: ferri ergò ſurſum, & « deorſum eſt ferri ad formas. Ergò datur ſimpliciter graue, & ſimpliciter leue « ſecundum naturam.

« 2. Si Tellus à loco ſuo extraheretur, partes eius non tenderent ad tellurem, ſed ad « locum vbi nunc eſt tellus: ſic etiam ignis portiones ad locum ignis, non ad ignem: quo « autem fertur natura pars, fertur & totum. Ergò datur graue & leue ſimpliciter, nec ignis « veniet deorſum, nec terra ſurſum, nec è contra per extruſionem, ſed per naturam.

« 3. Locus eſt finis continentis, quo feruntur contenta, tanquam ad ſimile, & quia « ſunt diuerſa loca ſimpliciter ſurſum, deorſum, & medium. Ergò & graue & leue: quę- « rere autem propter quid leue tendat ſurſum, eſt idem, ac propter quid ſanabile tendit « in ſanitatem: magis autem in ſeipſis habent principium graue & leue, quàm ſanabile & « ægrotabile. Latio enim abſolutorum eſt ex generatione vltima motuum: mouentur au- « tem à generante, tunc enim perfecta eſt generatio leuis, cum ad ſuum locum peruenit « actu, quod erat potentia.

« 4. Graue ſimpliciter eſt, quod omnibus ſubſidet: leue ſimpliciter, quod omnibus « ſupereminet: Compoſitum, quod in medio, vt aër, & aqua: & ideo in aëre gra- « uius eſt talentum ligni, quam libra plumbi, quia aër etiam grauat; in aqua gra- « uior libra plumbi, quia ibi non grauat aër, qui eſt in ligno, ſed aqua magis & terra « quæ in plumbo. Omne elementum in ſua regione grauitatem habet: vnde vter inflatus « in aëre grauior eſt ſe ipſo non inflato.

5. Quemadmodum nec ignis deorsum, sic nec terra sursum feruntur sublato aëre: non enim grauat ignis in sua regione, nec terra leuis est in sua. Intermedia verò participant. Aqua non fertur sursum, nisi vi, cum ferit superficies vna, & velocius traxerit, qui sursum quam sit latio, quæ fertur aqua deorsum: sic nec aër ad ignem ascendit, nisi vi: deorsum verò sic, quia grauat.

E contra Plato in Timeo, putat non dari sursum, & deorsum simpliciter in circulari *2. Opin. Plat.* mundo, vndique simulari, sed sic à nobis dici. Ergò nec graue, & leue simpliciter, sed graue dici id, quod componitur ex pluribus eiusdem generis, vt superficiebus, vel triangulis; quod densis corpulētisque euenit. Leue, quod ex paucioribus: ergo idem est graue, & leue differentia secundum magis & minus. Nam elementorum eadem corporeitas.

Democritus verò videns quædam maioris molis esse minoris ponderis arbitratus est *3. Opin. dem.* grauia esse, quæ plus pleni habent, vt Tellus: leuia, quæ plus rari, hoc est vacui, vt ignis. Aquam verò, & aërem composita, illam quidem pluri terra, hunc plure igne: ex hoc sequitur, quoniam omnia corpora ex eisdem sunt atomis, omnia grauia esse, & deorsum petere: quæ verò sursum feruntur à grauioribus extrudi inaniora; vacuitas autem est priuatio pleni.

SED Contra vtrosque Arist. inuehitur.

1. In natura determinatum est sursum sursum, & deorsum loca contraria, vbi elementa perficiuntur. Ergò non erunt omnia grauia, sed alia simpliciter erunt leuia: ergò sponte non vi ascendunt: si autem ratio grauitatis, & leuitatis est plus pleni, & minus, non erunt grauia & leuia, nisi secundum quid: sed simpliciter grauia.

2. Continget aliquando paruam aquam esse leuiorem multo aëre: nam in multo aëre plus solidi, aut plures trianguli, quam in parua aqua: ergò ille deorsum, & ista sursum ibit. Similiter in paruo igne erit minus vacui, quam in multa aqua. Ergò magis ascendet multa aqua, quam paruus ignis.

3. Si quis autem dicat, quòd in aqua se habet proportionabiliter & solidum cum vacuo: tunc sequeretur, quòd eadem velocitate paruus, & magnus ignis sursum ferentur; similiter parua, & magna aqua deorsum; quorum vtrumque falsum: nam maior *Tex. 17.* ignis citius ascendit: similiter maior aqua descendit celerius.

4. Absurdum est, si ob vacuum sursum feruntur, vacuum non moueri: absurdius autem moueri localiter, cum sit locus ipse: & si mouetur quid erit causa motus? vacuum, an solidum, quod etiam mouetur? Item dicendum erat, cur vacuum leue, & plenũ graue.

Posset addi 3. opinio, quòd omnia corpora natura tendunt sursum ad locum nobiliorem, *Opin. 4.* sed impelluntur deorsum à cæli vertigine, vt dicebat Empedocles; vel à nobilioribus corporibus, tenuioribusque, quæ meliorem locum appetunt, & ignobiliora deorsum detrudunt.

1. Probatur, quoniam ignis in cuniculis summo impetu sursum tendit nequaquam à grauioribus exclusus, imò ipse frangit grauiora, & euertit, vt sursum possit ire.

2. Omnes subsidentiæ sunt excrementitiæ, vt in vrina, & in aquis perturbatis experimur. Igitur à superioribus excernuntur.

3. Dictum est cum de materia locuti sumus, motum deorsum esse casum, & impotentiam ad motum: igitur non ex innata virtute fit, sed imbecillitate.

4. Longè nobilior est tellus, quam ignis si motus ad centrum est vnicè naturalis cunctis: nam tellus acquirit optatum finem: ignis autem excluditur ab ipsa tanquam à virtuosiori, ne potiatur fine, & corpora ergò grauiora meliora, & spiritus animalium, & ignis, & sapientia viliores erunt, quam os, & tellus, & stupiditas; quod cum sit falsum, neutiquã centro potiri solo omnia cupient, sed magis circumferētiam secundũ naturam. At Galilæus in tractatu de his, quæ in aqua natant, contendit pro Archimede, solum prin- *Opin. 5.* cipium grauandi deorsum inesse elementaribus corporibus.

1. *Nam, inquit, leuia velocius ascenderent per aërem, quam per aquam, quæ crassior, & impedimentum præstat maius: sed contrarium accidit: nam velocius ascendunt in aqua, lentè in aëre, vbi etiam quiescunt aliqua. Exhalatio verò ignea procul dubio in aqua ascendit celerius, quàm in aëre. Aër etiam celerius ascendit in aqua, quàm ignea exhalatio in aëre; vt patet.*

2. *Oua descendunt in aqua dulci, ascendunt autem in salsa: ergò quia illa leuior ouis, hæc grauior, ita fit. Ergò extruduntur ab hac sursum, nec ascendunt sponte.*

3. Deinde docet nullam esse leuitatem, nisi priuatiuè, idest grauitatis: & ideo datur vacuo apud Democritum: ex hoc resoluit rationes Aristotelis, non omnes.

Ad secundum enim ait, quod grauius est specie velocius descendit, & sic parua aqua multo aëre grauior est, descenditque magis. Item licèt in aëre multo sit plus terræ, tamen & ignis longè plus inest, ideo non descendit vt parua aqua. Item ait ad tertium falsum esse, quod maior ignis velocius ascendit, quàm paruus; aut quod libra ligni descendat magis, quàm dragma ligni eiusdem: & Aristoteles assumpsit falsum. Item hoc experimentum est impossibile, quod scilicet magna aëris moles velocius descenderet, quam parua aqua: cuius contrarium experimur; vbi nam enim id experimur? Neque enim in aëre, nam ibi aër non descendit: nec in terra, quia non cedit mobilibus: nec in vacuo, quia non datur. Ergò in sphera ignis, quæ vel non est, vel Aristoteles in ea id experiri non potuit.

SED Contra has omnes opiniones est id, quod determinauimus in quæst. de elementis scilicet: nihil esse Graue, & Leue, nisi propensionem rerum ad proprium bonum, quod vel habent in cognato corpore, cum quo seruatur; vel in fuga à contrario; & ideo idem esse graue, & leue; probatur primo autoritate scripturæ sanctæ. Nam Deus apud Iob 28. dicitur *dedisse ventis pondus*; venti autẽ sunt leues, quia rari & sursum aliquando feruntur. Item in 4. Esdræ dixit, *pondera mihi pondus ignis*, Et quidem rectè, nam & sursum ignis ponderat, & in obliquum, & aliquando deorsum, vt accensus vapor, quando aërem superiorem frigidum fugit. Vnde quidam putant ignem posse ponderari, si cinerem remanẽtem mox ponderes, de prius põderato ligno, vnde scies quantum in ignem abiit: sed hoc falsum: nam & particulæ terreæ, & aqueæ ascendunt cum igne, vt cum de fulmine disputauimus, agnouimus.

Quod nec raritas, seù vacuum Democriti, sit causa leuitatis patet: quoniam ignis ponderat sursum, & ferula ponderat in aëre, sub aqua verò ascendit. Quod nec frigus nec forma alia terræ sit causa grauitatis, docet carbo, & ferrum accensum, quod deorsum ponderat plusquam glacies. Propterea statuo nil differre leue à graui, nisi secundum impositionem vocis: dicimus enim leue, quod impetum habet sursum, graue quod deorsum. Vtrumque tamen est impetus amoris sursum autem, & deorsum non dantur, nisi respectiui. Vacuum enim sibi simile totum. Mundus verò vndique sibi est similis, & rotundus ita, vt potius sit sursum centrum, quam peripheria: sic etiam nec graue, & leue: grauat enim & ventus in obliquum; & cum aliquid impellimus quorsum volumus, applicamus illi grauitatem, vt gladius grauat anterius, quò pellimus: pila in obliquum: partes autem solis ignei, si essent in nostra terra, planè sursum ponderarent, vt alij ignes, & dicerentur leues. At in sole ponderant ad centrum solis, & dicuntur graues. Quapropter absolutè non datur graue, & leue, differens, sed est impetus amoris, qui alicubi leuis, alicubi grauis nomen sortitur. Vnde amatores ad amasiam sese ponderare persentiscunt ab intus.

Quamuis autem ad diuersos situs res grauẽt, videndum est in nostro systemate ex centro terræ vsque ad lunam, quæ pronuncianda sunt grauia, & leuia simpliciter, quantum tamen ad hoc systema, & quæ secundũ quid. Videntur quidẽ omnia esse grauia, si spectes corpulẽtiã, si virtutes actiuas, grauia, & leuia. sed cũ ex toto suo corpore hoc systema cõstet, palam est, quod mutuo conta&ctu gaudent omnia, nec ab inuicẽ volunt separari. Habet enim corpus omne Physicum conseruationis suæ potentiam, sensum & amorẽ, vt in Met. dictum est. Ergò fugiunt vacuum, ne mutua copula separetur, & conseruatio: & hac ratione conglobantur ad centrum; non quia centro gaudent indiuisibili, & nullius valoris; vel loco isto, cum omnis locus omnibus corporibus sit amicus: sed quia in tali situ ad cæteras partes mundi melius se habent, quàm in aliis sitibus, vt manus melius in brachio, quam in ventre. Differentia enim à locatis, & situatis, non à loco, est. Igitur quia gaudent mutua cohærentia, omnia corpora, centrum appetunt quatenus corpora; sed quatenus calida, vel animata, vel formatione alia Ideali donata sunt, non ad centrum propendunt telluris: sed vbi congruit eorum formationi. Palam enim omnes corporis humani partes grauescunt, & ad tellurem inclinant: sic omnes partes arboris, quatenus corpulentæ. At quatenus calidæ, aliæ sursum eunt: aliæ in alio situ; quatenus

ideatæ manent. Caput enim in sublimi, venter in medio, pedes in imo, manus ex humeris se habent: quamuis caput per se sit grauius manu.

Item partes terræ dum in plantam vertuntur, non extrusione ascendunt temeraria ad certas partes arboris constituendas, sed aliæ ad alias inductu caloris, fato necessitate, & harmonia affecti ad sic agendum, assistente Intelligentia Ideatrice Diuinæ Prouidentiæ executrice. Quapropter Democritus, & Plato videntur tantummodo materiam considerasse nostri systematis; & sic verum est omnia esse grauia intrinseco ex principio centrum petente, hoc est, ex amore totam corpoream molem vniente. Vnio autem fit per conglobationem, ergò per concentrationem. Aristoteles autem respexit formas magis, nec de materia curauit. Quippè qui nec quantum, nec quid, nec quale, ipsam esse opinatur; & ideò errat negando hanc omnium ad centrum propensionem: non tamen ex toto errat, dum leuia ad peripheriam natura subleuat; sicut nec qui diceret, manum quamuis grauem non in imo ad terræ tactum, sed in superioribus partibus corporis locandam esse. Nos autem vtrumque perscrutatos credo ab errore alienos.

Quapropter simpliciter graue (dico simpliciter in nostro systemate, non in tota natura) quod vbicunque ponatur non prohibitum tendit ad ima, vt lapis, & plumbum, & tellus, & simplex grauitas est à simplici, vel vincente corpulentia: simpliciter leue est, quod vbicunque ponatur, non prohibitum tendit ad peripheriam, vt ignis, & hoc non inest illi à corpulentia minori, vt putant, nam minor est in puluere terreno, qui etiam descendit: omnis enim quantulacunque crassitiuncula deorsum ponderat, quatenus corporea pars est huius systematis; sed simplex leuitas accidit à calore, cognata corpora celestia petente, vt prius dicebamus.

Sed dubitabit quispiam, cum enim cælum trahat ad se, neque sidera sint ignea, vt probat Galilæus, sed solis luce ex aqua & aëre reflexa luceant, solúsque sol igneus sit, tunc sequitur, quod leuia non vndique ad propriam peripheriam ascenderent, sed tantum ad eam partem, vbi est sol, ergò solum in die. At videmus etiam in nocte ignes eleuari, ergò extruduntur. Resp. omnes partes peripheriæ esse calidiores centralibus, & ideò ab his ad illas ignes ferri semper: non quidem extrusos, vt probatum est in quæst. de elem. quando & montes, & ædificia eleuant, vt ascendant, sed propria vi, & amore fugiendi contraria, similéque petendi, & compressionem mortiferam declinandi, vt puluis bellicus in bombardis, & exhalatio inter nubes accensa, & venti angustiati, fidem faciunt. magis autem in die sursum euehi censendum est ex Amore solis, in noctu verò ex odio frigoris, & compressionis plus stimulantur sursum ignes. Maculæ autem quæ in sol visuntur nubeculæ sunt, teste Galilæo, non quidem ex sole egressæ, sed ex planetis eousque delatæ non à se ipsis, sed à calore: ergò calor vt ad solem vertatur, orbem quoque lunarem transilit: ergò non extrusi vapores, sed à calore delati subleuantur, eoque magis si supra lunam non sit vaporositas extrudens, vel crassiuscula, quæ extrudat, vel vacuum inter planetas, vt videtur Keplero, & aliis, interponitur: extra tamen orbem proprii vaporis nullus planeta habet commercium, & actionem, præsertim extrusiuam: nec amplius datur ibi sursum, & deorsum, sed ad solem eunt amoris propensione, quæ patefacit nil esse graue, & leue, præter id (dicam grauia, & leuia secundum quid) quæ alibi sunt grauia, alibi leuia, vt lignum in aëre, & aqua: & hoc procul dubio accidit ex compositione, ex corpulentia, & tenuitate: ligna enim putrida, & vnde omnis expressus est aër, merguntur in aqua, similiter palea sic confricata, vt aër exeat, atque in aqua manens quanto tempore opus est, vt aërea parte dissoluta imbibatur aqua, non amplius natabit: in tenuitate enim leuitas inest, quia calor, & quia talis situs in mundo ei conuenit, vt de partibus aliis philosophamur. Distinctio ergò Galilæi ex Archimede, [quod alia sunt æquè grauia absolutè, siuè eiusdem, siuè diuersæ speciei, vt libra auri cum alia libra auri, vel ligni. Alia æquè grauia mole, & specie, vt aurum vnius libræ cum altero auro vnius libræ, vel metallo altero vnius libræ, quod tamen sit eiusdem molis. Alia sunt inæquabilia specie, sed non mole, vt libra plumbi cum libra ferri fortassè (exempli gratia, quia non sic est) Alia inæqualia mole, & specie, vel altero, vt patet] vera est, sed deest ratio; quæ ex corpulenta, & formalitate nobis assignata est simplici, ac decomposita.

Ad primum Arist. Resp. argumentum, quod in loco nulla est contrarietas, sed in situ

corporum,quatenus ad se inuicem referuntur in toto. Nec ferri sursum,& deorsum est ad formas,sed ad situm,qui formis debetur in toto. Nec latio est mutatio essentialis,sed ad conueniens iter,sequens tamen formam,vel corpulentiam. Igitur datur ex situ simpliciter graue,& leue; cum quo tamen stat, quod leuitas sit propensio, vt grauitas; & quod corpora omnia ad centrum sui totius natura feruntur, quatenus corpora; quatenus verò ideata ad quosdam situs. Mutatio ergò localis est non ad essentiam,nec ad existentiam, sed ad commoditatem requisitam existentiæ.

Ad secundum errat Arist.si enim tellus esset vbi luna, partes telluris ad ipsam tellurem ferrentur,sicut partes lunæ ad lunam,& solis ad solem. Locus enim quatenus est spatium nulli est contrarium; quatenus superficies ambientis,nec etiam:at quatenus corpus ambiens,contrariatur:propterea omnis pars ad totum suum tendit,totum verò ad situm, qui sibi competit in vniuersitate rerum. Et notanter dico ad situm,quia nullum est sui gratia,sed aliorum; vtque visum suum præstet indiget situ;ad quem Fato, Harmonia, & Necessitate confertur,de extrusione posterius.

Ad tertium negatur quod sit finis continentis. Spatium enim est locus,finis autem ille est situalis consociatio. Vnumquodque autem ad cognatum suum fertur. Nec latio est generatio,sed sequitur ad specificationem, editúrque à forma geniti, non à generante: nam etiam si non generetur,tendit ad locum suum,vt gleba elata ad terram. Nec perficitur generatio per locum: sed configuratio corporum ad inuicem, & ad mundum. Nec ignis tendit sursum,vt sanabile ad sanitatem,cum etiam tendat deorsum, vbi opus est ad vincendum,vel fugiendum; sed tendit,vt sanum ad commoditatem,& cognationem.

Ad quartum,non est verum;quod graue sit,quod omnibus subsidet: sic enim sola illa particula,quæ est in centro terræ esset grauis,sed graue simpliciter est, quod vbique positum intra spheram sui sistematis vadit deorsum,nisi impediatur ab interioribus: & sic inuenies omnia esse grauia secundum corpulentiam: nam si perforetur tellus,omne densum ad centrum ibit,leue autem è contra:de mediis autem iam diximus: sed ex hoc sequitur aquam,& aërem non esse elementa,sed mista, sicuti rubrum, & croceum non sunt elementa colorum,sed album,& nigrum. Nec puto verum,quod aër in aëre grauet: nam aqua in aqua non grauat qui enim subnatant, pondus non sentiunt, pondus enim est propensio ad cognatum. Aër autem est in suo cognato, modica tamen corpulentia fortè pondus habet,quatenus corpus aliquod,quod tamen idealitas impedit. Vter quasi nihil inflatus grauat plus. In aëre est grauius talentum ligni,quàm libra plumbi,quia aër non est leuis,id est,non fugit aërem,sicuti fugit aquam: nec est quò ponderet,cum sit in suo cognato,& ideo corpulentia talenti ligni maior libra plumbi. In Aqua verò adhuc est maior, sed aër,qui est in ligno,refugit sursum;suóque cognato cohæret, nec sinit propensionem talenti ligni assequi,quo propendit; sed aufer aërem ex ligno,& tunc descendet vt plumbum: si aqua loco aëris intrusa æqua esset grauitate eidem plumbo, si Aristotelis dogma valeret, tota grauitas talenti ligni est ab aëre,cum nec grauet in aqua,quantum lapillus.

Ad quintum Arist.loquitur sine experimento: nam licet tellus sursum non ascendat ad replendum vacuum,haud tamen propterea ignis non descendet ob idem, cui corporeitas fauet. Omnis enim ignis fertur deorsum,non autem terrea sursum. Item videmus calorem,& lucem deorsum venire,& ignes ex nubibus dissilientes,vt fugiant frigus,vel compressionem: ergò etiam, vt vacuum claudant,quod separat rerum copulam. Tellus autem non ascendit,quoniam rerum copula erga centrum fit. Ideo æquius est ignem descendere,quam tellurem ascendere. Aërem etiam videmus, etiam intra terram perforatam descendere,non autem aquam supra aërem,vbi Arist. ponit spheram ignis. In hoc etiam decipitur Arist. dum putat aquam sursum efferri, quia velocior est tangentis motus sursum,quam motus aquæ deorsum: hoc enim fit in aliquo impetu, statimque cessat, ac videmus aquas sursum ratione vacui efferri,& per circulum deorsum ferri, si tamen vel vno pilo alterum orificium trahentis vasis magis deorsum terminetur, quam vnde aqua, cæpit ascendere: ergò non motus fugientis aëris,sed aquæ potestas ad vacui repletionem quæ ad constructionem vniuersitatis propensio causa est eleuationis. Tellus autem sic eleuari non potest,quia maior esset violentia in eius eleuatione, quam in vacui admissione. Difficilis quæstio alibi resoluenda manet,cur aqua illa supra pilum non cadit,sed infra ca-

dit. Ideóque fieri motus circularis perpetuus non poteſt.

Ad Democritum dicimus non ritè conſideraſſe: non enim vacuitas facit leuitatem cum ipſa non inſit, vt pars componens, nec moueatur cum igne; ſed quoniam raritatem vocat vacuitatem, quia minus corpulentiæ continet, & omnia corpora ex hoc, quatenus corpora facit grauia, haud imperitè, quatenus pauca, leuia, id eſt minus grauia: vnde ſequitur ſurſum tendere per extruſionem: hoc autem nos conceſſimus de corporibus, quatenus corpora, non quatenus ideata. Idcircò nihil eſt, quod diſputemus cum illo. At ſolum aduertamus ignem non extrudi, ſed ſpontè ad cognata moueri reſpectu formalitatis tamen ſolius, vt dictum eſt.

Argumenta tamen Ariſt. non conuincunt. Ad primum dicimus, non loca, ſed ſitus partibus Mundi, quatenus eſt animal Ideatum, deſtinata eſſe. Nam etiam ſi totum mundum in aliud ſpatium transferat Deus, ita vt circumferentia huius tangat partem illam, vbi nunc eſt centrum: adhuc perſeuerabit in ſuo ſitu omnis pars, vt etiam ſi animal transferas in loca extra mundum, adhuc caput erit in ſitu ſuper collum, & pedes ſub ventre. Atque ſi lapidem ibi ponas, figat pedem in eo. Nam Antipodes contra noſtros pedes, etiam pedes habent, nec tamen cadunt deorſum, vt Lactantius dicebat, & Anaxagoras, & Democritus, ſi Ariſtoteli credas; qui putarunt deorſum eſſe quidquid ſub terra eſt. Concedimus omnia corpora, vt ſic grauia eſſe; hoc eſt conſeruationis amica; ergò vnionis, ergò concentrationis. *Reſp. ad arg. Ariſt. cõtra Democ.*

Ad ſecundum & tertium, non imperitè reſpondit Galilæus, nam in ligno idem patet, quod non ſubmergitur, quia multum terræ habet, proptereà quod & multum aëris eſſe in aere terreas particulas, concretiones multæ præter fulmina docent: & argumentum Ariſtotelis eſt contra Ariſtotelem; nam plus grauitatis habet multus Aër, quam gutta aquæ, ſi media elementa ex graui, & leui componuntur, vt ipſe docet.

Ad quartum dicet Democritus, vacuum ſtare, ſed rara vacuum vbique intercipere, & leuia dici, quoniam modica ſunt, & extruduntur à grauibus. Cauſa autem motus ſurſum eſt extruſio: Vacuitas eſt, vt poſſit ſoliditas rara extrudi, non autem formaliter mouet.

Opinio prima eſt ex parte vera, non tamen, quod ait Empedocles, omnia deorſum à cælo detruduntur, nil enim grauat cælum, neque pellit leniter latum, ſed vel quia contrarium eſt telluri, fugit ab eo telluris pars omnis; & tunc non ignis, neque aër; vel quia mouet deſuper deorſum: hoc autem falſum eſt, lux enim potius ſurſum res eleuat: ſique natura ignis mouetur, itidem & terra ſtabit. At ſiue ſtet, ſiue moueatur, partes vnionem appetunt ſui conſeruatiuam, vt cunctæ res admonent, quæ in globum coeunt, vt ſputum, & guttæ aquæ: quod autem non omnia ſurſum tendant, tellus docet, quæ nec ad vacui repletionem ſubleuatur.

Ad primum concedo, quod ignis ſurſum fertur ſpontè, non tamen tellus deorſum vi; nec peripheria eſt melior locus omnibus, ſed igni: nec enim collum eſt melior locus pro pedibus, ſed pro capite ſuſtinendo.

Ad ſecundum omnis ſubſidentia materialiter eſt melior, quia plus corporeitatis habet, ſuperiores verò partes poſſunt meliores eſſe formaliter, quia nobiliori idea donatæ ſunt. In ratione tamen corporis, quod maius, & melius.

Ad tertium benè motus deorſum, quatenus eſt ſolius corpulentiæ, eſt naturalis pro conſeruatione totius ſyſtematis; quatenus verò materia eſt formata, animalis, aut ignis forma, vel altera, quæ non illum ſitum deſiderat, dicitur delapſus, & caſus, comparatus formæ, proculdubio Animal deorſum cadit, & licet ratione materiæ ſit materialis motus, tamen ratione animalitatis eſt, vt progreſſiuo motu arbitrario ſe moueat. Diximus ergò, quod quando Materia non eſt deuicta ab alterutra cauſarum agentium, cadit; cum quo tamen ſtat, quòd ſi nulla actiua vis in ea eſſet, ad centrum iret naturâ pro vniuerſitatis totius molis copula vitali.

Ad quartum dico, fortiſſimum eſſe argumentum contra Democritum, & Galilæum, nec poſſe ſolui abſque abſurditate multa concedendo conſequentiam. At in noſtra philoſophia, palam eſt, quod ideatio facit melius eſſe etiam quod leuius, & à centro remotius. Nihil tamen negem, quod ſi formas remouemus, melius erit, quod plenius, & ſoli-

dius secundum naturam, non secundum nos.

Ad Galilæum concedo omnia esse grauia ratione atomorum, & corporum omnium; sed dari leuia ratione formarum, quæ situm alterum appetunt à centro, &c.

Ad primum Resp. haud statim sequi, quæ sursum eunt, extrudi à grauioribus, propterea quod velocius in aqua, quàm in aëre ascendunt. Vnumquodque enim sponte mobile velocius est intra inimica entia, à quibus fugit, quam inter amica, sicut Turcæ mancipium fugit velocius dum est in regione Turcarum; cum autem intrat terminos Christianorum, lentius: sic quæ sunt sub aqua, aut ascendunt, quia aërea, & tunc cum veniunt ad aërem non indigent alio motu; peruenerunt enim iam ad cognatum, cuius societate fruuntur: si verò ignea etiam celerius per aquam ascendet à cuius frigore, & compressione abhorrent: in aëre verò tanquam in cognato minus timent, licèt minus impediantur. Præterea in aqua confertim, & vnirus aër, & ignis ascendit ob compressionem à corpore crasso, & ideo velocior est motus, sicuti & ventorum cum per angusta transeunt, & ignes in cuniculis, & bombardis inclusi, qui quo ab angustiis longius abierit, beatior fit. Adde quod aqua subsequens ab imo, quæ replet locum, vbi aër, aut ignis, aut lignum sub aqua erat, impellit, vel sustinet magis; vnde facilius lapidem eleuamus intra aquam, quam intra aërem crasso medio inferiori sustinente magis; nec medium superius supergrauat, nam in suo cognito nullum elementum grauat, teste experientia, & ipso Galilæo. Nuces quoque dissilientes è digitis velocius feruntur, sic omne corpus ex crassis comprimentibúsque: extrusio ergò est concausa, sed principalis causa est appetitus.

Ad secundum Respondebimus in articulo sequenti, licèt enim sola expulsione ouum ascendat, non tamen propterea etiam ignis, & arboris nutrimentum, & alia multa, nec principaliter.

Resp. Galilæi ad Arist. non sunt omninò tutæ, aut sufficientes. Verum est n. quod grauior est specie parua aqua toto aëre, sed non quia habet plus terræ, sed quia corpulentior, & ex ordine vniuersi animalis, talis aquæ debetur locus: siquidè subsidet densū, super denso lentum: super lentū molle; super molle viscosum: super viscosum lubricum, super lubricum liquor, super liquorem vapor, super vaporem tenuitas, quæ est ignis, vt patet in cisterna plena lapillis, cæno, argilla, & aqua & aëre. Quod enim plus est ab igne superatum, illud sursum plus eleuatur, non ex fusione, sed ex forma corporum, & situ partium Animalis mundani, vt dictum est: & hæc est grauitas specifica, & leuitas, differens à materiali, quæ solum corpulentiam respicit. Licèt ergò in aere sit maior corpulentia, quàm in modica aqua, & in ligno plusquam in lapide, tamen tenuitas superat corpulentiam, & quod formalius, id quod materiale. Idcircò priuatus tenuitate aër crassescit, & decidit, sic lignum priuatum aere: siquidem puluis tenuissimus, leuissimus cineris descēdit: ponderosissimum verò nauigium natat: cætera benè se habent contra Aristotelem. Illud tamen me ancipitem tenet, quòd putat velocius descendere ragmentum plumbi, quam lignum ponderosum in aere. At libram ligni æquè velociter cum ligno librarum centum, & paruum ignem æquè velociter, ac maximum ascendere sursum: siquidem, vt ipse concedit, puluis terreus in aqua sex dies consumit ad descendendum, lapillus vero eiusdem terræ subitò descendit. Ergò de similiter inæqualibus in aere pronunciandum videtur, & de ignibus sursum se mouentibus; quod scilicet maior ignis celerius ascendat, tum quia potentior ad findendum aerem, tum quia calor maior plus mouet, vt patet in cuniculis bellico puluere accenso. Nec diuersæ species affirmant dictum Galilæi: nam puluis aureus in aere tardius descendit, quam talentum ligni, cum tamen specie grauius sit aurum.

Post hæc experimento probaui citius descendere pilam plumbeam vnius vnciæ, quam ferream vnius libræ; & citius ferream vnius libræ, quam librarum quatuor ab alto proiectas: ergò ragmentum ab aere tenetur non secari volente, pila magna verò à desubter condensato aere multo: ergò & Galilæus & Arist. falluntur, ergò maior ignis non ascendit citius, quam minor; vide Metaph. nunc reformatam.

Vtrùm

Vtrùm figura solidorum natura mergibilium, posßit esse causa ne mergantur, sed natent, vt Aristoteles docet, quia non diuidunt medium; an quia retinentur ab effluentibus igneis atomis ab aqua, vt Democrito videtur: An quia contactu aëris, vt Galilæo: an à sensu conseruationis medij, & mobilis, vt ex nostro sequitur dogmate.

ARTIC. II.

ARistoteles in 4.lib.de Cæl.tex.42.& seq.dubitat,cur ferrum natura mergibile,si extendatur in laminas,supernatat aquis; rotundum autem,& longum,licèt minus graue,mergitur: & cur auri arenulæ & terræ in aëre,& in aqua se sustinent,quamuis specie aurum sit grauius aqua.

1. Resp. motus fit à virtute mobilis, & diuisibilitate medij: vbi ergo mobile potest diuidere medium, mouetur; & magis in magis diuisibili; vt magis in aëre, quàm in aqua: ergo quia laminę planę multam aquam comprehendunt, non possunt illam diuidere: itàque natant: grana vero ferri rotunda,& acus longa modicam comprehendunt. Idcirco non habent repugnantiam in diuisione.

2. Quoniam Grauitas habet potentiam ad diuidendum,& medium ad resistendum, ne diuidatur; vbi vincit potestas grauis,medii resistentiam,ibi submersio fit: ergo magis in aëre,& in aqua minus; minus in melle &c.Idcirco arenulę natant,quoniam grauitas earum non est maior resistentiâ aquarum.

SED Contra hanc doctrinam sunt experimenta. Omnis enim auri,& terræ,& cineris puluis tenuissimus submergitur in aquam, etsi tardius: omnéque corpus siue latum.siue rotundum grauius specie,quàm aqua,si ab aëre separetur velo aquæ,vel insensibili humore,mergitur: potest etiam & omnis figura supernatare, & ipsa acus ferrea industriosè supposita aquis nil turbatis,quod Arist. negat imperite. Igitur ratiocinium eius fallax.

Democritus autem asserit ab igneis atomis continuo ex aqua sursum elatis(nam vndique calor cõtinuus exhalat sursum,vt nos etiam docuimus,vt pori corporum omnium ab ipso exhalante facti manifestant)retineri figuras planas ne submergantur, strictas vero mergi: quoniam pauca atoma in ipsas incurrunt ignea, probatur: nam & feruente mari sub Orione arenæ ascendunt, & corpora multa à calore elata.Item in olla feruenti sursum feruntur fabæ,& lentes vsque ad superficiem.

Sed contradicit ipsi Aristoteles propterea quod idem eueniret in aëre,vbi atoma calida continuo ascendunt,retinerentque laminas latas. Respondit Democritus, in aqua vnita, ac confertim impellere: in aëre dispergi,nec proinde eundem impetum facere in laminas superpositas.Arist.nihil contradicit huic sermoni, nisi quod mollis est solutio, fortè quia per ipsum,ignis in aëre,vt minus crasso,velocius fertur: sed hoc falsum reputat Galilęus, nam sicuti quę descendunt sunt velociora in aere,quàm in aqua,sic quę ascendunt,velociora sunt in aqua,quam in aere, & nos causam diximus in articulo pręcedenti.Lentius ergo mota atoma ignea in aere,insuper & dispersa minus impellunt superpositas laminas.Item quia leuiora sunt in aqua corpora grauia, quàm in aëre,facilius sustinentur ab atomis; quod Arist. non aduertit.

At Galilæus contra Democritum alteram addit rationem: sequitur ex dogmate Democriti,quod corpus paulo grauius aqua rotundum descenderet, quia atoma pauca ipsum sustinent.Idem corpus in laminas extensum nataret, quia multis sustentatur atomis: hoc autem est falsum,vt patet in cera,cui plumbum miscetur tantum, quantum potest ipsam passim submergere,prius rotunda,& posteà extensa,quę nimirum semper descendit, & non vt vult Democritus.

Conclusio prima Galilæi. Galilæus duas ponit conclusiones. Prima quod figura non est causa ascendendi in aqua, vel descendendi, vel natandi; sed solum tarditatis & celeritatis motus, prout est plana, vel acuta: probatur primò autoritate Arist. 4. Cæl. tex. 42. licèt mox sibi contradicat in solutione dubiorum.

Secundò, Cuiuscunque figuræ solidum quoduis grauius formaliter, quàm sit aqua, submergitur. Cera enim rotunda, atque lata natat æqualiter. At si addas illi granum plumbeum, quantum sufficit lentæ submersioni, descendit; sique demas, ascendit: ergò si figura lata non retinet in superficie tantum plumbum, quanta est quarta pars milii (hucusque enim ceta facta erat ponderosa, vt à tantulo plumbo mergatur) neque in fundo aquæ figura detracto plumbo potest tetinere ceram, ne ascendat: ergò nulla vis est in figura, cum tantula non sit.

Tertiò Pyramis Cypressina dum natat, penetrat aquam basi æquè ac cono, ac tantundem se profundat, atque vtraque in profundatione partes sursum prominentes sunt æquales mole: ergo figura acuta non plus penetrat, quam plana.

Quartò, Duo Cylindra eiusdem natabilis materiæ, alterum longum & gracile, alterum crassum, & breue; posita in aqua erecta manifestant, quòd eadem quantitas vtriusque proportionaliter mergitur, & supereminet: ergò figura nihil operatur.

Quintò, Eandem ceram mistura plumbi adeo grauem redditam, quòd mergatur, idem suber ei additus extrahit sursum coactam in rotunditatem, & expansam in laminam planam, nil ergò operatur figura.

Sextò, Eadem figura non potest esse causa quietis, & tarditatis motus: nam quæ tardat vt sex, non potest tardare vt decem: ergò multò minus immobilitare: ergò non potest lamina ferri à figura, cuius est solummodo tardare motum eius intra aquam, facere, vt stet, natétque in superficie, sed aliunde causa standi quærendum est, quàm à figura.

Septimo, Pila nucea emergit è fundo aquæ, sicuti hebena submergitur è superficie, quæ sunt parum differentes in grauitate, tunc lamina hebena natat per te, o Aristoteles, quia non potest findere aquam ob figuram latam, ergò nec nucea tabella è fundo emergeret, quia non potest findere aquam ob figuram latam. At quidem emergit, finditque vt experimur: ergò non est causa cur hebena non descendit impotentia figuræ ad findendum; sed alia, quam dicemus.

Octauo, Lamina aurea vigecuplo grauior aqua supernatat, lamina vero cerea, quæ vix cedit aquæ in grauitate, e fundo emergit: si ergo figura impedit ponderosissimo auro descensum, impedit magis non leuissimæ ceræ ascensum, quod non facit, non ergo figura prohibet descensum auri, sed aliud.

Nono, Aqua non magis quàm Aër resistit diuisioni absolutè, licèt magis resistat motus celeritatis, quod enim vndequaque omnino diuisum est, nullam habet continuitatem, nec proinde resistentiam ergà diuisionem; eiusmodi autem est aqua, omnes enim partes eius diuisæ sunt, sicuti partes aceruí arenæ, vel farinæ, quæ non resistit diuisioni insigentis palum: tardant tamen motum, vt à dextris, & sinistris partes sequestrentur: sic nauigium in aqua potest vno pilo trahi, si benè supernatat, resistentia autem est, quoniam oportet occursantes remoueri, non secari. Nec quia in aëre velocius descendit puluis, & lignum, & lapillus, quàm in aqua, erit aqua minus diuisibilis: quæ enim ex fundo aquæ emergunt ligna, & vapores velocius mouentur, ac proinde magis diuidunt per aquam, quam per aërem: ergo aër minus diuisibilis, & tandem posito, quod adhuc diuisibilis sit, non tamen à crassis corporibus: quod enim ab acutis diuiditur crassorum non expectat copiosiorem diuisionem: quomodo enim minutum corpusculum ab ligno vel securi diuidetur magis, quàm à nouacula? Aqua autem vt ceteri liquores ab igneis aculeis diuisi sunt, nec partes eorum diuisionem maiorem à crassioribus rebus accipient, nihil ergo figura diuisioni prodest aquæ, sed tamen motus passioni.

Decimo, Idem Galilęus format corpora pyramidalia, quę si ponantur ita, vt basis aquam tangat merguntur, si vt conus, natant: ergo nihil habet figura potestatis in diuisione, sed alia ratio est quęrenda.

11. Quod amplitudo figuræ nihil prosit, iterum patet; quoniam eadem plumbea lamina natabilis, si in minutas partes, ac tabellas diuidatur, adhuc quælibet illarum, quamuis stricta, æque supernatabit, ac tota lamina, nec magis sub aqua immergetur, vel parum.

12. Imò, ait, si figura esset causa natandi, facilius natarent figuræ strictæ, & breues, quam latæ, longæque: quoniam soliditas, quæ causa findendi est, minor est in illis, & resistentia maior in his, & plus aquæ findendum.

SED Contra Galilæum instant Peripatetici, tabella hebena supernatat, pila etiam hebena eiusdem ponderis submergitur: ergò figura est causa natandi, contra quos Galilæus posuit conclusionem primam, nunc ponit secundam conclusionem.

Causa, quæ tabellam hebeni supernatare facit, non est figura, sed grauitas minor quam aquæ, quam minoritatem, seu leuitatem acquirit ab aëre ipsam tangente, quo cum fit vnum corpus leuius aqua. nam si ipsam aqua madefacias, ita vt ab aëre separetur, descendet subitò. Idem patiuntur vasa ærea, terrea, & vitrea, quæ plena aere natant, diuisa ab aëre merguntur: & ne quis dicat aquam dare grauitatem tabellæ, qua madefit ponantur plures plumbeæ particulæ, & aqueæ guttæ super eam, quæ tamen non separent omnino ab aere: nam non descendet; si vero sola gutta vna illinatur tota, cuius humectatione ab aëre segregatur, statim mergetur: probatur dicta conclusio rationibus factis contra figuræ causationem. 2. *Concl.*

Secundò, Præterea lamina aurea, & hebena grauiores aqua, non merguntur, sed non quia non findunt aquam: nam ab ipsis findi eam videmus factis inferioribus superficiei aquæ toties, quoties earum grauitas excedit aquæ grauitatem, & quoties agger aquæ, qui fit in circuitu laminæ supereminens superat laminæ crassitudinem.

Sed cur non profundatur, si iam toties diuisit aquas? quoniam fit ex lamina, & aëre intra aggerem corpus vnum leuius, aqua: nec enim catinum æreum ab aqua mergitur, sed separato aëre a propria materia: nam si fiat ligneum aqua plenum, non mergitur, mergigitur autem nauis aqua plena ob ferrum clauorum; & alia corpora grauiora aquis, non autem si sint ex solo ligno.

Sed dicet quis: partes superiores aquæ vniri cupiunt, ideò submergunt tabellam.

Resp. quod è contra inferiores cupiunt non separari tantundem, vel plus resistunt.

Tertio, Pila certa plumbi mistura paulo grauior aquis, non descendit dum aëreum modicum tangit, sed humefacta statim descendit: ac cyathus ore deorsum inuersus acre plenus, si vsque ad pilam descendat, ita vt aer tangat pilam, iterum pila ascendet sursum: ergò aeris contiguitas est causa natandi; quæ contiguitas quando exquisita est, fit continuitas; vnde fortassis omnia corpora solo tactu exquisito continuantur.

Quartò, Difficilius sursum extrahitur lamina ab aqua, quam globus eiusdem materiæ etiam plumbea; quoniam illa plus aquæ sibi adhærentis secum trahit, quam istæ: ergò eadem ratione, quia plus aeris secum trahit lamina deorsum, minus mergitur in aquam, quàm pila, quæ minus: ergò non figura, sed aer est causa natandi: vnde idem labor est vtrem plenum aeris sub aquam mergere, atque plenum aquæ, super aquam in aerem subleuare.

Conclusio tertia completiua huius doctrinæ est, quoties excessus grauitatis solidi super grauitatem aquæ eam habebit proportionem ad grauitatem aquæ, quam altitudo aggeris aquei ad crassitudinem solidi, eiusmodi solidum non submergetur; sed quantula vis addita crassitie submergetur, verbi gratia, vt quoniam aurum excedit vigesies aquam in grauitate, & hebenum octies. Igitur supernatabit aurea lamina dum adeò gracilis est, quod eius crassities non excedat decimam nonam portionem altitudinis aggeris, & hebena dum non excedit septimam. 3. *Concl.*

Corollarium.

ERgò non latitudo, nec longitudo, sed sola profunditas, seu crassitudinem dicas, quæ est tertia dimensio causa est natandi, vbi seruat quam diximus proportionem ad aggerem: nam addito crassitiei vno filo, mergitur, quamuis etiam plures palmos addas latitudini, & longitudini laminarum.

Corollarium.

ERgò quoniam ex tabella, & aere intra aggerem incluso componitur vnum ens, quod in grauitate æquale est moli aquæ æquali cum mole talium compositorum: idcirco natant.

Corollarium addit acutius noster Galilæus.

QVoniam solida diuersæ molis, si sunt æquè grauia specie commutata, sunt etiam absolutè, possunt fieri cuiuscunque materiei pyramides, quarum basis non mergatur, sed solum tangat aquam, quando nimirum conus tantæ est grauitatis, quantam continet aqua, quæ è loco eius demouetur.

Item fient aqua grauiores pyramydes, quæ siue conum, siuè basim deorsum versas, natent.

Item pyramides fiunt, quæ natant posito cono deorsum, merguntur verò posita basi, quoniam si conus est bis grauior aqua, & eius altitudo tripla ad aggerem, qui fit in circuitu, tunc tota moles composita ex aere, & cono, erit duplex ad conum solum; & quia conus est duplo grauior quàm aqua, tunc tota aqua quanta est moles coni & acris libella erit æqualis ponderis cum cono: ergò fiet æquilibrium, & non submergetur conus aquæ impositus; ac imposita basi submergitur, quoniam moles aquæ intra aggerem possibilis est æqualis cono; conus autem bis specie superat pondus aquæ, ergò descendet.

Item id potest fieri in omnibus figuris, vt beneficio aeris supernatent, quoticscunque aër est tantus intra aggerem, quantus cum solido efficiat compositum minus graue, quàm sit tanta aqua in mole quanta est moles solidi iam submersa sub libella superficiei aquæ: & hæc omnia pendent ex illa maxima Archimedis. Moles corporeæ minus graues formaliter, quam aqua submergi non possunt: de qua in sequenti articulo.

Respondeo solida videntur philosophismata Archimedis, & Galilæi; adhuc tamen in duobus hæsito, & principaliores caussas desidero.

Primò, non videtur rectissimè dictum, quòd in aqua nulla sit resistentia ad motum, sed solum ad passionem motus, propterea quod nulla facienda est adhuc in aqua diuisio, cùm sit in atoma corpuscula iam redacta, & contigua res, non continua; sicut aceruus farinæ, aut arenæ: nam cum ignis densissimam materiam in tenuitatem agit, prius lentam ipsam facit, mox mollem, deinde viscosam, deinde lubricam, deinde liquidam, deinde vaporem, deinde tenuitatem: si ergò aqua prorsus diuisa esset in atoma, vtique non posset ignis in minutiora corpuscula, qualia sunt vaporosa, & tenuia, conuertere: nam atoma sunt, quæ componunt aquam. Atomus autem idem est, quod indiuisibile. At si dicas, partes aquæ non subdiuidi, sed distantiores fieri, dum in vapores vertitur, tunc sequitur, omnia corpora ex atomis constitui vel distantibus, vel coniunctis, tunc quæro, quid est quod facit esse distantia, & continuata? profectò à calore & frigore has passiones fieri videmus: ergò calor, & frigus habent vim separatiuam, & vnitiuam quatenus sunt virtutes incorporeæ actiuæ, vel quatenus corpora: si primum, datur aliquid actiuum præter corpora contra Galilæum, qui in hoc sequi videtur Democritum: si verò calor & frigus sunt corpora, vt vult Democritus, tunc intrudent se intra corpulentias alias, ac potius replebunt, quàm diuidant. Nec frigus faciet densiora, sed vel rariora, vel pleniora nec calor segregabit, sed replebit vacuitates solidorum suis acuminatis minutisque portiunculis. Nec vt ipse habitet, ingredietur, cum eius sit sursum ire. Ignis autem etiam quæ sub se vrit, vt candelam, & cum eius sit extrudi sursum à grauioribus, quomodo se intrudet deorsum in grauiora? de his in quæst. de Transmut.

Prætereà qua ratione tu dicis, atoma esse diuisa in aqua, dicam & in auro, & in omnibus esse diuisa, tunc mirum, quomodo tam difficile ab inuicem diuelluntur. Galilæus videtur concedere exquisitum tactum facere continuationem; sed quæ virtus faciat tactum exquisitum, non dixit, nec dicet quidem, nisi ad principia incorporea recurrat: nam vacui prohibitio nulla est, cum Aer, & Aqua admittant vacuitatem multam Democrito.

Prætereà cum omnia atoma tendant ad centrum, quæ magis penetratiua sunt, magis

centro potirentur. Ergò plus ignis esset intra tellurem, quam extrà, nec posset extrudi a grauioribus atomis, cum ipse sit vehementior ad se intrudendum. At quidem, licet sit aqua extensione, non diuisione fluida: non propterea Aristoteles vicit; nam plus extensionis, aut diuisionis non patitur à solidis, sed ab igne. Verum & viscositatis aqua videtur particeps contra Galileum: nam chartas copulat, quasi visco inuicem, & muro impingitur, vt nemo dubitet non prorsus expansam esse.

In secundo hæsito, quoniam palam est ab aqua tardari motum plusquam ab aëre. Ergò quia minus diuisa. Galileus respondet, quia partes eius sunt hinc indè remouendæ; sed si ab inuicem remouentur, ergò sunt coniunctæ. Nihil enim habet continuitas vbi penetratur, nisi partium penetrationem: patet, quod cum in parietem impingo clauum, citius penetrat acutus, quam obtusus, & citius grauiter impulsus, quàm leuiter. Ergò non solum grauitas, sed & figura aliquid facit. Galileus ait tardat, aut accelerat. Sed profectò ita tardatio est, quia minus diuidit, remouetque. Item si media ex contrariis componuntur, vt multi volunt, tarditas ex motu & quiete componitur; celeritas plus sapit de motu, & tarditas plus de quiete. Vnde non videtur figura esse excludenda penitus à cooperatione, sed quidem in motu, non in submergi, & natare. Optimè enim Galileus concludit contra per multa argumenta; præsertim eo quod idem corpus acuminatum non natat basi imposita, sed acumine. Vnde ad grauitatem recurrit maiorem, & minorem, quam præstat aër contiguus solido.

In tertio dubitatur, si aer est corpuscula atoma inter se distantia: nam idem Rarum Democrito, & vacuitatem multam includens: quæro, quomodo retinet laminam auream, ne immergatur, vacuitate nè, an corpusculis? non vacuitate, quoniam potius ab atomis ipsa vnitione impleretur. Item omnia corpora naturà magis sursum, vbi est plus vacui, quam deorsum, vbi plus pleni feruntur. Igitur corpusculis. At ista sunt per te ab inuicem segregata, & plus cognationis habent inter se, cum sint omnia aërea, quam cum lamina ferri, vel auri, quod solutum ab igne pondus non amittit, testificans in se partes nullas aereas habere, nec vacuitates. Ergo propria cognatione affecta, nil curabunt insequi aurum, & minus retinere ne mergatur, cum præsertim plus cum aqua, quam cum auro habeat cognationis aer.

Præterea cum sint vacuitatis plena atoma aëris inter se, statim poterunt separari ab inuicem, nec vllus fieret agger aquæ, cum aër cedat aquis grauioribus. Igitur non insequitur aër laminam. Quapropter vel asserendum est aërem non esse atoma dispersa, sed corpus continuum expansum, similiter & aquam, & tunc ista subdiuisibilis, & expandibilis amplius; vel aliunde est quærenda causa aëris retinentis.

Præterea mirum quomodo gutta aquæ, qua totam tabellam illinit Galileus, separet aërem a tabella, vt ipse putat, cum magis deberet consociare, & vnire, sicut viscum solet. Nam aqua viscosior est, & aëri cognatior: imò ille humor aqueus impressus in aërem distillatur, vt palam est ex contactu aëris, ergò magis vniret aërem cum lamina, sicuti sanguis spiritum cum corpore. Nam & ipse Galilæus negat hæc in globo cereo plumbato aquis immerso, cum ex aëre separatur; agnoscitque aerem intra cyathum immersum si tetigerit, iterum attrahere sursum globum illum cereum, quamuis multa aqua madefactum: ergò vnctio aquæ in tabella non separat aerem, nec est causa vnica immersionis. Ergò etsi doctè Galilæus locutus est, non tamen sufficienter. Adducit ipse quandam inter corpora affinitatem; sed quid sit, non docet; neque cur magis cum auro, & grauioribus, quàm cum aqua ferat illam aër; & quomodo atoma aëris id possint, & an intrudantur in corpus auri, & quasi vncinis retinent; an solo contactu, & quanto, & quali: & vnde est quod negatur doctrina priscorum, quod aqua aëre locatur, & cum eo cognationem habet maiorem quàm lamina quæuis.

Præterea, quæro, cur partes aëris carent contactu? si enim quia intercipitur vacuum, saltem quando se inuicem tangunt, statim vnirentur fortiter, vt partes auri ad inuicem. Vacuum enim cum sit nihil corpulentum, non impedit tactum exquisitum, nisi vbi distant partes, alioquin nec partes auri vnitæ essent. Si dicas diuersitatum esse figurarum atoma aëris, ac proinde inter se copulari non possunt, quin intersit vacuum, idem dicam de auri atomis. Tu dices hæc inter se simillima, & vnius figuræ, & ego dicam, atoma

aërea cum sint cognationis specificæ eiusdem, esse consimillima, ac debere mutuo pariter copulare, & vi affinitatis non amplius disiungi, nisi violenter, vt dictum. Item cur magis viscam, quam astrictio partium coniungit corpora, nec dici fortè ex his potest: profectò non facile Democritici recentiores positionis causas reddent exactas.

Propria Opinio. Dicamus ergò iuxta dogmata nostra: maximè vnum est primum, summumque ens, quod omnipotentia, omnisapientia, & omni amore essentiatur: secunda vero entia sunt quatenus ipsius participant vnitatem, potentiam, sensum, & amorem: vnde maximè conseruantur, quæ maximè sunt vnum & hæc.

Diuisio autem Numeri est influxus: & destruit entia, quoniam non entis participationem conducit. Duplex autem est vnitas participata. Alia formalis, vt aquæ, & partium suarum, quatenus vnica forma simul tenentur ab vnica idea. Alia materialis sicuti os, & neruus colligantur in vnum, licèt diuisæ sint formæ; & vinum, & aqua, & aurum, & argentum simul conflata, Formalem vnitatem habent omnia entia similaria.

Quare non est magis vnum tellus, aut aurum, quàm aër. Materialem verò, quæ magis vnita sunt corporaliter, quamuis dissimilaria, vt æs, & stannum in corpore bombardæ: & hoc modo magis est vnum aqua, quàm aër; & tellus magis quàm aqua. Aurum autem super omnia metalla est vnum: & omnia illa quorum partes sunt vnitiores. Vnum autem formaliter & materialiter est aurum super metalla, & tellus pura & centralis super corpora leuia.

Quapropter diximus in Metaph. Densum esse maximè vnum corporaliter. Rarum maximè numerale. Aquam verò, & omnia liquida, & quæ inter densum summum, summumque rarum sunt corpora, participare simul vnitatem, & numerum materialiter: respectu Dei nec Angelus est vnum omninò compositionis expers: cum ergò omnia ament vnitatem, vt largitricem entitatis, & conseruationis: horreantque diuisionem, vt nonentitatis prolem, causamque destructionis: hinc fit, vt primo rerum vniuersitas sit vna mutuáque copula omnia gaudeant corpora, nec a se inuicem separari patiantur, vacuitatemque vt separatiuam abominentur; magis autem se se mutuo adsequuntur, & consociantur, quæ formaliter, & materialiter vnum sunt; cætera medio modo se habent. Licèt ergo nulla esset subdiuisio reliqua in aqua, vt Galilæus dicebat, quod non asserimus, cum aër sit magis diuisus, nihilominus partes aquæ ab inuicem separari nolunt, ne destructionem incurrant: per vim ergò grauioris corporis separantur, vt liceat dicere, quod etsi non habent resistentiam materialem, habent tamen formalem, cum mutuo contactu gaudeant, atque seruentur. Si ergo Galilæus concedit affinitatem inter laminam auri, & aërem, multo maiorem inter partes aquæ concedat oportet: quæ autem nolunt separari, resistunt separanti: ergò est resistentia in aqua formalis. Addo etiam materialem, cum sit amplius adhuc expandibilis, diuisibilisque, vt cum feruet ab igne, & in vaporem vertitur. Si enim esset aceruus atomorum, sicut farinæ, partes minutiores manerent in supremo aquæ, grauiores in imo, & tota aqua pyramidalis fieret, vt aceruus farinæ, & in medio vasis esset conus, & tenuissimar portio: in labiis esset decliuitas, & portiones minus tenues. Quando igitur tabella ponitur in aqua, procul dubio inuenit resistentiam maiorem, quam in vino. Sed si ponderosior est, quam aqua, penetrat vt clauus obtusus parietem multo pondere impactus. Vera est positio Archimedis, quod grauiora merguntur, at quando non merguntur dum aërem tangunt, cooperatur aër, & aqua superior & inferior ex amore vnitatis. Nam partes inferiores nollent diuidi, diuiduntur ergo per vim grauitatis; quoad ergò possunt, resistunt. Superiores verò magis in se ipsas cogi volunt, quam super laminam expandi timentes diuisionem. Vnde conglobantur sicut in cyatho pleno multa aqua, quæ ne superfluat, atque à cognata aqua diuidatur, coit in globum: sic etiam sputum, & omnia liquida, mox vt super dura cadunt, agglobantur: imò plures guttæ vicinæ, si pauxillum impellas, vt tangant, statim altera ad alteram se confert, vniuntur in sphæram. Guttæ quoque è laquearibus pendulæ benè grossæ se se continent amplexæ lignum, ne cadant, & diuidantur particulæ à particulis quoad possunt: habent ergò sensum propriæ entitatis, amorem conseruationis, & potentiam resistendi destructiuis, maximè autem diuisioni. Quapropter palam est, quod superiores aquæ super laminam non subitò expanduntur, licet à proprio pondere

ad expansionem trahantur; quoniam se continent vnitæ ab amore cognationis conseruatiuæ. Cum autem grauitas laminæ est tanta, quæ vincat, ipsæ propria grauitate desuper coeunt, vt guttæ crassæ ex laquearibus tandem decidunt. Hoc autem Galilæus non declarauit, sed totum tribuit aeris cognationi cum lamina; quæ quidem minor est, quàm aquæ cum aqua. Hæc ergò potior erat. Aër autem repugnat submersioni, non quia quasi visco sustinet planissimam laminam, sed quia insequitur, ne vacuum, aut diuisio intercidat inter corpora, & partes animalis mundani: sic enim vsque ad viscera terræ, si perforetur, aër intruditur. Item addit aër aquæ per antiperistasim robur, vt aggeretur, nec se expandat super laminam; quod quidem facere non posset, si esset atomorum minutiorum congeries, ab inuicem distantium.

Solidum autem non potest mergi, nisi partibus aquæ superioribus insequentibus contegatur: nam mergeretur simul aër. Quòd si nec aqua ipsum tegeret, nec aer insequeretur, arbitror multo magis supernataturum in vacuo retentum, & à nullo compulsum: nam & aqua ascendit, vt repleat vacuum, hoc placet illis, qui sagittam non posse ferri ad scopum, dum aërem diuidit, autumant, nisi alius aër retro insequens ipsam velocitate coitionis impellat.

Ista autem doctrina maximè clarificatur ex eo quod nec latitudo, nec longitudo laminæ facit aliquid ad profundationem: sed crassities, quæ debet esse tanta quanta potis est relinquere tantam altitudinem aggeris, quæ capiat tantam aquæ molem, quanta libratur pondere cum ipsa lamina: nam si sit paulo crassior statim inferius descendit. Ergò tunc aqua superior non potest amplius se continere ab inferiore eleuata. Ergò operit, & non consubmergit laminam. Non ergò grauitas absoluta trahit deorsum, cum sit maior in lamina latiori, sed quæ eleuat ita aquam, vt non possit se plus circum aggerere; neque multitudo aëris retinet, cum sit eadem, & major in latiori, vel æquè lata lamina paulò crassiori; sed aquæ se continentis etiam virtus, vel cessio, aut non actio. Verum est ergò, quod non solius aëris contactus præstat æquilibrium, sed quia nec aqua inferior cedit, nec superior impellit ob dictas causas: cum autem tabella humectatur, aqua non se conglobat, quoniam non timet à cognato in aduersum secedere, sed inuenit cognationem humoris, & propria grauitate non frenata insequitur.

Equidem experimenta Galilæi examinata vera esse deprehendo, & quidquid ergò grauius est aqua submergi video, grauius autem est quod magis est vnum, siue vnitum materialiter; si autem etiam formaliter, multo citius. Lignum ergò, quia non magis est vnum, cum ex aëre, & crassitie constet, non mergitur: lamina auri, quia dum findit, impeditur à resistentia aëris ad sui submersionem, & ab aquâ ad diuisionem. Video enim carbones, & lapides puniceos natare: At in frustula comminutos submergi; quoniam aerea parte inter pumicis, & carbonis poris contenta, clapsa, crassiusculæ se non continent, vt nec cinis natabilis ligni: similiter paleas vnde aer expressus, est submergi experior. Itaque omnis densitas maior aquea, est submergibilis, nisi impediatur rari mistura: habetur autem aër constrictus, laminæ tanquam vnum cum ea mistum, dum mistum potest conseruari, vt in carbone: cum autem grauitas plus aquæ findit, superior aqua superfunditur in laminam dissoluens mistionem; sicuti aqua putrefactis lignis imbibita loco aëris, ea grauitate sua, ablato impedimento, potiri facit, atque descensu: his dictis respondeo ad argumenta.

Ad primum & secundum Arist. dico ipsum errasse in eo, quod putauit arenas aureas supernatare simpliciter, & Acum mergi semper, vt bene dictum est supra.

Item perperam assignare laminæ natationem resistentiæ medij: cum palam sit semper mergi quidquid est densius aqua, nisi impediatur. Impedimentum autem non est à sola resistentia quæ communis est cunctis corporibus: sed à mistura aeris inditi, vel attigui, & aquæ non grauantis desuper tumore, & conglobatione. Resistentia autem medij etiam ab arenulis, & cinere vincibilis est, ipsamque esse non negamus; sed non sufficientem dicimus contra densiora, quamuis minutissima; sicut tabula non resistit foranti acui; & metallo, sed ligno, & paleæ debilioribus, vel æquè fortibus ad penetrandum certo pondere impulsis.

Ad Democritum ritè responsum est. Argumentum ex natantibus ob feruorem aquæ

est nullum. Nam multus feruor, multusque ignis ingenerans vaporem commouentem aquam, quæ commouet grauia in fundo ollæ, non quæcunque, sed quæ parum superant aquæ grauitatem. Item nec extra aquam eleuat, sed intra superficiem. Laminæ autem ferreæ sunt grauiores, quam vt à vapore eleuentur, & super aquam, & vbi feruor aquæ est nullus, vt patet in eadem bene frigida.

Ad Galilæum ex dictis responsum esse patet, benè quidem descensum dat grauitati maiori formaliter: at & materialiter dandus erat; sed non rectè negat omnem resistentiam in aqua, sed illam tantum, quæ possit se grauiora sustinere. Item de aëre sine Primalitatibus retinente descensum haud sufficienter Philosophatur: nec puto rectè dum statuit aërem, & aquam esse congeries atomorum distantium ab inuicem magis, & minus. Bene etiam asserit figuram acutam non magis atque planam profundare solidum grauius aqua: quoniam grauitas sola est profundationis causa. Ad quod non melius, & facilius profundet, falsum est; nec ipse negat dum celeritatem ei maiorem tribuit: celeritas autem plus de motu participat, tarditas verò de quiete.

Quòd verò non solus attiguus aër retinet solidum mergibile in aqua ex dictis patet. Item ex confessione Galilæi, qui in 3. argumento secundæ considerationis docet pilam ceream cum plumbo tantulo non submergi ob aëris attiguitatem, & submersam attactu aëris intra cyathum immersum emergere: vbi sanè non prodest aquea vnctio ne emergat, sicuti dicebat prodesse tabellæ, vt submergatur. Ergò triplex resistentia requiritur vt nos docebamus.

Quod verò putat, figuras latas & longas minus infindere aquam, quam strictas, & breues, haud rectè dictum videtur. Nam licèt hoc verum sit in sola ratione submersionis, non tamen in motu, neque in penetratione: cum parietes, & ligna & quæuis corpora melius acutis, quam planis diuidamus, instrumentis; multa enim materia obuiat planis; acutis pauca, & facile remouibilis: nam & aceruus farinæ, & arenę palo acuto facilius, quam obtuso penetramus: aqua autem aceruus est atomorum Galilęo debiliter se tangentium. Aurum verò, & tabula arctè se tangentium. Item homines dum natant figurationis beneficio non submerguntur, & præuentione motionum.

Rationes, quibus Galilæus certat, quòd aër sustineat tabellam, validæ sunt, & ego eadem expertus in multis. Vidi spinam echini marini totam submersam: partem verò extremam crassiorem super aquam tactu aëris stare: & cum mouerem aquam, pendula spina mouebatur: at madefacta statim descendit tota: partes minutæ folij ficulneæ submerguntur, grandes verò natant, aut sunt in ęquilibrio, quoniam in his plus tenuitatis, minusque expressę. At in tactu aëris nihil est, quod non supernatet, si proportionem Archimedis seruet.

Et re vera ne & aër submergatur, solida non submerguntur: donec aqua cogitur superessundi nimis eleuata, vt rumpatur.

Quarta ratio Galilęi sensum rerum pandit, sic sponte per spongiam eleuatur vti per tabellam, dum non vult vacuum permittere, aut à suis partibus, sui diuisionem.

Post scriptum noto, quod cinis albus à calore prorsus vincente in minutissima atoma est redactus, qui declarat, quod si aqua esset congeries atomorum in aceruum pyramidalem se contineret, vt farina, & cinis: Neque enim minutiora inuenias atoma, quàm quæ ignis potentissimus secauit etiam Galilęo: non ergò atoma aquæ erunt minutiora. Ergò vt prius, alia erit concretio omnis plusquam atoma.

Vtrùm

Vtrùm excessus grauitatis corporis mobilis specifica super grauitatem aquæ sit causa submersionis, vt putat Archimedes. Defectus verò, natabilitatis. An Figura mobilis, & resistentia aquæ minor, vel maior, vt videtur Aristotelicis. An densitas & raritas, vt dictum est in textu. An plenitudo maior, & vacuitas minor, vt videtur Democrito.

ARTIC. III.

Videtur, quod Densitas, & Raritas nil conferant submersioni, & natationi.

1. Etenim glacies densior est aquis, & tamen supernatat aquis. Similiter nix, grando, & huiusmodi densiora.

2. Nubes sunt densiores aëre, & tamen natant in aëre, quod Chrysostomus admiratur. Ergò pariter densiora aquis in aqua.

3. Quercus, & omnia ligna, excepto hebano, & consimilibus natant, cum tamen sint densiora aquis: similiter carbones, pumex, & alia huiusmodi; oleum quoque, & adeps crassius etiam natant.

Archimedes ait hæc specificè esse minus grauia: sed contra.

Ferrum est grauius specificè, & tamen in Asphatide lacu natat, teste Aristotele, & Plinio. si ritè memini.

Item lignum est grauius, & natat. Resp. Galilæus non esse grauius specie, ideoque trabem mille librarum non submergi in aqua quinquaginta librarum: sed quæro, vnde est, quod grauius absolutè non est grauius specie.

Vtrùm ex admistione aliorum atomorum, an ex aliqua ideatione, vt nos dicebamus? non quidem ex hac, quam Democratici derident: ergò ex illa: sed cum omnia atoma secundum Galilæum tendant ad centrum, nec vlla sit qualitas interna mouens sensum, quam nos dicimus leuitatem, tunc sequitur, quod atoma illa addita non trahent sursum, cum non dent leuitatem, sed adiuuent motum deorsum: sicuti si centum libris ponderis addas aliquas dragmas, non minues motum. Nec dicat extrudi sursum: nam cum sint intra lignum pice illitum non jacet aqua in illa atoma, quæ non tangit; neque illa de se sursum, sed deorsum inclinant. Ergò non potest ex his reddi ratio natabilitatis.

3. Corpus humanum viuum in aquis mergitur, mortuum verò natat; constat autem speciem non mutari Democrito: sed spiritus exhalare, qui viuens potius natabile fecissent. Ergò grauitas ista incerta est, Laminæ aureæ quoque natant beneficio aëris tangentis, cum tamen mergi potius debeant: si nullum corpus non grauat deorsum.

Resp. quod de opinione Arist. non est cur certemus, cum sit in præcedentibus articulis examinata; neque de Democriti, siquidem videtur non posse reddere rationem positionis, si omnia atoma sunt grauia, & vacuitas non trahat, neque sursum, neque deorsum, cum ipsa non moueatur: sed potius ad se, vbi ipsa inest, cupiens repleri: facit autem, vt atoma sint inter se distantiora, & minus confertim deorsum tendant. Ideoque ab vnitioribus sursum extrudi, quod non potest fieri, nisi tactu, vt diximus. Tactus autem non inest semper vt dictum est. Igitur non facilè specificam hanc grauitatem ex vacuo assignabimus variam. Archimedes fortassis reddet facilius causam: nam species admittit, & naturas præter corpora: miror autem quomodo Galilæus acutissimus Archimedem simul sectetur, & Democritum. Non enim potest assignari aliquid grauius specie secundum Democritum, nisi sit etiam absolutè grauius. Quod enim est maioris molis, semper plura continebit atoma, si & maioris est ponderis. Trabes ergò mille libra-

rum plura atoma habet, quàm aqua centum librarum: tunc non est ratio, cur ista cur ista illam sustineat, nisi recurras ad virtutes incorporeas, & species ideatas, & situm vniuersi: si enim ad corpuscula alterius figuræ, cum sint omnia ponderosa, excludent specificam grauitatem, omnesque erunt grauitates materiales, & additæ non facient minus graue, nec leue: cum ergò ait Galilæus, grauius specie, est alterum altero corpore, quando sunt moles eorum æquales, pondera vero inæqualia: non rectè dicit. Nam deberet dicere, quod moles videntur inæquales, sed non sunt. Quod enim vnities est, plures continet partes in eodem spatio, & ideò grauat magis; sed tunc cum trabes plures partes, quam aqua contineat, erit grauior specie: sed dicet quis, continet plures, non tamen sic vnitas, nec vnitiones. Sed hoc nihil ad rem in Democraticis: nam æquè graues sunt vnitæ ac diuisæ si sola corpora sunt.

Item si è ligno exprimis aërem, erit grauius aqua specificè. Igitur additio ponderis tollebat pondus, quod cum sit falsum, nequaquam stabit opinio Archimedis cum Democrito: neque motus sursum erit sola extrusio, sed ad cognatum reuersio, aut recursus, vt dicebamus: nec atoma aëris sunt, sed corpus est aër minus ponderosum, at leue ad aquam, cui talis situs competit ex sua formatione. Quod magnetis monet ad polam terræ recursus, & ferrei bacilli super subero natante ad situm, quò ferrarius donauit ipsum, teste Gilberto, & experientia.

Itaque ad sensum, & amorem suæ entitatis, & conseruationis, recurras: nec dices, quod grauius est aquis, submergi, cum trabes illa tanta in tantula aqua natet: sed cuius specialis ideatio requirit situm inferiorem in mundo, vt partes crassiores, & grauiores ad nutriendos capillos in nostro corpore sursum tendunt, leuiores verò deorsum ad nutritionem adipis ab dominis. Habent ergò res alium motum a grauitate, alium à cognatione; grauitatem habent a corpulentia, corpulentiam à densitate, densitatem ab vnione, vnionem ab vnitate, & suis primalitatibus potentia, sapientia, & amore. At cognationem à consimilitudine, consimilitudinem à communi idea, ideam vero in prima vnitate. Similia enim in quantum similia vnum sunt; vt videas & materialem, formalem grauitatem, seu propensionem ab vnitate deriuari, & varias esse. Nam illa ad centrum solum, & semper tendit; ista ad conformationem & res sibi consimiles, & in vtrisque esse amorem potentiam, & sensum naturalem: & qui ista non considerat, vel perperam, vel insufficienter Philosophatur.

Regulæ 3. Archim. Ponit ergò Archimedes has conclusiones.

Solidum grauius aqua submergitur.

Leuius emergit natatque.

Æquale æquilibratur, & stat vbicunque ponatur.


At quoniam in multis hoc videtur deficere, vt in trabe memorata, assumit Galilæus grauius specie esse, cuius æqua moles plus ponderat. Absolutè verò quod omninò plus ponderat, siue æqualis sit molis cum suo relatiuo: & quoniam ex mechanicis habemus pondera æqualia absolutè æqua velocitate mota esse æqualium virium, & operationum. Attamen à velocitate, & tarditate motus posse augeri, minuique vires, seu momenta, vt aiunt, grauitatis, ita quod absolutè minus graue præponderet grauiori, vt in statera, vbi pondus vnius libræ præponderat solido decem librarum si alterum stateræ brachium sit decies altero longius, quoniam quod distantius à centro velocius mouetur. Velocitas autem grauitatem, & vim addit, vt dictum est. Sic ergò pondera inæqualia possunt æquari, & è contra. Propterea, igitur quoniam dum solidum immergitur, aqua eleuatur, fit vt si momenta motus aquæ resistentis ire sursum, sunt maiora momentis solidi grauantis deorsum, natet solidum: si minora, mergatur: si æqualia, æquilibretur.

Non tamen euenit semper, vt solidum submersum eleuet tantam pondere, mole aquam, quanta est pars eius submersa, vel totum: neque stat, quod tanquam minus graue non potest æqualem suæ moli, ponderique eleuare: sed fieri potest, vt pars aquæ eleuatæ à submerso solido, sit longè minor pondere, atque mole, & hoc magis vbi vas aquæ angustius est: è contra verò fit, vt modica aqua eleuet magnam solidi molem, & pondus: hoc accidit, vbi momenta aquæ à suæ molis velocitate augentur.

3. Moles aquæ, quæ eleuatur, aut deprimitur in solidi immersione, vel extractione,

vbi vas est ad perpendiculum horizontis, est minor portione solidi immersi, vel extracti, & ad ipsam eam habet proportionem, quam superficies aquæ circumfusæ solido ad eandem superficiem circumfusam, ac simul ad basim solidi.

Moles igitur eleuatæ, aut depressæ aquæ non est æqualis toti portioni solidi immersæ, vel emersæ: sed illi tantum, quæ remanet sub libella prima aquæ vel supra, vt in præsenti figura. Aqua C. in mersione solidi A. B. ex prima libella ad secundam non est æqualis solidi portioni A. B. sed solum B. quod est sub libella prima. Ergò cum eleuatur solidum cylindrum ex aqua. Depressio aquæ habet eandem proportionem ad eleuationem cylindri, quam basis cylindri ad aquam circumfusam: vt si sit putei amplitudo ad columnæ immersæ crassitiem octupla, piscinæ verò vigintiquinque vicibus eandem excedat, tunc, si columna eleuetur vlna vna deprimetur putei aqua septem vlnis, piscinæ verò vigesima quarta parte vlnæ: hinc sequitur.



Quod cylindrum minus graue formaliter quā aqua, vbi ab ipsa totum circumdatur, quamuis modica mole, ac pondere, ad ipsum necessàrio eleuatur: quoniam maior est proportio ponderis absolutæ aquæ vnà cum momentis velocis descensionis eius, quàm ponderis absoluti ipsius cylindri cum momentis resistentię eius tardæ ad eleuari sursum.

Solidorum pondera absoluta habent proportionem compositam ex proportionibus grauitatum formalium, & molium eorundem. Igitur non eleuatur cylindrum minus graue formaliter, antequam infundatur tanta aqua, quanta eius grauitas, & tunc fit æquilibrium. At si quid addas, eleuatur; quoniam vincit etiam pondus absolutum. Ergo quoniam moles tanta aquę, quanta est submersi pars solidi, ponderat absolutè, quantum tota moles solidi, tunc eleuatur solidum, & idem facit aqua multa, & modica. Nam modica citius descendit, quam magna. Exinde momenta motus addunt pondus aquæ modicæ ad impellendum sursum; quod tarditas multæ descendentis non facit, vt patet in exemplo staterę. Propterea grauius formaliter solidum non potest vnquam eleuari à quantacunque aqua, si nec æquale eleuatur, nec minus, antequam aqua præponderet immersæ moli: quoniam pondus eius absolutum maius est, quam pondus molis aquæ æqualis moli ipsius solidi. Aqua autem nimia, quę additur non mouet solidum sursum, quoniam non tota in ipsum agit, sed illa tantum, quæ continetur inter duas superficies horizonti æquidistantes, interque se parallelas, quæ comprehendunt, concluduntque altitudinem immersi solidi.

1. In his Galilæi decretis non desunt ambiguitates. Prima non videtur certum, quod sola aqua nil mota impellat sursum impositum corpus specie minus graue. Aqua enim cognatę aquæ mista non tendit sursum, nec deorsum: licèt tota moles aquę semper deorsum vergat. Vnde ergò est, quod in medio aquæ positum corpus extrudatur sursum? non à partibus aquæ superioribus, quæ potius deorsum pellunt, nec ab inferioribus, qua etiam deorsum vergunt. Ego ab his, quæ ambiunt solidum, vt dicit Galilæus: sed hæ non quæritant amplius descendere, nec ascendere; quid ergò est, quod extrudit? profectò oportet aliquid formæ solidi ascendentis tribuere: quæ tamen iuuantur statim ab aqua: nam & natantes homines cum faciunt impetum sursum, ab aquis inferioribus statim eleuantur: si verò nihil per se operantur, nec aquæ operabantur ad eorum emersionem.

2. Mirum est, quod docet corpora mille librarum eleuari à centum aquis propter momentorum additionem, quæ ad mille libras aquas magnificat quandoquidem videmus nil commotis aquis, vnde ex commotione acquirant momenta, sed solummodo impositum dexteritate quadam solidum per se natare. Ergò hoc accidit ex sola differentia specifica solidi, & aquæ & non à pondere aquæ, per momenta aucto.

Prçtereà, quod ait, aquam minorem velocius descendere, quàm maiorē, non est satis tutum. Si enim descensio est à grauitate: & grauior est maior absolutè: ergò velocius descendet, vel æquè velociter, vt alias docet Galilæus contra Arist. in æquè grauibus formaliter.

Prçtereà nec videtur verum, quod tardius resistat pondus mille librarum ascensioni, quam aquæ centum librarum est velocitas in descensione.

3. Declarandum restat Galilęo quomodo exemplum stateræ, aquæ & solidi motionibus adaptetur; cum non se ponderent ista in eodem centro ponderis; neque alterum magis, alterum minus à centro ponderationis distent, vnde fiat diuersitas momentorum: pondus enim minus, quia pendet è brachio longiori in maiori à centro distantia eleuat, quod vicinum est centro pondus maius se. Sic & in rota distantiores plus spatij in eodem tempore peragrant in oppositam partem. At quomodo ista aquis, & solidis conueniunt? Fortè non in cunctis, sed in hoc, quod sicut pondus minus descendendo facit maius ascendere propter colligationem in stateræ brachiis, sic aqua descendens pellit sursum cylindrum. At ista pulsio non datur, vt à principio dubitauimus, nisi & pulsum formaliter aptum ascendere: alioquin & grauiora formaliter, sed non absolutè leuiora pellerentur. Ouum tamen, quod è salsa emergit aqua, videtur pondus absolutum dignificare. Nil enim habet specificum aqua salsa, plusquam dulcis, nisi crassitiem, & calorem. At specificam inuenire differentiam fortassis non possumus. Idcircò fatendum specie grauius esse dulcibus, non autem salsis. At profectò non satis constat, quomodo è fundo emergit ouum, & non lapillus, nisi specie agnoscas ideationes, & situum congruentiam in corpore mundano, nec solis confidas atomorum grauitatibus.

Igitur ex nostro dogmate statuendum, omnia densiora esse grauiora secundum corpulentiam: non tamen secundum formam particularem, vel vniuersalem. Voco particularem huius corporis; vniuersalem Mundi, quæ talem ordinem, situmque postulat, vt in logica diximus: vim situs docet Magnes, & ferrum natans in subero ad originalem se situm spontè accommodans; & caput grauius secundum corpulentiam, quam manus: quod tamen superius natura positum est. Vim particularis formæ indicat ignis, quod nullis machinis potest infernè cohiberi.

Ad primum ergò argumentum Resp. à Galilæo, glaciem esse rariorem aqua, non densiorem, & ideo supernatare cuiuscunque sit figuræ: probat dictum, quoniam aqua dum glaciatur, assumit maiorem ambitum, ac locum, insuper & leuitatem. Id quod cunctis euenit corporibus, dum rarescunt.

Equidem hanc responsionem acceptare non possum: nam aut frigus est entitas contraria calori, vel eius priuatio: si contraria, tunc quemadmodum calor rarefacit, sic frigus condensat. Videmus enim vapores frigore correptos in mole aquæ minorem cogi, & in niues corpulentiores. Vbi nunc corpulentia maior, ibi densitas. Igitur pariter aqua, dum glaciatur, condensatur: si verò sit caloris priuatio, vt putant: tunc palam est, quod sicuti præsentia caloris intumescunt, & liquescunt metalla, vitrum, & cera; sic eiusdem absentia constringuntur, & indurescunt. Duritiem autem propterea resistere tangenti, quoniam adeò vnita est, vt non possit plus cogi, & vniri à tangente, manifestum est experimento, & ex tota nostra Physiologia, & Platonica, & Aristotelica. Id autem est densitas, partium vnio fortis: quam constat à calore molliri, & partes distantiores fieri etiam Galilæo, ac Democrito. Nescio profectò vnde mirificus vir talem Thesim adduxit; fortassè putat Galilæus frigus esse atomorum congeriem, aut effluxum sicut calor, quæ dum aquam subeunt rarificant. At quidem & calor, & frigus rarificarent, quod quidem absurdum est. Item frigus aquam intrans poros obstruit aquarum: Ergò magis addensat, sicuti minuta corpuscula arenarum mista grossioribus replent, & & addunt pondus, non rarificant, vel saltem non afficiunt leuitate. Idem argu-

meatum currit contra calorem, si est ipsa corpuscula, & non aliud. His dictis puto, rationem Galilæi esse generaliter falsam. Non enim fortasse omnis glacies est leuior aqua: nam vt Arist. in primò Meteor. cap.13. docens aquam calidam celerius infrigidari, quam frigidam: nam, ait, & circa Pontum piscantur decidentes glaciem aqua « calida, & circumfundunt calamis: Propterea quod citius coagulatur, vtuntur enim gla- « cie, tanquam plumbo, vt quiescant calami. «

Ex quo fortassè verum est glaciem esse grauiorem aqua, si ipsa quasi plumbo, & non subere vtuntur. Igitur fortè Galilæus accepit glaciem, quæ sponte fit in aquæ superficie: constat autem superficiales partes esse leuiores centralibus, tum quia tenuiores, tum aëris commercio, & mistura: ergò dum congelantur pars tenuis intermista erit causa, quare non descendant, sed natent; at si calida geletur, vnde per calorem aër exprimitur, & vapor, fortè grauior erit, similiter si aqua fluuio intra conglacietur.

Patet autem id in niue, quæ etiam supernatat, constat autem niuem fieri ex vapore multo simul densato, antequam partes tenues exhalent. Vnde Aristoteles putat ab intermisto aëre candorem assumere: experimur etiam dum niuem secamus quandam egredi fumositatem. Igitur leuitatem habent, non à densatione, nec à rarefactione facta per frigus, dum enim nubes in niuem concrescit, si raresceret, fieret leuior, & non caderet deorsum: ergò à partibus tenuibus commistis, vt vel ex hoc Arist. agnoscat in niue calorem. Grandines quoque natant, sed non item; quoniam grauiores sunt niuibus: at cum in aëre fiant ex vapore, vtique tenuitatis non sunt expertes. Ideóque sunt aqua leuiores· non tamen puto pluuiali coæua, sed fluuiali, & aliis crassioribus. Præterea examinans glaciem inueni ampullas aeris fortè plenas: qui est causa ne submergatur; & gratias autori naturæ, quoniam sic vt cogitaram inueni. Quod autem Galilæus asserit plus molis esse in congelata, quam in liquida, non rectè assertum puto: nam & cera, & metalla, & quæcunque liquescunt, docent augeri molem in liquidis, minui in congelatis: sed fortè Galilæus argumentum sumpsit ex eo, quod dum glacies liquefit à calore blando, minoris fit molis. Vbi deceptionem interuenire puto. Nam dum liquescunt partes crassiores, minus crassæ rarescunt, attenuantúrque in aerem. Idem enim calor in dissimilare corpus dissimilarem actionem facit, & effectum. Quapropter crassiores videntur esse minoris molis, quoniam aliquanta mole priuatæ sunt, quod & metallis euenit, dum liquescunt, sunt enim tunc minoris ponderis, aliqua etiam molis, vt vicina hydrargirio. Aurum verò auget molem, non tamen pondus, nisi forte ob calorem sic videatur, qui leuefacit; nam cum rursus coïerit in se ipsum, pondus habet, quod ante. Non tamen concedam, quod dum glaciatur aqua, assumit molem ampliorem, si nec dum fit ex vapore aqua per maiorem conglaciationem, idem euenit, sed contrarium. Neque dum congelantur alia corpora, propediem tamen statui noua experimenta tentare, vt videam an possit Galilæi sermo verificari, neque enim solet inexpertus loqui. Vidi rumpendo glaciem vesiculas, vel vacuas, vel aeris plenas, indicantes sui ipsarum causa non submergi, ergo vel aër commistus aquæ, vel portio, aquę inest non glaciabilis: cum enim glaciatur vinum, eius pars tenuis in centro glaciati non glaciata cernitur: quam putant Aquavitam.

Ad secundum dico, quod nullum densius, qua densum, natat in rariori corpore, sed mergitur. Quæ autem videntur densiora natare simplicem densitatem non habent, sed mistam tenuitate, vel calore, palam est enim nubes à calore eleuari, spargique: ergo donec iterum densentur, aut calore priuentur, se sustinent in sublimi: similiter hypostases in vrina natant, donec crassescant vnione: puluis verò, donec diuidat passim totam aquam, cum enim sit densior, quàm aqua, licet minutior, locum inferiorem appetit ex forma densitatis: & hoc argumentum sumitur inuictum ad probandum omnia densiora, quamuis minus grauia centrum petere magis, quoniam sunt vnitiora. Vnde aurum inter metalla vnitius, & dissimilaritatis expers, est etiam grauius.

Ad tertium non natant ista densitatis viribus, sed tenuitatis admistæ, quæ dum vincit densitatem, sustinet in sublimi; dum vincitur, delabitur: vnde lignorum cinis descendit, & minutiæ carbonum, & pumicis; non tamen totus carbo, & pumix, cum admittant intra poros tenuitatem repugnantem descensui: illa tamen expressa, descendunt, vt patet in ligno intra aquam putrefacto, & in palea confricata, & posita in fundo aquæ, do-

nec eueniebat aërea portio, & subeat aquea illius loco: oleum, & adeps continent intra viscositatem suam multas tenuitates percalidas, vt combustibilitas eorum admonet, Ideóque natant, non quia densiora.

Ad primum contra Archimedæos resp. Galilæus, falsam esse historiam, quod in Asphaltide ferrum natet, vel esse alterius generis aquam: sed profectò, si plumbum liquefactum esset illa aqua, vix resisteret ferro: sed forte sic se habet ad ferrum, vt salsa aqua ad ouum: interim suspendo sententiam donec in liquefactis metallis singulis, quæ metalla eiusdem, vel diuersorum generum natent, expertus fuero, nunc deest commoditas.

Ad secundum plurima diximus. Ad tertium verè corpus viuum submergitur, quoniam non est tantus spiritus, qui possit totam molem sustinere: ficci hebani tenuitas non superat eius densitatem: & quidem si tenuitas etiam esset grauis, hoc est atomorum dispersorum congeries grauium etiam, vt putat Democritus, non traheret sursum ligna vlla. Est ergò species sic trahens ad cognatum. At verò cadauer natat, non tamen subitò, sed vbi putrescere cæpit, atque in vapores plurima pars solui per totum corpus. Vapor ergò est sustinendi eius causa in sublimiori aqua: vnde pedes deorsum videbis magis in cadauere, pectus sursum, & caput spectans cælum; quoniam situm suæ originis seruat, talem enim in vtero accipimus situm: sic clauus super subero natans ad situm originis se adaptat, vt in libro de Sensu Rerum declarauimus.

Argumentum superest contra densitatem, si enim quod est durius, est etiam densius, profectò si graue est à denso, omne durius erit grauius minus duro, contrarium tamen experimur, quoniam aurum est mollius ferro, non tamen leuius, sed grauius.

Respondetur, quod si durities ferri esset æqualis in singulis particulis, ferrum esset grauius Auro: quoniam tamen admittit porositates, & dissimilaritates, quas aurum non habet suis partibus consimillimis, atque ideò vnitissimis maximè compactum amore: Proptereà ferrum non est grauius, quia nec densius æquè. Pori autem, & rubigo, eius dissimilaritatem declarant, vt in textu dictum est.

De opinione G. Gilberti.

IN mentem venit opinio Gilberti scribentis de Philosophia Magnetica; quod duplex est attractio: altera magnetica, quæ est animastica, & sensu cognationis. Altera electrica, quæ fit per effluxiones. Putat enim electrum trahere paleas per tenuissimas effluxiones, quas incalescendo emittit tanquam manus, & per impulsum, & obsistentiam, sicuti & Democritus olim dicebat ad se illas attrahere; docétque hinc terram attrahere, quæ dicimus grauia corpora, deorsum electricè per vapores è terra effluentes.

At quidem opinio ista est inualida, vt in lib. de Sensu Rerum adnotauimus. Nam vapores, vt Democritus etiam dicebat, potius impellunt sursum ipsa grauia, vnde laminas proptereà natare dixit. In aëre quoque ex minutissima terra, fuligineque, per vapores delata, fiunt fulmina, & huiusmodi multa; vt potius videas sursum, quò tendunt, quàm deorsum, vnde mouentur, vapores pellere grauia.

Præterea Aqua similior est terræ, quam vapor: ergò magis attraheret tanquam manus terræ fidelior, è contra nihilominus ipsa pellit sursum ligna, & grauissima corpora. Quod si dicas hunc ascensum in aqua fieri ab incluso vapore, & aëre: tunc sequitur, quod vapor non attrahat deorsum, vt dicebat Gilber. sed sursum: & quod Aqua non sit potentior telluris manus, quemadmodum esse oportebat.

Præterea vbi essent vapores plures, ibi maior attractio. At contrarium fit; sustinent enim res in aëre magis.

Præterea vapores cum condensantur, deorsum cadunt, & res quò densiores eò grauiores, & ad terram propensiores, non ergò à vapore, sed à densitate, qua & ipse vapor, trahuntur cuncta deorsum ob vnitatem conseruatiuam corporum: hinc addo, quod potius magneticè, quam electricè celebratur descensio à sensu conseruationis, vt dictum est, sicut magneticè ignis ad proprium cognatum ascendit: sed plures intermiscentur causæ, sicuti ex dictis compertum est: sed materialis cognatio nullibi deest, licet formalis non semper adsit.

QVÆST. XXXIII.

DE PLANTIS.

EXpletis quæstionibus de metallis, plantæ nos manent: quæ ex fluore, & viscositate laxiori, ac lentore, quibus spiritus ingeneratur, elabique volens, nec potens, sursum trahit has corpulentias, assuescitque inter eas viuere, easque organizare ad opera vitæ varia, sole, terráque, quibus enatæ sunt, conseruantibus, iuuantibúsque, sicuti dictum est in textu.

Vtrùm ex terra tam difformes in res immutata coeuntésque, plantæ fiant à sole: an à Deo, vt docent Theologi, an ex quatuor elementis, vt Aristoteles.

ARTIC. I.



IDETVR quidem S. Ambrosius nostro sermoni contradicere siquidem in Hexam. lib. 3. Plantas non à sole ex terra, sed præcepto Dei terra germinante factas esse vult.

Primò, Probatur sol factus est quarto die, terra autem germinauit in tertio die; Posterius autem non est causa prioris.

Secundò, Idem docet Chrysost. super Genesim.

Tertiò, Item ratio astipulatur: non enim sol facere plantam scit aut intendit, sed ignem; quod autem casu faciat, aliunde causam habet per se, & illa erit vera.

Quartò, Arist. verò in 2. de gener. & corrupt. ex quatuor elementis facit plantas; ex terra quoniam in ea; ex aqua, vt terminum accipiat tellus: vbi autem sunt hæc, & sua contraria erunt ignis, & aër.

5. Item nutritio docet, quoniam ex aqua planta nutritur non puta, sed cum terra, proptereáque irrigamus; ignis autem maxime nutritur: ergò est in planta.

Sextò, At quomodo ex elementis fiunt plantæ, quærens, Platonem ideas conferentem reprehendit: cum enim ideæ sint semper, atque elementa participatiua, semper res fierent: nunc autem certis temporibus, locísque fiunt plantæ, & alia constitutione certa. Prætereà neque si existat sanitatis idea, fit sanus absque medico, quærendum ergò aliud principium actiuum.

Septimò, Hoc principium non est calor, aut frigus, aut vtrumque: nam agunt instrumentaliter, vt Serra, quæ per se non facit arcam.

Octauo, Item licet ignis moueat, non tamen artificiosè, sed deterius quàm instrumenta. oportet ergò dare artificem formatum in materia.

Nono, Tandem principium actiuum generationis, & corruptionis putat esse motum localem cæli, qui accessu, recessúque facit contraria, dum elementa mouet ad generationem, & corruptionem: duplicémque oportuit esse, alterum semper eundem, vt primi mobilis, quo perpetuentur transmutationes inferiorum; alterum varium, vt fiant: sic autem obliquo in circulo planetarum palam est, omnia autem ista ad Primum Motorem referuntur.

SED Contra est idem S. Ambrosius, ac Basilius in 4. lib. ibidem tribuentes soli generationem plantarum, & viuificationem, & temporum vices, Veris, Æstatis, & Au-

tumni, & Hyemis, & maturationes fructuum, &c. ipse quoque sensus contestatur, & omnes physiologi, & Arist. in Problemat. vide Textum.

Ad primum consentimus, Terram præcepto Dei ante Solem germinasse, sed tamen ex calefacta terra, calore (cuius Epiphania est lux vagans adhuc) & ifis à Deo concinnata modis seminalibus. Neque enim solem inquantum sol, sed inquantum calidum, facimus principium nostrorum entium. Idealem tamen rationem qua fit planta & non combustio, non à sole, sed à Deo præparari nunc Angelorum, vel Animæ Mundi ministerio in Metaph. docuimus ex Augustino, & Origene, per influxus primarios Fatum, Necessitatem, & Harmoniam: necessario sol calefacit, & terra immutatur: sic, aut sic, vt fiat planta, per Fatum est, hoc est concursum causarum, & modificationem ex concursu sic facto contingentem in talem Harmoniam ex eo ordine, quem indidit ad talem finem primus Opifex: qui etiam potest sine sole facere, quod cum sole. At quoniam ipse est princeps causa, & naturarum institutor: sol autem, vel calor instrumentum secundarium; prius enim est Angelus. Idcircò Deo Theologicè rerum factiones tribuimus, in Physicis autem Soli, & Terræ, vt in primis quæstionibus docuimus: Alioquin eadem ratio excluderet aquam, & alias causas ab generatione plantarum: quoniam non nisi Terræ dictum, est, *germinet herbam*, quod tamen Theologi negant, qui pluribus vtuntur elementis.

Ad secundum, Idem docet Chrysostomus, quod sol est Dei instrumentum, & elementum, non princeps causa in eodem libro, vt etiam supra declaratum est. Facta tamen erat lux: ergò & calor ante solem. Ex quo collecto G. Nyss. luminaria & stellas à Deo facta in 4. die declarat: ex quo plantæ ortum etiam habuerant.

Diuus Augustinus non tempore, sed signo, sic ista præcessisse putat, quem secuti sumus in Disput. contra Martham. Nunc vtrumque sustinemus cum patribus, & Augustino, sine errore.

Ac nullo quidem pacto effectus præcedit causam suam, at sic elementa exequuntur semper, quod primo fecit Deus: ideóque aguntur Fato, aliisque eius influxibus.

Ad tertium conceditur tertia ratio, vt verissima; sed tamen solem principem esse causam Physicam, ex hoc nemo neget: sic etiam elementa Arist. & Platoni sunt causæ Physicæ secundorum entium, quamuis nesciant ipsa facere, nec intendant. Propterea insuper Plato adhibet Ideam, & Mentem; Aristot. verò Motum cæli stupidum; Qui quamuis fit ab Angelis non tamen intelligitur ab eis· nec quæ apud nos fiant, curant Arist. Aug. 5. & Angelos assistentes, quam sententiam in Metaph. ventilauimus.

Ad quartum, quod plures errores continet, primò quia ex contrariis conciliatis componit vnum Ens cum Empedocle, à se etiam reprobato; quod impossibile esse in Disput. de Mistione probauimus: & Durandus in primò senten. impossibile esse ostendit: sed ex corruptis aliquod tertium facit potius: sic autem est generatio, non mistio.

Secundo Arist. sibi etiam repugnat: si enim entia secunda fiunt mistione, vt Empedocles docuit, nequaquam fient generatione simul. Ipse namque aliud esse hanc, & illam contendit: illumque reprehendit.

Tertiò, Falsum est, quod terra indigeat aqua terminante. Terra enim sicca est, suosque terminos habet; aqua humido, caret: ergò aqua suscipit terminum à terra; terra autem ab aqua mollitiem, & interminabilitatem. Decipitur autem à terra in puluerem acta, quæ non verè est terra, sed immutata: quæ recipit vnionem ab aqua, non in quantum humida, vt ipse putat: sic enim aër illa humidior, plus terminaret, quàm aqua: sed in quantum non perfectè humida, sed viscosa. Vnde madida compinguntur eius, parua licet, viscositate.

Quartò, Falsò sequitur, quod quia inest terra, & aqua in plantis: ergò & Aër, & ignis contraria, imò est contra: si enim contraria mutuo se sic aduersantur, si ergò illa insunt, hæc absunt.

Respondemus tandem non generari plantas, nisi ex immutata terra, & quomodo aqua est eiusdem solis effectus, concurrit, vt secundum corpus, non vt primum; quod Sol est solummodo, atque Tellus; ex quibus alteratis fit secundorum entium generatio.

Quinta ergo ratio inualida. Non enim nutrimur ex dissimilibus, sed ex similibus: simile autem est elementatum elementato, quia vires habent vtrumque remissas: elementa

verò intensas, ita vt elementata destruant. Quapropter nulla res elementata ex igne,& terra pura nutritur: sed ex aqua,aëre,carne,herbis,& secundis entibus cognatisque. At de aëre,quomodo misceatur,nil fingere potuit: sed de his alibi.

Ad sextum fallitur,non enim Ideæ imprimuntur, nisi in præparata materia per Fatum, Necessitatem, & Harmoniam: nec Angeli, aut Anima, si qua est Mundi, ruditer in quolibet subiecto quamlibet Ideam imprimunt: sed Solis, & Terræ præparationes expectant iuxta ordinem fatalem à Deo inditum. Vnde & vermes in ventre animalium,& catulos in semine morsi à cane rabido ideatos videmus,quoniam talis ibi preparata est sic ad hoc materia,non autem in lapide.

Concedimus etiam neque Ideam sufficere,sicut nec sanitas sine medico. At Plato ex hoc iniustè reprehenditur. Ipse enim Animam Mundi propterea addit, quam Basilius,& Augustinus commendant. Origenes verò potius Angelis hoc committit. Auicennas Colchodeæ. Alexander Intellectui. Nemo enim sapiens solis elementis tam artificiosam formationem concredidit,nisi Democritus. Nam Anaxagoras Intellectum; Empedocl. Amicitiam. Galenus Diuinam Mentem. Hesiodus Amorem: Stoïci Deum, huic muneri præfigunt.

Ad septimum concedo calorem, & frigus agere viribus effusis temerè ad sui tantum multiplicationem,esse per se causas transmutationis. At dicam à Deo prouisum,vt dum sui intendunt multiplicationem,secunda entia constituant. Nam per vices agant, & quasi sibi parcentes,& non quantum, & quomodo vellent, quoniam Fato, & causarum concursu impediuntur inuicem,ita vt aliud agant,quàm velint, sicut ignis à Coquo modificatus non ignem facit,sed assationem,& coctionem carnium,& epularum artificiosè, hinc Dei prouidentia suspicienda erat,& in constructione mundi,& conibitione actionum solis & Terræ,non conibitorum,sed ordinatorum,vt dum faciunt,quod volunt,faciant & quod non intendunt: de hoc alibi,sed videamus, quem Artificem præfecit Aristoteles.

Ad octauum rectè profecto Actiuis causis physicis tam concinna rerum secundarum fabrica committenda non videtur Arist. At ridiculus apparet,cum longè stupidiori eam demandat,& nonenti,qualis est Motus cæli. Neque enim Motus cæli facit generationem, & corruptionem: sed Sol, qui motum edit, & se ipsum confert quocunque est opus. Quantumuis enim agitetur cælum; si demas solem, aut calorem, & lucem, nunquam aliquid in terra generabit: est ergò Motus delatiua causa, potius autem effectus solis generantis,& corrumpentis,non autem actiua generationis,& corruptionis. Quod Durandus,& Telesius contra Aristotelem iam pridem animaduerterunt,& illa sententia: *Quod motu cæli cessante, ignis non vreret stuppam*, damnata est Parisiis tanquam heresis, teste Durando. Quod autem non solum accessus generet,neque solus recessus corrumpat, dictum est suo in loco. Alia enim corrumpit sol in æstate,& alia generat,vt tenuia: in hyeme è contra: sic in nocte,& in die. Item inclusus in terra calor etiam absente sole, generat; vt pateat calorem,non solem,esse causam actiuam physicorum. Motus ergò est quo agit Sol delatiuè,id est actionis delatiuo; calor quo actiuè; lux qua manifestatiuè; Aspectu verò modificatiuè. In alio enim situ ad terram,& aspectu ad stellas,aliud facit, vel alio modo. At dicat nunc Arist. quo pacto motus format ex elementis secunda entia? vbi est artificium eius? Nec quia à Deo est Motus,& ab Angelis, erit artificiosus, cum sit stupidus, & non ens. Oportebat ergò aliquem influxum & artem à Deo deriuari in terram, qui constituat,& architectetur corpora,& formas. At ipsi Aristoteli non agunt, nisi Motum: neque intelligunt,quæ in terra fiunt. Ideóque concedit casum, & fortunam apud nos: ergò Arist. omnes mordet,vt se ipsum exaltet,cadit in insipientiæ pelagum. Quis illi plantas animatas tanto decore fabricabitur ex stupidis elementis absque Idea, & sensu? Motus ne stupidior? valeat miser; Deumque prouidentem agnoscat,nec vilescentem,quia inferiora respicit,vti putat,sed ex hoc gloriosum magis,vti in Metaph. docuimus. De vsu autem cælestium lationum dictum est prius, & in textu satis. Item quod motores orbium non agunt nisi motu ad formam,vt agricolando & medicando, sicut ex Aug. & veritate probatum est: non autem formando,& per se transmutando,vt Deus ex imperio. 12. *Met.* *T.* 51.

Vtrùm Plantarum generatio possit fieri absque semine, aut ramo deciso, aut propagatione, aut insitione ex sola terræ per solem conformatione ad ipsarum naturam.

ART. II.

Videtur, quod non; etenim aut species noua plantarum fieret sic, aut veteribus consimilis: non noua, quoniam Deus compleuit die septimo omne opus suum, & secundum Theologos; & Platonem in Timeo, requieuit ab omni opere, quod patrarat: si fieret ex speciebus antiquis, tunc manifestum est non posse absque semine, vel particula plantæ; alioquin, ait Ambrosius, falsum esset, quod Deus produxerit plantas facientes semen iuxtà genus suum, vt sic propagentur, & non aliter.

Secundò, Iam diximus solem non esse per se causam actiuam plantæ, neque alia elementa: cum enim non intendant ipsas facere, sed semet multiplicare: ergò ad causam per se reducamus oportet plantę ortum, & formationem: ergò ad Angelum, vel ad Deum. Qui cum præceperit ex seminibus propagationem, non videtur nouam rationem
Psal. 148. quodam casu inire, *præceptum* enim *posuit, & non præteribit*, casu autem fieri aliquid tam concinnum, & affabrè elaboratum, nostra philosophia non admittit. Neque enim monstra effugiunt prouidentiam.

SED Contra est Ambrosius ibidem docens, quod licèt non ex semine, tamen ex aliquo proportionali plantas sponte oriri oporteat: ratiò quoque conuincit: si enim ani-
Gen. 1. malia fiunt etiam ex putrefactione, quibus Deus etiam dixit, *crescite, & multiplicamini*: fiuntque vermes in ventre humano, & pediculi in capite ex non vermibus; multo magis possunt, & plantæ sponte oriri, quibus minor elaboratio. Aug. etiam dat mundo rationes seminales ex primordialibus, ideitque. Vidimus etiam in Thermarum Dioclètiani Romæ antiquissimis & editissimis parietibus lentiscos, oleas, ficus, ferulas, rubetum, cappares, & herbas alias multas sponte nasci, nedum animalcula & insuper Erinacium: ergò &c. videntur autem seminales virtutes etiam vbi extinctæ apparent: si enim ait Parac. lignum in carbonem & cinerem actum ponas in cucurbita vnà cum resina & liquore & oleitate illius arboris eiusdem ponderis & miscebis, ac lento calore liquefacies: fiet mucilaginosa materia: in qua sunt flegma pinguedo & cinis, id est, Merc. sulfur. & sal: quæ pones in ventre equino, vt putrescant ad suum tempus. Tunc si in solo pingui sepelies illam materiam, videbis reuirescere; & arborem exinde nasci, nobiliorem priore: similiter regenerat Paracelsus Aues & colubros, & omnia vt putat. Quod negare non ausim, cum multi experti sint: sed ex hoc non modo sensus rerum confirmatur: sed etiam vis seminalis nunquam annihilabilis.

Prætereà non omnes plantæ in omni regione fiunt, sed ad aliquas transferuntur industria hominis, vt ferantur, sicuti in Peru frumentum recens est ab Hispanis delatum: sunt & regiones in quibus nec delatum potest viuere, & multiplicari: Idem patet de omni plantarum genere: Neque enim narangia fiunt in Germania: in quibusdam verò sponte oriuntur, vt in Africa: estque historicorum sententia cuique speciei plantarum aliquod solum esse sic connaturale, vt sponte ibi tantum oriantur. Alibi verò consimili ex parte translatas: alibi dissimili; fiunt ergò à Sole ex terra absque semine, non tamen absque proportionali, vt dicebat S. Ambrosius. At verò olim in Germania sub Iulio Cæsare, ipso teste, frumentum non erat, nec vites in Gallia, nec in Italia dactylos palmæ producebant, nec in Cypro maturabantur, teste Plinio; nec oleæ, nisi in maritimis viuebant; nunc autem secus est; non quia prius non transferebantur semina, vt putant scioli, sed quoniam Sol terræ non propinquauerat, quantum nunc, nec calefecerat adeò præfatas regiones, vt possint tales plantas calidas producere; spero etiam fore vt vites

etiam in Germania aliquando vuam, & Narangia sole propiore facto, vt in prioribus quæstionibus dicebamus, & tunc in Italia etiam dactyli maturabuntur; & Cyrenes siccior acta, dabit aromata Tragloditica.

Ad primum Resp. quascunque species præceptum Dei præcripsit, posse in solo sibi proprio enasci absque semine: non enim sicuti animalia perfecta sunt, quæ solo coitu propagantur, sed sicut imperfecta sponte nascentia etiam virtute solis. Attamen vis illa in tali materia talis soli sic concinnata persimilis est semini ipsius plantæ, & sic seruatur natura, quæ est Dei præceptum, & Ars per illud indita, qua terra germinat &c.

Ad secundum patet Responsio, non enim nouæ sunt species præcepto comprehensæ sponte nascentium: at & hoc dubitabile est: Neque soli tantum, & terræ formationem damus, sed intelligenti æ præsidenti, & exequenti in operibus Dei præceptum, vtenti, hisce instrumentis & Fato modificante Dei nutu sic omnia, vt oportet. Patritius, & S. Augustinus tribuit id rationibus seminalibus, per quas S. Thomas intelligit modificationes elementorum. Nos de his in Metaph. vbi Empedoc. & Epic. casum, & Anaxagoræ Homiomeriam refutauimus.

Vtrùm Plantis præter Vegetatiuam insit etiam Sensitiua Facultas: animaliáque inuersa dici queant.

ARTIC. III.

ARist. tribuit vegetatiuę animæ nutritionem, & augmentationem, & generationem, quoniam verò hæc omnia insunt plantis, manifestum est ipsas viuere.

Primò, Quoniam autem operatio sensitiuæ illi deest, sensitiua careant oportet.

Secundò, Sensus autem recipit formas sine materia, at planta non nisi cum materia, dum calefit, & nutritur: hoc ait in 2. de An. tex. 123. & addit.

Tertiò, Neque planta habet medietatem, in qua consistit ratio sensus.

Quartò, Ait in lib. de sensu, & sensibili, & in 3. de anima tex. 66. tactus est sicut medietas. At ossibus, pilis, & neruis non sentimus, quia terræ sunt: plantæ autem huiusmodi sunt, ergò nullum sensum habent.

Quintò, In lib. de somno, non dormiunt, ait, plantæ, quoniam non sentiunt.

Sextò, Addunt scioli planta, & animal differunt specie sub viuente, non ergò possumus prædicare alterum de altero secundum id, in quo differunt.

Septimò, Nemo sanus vocat plantam animal, nisi metaphoricè.

Octauò, Haberet organa sensuum, & motus planta, si sentiret.

Nonò, Ambrosius Hexam. 4. 1. *Repleta*, ait, *est terra germinibus: mare impletum animantibus; ibi insensibilia pullulant: hic sensibilia versantur*: ergò plantis abest.

SED Contra est Ambrosius ibidem lib. 3. vbi hilaritates, & appetitus, aliásque passiones sensuales plantis tribuit, & tandem sexum: *quem fœminea*, ait, *palma concupiscentía, atque amplexus specie alteri palma, quem marem rustici appellant, inclinans ramos, & fulgiens consitetur.* Nec absque mari fæcundari, aut lætari posse, palam est. Idem tribuit ficui. Plinius verò omni plantarum speciei dat sexum duplicem: extat & quædam planta, quę motum habet in ramis, quasi caudis viuentium animalium sese agitantibus. Aliæ verò ad solem; aliæ ad lunam; aliæ latitudinem; aliæ longitudinem motus solaris insequuntur, vt in textu, & in libro de Sensu Rerum probatum est. Item secernunt nutrimentum noxium à proficuo, quod sine sensu non fit. Habent antipathiam & sympathiam inter se inuicem, & cum aliis rebus: squalent æstu, lætantur & attolluntur pluuia. Item D. Athanasius vina vetera florentis vineæ sensu affici docet in Definit. & D. Thom. in Iob. 14. lect. 2. non solum in plantis, sed etiam in lignis putrefactis in esse fatetur vim sensitiuam. Experimenta & rationes in Tex. & in 2. & 3. de Sensu Rer. vide.

Tt ij

Ad primum, ergo patet ex his non modo nutritionis opera in plantis inueniri, ac generationis, sed etiam sensus, & appetitus, & hilaritatis, qui sine exquisito sensu non sunt, vt docet Plato, & Ambros. lib. 1. de Iacob. cap. 2. At si ista Arist. ratio valet, non modo sensum, sed & rationem oportet plantis tribuere. Producunt enim mira arte folia ad tegendos fructus, spinas ad defendendum, fructus ad se æternandum; & omnia ista summo ordine, ac ratione. Nos quidem influxibus primi Opificis ista fieri docuimus, Fato, Necessitate, & Harmonia, sub cura intelligentiarum, & Rationem impressam in cunctis agnoscimus, sicut in horologio: non autem expressam sicut in Fabro. Arist. cui tribuat, non habet, nisi motui cęli stupido, quod sæpè reprobauimus. Quærunt quomodo intelligentia ista facit? dicam quomodo coquus assat igne arte regulato, potest & intus, & extra esse, cum incorporea sit: & sicut mouet me ad somniandum, & imaginandum, ita & sensum Plantæ, de his infra: sed intelligentiæ mouentes cælum Aristoteli videntur ista nescire: nec nisi motum operari.

Ad secundum Respondetur, quia materia non agit per se, sensum sui non præbet per se, sed tantum per potestates actiuas; sic autem planta recipit calorem sine materia. Præterea sensus plantę est exilis, & crassus, quoniam materiali tantum indiget fluore. Item cera recipit sigillum aureum sine auro, nec propterea est sensitiua: sensus ergò consistit in notitia rerum; à quibus afficimur, siue materialiter, siue immaterialiter. Planta autem sentit fæmina masculum; & cum æstu affligitur squalet, & demittit comas more tristantium: cum superuenit pluuia exhilaratur, & comas erigit, & virescit, & nitet, non secus ac animalia cum lætantur. Manifestè etiam in nobis sensus gustus & tactus, & famis, & Veneris, recipit cum materia sua obiecta. Planta sic patitur à suo obiecto, sentitque passionem, quod per operationes dictas ostendit; vt non solum tanquam materialia, vt ait ipse, sed tanquam afficientia, vt de nostro sensu loquitur, sensu suo percipiat: de his inferius.

Ad tertium & quartum verum est, quod sensus noster consistit in medietate, ideóque ab exuperantiis destruitur. At sensus etiam præpotentium est in extremo: sic ignis sentit frigus, & frigus calorem, non autem paruum frigus: sed hoc sentiet magnum. Nullum Ens enim patitur à simili sensibiliter, nec ab imbecilliori sensibiliter; sed à contrario, vel à simili potentiori. Vnde ægrotus manum Medici frigidam sentit, quam sanus calidam: sensus ergò non est medietatis, sed virtutis perceptiuæ. Accidit autem, vt in aliis sit cum mediocritate: in aliis cum excellentia, in aliis aliter. Omnia autem entia sensu donata esse proprio, in Commentario docuimus: de ossibus pilis, & neruis, quod non sentiant, mentitur. Dentes enim maximè sentiunt, quod ipse in problematis docet: neruos verò esse organa sensuum, & Galenus docet: pilos quoque sentire dicimus: sed cum inciduntur eorum dolorem esse exilem valde, nec sensus spiritus in sua vniuersitate regnantis communicari ob exilitatem, & minimam cum vsu illo connexionem. At etsi sensu communicatur, non tamen dolor, qui est exuperantia sensus. Diximus etiam crassa entia à calore occupata, quoniam nec frigus habet, exilem sensum obtinere. Calor enim in crassa materie obtunditur, & obstupescit obtectus, ne à sensibili satis patiatur: sine passione autem sensus non subsequitur: eadem ratio de osse neruo, & pilo, de quibus suo loco dictum est, sentit quidem tellus frigore, sed calefacta, calore; & mole prout magis minusvè pati apta est.

Ad quintum etiam Plantas dormire dicimus in hyeme eas, quibus folia ceciderunt, & fructus, non secus ac glires, & taxos: caloris enim natiui ad interiora reuersio est somnus. Ideoque iste calor videtur Aristoteli in problem. quasi animal; quod cum plantis insit cur non sentiant? neque enim introrsus fugeret calor à frigore ambientis, nisi inimicitiam sentiret. Vigilant autem pingues, & densæ, quæ fructus, & comas perpetuò nutriunt, quoniam à frigore læsionem non sat formidant. At Hippoc. etiam respirationem dat per aquam radicibus ad refrigerium, de quo infrà.

Ad sextum, Differunt etiam genere Planta, & Animal. Non tamen propterea non erit illa sentiens. Differentia enim est à forma, & natura, non à Primalitatibus, in quibus res omnes communicant, sicuti neque ab elementis communibus, vt ostendimus in Metaph. Ideo ad septimum dico Plantam vocari animal inuersum à Platone, & Pytagora

quoniam sensum tactus, quo animal constituitur, habet. Nec tamen Metaphoricè secundù Physiol. sed secundù Logicam tantum: sunt Arist. quoque alia animalia sensitiua carentia motu in mari, quæ à planta quid differunt; ac quasi Metaphorica sunt ad hominem: in suo tamen gradu animalia sunt: sed quæ spiritu non mouentur, vix animantur. Dicimus ergò Plantas animali comparatas nobilissimo Metaphoricas, non autem infimo, si definitionem animalis ex 2. de Sensu rerum consideres: datur & Plantanimal cuius vmbelicus terræ affixus longo quasi fune finit exspatiari circum ad pastum herbarum in Scythia, quo rupto moritur.

Ad octauam, iam in textu docuimus organa inesse plantis nutritionis, & generationis, os, caput, Iecur, brachia, comas, neruos arterias, ossa, fibras &c. Oculis autem, & auribus haud indigere, quoniam à longe cibum non procurant, contentæ succo terrestri. Gustum illis, & tactum, & os nemo neget, qui introspiciat. Organum gustus in radicibus locamus, tactus autem in pulpe, fibris, & neruis spiritu plenis sentiente, inoperantéque vitæ opera: motu non indigent ob idem: sicuti neque immota animalia marina intra lapides enata, vt patet: mouentur tamen locali motu, qui in augmento, & nutritione requiritur: sunt & plantæ quæ etiam vt serpentes mouentur: heliotropia verò cum sole, palma ad marem suum: de agno scythico diximus.

Ad nonum: puto Ambrosium plantas vocare insensibiles respectu animalium perfectorum, quibus comparatæ non sentiunt: sicuti Angelos corporeos respectu Dei alij quoque Theologi dixerunt. At Origenes terram faciens animatam super Isaiam, plantis sensum non negat, sic enim Pythagorici, quibuscum sentit, senserunt.

Prætereà Arist. contra Empedoclé negat vegetatiuam, esse ignem, sed moderatricem ignis, vt bellè coquat, & arte in nutritione: quomodo autem moderatur, nisi sentiat.

Vtrùm plantarum anima inexistat, vt agens causa, an vt forma; & vtrum inter corticem, & ossum, vti nobis: an inter germen, & radices, vti Aristoteli placet.

ARTIC. IV.

CVm ad tractatum de animalibus perueniemus, disputauimus, vtrum anima bestiarum, & plantarum sit spiritus tenuis, calidus, sensitiuus; insidens, vt artifex, an verò sit incorporea substantia inhærens vt forma tam animalibus, quàm plantis: nunc autem supponimus spiritum esse corporeum, solúmque de situ eius inquirimus.

1. Aristoteles cap. 14. de Iuuen. & Senect. animam plantarum situat inter germina, « & radices: quoniam illud est medium correspondens pectori, in quo est cor, sedes ani- « mæ sentientis, & vegetantis: habet enim omne animal, vnde suscipit alimentum, vt os; « & vbi celebrat nutritionem, vt cor in medio; & alterum extremum excrementa expel- « lit: crura enim sunt organa motus, & bases: sic debet in planta considerari. «

2. Præterea videtur aliis, quia est incorporea, esse in tota planta.

3. Præterea suberorum cortices plures detrahimus, nec moriuntur vti animal.

4. Item iuxtà nostra dogmata anima est in capite animalis, vt docet Chrysostomus, & Ambrosius: ergò est in radice, vel in spinali medulla, quæ protenditur ex radice per medium ossum, sicuti nobis per vertebras conglutinatas, videturque ibi tutior ab omni iniuria: non sic intra corticem.

Nos autem licèt sensum obtusum in tota planta agnoscamus, viuaciorem tamen ponimus in parte spiritali: hancque in neruis, & fibris, quæ à radice vnà cum neruis per totam plantam protenduntur, sicuti ex capite esse putamus: nam & caput esse principium sensuum, & inde per neruos diffundi testantur nedum Sancti Chrysost. & Ambros. & Apost. ad Ephes. & Diuus Thomas in 3. p. sed etiam Galenus, & Plato, & sensus & ratio, vt infra ostendemus. Probatur etiam, quia detracto cortice vsque ad ossum, mo-

ritur planta: non autem si ipsam feces, vsque ad totum ossum, dum enim aliqua corticis pars relinquitur, viuit, reficiturque. At si radices obtrunces non semper moritur, quoniam apta est radices nouas emittere, aliquando etiam sicca, vt oleis euenit, teste S. Ambrof. & Virgilio. Ramusculum quoque si inseras absque cortice moritur, non immeritò Propheta conqueritur, ex persona Dei, vineam esse decorticatam, & arbores, quasi non amplius reintegrabilem. Præterea sæpè vidimus plantas etiam ingentes viuere, quarum ossum, & medulla interior putruerat: & pastores ibi etiam dormiebant, & ignem accendebant: in solo cortice cum modico osse anima seruabatur. Præterea solus cortex detractus cum gemma plantæ si inferatur alteri plantæ viuit, & augetur, & de propria specie plantam facit adiunctam non minus atque ramusculus insertus, vt nulli dubium sit animam in neruoso genere intra corticem seruari.

Ad primum negatur Aristotelis proportio, & assumptum, neque enim cor est principium sensus, neque nutritionis, sed tantum officina sanguinis conuertendi in spiritum; qui omnes hasce operationes variat, vt infra docebimus: sedes autem spiritus est genus neruosum à capite deriuans: si autem genus neruosum incidit, via spiritus aufertur, & nutritio ad superiores partes non defertur amplius: quibus autem crassus inest spiritus, cordis munere opus non est, istique vt non perdatur, densi sunt nerui; Neque capite opus est: iterum enim pullulat, quod capitis loco fuerat, id quod etiam ex parte euenit neruos angustos habentibus, vt muscis, quæ truncato capite etiam volant, & aliquandiu viuunt.

Ad tertium concedo sensum in tota planta, non autem spiritum. Neque enim anima est incorporea illis, sed pars tenuis intra crassas viuens. De his infra.

Ad tertium dedit natura suberis plures cortices ad regendum spiritum, detractisque exterioribus haud aufertur spiritus, si autem vsque ad ossum inseces vndique, suber quoque morietur.

Ad quartum vtique in radice primò nascitur: indidemque effunditur per neruos, & fibras, & venas, quæ inter corticem, & ossum deducuntur: vel si osse carent intra pulpam; patet hoc in carduis, & feniculis, cæterisque oleribus: effunditur medulla per ossum medium, sicuti cerebrum per spinam, nec credo sine spiritu: haud tamen inde spiritalis substantia per eductos neruos communicatur veluti in animali: nisi vbi rami educuntur, qui manifestam quoque medullam habent ab illa medulla interiori propagatam, & neruos à neruis, cortices à corticibus: credo autem, quod non effuso cerebro respondet illa medulla, sed medullis, quas nos in aliis ossibus habemus: sunt & plantæ perforatæ absque medulla solo alitu plenæ, vt in textu: testificantes non esse ibi sedem animæ. At esto, non tamen propterea non magis intra corticem, & ossum. Videtur tamen fructus medullam inde habere spiritalem: sicuti ab osse ossum, à neruis neruulos, à pulpa pulpam. In medulla autem fructus insunt spiritus, credo potius in fibris eius: eritque medulla spiritui nutrimentum, vt in amygdala: sed in ficu officula insunt minuta spiritum cum medulla includentia: numquid ibi nerui, & fibræ? vtique si inspicias oculorum vueam, & venas capillares in nobis, & nouo perspicillo viscera muscarum, & quincuplicem linguam Apum, & pulicum membra; has particulas in ficubus non negabis: potes autem, & vmbilico magis, quam capiti, plantæ radices analogare: non enim ab vtero recedunt terreo suo: animal autem in vtero ex vmbilico trahit alimentum. At vtrique, nec ab vno: conueniunt enim in planta caput, & vmbilicum, non autem in animali; quoniam hoc mouendum erat, illi standum.

Vtrùm causæ longitudinis vitæ maioris in plantis, quàm in animalibus sint, quas Aristoteles tradidit, an quæ visæ sunt nobis in textu.

ARTIC. V.

Aristoteles in lib. de Longit. & Breuit. vitæ cap. 4. docet alia mori violenter, quæ extrinsecis causis læduntur: alia naturaliter, quæ a proprio calore humidum proprium exsiccante, marcescunt qui marcor est senectus in animalibus; in Plantis ariditas. Vitamque putat permanentiam caloris natiui: mortem eiusdem lapsum.

Inque libro de respiratione docet, ideò marcescere, quoniam non potest ampliùs refrigerari particula, in qua est fons vitæ, vt cor in animalibus, vbi pulmo induratur, & motus edi non potest: proportionale autem cordi in plantis est.

1. Longitudinem autem vitæ locat in calido, & humido, non quocunque, sed aëreo: tunc Plantarum vitam diuturniorem statuit, quoniam abundat humido non aquoso, nec facilè congelabili à frigore: nec facilè exsiccabili à calore, licet habeant pinguedinem, & viscositatem, & siccæ, & terrestres existentes.

2. Quoniam possunt refici ex germinibus pereunte stipite.

3. Quoniam diuisæ habent plures animas actu, vti, secta animalia, quæ vnita plures habent potentia. At insecta parum viuunt diuisa, quoniam non habent instrumenta, & principium in vna quaque parte; habet autem planta, quoniam est potentia talis.

4. Sicut animalia caput graue habentia plus viuunt; sunt enim mascula, calidáque. Calor autem sursum fertur. Habentia inferiora magna minùs, quoniam fœminea sunt, frigidaque: frigus autem deorsum inclinat: sic plantæ graues, & arborosæ in radice, quæ illis est caput, sunt longioris vitæ.

Prius autem copiam excrementi, & seminis fecit causam breuis vitæ.

Item frigiditatem.

Item defectum nuttimenti.

Item labores, quibus affligimur mares magis.

Nos de putrefactione, & marcore infra quæremus: nunc autem supponimus à proprio calore animalia non occidi: nec calorem se ipsum perdere, sed seruare in marcore. Non enim humido consumpto consumitur, sed exhalat cum eo ad cognata cælesti.a. Hic autem videtur Arist. de causa breuitatis, & longitudinis vitæ non sibi constare. Si enim anima est, qua viuimus. Anima autem Aristoteli non est ignis, neque calor, neque res aliqua elementaris, vt contra Empedocl. & Democr. statuit, sed aliquid nobilius vtens igne tanquam instrumento ad nutritionem, & alias functiones, quem & regit, & moderatur: nequaquam poterat permanentiæ, & lapsui caloris tribuere vitam, & mortem: nisi instrumentaliter. Inuestiganda ergo erat alia tatio ratio per se, & principaliter ab anima; ac dicendum qua ratione anima pereat, & seruatur: quod cum non faciat, nec possit, vtique à propriis decretis tanquam inualidis ad aliena declinat.

Præterea causa longitudinis vitæ Plantarum est fallax. Non enim humidum aëreum est pingue, & viscosum; potius autem quem vocat aquosum aëri tribuere debebat: siquidem dum densitas transit è terra in aërem à calore laxata, prius in lentorem, & mollitiem, mox in viscositatem, deinde in lubricositatem, deinde in fluorem, qui est aquæ, deinde in vaporem, & aërem transit. Quapropter vno gradu intermedio distat aquasitas ab aëre, viscositas verò tribus.

Patet autem quandoquidem olera, & culmi frumentorum facilius in aërem soluuntur ab æstiuo calore, quàm oleæ, aut lentisci pingues; illæ ergò proximiores, nam in habentibus symbolum facilior est transitus. Præterea plantæ ex aqua nutriuntur Aristoteli, fiuntque ex terra, & aqua, ita vt vinum videatur illi aqua passa in 4. Meteor. Terra autem, &

aqua frigidissimæ illi ponuntur. Nunquam autem in 2. de gener. & corr up. vbi de mist loquitur, quo pacto aër misceatur plantis docuit, sed quo aqua, & tellus tantum: de igne verò nec modum dixit, sed quia nutriuntur, probauit inesse. At animalibus inesse plus pinguedinis, & plus aëris, quam in planta manifestum est inspicientibus viscera hominum, & porcorum, & spiritus, & humores. Non ergò humidum aëreum vitam producit, sed defensio præstita à materia densa, vti nos in textu dicebamus: non enim calor natiuus consumit se ipsum, sed ab externis consumitur causis: qui autem defenditur magis, perseuerantior est. Ideò ossa, & lapides plus viuunt, quam caro, & adeps. Fatetur præterea Plantas esse siccas in dictis verbis. At in 4. Meteor. dat calorem huic terræ extraneum, quale dant vino, & lixiuiæ: hoc autem magis fit in animali, cuius tactus calorem indicat & ignem, qui non indicat in plantis; ridicula ergò est causa Arist. pro plantis.

Præterea ipse docet tunc mori animalia, & plantas, cum particula sedes vitæ non potest amplius refrigerari, sed aucta marcescit. At refrigeratio est caloris imminutio, vita autem est caloris permansio: refrigeratio ergò contraria vitæ. Imò per se est causa mortis. Calor enim per se non nisi à frigore destruitur. Stultum præterea est putare tantum à natura nil superflui faciente datum esse caloris plantis, qui nisi incessanter refrigeretur, se ipsum, & subiectum occidat: cum potius è contra à refrigeratione occidi eas indicant narangij, & lemones, quæ propter frigus in Lombardia non viuunt.

Secunda Aristotelis ratio non vitæ permanentiam, sed plātæ multiplicationem tangit.

7. Tertia est imperitiæ plena; non enim dat causam, qua plantæ possunt diuisæ viuere, & germinare; non autem partes insectorum animalium: sed tantum dicit, quod ista non possunt, illæ possunt: & cur? quia inquit sunt in potentia ad hoc ó Philosophum? cur idem per idem doces? cur non declaras vnde potestas? & quomodo ex vna anima possint fieri duæ? si enim tibi est incorporea, & indiuisibilis, vtique diuiso corpore ipsa non diuidetur: huius enim passionis non est capax: sin verò putas eam inesse corpori, sicuti forma extensa, quale est frigus, & albedo: tunc cum itidem sit in perfectis animalibus: imò & valentior, qua ratione viuit cauda lacertæ, & ramusculus plantæ reficitur in plantam, eadem & crus hominis & bouis, & multo magis: animatius enim hoc: sed cur hoc non potest? nescis. Debuisti cognoscere spiritum tenuem esse animam, qui diuiditur ad diuisionem vasis sui, quod vocamus corpus: vbi autem nerui, & fibræ, in quibus habitat spiritus, sunt angusti, non subirò potest spiritus exire. Ideo palpitant caudæ lacertorum, & serpentum; non tamen possunt diu viuere, quoniam ille spiritus elabitur tandem exsiccatus in aërem. Videmus tamen nasum naso amputato posse inseri, vt plantæ planta, quoniam adhuc spiritus, & calor in illo erat; planta autem etiam terræ plantata potest refici ex ramo: quoniam spiritu crasso viuit, qui ex terræ succo nutritur semper: ergò non potest deciso ramo subito spiritus elabi ob sui crassitiem, & angustiam neruorum, & fibrarum ramusculi: terræ ergò iterum commistus exurgit & nutritur: & particula nasi naso trunco inserta: At non modo viuit vt nasus, sed etiam augetur in plantam alteram: quoniam plantæ nutritio non seruat figuram, & quantitatem, vti nutritio animalis semper in eadem forma manentis: eius enim est in alios semper ramos extra formam primam expandi ob causas dicendas, cum de alimento disputabimus: nec defectus instrumentorum est in causa insectorum partibus, ne viuant. Neque enim ramus habet instrumenta quibus alimentum trahere solet, idest radices, aut particulam cordis proportionalem, vt Arist. vult: ergò causa est varia nutritionis ratio, vt dictum est in textu.

4. Causa, vel signum, est nullum, nam & struthio habet caput paruum sui corporis proportione: passer verò magnum: non tamen iste plus viuit: similiter in plantis, palma habet inferiora sua magna, & corpulenta valde; superiora verò, quæ ad radices spectant graciliora: sunt tamen longioris vitæ, quamquam secus se habent. Item calor sursum tendit, non secundum arboris posituram: sed secundum sui naturam, quæ ad cælum se attollit: ergò plus caloris erit semper in ramis, & superioribus, quam in radicibus, quæ sunt plantæ superiora. Ergò frigus non ad inferiora plantarum tendit, cum contrarium sit calori: quæ ergò ad radices crassæ sunt, sunt & frigidiores, si valet Aristotelis ratio.

ratio. Ergò minus viuunt: vidèmus autem quercus ad radices arborosas magis etiam graues longioris vitæ esse. Narangios verò crassiores, fortè ad ramos, esse longioris vitæ, quã multæ quæ ad radices, regula ergò fallax: neque enim frumenti stipes, quamuis facta arista sit crassior in suo inferiori, secundum se est crassior sine arista. Heliotropium quoque vnius noctis crassius est in flore, nec minoris vitæ, quam quæ est gracilior.

Dat ergò densitas vitam longiorem defensione, non vigore; & ideo etiam, quæ in ramis palmæ sunt arborosæ magis, viuunt diu ob caloris copiam a multa densitate defensam, vites verò a caloris subministratione, & auctione, non tamen in locis frigidis, quia laxæ penetrantur a frigore, de quibus in textu.

Quas addit causas, ex parte veræ sunt; at quod de semine, quod inter excrementa connumerat, falsum est. Nam & optima pars plantæ est semen, non excrementum, Ideoque generationi nouæ destinatur, & elaboratur.

Et quia putat excrementa contraria esse calori natiuo, à quibus excernuntur: & ideò signum esse contrarietatis innatæ, & vitæ breuis (quod tamen nec semper verum: non enim omnia excrementa ex contrarietate, sed ex abundantia superflua fiunt multa) ac seminanti plantæ: quin adeo similia sunt, vt non nisi ex his similis fieret generationem suique renouationem. vnde sapientiores totam plantam in semine ponunt, & Hipp. totum animal in suo; manifestum est, quod semen excrementum non est: sed quasi altera planta, eademque.

De fœmina, & mare in animalibus verè dixit, quod hæc magis viuant ob calorem, & robur: non tamen de omnibus: imò sunt viriliores aues fœminæ carniuoræ suis maribus vt dicemus.

Vtrùm quia non putrescunt lapides, ac metalla, ideò non generant: Plantæ autem, quia putrescunt, & corrumpuntur, generant, vt dictum est in textu.

ARTIC. VI.

1. Videtur perperam dictum esse, nam & lapides putrescere, testatur Magnes apud Gul. Gilbert. Plantas verò quasdam imputrefactibiles, Moyses; dum Arcam de lignis sethim non putrescentibus fabricat, iussu Dei.

2. Palam est omnia metalla, excepto auro, emittere rubiginem, quasi exetementum: vbi autem excrementum, ibi putrefactio est Aristoteli.

3. Ilex, & multæ plantæ sunt minus obnoxiæ fractioni, & morti, quam sal, & tophus, & metalla multa: si ergò ille indigent propagatione: ergò & ista, ne species pereat.

4. Fructificatio plantarum, nec huic fini videtur destinata, cum plures fiant, quàm opus est.

Resp. me hanc assignasse causam non inanem, palam enim est quod plantæ vt seruentur, generant omnia, petræ autem defensæ sunt ab externa morte sua duritie, quæ à frigore augetur, à calore moderato non timet: à magno nec etiam, nisi intra fornaces Ethneas. Foris enim potius indurantur. Metalla verò non longè ab hac resistentia absunt. Ergò parum curent corruptionem: ab interno verò calore humidum educente, & marcorem conciliante, neque timent, quoniam irretitus est crassirie multa. Idcircò necunde sibi per generationem prospicere opus habent: plantæ verò ab externo frigore, & calore, & interna putrefactione timent.

Præterea diximus sufficere lapidibus, & metallis calorem solarem liquefacientem tellurẽ, & indurantẽ ad ipsorũ conseruationem in specie, quod in plantis non euenit, nisi quibusdam & in aliquibus regionibus. Ergò duplicem assignauimus causã sc. efficientem & ex parte finis. At ex parte materiæ spiritalitatis defectus in lapidibus, & metallis.

Ad primum si quis imperfectus lapis, aut metallum putrescat aliquando non proptereà species deperditur, perfecta autem non putrescere palam est. Nec si aliqua

Vu

planta non putrefcit per mille annos, nunquam putrefcet: puto ergò ligna illa, fi nunquam putruerunt miraculofa effe, vel dictum impultribilia, quoniam plurimo tempore durant. Poffunt miftura aliqua etiam feruari; vt ligna fuper quibus Veneti fabricas erigunt, à fale penetrata rigefcunt in lapides: fimiliter à fucco petrifico acta in lapides vidimus ligna in Mufeo Ferd. Imperat. folertiffimi.

Ad fecundum Rubigo eft pars metalli impurior, & terreftrior; quàm merito euomit natiuus calor nunquam non agens. At non tantus eft, qui alias partes remanentes confumat, fed potius poliat: non enim adeft humidum fluxibile: Arift. verò id non confiderat.

Ad tertium Refp. quod & ifta propagantur non femine, fed adnata ex terra in eorum tranfeunte naturam, & fluoribus, vt dictum eft; neque periculum, ne pereat fpecies.

Ad quartum diximus in Metaph. intentionem naturæ particularis plantarum effe fui ipfarum multiplicationem. Dei autem prouidentia factum, vt dum fibi laborant, aliis profint animalibus; quæ illis vefcuntur: & animalia hominibus; & homo cæleftibus: & de omnibus verum effe illud, *Sic vos non vobis*. Idem apparet in folis, terræque laboribus.

Vtrùm putrefactio fit craffioris fubftantiæ ab innato calore aucto, colliquatio, & mollioris attenuatio? vt dictum eft in textu. An corruptio eius, quæ in vnoquoque humido propriè, & fecundum naturam, caliditatis aliena ambientis, vt Arift. loquitur in 4. Meteor.

ARTIC. VII.

4. Met. cap. 2. 1. PRobat Arift. fuam definitionem; quoniam fub frigore, & hyeme minus putrefcunt, quia calor exterior non poteft educere natiuum: Ergò putrefactio eft eductio caloris natiui ab ambientis calore.

2. Nec congelata putrefcunt, quoniam à calore ambientis non vincitur frigus congelatarum rerum.

3. Nec feruentia, nec ignis putrefcunt: quoniam aër minus eft calidus, quàm illa non ergò vincit.

4. Quæ mouentur, & fluunt non putrefcunt. Debilior enim eft aëris motus, quàm ipforum.

5. Diuifa putrefcunt magis, vt mare, & aqua; quoniam vincuntur ab aëre, non autem in fuo toto: & omnia magna minus putrefcunt.

6. In putrefcentibus fiunt animalia, quoniam excreta caliditas conftituit ipforum corpora. Eductio ergò caloris natiui eft putrefactio, ad hanc fequitur propterea frigus, & ficcitas.

Non benè autem explicat, vtrum fit idem putrefactio, & marcor. videtur tamen velle marcorem effe terminum putrefactionis, fit enim in fine Ariditas, & Galenus omnem marcorem ex ficcitate facit in lib. de Marafmo.

Arift. quoque in lib de Senec. & Iuuen. marcefcere putat res à calore externo deuictas, vt ignis paruus ab igne magno; vel naturaliter cum particula, fedes caloris natiui, non amplius refrigeratur, & aucto calore ficcefcit ita, vt vita in marcorem terminetur.

Nos autem dicimus non omnem corruptionem ab externo calore effe putrefactionem: nam quæ ab igne fit, combuftio eft: quæ autem comburuntur abufiue quis dicet putrefcere: Neque hoc in loco eft fermo de generatione & corruptione elementorum, & præpotentium caufarum: fed de elementatis, quæ fiunt à calido & frigido blandis in humido, & ficco, vt Arift. etiam docet in primo & fecundo cap. Meteor. 4. Verùm neque fatis rectè, non enim in fummè humido, neque in fummè ficco, fed in mediis dif-

positionibus, dicendum erat. Fit autem generatio, quando ad formam vsque materiam deducit, vt ex semine paulatim variis modis concocto effingit animal. Corruptio ergò est cum forma illa, temperiesque destruitur. Quod cum fit à summo frigore, vel summo calore, nequaquam est putrefactio; sed cum fit à calore paululum exsuperante natiuum, à quo constituta res est in gradu, & dispositione sua. Neque enim dicemus, metallum liquefactum ab igne putrescere, neque carnem, dum assatur, aut elixatur; sed dum sibi relicta incipit laxari, & liquescere, & graues emittere vapores: siquidem ex laxata materia grossiores exhalant; qui nobis sunt fetores; quoniam nostrum grauant spiritum, quod cum fit à multo igne, vt in lignis, putrefactio non dicitur. Calorem autem natiuum à propria symmetria exire non posse alij contendunt; nec putrefacere. Ideoque omnem mortem esse violentam, hoc est, à causa extrinseca; de quo infra quæremus. Alij autem, inter quos est Hippoc. & Galen. & ipse Arist. loquens de sanitate, & morte naturali, esse causam marcoris calorem natiuum volunt; morique hominem à sola interna tandem causa in summo senio: quod suo loco examinabimus: quapropter si calor natiuus, potest etiam putrefacere; non ergò rectè Arist. hic constanter soli externo calori putrefactionem committit, est enim natiuus aptus augeri, auctus autem requirere subiectum laxius, & constipata emollire: & tandem exsiccare per accidens, & hoc patet in hecticis, quorum calor colliquat partes solidas, auctus in eis. Igitur non videtur mihi putrefactio esse minutio, & eductio caloris natiui: sed auctio extra symmetriam, in qua formam sui subiecti costituerat, ac simul exinde subiecti colliquatio. Melius ergò. Galenus in Methodi lib. 10. c. 8. *Putredo*, ait, *est mutatio totius substantiæ corporis putrescentis à calido externo*) benè: quoniam mollescit pars solidior: mollior liquescit: liquidior attenuatur; ergò est substantiæ, non caloris putredo illi, vti nobisque: sed non benè calore quatenus externo id fieri putat, nisi vt ab adiuuante: omnes enim calores à Sole sunt: per accidens autem sunt irretiti ex ordine diuino, vt sint secundorum entium constitutiui: at cum possunt augeri, & se se expedire, & in cælum euolare, & subiectum liquare, attenuare, & frangere statim faciunt. Non rectè Latinus à calore natiuo semper subiectum seruari putat; sed solum dum in symmetria ipse sua tenetur causarum ordine, ac necessitate, & Harmonia, quam Metaphysicam nondum inspexerunt Medici, nec Physiologi: idcircò passim pugnantia, & quasi dormientes, vel in tenebris coniectantes de coloribus enuntiant, disputantque.

Paracelsus autem in p. lib. de nat. rerum, & in 7. putrefactionem fieri in calido & humido: & per eas omnes formas mutari, & renasci docet, & resuscitari, quoniam dum calor dura emollit & molles attenuat, spiritus ingenerat animasticos: qui architectatur corpora dum exire non potest: hunc Physiologismum Parac. nescit; sed quod euenit, narrat.

Ex his palàm est, cur lapides, ac metalla minus putrescant: quoniam scilicet, calor eorum exilis, nimisque irretitus; materia autem densa, vt ab eo dissolui non possit, neque adaucto ab extrinsecis causis, vt superior articulus ostendit: ignem verò non putrescere, quoniam augeri non potest in suum subiectum, cum sit summè auctus, externa autem vrit; antequam blandè afficiat, more putrentium. Terra non putrescit, quia frigida. Aqua ardens ex vino expressa, quia similaris, & calida valde ita, vt eius calor non possit materiam amplius attenuare, cum attenuatissimam possideat, & similarem ita, vt si addatur gradus, aut ignescat, aut aër fiat, sit opus: Res verò dissimilares, & quibus inest humor, magis putrescunt, quoniam humor ille disponit partes solidas ad liquefactionem, & calor facilior penetrat, laxatque cæteras in tali subiecto: propterèaque sal seruat à putredine carnes, quoniam exsiccat humorem, in vaporem vertit, & ipse solidæ imbibitur carni, ita vt densiores partes solidet, nec liquari quari permittat: ipse tamen à blando calore carnis liquescit, sicque melius penetrat, idem facit calx, & alia aromathica calida, siccæ materiæ, quibus corpora defunctorum, ne putrescant, quasi assantur: assata quoque caro minus putrescit, educto humore dispositiuo, & calore actiuo putrefactionis ex parte: item bouina caro dum laborat in area, & à calore externo afficitur, non putrescit: at si occisum per horam relinquas bouem in vmbra eodem tempore æstatis, statim putrescit.

Vnde patet, quod non à calore externo est putredo, sed ab interno aucto, nec potente excrementosos humores educere, veluti faciebat in vino: vbi etiam propterea quod occupatur in alimenti confectione, non liquefacit solidas partes animalis: at si priuetur cibo, sequitur putrefactio, liquefaciente calore soliditatem, vt hecticis accidit. Propterèaque omnis ferè hectica ex febribus augentibus calorem natiuum remouentibusque a sui modulo, efficitur, maximè & à fame, quæ accendit febrem, dum spiritus non habet, vnde pascatur: & hoc ostendit Latinum nostrum non satis considerasse assertionem, qua à natiuo calore, subiectum proprium non depasci contendit.

Ad primum verè sub frigore non putrescunt, quoniam natiuus calor non augetur ab externo, ita vt extra terminos augeatur.

Idem ad secundum, & non vt Arist.

Ad tertium responsum est in textu, quoniam non crescit gradu, &c. non rectè Arist. Flammam à flamma corrumpi dixit, sed ad se adsumi, vt simile à simili, dicendum erat.

Ad quartum, hinc Arist. debebat concludere aquas omnes esse calidas, quoniam calor natiuus ipsorum à motu, tanquam à propria operatione seruatur in sua symmetria: Quiescens verò augetur, quoniam aqua crassescit luto, & puluere, non mota. Crassa autem plus caloris adsumit, & dissimilaritatis: ergò crassarum partium mox liquefactio putredo est. Ideò paludes, non fontes putrescunt. Motæ præterea aquæ attenuantur, & purgantur, & calorem seruant purum; idem euenit nobis motis, quoniam excrementitia humiditas per sudores, & vrinam, &c. egreditur, nec calorem retardat à suis functionibus, nec alias partes disponit ad colliquationem: humidum autem omne calidum: non ergò quia motus aquæ, aut mistio vincit mutationem, quę fit ab aëre, non putremus, sed quia purgamur, seruamur, & roboramur intra proprios terminos: & calor natiuus sua opera exercet, & ea foris emittit, in quibus augeri potest extrà natiuos terminos: manifestum est enim, quod febris sequitur mæroiem, & pigritiam, quando excrementa spiritus neglexit educere.

Ad quintum, extra totum putrescunt partes, quoniam viribus totius non fouentur, & functionibus: à calore autem externo eorum augetur calor extra formæ fines, ita vt putrescant, sicuti diximus: id quod in multa mole non fit.

Ad sextum rectè dicit à caliditate constitui animalia, dum educitur in putrefactis: at verò educi non potest, antequam putrescant: ergò prius augetur, vt possit exire. Præterea animalia in putrefactis fiunt ex aucto calore genito spiritu, non ex educto ab ambiente, qui solum iuuit, vt cresceret. Et in 3. de gen. an cap. 11. ex putrefactis consimiliter generat quoniam calor est quidam modo omnium anima.

At quæ Arist. dicit de marcore, & senio, loquentes de animalibus examinabimus hic autem satis sit nosse ignem ab igne, non marcescere, neque contraria, sed attrahi, vt dictum est. Plantæ ergò putrescunt interfectæ, & vermes generant, vt trabes, & tabulæ, quoniam auctus calor natiuus liquefacit quod magis dispositum est, ingeneratque spiritus, qui molem efformant; ideòque sectæ in plenilunio, quia tunc humore crasso abundant, putrescunt magis: facilius enim in humore calor augetur, & crassitiem vincit adnatam, per se autem affixæ solo non marescunt, nisi deficiente alimento, aut appositis causis putrefactiuis, maximè aqua in foraminibus, ob dictas causas: olera arescunt in æstate, non putrescunt reuerà, vt dictum est in textu, laxata materia, & elabente spiritu attenuatoque humore.

Ridiculi sunt quidam Medici, qui calorem natiuum egredi, & externum intrare putant cum ille fortius subiecto insit, hic verò deforis adsit.

Calor ergò natiuus perditur, vel defectu alimenti, vt ignis ipse; vel quia extinguitur à frigore; vel quia exhalat; laxatis poris; vel quia extrorsum dum mouetur ab externis causis patitur: vel dum intiorsum à copiosa materia, in qua auctus putrefacit, vel suffocato spiritu crassescit, vt in timoribus, & lætitia, & histerico morbo.

Vtrùm fructus Hyemem attingentes requirunt etiam frigus vt maturescant, vti dictum est in textu; an solo calore. Et de coctione, maturatione, elixatione, & assatione, & mediis & oppositis.

ARTIC. VIII.

Concoctionem communiter vocamus quamcumque caloris actionem in materiam alienam, quæ ad attenuationem incedit: sic Sol concoquit terram, inque varias immutat formas: se ipsum autem, aut igneam materiam concoquere non dicitur, quoniam nihil restat agendum, quo sibi eam subiiciat: hoc enim vnum calor intendit.

Alias strictius dicitur concoctio, actio caloris ad determinatum effectum formalem in materia non penitus deuicta, in qua immorari tanquam in sua necessitatur: & sic dicimus esse à calore natiuo absolutionem ad formam: sic calor coquens fructum deducit ad maturitatem, quæ est vltima forma fructus: tunc ex eo potest simile propagari: sic calor coquit alimentum: diciturque concoctio facta, cum ad formam alimenti panem deduxerit: semper ergò ad aliquam consistentiam particularem concoctio finitur; sic ars dicitur carnem coquisse, cum ad formam in qua possit manducari deducta est: concoquitur apostema cum ad suppurationem deducitur: quando autem nondum ad talem formam deducta res est, dicitur inconcoctio: quando excessit, non habet vocabulum, sed fortè supercoctio dicenda foret: sunt autem in excrementis, & in vrina concoctionis, & inconcoctionis indicia Medicis nota: supercoctio autem in hydropisi patet. Quapropter artificialior est ista concoctio quoniam ad formam, & modum per Fatum & Necessitatem harmonicè deducitur: quæ autem fit ab igne effusis viribus, modum non tenet, diciturque illa in materia aliena, hæc in propria, quoniam gradus caloris proprii facti sunt rebus certis determinatisque secundum ideam.

Maturatio verò est concoctio effectus in alimento, & substantia fructuum, quando perfecta iam sunt, elaboratáque ad faciendum simile. Dicitur autem & in concoctionibus apostematum & humorum, & consimilium maturatio mutuatione vocabuli: quoniam eodem modo se habent. In his enim materia concocta deducitur ad certum terminum: semper ergò maturatio fit à calore, nisi sit metaphorica, vt cum dicimus negotia, & sapientiam viri matura. At de ætatibus propriè dicitur maturatio, fit enim à calore vt diximus.

Cruditas autem, & immaturitas dicitur, quando nondum ad finem debitum natura producta est concoctio talis, vt in fructibus acerbitas: quando vero excessit, putrefactio esse solet: fructus enim fracescunt aucto calore; minus autem putrescunt acerbi, & duriusculi, quoniam calor minor, vt videas augmento caloris iterum putredinem gigni laxara mole, cui insidet.

Sunt & aliæ species concoctionis, vt elixatio, quæ fit ab humido alieno tangente, calidóque per totum ab extrinseco, vt cibus in ventriculo, & caro in olla: penetrat namque calor cum humido: elixantur autem non omnia, neque enim dura, vt lapides, quos non penetrat fluor, neque ligna, sed quæ cum lentore mollitiem habent, dicitur & mel elixari, & lac, quatenus aliquam habent densitatem: dicitur aqua, & oleum ebullire igne, non autem elixari, quoniam proprio humido, non alieno, ebulliunt; nec crassitiem habent, quæ possit elixari: Inelixatio, quam Arist. vocat inquinationem, est incoctio, vel imperfecta coctio ab humido calido exteriori: quando nimirum non est tantus, qui penetret, & vincat, vt fabæ quando duriusculæ sunt, & coria: superflua elixatio dissoluit in frustula, & fluores, dici potest superlixatio, vt brodii consummati.

Assatio tandem est à calido exteriori concoctio seorsum ab humore vsque ad gradum requisitum alicui vsui artis vel naturæ: fit autem calore exsiccante humorem, & partes

crassas laxantc non omninò. Vbi patet, quod omnis assatio esset putrefactio, si Arist. decretum valeret. Calor enim ignis extrahit natiuum calorem carnis. Inassatio verò est cum non reducta est ad certum illum gradum, & priuatiuè dicitur in carne, negatiuè in lapide, & ligno; neque enim apta sunt assari, quæ non elixari, dicitur ab Arist. Tostio. Quæ autem excedit assationem, vstio est manifesta.

Assatio fit melius à calore blando, quoniam penetrat paulatim, totamque carnem immutat; robustus verò exurit, sibique introitum claudit, interioràque relinquit cruda, elixatio quoque melior in aqua frigida, quoniam paulatim incalescens penetrat, in calida verò quasi durantur, tenuitate exteriori deducta: quod leguminibus, & carnibus euenit contractis, quasi tenuitas exhalat it extracta à calore: magis autem patet in carnibus duris vacuinis, & in neruosis: olera tamen calidam volunt aquam, & ebullientem, quoniam laxæ sunt molis facilè penetrabilis, nec resistentis multo tempore passionibus externis: sic enim pallescunt amisso virore, & tenuitate tamdiu in olla.

Concoctio panis in furno reducitur ad assationem vsui accommodam. At quæ fit in Islanda intra vasa feruentibus aquis è terra erumpentibus in missa, etiam assatio est. Non enim humor ad panes peruenit; non tamen credo, quanta est nostra. Datur & Torrefactio, vt panis in carbonibus sub cinere, similiter fructuum, quæ species est assationis. Quæ autem ad solem fit vuarum, vt non putrescant, est assatio modica, vel innominata eius species composita ex elixatione interiori, & assatione exteriori: coctio tamen est deducens ad formam talem, qualem nos optamus: hinc patet formas etiam ab arte induci sub natura. Frictio autem componitur ex assatione, & elixatione exterioribus, vt declarauimus in 3. Medic.

His positis, dixi à frigore hyemis etiam concoqui narangia, citria, oleas, castaneas, glandes; non quidem per se, sed per accidens dum cogit calorem, qui vnitus roboratur: sic in regionibus Borealibus vinum intra niuem positum congelatur, inque eius medio aqua ardens, quæ pars eius calidissima est, reperitur sequestrata, sicuti nos per ignem ipsam educimus. Hoc autem frigus per accidens facit, quod Arist. credo non neget: licèt solum calorem concoctioni adhibeat. Auerroës enim per accidens id concedit.

Arist. concedit omnem concoctionem, & formationem in humidis, & siccis fieri à calore natiuo; nec vllam aliam adducit formam principalem ad agendum, vt Peripatetici somniant, sed à calore illas fieri, eiusque actionis esse terminos contendit, non ineptè, nisi alibi instrumenta faceret, quæ principes causas hic facit, neque vllam dat sicco, aut humido vim agendi, & terminandi; sed à calore ista fieri ostendit constanter.

In sermone de Maturatione aliquantulum errat, dum omnia, quæ maturantur incrassari putat, ita vt ex spirituosis fiant aquosa, ex aquosis terrestria, & ex tenuibus semper crassiora: hoc enim non vbique verum: fructus enim sunt duri, & crassi in principio, vt pruna, poma pira, vua, apostemata; quæ tamen coctione emollescunt, dulcescunt, & maturantur; non ergò incrassantur, sed expanduntur, nec fiunt terrestria ex aquosis, sed è conuerso: non ergò maturatio est terminatio humidi, vt ipse vult, & incrassatio: sed coctio ad formam talem. In coctione autem liquidorum fit, quod dicit, non autem in cæteris.

Quod ait, elixata esse sicciora, quam assata, quoniam illis humor, & calor educitur non istis: veritatem habet non ex toto: videmus enim laxiora, & humidiora, quæ elixantur, conciliato ipsis etiam externo humido; at quia magis penetratur plus de suo disperdunt quàm assata in interioribus. Assata verò è contra in exterioribus.

Quod autem ait: quæcunque elixantur fieri crassiora, aut minora, aut grauiora, vt lac, mustum, &c. non est verum vniuersaliter. Caro enim elixata fit leuior, & maior, si est vitulæ, in liquoribus aliquid dicit: sed oleum non videtur illi posse elixari, quod non reputo falsum, sed falsam eius rationem: ipse enim quia non crassescit; ego, quia non alieno humido: vidimus tamen, & teneras herbas in sartagine proprio humido elixari, sed egrediente, sicuti & lac cum fit recotium, quoniam pars crassa est, quæ elixatur verè. Quid autem fit, cum oleum feruet, Arist. non docet: elixationem auri concedit, & metallorum, quam potius liquefactionem dicerem; non enim externo humido fit ista passio per calorem, nisi vbi aqua decoquuntur.

Frigus igitur opus naturæ non ingreditur, sed ad formandum extrinsecè occurrit: aliquando vt accidens separabile, vt in pomis: aliquando vt inseparabile, sicut in niue; quæ ipso abiecto non est amplius nix: aliquando vt essentia, & substantia, sicut in terra; & si qua sunt à frigore solo constituta infra eandem.

DE ORIGINE, ET GENERATIONE
ANIMALIVM IN COMMVNI.

POst plantas, de Animalibus iuxtà naturæ ordinem, ac sanctarum Scripturarum seriem, sermonem contexuimus in Epilogismo Physiologico, vtque rectè Animalium generationem celebraremus, introduximus Mentem primam omnia elementa, resque omnes subsistentes, sensu donasse, secundum quod in Metaph. ostendimus essentiari omnia Primalitatibus, scilicet Potentia, Sapientia, & Amore. In libris verò quatuor de Sensu Rerum sigillatim disputantes de singulis, ostendimus ita verum esse, argumentáque contraria soluimus luculenter. Nunc autem ne studiosis lacuna quasi interponeretur hisce in quæstionibus attingemus summatim controuersiam, in textu namque epilogus rationum pro nostra sententia sufficiet.



QVÆST. XXXIIII.

Vtrùm rectè scripserimus, primam Mentem cunctis elementis, & rebus sensum largitam esse, vt Animalia vnde sint ostenderemus, & vtrum Sancti Patres, & Philosophi aliter senserunt.

ARTIC. I.



1 IDETVR quod non.

Hoc enim factum est, vt Animalium generatio assignaretur, sed philosophi veteres ex non sensatis elementis ritè assignant animalium generationem, præsertim Democr. Epicurus, Empedocles, Aristoteles, Galenus, Hippocrates, Plato, Heracl. Diogenes, Auicen. Varro, Orpheus, Hesiod. Plin. & alij.

2. Nullus Theologorum videtur hanc sententiam tenuisse: sed omnes vocant elementa insensata, animas verò à Deo producunt vel ex semine.

3 Ecclesiasticus loquens de elementis, cæterisque corporibus eorum prolibus: *In omnibus*, ait, *his insensatum est Cor.* Ergò non sentiunt.

4. Contra Thaletem istius opinionis assertorem, arguit Arist. in primò de Anima « Tex. 86. si sensus, & anima in aëre, & in igne est, cur non facit in eis animal, in mistis au- « tem facit: cum præsertim melior in illis esse videatur? «

5. Addit, quam ob causam melior, & immortalior anima, quæ est in aëre, quam quæ « in animalibus. «

6. Accidit vtrinque irrationabile inconueniens, etenim dicere Animal ignem, in- « conueniens est. «

7. Totum cum parte eiusdem speciei est, proptereáque Anima est in elementis per «

» vos,& in elementatis. At ergò & anima est partium eiusdem speciei,sicut aër cum par-
» tibus suis: siquidem huius portio est anima. Ergò si partes animæ, non sunt similes; hoc
» quidem aliquid ipsius inerit; aliud autem non inerit: necesse ergo est aut ipsum similium
» esse partium, aut non inesse in qualibet parte totius.
» 8. Nil differrent mortua à viuis, Animata ab inanimatis.
» At S. Augustinus ait, *nullus est cadaueribus sensus.*

9. Videmus multa non sentire in nobis, vt pilos, vngues, ossa, & neruos, idem de lapicidibus, & plantis, & consimilibus, existimare oportet, vel ista sufficiunt ad opinionem infringendam. Adde,

10. Nec operationes sensatæ sensum rerum ostendunt: nam & ratio in omnium rerum formatione reperitur; nec propterea sint rationalia bruta, plantæ, aranea &c.

» SED Contra est idem Ecclesiasticus cap. 42. de creaturis cunctis loquens, ait. *Om-*
» *nia hæc viuunt, & in necessitate obediunt Deo.* Sed vita non potest esse sine sensu, dicunt om-
» nes patres, nec obedientia, dicit Hier. in Mat. 8. & Eccl. 1. iterũ dicens, *Creauit eam in Sp. S.*
» *vidit, dinumerauit, & mensus est, & effudit illam super omnia opera sua & super omnem*
» *carnem secundum datum suum, & præbuit illam diligentibus se.*) Vbi sanè loquitur de sapientia creata, non de Verbo Dei: nam illud non est creatum, sed creator sapientiæ effusæ super omnia opera Dei: vnde paulò ante dixerat. *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis.* Item cunctis rebus datur Potentia essendi & Amor essendi seque conseruandi apud philosophos, & præcipuè D. Thom. 2. contr. Gent. ergò & sensus essendi: non enim amatur quod non sentitur, ergo quod naturaliter amatur naturaliter sentitur, quod animaliter, amatur, animaliter sentitur: insuper omnia interirent si amica, quæ sequantur & inimica quæ fugiant, non sentirent, & hoc Eccl. insinuat cum super omnia opera Dei sapientiam effundit, alioquin non natura intrinsecus, sed sicut sagitta ab alio appetitum haberent suæ conseruationis & operationum.

Præterea enim non donatur Verbum, sapientia nimirum consubstantialis Deo, nisi secundum effectus, & dona. Quis enim potest possidere Deum comprehensibiliter? neque in beatifica visione hoc fiet, licet per essentiam videatur. Quapropter loquitur Eccles. 1. cum dicit Deum cunctis dedisse sapientiam de sapientia, quæ est splendor, & radius illius lucis æternæ: vel si loquitur de illa consubstantiali, adhuc palam est, quod in effectibus Dei est participatiuè effusa, non essentialiter. Cum autem triplicem Ecclesiasticus ponat ordinem sapientiæ, alia enim omnibus effectibus Dei est communis, & hæc est Primalitas; alia omni carni; & hæc addit animationem: alia tandem solis diligentibus Deum; & hæc est per gratiam solis hominibus, & Angelis bonis, excedens sapientiam animalem, & naturalem cunctis effectibus; consequens est, vt nos distinguamus sensum, & sapientiam cum Ecclesiastico in naturalem, Animalem, & gratuitam, seu mentalem; & fortiter teneamus super omnem creaturam effusam esse realiter participatiuè. Vt idẽmet Ecclesiasticus in cap. 42. vita autem sine sensu non est, iuxta omnem Philosophiam & Theolog. licet in plantis Aristoteles illam diuidat.

Præterea cum fiunt Animalia in Genesi, iubet Deus verbo suo, vt producat tellus animam viuentem, & produxit reptilia, & bestias animæ viuentis, similiter aquæ aues animatas; semperque ex elementis quasi viuis, res viuas facit, &, vt Caiet. ibi ait cum patribus, Greg. Nyss. Athan. Lact. Bas. *Ex eo, quod habet, Tellus iussa est dare animas, non passiuè tantum, sed actiuè.* Quod patres ex calore concepto & luce intelligunt: cum autem hominem fecit Deus, ipse inspirat spiraculum vitæ: ergò palam est, quod anima ferarum est ab elementis; hominum verò à Deo: quod si & illæ, vtique non sic distinxisset Moyses. Item alibi ait, *sanguis eorum*, loquens de brutis, *pro anima est.* Alibi vocat Ani-
Deut. 12. mam brutorum spiritum vitæ.
Gen. 7. Ergò cum sanguis sit ex elementis, & spiritus ex sanguine, & Ambrosius exponit, palam est, quod brutorum anima est ex elementis: nosque rectè Deum donasse elementis facultatem sensitiuam, primò descripsimus, & verbum suum esse fontem omnis sapientiæ, & sensus, & rationis, vti & Salomon docet, & Baruch. & Iob. At Dauid, & Daniel creaturas inuitando ad laudem Dei, & quod Sol cognouit occasum suum, fauent sensui earum, non enim vana penitus est Prosopopeia, vt in Metaph. & & cum tota scriptura det sensum rebus cunctis, & nulla neget, videtur imbecilli & cauil-

latoris

latoris esse negatio, cum & tota rerum natura idem astruat, ex quibus viua non mortua Dei constat statua.

Theologi quicunque elementa priuant sensu, tamen animationis virtutem accepisse volunt, cum iussit Deus, vt producant animalia viuentia. At secundum Augustinum hoc fuit in instanti. Illa enim dierum partitio est signatio tantum: ergò ab initio hanc vim habuerunt, & S. Chrysost. aquis virtutem viuificam à Spiritu Dei, & motiuam datam etiam, dum fierent, admonuit. Rationes autem quibus nostra sententia probatur, & experimenta quamplurima in lib. de Sensu Rerum posuimus, & in tex. ex parte epilogauimus, nolo immorari. Item in defensione libri de Sensu Rerum S. S. & Patrum plurimorum, & Philosophorum omnium testimonio, exceptis Epicureis, demonstrauimus. Vbi etiam ostensum est, quòd omnes patres dant sensum naturalem elementis, nedum Orig. & Nyss. & Hier. qui autem videntur negare, negant sensum organicum, & diuinum, quem ponebant Manichæi ex eo, quod Deus materiatus fuisset & concretus in pugna cum Hyle malo Deo, vt Aug. testatur, & Hieron. vide Apol. Nam & S. Thom. in Iob. 14. lect. 2. dat sensum putrefactis lignis naturalem: nedum Arist. Auer. & præfati patres.

Ad primum, nego quod philosophi ex insensatis elementis produxerint animalia excepto Epicuro, de quo in sequenti articulo disputabimus; alii enim omnes etiam Arist. & Auer. vel elementis sensum, vel animam aliquam mundi posuere, vnde animalia gignerent: alii animas esse particulas Dei cum Stoicis, & Virgilio dixerunt; quæ omnia sunt inconuenientia, nisi sensu elementa donentur. *Experimenta & rationes pro rerum sensu, vide in Tex. & proprio Commentario, & eiusdem Apologia.*

Ad secundum negatur. Nam Ambros. & Basil. nullum sensum fieri posse absque igne docent. August. idem probat lib. 5. super Gen. & de Diuinat. dæmon. vbi dæmonia, quoniam habent subtilia corpora aërea, sensitiua, valde sagacia esse docet. vbi aëri, & igni sensum videtur dare. At S. Clemens Romanus, vbi est ratio, ibi sensum esse docet, & in cunctis rebus esse sensum. Vnde sapientia Dei semper fuisse in rebus probat Simon Petrus contra Simonem Magum quærentem, quare Christus sapientia Dei prius non comparuit, rectè quidem ab effectu. Item Origenes terram facit animatam cum Pythagoreis super Isaiam, cui & intelligentiam dat, sicuti cæteris stellis Pythagoras, & Arist. sed de hoc in Metaph. Multi Patres sequuti sunt opinionem vulgarem, aut philosophorum, sed tamen Ecclesiasticus me conuincit, & ratio, & experientiæ tantæ. At cum producunt animalia ex putredine Theologi non vtique à Deo creari docent, sicut quidam Scotista putat, neque ex insensatis elementis: ergo sensum dent oportet super omnem creaturam à Deo effusum. de hoc in sequenti articulo. Bern. etiam vitam & animam brutorum ex elementis deriuat. Et Amb. & Lact. & Athan. & Clem. Rom. & Alex. quos allegauimus in Apolog.

Præterea Hieron. in 8. Mat. docet omnes creaturas sentire Creatorem, & D. Tho. 1. 2. q. 109. magis amare Creatorem, quàm se ipsas. Item Hiero. in 10. Ezech. exponens illud, *Spiritus vitæ erat in rotis*, approbat opinionem dicentium, omnia sentire. Idem Greg. Nyss. in lib. de opif. hominis, & in Hexam. Item Athan. in definit. monet, etiam vinum quod in dolio, & quod in racemis, mutuo sensu inuicem sentire.

Ad tertium, si Ecclesiasticus dixit, quod habent cor, vtique animata fecit elementa, cor enim in sacris literis pro anima ponitur, quasi semper, & pro voluntate aliquando. Cum addit insensatum, loquitur respectu hominis: sic dicimus asinum insensatum habere cor, & hominem ignorantem vocamus insensatum: sensus enim in scripturis pro ipsa animali anima sæpè ponitur: vnde Salomon: *Terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*. Sed aliæ autoritates Ecclesiastici hanc elucidarunt.

Ad quartum negatur Arist. vt solet, si enim Anima est in aëre, non faciet animalia, quoniam non sola anima sufficit ad animalia, sed requiritur corpus crassitie, & humore, & soliditate constans, quod possit organizari ad opera vitæ, & receptaculum animæ. Aër autem, & ignis tenuissima sunt; sed quod animet, infra patebit: vbi in crassitie obteguntur ordine naturali. Nec dicimus elemēta esse animata, vel animalia, sed tātū sentire sensu naturali.

Ad quintum patet ratio, quoniam anima aëris est libera in corpore similari (si anima dici potest) nec partibus variis iniuriis obnoxiis, & compositionis diuersarum tēperaturarum, quales sunt in difformi corpore animalium, alligata est, quærēdum erat, cur aer plus viuit,

quam animalis corpus, & tunc ex solutione sciuisset, vt Galenus solet philosophari.

Ad sextum, Nequaquam dicimus ignem, & aërem animalia; non enim habent sensum animalem, sed naturalem. Animalis enim sensus est spiritus intra crassam molem clausus: quam vt ibi viueret, organizauit: sensus autem ignis est innatus, nec inclusus in in crassa mole: rectè Virgilius dixit: *Aethereum sensum, atque aurei simplicis ignem*, cui consentit. Aug. in lib. de An. & Spiritu: & in quinto supra Gen. Nec dicimus animam inesse igni, sed sensum simplicem naturalem. Anima enim in corpore organico spiritus est inclusus. Quapropter imperitè putant dicenda animalia ipsa elementa, vel animata, quamuis fortè Thales ita loquutus fuerit, & S. Hieron. sed solum virtute percipiendi, sentiendique naturaliter prædita. Neque enim anima separata à corpore propterea quod sentit vocatur animal. Imò neque anima, cum non animet, sed Mens, aut spiritus dicetur: vocatur tamen anima à Theologis, quatenus respectum habet, vel commensurationem, vt loquitur D. Thomas, ad corpus, quod animauit, & animabit. Homo quoque est animal à spiritu vti bruta: Homo verò à Mente sublimioris ordinis.

Ad septimum, Concedo Animam sibi esse similarem, loquimur enim nunc de anima ferarum corporea, tenui instar aeris: sed non sequitur ex hoc, quod non possit animare dissimiles partes corporis: ipsa enim non inest, vt forma, sed vt agens, & habitator, ac per neruos delata discurrit per totum, vt docebimus: si tamen esset forma, & temperies, vt placet Galeno, & Alexandro, nequaquam esset eadem in corpore partium disformium, vt probabimus contra ipsos. At si Arist. loquitur de partibus mundi disformibus, nil probat. Non enim Animam partibus Mundi, quæ sit forma, sed sensum naturalem, qui est entitatis Primalitas. Frigus enim & calor vtrique sentiunt. Conueniunt enim omnia in esse Sensus autem, & Amor, & Potestas omnem entitatem essentiant, vt in Metaph.

Præterea idem solis calor est in lapide, in planta, in metallis, in liquoribus; neque inconuenit, quoniam non est forma composita, sed potestas simplex multipliciter communicibilis, vti patet. Anima autem à Deo infusa Temperies non est, sed simplex Mens ab elementis ortum non habens, & de hac in sequentibus quæst. Cæterum idem Arist. 3. de gener. An. cap. 11. cuncta calore animari dixit: nec aliunde animam accersire potuit sensitiuam: *Sed*, ait, *generantur animalia in putrefactu, quoniam inest in humore spiritus, in spiritu calor, vt quodammodo omnia animæ sint plena.*) Et in Probl. sect. calorem natiuum esse animam monstrauit, quæ intro, forasque mouet se spontè ad animandum. Et ille calor, quem accersit à cælo est idem cum calore entium nostratium, vt nos probauimus sensu, ratione, & Patrum testimonio Sanctorum. Auerroës etiam in 3. de gen. an. c. 11. fatetur Arist. posuisse in elementis virtutem animasticam, vnde fierent animalia: hoc est in terra, in aqua, & in aëre: & calorem esse animasticum, idest, sentire: D. Thomas dicit Alex. idem sentire 2. cæl. lect. 18.

Ad octauum negatur consequentia. Viuentia enim habent spiritum vitæ discurrentem intra corpoream statuam, & functiones varias obtinentem: mortua illo carent: ac simplici solo naturali pollent. Vnde & vermes ex eo generantur: déque cadauerum sensu quam mira docuimus in 4. lib. de Sensu Rerum, vide. Nam & mortuus serpens fraxini vmbram fugit: & pelles lupinæ, & ouinæ, & omnes se se mutuo aduersantur, & de fidibus cytharæ, & de multis huiusmodi loquuti sumus pro sensu cadauerum, ex quibus & vermes excreta caliditas Aristoteli constituit, & pili crescunt, & vngues, teste Alexandro, & Paracelso. Verum Augustinus negat cadaueribus sensum animalem, & rationalem, at & occisus homo ebullit sanguine in occisoris præsentia, ita vt indicet occisorem, quem sentit renouata passione; de his vide præfatos commentarios. Hieronymus etiam negat res animatas esse particulas diuinitatis, vt dicebant Manichæi, non autem sensum proprium naturalem, & naturalem appetitum, vt ipsemet declarat in Matth. 8. & Ezech. 10. & Aug. ex eo quod ex cadauere fiunt verme probat sensum naturalem in eis.

Ad nonum, Responsum est in quæstionibus de plantis ad hoc argumentum, in lib. 2. de Sens. Rer. & in tex. habent enim sensum, sed nostro spiritui non communicant, nisi languidum: secantur, quoniam discontinuitas, & durities sensationem transire non sinit: similiter etiam probauimus de dente, & lapidibus, & plantis, quod sentiunt ibi, & hic; & cur lateat: est enim sensus haud æqualis, sed his clarior, his obscurior iuxtà mensuram

à Deo datam pro ipsorum natura,& vsu,vt Ecclesiasticus dicit, & nos alibi explicauimus: Veh nobis,si ossa,& pili sensu multo pollerent; & veh si nullo.

Ad decimum, Ratio potest ad virtutem formatiuam rerum reduci: sensus a item, & appetitus propriæ conseruationis propius est interiorque rebus,sicuti potestas essendi, cuncta enim amant proprium esse. Amor autem ex sensu cognoscente manat in cunctis, sic potes ensis artificium tribuere fabro,duritiem autem, vel frigus, vel pondus non nisi ferreæ naturæ: quod autem non sit instinctus naturalis vllus, nisi in sentiente re, probatum est in primo de Sensu Rerum. Bruta autem rationis sensitiuæ, quæ estimariua dicitur,non mentalis,& liberæ,esse participia,ibi docuimus,& in quæstionibus seqq. ventilabimus.

Vtrùm ex non sensatis elementis sentientia animalia fieri queant, & Physiologi quid de hoc senserunt. Nec Harmoniam esse animam brutorum, nec à Deo ex sui substantia, nec ex nihilo, nec ab anima Mundi.

ART. II.

PArtem affirmatiuam tuetur Lucretius cum Democrito, Leucippo, & suis Epicureis.

1. Etenim ex non herbis fiunt herbæ,ex non ridentibus, ridentia, ex non saporibus,sapores; & vnumquodque ex eo quod non est: si enim est,non fit: ergò ex non animalibus animalia,quod manifestum est in putrefactionibus.

2. Mundus recens est,quando ergò facti sunt homines,ex elementis facti sunt primi, & alij ex aliis per successionem: & sic omnia animalia.

3. Subscripsit huic sermoni prior Empedocles,qui ex mistura elementorum lite agitatorum produxit ordinem Mundi,& plantas,& animalia diuersa secundum concursum materiæ,& partium formata: quorum alia monstruosa,& promiscuarum formarum seruata non sunt: hæc autem,quæ videmus,seruata sunt: quibus Fatum id est, causarum concursus artifex:non discordat ergò ab Epicureis in formatione casuali; sed illi ex atomis, iste ex elementis compositiones faciunt.

4. Alexander Aphrod.ex quatuor elementis insensatis facit animalia,simplex enim elementum parum virtutis habet;in mistione verò emergit virtus melior ex illis pluribus, ita quod alia est vegetatiua forma;alia nobilior ex meliori mistura est sensitiua: alia rationalis:probátque id oportere,tum quia non aliunde possunt res secundæ fieri, nisi ex elementis,tum quia quodlibet fit ex suo contrario,vt calidum ex frigido, ergò & animatum ex inanimatis. Nihilominus D.Th.in 2.cæl.lect.18.affirmat Alex.posuisse terrã animatã. *In 1. de Anim.*

5. Quicunque Philosophi plura posuerunt elementa, animas ex illis composuerunt, ita vt sit harmonia quædam: qui verò vnum,illud vnum fecerunt principium, & animam; vt Heracl.ignem,Diogenes aërem: Hipponax aquam: Thales autem licèt Aquam faciat principium; omnia tamen animata ponit. Varro Animam putat esse aërem inspiratum mouentem viscera,cui consentit Parac.at Democritus atomos rotundos. Orpheus animam eundem intrusum aërem iudicat. Aristoxenus harmoniam, quam talis facit aër mouens corpora. Critias sanguinem. Hippocrates calorem natiuum, vel temperiem aliquando,cui Galenus subscribit: dubitat tamen aliquando vtrum Animæ à Deo vel à virtute rerum formatrice fiant: hique omnes suæ positionis ex operationibus animæ accommodatis illi rei,quam faciunt animam,argumenta sumunt. Omnes conueniunt,quod anima sentit, mouet,& tenuis res est:non autem de quidditate: quod si Anima sic est, exque elementis non sensatis,vel elementum,vtique fiet animal ex inanimatis.

6. Probatur Aristotele teste,qui etiam ex insensatis elementis producit animalia.

7. Et testimonio scripturarum,iussit enim Deus terram,& aquam producere animalia,quæ insensata erant theologorum testimonio.

8. Ezechiel à quatuor ventis animas accersit ad viuificanda corpora, sicuti Orpheus;

ergò ventus erit Anima, vel Aër, qui in quadam ratione intra corpus constitutus sentit, vegetat, mouétque, vt Varro, & Philoxenus existimauere.

9. Dixit Dauid de Terræ parturitione ex qua plantæ, & animalia fiunt. *Emitte* Deus *spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertere̅tur*: sæpéque Isaias Deum dare spiritum terrigenis docet: ergò possunt ex insensatis elementis fieri corpora, Deúsque dare Animam. Tanta prætereà ratio, & syllogismi in piscibus, & feris, vt annotarunt philosophi, & Basil. & Ambr. vt non nisi à Deo ingenium ipsorum esse clament: vide quid de Cancro, polypo, cane, perdice, vulpe, elephante, &c. meditatur S. Ambros. & quæ scribit Plutarchus.

10. Apostolus 1. Corinth. formationem, & corpus frumenti ex terra à Deo esse docet, & Dominus Iesus vestiri lilia à Patre cælesti, & Hieron. animalium in vtero formationem Deo tribuit. Igitur elementa materialiter concurrunt: si ergò est sensus animalibus à Deo est sicuti dicebamus super omnem carnem, & non ab elementis.

SED Contra est quod dicit Iob, *Nihil fit sine causa*. Est ergò omnis effectus in causis suis, alioquin ex nihilo fieret. Item Apostolus, *quid habes, quod non accepisti*? est ergò causis referendum, quod in effectibus. Item Ieremias Deos gentium non posse salutem dare, & vitam, quia nullum ens dat, quod non habet, probauit: similiter Sapientia Salomonis contra Idolatriam docet, Artificem mortalem non posse vitam dare suo opificio, multáque sunt loca scripturarum, item & Conciliorum, in quibus legi hanc propositionem, *Nemo dat, quod non habet*. Hanc propositionem, & fundamentum probauimus, & defendimus in 1. libro de Sensu Rerum. Cum ergò fiant animalia ex elementis, tanquam ex causis, habeantque principium vitæ sensus, & motus, oportebit sensum, & motum, & vitam, vel ab elementis dari, vel ab alia causa, vt à Deo, vel ab Anima Mundi, vel esse relationem ex compositione resultantem. Compositio enim, & vnio contrariorum non est in elementis, est tamen in elementatis. Igitur Anima erit aliqua relatio resultans ex compositione & configuratione, vt Democrito videtur, si non est à Deo, neque ab elementis. At istas omnes etiam falsas docebo.

Quod non sint à Deo animæ brutorum probatur: quoniam vel ex substantia Dei, quasi
1. opinio examinat. 1. particulæ eius essent, vt Stoïci sentire videntur, & Virgilius ex mente vniuersi animas producens, & Manichæi ex materiali Dei substantia, vel fierent ex nihilo; non primum, quoniam damnatum est in Theologia, & apud omnes patres præcipuè Hieron. & Aug. nec ratio consentit; neque miseria inesset rebus, omnésque essent vna: si autem esset participatiuè, tunc non de substantia eius, sed de effectu virtuoso esset Animal, & ex nihilo re vera. Infinitum enim non paticipatur, quoniam est indiuisibile, sed toticipatur, quod est impossibile: si ex nihilo, tunc continuò Deus in cuiusque vermis, & culicis, quorum fiunt continuò innumerabiles, animas crearet; quod videtur inconueniens, repugnat etiam Scripturis sanctis, quæ solum hominis animam à Deo conditam inspiratáque docent. Alias verò productas à terra, & aqua: *Producat terra animam viuentem*. Item omnes Theologi consentiunt ex nihilo non fieri brutorum animas, sicuti humana, & Plato in Timeo de substantia Angelorum producit animas humanas; brutorum verò aliunde, illasque solas à Deo, quoniam inquit, quod à Deo fit immediatè, est immortale: vnde corporis structuram Angelis committit, ne etiam secundum corpus immortalis esset homo: hæc ratio non valet nobis. Deus autem voluntate, non natura producit; ideóque & mortalia, & immortalia, prout vult potest facere immediatè, non tamen mortalia, vt effectu formalis primi entis, sed participio nihili: valet tamen apud nonnullos Pythagoricos, qui idcircò omnes animas immortales faciunt, transmigrationémque ponunt animalium. Contra quos in 2. de Sensu Rerum, & in Metaph. scripsimus.

Quod autem omnis Anima non sit compositio, & relatio quædam, palam est. Compositio enim, relatióque sequuntur misturam, & corporis temperiem. At corpora constituuntur ab anima, & fabrica eorum à sentiente virtute fit. Anima ergò prior est, quam Harmonia illa corporis. Item anima mouet corpus, Harmonia mouetur, non mouet, nec sentit, nec sapit.

2. Prætereà sentire, mouere, & cogitare sunt operationes diuiniores quàm cuiuslibet

elementi, & mistur æ, mistura enim relatio est. At sensus est res absoluta, beneque operans, & finem sibi præscribens agendorum; quod nonenti relationi, nemo sanus adscribet: habent quidem motum atomi, sed non artificiosum, & propter finem, qualem anima habet. Neque vnde libertas mouendi & sistendi corpus sit, potest doceri ab Epicuro: sed oporteret ex impotentia fieri quietem, non ex deliberatione, omnemque à motu vacationem esse somnum, quo non possumus non sopiri. Vnde Lucretius putat somnum atomorum, ex quibus constat anima, diminutione, & effluxu fieri. Verè quidem ex parte. At deliberamus etiam non dormire, vt amantes, & nauigantes; quod quidem non possemus perditis atomis, sed dormiremus; vt deliquio oppressi, & letargo, & histerico morbo cunctis vicibus. Neque id solum facit anima humana à Deo indita, vt fortè dicerent noui Democratici, & Franciscus Supraiua: nam & bruta abstinent à somno vbi periculo, vel spe prædę aguntur sponte, licèt non liberè, vt homo. Quomodo autem facerent hoc, si tunc animam, qua mouetur corpus, non habent, sed ex atomis ciborum reficiendam expectant? nec anima humana absque atomis mouerer.

3. Præterea cum corporis compositio sit artificiosa, non casualis, & propter finem semper: Oculus enim propter videre, manus propter tractare corpora; pedes propter motum talibus cum figuris, & temperiebus, & particulis sunt: quod autem non à casu, probatum est in Metaph. & palam est, quoniam si artificialia propter finem sunt, multò prius naturalia, cum ars discipula sit naturæ; & contra Epicurum ibi satis disputatum est. Indiget ergò artifice ad sui constructionem. Ergò multo magis animæ compositio, cuius gratia omnia organa ista facta sunt. Artifex autem ille sapiens est. Ergò ab eius sapientia potius erat sapientia animæ deriuanda, quam à stupidis atomis; quod Democritus fecit, quoniam illum artificem non agnouit. Compositio autem Ideæ rectè adscribenda erat, vt nihil sit in effectibus, quod non in causis.

4. Præterea quomodo elementa non cognoscentia dent cognitionem, nemo explicat, & voluptates, & dolores, & cogitationes, & studia. Hæc enim requirunt benè validam causã sapientisque, concursus autẽ elementorũ temerarius est sapientiæ expers.

Opinionem verò Democriti ex atomis constituentis omnia in Metaph. destruximus, & in primo de Sensu rerum. Empedocl. verò commistionem reprobauimus. Verum Empedocles non facit mistum homiomerum, vti Arist. sed seruat elementa in minutias redacta, ità vt nobis sit mistio, sed non lynceo. Anima ergò erit pura relatio, & non aliquid ex eis constitutum, nisi vt aceruus: sed quomodo sentit aceruus, nisi aceruata sentirent? non credo Aristot. quod soli mistutæ animam tribuat Emped. cum sit Pythagoræis nutritus scientiis; sed & sensum illi dedisse opinandum: cum ex nihilo non generet: hoc autem etiam eueniret Empedocli, ac Democrito: nam licèt ex atomis, non tamen præfuit in illis animæ vis vt idea.

5. At Præterea cum motum dent elementis, & animam propterea moueri statuant, quoniam ex mobilibus: oportet quoque eadem ratione sensum dare elementis, quo animam sentientem, vti mouentem ex eis habeant: aut fateantur ex immotis, insensatisque fieri, quod nemo stultus concedet, neque illi. Facit Arist. quod actu est semper.

6. Præterea cum alia sit harmonia, & mistura ossis, & nerui, & carnis, & cerebri, & sanguinis, docendi eramus, quænam istorum harmonia est anima; & an plures animæ. Et quis continet eas in vnum, & vnde conspiratio tanta à temerario casu. Item cur intercluso neruo præpeditur motus ergà peripheriam, non qui ergà centrum, remanente harmonia. Quod si spiritus harmoniam tantum volunt esse animarum, sicuti nos, auferant contrarietatem, quam in mistione reprobauimus, & dent sensum principiis spiritus, & conueniemus: non enim in composito aliquid est, quod non in componente. Anima autem relatio non est, sed sentit, mouetque per se, & propter finem, vt dictum est.

Igitur quoniam non est à Deo anima brutorum, neque est assecla compositionis, necesse est, vt sint elementa sentientia, ex quibus sentiens anima deriuetur. Nam de sinu materiæ non educi, in hoc libro prius probatum est, & in Metaph. & de Sensu rerum. *Conclusio.*

crassas laxante non omninò. Vbi patet, quod omnis assatio esset putrefactio, si Arist. decretum valeret. Calor enim ignis extrahit natiuum calorem carnis. Inassatio verò est cum non reducta est ad certum illum gradum, & priuatiuè dicitur in carne, negatiuè in lapide, & ligno; neque enim apta sunt assari, quæ non elixari, dicitur ab Arist. Tostio. Quæ autem excedit assationem, vstio est manifesta.

Assatio fit melius à calore blando, quoniam penetrat paulatim, totamque carnem immutat; robustus verò exurit, sibique introitum claudit, interioraque relinquit cruda, elixatio quoque melior in aqua frigida, quoniam paulatim incalescens penetrat, in calida verò quasi durantur, tenuitate exteriori deducta: quod leguminibus, & carnibus euenit contractis, quasi tenuitas exhalarit extracta à calore: magis autem patet in carnibus duris vacuinis, & in neruosis: olera tamen calidam volunt aquam, & ebullientem, quoniam laxæ sunt molis facilè penetrabilis, nec resistentis multo tempore passionibus externis: sic enim pallescunt amisso virore, & tenuitate tamdiu in olla.

Concoctio panis in furno reducitur ad assationem vsui accommodam. At quæ fit in Islanda intra vasa feruentibus aquis è terra erumpentibus in missa, etiam assatio est. Non enim humor ad panes peruenit; non tamen credo, quanta est nostra. Datur & Torrefactio, vt panis in carbonibus sub cinere, similiter fructuum, quæ species est assationis. Quæ autem ad solem fit vuarum, vt non putrescant, est assatio modica, vel innominata eius species composita ex elixatione interiori, & assatione exteriori: coctio tamen est deducens ad formam talem, qualem nos optamus: hinc patet formas etiam ab arte induci sub natura. Frictio autem componitur ex assatione, & elixatione exterioribus, vt declarauimus in 3. Medic.

His positis, dixi à frigore hyemis etiam concoqui narangia, citria, oleas, castaneas, glandes; non quidem per se, sed per accidens dum cogit calorem, qui vnitus roboratur: sic in regionibus Borealibus vinum intra niuem positum congelatur, inque eius medio aqua ardens, quæ pars eius calidissima est, reperitur sequestrata, sicuti nos per ignem ipsam educimus. Hoc autem frigus per accidens facit, quod Arist. credo non neget: licèt solum calorem concoctioni adhibeat. Auerroës enim per accidens id concedit.

Arist. concedit omnem concoctionem, & formationem in humidis, & siccis fieri à calore natiuo; nec vllam aliam adducit formam principalem ad agendum, vt Peripatetici somniant, sed à calore illas fieri, eiusque actionis esse terminos contendit, non ineptè, nisi alibi instrumenta faceret, quæ principes causas hic facit, neque vllam dat sicco, aut humido vim agendi, & terminandi; sed à calore ista fieri ostendit constanter.

In sermone de Maturatione aliquantulum errat, dum omnia, quæ maturantur incrassari putat, ita vt ex spirituosis fiant aquosa, ex aquosis terrestria, & ex tenuibus semper crassiora: hoc enim non vbique verum: fructus enim sunt duri, & crassi in principio, vt pruna, poma pira, vua, apostemata; quæ tamen coctione emollescunt, dulcescunt, & maturantur; non ergò incrassantur, sed expanduntur, nec fiunt terrestria ex aquosis, sed è conuerso: non ergò maturatio est terminatio humidi, vt ipse vult, & incrassatio: sed coctio ad formam talem. In coctione autem liquidorum fit, quod dicit, non autem in cæteris.

Quod ait, elixata esse ficciora, quam assata, quoniam illis humor, & calor educitur non istis: veritatem habet non ex toto: videmus enim laxiora, & humidiora, quæ elixantur, conciliato ipsis etiam externo humido; at quia magis penetratur plus de suo disperdunt quàm assata in interioribus. Assata verò è contra in exterioribus.

Quod autem ait; quæcunque elixantur fieri crassiora, aut minora, aut grauiora, vt lac, mustum, &c. non est verum vniuersaliter. Caro enim elixata fit leuior, & maior, si est vitulæ, in liquoribus aliquid dicit: sed oleum non videtur illi posse elixari, quod non reputo falsum, sed falsam eius rationem: ipse enim quia non crassescit; ego, quia non alieno humido: vidimus tamen, & teneras herbas in sartagine proprio humido elixari, sed egrediente, sicuti & lac cum fit recotium, quoniam pars crassa est, quæ elixatur verè. Quid autem fit, cum oleum feruet, Arist. non docet: elixationem auri concedit, & metallorum, quam potius liquefactionem dicerem; non enim externo humido fit ista passio per calorem, nisi vbi aqua decoquuntur.

Frigus igitur opus naturæ non ingreditur, sed ad formandum extrinsecè occurrit: aliquando vt accidens separabile, vt in pomis: aliquando vt inseparabile, sicut in niue; quæ ipso abiecto non est amplius nix: aliquando vt essentia, & substantia, sicut in terra; & si qua sunt à frigore solo constituta infra eandem.

DE ORIGINE, ET GENERATIONE ANIMALIVM IN COMMVNI.

POst plantas, de Animalibus iuxtà naturæ ordinem, ac sanctarum Scripturarum seriem, sermonem contexuimus in Epilogismo Physiologico, vtque rectè Animalium generationem celebraremus, introduximus Mentem primam omnia elementa, resque omnes subsistentes, sensu donasse, secundum quod in Metaph. ostendimus essentiari omnia Primalitatibus, scilicet Potentia, Sapientia, & Amore. In libris verò quatuor de Sensu Rerum sigillatim disputantes de singulis, ostendimus ita verum esse, argumentáque contraria soluimus luculenter. Nunc autem ne studiosis lacuna quasi interponeretur hisce in quæstionibus attingemus summatim controuersiam, in textu namque epilogus rationum pro nostra sententia sufficiet.



QVÆST. XXXIIII.

Vtrùm rectè scripserimus, primam Mentem cunctis elementis, & rebus sensum largitam esse, vt Animalia vnde sint ostenderemus, & vtrum Sancti Patres, & Philosophi aliter senserunt.

ARTIC. I.



1 VIDETVR quod non.

Hoc enim factum est, vt Animalium generatio assignaretur, sed philosophi veteres ex non sensatis elementis ritè assignant animalium generationem, præsertim Democr. Epicurus, Empedocles, Aristoteles, Galenus, Hippocrates, Plato, Heracl. Diogenes, Auicen. Varro, Orpheus, Hesiod. Plin. & alij.

2. Nullus Theologorum videtur hanc sententiam tenuisse: sed omnes vocant elementa insensata, animas verò à Deo producunt vel ex semine.

3 Ecclesiasticus loquens de elementis, cæterisque corporibus eorum prolibus: *In omnibus*, ait, *his insensatum est Cor.* Ergò non sentiunt.

4. Contra Thaletem istius opinionis assertorem, arguit Arist. in primò de Anima Tex. 86. si sensus, & anima in aëre, & in igne est, cur non facit in eis animal, in mistis autem facit: cum præsertim melior in illis esse videatur? "

5. Addit, quam ob causam melior, & immortalior anima, quæ est in aëre, quam quæ in animalibus. "

6. Accidit vtrinque irrationabile inconueniens, etenim dicere Animal ignem, inconueniens est. "

7. Totum cum parte eiusdem speciei est, proptereàque Anima est in elementis per "

„ vos,& in elementatis. At ergò & anima est partium eiusdem speciei,sicut aër cum par-
„ tibus suis: siquidem huius portio est anima. Ergò si partes animæ, non sunt similes; hoc
„ quidem aliquid ipsius inerit; aliud autem non inerit: necesse ergò est aut ipsum similium
„ esse partium, aut non inesse in qualibet parte totius.
„ 8. Nil different mortua à viuis, Animata ab inanimatis.
„ At S. Augustinus ait, *nullus est cadaueribus sensus.*

9. Videmus multa non sentire in nobis, vt pilos, vngues, ossa, & neruos, idem de lapidibus, & plantis, & consimilibus, existimare oportet, vel ista sufficiunt ad opinionem infringendam. Adde,

10. Nec operationes sensatæ sensum rerum ostendunt: nam & ratio in omnium rerum formatione reperitur; nec propterea sint rationalia bruta, plantæ, aranea &c.

„ SED Contra est idem Ecclesiasticus cap. 42. de creaturis cunctis loquens, ait. *Om-*
„ *nia hæc viuunt, & in necessitate obediunt Deo.* Sed vita non potest esse sine sensu, dicunt om-
„ nes patres, nec obedientia, dicit Hier. in Mat. 8. & Eccl. iterũ dicens, *Creauit eam in Sp. S.*
„ *Vidit, & numerauit, & mensus est, & effudit illam super omnia opera sua & super omnem*
„ *carnem secundum datum suum, & præbuit illam diligentibus se.*) Vbi sanè loquitur de sapientia creata, non de Verbo Dei: nam illud non est creatum, sed creator sapientiæ effusæ super omnia opera Dei: vnde paulò ante dixerat. *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis.* Item cunctis rebus datur Potentia essendi & Amor essendi séque conseruandi apud philosophos, & præcipuè D. Thom. 2. contr. Gent. ergò & sensus essendi: non enim amatur quod non sentitur, ergo quod naturaliter amatur naturaliter sentitur, quod animaliter, amatur, animaliter sentitur: inde omnia interirent si amica, quæ sequantur & inimica quæ fugiant, non sentirent, & hoc Eccl. insinuat cum super omnia opera Dei sapientiam effundit, alioquin non natura intrinsecus, sed sicut sagitta ab alio appetitum haberent suæ conseruationis & operationum.

Præterea enim non donatur Verbum, sapientia nimirum consubstantialis Deo, nisi secundum effectus, & dona. Quis enim potest possidere Deum comprehensibiliter? neque in beatifica visione hoc fiet, licet per essentiam videatur. Quapropter loquitur Eccles. 1. cum dicit Deum cunctis dedisse sapientiam de sapientia, quæ est splendor, & radius illius lucis æternæ: vel si loquitur de illa consubstantiali, adhuc palam est, quod in effectibus Dei est participatiuè effusa, non essentialiter. Cum autem triplicem Ecclesiasticus ponat ordinem sapientiæ, alia enim omnibus effectibus Dei est communis, & hæc est Primalitas; alia omni carni; & hæc addit animationem: alia tandem solis diligentibus Deum; & hæc est per gratiam solis hominibus, & Angelis bonis, excedens sapientiam animalem, & naturalem cunctis effectibus; consequens est, vt nos distinguamus sensum, & sapientiam cum Ecclesiastico in naturalem, Animalem, & gratuitam, seu mentalem; & fortiter tenemus super omnem creaturam effusam esse realiter participatiuè. Vt idem et Ecclesiasticus in cap. 42. vita autem sine sensu non est, iuxta omnem Philosophiam & Theolog. licet in plantis Aristoteles illam diuidat.

Præterea cum fiunt Animalia in Genesi, iubet Deus verbo suo, vt producat tellus animam viuentem, & produxit reptilia, & bestias animæ viuentis, similiter aquæ aues animatas; semperque ex elementis quasi viuis, res viuas facit, &, vt Caiet. ibi ait cum patribus, Greg. Nyss. Athan. Lact. Bas. *Ex eo, quod habet, Tellus iussa est dare animas, non passiuè tantum, sed actiuè.* Quod patres ex calore concepto & luce intelligunt: cum autem hominem fecit Deus, ipse inspirat spiraculum vitæ: ergò palam est, quod anima ferarum est ab elementis; hominum verò à Deo: quod si & illæ, vtique non sic distinxisset Moyses. Item alibi ait, *sanguis eorum*, loquens de brutis, *pro anima est.* Alibi vocat Ani-
Deut. 12. mam brutorum spiritum vitæ. Ergò cum sanguis sit ex elementis, & spiritus ex sanguine,
Gen. 7. & Ambrosius exponit, palam est, quod brutorum anima est ex elementis: nosque rectè Deum donasse elementis facultatem sensitiuam, primò descripsimus, & verbum suum esse fontem omnis sapientiæ, & sensus, & rationis, vti & Salomon docet, & Baruch. & Iob. At Dauid, & Daniel creaturas inuitando ad laudem Dei, & quod Sol cognouit occasum suum, fauent sensui earum, non enim vana penitus est Prosopopeia, vt in Metaph. & & cum tota scriptura det sensum rebus cunctis, & nulla neget, videtur imbecilli & cauillatoris

latoris esse negatio, cum & tota rerum natura idem astruat, ex quibus viua non mortua Dei constat statua.

Theologi quicunque elementa priuant sensu, tamen animationis virtutem accepisse volunt, cum iussit Deus, vt producant animalia viuentia. At secundum Augustinum hoc fuit in instanti. Illa enim dierum partitio est signatio tantum: ergò ab initio hanc vim habuerunt, & S. Chrysost. aquis virtutem viuificam a Spiritu Dei, & motiuam datam etiam, dum fierent, admonuit. Rationes autem quibus nostra sententia probatur, & experimenta quamplurima in lib. de Sensu Rerum posuimus, & in tex. ex parte epilogauimus, nolo immorari. Item in defensione libri de Sensu Rerum S. S. & Patrum plurimorum, & Philosophorum omnium testimonio, exceptis Epicureis, demonstrauimus. Vbi etiam ostensum est, quòd omnes patres dant sensum naturalem elementis, nedum Orig. & Nyss. & Hier. qui autem videntur negare, negant sensum organicum, & diuinum, quem ponebant Manichæi ex eo, quod Deus materiatus fuisset & concretus in pugna cum Hyle malo Deo, vt Aug. testatur, & Hieron. vide Apol. Nam & S. Thom. in Iob. 14. lect. 2. dat sensum putrefactis lignis naturalem: nedum Arist. Auer. & præfati patres.

Ad primum, nego quod philosophi ex insensatis elementis produxerint animalia excepto Epicuro, de quo in sequenti articulo disputabimus; alii enim omnes etiam Arist. & Auer. vel elementis sensum, vel animam aliquam mundi posuere, vnde animalia gignerent: alii animas esse particulas Dei cum Stoicis, & Virgilio dixerunt; quæ omnia sunt inconuenientia, nisi sensu elementa donentur.

Experimenta & rationes pro rerum sensu, vide in Tex. & proprio Commentario, & eiusdem Apologia.

Ad secundum negatur. Nam Ambros. & Basil. nullum sensum fieri posse absque igne docent. August. idem probat lib. 5. super Gen. & de Diuinat. demon. vbi dæmonia, quoniam habent subtilia corpora aërea, sensitiua, valde sagacia esse docet. vbi aëri, & igni sensum videtur dare. At S. Clemens Romanus, vbi est ratio, ibi sensum esse docet, & in cunctis rebus esse sensum. Vnde sapientia Dei semper fuisse in rebus probat Simon Petrus contra Simonem Magum quærentem, quare Christus sapientia Dei prius non comparuit, rectè quidem ab effectu. Item Origenes terram facit animatam cum Pythagoreis super Isaiam, cui & intelligentiam dat, sicuti cæteris stellis Pythagoras, & Arist. sed de hoc in Metaph. Multi Patres sequuti sunt opinionem vulgarem, aut philosophorum, sed tamen Ecclesiasticus me conuincit, & ratio, & experientiæ tantæ. At cum producunt animalia ex putredine Theologi non vtique à Deo creari docent, sicut quidam Scotista putat, neque ex insensatis elementis: ergo sensum dent oportet super omnem creaturam à Deo effusum. de hoc in sequenti articulo. Bern. etiam vitam & animam brutorum ex elementis deriuat. Et Amb. & Lact. & Athan. & Clem. Rom. & Alex. quos allegauimus in Apolog.

Præterea Hieron. in 8. Mat. docet omnes creaturas sentire Creatorem, & D. Tho. 1. 2. q. 109. magis amare Creatorem, quàm se ipsas. Item Hiero. in 10. Ezech. exponens illud, *Spiritus vitæ erat in rotis*, approbat opinionem dicentium, omnia sentire. Idem Greg. Nyss. in lib. de opif. hominis, & in Hexam. Item Athan. in definit. monet, etiam vinum quod in dolio, & quod in racemis, mutuo sensu inuicem sentire.

Ad tertium, si Ecclesiasticus dixit, quod habent cor, vtique animata fecit elementa, cor enim in sacris literis pro anima ponitur, quasi semper, & pro voluntate aliquando. Cum addit insensatum, loquitur respectu hominis: sic dicimus asinum insensatum habere cor, & hominem ignorantem vocamus insensatum: sensus enim in scripturis pro ipsa animali anima sæpè ponitur: vnde Salomon: *Terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*. Sed aliæ autoritates Ecclesiastici hanc elucidarunt.

Ad quartum nugatur Arist. vt solet, si enim anima est in aere, non faciet animalia, quoniam non sola anima sufficit ad animalia, sed requiritur corpus crassitie, & humore, & soliditate constans, quod possit organizati ad opera vitæ, & receptaculum animæ. Aër autem, & ignis tenuissima sunt; sed quod animet, infra patebit: vbi in crassitie obteguntur ordine naturali. Nec dicimus elemẽta esse animata, vel animalia, sed tãtũ sentire sensu naturali.

Ad quintum patet ratio, quoniam anima aëris est libera in corpore similari (si anima dici potest) nec partibus variis iniuriis obnoxiis, & compositionis diuersarum tẽperaturarum, quales sunt in difformi corpore animalium, alligata est, quærẽdum erat, cur aër plus viuit,

à Deo datam pro ipsorum natura,& vsu,vt Ecclesiasticus dicit, & nos alibi explicauimus: Veh nobis,si ossa,& pili sensu multo pollerent; & veh si nullo.

Ad decimum, Ratio potest ad virtutem formatiuam rerum reduci: sensus autem, & appetitus propriæ conseruationis proprius est interiorque rebus,sicuti potest ostendi, cuncta enim amant proprium esse. Amor autem ex sensu cognoscente manat in cunctis, sic potes ensis artificium tribuere fabro,duritiem autem, vel frigus, vel pondus non nisi ferreæ naturæ; quod autem non sit instinctus naturalis vllus, nisi in sentiente re, probatum est in primo de Sensu Rerum. Bruta autem rationis sensitiuæ, quæ estimatiua dicitur,non mentalis,& liberæ,esse participia,ibi docuimus,& in quæstionibus seqq. ventilabimus.

Vtrùm ex non sensatis elementis sentientia animalia fieri queant, & Physiologi quid de hoc senserunt. Nec Harmoniam esse animam brutorum, nec à Deo ex sui substantia, nec ex nihilo, nec ab anima Mundi.

ART. II.

PArtem affirmatiuam tuetur Lucretius cum Democrito, Leucippo, & suis Epicureis.

1. Etenim ex non herbis fiunt herbæ, ex non ridentibus, ridentia, ex non saporibus,sapores; & vnumquodque ex eo quod non est: si enim est,non fit: ergò ex non animalibus animalia,quod manifestum est in putrefactionibus.

2. Mundus recens est,quando ergò facti sunt homines,ex elementis facti sunt primi, & alij ex aliis per successionem: & sic omnia animalia.

3. Subscripsit huic sermoni prior Empedocles,qui ex mistura elementorum lite agitatorum producit ordinem Mundi,& plantas,& animalia diuersa secundum concursum materiæ,& partium formata: quorum alia monstruosa,& promiscuarum formarum seruata non sunt: hæc autem,quæ videmus,seruata sunt: quibus Fatum id est, causarum concursus arrisit:non discordat ergò ab Epicureis in formatione casuali; sed illi ex atomis, iste ex elementis compositiones faciunt.

4. Alexander Aphrod. ex quatuor elementis insensatis facit animalia,simplex enim elementum parum virtutis habet;in mistione verò emergit virtus melior ex illis pluribus, ita quod alia est vegetatiua forma,alia nobilior ex meliori mistura est sensitiua: alia rationalis:probàtque id oportere,tum quia non aliunde possunt res secundæ fieri, nisi ex elementis,tum quia quodlibet fit ex suo contrario,vt calidum ex frigido, ergò & animatum ex inanimatis. Nihilominus D.Th.in 2.cæl.lect.18.affirmat Alex.posuisse terrã animatã. *In 1. de Anim.*

5. Quicunque Philosophi plura posuerunt elementa, animas ex illis composuerunt, ita vt sit harmonia quædam:qui verò vnum,illud vnum fecerunt principium, & animam; vt Heracl.ignem,Diogenes aërem: Hipponax aquam: Thales autem licèt Aquam faciat principium; omnia tamen animata ponit. Varro Animam putat esse aërem inspiratum mouentem viscera,cui consentit Parac.at Democritus atomos rotundos. Orpheus animam eundem intrusum aërem iudicat. Aristoxenus harmoniam, quam talis facit aër mouens corpora. Critias sanguinem. Hippocrates calorem natiuum, vel temperiem aliquando,cui Galenus subscribit:dubitat tamen aliquando vtrum Animæ à Deo vel à virtute rerum formatrice fiant: hique omnes suæ positionis ex operationibus animæ accommodatis illi rei,quam faciunt animam,argumenta sumunt. Omnes conueniunt,quod anima sentit,mouet,& tenuis res est:non autem de quidditate:quod si Anima sic est, exque elementis non sensatis,vel elementum,vtique fiet animal ex inanimatis.

6. Probatur Aristotele teste,qui etiam ex insensatis elementis producit animalia.

7. Et testimonio scripturarum,iussit enim Deus terram,& aquam producere animalia,quæ insensata erant theologorum testimonio.

8. Ezechiel à quatuor ventis animas accersit ad viuificanda corpora, sicuti Orpheus:

ergò ventus erit Anima, vel Aër, qui in quadam ratione intra corpus constitutus sentit, vegetat, mouétque, vt Varro, & Philoxenus existimauere.

9. Dixit Dauid de Terræ parturitione ex qua plantæ, & animalia fiunt. *Emitte Deus spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur*: sæpéque Isaias Deum dare spiritum terrigenis docet: ergò possunt ex insensatis elementis fieri corpora, Deúsque dare Animam. Tanta præterea ratio, & syllogismi in piscibus, & feris, vt annotarunt philosophi, & Basil. & Ambr. vt non nisi à Deo ingenium ipsorum esse clament: vide quid de Cancro, polypo, cane, perdice, vulpe, elephante, &c. meditatur S. Ambros. & quæ scribit Plutarchus.

10. Apostolus 1. Corinth. formationem, & corpus frumenti ex terra à Deo esse docet, & Dominus Iesus vestiri lilia à Patre cælesti, & Hieron. animalium in vtero formationem Deo tribuit. Igitur elementa materialiter concurrunt: si ergò est sensus animalibus à Deo est sicuti dicebamus super omnem carnem, & non ab elementis.

SED Contra est quod dicit Iob, *Nihil fit sine causa*. Est ergò omnis effectus in causis suis, alioquin ex nihilo fieret. Item Apostolus, *quid habes, quod non accepisti?* est ergò causis referendum, quod in effectibus. Item Ieremias Deos gentium non posse salutem date, & vitam, quia nullum ens dat, quod non habet, probauit: similiter Sapientia Salomonis contra Idolatriam docet, Artificem mortalem non posse vitam dare suo opificio, multáque sunt loca scripturarum, item & Conciliorum, in quibus legi hanc propositionem, *Nemo dat, quod non habet*. Hanc propositionem, & fundamentum probauimus, & defendimus in 1. libro de Sensu Rerum. Cum ergò fiant animalia ex elementis, tanquam ex causis, habeantque principium vitæ sensus, & motus, oportebit sensum, & motum, & vitam, vel ab elementis dari, vel ab alia causa, vt à Deo, vel ab Anima Mundi, vel esse relationem ex compositione resultantem. Compositio enim, & vnio contrariorum non est in elementis, est tamen in elementatis. Igitur Anima erit aliqua relatio resultans ex compositione & configuratione, vt Democrito videtur, si non est à Deo, neque ab elementis. At istas omnes etiam falsas docebo.

1. opinio examinat. 1. Quod non sint à Deo animæ brutorum probatur: quoniam vel ex substantia Dei, quasi particulæ eius essent, vt Stoici sentire videntur, & Virgilius ex mente vniuersi animas producens, & Manichæi ex materiali Dei substantia, vel fierent ex nihilo; non primum, quoniam damnatum est in Theologia, & apud omnes patres præcipuè Hieron. & Aug. nec ratio consentit; neque miseria inesset rebus, omnésque essent vna: si autem esset participatiuè, tunc non de substantia eius, sed de effectu virtuoso esset Animal, & ex nihilo re vera. Infinitum enim non paticipatur, quoniam est indiuisibile, sed totcipatur, quod est impossibile: si ex nihilo, tunc continuò Deus in cuiusque vermis, & culicis, quorum fiunt continuò innumerabiles, animas crearet; quod videtur inconueniens, repugnat etiam Scripturis sanctis, quæ solum hominis animam à Deo conditam inspiratáque docent. Alias verò productas à terra, & aqua: *Producat terra animam viuentem*. Item omnes Theologi consentiunt ex nihilo non fieri brutorum animas, sicuti humana, & Plato in Timeo de substantia Angelorum producit animas humanas; brutorum verò aliunde, illásque solas à Deo, quoniam inquit, quod à Deo fit immediatè, est immortale: vnde corporis structuram Angelis committit, ne etiam secundum corpus immortalis esset homo: hæc ratio non valet nobis. Deus autem voluntate, non natura producit; ideóque & mortalia, & immortalia, prout vult potest facere immediatè, non tamen mortalia, vt effectu formalis primi entis, sed participio nihili: valet tamen apud nonnullos Pythagoricos, qui idcircò omnes animas immortales faciunt, transmigrationémque ponunt animalium. Contra quos in 2. de Sensu Rerum, & in Metaph. scripsimus.

Quod autem omnis Anima non sit compositio, & relatio quædam, palam est. Compositio enim, relatióque sequuntur misturam, & corporis temperiem. At corpora constituuntur ab anima, & fabrica eorum à sentiente virtute fit. Anima ergò prior est, quam Harmonia illa corporis. Item anima mouet corpus, Harmonia mouetur, non mouet, nec sentit, nec sapit.

2. Præterea sentire, mouere, & cogitare sunt operationes diuiniores quàm cuiuslibet

elementi, & misturæ, mistura enim relatio est. At sensus est res absoluta, beneque operans, & finem sibi præscribens agendorum; quod nonenti relationi, nemo sanus adscribet: habent quidem motum atomi, sed non artificiosum, & propter finem, qualem anima habet. Neque vnde libertas mouendi & sistendi corpus sit, potest doceri ab Epicuro: sed oporteret ex impotentia fieri quietem, non ex deliberatione, omnemque à motu vacationem esse somnum, quo non possumus non sopiri. Vnde Lucretius putat somnum atomorum, ex quibus constat anima, diminutione, & effluxu fieri. Verè quidem ex parte. At deliberamus etiam non dormire, vt amantes, & nauigantes; quod quidem non possemus perditis atomis, sed dormiremus; vt deliquio oppressi, & letargo, & histerico morbo cunctis vicibus. Neque id solum facit anima humana à Deo indita, vt fortè dicerent noui Democratici, & Franciscus Supratia: nam & bruta abstinent à somno vbi periculo, vel spe prædæ aguntur sponte, licèt non liberè, vt homo. Quomodo autem facerent hoc, si tunc animam, qua mouetur corpus, non habent, sed ex atomis ciborum reficiendam expectant? nec anima humana absque atomis mouere.

3. Præterea cum corporis compositio sit artificiosa, non casualis, & propter finem semper: Oculus enim propter videre, manus propter tractare corpora; pedes propter motum talibus cum figuris, & temperiebus, & particulis sunt: quod autem non à casu, probatum est in Metaph. & palam est, quoniam si artificialia propter finem sunt, multò prius naturalia, cum ars discipula sit naturæ; & contra Epicurum ibi satis disputatum est. Indiget ergò artifice ad sui constructionem. Ergò multo magis animæ compositio, cuius gratia omnia organa ista facta sunt. Artifex autem ille sapiens est. Ergò ab eius sapientia potius erat sapientia animæ deriuanda, quam à stupidis atomis; quod Democritus fecit, quoniam illum artificem non agnouit. Compositio autem Ideæ rectè adscribenda erat, vt nihil sit in effectibus, quod non in causis.

4. Præterea quomodo elementa non cognoscentia dent cognitionem, nemo explicat, & voluptates, & dolores, & cogitationes, & studia. Hæc enim requirunt benè validam causã sapientisque, concursus autẽ elementorũ temerarius est sapientiæ expers.

Opinionem verò Democriti ex atomis constituentis omnia in Metaph. destruximus, & in primo de Sensu rerum. Empedocl. verò commistionem reprobauimus. Verum Empedocles non facit mistum homiomerum, vti Arist. sed seruat elementa in minutias redacta, ità vt nobis sit mistio, sed non lynceo. Anima ergò erit pura relatio, & non aliquid ex eis constitutum, nisi vt aceruus: sed quomodo sentit aceruus, nisi aceruata sentirent? non credo Aristot. quod soli misturæ animam tribuat Emped. cum sit Pythagoræis nutritus scientiis; sed & sensum illi dedisse opinandum: cum ex nihilo non generet: hoc autem etiam eueniret Empedocli, ac Democrito: nam licèt ex atomis, non tamen præfuit in illis animæ vis vt idea.

5. At Præterea cum motum dent elementis, & animam propterea moueri statuant, quoniam ex mobilibus: oportet quoque eadem ratione sensum dare elementis, quo animam sentientem, vti mouentem ex eis habeant: aut fateantur ex immotis, insensatisque fieri, quod nemo stultus concedet, neque illi. Facit Arist. quod actu est semper.

6. Præterea cum alia sit harmonia, & mistura ossis, & nerui, & carnis, & cerebri, & sanguinis, docendi eramus, quænam istorum harmonia est anima; & an plures animæ. Et quis continet eas in vnum; & vnde conspiratio tanta à temerario casu. Item cur intercluso neruo præpeditur motus ergà peripheriam, non qui ergà centrum, remanente harmonia. Quod si spiritus harmoniam tantum volunt esse animarum, sicuti nos, auferant contrarietatem, quam in mistione reprobauimus, & dent sensum principiis spiritus, & conuenicmus: non enim in composito aliquid est, quod non in componente. Anima autem relatio non est, sed sentit, mouetque per se, & propter finem, vt dictum est.

Igitur quoniam non est à Deo anima brutorum, neque est assecla compositionis, necesse est, vt sint elementa sentientia, ex quibus sentiens anima deriuetur. Nam de sinu materiæ non educi, in hoc libro prius probatum est, & in Metaph. & de Sensu rerum. *Conclusio.*

3. Opinio. Ratio idest in contr. Alij dicunt ab anima mundi produci, vt Platonici pleríque, & Varro, qui Deum animam Mundi facit. Auicenna verò Colchodeæ hoc munus demandat. Alij verò Intellectui actiuo, quicunque sit. Stoici spiritum tenuissimum corporeum omnia permeantem ac regentem asserunt: cuius spiritus animæ sint particulæ, vt Senec. & Lucan. testantur.

Sed profectò non rectè: hæc enim virtus abstracta, vel informans, aut dat animam de sui substantia, aut ex nihilo: non ex nihilo, quoniam creare non potest, nisi Deus, vt probat S. Thomas, qui nullo pacto esse corpus & diuisibile in Metaph. probatur contra Stoïcos, infinita enim virtus est, quæ de nihilo ad ens trahit: pôrest secundum alios instrumentaliter. At Deus non creat animas brutorum principaliter; ergò neque anima Mundi instrumentaliter. Neque ex sui substantia, quoniam impartibilis est; neque enim vermes, qui intra corpus humanum fiunt, sunt animati de substantia animæ humanæ: alioquin rationales essent, religiosique: sic neque ergò animalia sunt de substantia animæ Mundi: sic enim essent omnia beata, rationalia, intellectiua, deique participia. Hoc autem videtur absurdum, & hæresis. Vnde & Virgilius, qui mentem animantem Mundum posuit, subiungit animalia ab illa mente quidem esse, sed tamen sensum habere à cælo, & igne.

Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Vnde hominum pecudumque genus vitaque animantum,
Igneus est ollis vigor & cælestis origo.

In 6. Æneid. At in Georg. aliorum sententia loquitur, cum ait,

Esse apibus partem Diuina Mentis, & haustus,
Æthereos dixere. Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris, cælumque profundum.

Nec Auicenna animas à Colchodea dabit, sed tantum formationes corporum, quod & Galen. in 17. de Vsu par. & in lib. de format: fœtus docuisse videtur: similiter Aug. 3. de Trin. formationes dat Angelis tanquam agricolis non formas: idem D. Thom. 2. contr. Gen. Admirabilis corporis fabrica videtur committenda causis diuinoribus, quam sunt elementa insensata. Nec si sentiant cum illa non intendant facere, efficient, nisi sub aliene ducatu. Idcirco Origenes præficit Angelos formationibus, & ideationibus. Ideas autem in Deo, & à Deo esse, & ab his cognosci, scripsimus in Metaph. sensum verò in rebus esse, sicuti & materia, & qualitates, quæ ad structuram requiruntur iuxtà primam Dei creantis ordinationem: sed vtrum possit anima Mundi ex se sensum effundere; sicuti calor calorem in Metaph. disputauimus; inuenimusque non posse quamuis August. aliquādo affirmet, & aliquādo rectius neget quoniā esset de substantia animæ, sicuti calor de substantia caloris, & non defluxus quidam, vt prius dicebat: omniaque animata essent eiusdem speciei, & beatificabilitatis quantum ad animam. Ergò sensus neque à Deo, neque ab Angelis, neque ab anima Mundi, neque ex compositione. Ergò ex componentibus elementis, quod in quatuor libris probauimus: vt actiones, & passiones elementares, fugæ, odia, amores &c. declarant. Quod autem Lucretius animum, & animam ex variis atomis componit ob diuersitatem in operationibus animasticis repertas, nihil melius affert: atoma enim insensata exiguaque sensum, & intellectum, aliasque operationes mirificas extensas vsque ad cæli extima, non possunt dare, nec rudis compositio.

Ad primum Resp. est in p. de Sensu rerum fieri quidem herbas ex non herbis: non tamen esse aliquid in herbis, quod non sit in suis causis. Materia enim est in terra, calor in sole, & à sole: colores ex materiæ opaco, & solis lucido fiunt: fluores etiam ex terra à calore liquefacta, forma autem & compositio est in idea prima Dei, & animæ Mundi vel Angelorum secundario. At neque nullibi; sed ex anima non respondente ideæ. Ideo sensus erit ex sola mistura, cum res sit actiua, & mouens virtus, quæ sentit: oportet ergò esse in elementis. Idem dico de saporibus, quod sunt gradus caloris agentis cum tali materiæ dispositione: & de risu, qui est lætitiæ manifestatio per apertionem oris, & lætari sentientium est, & aperiri & dilatari aëris, & spiritus, & sic moueri. At modus non est in elementis, qui in elementatis: sed in idea, res verò ridens est in elementis,

quoniam est sensus, & corporeitas, & dilatationis ratio &c. Concedo etiam ex non animalibus animalia, sed non quod sit aliquid in animali, quod non præsit in causis. Nemo enim dat, quod non habet: hæc ibi abundè: vbi etiam de calido ex non calidis vide. Præest enim in lapide obtusus; in putrefactionibus præest calor sensitiuus, qui corpora constituit causarum concursu adactus, quod tetigit Empedocl. sed non dedit principem causam præsidentem concursui, sed casum, & litem: neque sensum elementis: vnde in animalibus, si Aristoteli credas.

Ad secundum concedo prima animalia ex elementis fuisse, sensatis tamen vti docui; hominem verò à Deo, quoad rationalem mentem; vt in Art. 1. Aristotelici autem huic argumento nil respondere possunt, si conuincantur malè sentire de Mundi æternitate, nec si minus: nam elementata in tempore fiunt ex elementis non subitò: homines ergò elementis coæterni esse non potuerunt; quomodo facti sunt ex insensatis, & sine Deo?

Ad tertium Resp. est quod perperam omisit causam elementatorum Emped. & sensum temperici, & non temperanti causæ, nec temperatis, adscripsit.

Ad quartum ineptè & indoctè Alexander loquitur. Elementa enim habent virtutes summas; elementata refractas: cum ergò veniunt ad mistionem, perdunt aliquid de suo vigore, non ergò potuerunt vnquam efficere ens nobilius, in quo etiam Auerroës errat valde. At quatruplex illa virtus Alexandro non fit vna, quoniam ex seruatis componit mista: nec si ex corruptis, vt Durandus, & Latini. Nam illud mistum erit vnius virtutis, non quatruplicis, nec habet plusquam accepit, nec nouas virtutes, nisi alia ex causa. Virtutes autem illæ quatuor sunt calor, frigus, humor, & siccitas. Hæc enim sunt formæ elementorum Alexandro, & Aristoteli: At anima non habet has qualitates pro virtutibus sed cogitare, sentire, mouere, intelligere, docere, ratiocinari, quæ exuperant cælum, & elementa, & incorporea entia percipiunt: quomodo possunt ab insensato calore, & frigore, humore, & siccitate, ista fieri ob misturam: qua potius afflictantur, & dejeiuntur, quam ad nobiliorem dignitatem eleuentur? Mirum quomodo ista deglutiant scioli, præsertim Pomponatius; qui etiam ex mistura elementorum miraculorum virtutem in corporibus sanctorum deducit impiè plusquam diabolus faceret quam sententiam in 4. de Sensu rerum, & in Metaph. refutauimus. Vide fructus Peripateticos in scholis Christianorum.

Quod autem ait, fieri quodlibet ex contrario, falsum est: nam homo fit ex homine, & animal ex animali, sed fit ex contrario tanquam ex termino: antequam esset homo, erat non homo, & calidum ex frigido materialiter, non tamen formaliter, neque actiuè, non enim à frigore, nec de frigore, sed calidum fit à calore. Igitur fit animal ex non animali materialiter. Attamen vis cognoscendi erat in semine, quæ architectatur animal, & in genitore, sic & in putrefactis inerat calor sensitiuus: valeat illa propositio, non tamen ista, quod non possit esse in effectu, quod non fuit in caussis. Vnde Arist. coactus in lib. 2. & 3. de Gen. An. animam humanam de foris accersit: ferinas vero ab elementis animaris, vt & Auer. ibi docet.

Ad quintum verum est, quod omnes Philosophi ex principio animam deducunt, conuenit enim illi esse principalissimam; qui autem ex mistis, reprobati sunt. At omnes ex tenuissima, mobili, & sentiente parte, animant, vti nos. Non enim possunt dedisse effectibus, quod non fuit in causa, præcipuè cum animam, quasi causam illam ponant. Quapropter non est in nobis disputatio cum Heraclito, Diogene, Thalete, & aliis. Consentiunt enim nobis, cum de animabus brutorum loquuntur.

Varro non rectè animam ponit inspiratum aërem: siquidem, & quæ non spirant animalia aquatica, animam habent. Vnde & Orphæus, & Paracelsus redarguuntur: sed tamen spiritum aëreum per similem esse animæ eiusque nutrimentum infra ostendemus. At cum nos aliquid meditamur respirationem intermittimus: ergò anima non est motus ille respirationis harmonicus, vt Aristoxenus dicit, neque aër inspiratus: sed alteri animæ vsui destinatur, vt in seqq. quæstionibus ostendemus. Dormientes quoque spiramus, nec sentimus. Anima ergò est spiritus, vt dicemus: At Varro facit Deum animam Mundi, ac remque animatum putat, sic & Plinius, non ergò ex inanimatis facit anima-

lia. Similiter nec Orpheus, qui intellectum agnoscit in spiritu; stulte Critias sanguinem: nam seruato sanguine, sola lætitia contingit animal mori.

Præterea motus animalis velox non sanguini, sed tenui spiritui conuenit, & sentienti. Sanctus Ambros. spiritui in sanguine rectè dixit inesse.

Hippocrates quidem 6. Epid. anima, ait, gignitur, & alitur vsque ad mortem. Et in 4. de ratione victus, est calor natiuus anima, & in libro de carnibus, calorem sentire, intelligere, prævidere, & mouere docet, non ergò ex insensatis producit animalia Hipp. nam ex igne calorem accersit, quem facit sensatum. Galenus quoque licèt insensata elementa faciat, non tamen calorem natiuum, quem animam, & vitam per se mobilem intro, forasque esse dicit in lib. de Rigore, & palpitatione: vnde Montano calor videtur animatus, similiter Auerroi: calor autem natiuus ex quatuor qualitatibus constat Galeno, non autem Hippocrati: ergo quatuor qualitates sensitiuæ sunt illi. Item ipse Gal. aliquando sensum ab anima Mundi accersit; aliquando ex elementis: & cum ipse vbique tueatur, nihil esse in elementatis, quod non sit in elementis, & nihil sine causa vt in lib. de Plac. deprehenditur ex sensatis elementis facere animalia: si sibi non cõstat, ipse viderit. palam est, quod sæpè exclamat in laudem formatricis virtutis, & naturæ; quam diuinum ens Hippocrates vocat: & in lib. de morbis vulgaribus, ne dum sensum, calori, sed Propheticam, & ecstasim dat Galenus, licet erret, & Auer. Galeno imponit, quod animas ex Mundi Anima deriuat. Nemo ergò potuit ex insensatis animalia facere.

Arist. quoque contra Emped. & Democ. ostendit animam ex insensatis elementis non posse fieri, quoniam est quid diuinius, & melius; neque ex eis potest deduci in p. de anim. & 2. de gener. & corrup. At vero neque formationem secundorum entium putat elementaribus virtutibus committendam, quoniam valde instrumentaliter generant, & sine ratione. Omnis autem formatio est ordo, & ratio. Nec ideas, quoniam idea sanitatis non facit sanum sine medico. Tandem adducit actiuum principium; sed illud facit elementis insipientius, idest motum cæli, vt ostendimus in quæstionibus de plantis, & in principio huius libri, & in Metaph. Quid tamen Peripatetici dicunt motum cæli non sua virtute, sed mouentis Angeli posse animas producere. At cum non intelligant, nisi per motum beari secundum Arist. licèt stultè, vt in Metaph. formas inferiorum non producent, nisi per accidens: vbi autem erit causa per se? Neque enim Deus Arist. respicit inferiora, ne suam beatitatem deserat, aut vilescat: quo in sermone videtur Arist. insipientior Epicuræis doctissimo Origeni contra Celsum: id quod ego probaui in 3. p. Metaph. cum igitur Deus, & Angeli solum moueant, & inferiora non respiciat causa formarum erunt per accidens.

At neque si respiciunt, vt D. Thomas melius docet 2. con. Gent. c. 99. non enim nisi motum demittunt. Nec enim lumen est in stellis Aristoteli, & Aphrodiseo, sed fit in aëre attrito, & licèt sit, non tamen est animatum, quomodo motus insipiens architectabitur animatorum corpora, & animas producet, & vnde nam? Nemo dat, quod non habet. At si etiam sit doctissimus iste motus, nulla influentia animali decoratus, quid dabit? Dicunt alij Peripatetici ex potentia Materiæ educi formas, & animas: hanc stultitiam in 2. de Sensu rerum, & in Metaph. refutauimus, & in quæst. de Materia, hoc in commentario. Non enim materia dat formas, sed recipit, est in potentia receptiua, non datiua; oportet ergò videre quis largitor formarum, & præsertim animarum. Hoc victus sermone Auicennas inuehit Colchodeam, & Alex. vtitur Intellectu actiuo; sed hoc in istomet articulo reprobauimus, solam enim formationem possumus ab his mutuari, non autem formam, & sensum & animam subsistentem, aut calorem. Boëthus autem docet formas in materia manare ex formis sine materia, quod D. Thomas 2. cont. Gent. 99. dicit non per creationem, neque per propriæ substantiæ largitionem, sed per modificationem elementorum à motu cæli instrumenti Angelorum. At si non habent sensum elementa ab Angelis dari posse negat. Vide Metaph.

Quapropter Arist. nescit vnde animas hauriat, cum non possit à cælo, neque ab Angelis, neque à materia, neque ab elementis. Tandem conuictus veritate in lib. 3. de generatione animalium fatetur calorem esse secundam substantiam, & animam omnium
Cap. 11. rerum. *Fiunt*, ait, *enim animalia, quoniam est in putrefactis humor, in humore spiritus, in spiritu*

ritu calor, vt quodammodo omnia animæ sint plena. Ergò calor præexistens est Aristoteli omnium anima. Item eundem proportionalem facit elemento stellarum: quoniam fatetur stellas ibi calidas, quod in lib. de cælo negarat. Item in 4. Met. *In putrefactis,* inquit, *in generantur animalia, eo quod segregata caliditas architectatur corpora.* Calor ergò est illi anima architectans. Præterea in lib. de Respir. propter animæ ignitionem in corde respirationis vsum requirit. Item in lib. de Morte, & vita, semper vitam esse permanentiam natiui caloris, mortem verò eiusdem corruptionem, docet: & in problemate, cur timentes sitiunt, docet calorem esse tanquam animal, quoniam per se mouetur intro, & foras à meticulosis, & lætis rebus: Vnde Gal. etiam agnoscit calorem pro anima. At in sect. de prudentia Arist. Atrebili calidæ tribuit intelligentiam, ecstasim, prophetiam, poemata: Frigidæ vero stupiditatem, & imperitiam: Mediocri vero prudentiam, & ratiocinia optima. Ergò Arist. habet vbique calorem pro anima; nec potest reddere causam positionis suæ de anima, nisi à calore, & in 2. tex. 13. de anim. Omnes sensus esse ignis. *Nihil enim,* ait, *sine calore sensitiuum.* Quapropter palam est Aristotelem non potuisse ex insensatis elementis animata constituere, & ad calorem sentientem, igneumque, quod reprobarat, confugisse: vt & Auer. fatetur.

Ad septimum est pro nobis: nam ex sensatis produxit, aut tunc sensationis virtute donatis, vt Theologi fatentur, vt in art. præcedenti, Vide & in Apologia pro lib. de Sensu rerum: vbi S. S. & Patres plurimos pro hoc allegauimus.

Ad octauum, nequaquam à ventis Deus accersit animas apud Ezech. sed ab partibus Mundi. Ideò dicitur à ventis quatuor cardinum orbis. Item illud fuit mysterium resurrectionis futuræ in visione: & spiritus venti fuit quasi symbolum: sic etiam spiritus sanctus in specie venti, & ignis ad Apostolos mittitur: non quia ipse sit ventus, & ignis, vt notant Theologi, sed quia symbolum cum eis in nostra intellectione habet: vnde amoris vim, & Charitatis feruorem repræsentauit. Nec enim est columba, quando in specie columbæ. Ex his credo Orphæum sententiam suam accepisse: sed non satis introspiciens scripturas Dei. Paracel. animas brutorum ab aëre accersit: humanam à Deo.

Ad nonum, verè spiritus sanctus amor diuinus donat amorem se se multiplicandi, & germinandi, & generandi, cunctis rebus. Nam licet habeant in se sensum motumque res, tamen à prima causa applicantur & præueniuntur in esse & operari. Nec sequitur ex hoc, non esse sensum rebus, vti Doctores Macometani dicunt, auferentes formas, & formarum actiones Deo tribuentes. Neque enim, aiunt, sol lucet, sed Deus in sole; neque homo se mouet sed Deus in homine. Quam sententiam reprobat S. Thomas in 3. cont. Gent. & nos in Metaph. & in primo de Sensu rerum c. 6. sunt enim in rebus formæ, & virtutes: indigent tamen Dei concursu in operationibus: & Dauid iuxta Primalitatem amoris de Spiritu sancto loquitur, postea sequitur; *Auferes spiritum eorum, & deficient.* Ergò habent spiritum etiam proprium, etsi à Spiritu sancto reguntur: Nec plantis vis fructificandi propterea non insit, quia indigent Sole. Concedo Deum posse brutis animas dare de possibili, non tamen de facto, sic esse, nisi in hominibus; quod dicitur de ratione animalium in seq. quæst. ventilabitur.

Ad 10. verè Deus operatur omnia in omnibus, non tamen solus, sed cum rerum formis, quæ in esse, & operari à Deo dependent; aliæ liberè, aliæ necessariò, aliæ cõtingenter: attemperat Deus vires actionis suæ actionibus rerum modificatas. Concedo formationes, & animationes, & operationes esse à Deo principaliter primò; sed ab elementis etiam primo instrumentaliter, & secundò principaliter, & à formis secundarum causarum prout in Metaph. Rectissimè loquuntur Theologi principem causam respicientes, quæ plus potest super effectus, & plus dat, quàm secundæ, non tamen ex hoc sequitur de facto, quod ex insensatis sensata fiant, aut quod Physicè non sit causa princeps calor vt ibi. Cætera argumenta contra hunc articulum: vide in primo de Sensu rerum & in Apologia.

Vtrùm omnia animalia perfecta, imperfectáque poßint ex elementis absque semine generari: & vtrum sint eiusdem speciei, quæ sponte, cum his quæ ex semine nascuntur.

ARTIC. III.

AVicenna affirmat vtramque.

1. Omnia enim animalia ex elementis constant, tam perfecta, quàm imperfecta: ergò possunt elementa sic copulari, vt sicut hæc, ita & illa producant.

2. Prima animalia omnia ex elementis ortum duxere sponte nascendo. Ergò nunc quoque possunt similiter oriri.

3. Positis causis eisdem, iidem effectus ponuntur: at eadem sunt modo elementa, si sensitiua, sufficienter; si insensata, adest Colchodea eadem, vt animas producat.

4. In diluuio vniuersali omnia animalia perierunt, & mox refecta sunt ex terra madefacta, solisque calore concinnata: potest sic in quibusdam regionibus ad ripas fluminum modo euenire.

5. In Ægypto post Nili annuam incessanter inundationem producuntur animalia ingentia, nedum mures, & ranæ: ergò idem de omnibus.

6. Item eiusdem speciei est mus sponte genitus cum genito ex semine. Vnde & ille generat similes. Ergò eadem ratione potest vtrumque produci, sic etiam de hominibus.

7. Multi inueniuntur homines Syluestres in Africa, & in Lapponia, quos non nisi sponte natos existimare oportet. Similiter Incolæ noui orbis non potuere à nobis originem traxisse, seruassent enim memoriam. Ergò spontè nati sunt. Ipsique testantur in quodam fonte hominem, & fæminam regionis eorum natos esse primos; ex quibus suam originem agnoscunt, vt etiam Plato de Atticis sentit. Canes & lupi inueniũtur in insulis procul à terra. Et in nouo orbe, quæ ex nostro non ad nauigauere post diluuium, ergo, &c. sunt etiam bestiæ & plantæ in altero hemisph. quæ non sunt in nostro.

8. Idem sentit Diodorus siculus argumento sumpto ex Niligenis; & Epicurus, & Democritus, & Philosophi Indorum Orientalium; & Emped. qui etiam diuersæ figuræ, ac monstruosè ortos, ait aliquando ex elementis; quod Plinius confirmat, dum Asthomos, & Semicapros, & Acephalos, & alios monstruosos: homines enarrat. Vidit & sanctus August. Aceephalos, alij monoculos: & sanctus Hieron. testatur de Satyris. Oportet ergò spontè nasci homines, sed cultu fieri delicatos, & ciuiles. Videmus enim quosdam parum à brutis differre.

9. Nati sunt homines ex simio, & fæmina humana in insula Portugalliæ non diu est & alius in Flandria ex homine, & vaccha, & alij alibi. Ergò si vterus vaccæ potuit esse fiscella hominis, poterit & tellus concinnata esse cuiuslibet animalis, vterus enim non nisi vt seruetur semen, & foueatur, & ministret succum, necessarius est: hoc autem in terra consimile potest inueniri, quod moderni plurimi affirmant. Præsertim Paracelsus lib. 1. de Rerum nat. vbi ex bestiis semen hominis concipientibus homines facit: & ex putrefactione quodcumque animal, & homunculos: qui aucti fiunt meliores quam naturaliter nati, & fortiores & sapientiores, quoniam toti sunt ab Arte, quemadmodum oua animantur à quocumque calore, & granum putrescens facit spicas: ita ex semine humano in cucurbita sigillata, fit homo: & ex occisis & combustis, & putrefactis bestiis omnis bestia oriri potest, vt ex rafani nucis & frustulis.

10. Dicitur Albertus fecisse caput humanum, quod loquebatur, & multa huiusmodi pollicentur Magi: & Rasis similiter se iactat.

E conuerso Auer. animalia perfecta non posse sponte oriri, nisi ex semine; imperfecta verò, quæ oriuntur spontè esse alterius speciei ab iis, quæ oriuntur ex semine.

Primo probatur ex eo, quod vnumquodque specificum indiuiduum generatur secun-

dum natum ex indiuiduo vniuoco suæ speciei. Generatio autem ex semine non est vniuoca cum spontanea: ergò non sunt eiusdem speciei.

Item animal genitum sponte non generat aliud sibi simile in specie, potest probari in muscis, quæ non generant muscas, sed vermiculos, sponte enim ipsæ nascuntur omnes. Item vt fiant animalia perfecta indigent agente, & patiente vniuocis multo tempore operantibus, mare, & fœmina: non ergo possunt ex equiuocis fieri caussis: consentit Telesius, quod perfecta ex semine tantum fiant.

SED Contra vtrosque est D. Thomas, perfecta non nisi ex semine per coïtum. *1. Metap.* Imperfecta vero, quibus parua sufficit elaboratio, etiam sponte oriri docens eiusdem *Lect. 6.* speciei, & generare consimilia, vt probatur in muribus.

Homo præterea natus ex humo terræ à Deo formatus, & animatus, eiusdem speciei est cum suis successoribus: similiter Eua de costa Adæ. Requiritur ergo sola naturæ similitudo, quacumque fiat ratione. Hæc sententia mihi arridet. In tex. quoque probata est, quoniam ad perfecti animalis productionem requiritur multum tempus, & elaboratio artificiosa: quæ non potest, nisi in vulua materna ritè absolui. Sol enim circumiens terram continuo vires suas non suspendit in loco aliquo, ne intermittat opus inceptum, & per vices à calore redeunte, & à frigore, quod cæperat fieri de animali perfecto destruitur, antequam ad finem perueniat; nec potest seruari tenor idem, qui in vtero; nec si motum sistat sol; vreret enim hic; alibi frigus sæuiret.

Ad primum negatur consequentia, licet enim eadem elementa, non tamen idem modus agendi: prima enim animalia per ideam facta sunt, & præcepto vt propagarentur certis locis, temporibusque; quod non potest aliter fieri, stante hac mundi dispositione, & fato. Imperfecta autem modicum tempus, modicumque exigunt laborem. Idcircò facilè ex terra à sole sic concinnata, vt in vtero semen, nasci possunt: sic patet Responsio ad 2.

Ad tertium eædem sunt causæ; at non disponens: nec enim omnis homo generat, quanto minus elementa: sunt quidem sensata, procreatéque possunt facilis opificij animalia, non autem difficilis: nec Colchodea generat, sed format: nec ex omnibus, sed ex præparatis Fato, Necessitate, & Harmonia: hæc autem præparatio extra vuluam perfectorum nequaquam reperitur.

Ad quartum mentitur, quoniam in diluuio omnia perfecta seruata sunt in quibusdam indiuiduis a Noë in Arca cum octo hominibus: sic respondet Auer. inimicus omnis religionis, præcipue Moysis; & nunc eius autoritate se munit: visaque esse fragmina Arcę adhuc narrat: quod & Ioseph, & Hieron. Ægyptius, & Manasseas Damascenus, & Berosus Babylonicus contestantur.

Ad quintum concedo multa oriri apud Nilum, non tamen perfecta, de quibus est sermo, & si quæ formæ exordiuntur horum non perueniunt ad finem.

Ad sextum concedo quod sit eiusdem speciei, licet Auer. neget, haud tamen propterea & homo potest similiter generari. A Deo tamen posset quacumque ratione.

Ad septimum etiam Syluestres, qui nobiscum sunt eiusdem speciei, assero sponte oriri non posse, quoniam nec Lupi, nec equi sic fiunt. Ergo neque Satyros, qui non sunt de semine humano.

De incolis alterius hemispherij extat Platonis historia de insula Atlantica, quæ vtraque hemispheria quasi iungebat, potuitque eius submersione memoria aboleri nobis, & illis antiquorum commerciorum; potuit & nauis aliqua eo a ventis inuita produci hominibus plena. Item ex Estolitante in Floridam, & nouam Galliam facilis est transitus; & ex Iapone in Quiuiram modicum interest mare. Originem ergò à nobis habent, quam literarum carentia, & temporum iniuria obliuioni dedit: quod ipsi dicunt de sua origine, & Plato de Atticis repellitur, vt fabulosum.

Potuit tamen Deus ibi alterum Adam facere non tamen historia, aut ratio firma id docent: sed ex filiis Dodanim, vt ex Moyse, & Iosepho docemur, credo exortos. Item in Iucatam circumcisione vtuntur, vt Iudæi: possunt aliquando ergò ex illis profecti esse. Lupos in insulas adnatasse aliquando dicimus, vel delatos canes: & sic cætera; quæ volatilia non sunt. Item bestias & plantas, quæ nobis desunt, quoniam nostro solo;

non congruunt, illis congruere: plantas quidem ſponte naſci: beſtias verò ſeruari; neque enim Elephanti ſeruantur in Europa ſed in Africa.

Ad octauum Reſponſum eſt, quoniam nec iſti homines imperfecti ſunt abſque ſemine vniuocè.

Ad nonum conceditur hiſtoria, ſed non propterea ex terra ſimiliter fient: longè enim abeſt, q. an vt vuluæ ſit par.

Ad decimum, negatur hiſtoria de Alberti homine ficto, à S. Thom fracto: neque enim D. Thomas id tacuiſſet in 3. cont. Gent. vbi de huiuſmodi ſcribit: nec in libro de occultis operibus naturæ. Gulielmus Pariſienſis non mihi probatur. De columba Architæ, alia eſt ratio, quoniam per Mathematicam fieri fortaſſe potuit, vt dicant pridem Norimbergæ aquilam, & muſcam artificiales volaſſe. At Tobias negat id factum, cum interrogaſſet Norimbergenſes. Buterus, & Ramus neſcio vnde id didicerunt, nihil tamen ad rem.

Ad primum Auerroïs, dico, ſufficere Ideam communem, vt ſint vniuoca, ſic enim eandem formam habent, vt patet in arboribus: nam licèt à ſimili agente fiant, hoc verum eſt, quatenus agens eſt inſtrumentum in quo ſemen commodè elaboratur, & in quo ſuſcipitur vtiliter: ſi ergò poteſt itidem elaborari in terra, non eſt differentia ſpecifica: nam eadem forma eſt idealis, vt ſi facias caſeum in fiſcella, & alium extra fiſcellam eiuſdem figuræ, vtrumque eſt caſeus eiuſdem ſpeciei, elaboratur enim inſtar ſeminis id ex quo oritur ſponte animal. Nec eſt verum, quod non generant ſponte orta. Contrarium experimur in muribus Apuliæ quolibet triennio ortis, & generantibus conſimiles mures: de muſcis probaui, quod Plinius dicit eſſe verum: ſed ex hoc ſequitur, quod nos dicimus, non eſſe animal formatorem animalis, niſi inſtrumentaliter: formationes autem extrinſecus fieri iuxtà diſpoſitiones, & præparationes ſeminis, muſca autem non præparat ſibi ſimile, ſed imperfectum vermem: de his in Metaph. cum de ideis loquemur.

Secunda ratio vetax eſt.

Vtrùm ſint quatuor genera animatorum videlicet, nutritiuum, ſenſitiuum, loco motiuum, & ratiocinatiuum, vt Ariſtoteles ponit.

ARTIC. IV.

SIc affirmat Ariſt. nam hinc quatuor animatum ſpecies venatur, in 2. An. tex. 27. & ſeq. Quæcunque enim poſſunt reperiri ſeparata, illa conſtituunt aliam ſpeciem differentem realiter ab inuicem. Animæ autem ſic ſe habent: nam reperitur in plantis nutritiua, ſine ſenſitiua. In animalibus imperfectis reperitur nutritiua, & ſenſitiua, ſine motiua; in perfectis cum motiua, ſed non ratiocinatiua. In homine verò inſunt iſtæ omnes.

2. Hæc ſe habent ſicut figuræ, quarum quæ conſequens eſt continet potentia priorem, vt quatratum continet trigonum, ſed non è contra. Pentagonum continet quatratum, & Trigonum, & non è contra, ſic de reliquis.

1. At nequaquam Ariſt. videtur iſta rectè ponere, aut declarare; ſiquidem & aliqua ſunt animalia ſine imaginatione Ariſtoteli, vt formicæ, Apes, vermes; ergò conſtituendum eſſet genus imaginatiuum poſt motiuum; quæ enim ſeparata ſunt, illi faciunt diſtinctionem realem. Quæ ratione prædita, ſaltem particulari, quam S. Thomas vocat æſtimatiuam; & tamen intellectus expertia. Ergò ſtatuendum erat aliud genus.

3. Præterea quæro vtrum in homine, nutritiua, & ſenſitiua differunt realiter, an ratione: ſi realiter, ergò plures animæ; ſi ratione: ergò vna; tunc declarandum erat, quænam ſit hæc vnitas, & vnde, & ſimiliter illa pluralitas. Nam vnde eſt quod ibi ſeparata, hic coniuncta ſunt? ibi plura, hic vnum? Anima enim vna; res eſt, vbi eſt:

at si plura est, cur condemnus Platonem triplicem triplici subiecto tribuentem? si autem vna; qui fit, vt realiter distincta sint res vna? sed dicunt Peripatetici: sunt plures potentiæ distinctæ realiter. Vna tamen essentia Animæ. At potentiæ sunt ipsa essentia potens. Neque enim separari possunt, vt aliud sit posse esse, operarique, aliud esse. Neque potestus calefaciendi est aliud à calore, neque potentia materiæ, est aliud à materia, sed ratio humana separat ista: quoniam videt operationem intelligi absque operante; & quia scimus hoc effectum esse à potente efficere, non tamen scimus Petrus ne, an Paulus effecerit: non tamen propterea quod non totum scimus, contingit totum aliud esse à se ipso, quia scitum, & non scitum: sic nec potentia erit aliud à potente; nec potens ab ente potente. Quapropter non rectè Peripatetici explicant suam sententiam, nec verè: vnde S. Augustinus, & Durandus idem esse animæ substantiam cum suis potentiis realiter, non semel dixerunt; quod & nos in Theol. etiam ex D. Thomæ testimonio probauimus: nam radicaliter Potentiæ sunt res ipsa potens: vt verò induunt respectum ad obiecta distinguntur. 9. De Trin. P. p. q. 77.

4. Præterea plus distat appetitiua facultas à sensitiua, quam imaginatiua, aut ratiocinatiua à sensitiua: hæ namque omnes spectant ad eandem operationem, quæ est cognitio: differuntque solum in modo cognoscendi, quoniam sensitiua habet obiectum præsens, imaginatiua absens: Ratiocinatrix in alio consimili: ex quo cognoscit aliud consimile. At Appetitus non pertinet ad cognitionem: ergò plus distat ab his, quàm hæc inter se. Tunc quæro, quare Appetitiuum non constituit aliud genus animatorum, respondet Aristoteles.

Resp. Quoniam non potest reperiri sensus sine appetitu: quæ enim sentiuntur appetuntur, aut odio habentur, quoniam appetitus est voluntas, ira, concupiscentia, quibus autem inest tactus, inest dolor, & voluptas, & sensus alimenti, & fames, & sitis.

5. Sed hoc valde considerandum erat Aristoteli: si enim nullus sensus tactiuus sine appetitu, & tactus est sensus alimenti, & plantæ aluntur; tunc necessario dicendum erat, quod vbi nutritiua, ibi appetitiua, & sensitiua: numquid non appetit pluuiam planta, qua descendente exhilaratur? Numquid non appetit palma fœmina suum marem, cui se inclinat, & subiicit, vt fæmina; nec nisi ab illo fœcundetur, parere potest? de his diximus in quæst. de plantis. 5. Obiect.

6. Præterea si differt animatum ab inanimato per sensum, & motum, vt consensu omnium antiquorum Aristoteles affirmat. Cur negat sensum, & motum quibusdam animatis, plantis illum, spongiis istum? sentiunt quidem, & mouentur, non tamen æquè omnia animalia. Plantæ enim modico sensu vigent, modicóque motu, quo ad partes omnes nutrimentum deferunt spiritu ducente vitali, & quæ serpunt gramina, & aliæ ramificant, aliæ etiam instar vermis mouentur.

Plantanimal verò quodam spatio à radice perambulat herbas pascendo. Spongiæ verò, & alia conchilia dilatationis, & constrictionis motu contenta sunt: quoniam quæritandi cibum non habent opus. Rectè quidem Motiuum à sensitiuo distinxisset iuxtà dogmata sua, quoniam motus etiam in inanimatis reperitur. At non sic nutritiuum à sensitiuo: quomodo enim discernet proficuum à non proficuo alimento? Potentias verò cognoscitiuas non debuit distinguere realiter, eo quod plus relucent in vno, quam in altero, nisi prius diuersa genera animarum à causis diuersis nasci nos docuisset: cum autem non nisi calorem pro anima assignet, vel temperaturam elementorum: temperatura autem in magis, & minus sub animato distribuitur, neque enim vt lapis, & planta: vtique operationes varias pro subiecti ratione agnoscere debuisset, non autem varias substantias animorum; nisi aliam à Deo, aliam ab elementis accersisset: logicè ergò Aristot. & non per causas ratiocinatur. Omitto, quod non omnia quæ sentimus, cupimus, aut odimus; sed neque hoc, neque illud.


7. Præterea declarandum erat, cur etiam generatiuum non differt à nutritiuo; plures namque plantæ nutriuntur, quę non generant semine, vt Platanus, si vera ferunt; & quædam plania palustris in patria mea similis Sabinæ in foliis: mulus quoque non generat, & nutritur: cur non fecit aliud genus generatiuum à nutritiuo? & quia aliqua generant non simile, vt muscæ, distinguendum erat ex hoc, si reales differentiæ trahi de-

bent. Exemplum de figuris est etiam in numeris, dicat, oro, cur non nisi ad quatuor numerum procedit animatorum genus; figuræ verò longè vlterius? si à Mathematicis ratio rerum trahitur Pythagoricè, vtique causa sufficiens saltem hinc erat assignanda.

8. Præterea Triangulus licet in quadrangulo reperiatur, vt pars in toto, vtque tria in quatuor; non tamen trinitas, & quaternitas pertinent ad speciem vnam, sed ad duas. Differentne ergò sensitiuum specie à nutritiuo in homine, an genere? si specie, ergò & homo à planta differt specie iuxtà discursum Arist. Ipsi autem dicunt genere: si vero genere; quomodo potest diuersorum generum res vna esse simplex? Arist. enim simplex est anima, vnicáque forma. Neque res diuersarum specierum faciunt vnum ens simplex, alioquin ex homine, & asino vnum fieret indiuiduum.

9. Præterea ex triangulo non fit quadrangulus, sed aliud monstrum: quomodo ergò ex nutritiuo, & sensitiuo fit vnum Animal sensitiuum? Dicunt Scotistæ esse plures Animas, quarum altera alteri est quasi præparatio. Alii dicunt esse vnam, in cuius virtute sunt illæ potentiæ. At quæro actu ne, an potentia? si actu, ergò sunt plures coaceruatæ: si potentia, ergò possunt esse, non tamen sunt: Dicunt: habet sensitiua etiam virtutem nutriendi: ergò, inquam, sunt vnum genus Animæ, & operationes plures, quæ in aliis subiectis aliter relucent. Dico autem genus physicè, sicuti vna est materia in diuersis genere, & eadem elementa in diuersis genere mistis. Nam Ideas alias esse Asini, & equi, & spongiæ, alibi ostendi. Itaque in cunctis Anima erit aër, vel ignis: verbi gratia: sed aliter, & magis, minusque in aliis operari potest.

Prima ergò Arist. ratiocinatio est nulla: Secunda verò valet idealiter, sed non Physicè: sed declarare nobis debebat, vnde fit talis distinctio, & à quibus causis est anima: vnde oritur, ex mistura? an ex aliquo elemento? & quid sit, & cur partitur. Ipse vero logicè omnia ab extrinseco tangit, & per figuras, quod sophistarum est.



QVÆST. XXXV.

DE PROPAGATIONE ANIMALIS.

POstquam inquisiuimus, an ex insensatis elementis possit fieri Animal sentiens. Nunc vtrum ex seminibus insensatis propagetur, inquirere oportet, & de his, quæ concernunt per propagationem, & fabricam Animalis. Est autem semen decisio proximarum causarum, participiúmque in compendium ad constituendum aliud numero ens.

Vtrùm semen, ex quo Animal generat Animal, sit animatum, vt in textu diximus: an inanime, vti Aristoteli apparet; possitque ne ex inanimatis seminibus produci Animal.

ARTIC. I.

De Gen. An. 2. c. 1.



ARISTOTELES loquens de Animalium generatione, semen inanimatum esse docet actu primò & secundò: estque, ait, quasi cytharista, qui nec cytharizat, nec artem habet cytharizandi: probatur iuxta Peripateticos.

1. Si esset animatum, esset animal: nemo autem dicet semen animal, item si semen animatum esset, ergò ex alio semine, & sic in infinitum, ergo semen non animatum: sed vim & motum generantis defert animalis.

2. Anima est Actus corporis Physici organici potentis exercere vitam, at semen non est organicum: ergò nec animatum.

3. Semen est excrementum vltimi alimenti: natura enim alit indiuiduum: exque eo, quod superest facit semen: excrementa autem animata non sunt, quia neque sanguis.

4. Non sentit, quoniam non habet organa: non nutritur, quoniam & his caret; & non cedit in substantiam fætus, sed excernitur: ergò nullam habet animam, si his caret, videlicet nutritiua, quæ est aliorum fundamentum, & sensu.

5. Potest etiam probari, quoniam ex putredine inanimata fit etiam animal: ergò semen non opus esse animatum.

6. At quomodo potest generare animal, si est inanimatum. Resp. instrumentaliter, seruat enim motum generantis, qui fit in concubitu, sicut virga mota diù retinet motionem: illóque motu mouendo sanguinem menstruum muliebrem, animam producit, efmatque animal prius cor, deinde, &c. & sic excernitur perfecto officio.

SED Contra est S. Ambros. in Hexam. lib. 5. cap. 3. dicens: *Continuo tactu parentis animatum ouum cecidit, & piscis exiuit, &c.* Loquitur de generatione piscium, & cum de plantis, & animalibus cæteris, requirit in semine viuificam vim. Vita autem non potest esse sine anima ipsi Aristoteli. Quapropter si oua, quæ sunt semina piscium animata sunt, quanto magis semen hominis, & leonis spirituosius? Idem D. Thomas 4. cont. Gent. cap. 45. & 46. semen vocat prolem, quæ nascitur, & trahit materiam matris ad se; & virtus qua trahit ad se materiam à matre, & organizat, est spiritus. Propterea est spumosum, & album, sed spiritus est anima brutorum secundum Ambros. & August. ergò semen est animatum in doctrina Patrum, & Scholasticorum.

Item ne dicas tactu matris animari: ipse ex vtero animatum illo tactu cadere dixit: & in Ægypto oua Nili arenis tegunt, vnde pulli spontè gallinacei excluduntur. Item in fimo equino tecta, pullos educunt.

Item semen serici in Calabria ignis tepori admotum, vertitur in vermiculum: vnde sericum facimus: quomodo autem potuit viuificari, nisi spiritus inesset seruans genitoris simulacrū, exprimensque? quod enim est potentia, non venit in altum, nisi ab ente actu.

Definitio quoque seminis idem probat, ad constituendum enim rem animatam deciditur ex animali animatum, particepsque causarum omnium, vt verus prodeat effectus.

Item ex epistola ad Hebr. 7. vbi Apost. ait, *Leui decimatum fuisse in lumbis Abrahæ.* Eliciunt omnes ferè Patres, semen esse animatum anima sensitiua, & quidam cum Alberto etiam intellectiua: sed damnatur eorum sententia; licèt diu August. de illa dubitauit propter argumenta Pelagianorum, & autoritatem Apollinaris, & aliorum, quorum sententia nondum damnata fuerat. Habes etiam Exod. 1. quod *de fæmore Iacob exierunt septuaginta animæ.* Ergò semen animatum est saltem sensitiua allectrice intellectiuæ. Ideóque potest congruenter sermo scripturæ currere.

Gregorius Nyss. in lib. de homine mirificè contendit semen esse animatum. Ratio ipsa attestatur, qua & Alb. vtitur in anim. lib. 17. nam quomodo animaret actu non ens actu animatum: & operaretur tam nobile opificium ex sua & fæminini seminis mole?

Item quomodo seruaret parentis interdum tam exactam similitudinem, & imaginationem, nisi spiritus eius sit affectus imagine, atque operaretur in vulua cum illa affectione. Docuit nos id Patriarcha Iacob, quando virgas talis coloris, quales volebat esse fætus, ante concubentes oues apponebat: numquid insensatum semen seruat affectum, & iuxta illum elaborat fabricam fætus? Idcircò etiam Ambros. Hexam. 6. cap. 9. ex capite semen genitale deducit cum Platonicis quibusdam, vt spirituosum sit. Hippo. autem ex toto corpore vnà cum spiritu, vt possit totum efficere: sed hoc falsum esse admonent filii integri ex patre mutilo: sufficit ergò solus spiritus sentiens affectus patris affectionibus matrisque. Galenus verò in lib. de semine animatum esse docet, & in materiam fætus etiam conuerti: de quo infra. Item D. Thom. 4. cont. Gent. cap. 20. *Naturalis vita animalium est per spiritum vitalem à principio vitæ in cætera membra diffusum.* Et cap. 46. *Virtus quæ trahit ad se materiam ex matre, & organizat, est spiritus: ideò est spumosum, & album.*

Ad primum, concedo semen esse animal inchoatum, non absolutum, nec quæro, vtrum sit animal; & hoc illi concedam, quod non: sed vtrum habeat sensum, quem communi-

cet, & secundum quem operatur, quod necesse est fateri. Non enim potest dare actu, quod habet solum potentia. Nec motus artificis absentis, operatur opificium, nisi adsistat artifex: cuiusmodi est seminans animal Aristoteli. Nec reperitur præcedens aliud semen, vt animans hoc semen: sed virtus sentiens ibi, in plantis, & vbicumque nascitur animal.

Ad secundum negatur definitio. Anima enim est spiritus tenuis, calidus sentiens, mouensque, quam organizat pro communi vita molem vt dictum est: spiritus autem inest in semine, quod iam organizatur actu: estque dissimilaris naturę crassum scilicet pingue, viscosum, & fluidum, vt possit in organa efformari.

Ad tertium, nego esse excrementum, imò optimam animalis dico portionem, ex qua aliud fiat animal; estque in eo totum anima nondum absolutum. In excremento autem est quid oppositum animali, ideóque abiicitur; hoc non abiicitur, seminatur summo cum gaudio, & ceremoniis naturæ. In quęst. de Plantis ex dictis Arist. de excrementis probauimus non esse excrementum, quoniam non inimicum: Non excernitur, sed seminatur: nec fit in pueritia, quia vis inualida ad tantum opus; in adolescentia fit ex abundanti, non ex excremento: valent enim vires plurimum sanguinem facere, & in semen elaborare.

Ad quartum, probè sentit tangendo, est enim omnis sensus, tactus: organa non sunt propter sensum, sed vt obiecta in sentientem intrent animam: neque oculus videt, sed spiritus in oculo, quo abeunte non fit visio, de his infra. Nego, quod non nutriatur, immò valde, vt patet, si mulieris sanguine vescitur, & vtitur ad vasa fabricanda: semen plantæ ex terra aperte nutritur, & cedit in plantæ substantiam, non ergò animale excernitur, vt Arist docet, de hoc in seq. articulo.

Ad quintum, nego ex inanimatis fieri. Imò omnia sentire statui. At Arist. in lib. 3. de gener. Ani. cap. 11. dixit ex putrefactis facile fieri animalia, quoniam inest in humore spiritus, in spiritu calor, vt quodammodo omnia animæ sint plena: sic Arist. vide inconstantiam, & inscitiam: si enim ex putrefactis calor generans, anima rerum ponitur: cur non magis in seminibus? & in Metaph. ait, esse animal in semine etiam putri, vti domus in mente artificis; ergò artifex est spiritus in semine siuè spontaneo, siue animali, nec vllo modo docebit nos absque anima efficere animam. Quod autem non ex potentia materiæ, dictum est in quæst. de Mat. & in 2. de Sensu Rerum, & in Metaph.

Ad sextum, modus quo animat Arist. est stultus, & impossibilis; quomodo enim semen potest retinere motum concumbentis? non enim virga est, neque res in aperto, quæ potest de se agitari, at neque si suscipiat motum, vt virga, retinebit. Motus enim virgæ paulatim minuitur, & euanescit: spiritus autem vis crescit in tantum, vt ex menstruo impuro educat Aristoteli animam, & formet fabricam tam diuinam humani corporis: ergo spiritus assistens animat & architectatur, non autem motus. Sicut calor ignis generat seruatus ignem, non autem eius impulsus sine communicatione caloris, qui ignis ipse est.

Præterea quomodo motus, qui est non ens, tantum ens cuiusmodi est anima, ex fætido menstruo, vel etiam ex eleganti educet? Vix Angelo tanta fabrica, & animæ productio committi potest, Aristotelis etiam testimonio, contra eos, qui ex elementis generant; vt docet 2. de genet. & corrup. Quomodo nunc stupido, & non enti tribuitur motui concubitus euanescenti? sibi concors Arist. est, qui aliàs motui cæli citium generationem adscripsit vanissimè, vt in quæst. de Plantis, & in 32. & in de motibus ostendimus. At quomodo anima ex materia, quæ Aristoteli videtur quasi non ens, & stupida, potest educi, forma tam diuina? est quidem materia in potentia receptiua, non in datiua: oportet ergò formarum datorem adhibere, vt ibi docuimus: motus autem non ens est, neque dat, quod non habet, neque virtus animæ generantis in motu potest seruari, nisi adsistat mouens, vt in organis artificum: & si seruatur, non facit animam nisi organa corporea: quoniam ex nihilo nihil fit, sed ex aliquo sui, materia non est aliquid ipsius animæ; nec in ea latent animæ, sed de hoc alibi; non enim, vt scioli putant in grano milii est spiritus potentia, sed actu: alioquin non operaretur actu animam. At crassitie irretitus, sicut calor in silice, excitatus deinde laxatáque mole augetur, operandóque liberatur, agitque, prout in genitore agebat. Corpus seruat simulacrum quasi materialiter, nõ prorsus idealiter, exprimitque: aliter enim seruatur ab Angelo, & ab artifice rationali, quam a spiritu seminali.

Vtrum

Vtrùm ex semine masculi fiant partes albae, & exangues: similiter ex foemineo; & vterque concurrat actiuè ad prolis propagationem, vt dictum est in textu; & ex sanguine matris puro partes sanguineae. An mas solus actiuè, ita vt eius semen non fiat materia foetus, sed deperdatur, mulier verò passiuè; ita quod careat semine, & ex sanguine menstruo omnes partes foetus motu seminis virilis efformentur, animáque similiter ex eo educatur: sicuti Aristoteles ponit.

ART. II.

Aristoteles primò de Gen. An. cap. 19. & 20. sic sententiam suam probat.

1. Idem non potest esse agens & patiens. Mas ergò solummodo agens causa est foetus, foemina patiens: ergò haec dat materiam, mas ex materia educit formã: ergò foemina caret semine, & sanguis menstruus est materia, quam praebet: ergò quia agens non intrat materialiter in effectum: neque enim aedificator in aedificio, neque statuarius in statuae compositionem intrat. Igitur semen masculi format ex menstruo foetum, educitque animam solummodo; ipsum verò remanet.

2. Quod mulier careat semine probatur adhuc ex p. de gen. an. c. 5. & 6. semen elaboratur ex motione in concubitu: tuncque tactum exit in matricem ex masculo; at foemina non mouetur, sed recipit solum.

3. Non habent foeminae instrumenta seminalia, sique eijcerent semen foras effunderent frustra.

4. Multae mulieres impraegnantur nulla delectatione ex concubitu percepta, non ergò emittunt semen, plurimae id fatentur; & addit Auer. pro hac sentẽtia in 2. Colliget, quod mulier in balneo Lauelli vbi praui homines spermatizauerant, se se impraegnatam iurauit, attrahente vulua semen naturali villorum vi cupida.

5. Quod autem menstruus sanguis sit pro semine, patet, quoniam quando mulieribus incipiunt menstrua, tunc maribus semen, fiuntque nubiles. Item cum impraegnantur menstrua desinũt, quod indicium est foetũ ex eo efformari, ac nutriri. Delectatio autẽ non indicat semẽ in eis: nã pueri nihil emittentes delectantur: fluit autem aliquid, ait Auer. non quasi semen ex vulua, sed sicut saliua ex ore famelici.

6. Addunt aliqui, si foemina emitteret semen prolificum, tunc absque masculo impraegnari posset.

7. Item sanctae Virginis partus (dicit sciolus Marta, contra quem scripsi de formatione foetus) potuisset esse absque miraculo.

8. Potest probari ex nostra philosophia: diximus enim solem esse patrem secundorum entium, tellurem esse matrem. At sol nullam praestat materiam illis, sed tantum agendo concurrit: terra verò solam materiam dat: non enim frigus agit, neque ingreditur opus naturę. Calor autem à sole est: ergò idem in animalibus, vti analogauimus. *Primo de gener. ani. c. 20.*

9. Primum assertum confirmat Arist. quoniam sunt quaedam insecta, in quibus mas nullum emittit semen; sed foemina iniicit articulum in marem, vt virtutem accipiat actiuam, nihil autem materiale.

Praetereà pisces sunt parientes oua, in quibus est tota materia. Mas verò post edita inspergit suo semine, vt foecundentur: ergo solum actiuè concurrit. Idem potest in palmis probari, vbi solus puluis maris, & flosculi in foeminam emissi, sufficiunt ad productionem dactilorum, quae non fit sine illis: ergò semen maris non cedit in materiam foetus; quod in ouis subuentaneis etiam patet, vbi si vis galli deest, sunt infoecunda; si adsit paucula, foecundantur: tota autem materia ex gallina est. *Cap. 10.*

SED Contra has positiones sunt omnes sancti Patres, & Scriptura sancta, & Medici, & experientia, & Ratio: siquidem S. Ambros. & Bas. in Hex. v. c. 3. ex seminibus Asini, & equae fieri mulum docet: quamuis inuita natura: equa autem sanguinm menstrum

non habet, neque canis, neque Asina, neque vacca, neque aquila, & cæteræ aues calidissimæ quarum excrementa in pilos, & plumas vertuntur. Igitur semen præbent Ambrosio ad fœtum. Quod autem actiuè concurrat fœmina, nedum hoc dicit, sed etiam aquam, quæ loco vuluæ est piscibus, ait enim: *Aqua igitur animat, & creat, & adhuc mandati illius primi munus exequitur: blanda quadam mater animantium.* Idem dixit de Terra cap. 2. *Terra fœmina resoluens vniuersa viuificat, & maximè tunc prima verbo Dei iussa viridescere viuificationis suæ munere pullulabat.* Sæpèque terram vuluæ in virtute productiua comparat: vt etiam Esdras in 4. libro. Item S. August. & Hieron. scribentes contra Pelagium agnoscunt semen masculi in substantiam fœtus conuerti. Ideóque per Apostolum Leui dicitur decimatus in lumbis Abrahæ. Item tota sancta Scriptura de semine Patriarcharum loquendo propagationes facit: nec vllus vsquam somniauit aliter exponere scripturas. Quod autem mater actiuè concurrat, & non merè passiuè, patet, quoniam dicitur generationis principium, ac parere agendo, non patiendo, sicut saccus, aut amphora: ex qua, quod posuisti vinum extrahis: neque etiam dices ventriculum esse matrem vermis, quia in eo concipitur, & fit; neque cutis capitis est mater pediculi, quoniam naturæ similitudo, quæ per actiuitatem exprimitur deest. Beata quoque Virgo est mater Dei, non quia transiuit, sicuti per fistulam, vt dicunt hæretici, sed quia verè ministrauit sanguinem, & fouit, & nutriuit calore suo, vt etiam sanctus Thomas, licèt peripatetizet, confitetur; & Christus est similis illi vt agenti simileni, & non vt fiscellæ. Quanto ergò magis aliæ fœminæ sola natura gignentes etiam, & conseminantes? Numquid sola motio seminis masculi inanimati sufficiet tantam fabricam producere, nil agente anima mulieris? Item D. Thomas, vbi loquitur ex propria positione 4. cont. Gent. c. 45. 46. ex semine masculeo constituit materialiter fœtum spiritus pleno, qui architectat, & organizat.

Præstereà nunquam dans metallum statuæ dicitur causa, vt mater, sed qui statuam facit. Præstereà palam est, quod filij mares sæpè matribus similes nascuntur, nedum fœminæ. Similitudo autem datur ab agente virtute, cuius est facere simile sibi: si quaautem matris similitudo esset, solum esset materialis; nunc autem formalem videmus. Filij enim Albaradi similes sunt matri in oculorum colore nigro, & formatione membrorum, patri autem in albedine multa. Anna autem vxor est fusca. Omnes ergò essent fusci, vel fœminæ saltem, at patri similes in membrorum formatione: quod tamen non ita est, & in multis hoc obseruaui.. Item mulier aliquid vehementer appetens, aut imaginans exprimit illius colorem in fœtu, & formam. Ergò fortiter agit, nedum parum: imò longè plus agit quam masculus in transformando semine, vt probat Paracelsus lib. 1. de nat. hom.

Quod autē habeant semē, delectatio pandit; neque dicat Auer. fieri absque emissione: nam pueri aliquid tenue cum delectantur emittūt; non tamen absumptum calore verpæ, potest exire: ostendit etiam testiculorum intra vterum agnatio, qui huic vsui destinantur: licèt Arist. solum vt penduli suo pondere meatus seminis apertos faciant, testes vsum habere velit, propterea quod etiam testibus carentia generant, vt pisces & serpentes: At aues, quæ intra renes habent testes, contrarium docent, neque absque propotionali particula testibus semen vlla absoluunt. Item spadones, qui secti testibus effeminantur vultu, voce, & viribus: Ergò virilem habent testes vigorem pro semine elaborando: refertique enim semine ex tactu interdum cognoscuntur, & dormiendo semi nant quidam nulla motione præuia, vt mentiatur Arist. qui solo motu concubitus semen facit in iis, quæ coeundo agitantur. In aliis verò quæ subitò coeunt, paratum esse putat à natura: quod in vtrisque fateri debuisset si naturam obseruasset solerter. Item homines concumbendo sentiunt vt narrant, in præputio fluxum seminei seminis: & Galenus exemplum viduæ ponit, quæ vtero laborabat ex seminis abundantia; ac titillatione, effluxuque sanata est.

Primò de gen. anim. c. 4.

Probat item Galenus in lib. de semine; & 10. de vsu par. & de fœt. format. ex Hipp. & Platonis, & antiquorum autoritate, quod semen virile fiat substantia fœtus: ex quo eo partes albę exanguesque fiant: ex semine fœmineo vel cutis, vel inuolucrum intestinale, quoniam fluidum est, non sic concoctum vti virile; ac potest virilis esse pabulum: ex sanguine verò menstruo nil fieri, sed ex puro muliebri tracto à semine per radices cotni-

bus matricis infixas, fieri partes rubras, sanguineasque, vt cor, iecur, carnem: quoniam, inquit, viscosum est semen, album, pinguéque aptum vt perforetur absque ruptionis periculo, & in ossa, & neruos, & venas formetur. Menstruũ autẽ simulare rubrũ, & ineptũ est huic muneri: imò in grumũ vertitur inualidũ, fœtidũq;. Natura autẽ, quæ nil facit frustra, quomodo id quod aptissimum est suo operi, excludit, quod verò ineptum eligit?

Præterea Hipp. in puella psaltria sexto die procurauit abortum, inuenitque semen quasi ouum cum vmbilico, quod radix est fętus, & fila protensa alba ex ampulla, quæ erat caput, vt scribit in lib. de fœtu. At quomodo potuit tam citò semen ex menstruo rubro repugnante albas partes efficere?

Item illud semen apparuit, quod nondum egressum erat, sed sic formatur in fœtum.

Item ait Galenus, quid fit de semine absoluto officio suo? aut vertitur in flatum vt fingunt imperiti Peripatetici, quod falsum experitur Hipp. & sic fieret in vulua aliqui crepitus, quod negant mulieres. Neque in flatum verti posse rem dissimilarem: & hoc nulla experientia contestatur: imo ait Auic. tunc vterus, vt fruatur seminis amati contactu, totus contrahitur, occluditúrque, vt ne stylus quidem intrare queat immissus.

Præterea palam est ex ouis dum incubat gallina fractis fieri partes albas ex albumine: sanguineas ex luteo: sic ergò est in vtero muliebri.

Fernelius colligit omnia vitia menstrui, quod gustatus canes in rabiem agit: nouellas plantas exurit: morbos fœminis varios retentum gignit, vt Cittam, matiscas, inflationes, pallorem, &c.

Item fœminas steriles reddit super ipsum transeuntes, aut abortũ emittere facit: quomodo ex tam contraria impura re, tam pulchrum ædificium natura struet; quod autẽ idoneum est, parumque excernit? Imò lex Moysi prohibet coitum menstruatæ ob impuritatem; & quoniam non concipiunt, vel leprosos concipiunt, aut valetudinarios: si autem esset semen, tunc magis quando abundat coëundum esset, vt Asini in mense Maij, quoniam tunc turgent genitalia magis.

Si occidit fœtum, quomodo ex eo fit fœtus.

Item si natura, ait Telesius, singulis mensibus illum sanguinem excernit, desperans in melius redigere, & pro alimento tenere: quomodo semen virile inanimatum Aristoteli poterit tam citò ossa, neruos, arterias, iecur, & alia membra mirificè formare, & animam insuper elicere ex re tam inepta, de qua anima mulieris non potuit facere sanguinem; nedum tam varias res, & mirabiles, & insuper animam? ad pauca respexit Arist. & Logicè non Physicè procedit.

Ad 1. prima propositio solum est vera in violentis, & artificialibus, & similaribus. At in naturalibus nequaquam: quoniam ars est natura extrinseca; natura est ars intrinseca. Etenim ignis se ipsum mouet sursum; neque in dissimilaribus, & compositis. Alia enim pars agit, vt calor, alia patitur, vt materia: ego possum me verberare, & tunc sum agens, & patiens, Anima mouet corpus, & tunc animal est agens, & patiens respectu compositionis rerum multarum: similiter semen ex spiritu constat, & crassitie viscosa, fluida, pinguique; spiritus autem calidus ex his format corpus: hoc manifestum est in ouo sub fimo, & in semine plantarum, vbi idem est agens, & patiens: semen enim agit spiritu, patitur corpulentia per se.

Probatio Arist. de statua, & ædificio est ab arte exteriori; nam ab interiori, quæ est natura de qua noster est sermo, secus est, eius etiam testimonio in 2. Physicorum. Neque est verum, quod fœmina non concurrat actiuè, sed tantum, quod minus actiuè, quam mas, vti diximus; à primo, sed mox plus agit quam mas vt probat Paracelsus & Telel. eius enim calore liquatur semen maris, & fluit, & mollescit, & in partes conuertitur varias, formando & construendo corpori aptas vario.

Ad 2. Ratio assumit falsum: nam præparatum esse semen, & non illo motu fieri docent, qui solo mulieris intuitu libidinoso semen emittunt, vt Præstera noster, & qui dormiẽtes polluuntur: semen fit ex sanguine concocto, elaboratóque prius in venis spermaticis, ac tandem absoluto in testibus, quorum astites refertos semine, si tangas continens prius, deprehendes. In illo autem motu non potest subitò fieri tanta conuersio, præsertim vt passeres velociter concubentes sic seminent, imò & Tauri velocissimè seminant & Cerui, stulta

sunt hæc Arist. commenta. mulier ergo titillata veretro educit semen, motus ille spiritum excitat ad iaculationem: nam in testibus anfractuosis, ne sponte, & frustra elabatur, contineri voluit natura, ergo quod Arist. in multis fatetur præparari meatu semen: in cunctis fatendum erat & seminaria vasa insuper concedenda: ac considerandum quod continuò seminantia habent insuper Testes. Quæ verò aliquo tempore, habent meatum anfractuosum sufficientem ad absoluendum semen, donec tempus accedat generationis.

Ad tertium vtique habent instrumenta vti mas; sed iste foras educta, illa intro, quoniam vis caloris non fuit tanta, quæ propelleret: vidimúsque tres fæminas factas mares confricatione tempore nostro. Galenus alias, & Plinius, & Telesius, & nouissimè Hispanam monialem marē factam, & militem, vidimus Neapoli. historiæ plenæ sunt. Quidam Martinus del Rius nescio quibus diabolis hoc adscribit, & miraculis, cum sit naturale ex fæminis fieri mares; quoniam illæ imperfecti mares sunt: scio quid Auer. & Peripatetici garriunt in hoc: sed tanta experimenta quomodo cludentur? Facti sunt & fæcundi postquam pepererunt, vt testatur Telesius: hoc ego non vidi, sed conuersionem duntaxat in marem. Vtrum ex maribus fæminæ fiant, vt in fabulis, quæritur, sed non inuenitur, licèt Claudianus sub Honorio factum dicat Beneuenti, si ritè memini; sed hoc monstruosum fuit. Natura enim non retrahit, quod eductum est foras, sed tamen infrigidari, minuique potuit. In cæteris animalibus, nescio an ista contingant. Non videtur vulua vaccæ in anatomia bouis veretro inuerso similis, vti vas fæminæ virili verpæ, semen muliebre intus demittitur, non foras: sic enim prouisum est, vt mistione feminum fiat proles.

Ad quartum concedo, quando semen masculi tantum est, vt membrana exterior, & intestina, & ossa, cæteræque partes albæ fieri possint, suppleatque etiam pro fæmineo: sed fortè non sentiunt delectationem tantam, emittunt tamen. Historiam Auer. non nego: nam & diabolus in calidis seruat semen humanum, quod effundat in fæminam. Ego quoque à Stinca nostro audiui, puellam impraegnatam non rupto vtero, attrahente tamen semen effusum in os vuluæ, & virgo fuit vsque ad partum, sed non in partu. S. Thomas aliud adducit exemplum de virgine impraegnata ex semine patris dormientis, somni antísque, à matrice filiæ proxima attracto: ego quoque aliud consimillimumque habeo experimentum: ergò, inquam, si tanta est vteri auiditas, vt attrahat semen forinsecus emissum; vtique & ipse tunc semen suum despumat; neque est saliua solum, sed verum semen prolificumque proportione.

At quintum vtique & pili tunc temporis enascuntur; nec sunt semen: tunc quippè natura validior facta sanguinem purgare volens, iam dissimilariorem, ab aucto calore, nec per pilos, vt in masculis, & in brutis potens, inuenit viam illam. Purgatio est, non seminatio emissio menstrui: vnde sine delectatione fit, quæ animal ad seminandum inuitat, & Moyses ita docuit eleganter. Desinunt menstrua cum impraegnantur, quoniam periculum esset, ne eò illabentia fætum occiderent: ideò natura retinet, vertitque partem in sanguinem, vnde mulier alatur, siquidem pluri nutrimento tunc indiget: è puro autem sanguine per vmbilicum alitur fætus. At quoniam non satis ipsum elaborare potest, accidunt prægnantibus appetitiones infames, mariscæ, pallores, reumata, tumores lienis, aliáque multa; quæ excluso fætu cessant menstruis abunde effluentibus; quorum gratia tempora purificationis lex sancta decreuit. Quapropter non retinetur, vt prosit fætui, sed ne noceat.

Ad sextum falsa est, non enim tam crassum, spirituosum, pinguéque ac multum est muliebre semen, quod perse generationi sufficiat. Plato tamen ait, vuluam animal esse appetens generationis, qua cum priuatur, morbos crudeles facit: vt de morbis Virginum etiam Hippoc. docet, & ego vidi. Imò diabolus aliquando vtitur illis deprauatis humoribus, semineque vitiato ad illas vexandas, sicuti & atrabili in lunaticis, vt Origenes testatur, & S. Thomas ad Annibaldescum.

Ad 7. stulta est cōsequētia; nō. n. tantū, ac tale habere potest: solis plantis quasi hermaphroditis illud priuilegiū datur, nec omnibus: palmæ enim absque mare sunt infecundæ.

Ad octauum Resp. Ambros. quod aqua, & tellus viuificant, & animant, suntque vulua plantarum, & animalium: multò magis potest vterus. At tellus non frigore hoc facit, sed calore à Sole accepto: neque enim potest esse vulua plantarum, & ferarum, nisi à calore benè concinnata: sic fæmina non est terra pura, & materia: habet enim calorem, & ani-

nam; potestque generare etiam sua virtute, non tamen sola.

Prætereà sol & terra non intendunt fecũda entia facere, suntque causæ quasi æquiuocæ animalium, (vt in Metaph. docuimus) non enim faciunt solem, aut terram, sed entia 2. At vir, & mulier faciunt virum, & mulierem, & hoc intendunt facere. Ergò sunt actionis participes ambo. In multis valet Analogia, non in omnibus, alioquin esset identitas.

Ad nonum Telesius putat esse quædam insecta mascula sicrioris, calidiorisque naturæ, quæ nihil feminis ferè possunt emittere; fœminas verò corpulentiores iniicere articulum in marem refertum semine, vt maris calore, & spiritu fœcundetur, & elaboretur. Sed in semine non sic. Ego tamen in Auentino monte Romæ sæpe expertus sum lymaces grandes testa pallida nigraque tectos, immittere vtrumque & marem & fœminam (Si tamen fœmina dici potest, & mas in illis) articulos alterum in alterum bene longos, & grandes pro sui portione: ægreque diuellebam eos: seiuncti autem atticuli persimiles erant humano sine præputio, attamen crassiusculos in glande extrema quasi verpa canis, quæ tumet, & vesicam facit, nec educi potest donec liquescat: vndique tamen erat tornatilis, & æqualis. Admiratus sum, agnouique lymaces hermaphroditos fecundosque ambos. Quapropter Arist. decipitur fortassè, vel ille alia insecta obseruat: nunc libros eius non habeo: sunt viginti anni, quod missos feci: ex his tamen elicitur, varios esse propagationis ritus: nec propterea in homine idem statuendum.

Ad decimum, Quod & Plinius adducit, vix credibile puto; semen namque piscis intra aquam haud perueniret in oua quin euanesceret spiritu fiat infecundum. In Balneo enim caliditas erat Auerroï, & vulua attractrix: oua autem non attrahunt. At si quis contendat talem esse pelagi calorem ad semen piscis, qualis est balnei ad humanum, concedam & hoc præsertim quoniam nuper nauta quidem se expertum hoc enarrauit: nec propterea in cunctis animalibus sufficit sola actiua vis masculi, sed in ouiparis, & plantis hoc videtur conuenire, quoniam fœmina sufficit albam, & rubram portionem ministrare mas autem addit spiritalem aliquantam; portiunculam: quæ in ouis fœcundis à mulieribus nostris agnoscitur: & hæc, non alia infecunda, incubanti Gallinæ supponunt. In palmis sufficit odor excitans fœminam ad prolem, odor enim viuificus est penetratiuus: qui si nobis non patet, patet illis, virtus Magnetis ferro est nota, non mihi; neque enim ad quodlibet est idem quodlibet; neque sensus est sine respectu, vt dicemus sua in quæstione: sunt etiam fœminæ plus seminis emittentes diu abstinendo quam viri: haud tamen propterea prolificum, sed cui sufficiat modicum virile.

De similitudine esset quærendum, sed patet in textu, ex virtute, aut imaginatiua, aut seminis multitudine, similitudinem oriri: sexum verò à solo calore: nam & fœminas patribus, & mares matribus similes nasci comperimus: prævaluit ergò semen, vis matris: calor tamen tantus fuit, vt etiam genitalia propellat. Reliqua vide in quæst. contra Martam, & in 4. de Sensu rerum,

QVÆST. XXXVI.

DE PRINCIPE ANIMALIS MEMBRO, IN QVO ANIMA omnis insidet, & partes corporis, & functiones earum originem habent.

Vtrùm cor præcedat omnia animalis membra tempore, dignitate, & causalitate; sedes totius animæ, & quo animal est animal, vti Aristoteles docet; an verò caput, vt in textu diximus.

ARTIC. I.


RIMAM sententiam probant Peripatetici ex Arist. lib. 3. de part. anim. cap. 4. & alibi. Item & ex his, quæ in lib. de Iuuent. & Senect. cap. 1.

1. Cor vltimò moritur, ergò primum viuit. Item refrigerato, passóve corde, animal moritur: non autem capite, alióve membro; imò multa insecta dempto capite viuunt, non autem corde.

Et nuper Iacinthus puer caput muscis abscindens inuenit eas volitare sine capite, & ostendit mihi.

2. Cor est medium in animali, virtus autem extremorum à medio est.

3. Probatur ex plantis, ait Arist. nam ex medio seminis biluauij continens vtranque partem, eminet cordis instar particula, ex qua & germinat radix deorsum, & ramusculus sursum: patet in fabis &c. Item in insitionibus, & asplantationibus eligitur nodus, quoniam est principium germinis, & simul medium: vnde & radix.

4. Ait Arist. ibidem cap. 2. Experti sumus, cor fieri primum, cum fierent animalia; aut proportionale cordi in carentibus sanguine.

5. Cor est principium nutritiuæ; nutrimur enim sanguine. At cor est fons sanguinis; probatur etiam, quoniam venæ deferentes nutrimentum oriuntur ex corde, vt patet in Anatomia. Item tres habet partes animal: Vnum vnde suscipit alimentum, quod est caput: aliud quo educit excrementum, quod in cauda: medium in quo conficitur, & distribuitur, & hoc est cor. Item prior est vegetatiua, quam sensitiua. Ergo cor præcedit in quo fit nutritio. Alij dicunt Iecur.

6. Cor est principium sensuum. sensus enim indiget communi sensorio, vnde omnia sensoria deriuantur: hoc autem non potest esse nisi medium. Item sensus non potest esse absque nutritiua: ergo in corde, vbi est sedes nutritiuæ.

Item, ait, hoc patet, quoniam sensus tactus, & gustus, sine quibus non est animal, ad cor, vt ad principium continuantur, sensus vero sine quibus est animal, sunt in capite. Sed (ait Alexander) ad cor referuntur.

7. Idem, ait, probatur ratione: natura facit quod optimum semper: in medio autem optimè existenti principio substantiæ perficit particula vtraque opus suum, & quæ suscipit alimentum, & quæ conficit, estque media regio principis.

8. Vita est in calido, morientia autem frigescunt: calore autem concoquitur, & conficitur alimentum, maximè autem in principalissimo. At in corde est caliditas summa, & ignitio animæ, quæ nutrit & sentit. Igitur cor est sedes animæ, & vitæ omninò. Ideo hoc refrigerato fit mors: non autem cæteris particulis: cerebrum autem est frigidissimum omnium, non ergò in eo vita.

9. Ait in lib. de somno. Idem est principium motus, quod & sensus; mouetur enim omne aliquo sensu proprio, vel alieno facto in primo sensorio. Ergo cor primum sensorium etiam erit principium motus.

Item motus est dilatatio, & constrictio in animali: hæc autem in corde semper sunt.

Item centrum dat motum circumferentiæ. Item principium neruorum est cor, quibus fit motus. Similiter spiritus in corde, quo.

Item omnia membra cordis gratia videntur operari, motus respirationis cordis gratia est, & à corde, respiratio autem vitæ est conseruatio, adeò vt animæ videatur instauratrix, pulsus etiam sunt à corde, somnus, & insomnia in corde.

10. Esse autem animam intelligentem in corde oportet, quoniam vtitur sensu communi, & phantasia, quæ est in corde ad intelligendum.

Item non potest esse, nisi vbi sensus; sicuti neque sensitiua nisi cum nutritiua.

11. Idem potest probari ex scripturis sanctis, quæ vocant animam rationalem cor. ait, Dauid. *Qui finxit sigillatim corda eorum*, & Dominus in Euangelio. *De corde exeunt cogitationes malæ.* & Eccles. *Cor stulti in lingua eius, lingua sapientis in corde eius.* & alibi: *Confitebor tibi Domine in toto corde.* Ergò voluntas, ratio, religio in corde: cuius nomine appellatur; & hoc est totum animal, vt dicit Arist. cæteræ autem particulæ huius sunt gratia, & organa.

SED. Contra est Apost. ad Ephes. 4. *Veritatem facientes in charitate crescamus in illo, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis in mensuram vniuscuiusque partis incrementum corporis facit ad ædificationem sui in charitate, &c.* Idem dicit in cap. v. ad Colos. manifestè docens caput esse principem partem in corpore: vnde connexio neruorum, & compactio ossium, & virtus motiua, & nutritiua, & sensitiua, & sedes animæ locata est, sicut in Christo capite Ecclesiæ tota Ecclesia compago, & vita, & motus, &c.

Item Ephes. 5. & 1. Cor. 11. ait, *Caput mulieris vir, caput viri Christus, Christi autem Deus.* profectò si cor esset principalius, & animæ sedes, dixisset, *cor viri Christus, cor Christi Deus.*

Item S. Gregorius Nyss. in lib. de viribus animæ cap. 18. probat vim motiuam esse à cerebro, à quo nerui sensitiui, & motiui originem habent.

Item S. Thomas, quamuis aliquando peripatetizet, in 3. p. q. 8. 1. vbi quærit vtrum Christus sit caput Ecclesiæ, probat, quod caput in animali est sedes animæ, principium sensus, & motus, & neruorum, & omnium operationum animalium.

Item sanctus Ambr. Hex. 6. c. 9. humani corporis fabricam instar Mundi esse agnoscit. Caput esse cælum supereminens elementis, in quo sapientia regens omnia membra, vt Deus in cælo inhabitat, tanquam in arce regali inter reliqua vrbis menia: & paulò inferius ait, *Initium neruorum, & omnium sensuum voluntaria commotionis, cerebrum est: sensuum singulorum, velut organum sunt nerui, qui velut chordæ de cerebro oriuntur, &c. Ideoque mollius est cæteris cerebrum, quia omnes suscipit sensus, quod enim molle, ad compositionem aptius*, & paulò ante, *quid sine capite est homo: cum totus homo in capite sit? Si caput desit nulla agnitio esse potest, est fons vniuersorum. Sola fusa are capita principum ab hominibus adorantur non immeritò huic cætera membra famulantur. Videas Imperatori singula suo gratuito stipendio militare, alia portant, alia defendunt, alia ancillantur, vt Domino, &c.* Hæc & alia doctè, & eleganter Ambros. secutus Magnum Basilium scribit, & D. Thom. 4. d. 3. a. 4. concordar. De corde autem ait, Amb. *Initium arteriarum, & caloris insiti, quo animantur vitalia, ac tepefiunt, cor plerique arbitrantur*, quapropter quasi nihil est cor ad caput Ambrosio; non enim aliud de illo dicit, nec ex se; sed quasi aliorum ex dictis. At Chrysostomus super Epist. p. ad Thes. altiora de capite pronunciat Homel. p. *Spiritus ex cerebro per neruos in corpus descendit, non omnia omnibus tradit, sed iuxtà cuiusque membri analogiam plus illi, quod plus; & minus ei, quod minus capere potest.*) Ergò Spiritus, & motus, & nutritio à cerebro est Chrysostomo.

Item ait, ibidem. *Organum spiritus cor, sanguinis iecur, splen fellis & alia aliorum, omnia autem ista à cerebro causam habent, &c.* Quod autem ita sit, & quomodo, in tex. nostro patet pro sanctorum doctrina contra Aristotelem constructo.

Item Chrysostomus ibidem docet, quod spiritus, sensus & motus, & augmentatio sunt à capite, &c. hoc nota contra Galenum, & Arist. At in 2. Epist. ad Thes. Hom. 5. ait. *Caput loco, & prouidentia supereminet; in eo sunt oculi tam corporis, quàm mentis. Caput ordinatur ad gubernandum, corpus ad ministrandum, omnes sensus à capite habent initium, & fontem: similiter organa vocalia, & vis videndi, audiendi, odorandi, tangendi. Etenim neruorum radix: & ossium illic consistit.* Hæc ille super mille Aristoteles, Galenosque doctius ratiocinans, & sapiens. Adsit & S. Bernardus modernus ferè, vt omnes ætates contestentur: hic super Psal. 90. serm. primo. *Sicut enim*, inquit, *anima cum in toto sit corpore, excellentius tamen & singularius est in capite, in quo sunt omnes sensus (nam in cæteris omnibus membris vix vnum exercet solum, scilicet tactum. Vnde quantum ad eum modum, quo in capite est, cætera membra videntur quodammodo non tam inhabitare, quam regere) ita vt præsentiam Dei cogitemus in cælo, vt eius comparatione in terris nec esse videatur. Ideo oramus, Pater noster qui es in cælis, &c.* Bernardus autem loquitur hic de intellectiua, ac sensitiua, quæ non possunt esse absque cæteris Aristoteli. Cælum ergò caput, cor terra est: & organum in quo sanguis attenuatur in spiritus, vt benè docet Chrysostomus. Principes quoque capita populorum dicimus vulgo, & in sancta scriptura, non corda.

Caput autem prius oriri palam est rumpentibus oua, quibus gallina incubat, vnum post alterum ab octauo die, deinde organa alba, mox sanguinea. Et quidem fieri sedem principis, deinde organa æquum est. Omnem sensum & motum à capite deriuamus; dicimusque animal esse caput, membra verò animalis, jecur quoque priusque cor formari compertum est ex sanguine per vmbilicum attracto. Et rationes validæ apud Gal. 2. de Sem. contestantur. *Experien.*

Nam partes albæ, & exangues fiunt ex semine, ergò præcedunt cor, quod ex attracto sanguine per radices seminis fit: vt dictum est in art. 2. cætera in textu argumenta vide.

Ad primum non rectè Arist. ex eo quod vltimo palpitat cor, esse primum viuens statuit: nam & caudæ lacertorum, & anguillarum vltimo moriuntur; nec propterea sunt principium aliarum in generatione, & dignitate: sed hinc inuestiganda erat causa huius motus, nec tam insulse pronunciandum, quòd sint plures animæ potentia in insectis; sed vna, quæ diuisa ibi diutius est, vnde minus potest egredi propter angustias neruorum, quos inhabitat. Angustiores autem sunt in cauda. Ex diuisione ergo corporeitas animæ, non pluralitas; ex vita caudarum, & cordis, angustia domicilij, in quo detinetur, agnoscenda erat. Cor ergò fibris neruulisque contextum haud facilè spiritui egressum præbet, proptereàque vltimo moritur; non quia primò vixit, imò contrarium sequitur in ordine rerum, vt senior moritur prior.

Confirmatio est nulla, nam & dempto corde viuit testudo, testimonio Arist in lib. de Iuuen. & senec. cap. 1. & 14. similiter & medio plantarum, quod analogum est cordi secund. Arist. insecta profectò dum caput habent viuût. At etiam ablato, palpitant, quoniam spiritus egredi non potest tam cito. Imò animalia perfecta dum decoriantur tremunt in musculosis particulis, ex quibus spiritus nondum totus elapsus erat. At Aristoteles positionis tenax non optimè constituta putat animalia, quæ viuunt ablato corde, quoniam non satis vnitatem habent, sed potentia plura sunt. Verum & hoc insipientius dixit: nam planta simplicior est boue, vnica nutritiua viuens Aristoteli, nec partium dissimilaritate multa. Testudo quoque magis vna est, quam homo paucioribus functionibus, & simpliciori anima, ac structura viuens: vermes quoque similiter. Quoniam Arist. ignorauit spiritum vitæ esse animam, in has ineptias prolapsus est: planta ergo, quia spiritum habet magis irretitum non emoritur subitò, & quia paucioribus indiget, iterum germinat: non quia cor habet vbique in potentia. nec plures animas, sed vnam partibilem. Habitat spiritus in cerebro, seu cauo. Ideò fortassis facilius in multis relinquitur sensus brutis infecto capite, quam corde: vt videas nec caput, nec cor esse animã; sed vasa; illud tamẽ principalius, quoniam ibi habitat, & cogitat, hoc verò minus principale, in quo culinam habet: vnde nutritur. Ideò ebullit semper in corde sanguis. Galenus tamen, & Telesius multos dempto corde paulisper vixisse testantur; & aliàs in Anatomia cor in cinerem actum apparuisse, quod non nisi diù ante mortem hic fieri paulatim censendum.

Confirmatio ex experimento Iacynthi de muscis volantibus detracto capite pro nostra militat sententia, quod videlicet, non sedes, sed spiritus dat sensum & motum toto animali, vbi elabi extra nequit: & quousque organa functionum durant, etiam si non duret sedes.

Ad 2. & 3. nulla est ratio, nam à capite, non à medio, est virtus in rectis: imò in circularibus Arist. idem sentit 8. Phys. quod Motores sint in peripheria, licèt inconstanter. Ciuitas etiam non in medio, sed in capite habet arcem, vbi princeps degit, regitque, vt dixit Chrysost. & Ambros. caput insuper cælo, cor telluri potius compararunt: sic nos in rebus ereximus in medio, non cor, sed caput. Nec plantarum semina in medio omnia habent germinatiuum principium: nam cicer habet in capite, similiter castanea, & glans, quercus & ilices, vnde germen, & radices educunt, reliquo corpore pro nutrimento vtuntur in principio, & tanquam lacte, tellure mox pro solido cibo: oua quoque ex albo afficiunt partes exangues intra rubrum filato; in quorum filorum principio ampulla est, caput referens. In insitionibus, & asplantationibus vtimur nõ medulla, sed nodo, non tanquã medio, sed tanquã via, qua spiritus succũ deducendo germinat; & sicut caput est, vnde germen in semine. Radices enim sunt capitis os, & venæ ad trahendũ succum: sic in insitione caput nouæ arboris est gemma illa, quod autem subest, oris officio fungitur; os enim longum extra caput esse oportuit, vti in cane, & cigno, & elephanto, &c. sunt etiam animalia marina, quæ caput & os in medio habent, vt polypi, sepiæ, echini; cancer autem etiam capite caret, non tamen cerebro, & spiritu in summo corporis: sic & acephali homines formati sunt, si Plinio credas. At etiam S. Augustinus de illis contestatur in sermonibus ad fratres heremitas, si tamen eius sunt, non autem suppositi, vt videntur.

Prætereà caput habet duplicem prærogatiuam: quoniam est in medio corporis, & in

suprema

suprema parte, cor autem in medio, at inferiori ad caput, vt palam est.

Ad quartum mentitur, planè: Hippoc. enim & Galenus diligentiores contrarium experti sunt, & in ouis cum gallina incubat ruptis altero post alterum diebus singulis, videbis prius fila, & caput fieri ex albo, ac deinde cor ex sanguineo luteo. Idem in puellæ psaltria Hippocrates vidit: per vmbilicum enim attractus sanguis deinde concreuit in jecur, & cor, & pulli gallinacei intra oua etiam per vmbilicum nutriuntur: sic enim aptius fit jecoris, & cordis formatio, vt in textu.

At verò multa sunt animalia corde carentia, nulla autem cerebro, & capite saltem vnito sine collo, non ergò animal est cor, neque principium: quod autem sit illud proportionale cordi non declarat. Dicunt Peripatetici esse spinalem medullam, vel spinam: sed spina à capite oritur, & medulla est cerebrum per illam deductum. Ergo caput est principium in eis, non cor, oportet quoque calidissimum esse illud proportionale, non tamen tale est spina, nec medium in planta.

Quod autem recentiores arbitrantur vertebram mediam spinæ esse principium, non probatur, nisi magisterij ad motiones; non autem motiuæ virtutis: manifeste enim ossa, & medulla ex cerebro, & spiritus exinde illabuntur.

Ad quintum negat Galenus venas oriri ex corde, licet Plato ita dicat, sed ex jecore, quoniam ibi crassiores sunt. Nos autem cum Chrysostomo ex cerebro: attamen in jecore dilatari, vt suscipiant sanguinem; sic arteriæ in corde. Omnes enim fiunt ex albo semine: Ergò ex cerebro, non ex sanguineo corde, vel jecore exoriuntur. Antiqui nil distingunt venas ab arteriis. De nutritiua quæremus infra.

At cor esse officinam sanguinis arterialis nos dicimus, & spiritus, cum Chrysostomo; pars enim crassior exudat ad nutritionem carnis, decoratque sanguinem venalem, pars verò tenuior spiritum nutrit. Ideò rectè spirituum cor, & sanguinis jecur facit organum: sed omnium istorum caput mox principium, vt nos in textu. Oriuntur ergò ex cerebro venæ, arteriæque, dilatantur autem in corde, & jecore.

Ad confirmationem nego assumptum: nam licèt cor stet in medio, non tamen nutritiua est in eo, sed in jecore, & ventriculo, qui etiam in medio: nutritio tamen spirituum in corde; sed nutriens anima spiritus est, qui ex capite effluit, istaque munia omnia exequitur, moderaturque, non enim temperies est anima nutritiua, vt Galeno videtur, neque incorporea res, vt Aristoteli, sed spiritus, & calor.

Concedimus cor vas esse nutritionis spirituum, ergò & officinam, non aulam animæ.

Ad confirmationem nego vegetatiuam esse priorem, non enim quod non sentit potest ali, aut trahere, & secernere: omnem quippe nutritionem præcedit aliquis tactus, & gustus nutrimenti, conuertendi in rem nutritã; neque vita erit prius in corde, licèt nutritio celebretur in corde, prius enim aula fit deinde culina. Eadem ratione jecur præcederet caput, vt nonnulli Medici contendunt, sed cum sit officina à spiritu inhabitante fabrefacta post aulam exanguem, neutique præponendum sit: nullus actus præcedit sensum, nutritio est actus in hoc corpore ab extra cognatum ingenito spiritu: præcedit autem formator sensus hunc actum: sensu res formari testatur Salomon. Sapientiam verò præesse formationibus, & regimini, & per prius operari. Vide Metaph.

Ad sextum nego cor principium esse sensuum: sed spiritum assero principium; sensoriorum verò caput dico principium cum Chrysostomo, & Ambros. sensum autem communem esse spiritum eorundem in cunctis sensoriis sentientem docebimus: eiusque sedem caput iam dictum est. Nec in medio oportet esse corporis, vbi celebratur nutritio, est enim speculatiuus sensus, nutritio autem mechanicus actus impediens notiones. Ideò potius in cerebro ille locandus, tanquam in cælo tranquillo; iste in terra agitata continuis generationibus. Aristoteles est ille, qui gymnasium, & culinam in eodem cubiculo locat. Neque medium vt putat, sed Arx, & commoditas est eligenda huic functioni.

Ad confirmationem respondeo negatiuè; non enim tactus ad cor: sed per neruos, vt ait Chrysostomus & Galenus & Teles. ad caput continuatur. Neque gustus, nisi per neruulos in spiritu linguæ ad caput, vt etiam docet Galenus. At si pergat,

cum fames fit in ventriculo, vtique gustus in ventriculum, non in cor terminabimus. Oesophagum enim, cui lingua adnata est ventriculum petit. Equidem puto sensum esse in spiritu; sensoria verò ad caput referri per neruos sensorios, vbi sedes est spiritus. Attamen in omni loco, vbi spiritus, ibi sensus, cor autem occupatum mechanicæ functioni sanguinis attenuandi, iudicio sensibilium vacare non posse puto; nec sensoria ad ipsum referri, vt palam est per Anatomiam & autoritates.

Ad septimum; concedo nutrimentum in medio confici melius, quoniam exhalare non potest coctio, & melius absoluitur: sed hoc medium est iecur, & ventriculus, & intestina. In corde verò aliam nutritionem celebrari meliorem dico; non tamen à corde emitti excrementa ad extremum, neque suscipi cibum ab altero extremo, omnia ista fiunt à ventriculo; perficiuntur autem in iecore, & corde.

Ad octauum; calidissimum cor esse concedo, vt sanguinem attenuet: non propterea erit principium animalis, & vitæ, sed organum. Dico etiam iecur calidissimum, sed non æquè atque cor: quoniam sanguinis confectio minorem requirit calorem, spiritus autem maiorem. Ventriculus autem calidus, sed minus atque iecur, quoniam præparat, vt olla. Calore igitur celebrari nutritionem dico; & sic vitam seruari; sed cerebrum esse principem partem, in qua spiritus has functiones edens inhabitat; neque oportuit esse calidissimum cerebrum, ne spiritus attenuatus elabatur; sed moderatum, vt retineat spiritus, non autem vt cor refrigeret, sicut putat Arist. licet ergò viuamus calido, tamen & calido dissoluimur: sit ergò calor in culina; in cubiculo vero tepor. nam ex iussu inhabitatoris ista fiunt in suis quæque organis, sensus est in calore, & sentit facillimè cor, sed iudicium non exequitur, quoniam mechanico vsu, & vehementia exhalationum interturbatur. In spiritu autem seorsum posito in capite de sensilibus fit discretio, & notio, maximè autem cum per motum fiant immanentem, qui à feruore cordis dissoluuntur. Vita in spiritu est, non in cerebro, neque in corde, nisi instrumentaliter; ideo eo soluto, accidit mors: multò autem magis si & domicilium.

Ad nonum; concedo assumptum, ac in cerebro originem motus, & sensus statuo. Nec progressiuus motus sequitur cordis motum, alioquin semper moueremur, sed deliberationem spiritus in cerebro habitantis; hocque licet cuilibet in se experiri, quod in cerebro cogitet, & sentiat, & iubeat motum fieri, quod centrum non det motum, sed fixionem, dicemus infra. Quod principium neruorum, & ossium sit cerebrũ, docuit Chrysostomus, Ambrosius, Basilius, Gregorius Nyssenus, Galenus, Telesius, Pelops & sensus ostendit nullos neruos à corde oriri, sed duos exiles à cerebro deriuari, quibus cor suspenditur, & motu sensuque spiritus indidem donatur: stulti quidam Peripatetici ex sanguineo corde per tam exilia principia, neruos tam crassos exangues è cerebro exangui deductos, visosque cerebrum deductum ipsos esse palàm, audent tamen deriuare contra sensum & naturam. Respirationem docebimus fieri, vt calor in corde seruetur ad spirituum refectionem: somnum verò in capite fieri nemo non nouit. Pulsum à spiritu sanguinem attenuante ex corde influentem in arterias: nec cor ista facere, sed spiritum principaliter.

Ad decimum respondit Bernardus, & Ambros. & Chrysost. animam intelligentem esse in capite, in quo & sensus, & phantasia; quod infra amplius patebit; nec posse in cordis motionibus intelligentiæ seruari tenorem, vel semper idem intelligeremus, cum semper eundem motum edat cor. Hoc argumentum est Aristotelis contra Platonem mouentem animam circulo cælesti.

Quod additur de scripturis sanctis, exponendum est iuxtà mysticam Patrum doctrinam. Cor ibi sumitur pro anima, non quia anima sit cor, aut primum in corde: sed quia sicut cor est in medio corporis operans vitales effectus: sic voluntas quasi in medio animæ: nam etiam dicitur ex tota mente, pro operationum, & Primalitatum distinctione.

Habet anima etiam ossa, & neruos, & carnem, & quinque sensus, & cutim, vt docet Bernardus tomo 1. in sermone *de quinque sensibus animæ*, & in sermone *de carnibus, & cuti animæ*; sed incorporales & similitudinarios, & vocatur homo interior ab Apostolo.

Estque intus, sicut cor intus, ideóque vocatur cor. Dogmata sunt accipienda à sensu literali; non à mystico, vt docet S. August. sic etiam anima est currus Platoni, & Ambrosio. Pars animæ intellectualis cor est, septum sensuali, & animali, cui contemplatio diuinorum, vt caput, supereminet.

Vtrùm ab vna substantia anima, vti nos: an à tribus vniuersum animal gubernetur, vt Plato, & Medici voluerunt: & an Aristoteles meliora de hoc tradiderit. Item de origine neruorum, venarum, arteriarum, ossium, & de facultatibus, quibus exercentur.

ARTIC. II.

PYythagoræos sequentibus, Hippocrati, Platonique, hosquesecuto Galeno, visum est triplici substantia animæ gubernari animal; quod probant ex triplici, secúque pugnanti operatione, & triplici loco principali sedes tres animæ ostendente, & ex origine organorum ex tribus hisce locis, talibus functionibus deseruientium. Probatio.

1. Quæ sibi inuicem aduersantur, non possunt esse res vna; experimur autem in nobis dissensionem animæ, quasi ciuium in vna ciuitate discordantium. Interdum verò & concordantium. Discordia autem hæc inter tria reperitur videlicet inter rationem, iram & cupiditatem. Iubet enim ratio, vt abstineamus ab inuadendo hoste. Irascibilis vis non obedit rationi, sed irruit. Interdum vero consentiunt. Duæ ergò sunt res: neque enim simplicitas animæ tantam patitur contrarietatem. Aliquando & appetitoria vis repugnat rationali, vt cum æger cupit frigidam; negat ratio: similiter cum adulteria, & rem alienam. Aliquando etiam videre homines defunctos, quos ratio auersatur, vel ira, vt arguit Socrates in Repub. Platonis. Ergò differt appetitoria à rationali. Quod autem non sit eadem cum Irascibili patet, quoniam irascibilis contradicit appetitui sæpè, vt quando contra nos metipsos, noxia cupientes, irascimur, atque verberamus interdum. Vbi ira fit rationis pedissequa ferè: interdum & contra rationem insurgit, quasi dicens; vt quid tali voluptate priuas appetitum?

2. Ait Plato, manifestè in cerebro nos ratiocinari sentimus. In corde verò irascinam accensio in eo est ira. In iecore verò cupere: ibi enim nutrimentum conficitur, & sanguis distribuitur: videnturque insuper hæc tria loca à Deo diuisa, vt per collum irascibilis à rationali, ne ipsam turbet. Cor verò sedes irascibilis per diaphragma à Iecore; Et hanc triplicitatem probat per fabulosam Philosophiam, quæ pinxit chimeram, cuius caput est humanum, pectus leoninum, inferius caprinum. Capra, & leo, homini subsunt: sic in Repub. Iudices, milites, & artifices, hanc seruant Philosophiam: quidquid enim intra nos fit, extra imitamur.

3. Approbant hanc distinctionem multi Theologi, & S. Ambros. in lib. 2. de Abraham; & sicut Plato in Phedro animam vocat currum, cuius auriga est ratio, equi ira, & cupiditas: sic ipse facit currum ab Ezechiele compositum ex homine, leone, & vitulo, & Aquila, id est rationali, irascibili, & concupiscibili, & religiosa. Aquila enim addit religionem, spiritus ergo vitæ in rotis tractis ab his animalibus indicant animam cum suis potentiis.

4. Galenus in lib. de Placitis Platonis, & Hipp. roborat dictam sententiam, quoniam tanquam ex sedibus animæ triplicis triplicia organa principalia, functionibus prædictarum animarum congrua, exotiuntur, ex iecore videlicet, venæ, ex corde arteriæ, ex capite nerui, & ossa. Ideóque crassiora sunt ista in suis originibus. Nerui motibus arbitrariis destinati sunt, vt patet, quos cum volumus, intermittimus, quoniam rationali mouentur. Arteriæ autem parti animosæ sensus experti, dedicatæ pulsationi; quam & si iubet Ratio, intermittere non possumus, quoniam sensus & rationis expers

cor est, istam edens operationem. Venæ dedicatæ sunt nutritioni, & motui sanguinis ad partes nutriendas, quod nec arbitrio subest. Dedicatur & Iecur generationi; Ideoque excrementa, & semen cum natura stimulat, non cum nos volumus, emittimus; neque noxia excernimus, nisi rationalis adhibeat pharmacum ad stimulandam appetitoriam. Respiratio est media inter naturales, & arbitrarios: possumus enim tantillum sistere hunc motum, non tamen quantum volumus.

5. Ex his deducit Galenus tres spiritus substantias videlicet, Naturalem in Iecore, Vitalem in corde, Animalem in cerebro: spiritus autem instrumenta videntur Galeno trium facultatum, quæ sunt temperamentorum trium, scilicet Cerebri, Cordis, & Iecoris, tres enim animas, nedum tres facultates facit ex tribus temperiebus.

6. Probat tandem hæc ita se habere: nam spiritus & si perdatur, vt in adolescente, cui ex fracto cerebro potuerunt euolare: remanet tamen anima, ergò anima non est spiritus, sed temperies. Ergò cerebri temperies est Rationalis: cordis temperies est irascibilis: Hepatis tandem forma est concupiscibilis anima.

7. Probatur, ait, ex eo quod læso cerebro, functiones sensus, & motus, & rationis lædantur; læso corde, pars animosa languet; læso jecore appetitus demittitur. Item ægrè nutrimur, sq ualemus, marcescimus.

8. Concludit tandem scientias, & regimen politicum à cerebro tractari. Imperia militiam, vltiones iniuriarum, & huiusmodi à Cordis anima. Cibariorum delectum, præparationem, & coïtum, & generationem, & omnes delectationes, à jecore per appetitoriam: sicut in Repub. Platonis: sensum adimit his duobus, soli Rationi concedit.

9. Videntur Doctores sacri huic sententiæ subscribere, dum triplicem animam ponunt significatam per serpentem, mulierem, & hominem. Item Apost. ponit repugnantiam inter animam spiritalem, & carnalem, &c.

SED Contra est S. Aug. contra Faust. lib. 21. docens, istas pugnas non plures animas, sed dubietatem animæ circa obiecti notitiam, & appetitionem significare. San. Chrysostomus super Epist. 1. ad Thes. hom. 11. dicens spiritum esse in capite, & inde per membra diffundi ad sensificandum, mouendum, & nutriendum. Item ait, *Organum spiritus est cor; sanguinis jecur, splen atra bilis, & alia aliorum: omnia autem ista à cerebro causam habent. Item,* ait, *spiritus motus, sensus, augmentatio sunt à capite, 2. Thes. hom. 5. Organa sensus, & vires, & vocalia à capite deriuat: in quo,* ait, *neruorum radix, & ossium consistit.* Animam verò sensitiuam, non esse temperiem cerebri, sed spiritum inhabitantem, & per corpus discurrentem in vtriusque Epist. expositione docuit.

Item S. Ambros. in lib. de Noë cap. 25. duplicem animam ponit in homine: *Aliam qua viuimus, quæ est,* ait, *sensibilis, aliam rationalem, & intelligibilem, quæ interioris hominis existimatur.* Deinde declarat, quod anima sensibilis (sic enim vocat sensitiuam in sua elegantia) est simul vitalis & delectabilis (sic vocat Irascibilem & concupiscibilem) substantiam verò vitalis, & delectabilis subjungit esse sanguinem; & ne erres, docet, quod non sanguis est substantia talis animæ, sed spiritus, qui ex sanguine, & cum sanguine in arteris habitat. Vbi sanè patet non esse temperiem jecoris, aut cerebri, sed spiritum animam irascibilem, & appetitoriam; quæ nobis communis est cum brutis, vti nos docuimus. At iuxtà Chrysost. & Ambros. quoque in Hexam. Caput esse sedem spiritus, & originem neruorum, ossium, venarum, arteriarum, & omnium functionum: nam licèt exerceantur in iecore, & corde, & ventriculo, tamen hæc vasa à cerebro suspensa pendent, vt à sua origine, & inde per spiritum reguntur.

Nos igitur concedamus pugnam cum Apostolo, Patribus, inter animam à Deo nobis immissam, ac sensitiuam communem nobis, & brutis; & inter rationem superiorem, & inferiorem. Nam & rationis participem esse spiritum, vt possit illi obedire, declarauimus, & D. Thomas, & Arist. p. eth. testatur: Attamen in vtraque anima ponimus rationem, iram, & appetitum, & in anima à Deo indita vocatur mens, vel intellectus, fortitudo seu animositas, & voluntas, respondent enim tribus Primalitatibus videlicet, sapientiæ, potentiæ, & amori. In spiritu autem corporeo ponimus appetitum, irascibilem, & rationem inferiorē, quam S. Thom. vocat æstimationem. Omnia enim animantia habentia memoriam, habent prudentiam propter syllogismum, quo ex præteritis ad futura,

licèt non ad Diuina, discurrunt: si enim solo instinctu mouerentur, vt sagitta, neutiquam memoria illis data fuisset; nec appetitus.

Quapropter, quoniam nobis cum Galeno contentio est: Plato enim concedit irascibili sensum, quo possit Rationi obedire, licet non sufficienter: Galenus vero & irascibili, & concupiscibili aufert. Ego autem eandem Animam, seu spiritum in brutis dico sentire, iudicare, irasci, & appetere; similiter in nobis, sed in illis ab obiectis, & passionibus agi: in nobis verò etiam à Mente, cui dedit Deus principatum regendi sensitiuos affectus, non tamen extinguendi, vt rectè docet Ambros. in lib. de Iacob.

Quod irascibilis sit rationalis itidem patet: nam non ex qualibet causa irascimur, neque ex percussione præceptoris, aut patris vlciscimur; sed si quis ex contemptu nos vel solo verbo lædat: cognoscere autem contemptum, quæ res est insensibilis, non nisi benè imaginantis est animæ: cognoscunt & leones contemptum, & elephanti; vnde priuatus ab Antiocho Rege elephas insignibus ducalibus, quia flumen noluisset primus transnare, se ipsum occidit: & equus nolens subagitare matrem deceptus ab armentario positis tegumentis, agnito mox dolo, armentarium occidit. Ac nemo est qui canes, & simios, non si verberantur modò ludendo cum illis, sed si exacerbentur per contemptum, irasci non experiatur. Quapropter irascibilis in brutis, ac in nobis est in imaginatiua, & æstimatiua Anima, non in stupida cordis temperie.

Præterea tractare Regna, & Rempub. & militiam, benè cognoscentis est virtutis: mirum quomodo Galenus stupidæ id committat. Tandem quando irascibilis repugnat Rationali, suadetur sæpè à ratione, vt sibi pareat, quod & Plato, & Galenus concedunt, & experientia testatur. At si nec sentit, quomodo sinet sibi suaderi? profectò sicut nec calor, ne non calefaciat, nec lapis ne deorsum ruat, potest persuasione frenari; sic nec irascibilis non percipiens vllo sensu persuasionem. Vidimus autem statim persuasam sedari, vt Populus Romanus oratione Menenii Agrippæ: ergò ipsa rationalis est irascibilis: similiter argumentamur de concupiscibili, cui ratio suadet, vt patet in continentibus, & Dauid aquam appetitam libauit Deo: vnde ait Ambros. non possumus prohibere, ne insurgant cupiditates, sed frenare surgentes imperio Rationis. Tractare quoque artes victui deseruientes, curare cibum, segregare purum ab impuro, procurare coitum cum pulchris, vt generatione æternemur, horúmque delectus, non nisi sapientis est facultatis. Cognoscere Veneris vires, & tractare cum amasia tot syllogismis, quibus, & bruta, & nos vtimur in huiusmodi, profectò suadent Appetitiuam esse rationis participem: sentire enim nemo neget, cum non nisi in cognitum feratur appetitus. Præterea irasci est vindictæ appetitus materialiter: non ergo ab appetitoria separatur.

Præterea quid continet vnitas has animas? quærit Arist. non corpus, quia continetur, vnde putrescit abeunte Anima. Non Anima, quia triplex dissidétque. Valet ratio hæc plus contra Galenum: nam Plato consensum dat irascenti, & appetenti, ergò & sensum.

Præterea eadem res est, quam appetimus, & propter quam irascimur, & quam ratione auersamur, vt patet: oportet ergò eandem esse animam irascentem, appetentem, & cognoscentem, vel idem obiectum à tribus animabus cognosci: ergò omnes sunt cognoscentes. Nec sufficit cognosci, sed oportet etiam, quod irascibilis sciat, quod appetitiua illam cupit, & noscat rationem, qua rationalis auersatur: si ergò & obiecta, & se mutuò cognoscunt, palam est, eandem esse vitalem, & delectabilem, & sentientem; hancque esse spiritum, vt docet, loquiturque S. Ambros. hæ rationes etiam valent contra Aristotelem ponentem nutritiuam, quæ est ipsa concupiscibilis, insensatam.

Sed interloquendo quæro, vtrum Aristoteles condemnans Platonem, meliora tradiderit? profectò non videtur aliam vnitatem addidisse Animali, nisi, quod has animas in eodem subiecto posuit, omnes nimirum in corde, addirque aliam motiuam, aliam deliberatiuam, aliam intellectiuam, aliam imaginatiuam, appetitiuam, quæ, inquit 3. de Ani. tex. 53. plus differunt, quàm concupiscitiuum, & irascitiuum: sed si, inquam, plus differunt, & aliæ sentiunt, aliæ non, quomodo illæ his suadent, & imperant? quomodo nutritiua regitur in discernendo alimento absque sensu? & quid facit eas vnum? non cor, quia corpus continetur, non continet, vt ais. Item quomodo ad cibos multos

magnum calorem adhibet in ventriculo, ad paucos exilem, tanquam peritus coquus? Mirum præterea quod alia ſit appetens, nutrienſque, cum neque ſine appetitu nutriat, neque ſine ſenſu appetat. Appetit enim, quod nouit. Quod verò iſtæ animæ non ſint cordis temperamentum, neque virtus, ſed ipſe ſpiritus, dictum eſt in præcedentibus, & cum, in Anima ſit forma, diſputatur.

Item Ariſt. in lib. Ethic. volens diſtinguere morales virtutes ab intellectualibus, vtitur Platonica diſtinctione de Concupiſcibili, & Iraſcibili, & Rationali, neſciens aliter virtutes diſtribuere, quoniam ſutabatur, non philoſophabatur.

Item in 3. de Ani. tex. 46. dicit, quòd *non eſt intellectus vis motiua in animali, neque cum ſpeculatur fugienda, & ſectanda, ſed cor mouetur in terribilibus: ſi autem delectabilia, pars aliqua alia*) Quibus in verbis fatetur ſe neſcire circa hoc ſecus philoſophari. Nam & motu cordis iram, & alterius partis concupiſcentiam fieri docet, quam partem non expreſſit, ſed iecur dicendum erat cum Platone, ſed dubitauit, aut noluit illi apertè ſubiici, ergò neque meliora dicit, neque eadem æquè benè.

Hoc autem neque ferendum, quod Appetitiuum à Nutritiuo, & ſenſitiuum ab imaginatiuo differre plus dicit, quam Iraſcitiuum, & Concupiſcitiuum. Nos autem oſtendimus, quod quæ pertinent ad eandem Primalitatem, plus ſibi conueniunt. Pythagorici ergo, licet Primalitates non agnouerint, melius diſtingunt. Animoſa enim pars Potentiæ, Rationalis ſapientiæ, Appetitiua Amori correſpondent, vti patet. Ariſtoteles autem, quæ ad ſapientiam ſpectant, valde diſſidere putat inter ſe, & magis quàm ab illis, quæ ad aliam Primalitatem, & ſic de cæteris. Agnoſcit etiam in tex. 53. contrarietatem appetituum cum Platone, & diuerſis animalibus tribuit cum eo, nec tamen diuerſas facit animas, vult enim vnam, & tamen nec reſpondet, vndenam iſta contrarietas. Deſperauit ſanè Platonis ſatisfacere argumentis, & nunc illi adhæret, nunc longè illi adlatrat.

Ad rationes Ariſtotelis reſponſum eſt in quæſt. 34. & quod non in corde, in Articulo præcedenti.

Ad primum Plat. & Galeni Reſp. euenire in hoc contrarium, ac dum nauigantes turres moueri putamus, nil enim differt obiectum ne, an potentia moueatur. Nunc quidem quoniam in obiecto eſt diuerſitas, videtur eſſe in potentia, quod etiam Auguſt. contra Manichæos plures in homine ponentes animas, admonuit. Non enim quæ verè bona eſſe ſcimus, nunc & ſemper, ingerunt nobis diſſidentiam: ſed idem conſulimus, appetimus ratione, & Amore, & ſectamus animoſitate: vt vitam, diuitias honeſtas, & huiuſmodi. At multa antequam innoteſcant nobis ſint ne prorſus bona, an miſta malis, tunc rationibus hinc inde altercamur, vtrum ſectanda, an declinanda ſint; vt vtrum nauigandum propter lucrum, vbi lucrum inuitat, periculum amouet: tunc videtur appetitus cum animoſitate pugnare, & cum ratione. At mox vbi penſatis argumentis hoc eſſe faciendum, quoniam pericula non obſtant, tunc nulla diſcordia, quaſi eadem anima ſic fluctuet, & ſedetur. At ſi eſſent contrariæ, & aliæ inſenſatæ, alia ſenſata, nunquam hæc illis ſuadebit, vt relicto proprio bono, ſequantur alienum. Igitur iſta diſcordia non arguit plures animas, vt putat Plato, & Ariſt. ſed obiecti miſtionem ex malo & bono præſenti, vel futuro. Auerſatur appetitus agriculturæ laborem, Ratio ſuadet ex bono futuro, exequitur Animoſitas perſuaſa: ſimiliter & cupiditas. Igitur eadem Anima eſt, ſed triplici Primalitate conſtat, non diuerſitate ſubſtantiali diſſidens. Patet hoc etiam in ſolo intellectu, quando conſiderat vtrum verum ſit moueri tellurem, an ſolem: tunc videas vnicum intellectum fieri quaſi duos, hinc rationibus Pythagoricis, illinc Teleſianis diſcerptum: cum autem benè perſerutatus fuerit, acquieſcit vni opinioni, videturque iam factus vnus. Non ergò duo intellectus, neque tres animæ, ſed vna eſt in bruto his tribus inſignita Primalitatibus: ſed in homine quoque triplex ipſe ſpiritus, cui addo ſuperiorem rationem, & fit quadruplex, & tamen duæ tantum ſubſtantiæ. Scotus autem tres ponit, alii vnam; ſed non video poſſe ſaluari, quod illa vna ſit ſimul rationalis, & irrationalis: hanc etiam repugnantiam video in cane, qui vult carnem rapere, & timet baculum: tunc fluctuat inter æſtimatiuam, & animoſam, & appetitiuam, & tamen vnum ſunt in ſubſtantia, vt dixit Ambroſ. ſed Pri-

malitate triplici nos eam constituimus,non essentia triplici. Dicerent Peripatetici triplici potentia. Nos vnam rem potentem Trinitatis vestigio ornatam,vt in Metaph. Propterea que irascitur homo contra se ipsum,quoniam relicta ratione meliori,consentit peiori; omnéque peccatum in hoc fit, quod maius bonum melioremque rationem minori bono,& deteriori rationi supponimus.Hoc autem non fit nisi consensu voluntatis superioris,quando est peccatum formaliter,& punibile. Ira contra inimicum ratione fit ordinaria,qua contra malum pugnare oportet; sed ratio melior est, vbi ait, ne malum maius sequatur à Deo,vel à iustitia,vel ab hoste: similiter rationalis est appetitus frigidæ, quoniam contra ardorem,sed ratio melior resistit,ne perimatur calor natiuus.

Ad secundum,falsum supponitur: non enim cor,sed spiritus in ira accenditur, spiritus enim percipit contemptum,& influit in neruos vlturus: tunc non cor modo incalescere,sed neruos intendi,oculos turbari,extrema tumescere, & rubescere; prius tamen pallescere spiritu aufugiente,mox collectis viribus exeunte, & sanguinem simul excitante partes extremas rubere videas. Neque nos iram in corde, sed in animo præsentimus, & in cerebro; necesse autem in cor quoque, vbi multus est spiritus & calor, communicari, & excitari.

Falsum est,quod in iecore sit cupiditas,sed est in spiritu, qui etiam inest iecori: nam sola imaginatio potest facere appetitum; sed tamen magis in ventriculo, vbi fit fames,& sitis Galeno,& Aristoteli; fames enim est appetitus cibi, appetitus non potest esse sine sensu,ait Aristoteles. At Galenus docet esse sensum suctionis ex extremis corporis vsque ad ventriculum communicatæ: ergò appetitoria sentit, & Galenus sibi mentitur: si autem ista ratio esset vera,oporteret quoque aliam animam ponere in testiculis,vel in genitalibus. Nam,vt ait Plato,est veretrum animal quasi alterum per se non exaudiens rationem; & profectò plus discordat à ratione,quam irascitiua,aut appetitoria. Proptereaque Latinè vocatur Mentula,quasi parua Mens,à nullo dependens. Aduersatur & irascibili, nam sanctus Franciscus contra Mentulam irascitur, vocatque eam fratrem Asinum: & multis id contingit. Item contrariatur Appetitiuæ; cum extenuati macie vis nutritiua vult alimentum retinere pro corporis substantia: Mentula repugnat,& vult excernere ad sui voluptatem. Cur non posuit Plato quartam animam,nec Galenus? qua ratione nón posuit,eadem & ego secundam,& tertiam nego. Non ne & ventriculus in fame canina aduersatur nutritiuæ,& irascenti, & ratiocinanti? sæpè quoque sola gula post saturitatem, quasi alterum animal aduersatur illis tribus Platonicis. Nemo enim ignorat obesse nutritiuæ, vbi superfluitatem, & cruditates noxias facere. Cæteris autem patet.

Item renes videntur alterum animal, vnde in scriptura sancta habet prærogatiuam super iecur,semper enim Deus dicitur,*scrutans,renes,& corda*,non autem iecur.

Item, *propè Es*, ait Ieremias,*ori eorum,& longè à renibus eorum*; quasi renes aliquid ipsius animæ magnum possideant: non ergò rectè,vel non sufficienter philosophantur veteres.

Diuisio per collum,& septum transuersum,nil suadet: nam & testes magis dissiti sunt sub peritoneo: hæc diuisio ad vasorum commoditatem facta est. Collum vt teneat arcem sapientiæ eleuatam,ait Ambros. benéque dictum; ne nimiis vaporibus spiritus propè à speculatione infestetur. Diaphragma verò, vt cor contineat fontem caloris: sunt enim vasa plura in eadem domo,non tamen plures vtentes Domini, sed vnus, continuatus tamen per omnes corporis partes,vt possit simul plurima obire munia. Puto etiam præter sensum spiritus inesse singulis membris proprium sentiendi modum pro sua temperie,vt aliter ossa,ac caro,& neruus,& sebum,sentiant. Idcirco medicinæ sunt variæ illis,vt temperatura docuit: sed iste sensus est naturalis, sensus autem animalis in spiritu est. Ipse enim animat.

Fabulosa illa philosophia nil probat, nisi quod melior pars est caput; pectus verò est post ipsum,pars inferior vilior est: sed Capra, & Leo, & Homo sentiunt: ergò licet partes variæ temperiei,vnicus tamen est spiritus sentiens, sed melius hic, atque illic. Respublica quoque nobis fauet,neque enim opifices,& milites,& iudices vnum Reipub. corpus conficerent,nisi eiusdem essent legis,& linguæ,séque mutuò intelligerent, & iuuarent: eiusdémque speciei,& substantiæ essent: non enim facit Rempub. bos cum asino, & ho-

nunc,& planta rationales oportet esse omnes: nam & Apes expellunt degeneres.

Ad tertium doctè S. Ambros. vt dixi in hoc articulo. Non enim tres temperies viscerum tres animas facit, nec dissidentes cum Platone, nisi intellectum, & spiritum cum Apostolo; quem tamen spiritum in nobis, & in brutis ponit sensitiuum, & vitalem (id est animosum Galeni) & delectabilem, id est appetitorium. At ex sensitiuo spiritus, & rationali animæ superioris, efficit hominem, ex vitali Leonem, ex appetitiuo bouem: vt sit triplex, non tamen triplicitate Platonica. Addit tandem Aquilam, quæ est facultas hominis diuinior in intellectu posita ad cælestia, diuináque volitans per Religionem, & Arcanorum Dei notitiam; & hanc esse maximam differentiam hominis à brutis, docuit & Chrysostomus, & Osius Cardinalis, & Lactantius, & nos in Metaph. & Bernardus in Cant.

Ad quartum, inconstanter nedum falsò Galenus venarum, & arteriarum principia in capite non ponit: ipse enim contra Arist. in lib. de semine arguens, quod non debuisset ex sanguine efficere os & neruum, & venam, exangues, sed ex semine exangui albóque; cor verò, & iecur ex sanguine, cui similia sunt: nunc, vt tueatur triplicem animam contra veritatem, ex sanguineo corde arterias facit, & venas ex iecore rubro. Nos autem veritatis, & Chrysostomi dogma tuentes non assentimur. manifestè quoque Arteria vocalis è cerebro Originem trahit; & si valet ratio Galeni, ergò crassities multa eiusdem in capite, & ramificatio in pulmone deorsum id astruunt: sed neque ratio hæc valet pro Galeno. Possunt enim oriri velut riui in principio exigui, & postea dilatari, vbi opus est haurire sanguinem. Concedo officinam sanguinis iecur, spiritus cor, atque arterias, venásque, in his propter id ipsum dilatatas fuisse, ex cerebro tamen ortas.

Nec tria munia illa, motúsque faciunt triplicem animam: spiritus enim natura mobilis semper mouetur, nec potest sibi imperare, vt non se moueat; nec voluntas, vt non velit, nec intellectus, vt non intelligat; quod enim naturale est, coæuum, perpetuumque est ei, cuius est naturale, vt diximus: motus autem, qui non est operatio naturalis, sed vectatio corporis, potest intermitti: non enim naturale est vectare, sed laboriosum: iuncta sunt enim subtilia, crassáque: mobilia, immobiliáque in homine. Illa semper mouentur, hæc quiescunt. At vectantur aliquando, non mouentur, quatenus spiritus per impetum suam communicat illi motionem quorsum opus est ad vitam vtriusque. Nec propterea non sit spiritus sentientis, quia non potest intermitti: nulla enim res suam intermittit naturalem operationem, neque Deus: semper enim intelligit, amatque expressiuè in se tamen, nec propterea non sapiens, aut inuitus sit.

At quod pulsus à spiritu sint animali, inde patet, quod affecto capite in lethargo, & Apoplexia, pulsus languet, & cessat: ergò idem spiritus capitis pulsabat; nunc autem suæ succurrit vniuersitati: dicunt Medici imperiti, hoc fieri non per essentiam, sed per consensum. At, inquam, si cor consentit, ergò etiam sentit, si condolet, ergò & dolet; prius enim hoc, quàm illud: ipsi verò quendam consensum sine sensu inuenerunt, vt si moto baculo, mouetur ferrum: sed hoc fit ex contiguitate & impulsu. Cor autem, & arteriæ ex sola alterius effusione, quæ non mouet, sed quietat effectum ens.

Præterea in Amore vehementi, & considerationibus, & animi perplexitatibus, videas pulsum mutari sola imaginante anima sic affecta, non corde: ergò imaginans spiritus est causa pulsatrix, non venæ arteriæque insensatæ, vt Fernelius putat: neque cor stupidum, vt Galenus. Agnouit hæc Erasistratus in Amore Antiochi erga Nouercam. In peripneumonia quoque pulsatio intermittitur ex parte, ne pectus, & pulmo lædantur. Fit ergò cum ratione, & sensu. At non cessat vnquam, quoniam necesse est semper spiritum nutriri, quoniam semper exhalat: si autem intermitteretur pulsatio in sanguine, qui est alimentum spiritus, vt dicebat etiam S. Ambros. periret Animal. Neque hoc potest sibi imperare natura, sed insania.

Rationes Galeni, quod pulsus sit à corde.

Galenus autem à capite non esse docet, quoniam omnes arteriæ simul pulsant cum corde, non cum respiratione, vt dicebat Asclepiades: neque ex bullitione sanguinis, vt Arist. bullitio enim non potest esse æqualis in omnibus, & eodem simul tempore: ergò à corde influente pariter virtutem pulsificam, vt cerebrum motiuam: probatur etiam, quoniam intercepta filo arteria non pulsar in parte ad caput continuata, sed in ea, quæ ad cor.

Respõdeo, spiritum pulsare, quoniam sanguinem influentem ex corde in systole, quasi

grauantem se, amouere vult, & simul stringit arterias, vt resudet, & fuligines eiiciat, & renuitatem spiritalem faciat: mox dilatat se ipsum effundens, augénsque, & tunc sanguinem iterum oportet influere, vnde noua compressio exigitur. Quando ergò arteria intercipitur, non influit sanguis, & spiritus cessat ab illa pulsatione ob hoc, vel ob timorem ex discontinuatione. Oportet ergò omnes fieri æquales, simúlque; quoniam omnes simul a corde sanguinem accipiunt, vt in textu diximus. Ideo ergo vix pulsum intermittinius, nisi in apoplexia, quando spiritus succurrit totalitati suæ, in v. lib. Medic. ostendimus plura contra Medicos circa hoc ibi vide. At nutritionem ab eodem esse spiritu, indicant passiones sensus, quæ illam impediunt; similiter & studia doctrinarum: quomodo autem res stupida in ensata relinqueret opus naturale, vt literis vacet? remanet calor, spiritus in fibris viscerum irretitus At principalior pars ex capite est. Ideóque munus relinquens hoc per illud, alitionem haud benè exequuntur; hinc febres putridæ, vt digerentur excrementa, & crassities attenuetur, vt suo loco dicemus: semen cum spiritu imaginante emitti docet in textu expressa similitudo imaginantis.

Item si quid terriculosum adest, veretrum flaccit: similiter si pudor, & honor contradicunt; signum, quod idem spiritus, qui honorem curat, & cognoscit, ista exercet; non tamen audit rationem, quoniam flatus multus allectus non potest cohiberi, nisi vehementi passione. Neque enim cum quid magnum recordamur, possumus non cogitare, quamuis cupiamus non cogitare de illo. Calor vasorum, & pruritus vrgent, spiritus accurrit, nec facile, nisi ex multa consideratione reuertitur ad superiora: hinc patet vera doctrina textus ex dictis etiam sancti Ambrosii, quod omnes motus potest anima rationalis mitigare, & non extinguere; alioquin, nec meritum, nec demeritum interueniret: sensum autem exquisitissimum esse in pudendis nemo neget, vt nimis indoctè Arist. & Galenus non sentienti animæ Veneris negotia commiserint: omnes ergò motus vel ex parte intermittimus, vbi maius opus interuenit vrgens.

Respirationem verò, quoniam non ad spiritus alendos, qui continuo decedunt, sed ad calorem cordis retinendum, regendúmque fit, potest intermitti: sed non adeò, ne suffocetur animal: de hoc infra, nullus tamen motus horum absque sensu, vt dictum est, spiritúque, licet iussio non impediat, quādo furilis est, nisi per passionem maiorem, quàm executio nutritionis, & generationis. Membris corporis spiritus non imperat: ideo nec operationibus communibus satis vt propriis.

Ad quintum & sextum Galenus indignissimè ex insensatis, immobilibúsque temperiebus elementorum insensatorum, educit facultates, & animas tam nobiles: spiritum verò mobilem, & sentientem, qui promptè se se offert animantem, mouentem, sensificantem, organum facit stupidarum naturarum: hoc autem suo in loco disputatum est, & neruos omnes perforatos esse, & spiritus, non facultates inambulare per illos; nec posse facultates, nisi elementares ab elementis temperatis fieri: ergò vel calorem, vel frigus; hoc non mouet, illud solum calefacit, si tenuitati nō insider; ergò spiritum tenuem asserat: sic enim & illi, & Hippoc. natiuus calor, & anima sæpè nuncupatur: spiritus autem omnes esse animales, differréque sola crassitie, tenuitate, & caloris copia, patet, quoniam ex eodem sanguine fiunt omnes ab eadem anima. Dicimus autem, quod temperie fracta, si erat anima, periisset adolescens: sed spiritus inerat, qui in spinam, & cerebellum ob metum secesserat, reformatúmque in cerebrum est reuersus.

Ad septimum non rectè arguit, nam ex sola spiritus afflictione non perficitur nutritio. Item affecto ventriculo: ergò non ex solo iecore, sed ex illo quatenus est fons sanguinis: ex spiritu verò quatenus causa actiua sanguinis: ex ventriculo tanquam ex præparatiua: læso tamen capite, omnes functiones læduntur. Animosa quoque non solo ex corde læso languet; sed etiam ex imaginatione, & quacumque spiritus affectione afficitur: palam est animam imaginantem timere, & irasci, non cor.

Ad octauum peruersè concludit: honor enim, & imperium, quæ dat cordis temperiei insensatæ, & immortalitas, & pulchritudinis perceptio & amor, quæ dat iecori sine sensu: non nisi rationalissimæ substantiæ dari debent, quæ etiam non entia imaginati valeat, & insensibiles res, qualis honor, æternitas, iniuria, negotiatio, vt dictum est, hæc omnia à spiritu tractari, dictum est sæpè.

Ad nonum, ponunt Doctores animam à Deo infusam pro viro, spiritum animalem pro muliere, carnē & sanguinē, ex quibus est spiritus pro serpēte: sic Origenes, August. & citatus Ambrosius: licèt non sint animæ: qualiter autem Ambrosius ponat in eadem substantia animæ sensum, irascibilitatem, & delectabilitatem, declaratum est: & quomodo non fauet Galeno, sed repugnet.

Apostolus verò non ex ratione Platonis probat Menti repugnare carnalem spiritum, sed ex his, quæ non potest humanus sensus cupere, nisi à Deo doctus: non de præsentis conseruationis obiecto est concertatio: sed spiritus carnalis cupit caduca bona, Mens æterna bona, quæ neque oculus vidit, neque auris audiuit. Ideóque spernit totā vitam corporalem diuiniori inhians; quasi altera illi conueniat vita, quę carni non agnoscitur. Ideóque prudentia carnis legi Dei non est subiecta; neque enim potest. At Galenus, & Plato tractant de bonis præsentibus, in quibus spiritus carnalis persuasione assentitur: nouit enim. Ideóque vna substantia potest disputare de obiecto misto temporali. At nunc cum penitus contraria obiecta, & huic vitæ ignota Mens humana a Deo edocta procuret, vtique indicium est alterius esse substantiæ, alteramque illi vitam conuenire, quæ carni non competit: non enim regnum Dei possidebit, teste Apostolo: instaurabitur tamen à Deo in meliorem sensum: qui tamen ipsi suaderi non potest, neque sui gratia dari, sed Mentis. At ex hoc nos immortalitatis animorum argumentum traxim is magnum: quomodo enim procuret æternum, quod sibi non conuenit? Neque bruta sunt adeo stupida, vt de impossibilibus negotientur, sed vnumquodque secundum suam propensionem afficitur, & operatur: ergò & magis homo: vide Antimachiauellismum. Cætera spectantia ad hanc quæstionem habes in Apologia contra Galenistas, & hæc luculentius &c.



QVÆST. XXXVII.

APOLOGETICA PRO PHILOSOPHIS ANTIQVIS.

NVnc autem quærere oportet, vtrum antiqui omnes nobiscum senserint, Animam esse spiritum tenuem, mobilem sensitiuum, se ipsum mouentem, ac proinde corpus mouentem, & sensificantem, & insidentem, vt habitator non vt forma: oportet autem hæc singillatim quærere ne confusio subrepat, & quam irrationabiliter Aristoteles opiniones veteres refutauit, nec de Anima quid sit, & vnde sit physicè ostenderit quidpiam.

Vtrùm omnes, & singuli Philosophi meliora tradiderint de Anima brutorum, quàm Aristoteles: consentiantque omnes esse spiritum tenuem, mobilem, sensitiuum; non autem formam corporis.

ARTIC. I.

1 VIDETVR, quod non, omnes enim posuerunt animam esse elementum attenuatum, mobile, sentiénsque, vel ex elementis harmoniam. Nos autem reprobauimus in quæst. præcedēti asserentes harmoniam. Qui autem dicunt, elementum, vel ex elementis, videntur non posse reddere causam operationum animæ: siquidem recordari, appetere, dolere, gaudere, cogitare, sentire, vouere, non insunt elementis, insunt autem animæ: ergo &c.

2. Omnia elementata essent animata, quoniam participant illo elemento. Præterea anima non moueret corpus, nisi sursum, aut deorsum, quemadmodum elementa. *Argum. Arist. cót.*

3. Item Plato stulte videtur posuisse animam esse numerum se ipsum mouentem. Numerus enim in genere quantitatis est. Anima verò substantia est. Item quomodo numerus sentiet, aut lætabitur, aut cogitabit? *Antiquos in 1. de an.*

4. Critias, qui sanguinem esse dixit, videtur stultè locutus, sanguis enim non sentit, nec mouet, sed mouetur.

5. Anaxag. qui intellectum omnia mouentem facit, & vbique; cogitur illum in brutis ponere. At hoc non potest esse, tam imprudentibus adesse intellectum. Imò nec omnibus hominibus inesse putandum est, ait Arist.

6. Thales videtur eadem Anima animare vniuersa: hoc est impossibile, cum alia sit hominum, alia brutorum, lapidúmque nulla.

Peccat idem peccatum Varro, & Plinius, & Virgilius, qui eadem naturali Mente Anima rerum in cunctis vtuntur: similiter Parmenides, & Stoïci, neque enim tantæ diuersitatis rationem reddunt. Imò Pythagorici ob hoc ipsum transmigrationem faciunt animarum etiam ferarum in humana corpora, nihil enim differunt si ab vno principio. Hi præterea neque quo pacto moueat anima, docent, quibus est incorporea, nec tamen forma corporis; non enim posset separari, sicut nec forma aquæ ab aqua, absque vtriusque corruptione.

At è contra Aristoteles faciens Animam Entelechiam corporis, & diuersarum potentiarum, & simplicem substantiam, reddit rationem sensus, & motus: mouet enim quatenus forma, vt forma ignis mouet ignem, non tamen se mouet, quoniam non subsistit, nec reuertitur ad cadauer, quoniam cum subiecto suo omnis forma dissoluitur: sentit verò, quoniam est potentia talis, vt omnia fiat, atque patiatur. Hoc enim est de ratione eius. Inconuenientia autem, quæ antiquos tangebant hîc nulla conturbat.

SED Contra est Moyses, qui Animas bestiarum ex elementis iussu Dei producit, & alibi, sanguis earum pro anima est, & S. Ambros. lib. de Noe c. 25. exponit, quod spiritus, qui est cum sanguine in arteriis, sit verè anima brutorum secundum Moysem, non autem Entelechia Aristotelica, damnátque ibi Aristotelem, & in epist. 21. ad Horontianum, & in lib. de Isaac cap. 2. vbi neque aërem, neque ignem, neque sanguinem, neque Harmoniam esse animam, neque Enthelechiam docet: & quidem loquitur tunc de anima humana, nam de ferina iam dixerat in Noe esse spiritum in sanguine. At si humana non est Enthelechia, multo minus bouina, vt videbimus in quæst. de homine. *Gen. 1. Leuit. 17.*

Quod autem omnes philosophi Animam esse spiritum agnouerint tenuem expansúmque per corpus in cerebro habitantem, manifestum esse potest ex dictis. Aristoteles ait enim in primò de Anima, omnes posuisse atomos, aut numeros, esse animam; hosque idem esse: qui verò ignem, aut aquam, aut aërem, aut compositum ex his, tenuitate, & modificatione illud affecisse: vnde concludit in tex. 34. *Definiunt omnes Animam tribus, vt ita dixerim, motu, sensu, & incorporeo: horum autem vnumquodque reducitur ad principia*, &c. Vbi pro incorporeo intelligit tenue, vt alias exponit: neque enim ignis Heraclito, & atomi Democr. Aër Diogeni, & Aqua Thaleti, incorporea sunt, ex quibus quisq; animã facit.

Præterea sensum, & motum, & incorporeitatem ad principia quemque sua referre enunciat: ergò in elemẽtis, ex quibus anima est, quisque sensum posuit, & motum, & corporeitatem attenuabilem: nam & Epicurei, qui ex insensatis atomis faciunt animam, referunt sensum ad eadem principia, sicut ex non coloratis faciunt colores, referendo ad figuram, sitúmque eorum. Quod autem subsistentiam dent spiritui omnes, palam est, includunt enim in corpore Animam, non inducunt tanquam affectionem, & formam, quasi rectitudinem in ænea sphera, vti Arist. facit. Concordant ergò magis scripturis sanctis, quam Aristoteli, quæ etiam exire spiritus ex corporibus enunciant: *Auferes*, ait Dauid, *spiritum eorum, & deficiunt*. Et Moyses effundi cum sanguine dixit: non secus, ac Virgilius, *rubram animam cum sanguine fudit*. Dilabi etiam, sicuti fluuius aquæ, proprium est spiritus animalis, quod pronunciat Thecuites coram Dauid: nam de morte loquens eam spiritui mortali adscripsit, non menti per omnia: sic Plato paulatim exhalare spiritum monet, & in senio mortem esse iucundam. Arist. autem nullo pacto potest animæ exitum dare, sed *Psal. 103. Leuit. 17. 2. Reg. 14.*

corrumpi cum corpore, vti forma aquæ, aut lapidis cum lapide. Nos in auram abire & euanescere cum sacris literis, & Philosophis, & Poëtis consentimus; quod Anima non sit Enthelechia suo loco rationes afferentur.

11. sup. Genes. cap. 8. & seq. Sanctus Augustinus quoque spiritum corporeum ponit in homine, ac Mentem incorpoream, vt sint tria, Mens, spiritus, & caro, id est vir, mulier, & serpens: & probat ex Apostolo: *Si spiritus orat caro orat*, quia spiritus ex carne, *Mens autem superuacua est*.

Item ex Origene talis allegoriæ inuentore post Philonem: sed suis locis ista dicentur clarius. Chrysostomus super epist. 1. ad Thess. cap. 4. spiritum in cerebro habitantem, & per neruos discurrentem dicit, loquens de animali, non de humana anima, quam in homel. contra Anomeos incorpoream facit. Lactantius idem statuit disputans de Anima cum Varrone: similiter Ambros. in præfatis locis, & Gregorius Nyss. lib. de Opif. hom.

Ad primum Resp. quod qui Animam esse Harmoniam dicunt, saltem causam reddunt essentiæ eius, quoniam elementa mista in tali temperie assignant: quod & Galenus facit, dum & calorem natiuum, quo pro anima interdum vtitur, ex elementorum componit qualitatibus: & aliquid Physicum ducit; redditque positionis causam, & experimenta, dum medicatur, tanquam si calor ita se haberet. Alij autem loquuntur de Harmonia metaphoricè, quoniam persimilis est illi, quod & S. Ambros. non semel facit comparando. Attamen assignant modum suæ positionis, quod Arist. non facit: solum dicendo esse actum corporis organici: sic enim non nisi, quod in tali subiecto sit, docemur: neque enim quia dicitur lux diaphani actus, scimus, quid sit lux: neque quia prudentia est in anima, scimus ex hoc, quid prudentia. cæteri verò qui elementum aliquod attenuatum pro anima posuerunt, assignant aliquod Physicum, animæque substantiam. Arist. verò solum subiectum. Quod si videtur Aristoteli non posse eos assignare rationem operationum, longè minus videtur Aristoteles, quomodo enim anima immota moueat, & det, quod non habet? & quomodo insensibilis actus elementati corporis sentiat, & intelligat extra corpus, nullo pacto nos docebit, vt infra videbimus, nec quomodo nutriat, appetat, & generet, & discurrat immota res dicet, & ex insensata emergens elementarione.

Ad secundum concederent omnia esse animata, vt Thales, & Plato, & Varro, &c. hoc est sentire, & moueri, vt declarauimus in quæst. præcedenti. At & Aristoteli hoc idem accidit: si enim forma est corporis elementati, tunc omnia elementa organizata sentirent si dicat, quoniam talis forma non in omni elementato, sed cuilibet iuxtà temperiem suam idem dicet Galenus, & Empedocles, & Alexander, & Heraclitus. At non rectè: sic enim temperiei actus erit, quod nos, & Aristoteles negamus: licèt Aristoteles id non possit effugere, quando aliunde non adducit nobis animas, quàm ab elementis. Nec sequitur, quòd non nisi sursum, aut deorsum moueat spiritus: sed cum sentiat, iuxtà necessitates mouebit, vt fugiat, aut sequatur: hac enim ratione elementa ad sua loca, ab inimicis feruntur, nihil vectantes, spiritus autem domum vectat suam, & quò sibi, ac illi vtile est, mouet: solus autem vbi est, sursum in aërem exhalat.

Ad tertium non adeò errat Plato. ipse enim duo in anima agnoscit motum & cognitionem. Cognitio autem omnis numeratio est, nam metimur vires rerum, & magnitudines, in cognoscendo, vt infra patebit: ipsáque mensura, & pondus numero notarum vnitatum cognoscuntur. Quapropter ex hoc, & quia numerosè, seu rationabiliter mouet quantum: & vbi est opus, non autem temerè, rectè videtur animam vocasse Numerū se ipsum mouentem, id est Rationem, exponitur Græcè: hanc autem vbi cunque est tatio, & ordo, esse vult. Ideóque maximè in cælo, tanto ordine circumuoluto, neque enim temerarii casus, & elementi indocti est tanta Harmonia, & Ratio. Igitur meliora dixit Plato, quod & Augustinus, & Chrysostomus, & Ambros. & Iustinus, & Origenes, & Gregorius Nyssenus contestantur contra Arist. pro Platone: imò & in Const. Apost. hæc definitio comprobat animæ immortalitatem. Cum enim Plato aliquid elementis melius posuerit animam: quod & nos volumus, ex Primalitatibus illam essentiantes, licèt in brutis sit in spiritu talis essentialitas; nec nomen habuerit, quo discernatur, rectè vocauit ipsam Numerum: non de genere Quantitatis vt Arist. garrit: sed transcendentalem: qui cum ente conuertitur, & idem est, ac si dicat essentiam se ipsam mouentem, & Rationem se ipsam mouentem. Vt autem expressius essentiam eum notitia diceret, dixit Numerum se mouentem, ada-

ptat etiam diuersos numeros diuersis operationibus eius qui sunt intelligere, sentire, opinari, scire, appetere, quod Arist. concedit, & circulo mouere etiam; dum intellectum mouere appetitum, & appetitum mouere è contra intellectum, circulo quodam in 3. de Anima nos docet. Accersit Plato aliquid diuinum prius elementis. At Arist. ex illis stupidis quid fecit ponendo posterius? forma enim est finis generationis corporalis. Anima autem organizat corpus, & non est finis, sed causa, & principium.

Ad quartum explicauimus cum Ambrosio, & Hipp. intellectum Critiæ ex Moyse veriorem Aristotelico.

Ad quintum, mentitur, quoniam Anaxag. licèt vbique ponat intellectum, tamen vnicuique animali peculiarem dat animam ab intellectu diuersam, sed eius participio notitiæ capacem, & ipse Arist. testatur in primo de Anima, quòd Anaxagoras non semper vtitur intellectu, sed animas aliquando dat alias animantibus: sic qui ponunt animam mundi: de quibus dictum est prius.


Quod autem non omnibus hominibus insit intellectus, vt Aristoteles docet, impium est; inest quidem, sed non ipsum, sed sensum sequuntur aliqui homines ex prauo habitu, vel indispositione vt infra.

Ad sextum assignant veteres causam diuersitatis formationibus variis variarum specierum animalium, quæ participare vario modo ipsam animam Mundi, vel sensum rerum, aptæ sunt. Neque enim artem scribendi eodem modo participat papyrus, & corium, & lapis. Istique Philosophi præsertim Stoici, saltem docent, vnde sit anima, & quomodo sit particula diuinæ auræ: decepti credo ex traditione non bene intellecta quod Deus inspirauit spiraculum vitæ: putantes de sua substantia, & idem factum cunctis animantibus, quoniam respirant omnia aliquo pacto, & spiritum esse dicunt corporeum omnium, intellectum verò Deum abstractum.

At Arist. nil docet, vnde sit anima; nec quomodo elementa in mistis non accipiant formam talem, quæ sit anima; nec vnde sit tanta diuinitas: cæterum cum non posset, omissa positione, quam in lib. de anima dogmatizauit, transit ad dogma alienum in libro tertio de gener. Anim. quod calor sit omnium anima, ipseque sentiat, & viuat.

Ad Arist. dicimus, omnium minimè posse Aristotelem reddere causam motus, & sensus: neque enim forma corporis grauis, quale est animatorum, posset mouere tantis motibus, & tam citò suum corpus, cui inest, sicuti curuitas lineæ, & simitas naso; sed oportet aliquid à corpore non pendens, & per se mobile, dare motum; non enim dat, quod non habet, aut si habet, impeditur. Calor enim ignis mouet ignem, quoniam est natura mobilis ipse calor, & non impeditur à tenuitate ignis, sed iuuatur. Attamen ferrum ignitum non mouebit, multo ergò minus anima Aristotelica, quæ imbecillior calore, omnia consumente, est. At dicat vnde tanta vis animæ ex elementis emergenti castigatis? de sensu autem nugatur. Quomodo enim est potentia ad sentiendum anima, si ipsa est actus? potius autem corpus est potentia. Anima autem actu se ipsa scit; & non fit sciens ab obiectis.

Præterea vnde habet hanc potentiam, cum non à corpore, neque ab elementis: hoc declarandum erat Aristoteli, & non spernendum homines tanquam stupidos admiratores suarum ineptiarum: quis statim non reddet rationem vniuscuiusque rei hac via? Dicam enim interroganti cur lapis deorsum vadit? quia potentia est tale. Cur cælum circulo? quia potentia est tale: cur vere pluit? quia talis est veris potentia, hoc autem & asini dicent interroganti. Philosophi autem vndenam, & quomodo, & quibus, ex causis. Valeat nugator: in sequenti ista melius tractabuntur singillatim. Ergò Arist. non solum est alienus à sensu sanctæ scripturæ: sed prorsus suæ positionis causam reddere non valet. Antiquiores verò, & moderni, aliquid saltem assignant veri; aut verisimilis: neutrum Aristoteles; vt aduertit S. Iustinus. At amplius in hoc inquiramus.



QVÆST. XXXVII.

DE MOTIVA VI, ET MODO CONTRA ARIST. ET GALENVM.

Vtrùm ſubſtantia Animæ mouentis ſit corpus ſubtiliſsimum mouens corpus craſſum, vt veteres dixerunt; an incorporea forma corporis craſsi organici, vt Ariſt.

ARTIC. II.

1. NEGAT Ariſt. Animam eſſe corpus ſpiritale huiuſmodi. *Primo ſi enim,* inquit, *anima in eo eſt omni, quod ſentit corpore; neceſſe eſt in eodem duo eſſe corpora. Item*

2. *Illud ſubtile corpus conſtabit ex punctis, & vnitatibus, vti Democrito & Platoni congruit dicere: Siquidem numerus eſt puncta, & ſpherulæ Democriti ſunt puncta. At ſi à numero auferat quis aliquid, non remanet idem numerus. Plantæ autem, & animalia multa diuiſa viuunt.*

3. *Item habent magnitudinem: magnitudo autem non mouet, erit ergò aliud, quod mouet, & quod mouetur: quare ergò non potius quod mouet, & quod mouetur ſit anima, (vti Ariſt. ponitur) ſed potius ſolum quod mouet? Aphrodiſ. verò concludit potius formam ſpiritus, quàm ſpiritum eſſe animam, non enim omnis ſpiritus anima; ſed talis per talem formam.*

4. *Item ſi vnum punctum eſt anima mouens, hoc eſt vnitas vt Plato dicit; quam differen-*
Primo de anima. *tiam habebit ad alia puncta, vt ſit mouens, non illa? Item quid prohibet infinitas eſſe vnitates,*
cum ſint indiuiſibiles in eodem loco compoſsibiles.
Tex. 72.
Tex. 68. 5. *Item ſi puncta ſunt anima, omne corpus habens puncta erit animatum.*
& 69. 6. *Item quomodo ſeparabitur anima, cum puncta ſint inſeparabilia: non enim diuidun-*
Tex. 74. *tur lineæ in puncta.*

7. *Item non poteſt reddi cauſa voluptatis, doloris, ſenſus, & eorum quæ accidunt animæ ex punctis.*

8. *Item quid eſt faciens ipſa vnum? materia enim ſimilia ſunt elementa, & corpuſcula.*
Tex. 82. *Quod autem continet, anima eſt: ſiquidem continens principaliſsimum eſſe debet. Anima autem nihil præſtantius, neque antiquius, eſt enim intellectus Dominus ſecundum naturam: non ergò elementa tenuia, corpuſcula ſunt priora, ergò neque ſunt Animæ.*

Tex. 83. *Item neque omnia animalia mouentur, neque omnia reſpirant; non ergò ſpiritus, quia mobilis eſt, mouetque, anima videri debet.*

9. *Item ſequuntur abſurda iam dicta* in quæſt. 34. contra Thaletem, *quod ignis, & aër*
Tex. 84. *eſſet animal, & quod anima in animali eſſet ſimilium partium, ſicuti aër, & ſpiritus; at videmus*
85. *non niſi eſſe, cum ſit aliter in aliis.*
86.
87. & 10. *Item in 2. de gener. & cor. tex. 45. ſi Anima,* inquit, *eſſet ignis acciderent ei, quæ ſunt*
ſeq. *ignis ſecundum quod ignis: ſi autem miſtum, corporales, harum autem (videlicet animarum) nulla corporalis; non enim eſt corporis eſſe muſicum, & immuſicum, & obliuio, &c.*

11. *At in primo de ani. tex. 61. & ſeq. dubitat Ariſt. quoniam videntur iraſci, & timere, fieri ex motu cordis, & paſsiones eſſe corporales elementis adſcriptibiles: Vnde & cogitatio poſſet fieri ſimiliter moto corde, vel alio, motu locali, vel alteratione:* Tūc obijcit non eſſe ſic, *tum quia dicere animam iraſci eſt idem, ac ſi quis diceret texere, vel ædificare. Non ergò dicendum eſt animam iraſci, cogitare addiſcere: ſed potius hominem anima, non tanquam motu in illa exiſtente;*

sed aliquando quidem vsque ad illam, vt sensus; aliquando ab illa, vt reminiscentia ab illa ad motus, qui sunt in sensoriis, aut quietes. Item intellectus videtur innasci, vel aduenire alia substantia, & non corrumpi: maximè enim senio corrumperetur, at si senex acciperet oculum iuuenis, videret vt iuuenis. Quapropter senium non est, quia aliquid anima sustinuit, sed id, in quo, sicut in ebrietatibus. Intelligere marcescit alio quodam interius corrupto, cogitare autem, & amare non sunt illius passiones, sed communis, quod quidem destructum est. Intellectus autem fortassis quid diuinius, & impassibile est.

12. Prætereà Galenus in lib. de placitis Plat. & Hipp. moueri animal putat, motis neruis à cerebri temperie, quæ non est spiritus, sed forma cerebri; nec per spiritus in neruos influentes, sed per incorpoream facultatem, potest ergo anima incorporea mouere.

13. Item probat spiritum non esse animam, quoniam in quodam adolescente fracto cerebro potentibus exhalare spiritibus, restituta est sanitas per medicinam. At anima exhalante, nulla reliqua est vita.

SED Contra est S. Chrysostomus super Epist. p. ad Thess. hom. 11. dicens, *sicut spiritus, qui ex cerebro per neruos in corpus descendit, non omnia omnibus tradit*, & instrumentum spiritus esse cor: caput verò sedem, passim docet: loquitur de spiritu corporeo, quod & S. Ambros. in lib. de Noë citatus testatur, quod spiritus sanguinis est anima brutorum, vt dicit Moyses; qui etiam sæpè animam eorum vocat motabilem spiritum vitæ. Idem passim inuenio in omnibus patribus, ideo S. Aug. corpora crassa à subtilioribus moueri adstruit. Atque S. Thomas passim hunc spiritum agnoscit, sed tanquam instrumentum animæ, de quo postea: sic Ficinus & Platonici omnes, & S. Augustinus. Arist. quoque in Problem. Calorem natiuum vocat spiritum, qui intro, & extra mouetur tanquam per se animal. Nec motus causas reddere sciuit, nisi ab hoc spiritu. Similiter & Galenus, licèt aliquando organum, aut ministrum temperiei ineptissimè faciat. Prætereà palam est, quod anima est quæ intro refugit in timoribus, & extra expanditur in lætitia. Ipsa enim est quæ timet, & lætatur. At forma non potest moueri vllo pacto sic per se, sed cum corpore: spiritus ergò subtilis est anima.

2. Prætereà in exitu ad exteriora tumescit caro, oculi lucent, nerui intenduntur, quasi aliquis flatus inoperans effundatur in eis lucènsque: in mærore verò oculi exigui fiunt, turbidique relicti à spiritu, nerui laxantur, cutis deprimitur, vt & in venereo instrumento indicatur spiritus esse corporeos, qui sic præsentia inflant, absentia laxant.

3. Prætereà nil læsa temperie, aut forma, ex sola spiritus passione animal interit, aut patitur deliquium in summis hilaritatibus repentinis, aut timoribus; quasi spiritus per se animal sit.

4. Item influente humore intra neruum, aut intra spinam, occluditur meatus, & perditur motus: quod indicium est spiritum esse corporeum non potentem per obstructam viam pertransire.

Respondet Galenus, etiam lucem solis incorpoream, obiecto corpore non transire: sic & vis cerebri incorporea per neruos obstructos non transit: sed decipitur Galenus, lux enim non transit propter corpus, sed propter opacitatem infestam sibi. Nam vitra crassiora papyro transilit: si ergò aliqua vis incorporea à cerebro exit in neruos nequaquam retinebitur obiectu humoris: humor enim est transparens luci illi peruius, vel assignare debet quid, & qua ratione impedit facultatem illam. Item ex humido cerebro vis extensa incorporea non impedietur ab humore intra neruos, sed iuuabitur.

Item cerebrum res est stupida Galeno quoque: vires incorporeas haud habens ipsum corporeum. Nihil enim est in elementato cerebro, quod non in elementis, teste Galeno: vis ergò illa erit calor, aut frigus, aut humor, aut siccitas, aut mistum: si mistum ergò corporeum; si calor, quomodo exibit à frigido cerebro.

Item calor natiuus Galeno componitur ex quatuor qualitatibus, quarum duæ sunt materiales, & duæ actiuæ, ergò corporeus.

Item si dicat frigus esse facultatem illam, ridiculus erit: frigus enim tollit motum, non dat: si autem quid nobilius elementaribus qualitatibus emittatur à cerebro, dicat vnde nam habet id cerebrum, si non ab elementis; taceat ergo, & neruos perforatos agnos-

catur,& earum paſſiones percipit,diiudicatque; craſſiſſimis verò minus conſentit, quoniam minus patiuntur,aut minus continuantur ſpiritui: ſi autem anima eſſet forma totius, oſſa ſentirent,non ſecus ac caro,& nerui,eſt ergò habitator.

Ad ſecundum,corpus tenue non punctis, ſed continuatione expanſionis ſuæ conſtare puto. Neque ſola ramenta,quæ in aëre vidimus eſſe aërem credo:ſic enim longè plus vacui,quam pleni eſſet in aëre:ſed illa dico peruolitare intra tenuitatem. Nec cum voco Platonicè animam numerum,ex certis numeris atomorum compono: ſed dico numerum, quaſi eſſentiam & rationem cognoſcentem,vt declaratum eſt in articulo præcedenti. Demptis autem partibus animæ, ſi quaſi tota non demitur, dum remanet quanta poſſit mouere,& ſe reficere,animal non moritur. In curſu enim plurima pars ſpiritus exhalat,& in coïtu,& in vulneratis. At quæ remanet ſeſe reficere potens anima, ſolùm languet, donec reficiatur ſpiritus liber: implantatus enim nequit mouere: at nil in plantis, quoniam eſt irretitus magis,vt dictum eſt in quæſt. ſua,quarum partes diuiſæ etiam viuunt,donec ſpiritus egrediatur totus. Idem reſpondet Democritus,& Plato: ſed hoc probat animam eſſe corpoream: quomodo enim diuideretur,& permaneret? vide quæſt. de plãtis in hoc.

Ad tertium concedo magnitudinem in ſpiritu,motumque per ſe. Ipſe enim ſe mouet, nec mouetur paſſiuè,niſi per accidens moto corpore,vbi accidit,& ſe ipſum mouere paſſiuè,vt nautæ. Motus autem ſpiritus eſt operatio,& ideò non diſtinguitur in mouens, & motum: non enim calor,& tenuitas ſunt duæ res,ſed vna in ſpiritu: niſi per Metaphyſicam ſeorſum conſideres, Phyſica autem vnum ens facit ex materia,& forma: at ſi calor atomorum dicatur mouens, & motum, nihil inficior, poteſt enim in operatione naturali eſſe idem agens & patiens,ſi ſic dicitur abuſiuè: non autem in artificiali, aut violenta actione: vt dictum eſt in quæſt. de operatione.

Ad Aphrod. Reſp. Spiritum eſſe animam,quoniam intra corpus eſt, vt artifex dicit Chryſoſt. ſuper Geneſ. vt auriga,dicit Ambroſ. vt nauta dicit Teleſius,& ipſe Ariſt. in 8. Phyſ. non potuit virtutem motiuam facere,vt formam,ſed vt nautam,ne corrueret theſis ſua, *Omne quod mouetur, ab alio diſtinctio mouetur.* Quapropter non facit ſpiritum eſſe animam illa forma ſui,ſed animatio corporis. Quia verò non poteſt animari, niſi à tali ſubtili corpore ſenſitiuo calido: idcircò fit, vt talis ſit ánima. At ſi vocemus animam ipſam Primalitatem,qua res omnes poſſunt, noſcunt, & amant, vtique non ſolus ſpiritus, ſed omne ſubſiſtens erit anima,& ipſæ formæ actiuæ calor,& frigus, Ergò animatio facit animam: non autem illa tenuitas,& ſenſus: ſic enim aër eſſet anima, & ignis, & quæcunque huiuſmodi vapor,& exhalatio: non ſic autem eſt, niſi Fato, ac Neceſſitate tali corpori, taliter organizato ipſe ſpiritus innaſcatur talis.

Ad 4. omnia puncta ſpiritus mouent,non vnitas puncti,ſed vnitas eſſentiæ ſpiritus, & continuatio: neque infinitas tenuitates pono,ſed vnam totius ſpiritus: neque indiuiſibiles partes accipio diſtinctè,vt Democritus,ſed facientes vnum: ſunt puncta Mathematica in eodem loco infinita,non autem Phyſica,cuiuſmodi ponit Democritus. Ariſtoteles ergò ſophiſticè loquitur.

Ad 5. hîc peius,non enim puncta corporis craſſi ſunt anima, ſed tenuis ſpiritus particulæ: quo quæ carent,animata non ſunt. Nec ſi habeant, vt vtres: oportet enim natura innaſci intra craſſitiem,organiſque hanc diſtingui, vt in textu, diſcerèque ſic viuere,& haurire alimentum.

Ad 6. eſt contra Ariſtot. quomodo enim ſeparatur forma toti corpori immerſa, extenſáque? neque enim ſepares à naſo ſimitatem: profectò beſtiæ non mouerentur, niſi forma diſſoluta, ſi ſic foret: nunc autem ſola ſpiritus paſſione vehementi extinguitur remanente forma, caloréque in corpore, ſpiritu exhalante, aut ſuffocato incraſſatóque ſequitur mors; tenue autem è craſſo cui ineſt, vt nauta, ſeparati poſſe palam eſt.

Ad 7. quidquid dicat Democritus pro ſuis atomis,nos facilè reddimus cauſam operationum,& affectionum,quoniam à ſenſu,& motu iſta omnia fiunt; moueri autem facilè, ac ſentire ſpiritum noſtra theſis eſt. At ex forma,non poſſe rationem dari ex dictis,ac dicendis palam erit.

Ad 8. continuitas facit ſpiritum vnum: nam reſciſo corpore intra quod continuatur, diuiditur,vt in plantis,& inſectis. Conſenſus autem dat vnitatem cognitionis: omnes

tóque cerebro mobilem,sentientémque facultatem per neruos demitti;sed spiritum per se accurrere,vt dicebat Chrysostomus.

Ad decimum tertium fallitur:spiritus enim in adolescente confugerat in spinalem medullam,& cerebellum propter timorem:subitóque per Medicum cerebro reformato, & medicamentis foto,reuersus est spiritus tandem : sic in histericis accidit ad vterum confluere,quasi totum,& fumis ad nares reuocati,dum timet suam sedem ab hoste fumo occupari:similiter accidit in suffocatis in Antro Agnanæ: spiritus enim fugit intrò ad vincendos vapores fætidos intrantes per nares; remanétque corpus sensu motúque destitutum. At aqua iniecta recurrit foras contra frigus suppetias laturus. At sicubi spiritus totus suffocatur,nulla est spes,vt ibi experti sumus in canibus, quamuis cerebri temperies nihil oblæsa foret.

DEFENSIO ANTIQVORVM, ET PLATONICORVM DE MOTV ANIMAE, &c.

Vtrùm Anima motrix corporis, sit per se mobilis, an immobilis, vt Aristoteles opinatur.

ARTIC. III.

VIDETVR Aristoteli Anima non posse per se moueri; ideóque formâ esse, quæ mouet corpus,ac proinde ipsa mouetur per accidens ad motum corporis; non autem ipsa prius se mouet, motúmque suum corpori communicat : vnde nos deducebamus esse portionem cæli perpetuò mobilis, quod Pythagoricis, & Plato. conuenit dicere. Ambrosiusque laudat hanc sententiam, sed contra ait Arist. "

1. primò de Ani.tex. 38. si anima per se mouetur, natura inerit illi motus : si autem hoc,ergò & motus localis:ergò & omnes alij,quoniam in loca sunt augmentum, decrementum & alteratio. "

2. Si substantia animæ est mouere se ipsam,erit locus ipsi ; nam album motum per accidens, non habet locum. "

3. Si natura mouetur,ergò & violenter, & è contra: similiter & de quiete,in quod enim natura mouetur,ibi quiescit & natura, erunt ergò violenti motus, & quietes Animæ. Neque fingere volentibus facilè est reddere. "

4. Si mouebitur sursum,ignis erit; si deorsum,terra: sic de mediis. "

5. Rationabile est his mouere motibus corpus,quibus ipsa mouetur,ergò localiter,aut tota,aut secundum partes translata:ergò egressa continget ingredi : ergò resurgent mortua animalia. "

6. Moueretur etiam ab alia anima violenter per accidens, vt à sensibilibus : ergò motus animalis etiam violentus erit. At quod per se mouetur,non mouetur per accidens, sicuti bonum per se,non est bonum per aliud. "

7. Si mouet se ipsam, ergò mouetur à se ipsa : ergò quoniam motus est remotio eius à quo mouetur,vtique à se ipsa,& à propria substantia remouebitur, nisi secundum accidens se ipsam moueat. "

8. Si mouet mota corpus,quomodo facit quiescere? impossibile est,cum sit substantia mobilis. "

9. Videtur anima mouere per electionem,& quando vult, non ergò est semper mobilis substantia,vt Democrito videtur. "

10. Incusat in tex. 45. Timeum, qui cælum compositum ex elementis animam esse dixit dispertitam in harmonicos numeros,vt tota feratur cōsonantibus lationibus, rectitudinem in circulum flexit,& eum diuidendo fecit ex vno duos circulos dupliciter connexos. Iterum vnum diuisit in septem circulos,tanquam essent cæli lationes animæ motus,sed contra. " *Arg. cont. Timeum.*

1. Nō ꝑbenè ponitur anima magnitudo. Anima.n. vniuersi est Timeo,qualis intellectus: " *Arg. con. Tim.*

1. *An. T.*,, non autem qualis sensitiua, aut desideratiua; harum enim motus, non circulatio est.
46. & ,, 3. Intellectus autem est sicut intellectiones. Intellectio est ipsæ notiones. Notiones
47. ,, autem consequenter se habent, sicut numerus, non sicut Magnitudo: ergò intellectus non
,, sic continuus est, sed impers, aut continuus, non sicut Magnitudo.
,, 4. Item qualiter intelliget Magnitudo, cum sit in qualibet parte sua? parte autem,
,, aut secundum Magnitudinem, aut secundum punctum? si secundum punctum, hæc infi-
,, nita: manifestum, quod nunquam pertransibit: si secundum Magnitudinem sæpè, aut in-
,, finities intelliget idem: si autem sufficit qualibet parte tangere, quid oportuit circulo
T. 48. ,, moueri, aut magnitudinem habere: si autem necesse est intelligere toto circulo tangen-
,, tem, quis est partibus tactus?
,, 5. Amplius quomodo intelliget partibile impartibili; aut impers partibili?
,, 6. Item si intellectio, circulatio; intellectus erit circulus: ergò semper intelliget. si-
,, quidem perpetua circulatio. Sed hoc non potest esse, quoniam actiuarum intellectio-
,, num sunt termini, quoniam alterius gratia id est finis: speculatiuæ quoque: nam & defi-
,, nitiones finitæ sunt, & demonstrationes in conclusionibus finiuntur; non autem finiun-
,, tur, reflectuntur in principium: circulatio autem reflectitur.
49. ,, 7. Item si circulatio eadem sæpè fiat, oportebit intelligere sæpè idem.
,, 8. Præterea quieti potius, quam motui assimilatur intellectio, & syllogismus.
,, 9. Si autem motus eius est non substantia, ergò per accidens, ergò violentus, & la-
,, boriosus: ergò melius erat intellectus esse sine corpore.
,, 10. Amplius non est Anima causa motus cæli circularis, quoniam per accidens ipsa
50. ,, mouetur: neque corpus: sed Anima magis illi: neque finis: quod oportebat fieri à Deo,
,, quoniam melius sit moueri, quam non moueri animam; & melius sic, quam aliter.
,, 11. Tandem copulant animam corpori sic dicentes sine causa, & sine quomodo se
51. ,, habente corpore, &c. quia hoc agit, hoc patitur.
52. ,, 12. Si autem solum dicunt quidem Anima, & nihil de corpore, tanquam possit in
53. ,, quodlibet corpus ingredi, iuxtà Pythagoricas fabulas: quod idem est, ac si quis Tecto-
,, nicam dicat in fistulas ingredi, vtitur enim Anima corpore, vt Ars instrumentis.

Ex Ambros. & Chrysost. & Greg. Nyss.

Sed contrarium probatum est suprà ex sacris literis, & Theologorum decretis, & naturæ vocatum Spiritum vitæ, & motabilem Mosi, esse causam motiuam animalis: palam est enim, quod nemo dat, quod non habet: non ergò immota forma mouebit: sed quod per se mobile est secundum naturam aptum est dare motum. Vita præterea quidem motus videtur Peripateticis, vt si anima est vita viuificans corpus, vti probat S. Bernardus in Cant. & Ambros. suprà necessariò etiam moueat se quocunque velit, sicuti & corpus. Videmus ignem, igneúmque cælum per se moueri, propriumque esse tenuium mouere crassa, vt ait S. Augustinus; quoniam motum in se habent. Idcircò spiritui per se mobili dedimus facultatem mouendi corpus. Neque posse assignari modum quo ab immota anima moueatur, in sequentibus patebit. Hipp. componit etiam Animal ex contentis, continentibus, & impetum facientibus: hi autem spiritus sunt. Nec Galenus, nec Arist. potuere, nisi per spiritum mouere, quod autem principaliter, non instrumentaliter posteà requiremus.

Ad primum concedo motum localem spiritui; & augmentum, vt patet in refectione subita ex odore, & decrementum, vt in resolutione spirituum ex cursu vehementi: alterationem quoque indicat febris, vbi & accenduntur spiritus, & agitantur, crebrioribus, & vehementioribus motibus. Memoriam quoque & discursum labefactari planum est: de his infra: sed non propter rationem Aristotelis ista fiunt, potest enim aliquid localiter moueri, vt cælum, & ventus, nó tamen augeri, &c. in loco alieno requiritur decrescētis augmentatio, & nutritio; non in proprio, in quo non minuitur per recessum ad cognata. Hipp. autem omnes hosce motus dat Animæ, vt dictum est suprà: formamque corporis ista pati cum corpore Arist. ipse testatur in lib. de Physionomia, & de respiratione, &c. testatur S. Ambros. in 2. de Abra. c. 8. spiritum nutriri odore: vt Hippocr. & Democritus, & alij dixerunt.

Ad secundum est locus Animæ cerebrum, in cuius cauitatibus immoratur tanquam in arce; vndéque per neruos discurrit, vt diximus cum Chrysostomo, & Ambrosio.

Ad tertium verum est, quando inimico obuiat enti, violentiam patitur, cum exhalatio ex bile putrida ipsum mordet, & aufugit, vt patet in paroxismis febrilibus. Quoniam verò obtectus est de foris violentari satis non potest, nisi corpore fracto, aut vento multo, aut tympanis contusus, aut stridoribus ipsum discerpentibus; de quibus suo loco dicemus. Benè concludit Aristoteles, & hinc naturam animæ noscere poterat: sed errat vbi ait, quod si mouetur natura, habet vbi quiescat natura: nos enim, quod natura mobile est, quiescere nunquam dicimus, nisi violentia, quod illi est Mors: similiter quod quiescit natura, nunquam mouetur nisi violenter.

Aristoteles autem solos motus elementorum considerat extra sua loca, non autem operationem in proprio loco: sic enim semper ignem moueri, terrámque semper immotam agnouisset: nec quod accidit præter naturam illi extrà suum locum, naturale pronunciasset.

De his diximus tractantes de elementis: nec oportet moueri sursum solum si est ignis: omni enim motu moueri potest, quod natura est mobile, prout necessitas requirit: vnde ignes impetu deorsum ferri, & in obliquum videmus. Circulus tamen est illi proprius, quoniam sic non incurrit in hostiles res. At spiritus in quorsumlibet mouetur, & impetum facit prout opus est vitæ suæ, & corporis: cum autem absoluitur in æthera fertur ad propriam originem, vbi circulo fruitur: & sic responsum est ad quartum.

Ad quintum nequaquam resurget animal regressu animæ: si enim tenuis est aura suo toto aëri copulatur, & ad æthera contendit, nisi crassescat: reuerti autem ad corpus illi non est bonum, cum vnicuique melius sit esse in cognato, & vniuersitate sua. Dum est in corpore, quoniam aliam vitam ignorat, timet mori: cum autem egressus est spiritus, fit aër. Anima verò à Deo data ad propriam quoque originem contendit, si potest, id est ad Deum: spiritus ad ignem, corpus ad terram: quæ autem reuiuiscunt, mortua prorsus non fuerunt, sed vel gelato spiritu, aut humoribus continebatur intus, vt in Islandia aues hyeme, quæ resurgunt in vere: aut spiritus oppressus ab humoribus, & vaporibus videbatur abesse, vt in eo, quem Asclepiades Romæ suscitauit, credo apopleticum: aut incrassatus spiritus, à calore tenuatur, vt apes necatæ aquis in tepido furno positæ auolarunt: horum rationē non reddes ex Aristotelis dogmate, ex nostro verò subito & planè.

Ad sextum nimis sophista est, in omnibus inuenio contrarium, & mota, & quiescentia per se, etiam per accidens moueri, & quiescere, non ablato tamen motu per se, nisi vi, quod est mori. Nauta in naui per se, & per accidens mouetur; tabula verò quiescit vtroque modo naui quiescente: per se bonum non reperitur, nisi Deus simpliciter, qui & per accidens est bonus in nobis, & fit refugium nobis: non tamen in se recipit accidentalitatem, ob sui immutabilem eminentiam omninò, vt si dicas per se bonam esse virtutem, etiam per accidens bonam potes fateri, quando est in corpore regio, & pulchro: hæc sunt inania.

Ad septimum, nec scioli indoctissimi sic arguerent, quod enim mouetur ab alio, recedit ab eo, si virtus eius remanet cum mobili; attamen semper simul oportet esse mouens, & motum: cum ergò Anima mouet se ipsa secum est: non enim est passio ab extrinseco, sed operatio ab intus: nec motus est remotio à mouente, sed à loco fortasse. Anima autem non mouetur à se tanquam à loco, sed tanquam ab operante: potius autem mouet se, vt tollatur sophisma ex verbo passiuo. Item quod mouetur motu generationis recedit à suo esse in aliud; non autem quod localiter: spiritus quoque aggenerat sibi spiritum non corrumpit se, nisi per accidens, vbi elabens videtur nobis corrumpi à se, quod tamen est falsum, de his dictum est.

Ad octauum, non quiescit vnquam spiritus, est enim natura mobilis. At sistit motum arbitrarium corporis, quando incipit corpori obesse, aut perfectum est illud, cuius gratia mouebatur: mouet autem faciendo impetum in corpus per neruos, & musculos, cessat autem, non amplius impellendo, sed se solum agitando, & sanguinem in arteriis, &c.

Ad nonum, verè spiritus brutorum mouet quando vult, sed cogitur velle ab obiectis, & concursu causarum: spontè tamen mouet, & quietat corpus: ipse verò natura semper se mouet, quod & Democritus vidit. At spiritus humanus ab animæ à Deo infusè electione agitur, vt moueat in arbitrariis; non autem in naturalibus: neque enim iubeas arteriæ motum sisti: de his infra, & cur.

tellectu diuino, de his alibi. In cælo verò intellectus non est forma, vt laboret: sed assistit, nec patitur: nec credo à spiritu cæli trahit motiones notionales, sed dat, de his in Metaph.

Est etiam motus cæli gratia finis: de quo in hoc libro, & in Metaph. neque animæ, sed spiritus est motus, cui expedit moueri, sicut telluri quiescere ob conseruationem suæ essentiæ.

Quod autem non quemlibet spiritum cuilibet corpori adaptemus, palam est in textu. Quod obiicit Platoni, falsum est: nam & causam dicit, licèt falsam, cur animæ transmigrent in meliora, & in peiora, de qua nos in 2. de Sensu Rerum, & in Metaph. disputauimus.

Nec inconuenit eius generis spiritales portiones aliis corporibus innasci, quoniam sic generantur à calore, non inmittuntur Fato, vt de animabus fabulantur. Nos autem Fato, Necessitate, & Harmonia res nasci varias ab eodem sole ex eadem terra, vt diuitiæ bonitatis Dei in varietate Idearum elucescat. De his alibi. Nil ergò Arist. explodit spiritus corporeitatem, & mobilitatem per se ex his, sed tamen intellectum alienat, quem tamen ipse copulat vilioribus rebus, formis scilicet corpulentis: nec vnquam reprehendit alios, quin potius se ipsum maculet magis.

Vtrùm motus animalis secundum locum sit à spiritu tanquam principe causa; an tanquam organo alterius causæ, similiter Generatio, & Nutritio, & Sensatio.

ARTIC. IV.

Concedunt Peripatetici, & Galenistæ plurimi à spiritu fieri motum, aliásque functiones, sed tamen tanquam organo formæ corporis, vel cerebri.

1. Probatur, spiritus enim igneus, naturáque mobilis est, non tamen mouet semper localiter: ergò imperiis alienis paret: quod enim natura sibi inest, non abiiciet nisi cohibitus imperio.

2. Manifestum est, quod non nisi aliquid prius imaginantes, & deliberantes aggredimur motum nos, & bruta: ergò imaginatio est causa princeps, spiritus verò exequens.

3. Idem probatur in nutritione per Arist. 2. de Anima tex. 41. Ignis augetur in infinitum quousque fuerit combustibile: natura autem constantium terminus est, & ratio magnitudinis, & augmenti: hæc autem Animæ sunt, non ignis: & rationis magis, quam materiæ.

4. Præterea de sensu potest idem probari ex Galeno: sensus enim non est passio, sed passionis iudicium: spiritus autem est pati, ac moueri, alterius est iudicare.

5. Percussi à terribilibus non timemus, donec discernamus, an sint terribilia: quædam verò etiam læta timemus, quæ spiritum nondum læserunt. Videtur ergò alia esse timens, & gaudens Anima, spiritus autem instrumentum modo.

6. Spiritus & caloris est dilatatio. At etiam plicatione membra mouemus, ergò calore & frigore, non solo spiritu, sed animæ imperio.

7. Formatio quoque corporis in generatione, cum sit tam mirifica, spiritui calido dissoluenti omnia in ignem, non videtur committenda, nisi moderatrix alia anima ipso vtatur, sic etiam in reliquis operibus animalis inuenies.

SED Contra sunt autoritates Scripturæ, & sanctorum spiritui motabili ex elementis, & sanguine educto, committentes animalis motum, & functiones, vt ex supradictis patet, huncque spiritum in cerebro habitantem discurrere docuit Chrysostomus; & addit: *Spiritus è cerebro discurrens non omnia omnibus tradit, sed iuxtà cuiusque membri analogiam plus illi, quod plus; & minus ei, quod minus capere potest.* Traduci autem per semen, & generare animal, testatur Nyssenus, de his autem infra. *Super ep. 1. ad Thess. c. 4. ho. 11.*

Quapropter cum non aliam substantiam indicent Patres à Deo brutis datam, hæc sit princeps in nutritione, generatione, & motu, & sensu oportet. Galenus autem tribuens principatum temperiei cerebri, & iecoris, & cordis, & Arist. formæ totius corporis, idem faciunt, ac si quis formam molendini causam imperantem motui, & non ventum agitantem formas instrumentorum diceret; aut formam nauis dare motum naui, & non nautã.

Item liberum à corpulentia faciunt mancipium, formam verò corpulentiæ immersam faciunt dominatorem, & libertatis autorem; vel aliter, formam molendini imperare vento, & formam nauis nautæ: cum tamen contrarium sit. Vsus enim formæ vasis habitatori subest, & non è contra. Nec quidem vnde sensus, & imperium stupidæ formæ elementari adsit, quo possit iubere elemento liberiori, & potentiori, declarat.

Qui enim præter elementa animam mundi adhibent, formam corporis tanquam domicilij, spiritum verò tanquam habitatorem, animæ mundi imperio parentem, faciunt, non formæ: sic Plato, sic Anaxagoras, sic Varro, & Plinius, & Virgilius, & quicunque naturam Deum faciunt, vt Hipp. interdum. Aristot. autem, qui calorem generare animal, eo quod sit anima vbique, & prudentiæ, & prophetiæ non minus ac Hipp. & Galen. fecit autorem; mirum, quomodo subiiciat illum formæ; sicut si quis formas securis dominari artifici suo enunciaret.

Ad primum, etsi in homine paret spiritus Menti, non tamen in pecore, nisi Fato, ac Necessitate subditus exterioribus mentibus: mouetur autem semper, quoniam natura mobilis est in cellis cerebri, & arteriis, & vbi minus irretitus est: in planta enim motus eius non discernitur, tam exilis est, à crassitie victus. Corpus autem totum mouet, non semper, quoniam non semper indiget sequi, aut fugere aliquid; concursu obiectorum stimulatur spiritus ad hunc motum: neque enim liber est, vt Mens humana, sed spontaneus tantum ad proficua, coactus ad nociua; cum ergò sistit motum, non paret imperio, sed suo commodo pro corpore seruando, & ne ipse resolutus exhalet ex parte, remaneatque imminutus, debilisque: procurat enim præsens bonum, quia futurum, & extra se, quod est, non metitur, sicuti Mens humana, spiritus brutorum, vt doctè S. Bernard. super Cant. nos admonet.

Ad secundum Resp. quod imaginatrix facultas est in ipso spiritu, non in forma visceris, aut vasis; nec mouet spiritus vas suum, nisi prius ipse motus ab obiecto imaginato bono, vel malo, ad sequendum, vel auersandum, non tamen deliberat in brutis, sicuti in nobis cum misceatur Menti: retardatur tamen canis ad aggrediendum lupum, quia mouetur metu, & cupiditate simul, non deliberatione. Concedo etiam, quod in spiritu præualet cognitio ante motum corporis, sed in sui motione nequaquam: semper enim mouetur, nec potest sponte quiescere.

Ad tertium spiritus etiam in infinitum agit, sicuti ignis, sed pro sua rata; est enim blãdus calor spiritus, & blandè agit, cibos liquando, non vrendo, & sanguinem attenuando, & tenuitatem educendo sursum, sicuti ignis flammam; quod etiam Arist. in lib. de Morte, & vita, & Plato in Timeo, & in symposio, & Plutarchus testantur, & experientia. Calorem ignis concipit manus, non tamen ille calor vrit absque fine, nisi pro sua rata; nunquam enim deficit calefacere. Verum quidem est, quod ratione fiat nutritio, & non sine fine: quandoquidem aucto calore plus de corpore in tenuitatem educit, quàm de nutrimento aggeneret corpori, vt dicemus: sed hoc non est ex imperio animæ. Constat enim nos velle semper augeri, & fieri sicut gigantes; & Nanos, Pygmeósque animas habere cupidas grandioris formæ corporalis: cur si anima imperat spiritui, non augetur corpus istorum plus? terminus ergò est à Fato ex concursu exteriorum causarum cum interioribus. Autor autem Fati Deus, qui sic ordinauit causas, & concausas agere & pati, vt tales, & tantæ formæ fiant iuxtà sui ideam: & ideò non inuenies causam principaliorem intra brutum huius augmenti, quàm spiritum: extrà verò habes Fatum, & Deum, & si qua est intelligentia assistens, vt in Metaph. Profectò si valeret Aristotelis ratio, plantæ haberent animam rationalem iubentem calori: nam summa ratione ædificant fructus, flores, frondes, spinas, & propter finem, non nisi è deliberante causa intentum: exequitur ergo spiritus ordinem fatalem iuxtà præscriptum Dei, non tamen habet formam aliam in bruto sibi imperantem, neque in planta, sed seruientem, sicut circularitas, &

temperies

temperies oculi seruit videnti spiritui, & non imperat. Qui non agnoscit Fatum, Harmoniam, & necessitatem, influxus primæ causæ Sapientiæ, primi Amoris, & primæ Potentiæ, non poterit perfectam naturalium reddere rationem: semper per ambages ambulabit; nec nisi Deo duce ista perquirendo agnoui. Illi soli honor, & gloria, mihi confusio abutenti donis eius.

Ad quartum negatur assumptum: imò qui patitur potest iudicare de passione, & per illam de actione, & agente obiecto. Spiritus ergò passibilis est facilè, vt facilè sentiat, statimque benè patiens sectatur; malè, aufugit; in mediis mediocriter se habet; si tecus foret, tu posses de passione mea iudicare, & ego de tua.

Ad quintum, non quia parum patitur spiritus, multum afficitur à terriculosis; sed quoniam amplius pati ex illa passione pensat; quando autē magna est passio, nec augeri posse credit, sed minui, minus afficitur. Ergò non sequitur alia anima patiens, & alia timens, sed quæ patitur timet amplius pati, vel sperat non amplius, quoniam ex aliis præscit, ita non fore, aut fore. Ex hoc autem argumento deducitur idem esse: sed tamen ipsum sensum semper fieri cum discursu ad plus, vel minus, vel consimile, sicuti suo loco contra Arist. inquiremus.

Ad sextum, spiritus est dilatari, & dilatatione gaudet: potest tamen constringi, quia tenuis, rarusque in se amplius cogibilis est. At hic motus molestus est illi. Omnis ideò hilaritas est dilatatio, mœror autem constrictio, quasi enim fugit à mœstibilibus. Sed hoc non fit à frigore, sed à sensu. Diximus enim non omnia frigore constringi: sed quædam à calore per accidens, quædam verò à sensu conseruationis, & destructionis: & hoc est potius vniri. Et spiritus dilatat corpus sese effundendo foras, vel partem in illam confluendo, & musculum cogendo. Cogit verò intus recedendo, vel musculum dilatando. Hoc autem sequenti articulo palam fiet. Nec frigus opus esse huic functioni.

Ad septimum, Principem causam formationis interiorem, & Physicam, dico spiritum, qui arte vtitur operando, vt in generante operabatur. Sed tamen ista facit omnia calefaciendo, attenuando, & consolidando. Vt autem in talem formam exeat opificium, est à Fato, Necessitate, & Harmonia, quibus vtitur intelligentia delatrix idearum iuxtà intuitum eius in Verbo Dei. Spiritus autem simulacrum seruat generantis quasi instrumentum, aut materialiter, non idealiter in Deum intendens, sed naturalem similitudinem seruans. Seruat autem Fato, id est, causarum concursu adiutus: non adiutus verò non seruat. De his alibi, non tamen in semine aliam formam mihi dabit Arist. quæ spiritui imperet: imo ipse non nisi calorem adhibet formatorem corporum, vt in quæst. 34. declarauimus. Moderatio autem spiritus est à concausis per totum mundum distributis, non ab anima seminis alia, vt patet in sponte ortis. Semen enim, & vulua sunt, vt commodius fiant, non vt fiant animalia, veluti suprà docuimus disputantes cum Auicenna, & in Metaph.

Vtrum ratio, qua Aristoteles ab immota forma corporis organici, mouet corpus organicum per imaginationem calefacientem & frigefacientem, & per membrum immotum, sit possibilis.

ARTIC. V.

NON modo propter rationes à nobis paulò ante solutas, quibus probauit in primo de Ani. non esse per se mobilem Animam Aristoteles contendit dogma suum statuere; sed etiam addit oportere esse immobilem; & quomodo immobilis moueat, insuper putat se eleganter declarare.

Probat in 8. Physic. Omne quod mouetur ab alio distincto, separatóque moueri per inductionē: nam vi mota manifeste sic mouentur. Natura verò alia, quæ mouentur sunt animata; & hæc manifestè, ait, mouentur à distincto motore, id est, ab Anima, sicuti

nauis à Nauta. Alia inanimata, & vel mouentur per accidens à remouente prohibens; vel à generante, vt ignis sursum, & terra deorsum. Dans enim formam, dat & motum consequentem formam. At quod primo mouet, oportet esse immobile. Nam si moueretur, ab alio distincto moueretur, & sic processus in infinitum. Et non dato primo mouente, non datur vllum sequens mouens aliud.

Probat iterum, quod primum non mouet se ipsum: quoniam diuideretur in partem mouentem, & motam; & quæstio erit eadem: quomodo pars illa mouet; mota ne, an immota? si mota, à quonā? & sic in infinitum. Si immota ergò distincta, & non vnum.

Præterea idem esset mouens, & motum, si totum à toto se moueatur, ergò idem docens, & doctum, ædificans, & ædificatum, calefaciens & calefactum; quod est impossibile.

Tunc si Anima est primum mouens in corpore animato, oportet illam esse immobilem.

2. Quidquid mouetur, ait in lib. de causa motus animalium, indiget immobili principio cui innitatur. Neque enim possumus super mobili reambulare, & mures in arena vix possunt moueri, quia non habent immotam basim, cui innitantur. Similiter nauta non potest impellere cymbam, nisi in terra innitatur immota: aut sudem in terra figat, impellátque. Proptereáque, ait, ventos a Pyreneis montibus validiores, quoniam immotis montibus pro principio innituntur. Et omnis ventus tale habet principium. Igitur & motus Animalis ab immoto est principio.

Quidquid mouetur circulariter etiam immobili centro indiget: propterea que cælum mouetur, quoniam super immota terra versatur.

3. Modus ergò, quo mouetur Animal sic est, vt si totum se mouet, super immoto principio exteriori innitatur. Partes autem omnes super corde tanquam centro, vnde pendet virtus motiua. Manifestum est enim, vt ait in 3. de Ani. tex. 55. quoque quòd si quod membrum mouetur super altero immoto tanquam centro, fit motus, idcóque est ossium commissura. Parua autem motio centri est multa in circumferentia. Digitus ergò mouetur immotæ manui innixus: manus brachio, brachium humero, humerus scapulis; vbi quasi centrum est: brachium verò quasi in gyrum propter illam fixionem potest moueri. Omnia autem membra cordi innituntur. Vbi enim est principium sensus, ibi & motionis, vt ait in libro de Somno & Vigilia.

4. Quærens autem, quæ pars animæ sit motrix in 3. de Ani. text. 48. & seq. dicit esse intellectum, non speculatiuum, quoniam non mouet, qui solum cupit, nec cum speculamur, mouemur. Videtur autem esse practicus. Cum enim intelligimus, & delibe-
» ramus aliquid agendum, tunc mouemur, & non videtur sufficere: Multa enim, quæ non
» facienda esse ratiocinamur, victi ab appetitu, aggredimur, vt adulteriū, vsuram, &c. Sæpè
» autem quod appetimus non aggredimur, quoniam prohibet ratio. Ergò, ait, sunt duo
» motores vicissim; voluntas, & intellectus, aliquando præualet illa, aliquando iste. In Ani-
» malibus verò est imaginatio; neque enim nos mouemur, nisi prius imaginantes, quid
» agendum. Ergò in nobis mouet imaginatio, sic & in brutis. At non nisi appetitu annuen-
» te, quæ ab imaginato obiecto mouetur. Imaginatio quidem fallitur, non autem intelle-
» ctus. Appetitus verò contrarij sunt, quia futurum, & præsens in delectabili præcognito
» non æquè se habent.
» Hic etiam patet, quod ab immobili principio mouetur Animal. Nam obiectum est
» mouens immobile; Appetitus mouens motum ab obiecto imaginato; corpus motum,
» non mouens; instrumentum verò, quo mouet, centrum est commissura, & cor
» primum.

5. In lib. verò de causa motus Animalium, & in paruis naturalibus, quærens quo pacto imaginatio dat motum corpori, ait, quoniam motus omnis est pulsio, & tractio, dilatatio, & constrictio. Hæc autem sunt contraria. Ergò contrariis instrumentis agitabit Anima corpus. Igitur imaginatrix anima cum excitat appetitum, tunc calorem vi imaginatiua facit dilatationem; cum excitat frigus, constrictionem. Motus alij non insunt locali: nisi compositi ex his.

De respiratione alia deinde comminiscitur suo loco dicenda. Saltum cordis etiam calori, & frigori tribuit, vt in palpitationis morbo.

Imaginatricem, & Motricem ergò ponit in corde, quia in centro, quod principium est omnis motus.

SED Contra hæc sunt, quæ determinauimus ex sacra Scriptura, & sanctorum authoritatibus. Potes secundum Chrysost. & alios Patres illud Euangelicum adducere, *Spiritus vbi vult spirat.* Exponunt enim hoc & de vento, tanquam exemplo spiritus diuini, & spirare dicunt, vbi vult; quoniam ventus de se mouetur, non ab immobili mouente Aristotelico pulsus. Nos igitur illi adhærentes fundamento in conciliis etiam decreto, *Nemo dat quod non habet*, non possumus ab immobili principio motum elicere. Nunc Aristotelis discursus examinentur. Rationes enim nostræ in superioribus explicatæ sunt. Adde, quod S. Gregorius Nyssenus lib. de Anima c. 4. probat contra Aristotelem Animam esse natura mobilem, & per se, non per accidens. Et ideo dat motum corpori.

Ad primum iam probatum est ex Senecæ, & Scoti, & Durandi, & Telesij authoritate, falsam esse illam propositionem, *Omne quod mouetur à separato motore mouetur.* Hoc enim verum solum de violenter, aut ab arte motis. Natura enim principium intrinsecum est, non extrinsecum; sicut Ars, & Violentia. Ergò quæ natura mouentur, à seipsis mouentur. Et in quæst. de motibus cœli explicatum est hic & in Metaph. Quapropter falsa est consequentia. Ergò idem sunt ædificans, & ædificatum; docens, & doctum, calefaciens, & calefactum. Hi enim sunt motus ab arte, & vi, non ab intus. Et nunc de latione est sermo, non de alteratione. Ergò non sequitur, quod detur primum mouens immobile, sed potius per se mobile. Omne enim per aliud motum reducitur ad per se motum; & per aliud bonum ad per se bonum. Si secus esset, tunc concluderem, omne bonum à malo, & Deus esset pessimus, sicuti est Arist. ista docens. Profectò non poterimus amplius philosophari, si ad oppositam causam transcendendum est, non ad similem effectibus.

Nec ista ratio probat Dei immobilitatem, vt in Metaph. docui. Sed ex motu primum per se mobile, quod est cælum probatur: de Deo verò nequaquam. Non enim est per se mobile; neque per se immobile physicè, vti hic inquirimus, sed eminenter vtrumque, vt Sanctus Iustinus docuit, seclusa vtriusque imperfectione. Vnde in sacra Script. aliquādo mobilissimus omnia permeans, & cunctis mobilibus mobilior. Aliquando quiescens, & per se stans nobis significatur. De his vide Metaph. Aristoteles nesciuit distinctionem inter operationem, & actionem, nec scire voluit. Etenim grauia, & leuia à se mouentur motu lationis; generationis verò à generante, alioquin, & Animal dixisset à generante. Si ergò est primum mouens in Animali, vtique mobile per se erit. Ratio quoque Aristotelis secum pugnat. Si enim Animal ab Anima insidente separata, vt nauta in naui, mouetur, vtique spiritus corporeus erit anima per se mobilis, & non forma corporis, quæ non est separata. Vel falsa est propositio, omnia moueri à separato motore.

Ad secundum grandem detegit inconsiderationem Arist. Qui enim fieri potest, vt motus immobile egeat, & calor frigore, vt calefaciat, & bonus malo vt benefaciet, nisi per accidens? Igitur quoniam virtus spiritus non est tanta, quæ possit totum corpus simul mouere, vti spiritus auis corpus suum leue; indiget fulcimento exteriori, & dum partem corporis eleuat, aliā parte ibi sistat. Si autem exterius illud mobile fuerit, non poterit sistere pedem immotum. Ergò pro quiete pedis, non pro motu indiget terra homo. Quem pedem enim mouet, in aëre mobilē suspendit. Si quid autem immotum obuiet impeditur quidem. Idem dicimus de mare, & de eo, qui mouet cymbam. Dum enim impellit ante per manus, impellit retrò per pedes, non enim potest suspendi in aëre vt cymbā moueat, & sic pulsus contrarij non mouent cymbam. proptereáque terræ innixus pellet cymbam ante: quoniā vnico motu anterius ipsam agitat, terrā vero posterius pellit manentem: at si resiliat tellus non pellet cymbam, quoniā duos motus ederet contrarios. Verum si columba alligata nauis malo posset mouere tantū, non vtique indigeret immobili tellure, sed moueret non indiga principio quiescente. Sic enim mouet ventus, non montibus innixus, (hæc stoliditas est) sed proprio impetu, & à mari enim venti, & vndecumq; eleuati pro viribus, & magnitudine sua pellunt, non pro virtute principij stabilis; quo nō indigent, nisi quæ vectantur ab impotenti mouere ex toto. Longè stolidius est, quod ait, Cælū moueri,

quoniã terra quiescit,dans illi motum. Quis audiuit talia? Profectò mouetur omne à vi motiua,non à vi quietatiua,si philosophari per causas per se volumus in tertio modo etiã perseit:tis Aristotelicæ. A suo calore cælum fertur, vel Angelo,vel anima, non à tellure, si malleus non mouetur ab incude. Timeus quomodo mouet cui etiam tellus mouetur? Copernicus prouidit sibi quietem solis, quam negaui semper, nam saltem in se voluitur,quod tandem & Galilæus telescopio deprehendit, nedum Telesius olim.

Ad tertium nego cor esse principium vnde motus, & de hoc erit quæstio sequens; & Chrysost.& Ambros.& Basil. cerebrum cum Galeno, & Telesio principium motus faciunt & sensus.

Præterea cor semper mouetur. At Aristoteli immotum debet esse centrum: sed se reficit quoniam dilatatio, & constrictio sunt quasi quies: est enim reuersio in idem: sed cur quieti,& non potius mobilitati cordis adscribendum est principium, & ratio motus? Vide imprudentiam: vt positionem tueatur contrarium contrarii causam potius eligit, quàm simile,contra propria dogmata,& naturæ,& philosophorum, & theologorum, &c.

Præterea cor non est cui inhærent partes corporis,sed ipsum potius suspensum est per neruos à capite descendentes,locatúmque super spinali medulla: & pulmone aërem profundente dilatatur,& sanguinem è venis haurit. Totum autem animal ossi sacro potius inhæret secundum machinam; secundum basim pedibus; secundum originem cerebro; secundum centrum motus mediæ vertebræ. Cor autem suspensum est, vt sit officina spiritus & sanguinis arterialis. Idem est dicere super cor fundari corpus, atque domum super cophinum pendentem de trabe plenum exculentis, à vento per fenestram intrante agitatum.

Quod de commissuris ait, propterea ex parte verum est, quoniam non potest partis motus eorum fieri: si etiam totum simul mouetur eodem motu: sunt enim vnum: melius etiam discernitur altera parte quiescente; contrarium enim apud contrarium plus patet. At ego possum mouere me ante, & brachia retro agitare: Item alios digitos retro, alios ante simul, atque vna brachium aliter mouere, vti nunc facio. Ergò potest fieri motus membri super membro moto,non tamen tam benè patet, quoniam confunduntur, vt dictum est. Commissuræ autem ossium sunt, vt omni ex parte possimus moueri, erigi, attolli,& functiones varias obire secundum totum, & secundum partem: vti in textu.

Quapropter non rectè Arist. celebrat motum, nec musculorum, & neruorum functiones cognouit maximas Galeno gratias in hoc debemus.

Ad quartum hic sermo est de motu locali,& de physico principio eius operatiuo,nec potest inueniri,nisi spiritus per se mobilis. Appetitus autem, & imaginatio sunt facultates eiusdem in animalibus,vt patebit ex textu,& in quæst.seq. At aliquando mouet,nec imaginatione præuentus,vt in motu pulsationis, & aliis naturalibus, de quibus cum Galeno controuertimus.

Tunc quidem innata notitia,& amore,non illatis, mouet, vti in arbitrariis motibus, quos sistere etiam potest. Imaginatio autem mouetur ab immobili per accidens. Alius est enim motus,quo afficitur sensus ab obiecto,alius,quo imaginatio mox se ipsam: ille enim Physicus est,hic Metaphysicus,quoniam est notitia suæ entitatis affectæ ab obiecto; & ex hac se mouet ad capiendum,vel odiendum,& fugiendum. Obiectum ergò est occasio huius secundi; ex quo resultat tertius,qui est executio,cuius principium est spiritus, vt calidus,tenuis,mobilisque,non vt cognoscens: neque hic ad immotum principium Physicè reducemus: sed potius moraliter,vt moderni loquuntur. At de intellectu à Deo infuso,alia res est: neque mobilis enim,neque immobilis dici potest, mouet autem spiritu,quo deficiente,non amplius mouet,vt infra.

Nota etiam quod intellectus est solum intelligere: voluntatis velle motum: edere autem motum est potestatiui propriè & per se: cognoscitiui est dirigere: volitiui propendere.

Ad quintum valde errat: quod enim imaginatio faciat frigus, & calorem, res contrarias simul; neque freneticus dicet: cum enim saltamus in Choreis, alia membra pandimus,alia flectimus intro simul: ergò tunc imaginatio facit simul, & tam cito calorem & frigus? quis ista credet? Nec appetens facultas si est forma immobilis moueat & calefa-

ciat ac frigefaciat, nisi sit actu mobilis, actúque calida & frigida: non enim quod potentia, sed quod actu, agit, secundum naturam & Arist. qui etiam negat in 8. Phys. corpora moueri à sua forma, sed à separato motore omnia, nunc verò contradicit.

Prætereà aut hoc cogitat dum facit, aut non: si non, ergò non faciet: nihil enim facit imaginatio, nisi imaginando, vt ipsemet docet: si asserit, falsum asserit: nam qui saltat, & qui philosophatur nil cogitat de excitando calore, & frigore, sed solum de actibus externis: imò sæpè ambulamus nescientes nos ambulare, intenti nempè cogitationi rerum mirificarum.

Prætereà non videtur calor, & frigus excitari in choreis, sed semper potius magis incalescimus etiam in plicatione membrorum: si vera esset Aristotelis positio, saltem ex æquo tantum caleremus, quantum frigeremus.

Prætereà ex sola deliberatione ad motum homo mouetur nullo excitato calore, aut frigore: ergò impetus potestatiuus spiritus facit motum, quocunque spirat: fit quidem in metu frigus non ab imaginatione, sed quia spiritus fugit intro, & partes aliæ remanent sine calore: sic & calor eiusdem præsentia. Imaginatio nihil potest, nisi quatenus est motus eiusdem spiritus, vt infra dicemus. Profectò si tam cito calorem facit imaginatio tantum; cur frigefacti sola imaginatione nos non calefacimur? & cur sub cane non sufficit imaginatio, nisi niuem adhibeas?

Prætereà quantumuis imagineris & appetas, itémque calefacias manum, & corpus, nunquam mouebis localiter, nisi spiritus impetum faciat: neque frigefactus quiesces, nisi ipse sistat. Videtur Aristoteles idem dicere, ac si quis nauem moueri calefactione putet absque impetu remigantium.

De imaginatrice infra dicemus, & quantum valeat disputauimus in Metaph. contra Auicen. qui etiam miracula illi tribuit: vide etiam 4. de Sensu Rerum.

Vtrùm Aristoteles rectè definitiones Animæ nobis tradiderit, Quod, videlicet sit Actus primus corporis Physici organici organici potentia vitam habentis: & id, quo viuimus, & sentimus, & mouemur, & intelligimus primò. An rectius alij.

ARTIC. VI.

Videtur quod sic ex sermone Arist. 2. de Ani. T. 1. ait enim. Anima est hoc aliquid, «
ergò non materia quæ non est hoc aliquid; ar neque compositum, & corpus; quo- «
niam est in subiecto; corpus autem non est in subiecto, est ergò actus corporis: non arti- «
ficialis; ergò naturalis. non homogenei, ergo organici; non carentis vita, ergò habentis; «
non sicut speculatio, sed sicut scientia: ergò potentia habentis, non actu semper. «

Deinde ait, sicut visus est forma oculi, ita Anima corporis, ergò non est separabilis; *Tex. 10. &*
sed partes quasdam nihil prohibet separari, quoniam nullius corporis sunt Actus. Adhuc *11.*
immanifestum, si sit Actus sicut nauta nauis. «

Deinde aggreditur definitionem, vt putat per causam, & ait, quoniam viuere dicun- *Ex tex. 12.*
tur, quæ nutriuntur; itémque quæ sentiunt, item quæ sentiunt, & mouentur; & tandem *vsque ad*
quæ imaginantur, & appetunt: hæc enim sentientibus insunt omnibus. Item quæ intelli- *26.* «
gunt insuper, sed immanifestum est, ait, adhuc an intellectiua potentia sit separabilis, vt «
videtur, sicut perpetuum à corruptibili: de aliis patet, quod non separentur, ergò Anima «
est id quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus, non secundario vt scientia, sed «
primario, vt forma, in qua sit scientia. «

Deinde subdit, quia est aliquid corporis, in corpore inest, & in corpore huiusmodi, & «
non sicut antiqui aptabant ipsam ad corpus nihil vltra definientes: in quo, & quali: quam- «
uis non videatur quodlibet recipere quodlibet: sic autem fit secundum rationem vniuscuiusque enim Actus in eo, quod potêtia existit, & in propria materia aptus natus est fieri. «

Præterea in Clem. de Sum. Trin. & fid. Catho. decretum est, Animam esse formam corporis: idem docet S. Thomas, quod si sic est de humana, multo magis de cæteris corpori concretioribus, & innatis.

Præterea non esset animal vnum simpliciter, sed aggregatione, sicut artificialia, si anima non est eius forma.

SED Contra est S. Ambros. in lib. de Noe & Arca cap. 25. damnans Aristotelem, quia dixit Animam esse Enthelechiam, & formam corporis, & in epist. 21. in lib. de Isaac c. 2. & in 2. de Abraham assimilat ipsam currui, at non solum spiritum brutorum negat esse enthelechiam in lib. de Noe, sed etiam animam à Deo immissam in lib. de Isaac, quam vocat hominem, corpus verò vestimentum hominis, vt Apostolus, & Trismegistus loquuntur. Enthelechia autem idem est, quod actus: sic enim Græcè scripsit Arist. Enthelechiam.

Item Chrysostomus super Genes. hom. 14. Animam coniunctam corpori sicut artificem suo instrumento; non sicut formam ponit; & Gregorius Nyssenus ex eo quoniam forma corrumpitur cum corpore, damnat Arist. qui formam dixit: sed reverà Aristoteles non facit intellectum formam corporis, vt patet, neque disputatio nostra est de humana adhuc anima, sed in communi: sed S. Bernard. super Cant. disputans de triplici anima, animam non esse formam docet, sed vitam; & idem in omnibus Patribus obseruaui: sed de Conc. Vienn. vbi dicitur forma, contra Auerr. infrà quæremus, cum peculiariter de anima humana erit disputatio.

In lib. de homine.

Moyses animas vocat spiritus; spiritus autem forma esse non potest, vt suprà docuimus. Omnes quoque fatentur scripturæ, animam inhabitare, ac regere corpus, nec formam eius esse; forma enim est essentia corporis, non habitator, & rector; sicut forma nauis non est anima nauis, sed nauta: vnde Ambros. super Psal. 118. Animam nautam, corpus nauigium esse asserit.

Aristoteles 2. de Ani. tex. 8. ponit exemplum de securi, & de naui, illud solum explicat: sicut enim forma securis est substantia eius, sic anima est substantia corporis, & sicut securis forma sublata non est securis: sic forma animalis est anima, qua perdita non est amplius animal. Ergò si anima est forma hoc pacto, non erit artifex, nec habitator, nec rector, vt omnes scripturæ docent: ergò & Arist. sibi ipsi contradicit: nam si est actus corporis organici, tunc quæro, vtrum vtatur ipso vt organo: quod si affirmes, statim sequitur, quod non sit forma eius: non enim forma securis vtitur securi, vt organo, sed cæsor: nec forma nauis vtitur naui, vt organo, sed nauta: si verò anima non vtitur corpore, vt organo, sed est forma huius organi, cuius contrarium dixit primò de Ani. tex. 53. contra Pythag. tunc dicat, quis erit vtens organo hoc sic formato? Patres dicunt animam, & similiter philosophi: ergò anima non est actus organici corporis, sed rector.

Præterea corpus animatum non est simplex vniforme, sed vt docet Ambros. 6. Hexa. cap. 9. est multiforme; sicut mundus ex diuersis compactus partibus specie, figura, colore, temperie, & consistentia: quæ non possunt vna forma informari, cum multæ sint formæ, cuilibet sua. Alia enim est ossis, alia carnis, alia nerui, alia sanguinis, alia intestinorum, alia iecoris, alia renum &c. vt figura, color, & temperies, & consistentia, & Actio, & passio diuersæ ostendunt: quomodo igitur anima erit forma tam difformium rerum? A qua potest vnica forma contineri, quoniam homogenea est, & ignis, aut os: non autem corpus animalis. Quapropter indoctè nimis vocata est anima forma corporis, nisi velit omnium membrorum simul vnitorum figuram ex tantis figuris resultantem esse materiam. Nam temperies vna non resultat, neque substantia vna.

Præterea anima est forma corporis, & vt dicunt, partis, non totius: habet animal formam totius vnam secundum ideam sui compositi esse: at formas partium plures, & dissidentes.

Præterea maior pars membrorum videtur esse absque anima, tanta est diuersitas: vnde Arist. putat ossa, & neruos non sentire, neque sanguinem. Galenus neque cerebrum, neque humores. Tunc quæro quarum partium anima est forma? omnium, an aliquarum? si omnium, mentiris tibimet: si aliquarum, ergò non forma corporis, sed partium dicenda erat; sed concedis ossibus animam vegetatiuam, non sensitiuam: ergò sunt plures

animæ subiecto distinctæ in corpore, quod tu negas contra Platonem ita opinantem. Tunc quæro, sicut tu soles, quid continet istas animas vnitas? non corpus, quia continetur; non anima, quia diuisa. Longè magis premuntur, qui vnicam animam in corpore statuunt receptam in nuda materia. Tunc enim quæro, quomodo in instanti fecit ossa, carnes, neruos, iecur, vesicam, &c. tam difformes, cum ipsa sit vniformis, vel vnica forma simplex? siquidem in instanti vnitur materiæ nudæ abiectis organizationibus præuiis ossium, & neruorum, &c. & ab ipsa additis suæ vnitionis vi nouis, vt aiunt. Profectò videntur isti non res inspicere, sed imaginationes Aristotelicas cum philosophantur. Dicunt tamen priores pro Arist. quod diuersæ sunt potentiæ animæ in diuersis corporis partibus; ipsa autem vna est in toto. At, inquam, si vna est, quomodo potest diuidi in subiectas partes forma differentes? & vbi simplicitas eius, cum realiter, sicut res à re, partes eius, & subiecto, & definitione, & operatione, & passio ne diuidantur?

Præterea illæ potentiæ sunt substantia, an accidens? si substantia; ergò plures substantiæ est vna anima, quod nolunt: si accidens, quomodo potest à sua, vnde fluit essentia recedere? siquidem nutritiua est in osse, non autem anima: similiter in pilo: accidens autem proprium non separatur: si autem sunt simul omnes cum anima: ergò sensus erit in osse, & intellectus, sicuti & anima: non autem patet, quoniam organum ineptum: sic dicam, & ego esse animam sentientem in planta: ergò non erit forma, sed artifex pro organorum aptitudine, se exercens, & ostendens.

Præterea nec corpus vnicum organum est, sed plura diuersis vsibus destinata: alium enim iecur vsum habet, alium cor, alium splen &c. ideóque formis distinguuntur, vt gladius, & securis, & remus, & olla, & molendinum &c.

At plura instrumenta non potest tractare forma vnius, nec formæ plurium vt dictum est; nisi artifex exterior illis vtatur, cuius potentia est vna, artes verò plures: sic ergò oportet de Anima philosophari: nec ipsam discerpere subiectorum formis. Sibi etiam contradicit Arist. cum cor eius subiectum statuit, non totum corpus, de quo inferius. Et cum dicit indiuisibilem, & tamen in subiecto diuisibili.

Quod autem forma oculi non sit visiua facultas, sed eius architectura: facultas autem sit in spiritu in oculos exeunte, & in cerebrum redeunte, tanquam ex fenestra ad aulam, & S. Augustinus docet, & omnes Patres, & ipsa experientia. Nam oculis apertis dormiens non videt; quod oporteret, si potestas visiua esset oculi forma immanens.

Item abit in alterum oculum cum iaculatores inspiciunt scopum per dioptram: & in lætitia plurimus spiritus lucet, & tumefacit oculos; in mestitia abest, relinquitque turbidos, & exiguos: vt non nisi obstinatissimi negare possint animam esse inhabitatorem, non formam corporis: exemplum Ciuitatis, cui Plato, & Arist. comparant corpus, planè ostendit habitatorem esse, non formam totam in toto id, quod vocamus Animam.

Præterea ex hac definitione Arist. nulla potest reddi ratio motus, & sensus, & nutritionis, & aliarum operationum, vt supra probatum est, quare & sanctorum Decretis, & his, quæ accidunt circà animam repugnat, & experimentis: cur enim in epilepsia cessat motus, si anima est vbique vt volunt tanquam forma? & cur ab humore transitus impeditur ei, quæ per totum est, nec ergò transire opus habet? Quod autem potentiæ animæ sint anima potens dictum est prius.

Præterea ex hac definitione non explicatur essentia animæ; cum enim ex elementis constet corpus insensatis, docendi eramus, vndénam sensus in forma huius elementati, & tam miræ operationes? detur enim, quod in hominibus deforis venire animam dixerit: cur non declarauit, vnde in brutis memoria, obliuio, sensus, phantasia, æstimatio, quæ elementis non insunt, vt ipse arguit contra Empedoclem? solum nos docet, quod sit in corpore naturali, quis hoc ignorabat?

Item quod Anima viuimus, sentimus, mouemur, quis hoc negabat? Profectò illudit nobis homo sophisticus, non docens ignotum, quid sit Anima, sed extrinseca eius, nulli ignota: sed verbis ceremoniosis, vt videatur alta sapere.

Longè melius definiunt philosophi veteres, quod sit spiritus tenuis, mobilis, & sancti Patres de pecorum anima, quod sit spiritus in sanguine genitus &c. & de humana, quod sit substantia incorporea rationalis à Deo immissa corpori, vt beatitudinem sibi paret;

tellectu diuino,de his alibi. In cælo verò intellectus non est forma, vt laboret: sed assi-stit, nec patitur: nec credo à spiritu cæli trahit motiones notionales, sed dat, de his in Metaph.

Est etiam motus cæli gratia finis: de quo in hoc libro,& in Metaph. neque animæ,sed spiritus est motus, cui expedit moueri,sicut telluri quiescere ob conseruationem suæ essentiæ.

Quod autem non quemlibet spiritum cuilibet corpori adaptemus,palam est in textu. Quod obiicit Platoni,falsum est; nam & causam dicit,licèt falsam, cur animæ transmigrent in meliora,& in peiora, de qua nos in 2. de Sensu Rerum,& in Metaph.disputauimus.

Nec inconuenit eius generis spiritales portiones aliis corporibus innasci, quoniam sic generantur à calore,non inmittuntur Fato, vt de animabus fabulantur. Nos autem Fato,Necessitate,& Harmonia res nasci varias ab eodem sole ex eadem terra, vt diuitiæ bonitatis Dei in varietate Idearum elucescat. De his alibi. Nil ergò Arist. explodit spiritus corporeïtatem,& mobilitatem per se ex his,sed tamen intellectum alienat, quem tamen ipse copulat vilioribus rebus,formis scilicet corpulentis: nec vnquam reprehendit alios,quin potius se ipsum maculet magis.

Vtrùm motus animalis secundum locum sit à spiritu tanquam principe causâ; an tanquam organo alterius causæ, similiter Generatio, & Nutritio, & Sensatio.

ARTIC. IV.

CONcedunt Peripatetici, & Galenistæ plurimi à spiritu fieri motum,aliásque functiones,sed tamen tanquam organo formæ corporis,vel cerebri.

1. Probatur,spiritus enim igneus,naturáque mobilis est, non tamen mouet semper localiter: ergò imperiis alienis paret: quod enim natura sibi inest,non abiiciet nisi cohibitus imperio.

2. Manifestum est,quod non nisi aliquid prius imaginantes, & deliberantes aggredimur motum nos,& bruta: ergò imaginatio est causa princeps,spiritus verò exequens.

3. Idem probatur in nutritione per Arist. 2. de Anima tex. 41. Ignis augetur in infinitum quousque fuerit combustibile: natura autem constantium terminus est, & ratio magnitudinis,& augmenti: hæc autem Animæ sunt,non ignis: & rationis magis, quam materiæ.

4. Prætereà de sensu potest idem probari ex Galeno: sensus enim non est passio,sed passionis iudicium: spiritus autem est pati,ac moueri,alterius est iudicare.

5. Percussi à terribilibus non timemus, donec discernamus, an sint terribilia: quædam verò etiam læta timemus,quæ spiritum nondum læserunt. Videtur ergò alia esse timens,& gaudens Anima,spiritus autem instrumentum modo.

6. Spiritus & caloris est dilatatio. At etiam plicatione membra mouemus,ergò calore & frigore, non solo spiritu, sed animæ imperio.

7. Formatio quoque corporis in generatione, cum sit tam mirifica, spiritui calido dissoluenti omnia in ignem,non videtur committenda, nisi moderatrix alia anima ipso vtatur,sic etiam in reliquis operibus animalis inuenies.

SED Contra sunt autoritates Scripturæ,& sanctorum spiritui motabili ex elementis,& sanguine educto,committentes animalis motum, & functiones, vt ex supradictis patet, huncque spiritum in cerebro habitantem discurrere docuit Chrysostomus; & addit: *Spiritus è cerebro discurrens non omnia omnibus tradit, sed iuxta cuiusque membri analogiam plus illi,quod plus; & minus ei,quod minus capere potest.* Traduci autem per semen,& generare animal,testatur Nyssenus,de his autem infra. *Super ep. 1. ad Thess. c. 4. ho. 11.*

Quapropter cum non aliam substantiam indicent Patres à Deo brutis datam, hæc sit princeps in nutritione, generatione, & motu, & sensu oportet. Galenus autem tribuens principatum temperiei cerebri, & iecoris, & cordis, & Arist. formæ totius corporis, idem faciunt, ac si quis formam molendini causam imperantem motui, & non ventum agitantem formas instrumentorum diceret; aut formam nauis dare motum naui, & non nautã.

Item liberum à corpulentia faciunt mancipium, formam verò corpulentiæ immersam faciunt dominatorem, & libertatis autorem; vel aliter, formam molendini imperarare vento, & formam nauis nautæ: cum tamen contrarium sit. Vsus enim formæ vasis habitatori subest, & non è contra. Nec quidem vnde sensus, & imperium stupidæ formæ elementari adsit, quo possit iubere elemento liberiori, & potentiori, declarat.

Qui enim præter elementa animam mundi adhibent, formam corporis tanquam domicilij, spiritum verò tanquam habitatorem, animæ mundi imperio parentem, faciunt, non formæ: sic Plato, sic Anaxagoras, sic Varro, & Plinius, & Virgilius, & quicunque naturam Deum faciunt, vt Hipp. interdum. Aristot. autem, qui calorem generare animal, eo quod sit anima vbique, & prudentiæ, & prophetiæ non minus ac Hipp. & Galen. fecit autorem; mirum, quomodo subiiciat illum formæ; sicut si quis formas securis dominari artifici suo enunciaret.

Ad primum, etsi in homine paret spiritus Menti, non tamen in pecore, nisi Fato, ac Necessitate subditus exterioribus mentibus: mouetur autem semper, quoniam natura mobilis est in cellis cerebri, & arteriis, & vbi minus irretitus est: in planta enim motus eius non discernitur, tam exilis est, à crassitie victus. Corpus autem totum mouet, non semper, quoniam non semper indiget sequi, aut fugere aliquid; concursu obiectorum stimulatur spiritus ad hunc motum: neque enim liber est, vt Mens humana, sed spontaneus tantum ad proficua, coactus ad nocina; cum ergò sistit motum, non paret imperio, sed suo commodo pro corpore seruando, & ne ipse resolutus exhalet ex parte, remaneatque imminutus, debilisque: procurat enim præsens bonum, quia futurum, & extra se, quod est, non metitur, sicuti Mens humana, spiritus brutorum, vt doctè S. Bernard. super Cant. nos admonet.

Ad secundum Resp. quod imaginatrix facultas est in ipso spiritu, non in forma visceris, aut vasis; nec mouet spiritus vas suum, nisi prius ipse motus ab obiecto imaginato bono, vel malo, ad sequendum, vel auersandum, non tamen deliberat in brutis, sicuti in nobis cum misceatur Menti: retardatur tamen canis ad aggrediendum lupum, quia mouetur metu, & cupiditate simul, non deliberatione. Concedo etiam, quod in spiritu præualet cognitio ante motum corporis, sed in sui motione nequaquam: semper enim mouetur, nec potest sponte quiescere.

Ad tertium spiritus etiam in infinitum agit, sicuti ignis, sed pro sua rata; est enim blãdus calor spiritus, & blandè agit, cibos liquando, non vrendo, & sanguinem attenuando, & tenuitatem educendo sursum, sicuti ignis flammam; quod etiam Arist. in lib. de Morte, & vita, & Plato in Timeo, & in symposio, & Plutarchus testantur, & experientia. Calorem ignis concipit manus, non tamen ille calor vrit absque fine, nisi pro sua rata; nunquam enim deficit calefacere. Verum quidem est, quod ratione fiat nutritio, & non sine fine: quandoquidem aucto calore plus de corpore in tenuitatem educit, quàm de nutrimento aggeneret corpori, vt dicemus: sed hoc non est ex imperio animæ. Constat enim nos velle semper augeri, & fieri sicut gigantes; & Nanos, Pygmeósque animas habere cupidas grandioris formæ corporalis: cur si anima imperat spiritui, non augetur corpus istorum plus? terminus ergò est à Fato ex concursu exteriorum causarum cum interioribus. Autor autem Fati Deus, qui sic ordinauit causas, & concausas agere & pati, vt tales, & tantæ formæ fiant iuxtà sui ideam: & ideò non inuenies causam principaliorem intra brutum huius augmenti, quàm spiritum: extrà verò habes Fatum, & Deum, & si qua est intelligentia assistens, vt in Metaph. Profectò si valeret Aristotelis ratio, plantæ haberent animam rationalem iubentem calori: nam summa ratione ædificant fructus, flores, frondes, spinas, & propter finem, non nisi è deliberante causa intentum: exequitur ergo spiritus ordinem fatalem iuxtà præscriptum Dei, non tamen habet formam aliam in bruto sibi imperantem, neque in planta, sed seruientem, sicut circularitas; &

temperies

temperies oculi seruit videnti spiritui, & non imperat. Qui non agnoscit Fatum, Harmoniam, & necessitatem, influxus primæ causæ Sapientiæ, primi Amoris, & primæ Potentiæ, non poterit perfectam naturalium reddere rationem: semper per ambages ambulabit; nec nisi Deo duce ista perquirendo agnoui. Illi soli honor, & gloria, mihi confusio abutenti donis eius.

Ad quartum negatur assumptum: imò qui patitur potest iudicare de passione, & per illam de actione, & agente obiecto. Spiritus ergò passibilis est facilè, vt facilè sentiat, statimque benè patiens sectatur; malè, aufugit; in mediis mediocriter se habet; si secus foret, tu posses de passione mea iudicare, & ego de tua.

Ad quintum, non quia parum patitur spiritus, multum afficitur à terriculosis; sed quoniam amplius pati ex illa passione pensat; quando autē magna est passio, nec augeri posse credit, sed minui, minus afficitur. Ergò non sequitur alia anima patiens, & alia timens, sed quæ patitur timet amplius pati, vel sperat non amplius, quoniam ex aliis præscit, ita non fore, aut fore. Ex hoc autem argumento deducitur idem esse: sed tamen ipsum sensum semper fieri cum discursu ad plus, vel minus, vel consimile, sicuti suo loco contra Arist. inquiremus.

Ad sextum, spiritus est dilatari, & dilatatione gaudet: potest tamen constringi, quia tenuis, rursusque in se amplius cogibilis est. At hic motus molestus est illi. Omnis ideò hilaritas est dilatatio, mœror autem constrictio, quasi enim fugit à mœstibilibus. Sed hoc non fit à frigore, sed à sensu. Diximus enim non omnia frigore constringi: sed quædam à calore per accidens, quædam verò à sensu conseruationis, & destructionis: & hoc est potius vniri. Et spiritus dilatat corpus sese effundendo foras, vel partem in illam confluendo, & musculum cogendo. Cogit verò intus recedendo, vel musculum dilatando. Hoc autem sequenti articulo palam fiet. Nec frigus opus esse huic functioni.

Ad septimum, Principem causam formationis interiorem, & Physicam, dico spiritum, qui arte vtitur operando, vt in generante operabatur. Sed tamen ista facit omnia calefaciendo, attenuando, & consolidando. Vt autem in talem formam exeat opificium, est à Fato, Necessitate, & Harmonia, quibus vtitur intelligentia dclatrix idearum iuxtà intuitum eius in Verbo Dei. Spiritus autem simulacrum seruat generantis quasi instrumentum, aut materialiter, non idealiter in Deum intendens, sed naturalem similitudinem seruans. Seruat autem Fato, id est, causarum concursu adiutus: non adiutus verò non seruat. De his alibi, non tamen in semine aliam formam mihi dabit Arist. quæ spiritui imperet: imo ipse non nisi calorem adhibet formatorem corporum, vt in quæst. 34. declarauimus. Moderatio autem spiritus est à concausis per totum mundum distributis, non ab anima seminis alia, vt patet in sponte ortis. Semen enim, & vulua sunt, vt commodius fiant, non vt fiant animalia, veluti suprà docuimus disputantes cum Auicenna, & in Metaph.

Vtrum ratio, qua Aristoteles ab immota forma corporis organici, mouet corpus organicum per imaginationem calefacientem & frigefacientem, & per membrum immotum, sit possibilis.

ARTIC. V.

NON modo propter rationes à nobis paulò ante solutas, quibus probauit in primo de Ani. non esse per se mobilem Animam Aristoteles contendit dogma suum statuere; sed etiam addit oportere esse immobilem; & quomodo immobilis moueat, insuper putat se eleganter declarare.

Probat in 8. Physic. Omne quod mouetur ab alio distincto, separatóque moueri per inductionē: nam vi mota manifestè sic mouentur. Natura verò alia, quæ mouentur sunt animata; & hæc manifestè, ait, mouentur à distincto motore, id est, ab Anima, sicuti

nauis à Nauta. Alia inanimata, & vel mouentur per accidens à remouente prohibens; vel à generante, vt ignis sursum, & terra deorsum. Dans enim formam, dat & motum consequentem formam. At quod primo mouet, oportet esse immobile. Nam si moueretur, ab alio distincto moueretur, & sic processus in infinitum. Et non dato primo mouente, non datur vllum sequens mouens aliud.

Probat iterum, quod primum non mouet se ipsum: quoniam diuideretur in partem mouentem, & motam; & quæstio erit eadem: quomodo pars illa mouet; mota ne, an immota? si mota, à quonā? & sic in infinitum. Si immota ergò distincta, & non vnum.

Prætereà idem esset mouens, & motum, si totum à toto se moueatur, ergò idem docens, & doctum, ædificans, & ædificatum, calefaciens & calefactum; quod est impossibile.

Tunc si Anima est primum mouens in corpore animato, oportet illām esse immobilem.

2. Quidquid mouetur, ait in lib. de causa motus animalium, indiget immobili principio cui innitatur. Neque enim possumus super mobili re ambulare, & mures in arena vix possunt moueri, quia non habent immotam basim, cui innitantur. Similiter nauta non potest impellere cymbam, nisi in terra innitatur immota: aut sudem in terra figat, impellátque. Proptereáque, ait, ventos a Pyreneis montibus validiores, quoniam immotis montibus pro principio innituntur. Et omnis ventus tale habet principium. Igitur & motus Animalis ab immoto est principio.

Quidquid mouetur circulariter etiam immobili centro indiget: proptereáque cælum mouetur, quoniam super immota terra versatur.

3. Modus ergò, quo mouetur Animal sic est, vt si totum se mouet, super immoto principio exteriori innitatur. Partes autem omnes super corde tanquam centro, vnde pendet virtus motiua. Manifestum est enim, vt ait in 3. de Ani. tex. 55. quoque quòd si quod membrum mouetur super altero immoto tanquam centro, fit motus, idcóque est ossium commissura. Parua autem motio centri est multa in circumferentia. Digitus ergò mouetur immotæ manui innixus: manus brachio, brachium humero, humerus scapulis; vbi quasi centrum est: brachium verò quasi in gyrum propter illam fixionem potest moueri. Omnia autem membra cordi innituntur. Vbi enim est principium sensus, ibi & motionis, vt ait in libro de Somno & Vigilia.

4. Quærens autem, quæ pars animæ sit motrix in 3. de Ani. text. 48. & seq. dicit esse intellectum, non speculatiuum, quoniam non mouet, qui solum cupit, nec cum speculamur, mouemur. Videtur autem esse practicus. Cum enim intelligimus, & deliberamus aliquid agendum, tunc mouemur, & non videtur sufficere: Multa enim, quæ non facienda esse ratiocinamur, victi ab appetitu, aggredimur, vt adulteriū, vsuram, &c. Sæpè autem quod appetimus non aggredimur, quoniam prohibet ratio. Ergò, ait, sunt duo motores vicissim; voluntas, & intellectus, aliquando præualet illa, aliquando iste. In Animalibus verò est imaginatio; neque enim nos mouemur, nisi prius imaginantes, quid agendum. Ergò in nobis mouet imaginatio, sic & in brutis. At non nisi appetitu annuente, quæ ab imaginato obiecto mouetur. Imaginatio quidem fallitur, non autem intellectus. Appetitus verò contrarij sunt, quia futurum, & præsens in delectabili præcognito non æquè se habent.

Hic etiam patet, quod ab immobili principio mouetur Animal. Nam obiectum est mouens immobile; Appetitus mouens motum ab obiecto imaginato; corpus motum, non mouens; instrumentum verò, quo mouet, centrum est commissura, & cor primum.

5. In lib. verò de causa motus Animalium, & in paruis naturalibus, quærens quo pacto imaginatio dat motum corpori, ait, quoniam motus omnis est pulsio, & tractio, dilatatio, & constrictio. Hæc autem sunt contraria. Ergò contrariis instrumentis agitabit Anima corpus. Igitur imaginatrix anima cum excitat appetitum, tunc calorem vi imaginatiua facit dilatationem; cum excitat frigus, constrictionem. Motus alij non insunt locali: nisi compositi ex his.

De respiratione alia deinde comminiscitur suo loco dicenda. Saltum cordis etiam calori, & frigori tribuit, vt in palpitationis morbo.

Imaginatricem, & Motricem ergò ponit in corde, quia in centro, quod principium est omnis motus.

SED Contra hæc sunt, quæ determinauimus ex sacra Scriptura, & sanctorum authoritatibus. Potes secundum Chrysost. & alios Patres illud Euangelicum adducere, *Spiritus vbi vult spirat.* Exponunt enim hoc & de vento, tanquam exemplo spiritus diuini, & spirare dicunt, vbi vult; quoniam ventus de se mouetur, non ab immobili mouente Aristotelico pulsus. Nos igitur illi adhærentes fundamento in conciliis etiam decreto, *Nemo dat quod non habet*, non possumus ab immobili principio motum elicere. Nunc Aristotelis discursus examinentur. Rationes enim nostræ in superioribus explicatæ sunt. Adde, quod S. Gregorius Nyssenus lib. de Anima c. 4. probat contra Aristotelem Animam esse natura mobilem, & per se, non per accidens. Et ideo dat motum corpori.

Ad primum iam probatum est ex Senecæ, & Scoti, & Durandi, & Telesij authoritate, falsam esse illam propositionem, *Omne quod mouetur à separato motore mouetur.* Hoc enim verum solum de violenter, aut ab arte motis. Natura enim principium intrinsecum est, non extrinsecum; sicut Ars, & Violentia. Ergò quæ natura mouentur, à seipsis mouentur. Et in quæst. de motibus cœli explicatum est hîc & in Metaph. Quapropter falsa est consequentia. Ergò idem sunt ædificans, & ædificatum; docens, & doctum, calefaciens, & calefactum. Hi enim sunt motus ab arte, & vi, non ab intus. Et nunc de latione est sermo, non de alteratione. Ergò non sequitur, quod detur primum mouens immobile, sed potius per se mobile. Omne enim per aliud motum reducitur ad per se motum; & per aliud bonum ad per se bonum. Si secus esset, tunc concluderem, omne bonum à malo, & Deus esset pessimus, sicuti est Arist. ista docens. Profectò non poterimus amplius philosophari, si ad oppositam causam transcendendum est, non ad similem effectibus.

Nec ista ratio probat Dei immobilitatem, vt in Metaph. docui. Sed ex motu primum per se mobile, quod est cælum probatur: de Deo verò nequaquam. Non enim est per se mobile; neque per se immobile physicè, vti hîc inquirimus, sed eminenter vtrumque, vt sanctus Iustinus docuit, seclusa vtriusque imperfectione. Vnde in sacra Script. aliquãdo mobilissimus omnia permeans, & cunctis mobilibus mobilior. Aliquando quiescens, & per se stans nobis significatur. De his vide Metaph. Aristoteles nesciuit distinctionem inter operationem, & actionem, nec scire voluit. Etenim grauia, & leuia à se mouentur motu lationis; generationis verò à generante, alioquin, & Animal dixisset à generante. Si ergò est primum mouens in Animali, vtique mobile per se erit. Ratio quoque Aristotelis secum pugnat. Si enim Animal ab Anima insidente separata, vt nauta in naui, mouetur, vtique spiritus corporeus erit anima per se mobilis, & non forma corporis, quæ non est separata. Vel falsa est propositio, omnia moueri à separato motore.

Ad secundum grandem detegit inconsiderationem Arist. Qui enim fieri potest, vt motus immobile egeat, & calor frigore, vt calefaciat, & bonus malo vt benefaciet, nisi per accidens? Igitur quoniam virtus spiritus non est tanta, quæ possit totum corpus simul mouere, vti spiritus auis corpus suum leue; indiget fulcimento exteriori, & dum partem corporis eleuat, aliã partẽ ibi sistat. Si autem exterius illud mobile fuerit, non poterit sistere pedem immotum. Ergò pro quiete pedis, non pro motu indiget terra homo. Quem pedem enim mouet, in aëre mobilẽ suspendit. Si quid autem immotum obuiet impeditur quidem. Idem dicimus de mare, & de eo, qui mouet cymbam. Dum enim impellit ante per manus, impellit retrò per pedes, non enim potest suspendi in aëre vt cymbã moueat, & sic pulsus contrarij non mouent cymbam. proptereáque terræ innixus pellet cymbam ante: quoniã vnico motu anterius ipsam agitat, terrã vero posterius pellit manentem: at si resiliat tellus non pellet cymbam, quoniã duos motus edet contrarios. Verum si columba alligata nauis malo posset mouere tantũ, non vtique indigeret immobili tellure, sed moueret non indiga principio quiescente. Sic enim mouet ventus, non montibus innixus, (hæc stoliditas est) sed proprio impetu, & à mari enim venti, & vndecumq; eleuati pro viribus, & magnitudine sua pellunt, non pro virtute principij stabilis; quo nõ indigent, nisi quæ vectantur ab impotenti mouere ex toto. Longè stolidius est, quod ait, Cælũ moueri,

quoniã terra quiescit,dans illi motum. Quis audiuit talia? Profectò mouetur omne à vi motiua,non à vi quietatiua,si philosophari per causas per se volumus in tertio modo etiã perseit itis Aristotelicæ. A suo calore cælum fertur, vel Angelo,vel anima, non à tellure, si malleus non mouetur ab incude. Timeus quomodo mouet cui etiam tellus mouetur? Copernicus prouidit sibi quietem solis, quam negaui semper, nam saltem in se voluitur,quod tandem & Galilæus telescopio deprehendit, nedum Telesius olim.

Ad tertium nego cor esse principium vnde motus, & de hoc erit quæstio sequens; & Chrysost.& Ambros.& Basil. cerebrum cum Galeno, & Telesio principium motus faciunt & sensus.

Præterea cor semper mouetur. At Aristoteli immotum debet esse centrum: sed se reficit, quoniam dilatatio, & constrictio sunt quasi quies: est enim reuersio in idem: sed cur quieti,& non potius mobilitati cordis adscribendum est principium, & ratio motus? Vide imprudentiam: vt positionem tueatur contrarium contrarii causam potius eligit, quàm simile,contra propria dogmata,& naturæ,& philosophorum, & theologorum, &c.

Præterea cor non est cui inhærent partes corporis,sed ipsum potius suspensum est per neruos à capite descendentes,locatúmque super spinali medulla: & pulmone aërem profundente dilatatur,& sanguinem è venis haurit. Totum autem animal ossi sacro potius inhæret secundum machinam; secundum basim pedibus; secundum originem cerebro; secundum centrum motus mediæ vertebræ. Cor autem suspensum est,vt sit officina spiritus & sanguinis arterialis. Idem est dicere super cor fundari corpus, atque domum super cophinum pendentem de trabe plenum exculentis,à vento per fenestram intrante agitatum.

Quod de commissuris ait, propterea ex parte verum est, quoniam non potest partis motus sicorum fieri: si etiam totum simul mouetur eodem motu: sunt enim vnum: melius etiam discernitur altera parte quiescente;contrarium enim apud contrarium plus patet. At ego possum mouere meante, & brachia retro agitare: Item alios digitos retro, alios ante simul,atque vna brachium aliter mouere, vti nunc facio. Ergò potest fieri motus membri super membro moto,non tamen tam benè patet,quoniam confunduntur, vt dictum est. Commissuræ autem ossium sunt, vt omni ex parte possimus moueri, erigi, attolli,& functiones varias obire secundum totum, & secundum partem: vti in textu.

Quapropter non rectè Arist. celebrat motum, nec musculorum, & neruorum functiones cognouit maximas Galeno gratias in hoc debemus.

Ad quartum hic sermo est de motu locali,& de physico principio eius operatiuo,nec potest inueniri,nisi spiritus per se mobilis. Appetitus autem, & imaginatio sunt facultates eiusdem in animalibus,vt patebit ex textu,& in quæst. seq. At aliquando mouet,nec imaginatione præuentus,vt in motu pulsationis, & aliis naturalibus, de quibus cum Galeno controuertimus.

Tunc quidem innata notitia,& amore,non illatis, mouet, vti in arbitrariis motibus, quos sistere etiam potest. Imaginatio autem mouetur ab immobili per accidens. Alius est enim motus,quo afficitur sensus ab obiecto,alius,quo imaginatio mox se ipsam: ille enim Physicus est,hic Metaphysicus,quoniam est notitia suæ entitatis affectæ ab obiecto; & ex hac se mouet ad capiendum,vel odiendum,& fugiendum. Obiectum ergò est occasio huius secundi; ex quo resultat tertius,qui est executio,cuius principium est spiritus, vt calidus,tenuis,mobilisque,non vt cognoscens: neque hic ad immotum principium Physicè reducemus: sed potius moraliter, vt moderni loquuntur. At de intellectu à Deo infuso,alia res est:neque mobilis enim,neque immobilis dici potest, mouet autem spiritu,quo deficiente,non amplius mouet, vt infra.

Nota etiam quod intellectus est solum intelligere: voluntatis velle motum: edere autem motum est potestatiui propriè & per se: cognoscitiui est dirigere: volitiui propendere.

Ad quintum valde errat: quod enim imaginatio faciat frigus, & calorem, res contrarias simul; neque freneticus dicet: cum enim saltamus in Choreis, alia membra pandimus,alia flectimus intro simul: ergò tunc imaginatio facit simul, & tam cito calorem & frigus? quis ista credet? Nec appetens facultas si est forma immobilis moueat & calefa-

ciat ac frigefaciat, nisi sit actu mobilis, actúque calida & frigida: non enim quod potentia, sed quod actu, agit, secundum naturam & Arist. qui etiam negat in 8. Phys. corpora moueri à sua forma, sed à separato motore omnia, nunc verò contradicit.

Præterea aut hoc cogitat dum facit, aut non: si non, ergò non faciet: nihil enim facit imaginatio, nisi imaginando, vt ipsemet docet: si asserit, falsum asserit: nam qui saltat, & qui philosophatur nil cogitat de excitando calore, & frigore, sed solum de actibus externis: imò sæpè ambulamus nescientes nos ambulare, intenti nempè cogitationi rerum mirificarum.

Præterea non videtur calor, & frigus excitari in choreis, sed semper potius magis incalescimus etiam in plicatione membrorum: si vera esset Aristotelis positio, saltem ex æquo tantum caleremus, quantum frigeremus.

Præterea ex sola deliberatione ad motum homo mouetur nullo excitato calore, aut frigore: ergò impetus potestatiuus spiritus facit motum, quocunque spirat: fit quidem in metu frigus non ab imaginatione, sed quia spiritus fugit intro, & partes aliæ remanent sine calore: sic & calor eiusdem præsentia. Imaginatio nihil potest, nisi quatenus est motus eiusdem spiritus, vt infra dicemus. Profectò si tam cito calorem facit imaginatio tantum; cur frigefacti sola imaginatione nos non calefacimur? & cur sub cane non sufficit imaginatio, nisi niuem adhibeas?

Præterea quantumuis imagineris & appetas, itémque calefacias manum, & corpus, nunquam mouebis localiter, nisi spiritus impetum faciat: neque frigefactus quiesces, nisi ipse sistat. Videtur Aristoteles idem dicere, ac si quis nauem moueri calefactione putet absque impetu remigantium.

De imaginatrice infra dicemus, & quantum valeat disputauimus in Metaph. contra Auicen. qui etiam miracula illi tribuit: vide etiam 4. de Sensu Rerum.

Vtrùm Aristoteles rectè definitiones Animæ nobis tradiderit, Quod, videlicet sit Actus primus corporis Physici organici organici potentia vitam habentis: & id, quo viuimus, & sentimus, & mouemur, & intelligimus primò. An rectius alij.

ARTIC. VI.

Videtur quod sic ex sermone Arist. 2. de Ani. T. 1. ait enim. Anima est hoc aliquid, ergò non materia quæ non est hoc aliquid; at neque compositum, & corpus; quoniam est in subiecto; corpus autem non est in subiecto, est ergò actus corporis: non artificialis; ergò naturalis. non homogenei, ergo organici; non carentis vita, ergò habentis; non sicut speculatio, sed sicut scientia: ergò potentia habentis, non actu semper.

Deinde ait, sicut visus est forma oculi, ita Anima corporis, ergò non est separabilis; *Tex. 10. & 11.* sed partes quasdam nihil prohibet separari, quoniam nullius corporis sunt Actus. Adhuc immanifestum, si sit Actus sicut nauta nauis.

Deinde aggreditur definitionem, vt putat per causam, & ait, quoniam viuere dicuntur, *Ex tex. 12. vsque ad 26.* quæ nutriuntur; itémque quæ sentiunt, item quæ sentiunt, & mouentur; & tandem quæ imaginantur, & appetunt: hæc enim sentientibus insunt omnibus. Item quæ intelligunt insuper, sed immanifestum est, ait, adhuc an intellectiua potentia sit separabilis, vt videtur, sicut perpetuum à corruptibili: de aliis patet, quod non separentur, ergò Anima est id quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus, non secundario vt scientia, sed primario, vt forma, in qua fit scientia.

Deinde subdit, quia est aliquid corporis, in corpore inest, & in corpore huiusmodi, & non sicut antiqui aptabant ipsam ad corpus nihil vltra definientes: in quo, & quali: quamuis non videatur quodlibet recipere quodlibet: sic autem fit secundum rationem vniuscuiusque enim Actus in eo, quod potētia existit, & in propria materia aptus natus est fieri.

animæ subiecto distinctæ in corpore, quod tu negas contra Platonem ita opinantem. Tunc quæro, sicut tu soles, quid continet istas animas vnitas? non corpus, quia continetur; non anima, quia diuisa. Longè magis premuntur, qui vnicam animam in corpore statuunt receptam in nuda materia. Tunc enim quæro, quomodo in instanti fecit ossa, carnes, neruos, iecur, vesicam, &c. tam difformes, cum ipsa sit vniformis, vel vnica forma simplex? siquidem in instanti vnitur materiæ nudæ abiectis organizationibus præuiis ossium, & neruorum, &c. & ab ipsa additis suæ vnitionis vi nouis, vt aiunt. Profectò videntur isti non res inspicere, sed imaginationes Aristotelicas cum philosophantur. Dicunt tamen priores pro Arist. quod diuersæ sunt potentiæ animæ in diuersis corporis partibus; ipsa autem vna est in toto. At, inquam, si vna est, quomodo potest diuidi in subiectas partes forma differentes? & vbi simplicitas eius, cum realiter, sicut res à re, partes eius, & subiecto, & definitione, & operatione, & passione diuidantur?

Præterea illæ potentiæ sunt substantia, an accidens? si substantia; ergò plures substantiæ est vna anima, quod nolunt: si accidens, quomodo potest à sua, vnde fluit essentia recedere? siquidem nutritiua est in osse, non autem anima: similiter in pilo: accidens autem proprium non separatur: si autem sunt simul omnes cum anima: ergò sensus erit in osse, & intellectus, sicuti & anima: non autem patet, quoniam organum ineptum: sic dicam, & ego esse animam sentientem in planta: ergò non erit forma, sed artifex pro organorum aptitudine, se se exercens, & ostendens.

Præterea nec corpus vnicum organum est, sed plura diuersis vsibus destinata: alium enim iecur vsum habet, alium cor, alium splen &c. ideóque formis distinguuntur, vt gladius, & securis, & remus, & olla, & molendinum &c.

At plura instrumenta non potest tractare forma vnius, nec formæ plurium vt dictum est; nisi artifex exterior illis vtatur, cuius potentia est vna, artes verò plures: sic ergò oportet de Anima philosophari: nec ipsam discerpere subiectorum formis. Sibi etiam contradicit Arist. cum cor eius subiectum statuit, non totum corpus, de quo inferius. Et cum dicit indiuisibilem, & tamen in subiecto diuisibili.

Quod autem forma oculi non sit visiua facultas, sed eius architectura: facultas autem sit in spiritu in oculos exeunte, & in cerebrum redeunte, tanquam ex fenestra ad aulam, & S. Augustinus docet, & omnes Patres, & ipsa experientia. Nam oculis apertis dormiens non videt; quod oporteret, si potestas visiua esset oculi forma immanens.

Item abit in alterum oculum cum iaculatores inspiciunt scopum per dioptram: & in lætitia plurimus spiritus lucet, & tumefacit oculos; in mestitia abest, relinquitque turbidos, & exiguos: vt non nisi obstinatissimi negare possint animam esse inhabitatorem, non formam corporis: exemplum Ciuitatis, cui Plato, & Arist. comparant corpus, planè ostendit habitatorem esse, non formam totam in toto id, quod vocamus Animam.

Præterea ex hac definitione Arist. nulla potest reddi ratio motus, & sensus, & nutritionis, & aliarum operationum, vt supra probatum est, quare & sanctorum Decretis, & his, quæ accidunt circa animam repugnat, & experimentis: cur enim in epilepsia cessat motus, si anima est vbique vt volunt tanquam forma? & cur ab humore transitus impeditur ei, quæ per totum est, nec ergò transire opus habet? Quod autem potentiæ animæ sint anima potens dictum est prius.

Præterea ex hac definitione non explicatur essentia animæ; cum enim ex elementis constet corpus insensatis, docendi eramus, vndénam sensus in forma huius elementati, & tam miræ operationes? detur enim, quod in hominibus deforis venire animam dixerit: cur non declarauit, vnde in brutis memoria, obliuio, sensus, phantasia, æstimatio, quæ elementis non insunt, vt ipse arguit contra Empedoclem? solum nos docet, quod sit in corpore naturali, quis hoc ignorabat?

Item quod Anima viuimus, sentimus, mouemur, quis hoc negabat? Profectò illudit nobis homo sophisticus, non docens ignotum, quid sit Anima, sed extrinseca eius, nulli ignota: sed verbis ceremoniosis, vt videatur alta sapere.

Longè melius definiunt philosophi veteres, quod sit spiritus tenuis, mobilis, & sancti Patres de pecorum anima, quod sit spiritus in sanguine genitus &c. & de humana, quod sit substantia incorporea rationalis à Deo immissa corpori, vt beatitudinem sibi paret;

aut vt Plato, vt pœnas luat, & purgetur. Isti omnes aliquid dicunt, suæque positionis fundamentum aliquod ponunt. Aristoteles nullum: sed super insensatis elementis, insensatam formam, immotam, facit tantarum operationum motionumque causam.

At nec de intellectu de foris accersito, cur intret in hominem docet. At insultat Pythagoricis, quod non doceant: falsò quidem, nam ob pœnam illi; nos, vt mereatur. Tu autem propter quid?

Ad primum videtur Arist. discursus puerilis, cum enim quæ substantia sit anima, & vnde sit in insensatis corporibus, docere deberet, per vocabula communissima logicorum more procedit: vnumquodque debet definiri per suum genus proximum, non per communissimum: si enim dicerem homo est substantia composita, loco generis, nil docerem ignotum. Ipse per actum communem accidentibus, & separatis substantiis definit.

Item definitio debebat causas animæ enucleare: sint ne elementa, an aliqua principalior. Nam & reprehendit eos, qui posteriorem faciunt elementis. Ipse autem stultius & elementatis. corpus enim organicum, cui iste actus inest, prius est corpus, quam talis actus corporis: vtque in logicis ostendimus, physiologus omnes causas physicè docet, & in definitione perfecta epilogat.

Præterea cum Anima sit substantia nobilissima, quæ substantia sit, dicendum erat, & non cuius corporis sit actus: quis enim ignorabat esse physici, & non artificiosi corporis? Definit autem Arist. more accidentis animam, cuius esse est illa inhærentia: At quidditas non est inhærentia: etsi enim luminis esse, sit in diaphano: lumen tamen est aliqua entitas, quæ declaranda est, & postea cur in diaphano magis insit: sed Arist. spreuit nos, quasi pueros sui admiratores, & omnia definit extrinsecus, vt *lumen est actus diaphani. Motus est actus mobilis, qualitas qualis; anima animati corporis physici.* Declarat existentiam, non essentiam ista ratio. Imò neque existentiam, sed subiectum existentiæ, nulli ignotum: quis enim dixit, animam esse actum nauis, aut dolabræ? Actus vocabulum est communissimum: diuiditur enim ens per potentiam, & Actum, quid ergò docebit? At si putent tantæ excellentiæ esse animam, vt non nisi per voces communissimas doceatur: sic enim & Deum, & Angelos vocamus Actus: declarandum nobis erat, & causa productiua etiam tanti actus non tacenda. Nec elementati corporis, excellentia tanta, erat ponenda Actus: sicuti accidentia sunt, & formæ omnes vilissimæ, & securis.

Præterea processus eius est inanis, ex hoc enim, *quod anima est hoc aliquid*, probat *non esse materiam*. Quod si quis negat, non poterit Arist. concludere. Negat Theophilus peripateticus, qui docet animam esse materiam: quoniam est potentia ad omnes formas intelligibiles, ex Aristotele ipso. Secundo ait, *Anima non est compositum*, quoniam habet subiectum: sed physici veteres negant animam esse vt in subiecto: sed sicut in domicilio, & instrumento, & dicunt spiritum esse, & compositum: ergò Arist. non potest concludere, quòd sit forma per illas exclusiuas.

Præterea hæc definitio non conuenit omni animæ: siquidem intellectiua substantia non est actus corporis, vt Arist. dicit, & Auer. & Alex. & Auic. ergò falsò addidit in secunda definitione, quod sit id, *quo viuimus, & intelligimus*; declarando ly *quo*, id est, vt *forma prima*, qua intelligimus, non vt scientia, aut speculatio.

Præterea differentiæ, quas addit, sunt nugacitates: quis enim vtrum sit corporis naturalis, an artificialis anima curat? quis definiet sic, Homo est animal physicum, ad differentiam animalis artificiati? Cum addit organici, sibi contradicit in 8. Phys. & p. de gen. an. cap. 19. & seq. Non enim, ait, artifex est organi sui actus vllo modo, nisi metaphoricè, & abusiuè; cuiusmodi definitio omnis vitiosa. Deinde quid magni est scire, quod corpus illud habet vitam potentia, id est vitales operationes? hoc enim sciebamus, non quærebamus. At præterea definitionem hanc non probat: cum enim ait, Anima non est compositum, quia est in subiecto, negamus, neque enim est in subiecto, sed in habitaculo, & organo, vt docent sancti Doctores, coniuncto tamen in vnam naturam compositam, non simplicem, coniunctione essentiali. De oculo iam dictum est in hoc articulo, quàm ineptè enunciet. Quod addit nullius corporis esse actus partes animæ aliquas, de intellectu loquitur: ergò definitio non omni animæ conuenit. At sequens definitio ponit intellectum corporis actum contra hoc decretum; & de actu, nauta perperam loquitur

loquitur: non enim nauta actus nauis: hæc etiam definitio contradicit dictis in 8. Physicorum, vbi animam non actum, sed nautam fecit, & rectius, vt possit mouere.

Ad secundum est imperitior: cumque per causam docere animam profiteatur, effectus notissimos docet. Quis enim nescit animam esse id, *quo nutrimur, sentimus, intelligimus*? Sed quid sit id, quo sentimus, nutrimur, &c. dicendum erat: neque enim dicam, nauis est id, quo nauigamus, penna est id quo scribimus: odor est id, quo olemus, ista enim nota sunt, & Grammaticis potius conueniunt, vocabula declarantibus, posteà addit, quod ly *quo*, sumitur pro forma, quibus in verbis contradicit dictis de intellectu, quod non sit forma. Ecce hominis inconstantiam sophisticam, semper immoratur in vniuersalissimis, & extrinsecis: quidditatem verò non attingit. Deinde insultatio illa aduersus Pythagoricos insulsa est: quasi ignorarint corpus animalis esse physicum, & organicum: sed vel artificiale, vel similare crediderint: aut ignorarint nutritionem in plantis, & sensum in animalibus, & rationem in hominibus esse ab anima: quoniam nescierunt hanc huius esse actum: ideò cuilibet corpori, quamlibet aptauerunt: profectò etsi errarunt, non propterea errarunt, quia actum potentiæ non combinarunt suæ: sed quoniam operationes consimiles hic, & ibi cernebantur, & corpus esse carcerem putabant; quod verum esse Origenes, & Ambrosius, & Chrysostomus, & Trismegistus, & alij; itemque Apostolus docuerunt: sed vtrum ante ingressum corporis peccarint, aut non, est controuersia, & error. Nec propterea quod animam non ponimus Actum, nos quoque cuilibet corpri adaptamus, est enim corpus organum nobis: non autem artifices omnes vno, nec vnus pluribus vtitur, vt nec Doctor rastro, nec fossor libro, nec ædificator remo vtitur, sed quilibet suæ artis instrumento. At idem sequitur contra Aristotelem ponentem intellectum nullius corporis actum. Intrabit ergò in bruta, & in plantas, sicut Aristoteles contra Anaxag. contendit. At cur in hominem, nec ipse dicit.

Ad tertium, nequaquam arbitror Concilium Viennense in Clementinis contextum, contra Patres determinasse, negantes contra Arist. quod anima sit Actus corporis, sed decreuit contra Auerroistas, qui ex eo, quod anima non est forma corporis, sed intelligētia adsistens, concludebant, vnicam esse animam cunctorū hominū; nec plures à Deo dari pro indiuiduorū pluralitate, ex quo sequebantur absurda plurima contra religionem: & tunc tēporis vigebat hæc sententia fallax, contra Theolog. in Schol. Christian. quod fatetur Albert. Mag. & S. Tho. in libellis suis de vnitate Intellectus contra Auerr. & Raymundus Lullius in lib. de Lamentatione Philosophiæ. Quapropter Concilij intentio est sequenda, quod Anima non sit vna omniū, sed singulis immittatur propria à Deo: sitquè forma, non vt forma securis, sicuti Arist. docebat: hinc enim error peior resultaret: sed vt lux aëris nō depēdens à subiecto, neque immersa, sed subsistens, & à Deo pendēs, vt lux, quæ actus aëris est, & à Sole, non ab aëre dependens, ideoq; separabilis: testante Ambros. quod sit *sicut lux infusa, non confusa*. Et Profectò Arist. non putat separari posse intellectum, nisi quia non est corporis actus: quod & nos volumus, & hunc sensum S. Tho. & Theologi retinent, non illum de forma securis: nec negant inesse, vt nauta: nam fatentur Patres, & recentiores præcipuè F. Toletus Iesuita. Item S. Thom. in p. p. docet, quod quando decretum est in Concilio Lateranensi vt habetur in Decret. quod Angeli creati sunt simul cum mundo, non est Nazianzeni sententia damnata, & aliorum qui antè mundum visibilem factos Angelos putant, sed tantum eorum, qui factos ante mundum peccasse, & ipsorum gratia mundum tanquam carcerem creatum fuisse autumant: vnde elicit Caietanus, quod Conciliorum sensus, in quem tendat, non verba pensanda sunt: ita nunc in Auerroisticos non in S. Patres decretum puta, quod anima sit forma: hoc est non assistens vna sola cunctis.

Ambros. in lib. de bono mortis.

Sed arguant Scholastici. Homo animâ intelligit: ergò anima est forma, negamus: nam & nauis nauita mouetur, non tamen nauita est forma: attribuitur toti, quod est partis, per communicationem idiomatum; vt docet Damascenus Sanctus, alioquin Diuinitas Christi esset forma Christi, & caro forma Diuinitatis: quoniam Deus carne manducat & patitur, & homo Christus diuinitate miraculizat; de his infra. Acceptamus formam esse animam, sed non materialem, vt securis; brutorum verò non formam, sed spiritum corporeum. Neque quia illa est forma, & hic magis, illa enim potest dissolutes res animare

formaliter,quoniam non est forma ex temperamentis illis contrariis emergens: ista non potest,quoniam materialis est, vt securis Arist. nec forma securis potest esse forma nauis, & ligonis,& sellæ,& libri coniunctorum: de his eum de Mente humana.



QVÆST. XXXVIII.

DE POTESTATORIIS.

CVm Medicinam nouam ædificarem, ac per doctrinam Primalitatum examinarem, inueni in Animali triplicia organa videlicet Potestatiui, Cognoscitiui, & Volitiui, & admiratus sum, quomodo illud difficillimum Monotriadis arcanum sit omnium scientiarum illuminatio: quod videbatur pridem sciolis euersio. Distinximus ergò organa in textu, iterum in Potestatoria, Sensoria, & Appetitora seorsum: deinde addidimus Operatoria, quæ præfatis Potestatiuo, Cognoscitiuo, & Appetitiuo deseruiunt, & suis in locis ordine doctrinæ, & naturæ disposuimus.

Quapropter oportet articulos multos suis in locis transponere olim alibi insertos.

Quæritur primo, An Potestatoria sint seorsum ponenda à sensoriis, & appetitoriis.

ART. I.



VIDETVR, quod non: omnis enim potestas est, aut essendi, aut cognoscendi, aut appetendi, aut operandi. Quæ autem pertinent ad esse sunt omnibus communia: similiter & quæ ad operationes ad extrà. Quæ verò ad cognoscitiuum, & appetitiuum sunt aliis propria, ergò Potestatoria non erant seorsum ponenda.

Respondeo, quod quemadmodum Primalitates sunt idem essentialiter, & materialiter, distinguuntur verò solum formaliter, & relatiuè, & idealiter; ita & ipsorum organa. Quapropter in oculo, qui manifeste est cognoscitiui, reperitur Potestatiuum in hoc, quod potest videre, & recipere visilia, & mouere in gyrum ad visionem vndique hauriẽdam. Est etiam appetitus videndi, & odium: similiter & nutriendi se, attrahendi, expellendi, quod illi proficuum est, & superfluum. In ventriculo etiam est sensus suctionis, & vacuitatis: item appetitus repletionis, & potentia attrahendi, retinendi, & coquendi: sed vnumquodque denominandum ab eo est, quod formaliter habet secundum dispositionem organi, & rationem finis.

Organa enim omnia fini conformantur, vt lancea pugnę est acuta; cythara sono, bombóque est caua, neruisque armata tinnientibus &c. sic veru acutum vt lancea, appetitoriæ arti assandi carnes seruit, Potestatiua vi munitum.

Ad argumentum Resp. quod Potestas essendi non quomodolibet, sed essendi Animalis, id est viuendi vitam animalem, inest in Potestatoriis seorsum formaliter, non autem materialiter: vt autem animal sit animal, habet contenta, continentia, & impetum facientia, mutuis vtilitatibus coniuncta, & configurata. Vtque perseuerent in hac compositione, & formis, & figuris partium, & totius, indiget fulcimento, quod dant ossa. Continente, quod dant vasa: vitalis caloris roboratione, quod dat cor: Munitiuo à nocitiuis, quod dat corium, & caro, desuper verò squama, pluma. Offensiuo hostilium, quod dentes, vngues, rostrum, cornua, &c. Homini autem multa sunt propter se, vt fulcrum, & contentiuum, & roboratiuum, seu accensiuum, & Munitiuum: multa propter melius vt Pugnatiuum, non modo enim animal est ad se, sed ad alia, organa enim ad exteriora referunt obiecta, propter quæ ita, atque ita formantur, & conformantur, & sunt.

Vtrùm Potestatiui organa sint sufficienter, ac formaliter distincta in sustentatiuum, Colligatiuum, Contentiuum, Defensiuum, & Offensiuum.

ARTIC. II.

1 Videtur quod non. Primo: organum enim vnius obiecti vnicum est: sed ossa pertinentia ad substentatiuum potentatum, sunt in toto corpore plurima, ita vt in sola manu sint 19. quæ in textu numerantur.

2. Præterea sunt omnia vasa, & nerui, venæ, arteriæ, ventriculus, intestina, Cor, Lien, Iecur, Renes, vesica, caput, & ossa, quæ medullas continent, & spiritus. Item pectus, & Abdomen, quæ viscera ambiunt, seruantque omnia: ergò non rectè assignata sunt in textu Contentiua.

3. Calefactiuum, & Transmutatiuum est in toto corpore. Omnis enim particula calefacit, coquit, digerit, & immutat in sui substantiam alimentum per vires Potestatiui, non per Appetitiui. Potestatis enim est vincere nutrimentum, & transmutare: ergò non est vnius organi, & obiecti.

4. Expellere, retinere, attrahere, videntur ad Pugnatiuum, & Transmutatiuum referri: & vasa, & fibræ ei destinantur: & sunt in omni particula secundum sui rationem: ergò vbique non in solo corde.

5. Mouere est Potestatis opus; ergò vis motiua, & organa motus ad idem pertinent, vt nerui, iuncturæ, pedes, alæ, pinnulæ, annulique insectorum.

6. Colligare membra est alius Actus à continere, aliudque habet obiectum videlicet separabile, & coniunctum: quæ vis colligatiua colligat, agglutinatque: ergò insufficienter in textu de organis, & facultaribus Potestatoriis dictum est.

Resp. quod quemadmodum sensus est vbique particularum, & vocatur tactus, peculiaria tamen haber sensoria, ad particularia obiecta, quæ communi sensatione apprehendi non possunt: sic & Potestatiuum est in omni particula, nec exerceri potest, nisi per ipsum. Potentiæ enim recipiendi, retinendi, operandi, transmutandi, augendique eius sunt; secundum tamen ad particularia possibilia, opus fuit organis particularibus: imò & communibus. Communior enim Potestas cognitione in animali. Propterea.

Resp. ad primum quod ossa vni muneri destinantur, quod est sustinere; eius obiectum est pondus, quod impetum ad terram facit ordinarium: licet ex accidenti ad alias quoque positiones inclinamen habeat. Idcirco totam statuam ossibus communiri oportuit: serpentes autem, qui pondus non substinēt super solum, nisi modicum super inuisiles membranaceos pedes, necesse etiam habent ossea spina, vt possint absque ruptura, & plicatione omnimodè colligi in spiras, extendique, & per ossis vnitatem cum faciunt impetum, facilius commoueri; id quod difficile est annulosis insectis ob spinæ carentiam. Partes quoque eleuatæ super spinam, sustinentur vndique: quæ conciderent, ipsa sublata, instar mollis intestini. Arboribus quantum ossium prosit, palam est, in substinendo formaliter, & in defendendo materialiter.

Ad secundum: non omnis continentia est Potestatiui formaliter. Ossa enim continent medullas, vt eis alantur, non vt à malis tueantur compositum, seruentque illas: etenim cōtinentia existentiæ, & substātiæ ipsius compositi propter vitam partibus communem, est propria Potestatiui. Quamobrem etsi ventriculus continet cibum, haud tamen propter continere; sed propter nutrire id facit, similiter iecur, cor, venæ, arteriæ: attamen quatenus nerui, & cerebrum continent spiritum, vt ibi viuat, nec sursum elabatur, quēadmodū ossa statuam ne concidat, dicuntur habere vim contentiuam: eadem ratione venæ, arteriȩ, cor, iecur, lien, &c. quatenus continent humores nc affluant, sunt organa contentiui; sed quatenus nutritioni seruiunt, & proptet hanc continent; sunt organa Appetitiui. Et quia priori intentione, & formalius inest continentia propter nutritionem: idcircò formaliter ad appetitiuum spectant, vocanturque appetitoria organa, nō Potestatoria: ergò Abdomen, & pectus propriè contentiua sunt, quoniam vasa continent ad defensionem, & sa-

lutem; quæ finis eſt Poteſtatiui, verè ad Poteſtatiuum ſpectant. Nerui etiam, quatenus continent ſpiritum, eiuſdem ſunt, ſpectant etiam ad colligatiuum, quatenus compages oſſium, & muſculorum terminos vinciunt. Quambrem reſpondeo.

Ad ſextum quod re vera in textu ponendum fuit Poteſtatorium Colligatiuum, colligare enim particularis eſt actus potendi, ac particulare habet obiectum, hoc eſt colligabile, ſeu coniunctibile. Coniunctibile autem eſt, quod de ſe ſeparatur, ſeu diſſolubile, niſi vniatur vinculis: ligamen ergò eſt eius organum, & quò natura colligat iuncturas, idcircò tendones, & ligamenta, & appendices vertebrarum viſcoſitatis vi, vtrinque ex oſſibus manantia adhæreſcunt, protenſáque colligant diſiunctiones mitis modis. Proceſſus autem, & cauitates commoditatem præſtant colligationi, & motioni, non autem ligant, ſicuti faciunt tendones, appendices, & nerui; qui nerui, & continere habent ſpiritum ſoliditate ſua perforata, & colligare partes, per quas extenduntur ſua extenſione, & complexu. Membranæ quoque ſic ligant complexu, cum tamen potius continere ſit munus earum, ac munire. Nam & corium munit, ac ſimul continet, illud tamen huic principalius.

Ad tertium, concedo calefacere, & immutare eſſe in toto corpore, ſicuti tangere cognoſcitiui; ſed tamen retinere calorem, ne elabatur atque augere, in ſanguinémque trudere, vt eius vi in ſpiritum conuertatur, proprium eſt cordis à pulmone, deſeruiens toti corpori, & vitæ; quæ autem in particulis eſt vis eiuſmodi, eſt reſpectu ſolius particulæ, vt & proprius tactus: non vt oculus, qui ad totam ſtatuam ſeruandam munus habet per actum nullis communicabilem, ſecundum eandem ſentiendi rationem: ſic, & cor.

Ad quartum, quod attrahere, expellere, & retinere, & coquere proprium eſt Appetitiui, licèt per Poteſtatiuum fiant operationes eiuſmodi in vaſis: ſic in manibus, & pedibus eſt executiui per Poteſtatiuum, vt ſuo loco dictum eſt.

Ad quintum, verè motus eſt Poteſtatiui, & reperitur in cunctis organis, & partibus, quoniam nulla mutatio abſque motu: haud tamen particularem habet rationem Poteſtatoriam, ſed communem; & quæ habet; ſpectat ad operatorium, ſeu exequutiuum. Cuius organa ſunt pes, pinnula, anuli, & quidquid ad motum arbitrarium ſpectat: de quibus infra. Dictum eſt autem de Anima eiuſque ſede in quæſt. 37.

QVÆST. XXXIX.

DE POTENTATV SVSTENTATIVO.

Vtrùm animal poſitum extra ſyſtema ſuum, indigeret poteſtatorüs.

ARTIC. I.

RESPONDEO: fortaſſe non indigeret ſubſtentatiuo, quoniam non haberet pondus erga centrum ſui ſyſtematis ſicuti nunc, niſi in alio ſyſtemate conſimili reperiretur, vt in Luna vel in Ioue. At extra mundum in ſpatio vniuerſali erga nullam Rerum portionem propenderet, nec moueretur, niſi motibus animæ; nec partes corporis haberent ſitum ſurſum, & deorſum vel aliorſum: ſed omnis poſitura ſibi conueniret; colligatiuum & contentiuum non deeſſent, ſi quæ nunc habet membra tunc haberet: imò & munitiuo interiori decoraretur, non autem exteriori, cum obiectum nociuum minimè haberet. Multo minus pugnatiuo opus eſſet, ſi hoſtilitas nulla extra, ipſum vexaret: nec ſenſoria externa cum obiecta ſenſibilia nulla forent: nec appetibilia: ergo nec inſtrumenta appetitoria: vnde nec eſſet animal niſi ali-

quod rotundum se ipso gaudens & mouens: nam nec pedibus indigeret, cum Tellus non sit deambulanda, nec alis cum nec aër præfandus; nec manibus, si nulla adiacerent corpora contrectanda. Propterea ablata grauitate, & necessitate instrumentorum, Animal non haberet essentiam animalis, vt cogitauit Origenes de resuscitatis, sed Scholastici dicunt omnia membra permansuta propter perfectionem constitutionis naturalis & propter obiecta extrinseca. Iustinus autem vt cognosceretur resuscitatum vere illud idem, quod mortuum fuerat.

Vtrùm facultas sustentatiua sit in spiritus Animalis calore, vel in tenuitate, vel in vnitione, vel in mobilitate, vel in luce, vel in participio Primalitatum.

ARTIC. II.

RESP. principaliter in prima primalitatum est vis sustentatiua; quatenus verò vsus requiritur cooperatur cognoscitiua ad dirigendum, & volitiua ad applicandum. Calor autem & tenuitas & vnitio coadiuuant: non autem lux, nec mobilitas: vt sic enim pertinent ad motum & notitiam. Quod autem statua sine spiritu non sustentetur, cadauera indicant. Plantæ tamen exsiccatæ stant: quoniam telluri sunt infixæ & vnicum habent ossum non distinctum, nec flexibile.

Vtrùm organa sustentatoria duritie sustentent, an alia vi.

ART. III.

RESP. vnionem compactam quia ad duritiem terminatur, constituere sustentatorium, omnis enim substantia minus vnita & minus constans, non sustentat. Quoniam cedit tangenti, præsertim grauanti. Si autem sit dissimilaris, vt pumex, dummodo dura sit in partibus oportunis, fulcri officium faciet.

Vtrùm ossa sint plura numero in homine ac in brutis.

ARTIC. IV.

RESP. plura inesse in homine fortasse quoniam non solùm plura habet instrumenta, sed etiam partes instrumenti: si quidem in manu decem & nouem habet ossa solum in digitis, quibus carent Equi & ex parte leones: quamuis cætera consimilia habeant. Colubri spinæ tantum & ossa capitis habent. Vermes annulos, Polypi cartilagines; Cancer testas, & distinctorum pedum ossa extrinseca; aranea quid consimile ossibus: omnia tamen buccam osseam & dentes cibi gratia nacta sunt, etiam pulices & pediculi & insecta; quæ & terebro vtuntur. De quibus consulatur Anatomes.

Vtrùm pedes ad sustentationem pertineant, an ad executionem.

ARTIC. V.

RESP. formaliter quidem ad executorium spectant quod exercetur motione, nullum autem graue mouetur nisi vel altera parte sustentetur. Pedes ergo sustentant non intrinsecus vt ossa, sed extrinsecus relata ad tellurem, sicut pinnulæ ad Aquam, & Alæ ad aërem.

Vtrùm centrum ponderis sit idem cum centro molis in systemate communi, & in statera, & in leua.

ARTIC. XI.

RESP. esse idem in terra: vt probauit Copernicus, prominentia etenim montium non æqualium insensibilis est ad tantam molem. In rota, & statera & in leua, quæ centro sunt viciniora, sunt grauia magis vel æqualiter, sed ponderosiora ad trahendum deorsum quæ longius distant. Vnde tres libræ ferri in brachio stateræ æquiponderant centum positis prope centrum; quoniam motus facilitas addit vim & grauitatem, non à mole, sed à momentis pluribus. Similiter corpora pendula cum agitantur, extra centrum vagantur ex impetu indito: quo remisso quiescunt, & pila & res in terram vel in parietem impetuosè adacta, resiliunt donec finiatur impetus potestatiui, quod & in trocho venire videmus. Impetus autem deficit victus à continua resistentia aëris & ponderis, erga tellurem inclinantis; quæ duo si non inessent impulsa pila vel sagitta in infinitum mouerentur nisi animastica vis aliud optaret: sicuti eueniit rebus si quæ essent vagantes extra mundum.

Cur grauat magis aliquando & quoties & vbi minus ponderosum quam magis.

ARTIC. XII.

RESP. Omnia grauitare iuxta ordinem vnitionis attamen per accidens fieri, vt quod magis ponderat in aëre minus ponderet in aqua ob interclusum aërem, vt in ligno, vel adhærescentem, vt in lamina vel vase aureo, sicut dictum est in quæst. 32.



QVÆST. XL.

DE COLLIGATIVO.

Vtrùm vis colligatiua sit in Spiritu libero vel implantato, & qua.

ARTIC. I.

RESPONDEO, in vtroque, sed in libero industriosior, in implantato operosior. Colligare tamen non est nisi mollis & viscosi densique simul, qualis est neruus, officium, tendones, & membranæ, & fibræ quoniam neruosi sunt generis, hunc actum habent, sed tendones intrinsecus contiguas partes faciunt quasi continuas; membranæ vero subcingunt intrinsecus & extrinsecus, vt Pleuris, peritoneum & reticulum iecoris: fibulæ autem ad aptationem circum habent; processus & cauitates vinciunt non colligando, sed commoditatem præstando ne colligata luxentur, addunt & robur. Vnde simul satisfactum est ad secundum articulum quærentem officia colligantium.

Vtrùm colligabile omne sit solidum & diuisum.

ARTIC. II.

Resp. non colligatur quod non est diuisum: nec tenetur quod non est solidum; solidum autem est densum, lentum, molle & viscosum: vltra hunc gradum non datur soliditas.

Vtrùm colligantur omnia à cingente solido, molli, vel à viscoso, vel ab vtrisque.

ARTIC. III.

Resp. ab vtrisque, & quæ sunt duriora requirere colligatorium fortius, hoc est crassius & vnitius.



QVÆST. XLI.

DE CONTENTIVO.

Vtrùm virtus contentiua, sit animastica vel corporalis.

ARTIC. I.



RESPONDEO: animastica quoad industriam; corporalis quo ad executionem: attamen spiritus propria mole intra fibras positus, adiuuat continentiam.

Vtrùm vis contentiua, sit in spiritu à primalitatibus; vel ab actiua & passiua vi.

ARTIC. II.

Resp. Spiritum contineri intra cerebrum & neruosum genus, propterea non posse dare continentiam, quam non habet, sed ordinare tantum vasa contentiua. Continere etiam pertinet ad locum & ad vasa omnia passiuo ritu: nec tamen possunt hoc facere vasa, nisi sint vnitiora contentis; locus vero intrinsecus & sustentat & continet, & ligat: vt in q. de loco.

Vtrùm ossa, membranæ, nerui & vasa omnia simplicia, & mista, sint contentoria.

ARTIC. III.

Resp. vnum quodque continere quod intra se est, siue illud sit simplex vt spiritus in neruis & sanguis & humores in vasis; siue sit mistum vt vasa & contenta ipsorum intra peritoneum.

Vtrùm

Vtrùm solius solidi sit continere vel formati.

ARTIC. IV.

RESp. affirmatiuè: continentur enim omnia inconstantia à constantibus & firmis vnitis: ergo à solidis; quatenus tamen habent formam amplectentem contentum ne possit elabi: dicitur tamen aer continere aues; & mare pisces quoniam ambiunt, non tamen continent, ne elabantur: quoniam soliditate carent.

Vtrùm obiectum contenibile sit solum lubricum, fluidum, humidum, vaporosum, & tenue, vt & inconstans & fluens est.

ARTIC. V.

RESp. affirmatiuè, continere enim est circundare & impedire ne diffluat; solidum ergo per accidens dicitur contineri quia circundatur & cohibetur ne mutet locum, non autem ne dissocietur à se ipso.

Vtrùm continens semper vnitius contento sit, & colligans colligato.

ARTIC. VI.

RESp. affirmatiuè quando per se; accidit tamen contrarium vt cum musca colligatur tellis aranearum, & homo cancellis. Partes tamen continentes & ligantes densiores sunt, vel plures facientes vnum densum: & aquæ enim multæ continent quando simul cohibent.

QVÆST. XLII.

Vtrùm vis munitiua sit in spiritus virtute, an solum in organo: & quo.

ARTIC. I.

RESPONDEO in spiritu vt vtente: in organo vt obstante molis duritie, vel alia impeditiua facultate.

Vtrùm pili, squammæ, corium, caro, cortex pertineant ad defensiuum modo, seu munitiuum.

ARTIC. II.

RESp. affirmatiuè formaliter & per se; accidit tamen materialiter alter vsus.

aut vt Plato,vt pænas luat,& purgetur.Isti omnes aliquid dicunt, suæque positionis fundamentum aliquod ponunt.Aristoteles nullum : sed super insensatis elementis, insensatam formam,immotam,facit tantarum operationum motionumque causam.

At nec de intellectu de foris accersito,cur intret in hominem docet. At insultat Pythagoricis,quod non doceant : falsò quidem,nam ob pænam illi ; nos , vt mereatur. Tu autem propter quid ?

Ad primum videtur Arist. discursus puerilis,cum enim quæ substantia sit anima , & vnde sit in insensatis corporibus,docere deberet,per vocabula communissima logicorum more procedit : vnumquodque debet definiri per suum genus proximum,non per communissimum : si enim dicerem homo est substantia composita,loco generis,nil docerem ignotum.Ipse per actum communem accidentibus,& separatis substantiis definit.

Item definitio debebat causas animæ enucleare : sint ne elementa,an aliqua principalior. Nam & reprehendit eos,qui posteriorem faciunt elementis.Ipse autem stultius & elementatis. corpus enim organicum,cui iste actus inest, prius est corpus, quam talis actus corporis : vtque in logicis ostendimus,physiologus omnes causas physicè docet, & in definitione perfecta epilogat.

Præterea cum Anima sit substantia nobilissima,quæ substantia sit, dicendum erat , & non cuius corporis sit actus:quis enim ignorabat esse physici,& non artificiosi corporis ? Definit autem Arist.more accidentis animam, cuius esse est illa inhærentia : At quidditas non est inhærentia : etsi enim luminis esse,sit in diaphano:lumen tamen est aliqua entitas,quæ declaranda est,& postea cur in diaphano magis insit : sed Arist. spreuit nos, quasi pueros sui admiratores , & omnia definit extrinsecus , vt *lumen est actus diaphani. Motus est actus mobilis,qualitas qualis ; anima animati corporis physici.* Declarat existentiam, non essentiam ista ratio.Imò neque existentiam, sed subiectum existentiæ,nulli ignotum:quis enim dixit,animam esse actum nauis,aut dolabræ? Actus vocabulum est communissimum : diuiditur enim ens per potentiam,& Actum,quid ergò docebit ? At si putent tantæ excellentiæ esse animam,vt non nisi per voces communissimas doceatur : sic enim & Deum,& Angelos vocamus Actus : declarandum nobis erat, & causa productiua etiam tanti actus non tacenda.Nec elementati corporis,excellentia tanta, erat ponenda Actus : sicuti accidentia sunt,& formæ omnes vilissimæ , & securis.

Præterea processus eius est inanis,ex hoc enim,*quod anima est hoc aliquid*, probat *non esse materiam*.Quod si quis negat,non poterit Arist.concludere.Negat Theophilus peripateticus,qui docet animam esse materiam : quoniam est potentia ad omnes formas intelligibiles,ex Aristotele ipso.Secundo ait,*Anima non est compositum*,quoniam habet subiectum : sed physici veteres negant animam esse vt in subiecto : sed sicut in domicilio , & instrumento,& dicunt spiritum esse,& compositum : ergò Arist.non potest concludere, quòd sit forma per illas exclusiuas.

Præterea hæc definitio non conuenit omni animæ : siquidem intellectiua substantia non est actus corporis,vt Arist.dicit,& Auer.& Alex.& Auic. ergò falsò addidit in secunda definitione,quod sit id,*quo viuimus, & intelligimus ;* declarando ly *quo* , id est, vt *forma prima*, qua intelligimus,non vt scientia,aut speculatio.

Præterea differentiæ,quas addit,sunt nugacitates : quis enim vtrum sit corporis naturalis,an artificialis anima curat ? quis definiet sic,Homo est animal physicum,ad differentiam animalis artificiati ? Cum addit organici , sibi contradicit in 8. Phys. & p. de gen.an.cap.19.& seq.Non enim,ait,artifex est organi sui actus vllo modo,nisi metaphoricè,& abusiuè ; cuiusmodi definitio omnis vitiosa. Deinde quid magni est scire , quod corpus illud habet vitam potentia,id est vitales operationes? hoc enim sciebamus , non quærebamus.At præterea definitionem hanc non probat : cum enim ait,Anima non est compositum,quia est in subiecto,negamus,neque enim est in subiecto,sed in habitaculo,& organo,vt docent sancti Doctores, coniuncto tamen in vnam naturam compositam,non simplicem,coniunctione essentiali. De oculo iam dictum est in hoc articulo, quàm ineptè enunciet.Quod addit nullius corporis esse actus partes animæ aliquas , de intellectu loquitur : ergò definitio non omni animæ conuenit. At sequens definitio ponit intellectum corporis actum contra hoc decretum ; & de actu , nauta perperam

loquitur


loquitur: non enim nauta actus nauis: hæc etiam definitio contradicit dictis in 8. Physicorum, vbi animam non actum, sed nautam fecit, & rectius, vt possit mouere.

Ad secundum est imperitior: cumque per causam docere animam proficeatur, effectus notissimos docet. Quis enim nescit animam esse id, *quo nutrimur, sentimus, intelligimus*? Sed quid sit id, quo sentimus, nutrimur, &c. dicendum erat: neque enim dicam, nauis est id, quo nauigamus, penna est id quo scribimus: odor est id, quo olemus, ista enim nota sunt, & Grammaticis potius conueniunt, vocabula declarantibus, postea addit, quod ly *quo*, sumitur pro forma, quibus in verbis contradicit dictis de intellectu, quod non sit forma. Ecce hominis inconstantiam sophisticam, semper immoratur in vniuersalissimis, & extrinsecis: quidditatem verò non attingit. Deinde insultatio illa aduersus Pythagoricos insulsa est: quasi ignorarint corpus animalis esse physicum, & organicum: sed vel artificiale, vel similare crediderint: aut ignorarint nutritionem in plantis, & sensum in animalibus, & rationem in hominibus esse ab anima: quoniam nescierunt hanc huius esse actum: ideò cuilibet corpori, quamlibet aptauerunt: profectò etsi errarunt, non propterea errarunt, quia actum potentiæ non combinarunt suæ: sed quoniam operationes consimiles hic, & ibi cernebantur, & corpus esse carcerem putabant; quod verum esse Origenes, & Ambrosius, & Chrysostomus, & Trismegistus, & alij; itemque Apostolus docuerunt: sed vtrum ante ingressum corporis peccarint, aut non, est controuersia, & error. Nec propterea quod animam non ponimus Actum, nos quoque cuilibet corpri adaptamus, est enim corpus organum nobis: non autem artifices omnes vno, nec vnus pluribus vtitur, vt nec Doctor rastro, nec fossor libro, nec ædificator remo vtitur, sed quilibet suæ artis instrumento. At idem sequitur contra Aristotelem ponentem intellectum nullius corporis actum. Intrabit ergò in bruta, & in plantas, sicut Aristoteles contra Anaxag. contendit. At cur in hominem, nec ipse dicit.

Ad tertium, nequaquam arbitror Concilium Viennense in Clementinis contextum, contra Patres determinasse, negantes contra Arist. quod anima sit Actus corporis, sed decreuit contra Auerroistas, qui ex eo, quod anima non est forma corporis, sed intelligētia adsistens, concludebant, vnicam esse animam cunctorũ hominũ; nec plures à Deo dari pro indiuiduorũ pluralitate, ex quo sequebantur absurda plurima contra religionem: & tunc tēporis vigebat hæc sententia fallax, contra Theolog. in Schol. Christian. quod fatetur Albert. Mag. & S. Tho. in libellis suis de vnitate Intellectus contra Auerr. & Raymundus Lullius in lib. de Lamentatione Philosophiæ. Quapropter Concilij intentio est sequenda, quod Anima non sit vna omniũ, sed singulis immittatur propria à Deo: sitque forma, non vt forma securis, sicuti Arist. docebat: hinc enim error peior resultaret: sed vt lux aëris nō depēdens à subiecto, neque immersa, sed subsistens, & à Deo pendēs, vt lux, quæ actus aëris est, & à Sole, non ab aëre dependens, ideoq; separabilis: testante Ambros. quod sit *sicut lux infusa, non confusa*. Et Profectò Arist. non putat separari posse intellectum, nisi quia non est corporis actus: quod & nos volumus, & hunc sensum S. Tho. & Theologi retinent, non illum de forma securis: nec negant inesse, vt nauta: nam fatentur Patres, & recentiores præcipuè F. Toletus Iesuita. Item S. Thom. in p. p. docet, quod quando decretum est in Concilio Lateranensi vt habetur in Decret. quod Angeli creati sunt simul cum mundo, non est Nazianzeni sententia damnata, & aliorum qui antè mundum visibilem factos Angelos putant, sed tantum eorum, qui factos ante mundum peccasse, & ipsorum gratia mundum tanquam carcerem creatum fuisse autumant: vnde elicit Caietanus, quod Conciliorum sensus, in quem tendat, non verba pensanda sunt: ita nunc in Auerroisticos non in S. Patres decretum puta, quod anima sit forma: hoc est non assistens vna sola cunctis. *Ambros. in lib. de bono mortis.*

Sed argumt Scholastici. Homo animâ intelligit: ergò anima est forma, negamus: nam & nauis nauita mouetur, non tamen nauita est forma: attribuitur toti, quod est partis, per communicationem idiomatum; vt docet Damascenus Sanctus, alioquin Diuinitas Christi esset forma Christi, & caro forma Diuinitatis: quoniam Deus carne manducat & patitur, & homo Christus diuinitate miraculizat; de his infra. Acceptamus formam esse animam, sed non materialem, vt securis; brutorum verò non formam, sed spiritum corporeum. Neque quia illa est forma, & hic magis, illa enim potest dissolubiles res animare

formaliter, quoniam non est forma ex temperamentis illis contrariis emergens: ista non potest, quoniam materialis est, vt securis Arist. nec forma securis potest esse forma nauis, & ligonis, & sellæ, & libri coniunctorum: de his cum de Mente humana.



QVÆST. XXXVIII.

DE POTESTATORIIS.

CVm Medicinam nouam ædificarem, ac per doctrinam Primalitatum examinarem, inueni in Animali triplicia organa videlicet Potestatiui, Cognoscitiui, & Volitiui, & admiratus sum, quomodo illud difficillimum Monotriadis arcanum sit omnium scientiarum illuminatio: quod videbatur pridem sciolis euersio. Distinximus ergò organa in textu, iterum in Potestatoria, Sensoria, & Appetitora seorsum: deinde addidimus Operatoria, quæ præfatis Potestatiuo, Cognoscitiuo, & Appetitiuo deseruiunt, & suis in locis ordine doctrinæ, & natura disposuimus.

Quapropter oportet articulos multos suis in locis transponere olim alibi insertos.

Quæritur primo, An Potestatoria sint seorsum ponenda à sensoriis, & appetitoriis.

ART. I.



VIDETVR, quod non: omnis enim potestas est, aut essendi, aut cognoscendi, aut appetendi, aut operandi. Quæ autem pertinent ad esse sunt omnibus communia: similiter & quæ ad operationes ad extrà. Quæ verò ad cognoscitiuum, & appetitiuum sunt aliis propria, ergò Potestatoria non erant seorsum ponenda.

Respondeo, quod quemadmodum Primalitates sunt idem essentialiter, & materialiter, distinguuntur verò solum formaliter, & relatiuè, & idealiter; ita & ipsorum organa. Quapropter in oculo, qui manifestè est cognoscitiui, reperitur Potestatiuum in hoc, quod potest videre, & recipere visilia, & mouere in gyrum ad visionem vndique hauriẽdam. Est etiam appetitus videndi, & odium: similiter & nutriendi se, attrahendi, expellendi, quod illi proficuum est, & superfluum. In ventriculo etiam est sensus suctionis, & vacuitatis: item appetitus repletionis, & potentia attrahendi, retinendi, & coquendi: sed vnumquodque denominandum ab eo est, quod formaliter habet secundum dispositionem organi, & rationem finis.

Organa enim omnia fini conformantur, vt lancea pugnę est acuta; cythara sono, bomboque est caua, neruisque armata tinnientibus &c. sic veru acutum vt lancea, appetitoriæ arti assandi carnes seruit, Potestatiua vi munitum.

Ad argumentum Resp. quod Potestas essendi non quomodolibet, sed essendi Animalis, id est viuendi vitam animalem, inest in Potestatoriis seorsum formaliter, non autem materialiter: vt autem animal sit animal, habet contenta, continentia, & impetum facientia, mutuis vtilitatibus coniuncta, & configurata. Vtque perseuerent in hac compositione, & formis, & figuris partium, & totius, indiget fulcimento, quod dant ossa. Continente, quod dant vasa: vitalis caloris roborationem, quod dat cor: Munitiuo à nocitiuis, quod dat corium, & caro, desuper verò squama, pluma. Offensiuo hostilium, quod dentes, vngues, rostrum, cornua, &c. Homini autem multa sunt propter se, vt fulcrum, & contentiuum, & roboratiuum, seu accensiuum, & Munitiuum: multa propter melius vt Pugnatiuum, non modo enim animal est ad se, sed ad alia, organa enim ad exteriora referunt obiecta, propter quæ ita, atque ita formantur, & conformantur, & sunt.

Vtrùm Potestatiui organa sint sufficienter, ac formaliter distincta in sustentatiuum, Colligatiuum, Contentiuum, Defensiuum, & Offensiuum.

ARTIC. II.

1 VIdetur quod non. Primo: organum enim vnius obiecti vnicum est: sed ossa pertinentia ad substentatiuum potentatum, sunt in toto corpore plurima, ita vt in sola manu sint 19. quæ in textu numerantur.

2. Præterea sunt omnia vasa, & nerui, venæ, arteriæ, ventriculus, intestina, Cor, Lien, Iecur, Renes, vesica, caput, & ossa, quæ medullas continent, & spiritus. Item pectus, & Abdomen, quæ viscera ambiunt, seruantque omnia: ergò non rectè assignata sunt in textu Contentiua.

3. Calefactiuum, & Transmutatiuum est in toto corpore. Omnis enim particula calefacit, coquit, digerit, & immutat in sui substantiam alimentum per vires Potestatiui, non per Appetitiui. Potestatis enim est vincere nutrimentum, & transmutare: ergò non est vnius organi, & obiecti.

4. Expellere, retinere, attrahere, videntur ad Pugnatiuum, & Transmutatiuum referri: & vasa, & fibræ ei destinantur: & sunt in omni particula secundum sui rationem: ergò vbique non in solo corde.

5. Mouere est Potestatis opus; ergò vis motiua, & organa motus ad idem pertinent, vt nerui, iuncturæ, pedes, alæ, pinnulæ, annulique insectorum.

6. Colligare membra est alius Actus à continere, aliudque habet obiectum videlicet separabile, & coniunctum: quæ vis colligatiua colligat, agglutinatque: ergò insufficienter in textu de organis, & facultatibus Potestatoriis dictum est.

Resp. quod quemadmodum sensus est vbique particularum, & vocatur tactus, peculiaria tamen habet sensoria, ad particularia obiecta, quæ communi sensatione apprehendi non possunt: sic & Potestatiuum est in omni particula, nec exerceri potest, nisi per ipsum. Potentiæ enim recipiendi, retinendi, operandi, transmutandi, augendique eius sunt; secundum tamen ad particularia possibilia, opus fuit organis particularibus: imò & communibus. Communior enim Potestas cognitione in animali. Propterea.

Resp. ad primum quod ossa vni muneri destinantur, quod est sustinere; eius obiectum est pondus, quod impetum ad terram facit ordinarium: licet ex accidenti ad alias quoque positiones inclinamen habeat. Idcircò totam statuam ossibus communiri oportuit: serpentes autem, qui pondus non substinēt super solum, nisi modicum super inuisiles membranaceos pedes, necesse etiam habent ossea spina, vt possint absque ruptura, & plicatione omnimodè colligi in spiras, extendique, & per ossis vnitatem cum faciunt impetum, facilius commoueri; id quod difficile est annulosis insectis ob spinæ carentiam. Partes quoque eleuatæ super spinam, sustinentur vndique: quæ conciderent, ipsa sublata, instar mollis intestini. Arboribus quantum ossium prosit, palam est, in substinendo formaliter, & in defendendo materialiter.

Ad secundum: non omnis continentia est Potestatiui formaliter. Ossa enim continent medullas, vt eis alantur, non vt à malis tueantur compositum, seruentque illas: etenim cōtinentia existentiæ, & substātiæ ipsius compositi propter vitam partibus communem, est propria Potestatiui. Quamobrem etsi ventriculus continet cibum, haud tamen propter continere; sed propter nutrire id facit, similiter iecur, cor, venæ, arteriæ: attamen quatenus nerui, & cerebrum continent spiritum, vt ibi viuat, nec sursum elabatur, quēadmodū ossa statuam ne concidat, dicuntur habere vim contentiuam: eadem ratione venæ, arteriæ, cor, iecur, lien, &c. quatenus continent humores ne affluant, sunt organa contentiui; sed quatenus nutritioni seruiunt, & propter hanc continent; sunt organa Appetitiui. Et quia prioti intentione, & formalius inest continentia propter nutritionem: idcircò formaliter ad appetitiuum spectant, vocanturque appetitoria organa, nō Potestatoria: ergò Abdomen, & pectus propriè contentiua sunt, quoniam vasa continent ad defensionem, & sa-

lutem; quæ finis est Potestatiui, verè ad Potestariuum spectant. Nerui etiam, quatenus continent spiritum, eiusdem sunt, spectant etiam ad colligatiuum, quatenus compages ossium, & musculorum terminos vinciunt. Quambrem respondeo.

Ad sextum quod re vera in textu ponendum fuit Potestatorium Colligatiuum, colligare enim particularis est actus potendi, ac particulare habet obiectum, hoc est colligabile, seu coniunctibile. Coniunctibile autem est, quod de se separatur, seu dissolubile, nisi vniatur vinculis: ligamen ergò est eius organum, & quò natura colligat iuncturas, idcircò tendones, & ligamenta, & appendices vertebrarum viscositatis vi, vtrinque ex ossibus manantia adhærescunt, protensáque colligant disiunctiones miris modis. Processus autem, & cauitates commoditatem præstant colligationi, & motioni, non autem ligant, sicuti faciunt tendones, appendices, & nerui; qui nerui, & continere habent spiritum soliditate sua perforata, & colligare partes, per quas extenduntur sua extensione, & complexu. Membranæ quoque sic ligant complexu, cum tamen potius continere sit munus earum, ac munire. Nam & corium munit, ac simul continet, illud tamen huic principalius.

Ad tertium, concedo calefacere, & immutare esse in toto corpore, sicuti tangere cognoscitiui; sed tamen retinere calorem, ne elabatur atque augere, in sanguinémque trudere, vt eius vi in spiritum conuertatur, proprium est cordis à pulmone, deseruiens toti corpori, & vitæ; quæ autem in particulis est vis eiusmodi, est respectu solius particulæ, vt & proprius tactus: non vt oculus, qui ad totam statuam seruandam munus habet per actum nullis communicabilem, secundum eandem sentiendi rationem: sic, & cor.

Ad quartum, quod attrahere, expellere, & retinere, & coquere proprium est Appetitiui, licèt per Potestatiuum fiant operationes eiusmodi in vasis: sic in manibus, & pedibus est executiui per Potestatiuum, vt suo loco dictum est.

Ad quintum, verè motus est Potestatiui, & reperitur in cunctis organis, & partibus, quoniam nulla mutatio absque motu: haud tamen particularem habet rationem Potestatoriam, sed communem; & quæ habet; spectat ad operatorium, seu exequutiuum. Cuius organa sunt pes, pinnula, anuli, & quidquid ad motum arbitrarium spectat: de quibus infra. Dictum est autem de Anima eiusque sede in quæst. 37.

QVÆST. XXXIX.

DE POTENTATV SVSTENTATIVO.

Vtrùm animal positum extra systema suum, indigeret potestatoriis.

ARTIC. I.



RESPONDEO: fortasse non indigeret substentatiuo, quoniam non haberet pondus erga centrum sui systematis sicuti nunc, nisi in alio systemate consimili reperiretur, vt in Luna vel in Ioue. At extra mundum in spatio vniuersali erga nullam Rerum portionem propenderet, nec moueretur, nisi motibus animæ; nec partes corporis haberent situm sursum, & deorsum vel aliorsum: sed omnis positura sibi conueniret; colligatiuum & contentiuum non deessent, si quæ nunc habet membra tunc haberet: imò & munitiuo interiori decoraretur, non autem exteriori, cum obiectum nociuum minimè haberet. Multo minus pugnatiuo opus esset, si hostilitas nulla extra, ipsum vexaret: nec sensoria externa cum obiecta sensibilia nulla forent: nec appetibilia: ergo nec instrumenta appetitoria: vnde nec esset animal nisi ali-

quod rotundum se ipso gaudens & mouens: nam nec pedibus indigeret, cum Tellus non sit deambulanda, nec alis cum nec aër přesandus; nec manibus, si nulla adiacerent corpora contrectanda. Propterea ablata grauitate, & necessitate instrumentorum, Animal non haberet essentiam animalis, vt cogitauit Origenes de resuscitatis, sed Scholastici dicunt omnia membra permansura propter perfectionem constitutionis naturalis & propter obiecta extrinseca. Iustinus autem vt cognosceretur resuscitatum vere illud idem, quod mortuum fuerat.

Vtrùm facultas sustentatiua sit in spiritus Animalis calore, vel in tenuitate, vel in vnitione, vel in mobilitate, vel in luce, vel in participio Primalitatum.

ARTIC. II.

RESp. principaliter in prima primalitatum est vis sustentatiua; quatenus verò vsus requiritur cooperatur cognoscitiua ad dirigendum, & volitiua ad applicandum. Calor autem & tenuitas & vnitio coadiuuant: non autem lux, nec mobilitas: vt sic enim pertinent ad motum & notitiam. Quod autem statua sine spiritu non sustentetur, cadauera indicant. Plantæ tamen exsiccatæ stant: quoniam telluri sunt infixæ & vnicum habent ossum non distinctum, nec flexibile.

Vtrùm organa sustentatoria duritie sustentent, an alia vi.

ART. III.

RESp. vnionem compactam quia ad duritiem terminatur, constituere sustentatorium, omnis enim substantia minus vnita & minus constans, non sustentat. Quoniam cedit tangenti, præsertim grauanti. Si autem sit dissimilaris, vt pumex, dummodo dura sit in partibus oportunis, fulcri officium faciet.

Vtrùm ossa sint plura numero in homine ac in brutis.

ARTIC. IV.

RESp. plura inesse in homine fortasse quoniam non solùm plura habet instrumenta, sed etiam partes instrumenti: si quidem in manu decem & nouem habet ossa solum in digitis, quibus carent Equi & ex parte leones: quamuis cætera consimilia habeant. Colubri spinæ tantum & ossa capitis habent. Vermes annulos, Polypi cartilagines; Cancer testas, & distinctorum pedum ossa extrinseca; aranea quid consimile ossibus: omnia tamen buccam osseam & dentes cibi gratia nacta sunt, etiam pulices & pediculi & insecta; quæ & terebro vtuntur. De quibus consulatur Anatomes.

Vtrùm pedes ad sustentationem pertineant, an ad executionem.

ARTIC. V.

RESp. formaliter quidem ad executorium spectant quod exercetur motione, nullum autem graue mouetur nisi vel altera parte sustentetur. Pedes ergo sustentant non intrinsecus vt ossa, sed extrinsecus relata ad tellurem, sicut pinnulæ ad Aquam, & Alæ ad aërem.

Vtrùm centrum ponderis sit idem cum centro molis in systemate communi, & in statera, & in leua.

ARTIC. XI.

RESp. esse idem in terra: vt probauit Copernicus, prominentia etenim montium non æqualium insensibilis est ad tantam molem. In rota, & statera & in leuâ, quæ centro sunt viciniora, sunt grauia magis vel æqualiter, sed ponderosiora ad trahendum deorsum quæ longius distant. Vnde tres libræ ferri in brachio stateræ æquiponderant centum positis prope centrum; quoniam motus facilitas addit vim & grauitatem, non à mole, sed à momentis pluribus. Similiter corpora pendula cum agitantur, extra centrum vagantur ex impetu indito: quo remisso quiescunt, & pila & res in terram vel in parietem impetuosè adacta, resiliunt donec finiatur impetus potestatiui, quod & in trocho venire videmus. Impetus autem deficit victus à continua resistentia aëris, & ponderis, erga tellurem inclinantis; quæ duo si non inessent impulsa pila vel sagitta in infinitum mouerentur nisi animastica vis aliud optaret: sicuti eueniit rebus si quæ essent vagantes extra mundum.

Cur grauat magis aliquando & quoties & vbi minus ponderosum quam magis.

ARTIC. XII.

RESp. Omnia grauitare iuxta ordinem vnitionis attamen per accidens fieri, vt quod magis ponderat in aëre minus ponderet in aqua ob interclusum aërem, vt in ligno, vel adhærescentem, vt in lamina vel vase aureo, sicut dictum est in quæst. 32.



QVÆST. XL.

DE COLLIGATIVO.

Vtrùm vis colligatiua sit in Spiritu libero vel implantato, & quæ.

ARTIC. I.

RESPONDEO, in vtroque, sed in libero industriosior, in implantato operosior. Colligare tamen non est nisi mollis & viscosi densique simul, qualis est neruus, officium; tendones, & membranæ, & fibræ quoniam neruosi sunt generis, hunc actum habent, sed tendones intrinsecus contiguas partes faciunt quasi continuas; membranæ vero subcingunt intrinsecus & extrinsecus, vt Pleuris, peritoneum & reticulum iecoris: fibulæ autem ad aptationem circum habent; processus & cauitates vinciunt non colligando, sed commoditatem præstando ne colligata luxentur, addunt & robur. Vnde simul satisfactum est ad secundum articulum quærentem officia colligantium.

Vtrùm solius solidi sit continere vel formati.

ARTIC. IV.

RESp. affirmatiuè: continentur enim omnia inconstantia à constantibus & firmis vnitis: ergo à solidis; quatenus tamen habent formam amplectentem contentum ne possit elabi: dicitur tamen aër continere aues; & mare pisces quoniam ambiunt, non tamen continent, ne elabantur: quoniam soliditate carent.

Vtrùm obiectum contenibile sit solum lubricum, fluidum, humidum, vaporosum, & tenue, vt & inconstans & fluens est.

ARTIC. V.

RESp. affirmatiuè, continere enim est circundare & impedire ne diffluat; solidum ergo per accidens dicitur contineri quia circundatur & cohibetur ne mutet locum, non autem ne dissocietur à se ipso.

Vtrùm continens semper vnitius contento sit., & colligans colligato.

ARTIC. VI.

RESp. affirmatiuè quando per se; accidit tamen contrarium vt cum musca colligatur telis aranearum, & homo cancellis. Partes tamen continentes & ligantes densiores sunt, vel plures facientes vnum densum: & aquæ enim multæ continent quando simul cohibent.

QVÆST. XLII.

Vtrùm vis munitiua sit in spiritus virtute, an solum in organo: & quo.

ARTIC. I.

RESPONDEO in spiritu vt vtente: in organo vt obstante molis duritie, vel alia impeditiua facultate.

Vtrùm pili, squammæ, corium, caro, cortex pertineant ad defensiuum modo, seu munitiuum.

ARTIC. II.

RESp. affirmatiuè formaliter & per se; accidit tamen materialiter alter vsus.

Vtrùm adeps, & sebum, glandulæ & misenterium, sint defensoria, vel, &c.

ARTIC. III.

Resp. affirmatiuè quamuis vngant ad motum materialiter, & contineant.

Vtrùm caro constet ex fibris vectis, obliquis, & transuersis, sicut contentiuum vas.

ARTIC. IV.

Resp. affirmando: præsertim intra musculos & in corde, vasa tamen omnia neruosa ex his constant sicut in textu dictum est, ad trahendum, transmãdandum & retinendum; nunitio autem non omnes requirit, vt patet in pilo & cuticula &c. folia tamen arborum neruo & pulpa constant.

Vtrùm obiectum munitiui, sit munibile, vel potius nociuum.

ARTIC. V.

Resp. omne nociuum esse obiectum munitiui; munibile autem non obiectum sed id gratia cuius datur munimen.

Vtrùm nociua sint corporea, vel incorporea, vel vtraque & quibus.

ARTIC. VI.

Resp. Spiritum & vasa & humores vexari posse à calore & à frigore & luce incorporeis, similiter à veneno; quod qualitas incorporea est: & ab intemperie quacunque, & aduersus ista omnia datur munimen corporeum, & calor vitalis resistens.

Vtrùm vtilius ad resistendum nociuis sit molle vel durum: circulare, vel angulosum, vel planum munimen.

ARTIC. VII.

Resp. robustioribus nociuis durum ac bene solidum munimen opponi per se: per accidens tamen quando nociuum icit poteter, vtilius molle inuenit autor naturæ, quod dum refugiendo cedit minus læditur: & ictus interea lentescit & frustratur, vnde muros terra plenos bombardis opponimus vel saccos laneos. Figuram circularem aptiorem esse ad defensionem natura indicat dum omnia membra animalis, & cœlum, & stellas, & arbores, & fructus, & elementa circulo donat; & omnis res ab inimico circundata circularem sumit figuram. Angulosa facile amputatur propter exiguitatem anguli præsertim acuti. Plana cedit & non resistit; circularis autem ex vtraque constituta & repellit & resistit.

Vtrùm omnia artis defensoria munimina respondeant naturalibus.

ARTIC. VIII.

RESp. affirmando, ars enim imitatur naturam sapientiorem se & ideo inceſſanter natura nos docet nouas artes defensorias vt in textu dictum est, de vestibus, ædificiis, Clipeo, lorica, cæterisque defensiuis armis.

QVÆST. XLIII.

DE POTENTATV OFFENSIVO SEV PVGNATIVO.

Vtrùm vis pugnatiua sit in spiritu animali, quo calidus, an quo subtilis, an quo primalitates participat.

ARTIC. I.

RESPONDEO: participium primalitatis primæ impetum faciens primatum habet in pugnando, subtilitas & calor in exequendo; quoniam iuxta iram insinuant se in hostem penetrantque; idcirco dicuntur interimere & interficere, quoniam intra obiectum vt disiiciatur & pereat, ideſt per diuersa eat, laborant. Cum autem calor noster non sit tantus igneus, vtitur instrumentis facientibus & penetrantibus hoc est interficientibus.

Vtrùm dentes, rostra cornua, spinæ, vngues pertineant ad pugnatoria, seu offensoria.

ARTIC. II.

REsp. affirmando, quamuis dentes, & rostrum materialiter etiam ad executorium pertineant. Item ad appetitorium præparatiuè non perfectiuè, vt suo loco dicetur.

Vtrùm robur pugnatiui sit in impetu pugnantis, vel in duritie, & acutie instrumenti.

ART. III.

REsp. in impetu principaliter; in duritie, & acutie instrumentaliter: lentor enim potest per accidens defendere, non autem offendere.

Fff ij

Vtrùm venenum pertineat ad pugnatiuum.

ARTIC. IV.

Resp. per se quidem ad nociuum pertinere; etenim sine hostilitatis obiecto possumus venenari & mori; accidit autem basilisco & viparæ dum dentibus pugnant flatu, aut saliua venenata nocere ad mortem, de venenis autem in medicinalibus.

Vtrùm omnia arma artis ex naturalibus exemplar habeant.

ART. V.

Resp. affirmatiuè: ac plura fortasse arma natura duce posse reperiri quemadmodum post lanceas, & enses spinis & cornibus analogas, inuenimus bombardas & sagittas fulmini & tonitruo consimiles.

Vtrùm obiectum pugnatiui sit Hostile.

ARTIC. VI.

Resp. affirmando.

Vtrùm Hostile à Nociuo distinguatur, & quomodo.

ART. VII.

Resp. omn is hostis nocet, non autem omne nocens est hostis; siquidem intemperies aëris & lutum & venenum nocent non quidem ex animo pugnandi & extinguendi nos vt facit hostis. Sæpè enim dum nobis benè faciunt nocent & cibi & amici; semper tamen est aliqua pugna inter mutuò nociua & hostilitas, quæ tamen non est in applicantibus illa, sed beneuolentia.

Vtrùm hostile & nociuum sint secundum naturam vel contra naturam.

ART. VIII.

Resp. quatenus malefaciunt sunt contra naturam, etiam inter elementa; sed quatenus ex malo resultat bonum reperiuntur secundum naturam vt generatio ex corruptione, & ideo volita per accidens. Quando vero nullum resultat bonum, omnino contra naturam sunt, vt peccata moralia; de quibus in sequenti libro.

An sint plures pugnandi modi: & quot.

ART. IX.

Resp. sunt innumerabiles, qui ex multitudine instrumentorum pugnatiuorum agnoscuntur in brutis; idem tamen instrumentum aliter in aliis exercetur; Equus enim vngues retrorsum quatiendo applicat; Leo antrorsum lacerando; dentes alij aliter exercent: spinas histrix etiam emittit; Erinaceus opponit. Homo autem non modo bruta imitatur, sed longè plura arma inuenit ex tota natura conflando artes.

Vtrùm natura Cunctis Plantis, & animalibus dederit organa offensoria sicut dedit defensoria.

ARTIC. X.

RESpondeo sic affirmandum, sed aliquibus plura, aliquibus pauciora, aliquibus inuisibilia, multisque nota, siquidem herbæ contra limaces habent quasdam spinas excrementitias nobis non subitò perceptibiles: aliæ spinas benè magnas: animantibus vero quibus non dedit cornua dedit rostrum, aut dentes, & vngues: & quibus ineptas vt columbæ, & lepori, largita est vires ad fugiendum: quibus verò pauciores, imbecilliora arma, sed tamen quantum necesse erat.



QVÆST. XXXXIV.

DE ANIMA SENTIENTE.

QVoniam & Galenus & Aristoteles eandem esse motiuam, & sensitiuam Animam concedunt: neque enim mouet nisi sequatur, fugiátve, quæ præsentit, imaginatúrque, & cum defensa iam sit opinio nostra ex Sanctis Patribus, & experientia, & ratione contra eosdem Philosophos, spiritum corporeum, tenuem, mobilem, subtilem esse Animam motiuam Animalis; vtique & sensitiuam, eundem esse spiritum, ratum esse debet. Reliquum est si quid valent rationes Aristotelis pro suo dogmate de sensu, disputare, & de modo sentiendi, & instrumentis, & variis functionibus, & obiectis.

Vtrùm sensus sit passio perfectiua; & vis sentiens sit pura potentia incorporea indiuisibilis, sensibilium formis informabilis absque ipsorum materia: sitque sentire, vt Aristoteles putat. An verò sit Spiritus ens actu, se ipsum motum à sensibilibus cognoscens, ac proinde mouentia sensibilia, vt in textu.

ARTIC. I.

1 QVONIAM inquit Arist. quod sentit, patitur à sensibili, estque illi dissimile in principio: in fine verò simile, ergò sensitiuum est potentia tale, quale iam est actu sensibile, sic concludit in 2. de Ani. tex. 62. *Arist. 2. de Ani. tex. 62.*

2. Probatur in Tex. 52. quoniam non sentimus, nisi adsint sensibilia, sicut nec combustibile comburitur, nisi adsit ignis, qui de combustibili potentia faciat actu comburi, alioquin combureret se ipsum, neque igne indigeret: ergò potentia est. *Tex. 52.*

3. Potentia triplex. Alia vt sit grammaticus, alia postquam est grammaticus ad speculandum grammaticè. Alia est speculantis, quæ actus dicitur, prima est materialis, & generica: at sensitiua eiusmodi est. *"Tex. 54. "& 56. "*

4. Alteratur sentiens non quidem tanquam à contrario: nam corrumperetur, non in- *"Tex. 57.*

formaretur feruatum: fed tanquam falutem acquirens, & quod potentia eft fiens actu: ergò fenfus eft paffio perfectiua, non corruptiua, ficfpeculans, & addifcens perficitur, & cum lætitia fit paffio, & perfectione: hoc in tex.57.

5. In tex. 121. eiufdem libri, quoniam, ait, omnis fenfus recipit formas fine materia, » ficuti cera figillum aureum fine auro: fic fenfus odorem, non autem odoriferum, & colo- » rem lapidis, & figuram, non autem lapidem: fenforium autem primum eft, in quo huiuf- » modi potentia eft igitur idem, fed effe alterum, magnitudo enim erit id, quod fentit, non » tamen è fenfitiuo effe: non enim fenfus magnitudo eft, fed ratio quædam, & potentia » illius, idcircò exuperantiæ corrumpunt fenforia, quoniam foluitur ratio: hoc enim » erat fenfus, ficut confonantia, & tonus percuffis fortiter chordis, & quia plantæ non » recipiunt fine materia, non fentiunt.

6. Poteft addi, quoniam omnia elementa, & elementata fenfus percipit, ipfáque corpora: recipiens autem denudatum effe debet natura eorum, quæ recipit. Alioquin quod eft, fieret: ergò fenfus eft pura potentia incorporea huiufmodique videri debet anima fenfitiua.

SED Contra eft S. Ambrof. Apologia Dauid cap. 9. dicens, *Sentire eft vitalis vigoris munus*, non igitur paffio, fed paffionis examen à vitali vigore actiuo, non paffiuo vt paffiuo: & in lib.2. de Abram, vbi diuidit partem rationalem ab irrationali fenfitiua in homine, & hanc corpoream facit. Item in lib. de Noe fubftantiam rationalis dicit effe Spiritum Dei, qui infufflauit in hominem; fubftantiam fenfitiuæ fpiritum corporeum ex fanguinis vapore factum, cum Moyfes fic veniat interpretandus, & in Hexam. lib. 6. nutriri fenfus docet omnes, nedum odorantem virtutem, quafi omnes fint fpiritus, ille corporeus, de quo dixerat. Idem docet S. Auguftinus pluries citatus. Idem Hipp. 6. Epidem. Quapropter Anima fenfitiua non eft pura potentia ratióque, vt vlut, fed fubftantia actu ens. Dicitur tamen potentia folum ad ea, quæ fentire poteft; & quoniam non poteft nifi diffimilia, & exuperantia: Propterea exiftimari debet effe de natura eorum, quæ minus percipit, vel quæ percipit, fed remiffiore, & hoc Arift, conuictus fatetur, loquens de tactu in 2. de Anima tex. 118. quod tactus fentit differentias elementares, quæ faciunt illum actu, cuiufmodi ipfæ funt; *Senfitiua enim pati eft: vnde fimile*, ait, *calidum, & frigidum, durum, & molle non fentimus, fed exuperantias tanquam fenfu in medietate exiftente eius, qua in fenfibilibus eft contrarietatis. Medium enim iudicatiuum eft, fit enim ad vtrumque ipforum alterum vltimorum.* Hæc ille, palam fatendo tactum noftrum à calore, frigore, humore, & ficcitate, conftare in gradu remiffo. Proptereáque calorem blandum non fentire, fed fortiorem fuo: fic nec fanus fentit calorem fuum tangendo manum manu altera, alter verò fentiet. Non ergò requiritur pura potentia ad fenfum: nam fi ita foret, nullus effet gradus caloris, aut elementationis, quem non perciperemus: & Alexander fatetur in folo tactu hoc; fed in omnibus fenfibus idem reperies, fiquidem non videt oculus meus aërem, alius autem cui tenuior fpiritus, etiam aërem videt, & fuam in eo imaginem; vt Arift. narrat in 3. Meteor. Item mihi dulce eft mel, capris amarum: quoniam in alia temperie fpiritus meus, & capræ: & hæc veritas tam euidens eft, vt nihil magis: fi enim pura potentia fenfus effet, omnia bruta, omnéfque homines omnia fentirent æqua ratione.

Miror etiam Arift. imperitiam, cum enim pofuiffet Animam effe actum corporis, nunc vult effe potentiam materialem, & formis fenfibilibus informari, vt fentiat; ficuti lignum igne, vt comburat. At prætereà fi fic eft, oporteret actu factam ab aliquo fenfibili, femper illud fentire: nec mox aliud vllum poffe, nifi abiiciat formam primi fenfibilis. In abiectione autem formæ corrumpitur, quod fit vnum ex fenfu & fenfibili plufquam ex materia, & forma: ergò erit omnis fenfus, paffio corruptiua, excepta prima fenfatione: fiquidem corruptio eft per formæ perditionem: magis autem, vbi fit magis vnum ex cognofcente & cognofcibili, atque ex materia & forma.

Præterea & hoc contra experientiam est, quod sensus non patiatur corruptiuè, cum sensus sit ita dolor, ac voluptas; & ab excellenti sensibili corrumpatur, etiam Aristotelis testimonio. Sed corrumpitur, ait, sensorium. Nequaquam dico, tu enim ais, rationem, & formam sensorij esse sensum, sicuti consonantia chordarum, & temperies omnis elementaris, vt Galenus, & Alexander docent. At profectò prius ratio illa dissipatur, quàm sensorium. Imò propterea sensorium dicitur corrumpi, quia ratio complexionis suæ corrumpitur. Materia enim non corrumpitur, sed compositum per corruptionem compositionis, quæ est forma eius totius. Item eiusdem potentiæ est sentire dolorem ac voluptatem. Ergo vel solum organum sentit vtramque affectionem, vel eadem facultas.

Quod autem, ait, sensum recipere formas absque materia, præterquam quod nihil prodest animæ sentientis incorporeitati: (nam & cera recipit sine materia, vt ipse in exemplo docet; & speculum recipit imaginem Petri absque Petro, & aqua, & aër omnes colores, & sapores, & odores, absque rebus coloratis, quarum sunt, nec propterea incorporeus est aër, & indiuisibilis) etiam falsum reperimus. Gustus enim recipit saporem, qui est calor natiuus cum sua mole poros linguæ subiens vsque ad gustantem spiritum: non vt calor, sed vt corporatus: & Odoratus recipit odorem corporalem, adeo quod ex illis nutritur, sicut & spiritus gustatiuus, teste sancto Ambrosio in Hexam. & Hipp. & Gale. & hoc inferius.

Præterea illud mirum, si indiuisibilis est anima sentiens, cur indiuisibilia non sentit puncta, & atomos, & Angelos: sed Arist. probat in lib. de sensu & sensibili, quidquid sentitur diuisibile esse oportere.

Notandum quod Arist. 2. de An. T. 146. & seq. docet animam esse indiuisibilem incorpoream, subiecto non inhærentem, alioquin non posset post primas recipere alias sensiles, quin primæ corrumpantur, nec plures simul: Item aiunt sui: nec corpus morti obiiceret cuius est forma absque sui extinctione, sicuti sæpè facit honoris gratia, ergo non inest copori, vt subiecto, corporata ac indiuisibilis est, vt iudicet omnia, inquit, vbi simul euertit, quidquid statuerat de essentia animæ, quod nimirum esset actus formaque corporis, nec operaretur seorsum quippiam, sed omnes operationes erant coniuncti idest, animæ informantis & corporis informati, vt dicit in lib. 1. T. 15. & in 2. T. 2. Nunc autem perseuerat in incorporeitate & indiuisibilitate & independentia à corpore: ideo quærit, & quærimus, quî fiat hoc, quoniam.

Item quod indiuisibile est, non potest simul duabus formis informari. Anima autem simul sentit calidum, & frigidum in tactu, & nigrum, & album in visu, & in eodem tempore, vt probat Arist. ibidem contra eos, qui dicebant tempus latere intermedium.

Hoc argumentum conatur soluere Arist. ibidem in cap. 8. nec contentus ponere vnum indiuisibile continuum ipsum sensitiuum: sic enim sibi repugnat, & fauet nobis: nec quia in diuersis organis, nos enim de vno loquimur. Nec quod coeat in vnam operationem, sicuti duo oculi, dum sentit duo contraria: nam hoc vbi mista non sunt, fieri potest tandem ambigens: subiungit. Ergò ne secundum quod indiuisibile est secundum « actum, vnum est sensitiuum dulcis, & albi: quando verò diuisibile factum fuerit secun- « dum actum alterum? sed hoc friuolum est. Quomodo enim diuiditur in duas formas « vna potentia induisibilis? tandem concludit) sicut in rebus multa sunt vnum numero, « vt album & dulce in pomo, licet esse alterum vnicuique: sic etiam in anima, idem & « vnum numero sensitiuum esse omnium: ipsum esse tamen alterum, & alterum: horum « quidem genere; illorum verò specie. «

Vide Sophisticum responsum, in pomo sunt plura, quoniam est corporeum, & compositum. Anima autem indiuisibilis est, non ergò capit plura genere, specieque diuersa in se: sie præterea iudicat, sicut afficitur, si à contrariis afficitur, iudicat contraria, si tanquam ab vno, vt vnum. At quomodo potest affici contrariis formis ipsum indiuisibile, non docuit: siquidem neque materiæ corporeæ hoc Aristoteles concedit: in secundo verò de Anim. tex. centesimo quadragesimo septimo. Respond. quod sensus esse est plura, & contraria, numero, & loco vnum indiuisibile: tunc arguit contra se. Po-

„ tentia enim diuisibile est: sed vt potentia patitur contraria, album, & nigrum: non est au-
„ tem possibile simul idem esse album, & nigrum, neque formas ipsorum pati. Tandem res-
„ pondet, quod sicut punctum est vnum simpliciter, & duo, vt est terminus, & medium: se-
„ cundum ergò quod indiuisibile sensus vnum est, & iudicat, sed secundum quod diuisibi-
„ le non vnum: bis enim vtitur eodem signo, & sic duo iudicat, & separatus est.

Quæ verba sophistica, & obscura mutuata ex Platonis Thæteto perperam, indicant, quod sicut centrum est vnum, tamen est terminus multarum linearum, & iudicat omnes, si sentiret; sic sensus communis.

Sed hic sermo non satisfacit de sensu particulari. Idem enim oculus album, & nigrum simul videt: si autem à duobus contrariis vis oculi informatur non habebit centri rationem, sed extensæ materiæ, nec possunt contraria imprimi in indiuisibili, quamuis aliunde inuadant idem indiuisibile: profectò nec iudicabit, vt duo, si duobus non informatur Aristoteli: sensum autem communem esse spiritum in cunctis sensoriis sentientem, posteà ostendemus. Alexander ergò his pressus argumentis, confugit ad organa: ait enim, organum esse corporeum, & posse plura, & contraria suscipere, quæ à potentia incorporea iudicantur. At si sic est, quæro, sit ne potentia in toto organo extensa? si asseris, ergò corporea est, diuisibilisque quid ergò tantum laborauit tuus Aristot. in re tam aperta? Si vero non est extensa: ergò non percipiet, quæ fiunt in diuersis organi partibus, sed vbi est ipsa. At & hoc mirum quomodo Arist. faciat sensum incorporeum, quem tamen de elementari congressu elicit: si autem est ratio compositionis, in composito erit extensus, cur enunciat indiuisile: sicut albedo, & calor, quorum ratio est in toto subiecto, & in omni parte eadem, hoc nihil est ad Animæ excellentiam, pronunciandúmque erat esse formam, & non potentiam sine magnitudine. Neque enim calor est absque magnitudine cui factus est vnum, sed tunc docendi eramus ab Aristotele, quomodo ex insensatis elementis oritur forma sentiens, & cur reprobauit dicentes esse Harmoniam. Nunc autem ipse in idem incidit. Ratio namque temperiei est Harmonia: vel si vult Actum Harmoniæ, nil melius docet: iste enim actus ex eisdem causis maceratis, & castigatis, vt concordent, nihil melius esse potest sua origine. Proptereáque ad ideas, & Colchodeas, & Angelos, & Animam Mundi alii confugere: ipséque Arist. reprobauit insufficientiam elementorum ad Animæ productionem contra Empedoclem: at in peiora incurrit dogmata, & in eadem, nec æquè bene declarata, vt patet ex superioribus quæstionibus.

At Peripatetici Latini, quorum oblitus eram, dicunt recipi formas intentionales, non reales in sensu, & ideò contrarias ibi non esse: sed falluntur: sensus enim realiter patitur Aristoteli, fitque sensibile actu, licet sine materia: forma tamen realis est: patet etiam calorem in tactu, & saporem in lingua, & odorem in olfactu reales esse, non intentiones, sed de hoc postea. At neque si intentiones sunt, possunt simul informare potentiam indiuisibilem, quando & S. Thomas neque simul plura intelligi probauit eadem ratione, quoniam duobus simul formis idem informari non potest.

Præterea hæc intentionalitas non est Chimerica, sed forma non permanens, vt colores Iridis, teste Auer. & Arist. At neque talibus formis idem oppositis quis informet. neque Anima iudicat album, & nigrum simul intentionaliter, sed realiter contrarios, quoniam realiter afficitur: ergò partibilis est: soli Deo id conceditur, cui nulla res est contraria, sed cognoscit inter eas contrarietatem, quia varias participationes suæ ideæ illis dat, ipséque est omnia eminentissimè; sed nulla creatura contrariis simul afficietur indiuisibiliter, vt simul sic etiam iudicet: vide Metaph. Stultius est, quod aiunt, in anima non esse contrarium calorem frigori, quoniam sunt ibi in esse cognito, non reali. At quæsò, quomodo Anima scit esse contraria in rebus, nisi quia patitur contraria ab eis, prius in esse reali? Equidem dum calorem sentio, patior contrariè aliud, ac dum frigus: sentióque propterea esse contraria: sensus autem Arist. passio est, nec à simili, sed à contrario potente facere sensitiuam

sensitiuam Animam similem sibi, sicut ignis lignum igneum: ideo in fine est simile. At propterea cognoscitur, & cognoscit anima.

Idcirco Themistius, ac Simplicius veritate coacti, materialiter recipi sensilia in sensu volunt: iudicari tamen immaterialiter: ergò sensus est iudicium, & non passio, illis, vt est & nobis.

Ad primum, concedo fieri sensationem per assimilationem, & passionem; non tamen passio illa est sensus, sed cognitio, & perceptiò illius o passionis est sensus: neque enim est sensatio in dormiente, si loquor ad aures, quoniam non percipitur; neque passio vnguis sentitur à spiritu, vti est in vngue, quoniam non percipitur.

Item neque in spiritu illata passio immediatè est sensus, sed illius passionis iudicium, & hoc rectè docuit Galen. & Telef. & Sancti Patres. At nisi præcedat passio, non fit notitia rei exterioris, vt enim dictum est in Metaph. omnis res se ipsam amat, cognoscitque esse. Res externas non cognoscit, quoniam aliena sunt: si autem agunt in ipsam, faciunt ipsam sibi similem, & tunc non amplius aliena: ergò sentiendo res se ipsam affectam ab externa, sentit externam.

Itaque omnis sensus fit cum aliquo discursu extimatiue, vt patebit, excepto in Deo, qui non à rebus, sed à se, qui est omnia, nec indiget fieri omnia, quia est omnia eminenter, vt sciat omnia: scit ergò absque passione: similiter Angelus, quæcumque est eminenter, nouit illa non recipiendo; quæ verò non est, oportet fiat per assimilationem, & sic cognoscit ea. Hoc altissime olfecit S. Thomas in p. p. ego verò declaraui in Metaph. Nec Aristoteles concludat, sensum esse puram potentiam, quia fit per passionem: sed esse potentiam tantum ad illa, quæ sentit, non autem ad similia, neque ad se, sic speculum est potentia ad imaginem meam, ad se verò & ad aërem quà sibi similem est actus: sensus quoque quatenus Primalitatis principium est, actus est; omnia autem non sentit sensus: ergo non est omnia potentia: sed sicut Auerr. voco sensum hîc substantiam sentientem.

Ad secundum concedo, non sentire, nisi fiat res sensiles, quas proinde sentiat: sed non erit propterea ipsa factio passiua sensus, sed perceptio notionalis, vt dictum est: quod autem res omnis se ipsam esse noscat, patet, quoniam & appetit esse, quod est semper, etiam Peripateticorum testimonio. Appetitus autem naturalis sequitur sensum naturalem, animalis animalem; Gratuitus gratuitum, in Theologia. Latet autem sensus sui rebus, quoniam alienorum afficitur esse quotidie, & alteratur, habet ergò sensum sui innatum, aliorum illatum: vide hanc doctrinam mirificam in Metaph.

Ad tertium, quamuis sit potentia ad aliqua, tamen actus est in se. Nec afficeretur corporaliter, nisi corporea esset, vt palam est; quæ enim cum materia non communicant, non possunt inuicem agere, & pati, & assimilari hoc illi per passionem, vt & Arist. docet in primo & secundo de gener. & cor.

Ad quartum concedo, quod ab his, quæ non multum excedunt temperiem spiritus, patiatur perfectiuè, vt à sonis mediocribus, & temporibus, & odoribus sibi proficuis ob temperiei vicinitatem, quibus etiam alitur. At à vehementibus pati corruptiuè quis neget? sic aqua à blando calore perficitur, quoniam frigus gelans ipsam, pellitur, & in sui fluiditate seruatur: & à calore multo destruitur, fitque aër. Idem inuenies non solum in tactu nostro, sed in visu, à blanda luce seruato, à nimia dissipato. Dissipatur autem Symetria, ratio, formáque spiritus, quæ est etiam Aristoteli constitutio Animæ sentientis; similiter à bombardis spiritus ægrotans, exilisque contunditur. Aliquando gaudemus, nos ista passos; non quia nos passio perficit, sed quia experimentum nos doctos fecit nostrę virtutis, aut ad fugienda mala consimilia: suaue est etiam venena scire, & omnia, hoc autem non ex anima sentiente est, sed à Primalitate: quæ nunquam petit, etiam sentiente spiritu, & sensorio perditis: gaudemus etiam passos esse naufragium ob melius bonum, inde acquisitum, & notitiam: non autem propter passionem, quæ neque sensus est, neque perfectiua, nisi rarò forte etiam superioris animæ istud gaudiū est: vide Metaph. Quādo narratur nobis historia malorum humanorum, lætamur illa scire, tristamurque pati: si autem mortem tui fi-

lij quis tibi annunciet, statim curris: ergò Anima sentiens, vt passiua res est, patitur etiam corruptiuè: neque enim organum, sed ipsa cognoscens afficitur ab obiecto imaginato, vel audito, non tangente organum sic fortiter, vt à tubæ sono: quo etiam lætamur. Primalitas autem patitur, vt corporata est.

Ad quintum, non rectè ratiocinatur. Nam vis actiua omnis rei est immaterialis, passiua est corporea; quæ ergò agunt in nos, effundunt vires, non materiam, si diffusiua sui sunt: quæ verò haud diffusiua, non, nisi cum materia nos tangente: sic patet, quod non modo sensus noster, sed omnis res patiens recipit sine materia: sic Tellus, & aqua recipiunt lucem, & calorem solis: Aqua verò & figuram, non autem solis materiam. Aër verò frigus, & vmbram terræ sine materia terræ, & odorem plantæ sine planta. Conuictus namque Aristoteles fatetur odores in aëre recipi, & agere. Quapropter Aristoteles ad pauca respexit in hoc dogmate: at verò petræ pondus absque materia petræ non suscipimus: quoniam non se se effundit vsque ad nos: colorem etiam petræ neque suscipimus. In oculo tamen suscipitur, non à petra effusus, sed à luce tincta delatus, quod Arist. non considerans in errorem trusit, vt putaret posse sentiri informatione, & passione immaterialiter. At & in aqua recipitur figura, & color petræ sine petra; nec propterea erit in corpore, nec speculum incorporeum, neque sensorii corruptio, sed solius sentientis interdum est, vt spiritus exilis in aure à bombarda corrumpitur seruata ratione auris suæ, & aliorum idem sentientium, sed robustorum spirituum: quod autem plantæ sentiant, probatum est prius, neque sentire esse recipere sine materia, sed perceptionem, & iudicium rei receptæ siue cum materia, vt in tactu, & gustu, siue sine, vt in oculis, siue cum materiæ parte tenui, vt in aure. Neque esse, vt tonum chordarum, sensum, dictum est; quoniam non est harmonia, hic, & alibi. D.Thom. etiam docet sensum, quò sensus, recipere cum materia: sed qui participat rationem, sine materia.

D Thom. Ver. q. 25. ar. 2. de sensual.

Ad sextum, concedo debere esse denudatum in eo gradu, quo recipit, sic enim non sentit, vt manus manum eiusdem gradus: at superioris quidem sentit, non autem inferioris, à quibus non patitur. Propterea latent omnium rerum vires nostris languidiores magisque similes; solæque exuperantes patent; quæ tamen si exuperant nimis, destruunt: ergo modica est scientia sensus. Propterea que discursu inferiores, & & excellentiores, & similes inuestigamus: ergò non omnia sentimus. Neque oportet esse incorporeum sensum, vt corpora sentiat, imò corporeum. Non enim fit passio, nisi inter ea quæ communicant in materia. Item in aqua corporea corporeorum formæ figuræ, & vires reperiuntur sine rebus, vt si aqua sentiat, quemadmodum oculus, illas sentire dicatur materiales res, ipsa quoque materialis. A similibus autem non afficitur, quia non fit, quod iam est.

Vtrùm sentire fiat per informationem, ita quod species obiecti informet sentientem potentiam, requirantúrque potentia, obiectum, & medium, vt fiat: An sola motione modica Animæ sentientis ab obiecto, ac metientis ex illa totum, celebratur, & intus.

ARTIC. II.

Aristoteles primam sententiam tenet.

1. Quoniam, inquit, sensus patitur sentiendo, fitque similis obiecto: ergò formam obiecti recipit secundum quam ei assimiletur, recipit autem sine materia, quoniam immaterialis est sensus, non tamen sine præsentia materiæ obiecti, quoniam organis corporalibus inexistit sensus.

2. Quoniam sensibile positum suprà sensum, non sentitur, neque enim album
" tangens oculum, neque sonus auditum, neque olfactum odor tangens sentiuntur: oportet

ergò medium esse actuatum specie, quod sensorium afficit, & sensationem facit. Dubitat deinde in text. 114. quomodo in tactu, & gustu reperitur medium. Nam visui Aër, & Aqua olfactui, & Auditui aër, & aqua ex parte, medium inesse vult, non extraneum, vt in illis, sed innatum. Estque ipsa caro. Nam sentimus, si quid illi apponitur, non autem si quid oculo. Igitur organum est intus latens, ideóque putamus nos tangere obiecta, non per medium; sed fit, sicuti si percutit nos per clypeum sentimus, non quia percutitur clypeus: sed quia percutimur nos, & ille: sic in tactu etiam percutimur per medium dum sentimus per carnem percussam.

3. Quod non sit mutatio sensatio, patet: quoniam nisi fiat assimilatio, non sentimus: assimilatur autem patiens agenti, eius formam recipiendo.

SED Contra est Ambros. in lib. de officiis & de Isaac, vbi cogitationes, sensationes, cæterósque actus pertinentes ad sapientiam, vocat motus animi, pertinentes verò ad Amorem, passiones, & affectus. Item in 6. lib. Hexam. & in lib. de Noë, & Arca, sensus à capite in sensoria per neruos vult deriuari, & internuncios esse capitis, vocatque spiritum sentientem, qui per omnes partes sese infundit, & penetrat, in cap. 6. & 7. & in 25. Item carnem, & corium apposita esse corpori docet, non tanquam media ad sensum; nam melius sentiret liber: *Sed vt Spiritalis*, ait, *substantia, quæ intus operatur, veluti geminis constricta vinculis non euagetur.* Nec vnquam videbis apud sanctos formarum perceptione, sed motione fieri sensationem. Omnes conueniunt spiritum esse animam sentientem, à sensilibus motum: præcipuè August. Ambros. Lactantius, Chrysostomus, & Durandus, qui species tam sensiles, quam intellectuales negat; solásque passiones, & motiones defendit. Nec Aristoteles in lib. de Sensu, & sensili, & de somno, & vigilia, & in cæteris vtitur speciebus, sed motionibus. Impossibile est enim per illas fieri interiores, exterioresque notitias.

Et quidem si oculus suscipit formam lapidis, vt sentiat lapidem, dicat Aristot. quis est qui spoliat lapidem sua forma, & ad oculum defert? exemplum de sigillo cōdemnat ipsum. Nam sigillum aureum, tangit ceram, infigitúrque, sicque remanet forma absque auro: Arist. autem per medium deferri formam vult; nec quis deferat, nec quomodo, nec quomodo lapis sine sua forma postea possit esse, docuit, nec à quo spolietur.

Profectò meliora dixit Democritus, qui simulacra rerum effluere motione continua, dixit, & nostris ingeri sensibus. Nam licet hoc impossibile sit, quoniam vento intermediante, nihil videremus: auferrentur enim simulacra, & alibi quam directè posset fieri diuisio, vt somniantibus, non tamen loquitur absque re: aliquid enim dicit. Arist. autem nihil.

Propterea Peripatetici fluctuantes dicunt alij, sensum agentem reperiri, vt Auerr. qui formas extrahat à sensilibus, sensúmque illis informat. At quomodo sensilia remanent sine suis formis, nil docent isti Auerroïstæ. Neque quomodo Anima informetur ab exteriori sensu. Neque quod sit, & vnde. Et cur Aristoteles ipsum non declarauit, saltem cum de Intellectu agente sermonem facere coactus est.

Alij negant requiri sensum agentem. Hic enim requiritur, vt faciat actu species sensibiles, sicuti intellectus intelligibiles, quæ non sunt, nisi depurentur à sensibilibus: at sensibilia actu sunt: possunt ergò mouere. Sed dicant mihi, quomodo lapis potest sensum mouere, cum nulla actiuitate vigeat? Et quomodò lapis tam corpulentus in spirituale aget? sed neque si agat, sufficit. Oportet enim formam lapidis in oculum intrare, & potentiam informare: quis nunc est illam formam eliciens ex lapide, & ferens, non dicunt. Sentio vocem Petri, & per eam Petrum, quomodo forma eius ad me, vel motus eius defertur?

Propterea dixerunt, non venire formas rerum; sed intentiones. At ista intentio non est aliquid ab imaginatione factum; sed non durabilis species, vt dicunt de coloribus Iridis. Oportet autē dicere quis deferat has species, & quomodo possunt extrahi ex obiectorum superficie. Stultè etiam dicerem, calorem, quo ignis

afficit aërem, & manum, eſſe intentionalẽ, non realem: cum idem collectus igniat etiam vaporem, & manum realiter. Item video etiam per aquam, & vitrum lapides, quomodo intentio lapidis per illam tranſit? & quomodo non deficiunt lapides tot ſpeciebus, dum videntur, continuò ſpoliati?

Sueſſanus dicit fieri intentionalem formam à reali virtute Dei. Nos & realem facimus virtute Dei. Fugere ad cauſam vniuerſalem, dum particularem quærimus, non eſt Phyſici. At neque Ariſtoteles has ſpecies intentionales nouit, ſed ſemper de formis realibus locutus eſt, ſicuti de ligno, quod ignitur ſpecie reali informatus prius. Neque Dei concurſum poſuit, niſi per accidẽs. Neque declarauit, vtrum ſit ſpecies illa id, quod ſentitur, an quo. Hoc tamen ſecundum arridet Peripateticis ex lib. de Somn. Videmus autem quod extra nos eſt.

Plato hoc conſiderans putat ſenſum fieri extra nos, quia vis Animæ ad obiectum extenditur extra corpus, ſicuti Magnetis virtus. At cum videret non poſſe vſque ad ſidera emitti, neque nos audire bombum, vbi ſit, ſed quaſi in medio inter nos, & roboantem rem, putauit ſymbolum fieri ex re exteriori, & interiori. Et quidem motione ſentiri, non ſpeciebus, ſomniaque eſſe reliquias motionum. Hanc aliquando S. Auguſtinus doctrinam concedit. Propterea dico fieri ſenſationem motione; ſed quidem intra nos facta in ſpiritum, qui elabi non poteſt: continuari tamen ſenſum naturalem, non animalem vſque ad obiectum. Omnia namque eo participant: & in medio fieri quendam ſenſum eiuſmodi; nam & iaculantes in manu ſentiunt, an ſcopum percuſſerint per communicationem Aëris cum ſpiritu noſtro, quo etiam vitaliter alimur, vt docet Ambroſ. ibidem. Plotinus verò excitari à rebus externis Animam ad ſentiendum, quod in ſe habet connaturale, dixit. Nos autem & pati videmus: Et de hoc in Metaph.

Dicimus autem haud oportere ſpiritum affici forma ſolis tota, vt ſolem ſentiat, ſicuti Ariſt. putat, ſed modicè immutari ab eo; ex illa enim modica immutatione ſentimus totum per diſcurſum ſenſitiuum. Oportere enim diſcurrere ſentientem ſubſtantiam, manifeſtum eſt etiam in Ariſtotele. Si enim ex illa forma intentionali cognoſcit lapidem realem ex noto ad ignotum ibit, & hic eſt diſcurſus, alioquin in ſe eſſe lapidem dicet, non extra, vti probabat Plotinus. Similiter, dum ignis particulam ſentimus, totum ſentimus, & dum partem muſicæ, etiam totam: ex voce lupi lupum non viſum diſcurrendo agnoſcit ouis. Si autem diſcurſus non fieret, ſola vocis paſſio abſque eo, cuius eſt vox, in oue fieret: & ſola lapidis intentio, abſque lapidis notitia. Et ſolam figuram, aut colorem hordei, non autem eſſe hordeum, quod videt equus noſſet. Aliud enim eſt eſſe hordeum, aliud figura, & color illius.

Aliud enim eſt eſſe hordeum, aliud figura, & color illius.

At profectò nemo finget, quæ ſit forma ſaporis, & odoris, & ſoni. Hæc enim realiter afficiunt nos ſeipſis, non ſpecie. Decepit Ariſtotelem oculus fortaſſe, in quo ſpecies lapidis videtur. At hæc etiam in ſpeculo videtur, quoniam lux tincta lapidis forma in eo recipitur: mouet autem ſpiritum videntem ipſa lux. Sed quatenus tincta lapidis colore, & conſequenter forma colorata, facit videre colorem, & formam lapidis, afficiendo ſpiritum, ſicuti ipſa eſt affecta, non autem informando. Quomodo enim forma ignis, & ſolis, & rerum fortiſſimarum, poterit informari? Saporum autem nulla eſt forma. Sunt enim actiones caloris cum ſua mole.

SED Contra ait Aphrodiſ. & alij Peripatetici: ſi realiter reciperentur in ſenſibus obiecta, tunc oculus coloraretur, nec poſſet alios ſuſcipere colores: & lingua affecta ſapore reali, alios non percipit. Videmus præterea ex oculo euaneſcere album, & nigrum colorem quem vidit: ergò intentiones ſunt. Sed iſta ratio nulla eſt, non enim potentes ſunt, vt immutent, neque vt informent, ſicuti ipſi volunt, ſed parum agunt, propterea non remanet effectus actionis, ſicuti neque in ſpeculo imago, & in aqua Sol, vbi realiter præſentantur. At vbi intueor purpuram, remanet viuus color in me alteratus tamen ita, vt omnia crocea, non purpurea videar videre. Soni etiam magni remanent in auribus: ſimiliter & odores diu retinentur, ait S. Ambroſius, vt aliquando ſemel odorans tota die videaris ſentire illum odorem. In guſtu quoque remanet

ſapor diu, poſteà abſtergitur. In tactu calorem & frigus quis non videt remanere?

Quoniam excellentium non eſt ſenſus abſque deſtructione; ideóque mediocria ſentimus, & non afficimur valde; propterea videmur intentione, non re affici; quod tamen falſum eſt omnia perpendentibus. Nec ſanè imaginatio fieret, niſi quoquo pacto reali obiecta in ſenſu remanerent, neque realiter timeret imaginando Anima, ita vt etiam corpus afficiat.

Quod autem non fiat ſenſus, niſi ſenſitiua ſubſtantia tangatur, palam eſt, nam & informatur Ariſtoteli. Sed ipſe ait, per medium; Ego, inquam, medium non requiri, vt ſentiamus, ſed ne ab obiectis deſtruamur, & vt antequam ad illa peruenimus, præuideamus, nec bona nos effugiant, neque mala nos perdant. Hoc fuit conſilium Dei. At abſque medio, & ſenſorio fieri ſenſum, imaginatio docet, quæ afficitur, ac ſi præſenti obiecto feriatur, ita vt interdum timoribus, & lætitiis ingentibus perfundatur. Si ergò ſpiritus ſentiens liber eſſet, & ſanus longè melius ſentiret. Vnde aerem ſentire naturaliter miris argumentis in lib. de Senſu rerum probatum eſt, quo & noſter ſpiritus alitur, teſte S. Ambroſio, Lactantio, Teleſio, & Hippoc. Imò ego aio, non poſſe fieri ſenſationem, niſi ſenſibili poſito ſupra ſenſum. Nam medium ipſum, quatenus affectum ipſo ſenſibili afficit ſenſum; multò ergò melius afficeret ſenſibile. Si enim poteſt tantum à longe, multò plus propè. Vnde tactus ignem eo magis quò proximiorem ſentit. Saporem autem ſpiritum tangere per linguæ poros inſinuatum, vel pelliculam tenuiſſimam ſaltem interiectam neruulorum, ne ſpiritus elabatur, palam eſt. Odorem nutrire ſpiritum ſentientem, nedum tangere, præfati Doctores, & experientia teſtatur. Neque ſuprà ſpiritum, imò & ſpiritui ſentienti vnum facta, ſentiri dicendum eſt. Ego, ſunt ſex anni, quod tinnitum in auribus ſentio, qui fit in congenito aëre, carceris humidi vapore affecto. Aër autem ille tangit ſenſorium, & ſenſum. Vitrum etiam tangens oculum videtur in die.

Omnis ſenſus fit tactione aliqua.

Ad argumenta ergo Reſp. Ad primum nego totaliter aſſimilari ſenſitiuam Animam obiecto, alioquin fieret ignis, & ſol, & lapis. Quorum enim formis materia informatur illa efficitur. Item quando plura ſimul ſentit, fieret plura, quod impoſſibile eſt. Profectò indiuiſibilis Anima ſentiens Ariſtoteli non poſſet plura ſentire: nam informatur formis. Nobis autem facilè, quoniam corporea eſt, & in diuerſis ſui partibus à pluribus pati poteſt, & iudicare, quoniam non fit illa, ſed modicè mutatur: & à modica immutatione vires immutantium noſcit veloci diſcurſu. Oſtendimus etiam, quod percepto vno ſenſibili non perciperet aliud, niſi prius corrumperetur id, quod factum erat ex potentia, & actu; omniſque ſenſatio eſſet corruptio.

Ad ſecundum negatur aſſumptum; nam & odor, & ſapor, & calor, & ſonus, & omne per ſe ſenſibile neceſſariò tangit ſentientem Animam. De colore decipitur; non enim color eſt, qui ſentitur, ſed lux tincta colore lapidis. Ergò ſi ponas lapidem in oculo, lux non reflectetur à lapide in oculum, ſed opacitas lapidis, & ſic viſio non fiet, ſed tactus modò. Hoc exemplum decepit Ariſto. vt tot media falſa, & decretũ contra Philoſophiam comminiſceretur, quod nimirũ actio nõ fiat tangendo immediatè. Cuius contrariũ in p. de generat. & alibi ſemper docuerat. Caro, & lingua ſentiunt, antequam ad neruum, aut ad ſenſorium aliud perueniat actio. Si quis enim aut pungat carnẽ, patet ſenſatio in extremo carnis. Non ergò eſt ſicut percuſſio per clypeum, ſed per velamen. Spiritus enim in corio ineſt ſubitò ſentiens. Patet autem in pili extirpatione, in qua non intus, ſed foras ſpectat actio. Cuticula non ſentimus, nam gladio abradimus ipſam, oportuitque ſic eſſe, ne valde doleremus, ſed ſenſum habet obtuſum ſpiritui communicabilem, vt ſenſum, non vt dolorem, quoniam non multum ei continuatur; cutis verò fibroſa ſpiritu plena eſt, ſentitque ſenſu exili, & magno, qui eſt dolor, voluptáſque.

Ad tertium: concedo aliqualem aſſimilationem, quæ fit per modicam immutationem non totalem. Si enim totalis fieret, alienaretur Anima à ſui ſubſtantia, & tranſiret in alteram, ſicut lignum in ſubſtantiam ignis. Et hoc exemplum eſt Ariſtotelis contra ipſum met. Patet autem in delirio ex Amore, & morſu canis rabidi, in quo in Amaſiam immutatur vehementi motu, & in caninum, quia fit aſſimilatio; nec ta-

men tanta, quantam Arist. vult. nam sic etiam fieret transformatio, vt Hecubæ in verum canem, vti fabula refert: Et quod lycantrophis aiunt euenire: sed non potest fieri, nisi à Deo talis transformatio, vt in Nabuchodonosor. Vide Metaph. Et vide quæst. de visione ad complementum huius.

Vtrùm Sensitiua Potentia sit forma Sensorij, an alia per se substantia inambulans, vtensque sensorio.

ARTIC. III.

1. ARistoteles primam opinionem commentus est: quoniam, inquit, Anima est forma corporis organici. Ergò organorum formæ potentiæ erunt animæ.

2. Hæc est differentia inter sensum, & intellectum, ille cum organo est affixus, iste solutus: ergò.

3. Organo fracto perditur sensus illius: ergò forma eius erat sensus.

SED Contra est S. August. de verbis Apost. in quodam sermone, docens neque oculum videre, neque aurem, sed animam, quæ vtitur his tanquam organis: esseque fenestras oculos, & partes perforatas, per quas anima sentit exteriora: hoc probat, quoniam jaculatores claudunt alterum oculum, vt anima in vno vniatur: forma autem non abscedit ab vno in alium: Ergò substantia est per se mobilis: probat etiam, quoniam quando audimus aliquid attentè nimis, vix videmus transeuntes: quoniam anima ab oculis in auditum secessit. Eandem sententiam docet S. Amb. in lib. de Noë c. 6. dicens, „ corpus humanum esse instar Arcæ attextum, sensoria sicuti nidus, vt spiritus vitalis per „ omnes partes viscerum penetret, atque de principali nostro (idest de capite, vt in se- „ quenti cap. declarat) fundat se per artus singulos. Nidi sunt oculi, nidus aures, & cæte- „ ra sensoria: & in sequenti cap. docet, ex capite sensus omnes ad cæteras partes corporis transfundi: spiritum autem sentientem corporeum esse docet ibi, quoniam alitur aëre: & in c. 25. quoniam sanguine: & quoniam retinetur corporeis tegumentis. Ergò sensus est in substantia spiritus: organa verò instrumenta sunt non informata à substantia sentiente, sed eius vsui destinata. Palam enim, qui dormiunt, nil sentire, etiãsi oculos apertos habent, & aures, & obiecta adsint: quoniam spiritus intrò recessit: forma autem recedere non potest; fieretque ergò sensatio. Mortui ex febre oculos habent cum sua forma, non tamen vident, quia carent spiritu. Præterea S. Gregorius Nyssenus lib. de Animæ viribus cap. 1. probat esse vnum sensum, & plura sensoria: illum esse spiritum mobilem inambulantem per sensoria.

Ad primum, nego Animam esse formam corporis, sed habitatorem, vt sancti docent: & in quæst. 37. probatum est: irrationabile est facere gladiatorem formam sui gladij, & spectatorem fenestræ suæ domus. Ieremias oculos vocat fenestras, & omnes ita exponunt Patres. Item ipsemet Arist. 2. de An. T. 146. probat sensitiuam & imaginatiuam non esse formam corporis propter hoc quod accipit plures species & spernit corpus: sed, quid indiuisibile incorporeum.

Ad secundum, negatur consequentia; nam sensus non est affixus organo, vt forma, sed vt operans in illo, & per illud: à quo etiam recedit. Differentiæ aliæ multæ sunt, de quibus infra. Hæc autem non est vera, nisi quod intellectus est incorporeus, sensus verò corporeus, dico sensum animam sentientem, & intellectum animam intelligentem à Deo inditam. Nam primalitates eminentiores sunt corpore, & non corporeæ.

Ad tertium non perditur sensus, sed vsus sentiendi, fracto oculo: spiritus enim per opacum non potest videre, quoniam lux, quæ visionem facit, non penetrat nisi transpicua. At si quis reformaret oculum, vtique videret iterum: & Arist. concedit, quod si senex acciperet oculum iuuenis, videret vt iuuenis: ergò non est forma oculi, sed spiritus: & per ipsum mens, & S. Ambros. & Plotinus contestantur.

Philoponus tandem, & Themistius, & Algazel concedunt sensoria facta ad vsum

vnius spiritus inhabitantis: neque esse sensus formas eorum.

Vtrùm sint quinque sensus particulares, & vnus communis, an verò vnus communis, & plura sensoria particularia.

ARTIC. IV.

PRobat Arist. esse quinque sensus particulares, & vnum commune.

1. Quoniam, inquit, sensibilium aliud est proprium vnii sentiri, circa quod non potest falli; alia sunt communia; alia per accidens. *Arist. lib. 2. de Ani.*

Propria autem sunt quinque tantum, vt color, odor, sapor, sonus, & tangibile. Ergò quinque sensus particulares: communia verò sunt motus, quies numerus, figura, magnitudo. Ergò assignandus sensus communis: per accidens verò, vt coloratum: esse filium Petri; & hæc cum infinita sint, & non per se cognoscantur, accidunt enim prædictis, nec faciunt alium sensum. *T. 63. & seq.*

2. Idem Arist. tex. 128. & seqq. Item aut sentitur omne sensibile sine medio, aut per medium; sine medio omnia tangibilia tactu cognoscuntur: per medium autem non nisi per aërem, & aquam sentimus: sunt autem & diuersa vnius medij, vt color, & sonus aëris; & id tm duorum, vt sonus aquæ, & aëris: sensoria verò omnia ex his sunt. Quapropter quidquid per ipsa sentiri potest sensorium habemus. Pupilla enim est aquæ, auditus aëris, olfactus ex vno horum. Ignis autem in omni sensu inest, quoniam nihil sine igne sensitiuum est: terra autem nullius est, aut in tactu maximè miscetur. Ergò nullus deficit sensus animali perfecto, cum nullum sit corpus, aut passio præter ista, ex quibus sensoria sunt. " " " " " " " " " "

3. In lib. de sensu, & sensibili c. 2. oculos dat aquæ, auditum aëri, odoratum igni, tactum terræ: gustus autem tactus est. Ideo iuxta cor primum sensorium calidissimum est gustus, & tactus. Alij in cerebro, quia frigidissimum, & humidissimum. Odoratus etiam, quon am potentia calida frigidi materia est. " " " "

4. Hæc enim, ait, tex. 133. omnia motu, idest, sensus immutatione, cognoscuntur: communia autem omni sensu, etenim motus, & tactu, & visu; nec datur proprium, quia esset, sicut nunc visu dulce sentimus. *2. de Ani. tex. 133. & 134.*

5. Probat dari sensum communem, tum propter communia sensibilia, tum quia nos conferimus propria inuicem, vt dulce, album, sonorum; non potest autem, nisi à sensu ista compositio cognosci, non à propriis; quia essent sicut tu, & ego; nec vnquam sciremus pomum dulce esse, & album; & quod differunt dulce, & album: oportet ergò aliquod vnum discernere ista, & vno tempore. Deinde quærit, quomodo id possit esse, vt vnum contraria, & diuersa simul sentiat, & iudicet, respondetque esse vnum, & plura, vt centrum, quatenus est vnum iudicat, quatenus multorum terminus, multa nouit, præterea. *T. 136.* " " " " " "

6. necessarium ponit sensum communem, quoniam sentimus nos sentire. At oculus non videt se videre: sensu ergò communi id nouimus, ne procedamus in infinitum: nam qui videt se videre, iterum videbit se videre: & sic absque fine, siue idem obiectum, infinities cum suo actu. " " " "

7. Quærens Arist. in tex. 135. lib. 2. Ani. cur sint plures sensus. Resp. vt sequentia non lateant, nec communia sensilia: si enim esset solus visus, & ipse albi, laterent vtique magis, & viderentur omnia idem esse, propterea quod consequuntur se inuicem color, & magnitudo. Nunc autem quoniam in alio sensili communia sunt, manifestum facit, quod aliud quoddam vnumquodque ipsorum est. " " " " " "

8. Quod sint quinque sensus potest omnium theologorum testimonio probari cum de his loquuntur.

SED Contra plura huius articuli dicta Aristotelica facit, quod determinauimus ex S. Greg. Nyss. lib. 1. de viribus animæ, vnum esse sensum, & plura sensoria: item ex S. Amb. & Aug. & Chr. & aliis Patribus spiritū corpus inhabitantē in sensoria trāsfun-

di, ibique varia obiecta sentire pro sensoriorũ capacitate; sensoria autẽ organa esse, nec formas ipsorum esse animam sentientem, sed id quod vtitur formis, & architectura tali ad sentiendum, sicuti fenestris & ostiolis, & foraminibus, & specula. Quapropter vnus est sensus seu anima sentiens; & plura organa; quod & Themistius nouit, & Philoponus. Nec sensum communem alium dare oportet, qui iudicet obiecta particularium. Qui enim obiecta percipit in eis, ipse est qui iudicat, alioquin, vt ratio Arist. conuincebat, si alius sentiret, & alius iudicaret, essent sicuti ego, & tu. Ego autem non possum iudicare de eo, quod tu sentis, neque discernere inter id, quod tu, & ego, nisi vtrunque ego sentiam. Ista fictio de sensu communi seipsam interimit. Aut enim hic sensus est liber ab organo, vti spiritus habitator, aut est affixus organo; si liber, cur non, & particulares sensus liberi sunt itidem? Item ergò nec Anima est actus corporis, vt tenet Arist. erit ergò spiritus. Si affixus, cui nam? hic Peripatetici digladiantur. Alij cum Auicenna ponunt ipsum in occipite. Alij in corde cum Alexandro. Et reuerà Aristoteles in paruis naturalibus septies, & pluries in corde ipsum locauit. Tunc quæro, quo pacto species sensilis defertur ad sensum communem ex particularibus?

Vtrùm per vias similiter sensu præditas, an per insensatas lineas? si primum ergò infinitæ erunt viæ istæ. Siquidem in omni puncto corporis nostri fit tactiua sensatio. Neque est fingere, quod per eandem viam dolor pedis & capitis ad cor perueniat. Si infinitæ, vbique erit sensus, etiam in ossibus, & humoribus, & quibus Arist. negat sensum.

Præterea cum cor suspensum in pectore sit, nec tangat totum, sed neruis, atteriisque contextum spinæ assideat, non videtur possibile, quod ad ipsum sensilia perueniant vndique. Sed tantum per arteriam. At etiam tactio vbi non est Arteria communi sensui communicatur. Ergò.

Præterea arteriæ pulsationibus agitatæ, motiones exiles non percipiunt, neque ad cor deferunt: motus enim illarum reiicit motum sensus exilem: ergò & cordis agitatio magna non sinit exiles agitationes percipi: quando nec Auris sonante tympano voces percipit humanas proximas expeditásque; quæ cordi distantissimæ impeditásque per vias insinuantur.

Præterea neque finget vnquam Arist. quomodo ex oculis ad cor perueniat color, qui nimirum non nisi in transpicuo recipi potest. Via autem ad cor est opaca, tenebrosáque, ipsum cor opacum, rubrúmque, nullum ergò colorem sentiet sensus communis, vel omnes sentiet rubros, sicut oculus, si ruberet. Odores, & sonos, cum sint exhalationes, & motiones, sursum tendentes, qui ad cor descendant, nemo finget, nisi spiritum, illis affectum deferentem faciat. At quomodo cordis motus grandis non abiicit exiles auris tinnitus? nescio vnde hominibus tanta stupiditas, vt tantos errores possit diglutire nil examinatos; sicut fæmellæ eum fabulantur. Si autem insensatæ sunt viæ, tunc quomodo possunt deferre, quod non sentiunt; & quæ lux deferat colorem cordi; & quis aër musicam, & quæ porositas saporem? Valent & contra hanc sententiam argumenta etiam suprapofita.

Præterea nemo non experitur, quod dum sentit aliquid, statim fit intra caput iudicium illius: Cor verò continuos suos exequi motus. Cum autem sensibile multam exigit attentionem, cor, & iecur, & ventriculum à muniis quasi feriari, eo quod virtus tota in cerebrum consideratura congregatur. Hinc cruditates sanguinis, & fuligines non expulsæ, & intermissi motus, suspiriis reficiendi, & febriculæ succedunt. Ergò idem spiritus corporis gubernator, vt docuit sanctus Ambrof. ex capite excurrens omnia operatur; & in contemplatione magna eius pars occupatur, seruiens intellectui, ita vt fiat minor ad functiones aliquas, & ipsum esse animam sentientem cõmunem: proptereáque posse discernere inter omnia obiecta particularia. Si autem in sincipite fit communis sensus, vt Auicen. Sequuntur eadem inconuenientia, nisi quod rationabilior est sententia propter experimenta in capite fieri discretionem. At per quas lineas, si est temperies, & actus cerebri, non potest fingi.

Præterea si sentit oculus albedinem, & nigredinem, & lingua dulcedinẽ & amaritiem

ritiem,tunc statim oportet sensum communem ista quatuor contraria sentire, quæro an per eandem viam nigrum,& album accipit,an per alias:non primum,quoniam eadem linea indiuisibilis non potest esse alba,& nigra;neque per aliam,quoniam in eodem oculo suscipiuntur,tunc neque poterit punctum illud sensus communis contrariis affici,& longè minus diuersis contrarietatibus iam dictis,quomodo ergò iudicabit in tam minimo subitò,& contraria percipiet indiuisibilis,& per easdem vias?

Responsio Arist.quam accepit ex Platonis Thæteto de centro vno, vt ens; pluri, vt terminus,in articulo alio explosa est;nec si centrum ita fingatur,de linea potest fingi,&de sensu visus,qui non est centrum,& recipit contraria. Oportet etiam, quod rangant punctum illud contrariæ formæ:ergò fiunt simul vnum,punctum enim caret partibus, & si mille sint puncta,vnum sunt Aristoteli:dum ergò ei vniuntur species vndecumque veniunt,vna fiunt,maximè quæ per eandem lineam,ergò contraria simul fiet & formis contrariis informabitur,ergò erit ignis,& glacies simul, fit enim illa illorum formis informatus Aristoteli sensus. Remanere ergò dicendum in sentiente vnica substantia exiles passiones, & per eas iudicare de sensibilibus pluribus simul, quoniam corporea est, continuáque, & in multis sui partibus simul affici potest,nec informatur, vt fiat illa,sed tantum modicè immutatur: vnus ergò sensus plura sensoria:omnisque sensus tactus est, vel per medium, vel sine medio, vt dictum est, ex qua thesi omnia soluuntur dubia statim.

De Sensibili proprio, & communi, & per Accidens contra Peripateticos.

AD primum si omnia,inquam,sensibilia propria à communi sensu etiam sentiuntur,nequaquam dicenda sunt propria,quia sunt particularium sensuum,sunt enim & communis,sicut & alia:si verò quoniam illa solum à communi, ista verò à particularibus,falsum est:non enim communis sensus sentiet, nisi quod à particularibus sensoriis haurit:cætera enim discursu agnoscit:si verò communia sunt,quoniam in pluribus particularibus percipiuntur,tunc non poterit propter ipsa dari sensus communis,sed propter omnia particularia,etiam ad differentias inter illa per noscendas: hoc autem ita probatum est in hoc,& in aliis articulis:ergò vnus erit sensus communis in particularibus organis particulari modo inoperans,vt dictum est.

Diuisio etiam Aristotelica reprehensibilis est:si enim passio est sensus, manifestè sequitur nullum ens esse sensibile,nisi actiuum;actiua autem Aristoteli sunt calor,& frigus; humor enim,& siccitas per totum 4.Meteor.passiua esse probantur,& in 2. de gener.& corrupt. Aliæ autem formæ elementatorum non agunt,vel non sunt nisi temperies Galeno,& Aristoteli:at si quid sunt, non agunt,nisi per calorem,& frigus: tunc pronunciandum erat,ea tantum esse per se sensilia,quæ possunt per se agere;&tunc agnouisset solum calorem,& frigus esse sensilia per se,vnicúmque esse sensum videlicet Tactum. Quidquid enim aliud sentitur propter hæc sentitur: lux enim caloris est vultus viuidus, color est lux demortua: sonus est motus,qui est operatio caloris: sapor est calor factus natiuus secundis entibus agens vnà cum sua mole macerata. Odor est calor cum tenui materia exhalans.

Quapropter idem sensibile diuersis modis affectum in materia facit diuersa sensilia; & diuersa organa admittentia eadem sensilia ad substantiam sentientem, requirit: tota autem,& omnis sensatio tactu consummatur. Neque enim fit sensus nisi assimilatione: assimilatio per actionem & passionem,agens enim assimilat sibi passum: actio & passio per contactum realem,vt probat Arist.hic,& p.de gen. cap. de Tactu: ergò sensus est perceptio obiecti,quod à vitali vigore Animæ patientis iudicatur, vt dicebamus cum S.Ambrosio;& hoc iudicium seu perceptio est formaliter sensus. Humor ergò,& siccitas percipiuntur tactu,non tamen nisi per calorem vbi agunt, aut per motum, quo premimus illa;& si cedunt, mollia,si non intrat tactus, dura pronunciantur; discursu ergò non sensu patent dura,molliáque:neque vim sui diffusiuam actiuámque in nos habent, *Veritas de sensib. proprio, & communi, & facilis.*

ſed miſta nobis preſſione, non à longe ſui diffuſione innoteſcunt. Dicantur tamen per ſe tangibilia, quoniam non per aliud medium tangentes argumentamur argumento ſenſato earum cõſiſtentiam duram, vel mollem, vel lentam, vel tenuem: ſicuti ergò materia, non ſenſu, ſed adulterina ratione cognoſcitur: ſic omnis paſſio materialis: ergò magnitudo, & quantitas ratione eadem cognoſcitur: ſimiliter ſitus, & ſpatium, & figura: verum melius oculis figura, & ſitus, & magnitudo, quoniam colorata eſt magnitudo, figuráque, & tota percipitur oculi velociſſima motione ad omnem partem magnitudinis, vt coloratæ. Tactus autem poteſt partem poſt partem probare. Numerus autem numeratur colore diſcreto, vel tactu magnitudinum, vel motionum diſcretione in auribus. Motus autem, quia recedit ab immoto, vel ad immotum accedit, per viſum diſcernimus argumento, non ſenſu: per tactum verò, quoniam nos effugit, aut alibi, & alibi nos tangit, & inceſſanter. Quietem, per contrarium: ergò nullum ſenſibile commune per ſe datur, ſed per diſcurſum ſentientis virtutis tantum.

Senſilia autem per accidens vocantur ea, quæ non ſubitaneo diſcurſu, & ordinatim ſentiuntur. Cum enim video album, ſtatim ſcio eſſe magnitudinem, quoniam non niſi in magnitudine albedo. At non ſtatim dico eſſe lapidem, vel Petrum, non enim in ſolo lapide, vel Petro ſolet eſſe album. Communium ergò eſt ſenſus per accidens neceſſarium: iſtorum verò eſt ſenſus per contingens. Omnis tamen iſte ſenſus eſt ratiocinatio. Bene nouerunt proſpectiui hoc melius quàm Ariſtoteles, qui dicunt diſtantiam non ſentiri ab oculo, ſed iudicari ratiocinio oculi: errat ergò Ariſt. quod viſu, & tactu motum cognoſc dicit, non autem diſcurſu ex his pacto. Non rectè per motum ſeu immutationem propriam ſenſilia communia omnia ſentiri putauit: cum ipſa non moueant per ſe, nec à ſoloi motu propriorum. Nam magnitudo prior motu cognoſcitur, etiam ſi ſtet, ab oculi diſcurſu; & prius eſt eſſe magnum, quam moueri: & prius immutat album & per ſe, quam Magnum illi adiunctum. Quies verò non ex motus priuatione ſcitur, nec enim motus per ſe ſentitur, ſed per coloratum mobile relatum ad rem immotam. Neque enim Aſtra moueri aliter ſcimus, neque vtrum tellus ſtet, an ſidera fixa, propterea quod immotum non habemus, ad quod referamus, poſt longos ergò diſcurſus iſta inuenimus, & omnibus ſenſoriis vtimur: adhibemus aſtrolabia, quaſi noua ſenſoria, vt melius naturalibus conſulamus ſenſoriis. Cum autem Ariſt. probat ſenſilia communia per ſe ſentiri, quoniam immutant ſenſum, valde errat: Non enim afficiunt niſi per accidens proprium, non tamen remotum, vt Cleonis filius ex colore, ſicut ipſe argumentatur per ſe enim accidit albo eſſe magnum, at per accidens aliud remotum, eſſe filium Cleonis.

Quod autem quinque ſint ſenſilia propria non poteſt Ariſtoteles probare: communia eſſe longe plura, quam quæ ipſe numerat, teſtantur Proſpectiui. Propria eſſe quinque tantum, quomodo ſcimus? Potuiſſet Deus facere ſenſorium vnum, quo ſolam magnitudinem ſentiremus, vel figuram, ſed fruſtra: quoniam iſta ſunt per ſe non ſenſilia, ſed ratione: vtrum autem ſint ſenſilia aliqua non nobis. Credo equidem multa. Neque enim Deus dedit, niſi ſenſus vitæ noſtræ nobis neceſſarios: plantis vnum, animalibus aliis plures, aliis pauciores. Tunc ſicuti illa, quæ pauciores acceperunt, poſſent dicere, ſibi nihil deeſſe: ſic fortè nos dicimus, quoniam alia organa ignoramus: perfectiſſimo tamen Animali data eſſe omnia neceſſaria, non omnia ſimpliciter, congruum eſt: ſi autem Angelus eſſet corporeus longè plura haberet fortaſſe. Piſces dicunt ſe habere quidquid confert ad motum, & tamen pedibus carent. Centipedes gloriantur innumeris: Bos quatuor, homo duobus; Aquila inſuper alis: ô homo cur cares alis? Profectò etiam mundos innumeros Democriti viſurus peruolares, tanta eſt audacia tua, ſi alis donatus eſſes. Non ſuffecerunt oculi naturales, fecimus artificiales ad ſidera occulta ſentiendum. Poterat ergò Deus organa plura, vel eadem aliter, & ad alios vſus fabricare, ſed ſuperflua vitauit. An ne ſuperflua Galilei ocularia? minimè: ſed ſapientiam accepiſti, vt faceres, quod facit Deus, vide Metaph. p.p. & 3. Auricularia ſpero, quibus harmoniam cæli ſentiamus, & volandi artem, & propediem. Bonus eſt Dominus inquirentibus ſe, & mirabilia eius.

Ad ſecundum, Diſcurſus iſte ineptiſſimus eſt, neque enim omnia tangibilia ſentimus tactu: ſed enim nec inferiora, nec ſimilia, ſed exuperantia; nec tamen nimia. Atoma

autem,& fila aranearum,& pondera infra granum,quis sentiret?vide p.p. Metaph. Quæ autem per medium sentimus,non omnia sentimus, nec semper: etenim motus siderum non sentimus.tangunt tamen aërem,& agitant,sonantque,nisi vacuum intersit,vt putant recentiores: sed non à nobis ad Lunam,hanc saltem sentiremus. Quam multa non videamus,ocularia Galilei, & Democriti atoma nos docent:cur etiam non, vt in tenebris cernamus,vti feles,& mures,& blattæ, & pulices,& lepores accepimus? cur non vt infra terram latentia,& post parietes, vt lynceus, & quidam Hispani de lyncei natura? ergò Aristoteles nil demonstrat,sed loquitur tantum, ne videatur tacendo ignorare.

Discursus quoque fallax: si enim potentia sensorij debet obiectorum natura spoliata esse,vt dogma eius primum fuit; cur nunc ex elementis sensilibus potentias, & organa fabricatur? Ecce ad Empedoclis dogma nunc labitur, quod nimirum simile simili cognoscitur; ideóque animam oportere ex elementis compositam esse, vt illa cognoscat. Aristoteles contrarium asseruit,sed potentiam tantum, vt possit ab illis actuari, illáque fieri.Nos illa esse docuimus in certo gradu,vt possit pati; quoniam nisi communicarent in materia,non paterentur; at in remisso, vt excellentes tantum vires eorum sentiat: de cæteris verò superioribus,& inferioribus argumentetur: hoc si Aristoteles dicat, benè sentit;sed non potest,nisi destruat,quæ construxerat,dum inanitet elementa quatuor sectatur, ad istas ineptias truditur.Non propter elementa sunt sensus quinque, sed vt cognoscant elementa,& omnia necessaria animalibus. Facta quidem fuissent solum quatuor sensus; si ratio istorum valeret,aut duo,vt nos.Dum gustum, & tactum terræ aptat, dixeratque plantas,quia terrestres,non sentire,haud satis sibi constat. Aliæ distributiones sunt inutiles,& repugnant his,quas in libro de sensu posuerat.

Ideò ad tertium dico non rectè distribuisse, ignis enim est in omni sensu,non ergò proprius est odoratus,qui præsertim Aristoteli à frigidissimo cerebro deriuatur: esto enim quod oculi,& aures ob aquam,& aërem humidissimo, vt ait, frigidissimóque cerebro adnascantur.Nares ob contrariam rationem ponendæ ibi non erant, nisi vt calefaciant cerebrum potius,& confortent,si odor illi esset calor,vt nobis,non autem quia materia calida est frigida potentia:sic enim ponemus contrarium in contrario, sicuti & simile,vt igne sulphur,quoniam ei congruit,& gelu,quoniam potentia est ignis, tedet me tales ineptias examinare.Quod tactus,& gustus ventriculo iste, ille cerebro magis,omnes tamen cerebro connectantur,dictum est ante in quæst.36.& 37. Cur autem cordi,cum terra sit frigidissima: vtrum vt calefaciant? si sic,ergò oculi,& aures erunt calidi,ignei que vt vult Plato,& Empedocles,& ideo adiacent cerebro vt calefaciant, aut temperentur; loquitur iste homo,quidquid in buccam venit.Præterea non rectè reprobauit Timeum, Platonem,& Empedoclem,oculis ignem adaptantes,secutus Democritum, qui aquam eisdem affingit.Sancti enim omnes præcipuè Ambros,& Basil. oculos vocant Solem, & stellas ignitas:& Ptolomæus in Astrologicis ex passione Solis,& Lunæ oculorum passiones inuestigat,non indoctè: lux quoque ignea oculis amica,indicat eos igni conuenire. Nec quia humor aqueus intra corneam continetur,aquæ adaptabuntur. Non enim est aqua,sed humor calidus,neque enim vinum,& aqua ardens ex vino extracta, aquæ frigidæ humidæque Aristoteli donabimus.Lux quoque noctu ab oculis egrediens, & cum oculos confricamus, idem ostendunt congenitum oculis ignem: vt Plato docet,aut igneum lucidúmque spiritum,vti nos docuimus.Quærit autem cur nõ in tenebris videmus? Resp. quod ego sæpè expergefactus aliqua vicina in tenebris video, & Tiberius Cæsar quidquid in aula erat,&solent alij itidẽ videre.Nec extinguitur lumen à tenebris, sed spiritus non diu potest emittere,cum exilis sit, & commotione primo ardeat excitatus,ac mox sedetur.Ab aqua non extingui lumen,vt putat Aristot.contra Platonem arguens,tantum abest,vt potius accendatur,augeatúrque. Causam illius luminis Aristoteles non veram affert, videlicet leuitatem, qualis in squamis piscium, & in putrefactis lignis; ita & in oculis, sed enim in ipsis quoque lux est languida die latens in maiore, noctu ostensa ex oppositis tenebris, vt in stellis experimur. Leuitas nil facit, quantumuis leuigetur id quod à calore non est deuictum, vt luceat: item Aqua Marina, etiam intra cubiculum clausa, in nocte lucet, ne dicas à stellis. At ex catorum oculis lucem in nocte videmus, ergò exit ab oculis: non enim veniret

Hhh ij

vsque ad nos, nisi se se effunderet, cum neque nostra visiua vis ad illam vadat Aristoteli; cur ergo negat lumen oculis, nisi amore mendaciorum contra sapientiores se? vt S. Ambros. ait, dum admiratur, cur Arist. Solem igneæ naturæ esse negauit.

Ad quartum dictum est in hoc articulo, & quod si aliud vellet Deus facere, sciret quidem appropriare. Ratio Aristotelis est nugax, potius dicendum erat, quia communia non per se agunt, proprio carent sensorio, & cum per se agentibus percipiuntur, & discursu, quidquid enim non mouet sensum per se discursu noscitur, si non est aptum mouere; si verò aptum sensu & discursu: non enim totum calorem ignis patior, sed modicum, ex quo de toto argumentor: operationem autem sensus ab ipso sentiri, & Arist. & Auerr. & Simplicius, & Albertus in lib. de homine, & Sanctus Thomas in quæst. de Vir. docuerunt, sed hic reflexè, vtrum etiam directè, vide Metaph.

Ad quintum responsum est in articulo, oportere eandem animam sensoriis in cunctis sentire: nec posse indiuisibilem pati à contrariis simul vllo modo, nec rationem de centro veram esse; quod & Alexander fatetur mussitando.

Ad sextum non est oculus videns se videre, sed Anima videns in oculo, neque oportet suam visionem videre in alio visibili, neque idem infinities: sed dum patitur sentit se pati, & id quod patitur, & à quo eodem actu: non enim passio, sed passionis dignotio est nobis sensus; quare non datur passionis passio in infinitum, sed notio; discursúque inde facto, quid sit sensatio scimus, non alia sensatione, nisi exemplariter.

Ad septimum, dantur plures sensus gratia finis, id est propter salutem animalis: formaliter autem notio fiat absque confusione; & discursus locum habeat. In hoc Arist. non fallitur, nisi quod debuisset, ex hoc concludere communia discursu sciri ex collatione particularium sensilium: totus enim modus Aristotelis pro ipsorum notitia discreta discursus est: quod tamen ipse aduertit; ideóque separat sensum communem à particularibus, & à discursu, existimatione dicto apud S. Thomam, vide infra.

Ad octauum verò legi in Patribus esse quinque sensus: at nemo posuit sensum communem, nisi spiritum sentientem: neque fecit sensus formas organorum, sed per se in organis operantem animam sentiētem, distinctam ab intellectiua, vt dictum est ex Ambrosio, & aliis: ergò sunt quinque sensus, id est organa sensuum in doctrina eius, sic loquitur Augustinus: & Greg. Nyss. vnum sensum at plura sensoria, dixit: Ambros. verò quatuor nidos sentientis animæ: nam tactum per totum corpus dispergit. Mihi videntur quasi Astrolabia, & fenestræ, & ingeniosa cubicula, ad spiritus speculationes exteriores. At præter hoc in textu diximus. Omnem sensum esse tactum, & organa alia duo particularia addimus, vt ventriculum, in quo sensus famis fit, & genitalia, in quibus est Veneris sensus. Non enim minus distincta sunt ista organa, & modi sentiendi à reliquo tactu, quam gustus, & lingua: In omni sensu statim, quod sentimus, aut fugimus, aut sectamur saltem intentione: sequitur enim ad omnem cognitionem Amor, & Odium, vel magnus, vel paruus, & latens: sic ad sensum suctionis ex toto corpore in ventriculum sequitur appetitus cibi: & ad sensum pruritus delectabilis in genitalibus, sequitur appetitus Veneris: cum verò obiectum appetitus adest, alius sensus prælibat illud, vt in fame prælibat Gustus in lingua per sapores: in Venere pudenda per innominatos quosdam sapores, quoniam de his pauca considerarunt physici: sed quidam amicus princeps plurima expertus, dicebat se inuenire in pudendis mulierum varios sapores, afficique pudendum ab aliis aliter; sicuti lingua à cibis aliis aliter: & hoc rationabile est: duos ergò sensus generationi, & conseruationi speciei, & duos conseruationi indiuidui, nutrimentóque natura destinauit, & ab imaginante spiritu vtrumque regi, magis autem Venereum experientia docet, & Ambros. in Hexam. lib. 6. vbi & ventri, & cæteris organis à capite regulas præscribi, & vires operandi, admonet. de his autem sensibus, quoniam ad cognitionem non satis pertinent, sed ad actus naturales, pauca dixere priores; contentique sunt quinque sensibus notissimis, quibus & ego assentior, quoad notitiam externorum, vt notitia est: sed etiam per odoratum nutriri, nedum sentire, nos docet S. Ambros. Omnia ergò organa ad notitiam, ac proinde ad salutem, nihil enim prodest scire, nisi ob illud.

Post quinque annos ab hac scriptione examinans per doctrinam Primalitatum physiologismos istos, inueni sensum ventriculi, & pudendi, & Ani, & vesicæ non esse

propter se: sed propter Appetitiuum. Ideoque ista esse organa appetitoria, non sensoria: in omni tamen membro proprium sensum, & Appetitum & potestatem: sed ab eo nominari, propter quod formaliter, & finaliter est organum. Vide quæstionem vltimam iis adiunctam, & in textu, quæ de Appetitorio, & Potestatorio addidimus, & Medicinæ lib. p.

QVÆST. XLV.

DE TACTV.

PRIMA *alteratio cum Peripateticis se offert post vniuersales de primo sensu, qui est Tactus, vtrùm sit vnus, an plures: Quoniam verò nos probauimus in superioribus omnes sensus esse tactiones, vel immediatas, vel per medium, vt consuleretur saluti Animalis, vt in textu dictum est; Itemque sensoria, & modos sentiendi præter communem tactum, non esse quatuor sed octo. Addimus enim sensum famis, & sensum Veneris duplicem: hocque insuper correximus: nunc reliquum est de eo, qui Peripateticis innotuit, tactu disputare, & de organo, & obiecto.*

Vtrùm tactus sit vnus, vel plures sensus specie.

ARTIC. I.

VIDETVR Aristoteli, & Auerroï, Themistioque esse plures. *Aristot. 2. de Ani. tex. 106. cap. 7.*
Primo vnus sensus est vnius contrarietatis, vt visus albi, & nigri; Gustus, dulcis, & amari: tactus autem circa plures versatur: nam calidum sentit, & frigidum, humidum, & siccum, durum, molle.

2. Ait Auer. Tactile est diuersorum generum: nam graue, & leue sunt in genere substantiæ; calor, & frigus in qualitate. Obiectum autem vnius sensus vniuocum est. "

3. Vna virtus non potest vti æquatè duobus organis proximis; tactus autem vna virtus si est, vnum habet organum: hoc autem non est: nam si foret, caro foret. Caro autem medium esse videtur: siquidem sensibili posito super medio sentitur, vt in carne, non autem super organo: plures autem contrarietates in pluribus organis sentiuntur, licet per vnum medium. Latet tamen hoc sicuti si per pellem vnam sentitemus ambientem omnia sensoria, vnus videretur esse visus, auditus, & alij sensus. "

4. Patet hoc etiam, quoniam lingua sentimus calorem, & saporem: si autem in toto corpore saporem sentiremus: Idem videretur esse Tactus, & Gustus: nunc autem non idem, quoniam in pede non est gustus. Igitur lingua erit medium vtriusque non organum: nam sic non nisi vnius. "

SED Contra hunc sermonem probauimus in quæst. præcedenti, vnam esse Animam sentientem: & quidem semper tangendo, vel mediatè, vel immediatè: diuersa tamen organa pro obiectorum varietate: & ne spiritus immediate tangens, vel corrumpatur, vel non præuideat, vel non à longè noscat sectanda, declinandáque, vt cum sancto Ambr. declarauimus. Quapropter putamus plures esse tactus non ratione Aristotelica; quæ nulla est, sed quia plura organa, modique tangendi præter illa quatuor. De Tactu Veneris, & famis, & sitis suis locis disputabimus; & in quæst. 39. dictum est. An autem alij particulares insint Tactus quærimus. Videntur autem mihi tot esse, quot sunt membrorum temperamenta: alio enim modo sentit pilus, alio vnguis, alio caro, alio neruus, alio sanguis, alio dens, alio ossum, alio jecur, alio cor, alio testiculus: nec desen-

su venereo loquor. Item alio planta manus, & pedis, & latera, in quibus titillatio facit sensum exquisitum, & tantum dilatat spiritus, vt ridere cogamur. In distributione cibi hoc patet, quoniam ad simile membrum assimilata particula sanguinis attrahitur; vt in purgationibus itidem patet.

Item in lienis morbo, vbi securi inciditur de foris per chartam, & corium, & carnem interpositam, adeò, vt non medium, sed ipsam lienem afficias. Quapropter plures tangendi modos, & organa video; non tamen organa vocantur particularia, vt oculus, & auris, quoniam ista ad rationes remotorum obiectorum perforata sunt. In illis verò diuersitas est sola in tactu immediato, qualis in lingua, & labio, & dente, &c. tangibilis verò, & non tangibilis vnus est tactus, illius per se, istius per eius negationem, tenebras enim nec video: sed per lucis absentiam existimatione comprehendo sensitiua.

Ad primum Arist. in tex. 108. videtur anceps, quoniam quinque posuit sensus tantum; hic verò dubitatiuè loquitur, & propriam soluit rationem: vnde eius sequaces in varias opiniones truduntur. Ait ergò posse solui rationem illam, quoniam alij sensus plures habet contrarietates, vt in voce non solum graue, & acumen, sed magnitudo, & paruitas; & lenitas, & asperitas: similiter in colore: sed quid sit vnum subiectum est ignotum, vt sonus in auditu.

Sed contra solutionem est Alexander, nam magnitudo, & paruitas, graue, & & acutum in sonis non sunt sensilia propria sed communia cæteris. At frigidum, & calidum, humidum, & siccum sunt tactui propria, & per se. Simplicius negat graue & acutum esse eiusdem rationis insensibili communi, & in sono. Themistius stat pro Alex. quoniam graue, & acutum sunt Metaphorica in sono: & certè Arist. idem docet in lib. de sensu, & sensili: & 2. de Anima.

Prætereà magnitudo, & exilitas communia sunt omnibus sensibus, & per se à singulis cognoscuntur. Item de communi illo genere altercantur: non enim est qualitas: cum & odoribus competat; neque tactile, non enim ad subiectum pertinet, sed ad habitum vt audibile, non vt sonus.

Aristoteles prætereà auxit dubium ex aliis sensibus, non soluit.

Sanctus Thomas, & Egidius dicunt, Tactus plures esse formaliter, vnum verò materialiter; quia fundatur in eodem neruo duplex potentia, scilicet tangendi calidum, & frigidum: altera humidum, & siccum: alias contrarietates ad commune sensile reducunt. Auer. addit alteram potentiam percipiendi grauis, & leuis: alij quartam solutionis continui, & consolidationis: alij quintam delectationis in venere, & doloris: alij sextam conuenientis, & nociui in esca, & potu: alij plures; neque est inter eos concordia: alij dicunt formaliter vnum, quoniam, aiunt, si vnum organum sufficit ad percipiendum calorem, & frigus, humidum, & siccum, cur non vna potentia in eo? cum omnes tactus sint æquè primò in neruo.

Item sensus communis suscipit plures contrarietates, visus lucem, & colorem, nec tamen ideo plurificatur formaliter. Niphus respondit Tactum vt forma, & gradus animalis, esse vnum specie; vt iudicium tangibilium, esse plures dispositiones in neruo, quot quidem sunt contrarietates tangibiles; iudicium autem ex complexione fit. In aliis verò sensibus vna est dispositio, & contrarietas obiecta, non sic in tactu.

At, inquam, eadem particula sentit vtramque contrarietatem, vnica complexione donata, non duabus: patet enim, quod simul tango frigidum, & durum in lapide. Tunc quæro, quid est tangens frigidum, & quid durum? nonne idem eadem temperie? Ergò vna potentia. At si plures: ergò non dicet durum esse simul frigidum, sed erunt sicuti sapor & mollities cibi in lingua. At huius gratia sunt duo sensus, & sensoria tibi: ergò & illius: vel si vnum, vt forma, ostende, quomodo immutatur à duobus simul diuersis.

Prætereà iudicia plura non faciunt sensus plures: nam visus vnus contrariorũ est iudex. Item quæro quomodo iudicium sequatur complexionem: an quia complexio est causa eius, & hoc falsum: elementatio non producit iudicium, sed aliquid diuinius eius est causa; vt etiam Arist. in primo lib. disputabat contra antiquiores: si vt patiens ex cuius passionis diuersitate diuersa iudicemus, tunc non erit duplex sensus: plurium enim passionum vnus est iudex.

Item complexio est ex calido & frigido humido & sicco: tunc quæro: an calido calidum, & sicco, siccum cognoscamus? vt Empedocles dicebat; & hoc non vis, sed mediocritate exuperantiam. Ergò complexio non est causa diuersi sensus: sed diuersa qualitas.

Item sufficit calor sentire calorem exuperantem, & frigus, vt palam: humidum autem, & siccum materiales affectiones sunt, cuius est pati, non agere, & iudicare: quomodo ergò per illas aliud iudicium sortiemur?

Redeuntes ergò dicere oportet, humidum & siccum non sentiri, nisi per admistionem, quatenus aliquo caloris gradu sic se habent, vt agant in nos; vel motu, quia non cedunt, aut cedunt tangenti. Ergò per extimationem non per sensationem principaliter sunt nota. Non enim agunt deturbando formas contrarias, seque ipsas imprimendo: sed tantum mistione & perditione sui, quod actio non est. Aristoteles autem non intellexit, quod non nisi discursu, licet subitaneo, ista percipiuntur, vt ex cessione ad mollitiem discurrimus, ex resistentia ad siccum. Idcircò plures facit tactus sine ratione. Quædam immutant spiritus vires vt calor: quædã dispositiones tãtum, vt sonus, & cõmotio, & vapor grossus; sed actio ista mistione fit, nõ effusione virium obiecti ad sentientem animã, vti caloris, & frigoris: propptereaque à contrarietatibus materialibus non facient Peripatetici diuersos tactus, potius autem ab organis, & modo sentiẽdi. Ipsi verò in vno neruo ponunt diuersitates has contra rationẽ. De fame, & venere, & solutione continui, suo loco dicemus: nam dilatationem & constrictionem, & sui discontinuationem sentit spiritus sine medio: & alius est tangendi modus in eo, & in carne: & sensatio est multiplex, quoniam & dispositio, & operatio, & facies, & vires spiritus immutari possunt, & sic varia fieri sensatio proficua, vel nocina, vel mediocris.

Ad secundum: nego graue, & leue esse substantias, sed affectus tenuitatis, & crassitiei. Propter quod Arist. non fieri ex eis elementor constitutionem in 2. de gen. affirmat. Nego & per se sentiri, sed per accidens; quod Auer. concedit, dum mouent manum deorsum, vel sursum: ergò per motum, vt quid ergò multiplicas sensus propter sensilia per accidens?

Ad 3. Respondimus in alia quæstione. Caro enim sentit, & est medium sentiendi, magis autem neruus, quoniam spiritu plenus est.

Quod sensibile supra sensum plus sentiatur, declarauimus etiam contra Aristotelem: sed sibi Arist. non constat, qui in lib. primo de Animalibus, carnem esse sensorium docuit. Idemque sentit Alexander, quoniam caro est in mediocritate qualitatum. Simplicius verò putat esse cor. Carnem verò medium, vt dixit Arist. in lib. de sensu, & sensili. Auicen. verò Gustum, & Tactum sine medio ponit; carnem verò organa. At Auer. quoniam Arist. in 2. de Ani. carnem medium dicit, organumque latere sub carne, putat neruum esse medium, vt medici docent. Sed verè Arist. de neruo nil dixit, sed de corde expressit: sic Peripatetici non ex rebus, sed ex verbis Arist. philosophantur. Algazel ponit sensorium in cerebro, ex quo spiritus per totam carnem ad sentiendum prolabuntur. Niphus iudicium in corde; delationem in spiritu, contractè in cerebro; iudicatiuè in neruo; in carne tanquam in medio. Nolo istorum nugas impugnare, quoniam sine causa proferuntur: rationibus verò validis negantur; quas in superioribus habes quæstionibus, seque inuicem exploduut, vt patet. Quid stultius, quam spiritui sentienti delationem, neruo deferenti insensatoque, iudicium tribuere: & cordi occupato motibus, decretationem?

Quoniam verò in lingua frigus, & saporem sentimus, debebat Arist. diuersos tangendi modos agnoscere, & tactiles exuperantias vbique sentiri: languidas verò vires non nisi introrsum admittantur: sic enim lingua vini frigus exuperans sentio tactu ordinario, blandum autem vini calorem obtectum à frigore non nisi poros linguæ vsque ad sentientem spiritum penetret, qui etiam multò magis sentit frigus. Quoniam quidem obiectorum essentias Aristoteles ignorauit, nec distinxit prout opus erat, in tantas ambiguitates se, suosque coniecit. Claret ergò cur in reliqua carne sapor non sentitur, quoniam calor est languens, nec potest per crassitiem admitti: at cum odore sentitur amarities, & salsedo ex parte, vt dicemus. Et in vulneribus aliquo pacto.

Vtrùm poßint duo corpora solida se mutuo tangere immediatè in aqua, vel in Aëre.

ARTIC. II.

Videtur Aristoteli negandum, quo faciat omnem sensum per medium extrinsecum; & probatur, ait, experimento.

Primo etenim corpora intra aquam se tangendo, quantumuis strictè, post amotionem apparet humiditas inter ea: humor autem propria passio est aquæ, ait Auer. ergò non fuit aqua. Idem & magis existimandum est de aëre, cum sit tenuior, licet lateat.

2. Alij addunt hoc prouisum esse à natura, ne tactus fieret cum animalis damno à duris corporibus: mollia autem fluentiaque facilè vniuntur, nec se lædunt. Ideo, &c.

SED Contra: alij arguunt: B, motum super A. leuigatum grauat aërem intermedium, qui potius cupit super A, quàm infra stare naturâ. Ergò expelletur aër minimus, & fiet contactus sine medio. Item securis non tangeret lignum, nec dentes panem: nec martellus campanam. Peripatetici resistere aërem intermedium, vt vniuersalis naturæ decretum saluetur, concedunt, & in cunctis dictis aërem intermediare: cunque obiicitur quod salus animalis est particularis: nec propter ipsum fecit natura vniuersalem decretationem. Respondent non inconuenire finem esse particularem, & effectum vniuersalem. Hic multa congerunt de vacuo disputationes, & de aëre minimo, & resistentia. Sed hæc responsio inanis est: siquidem per intermedium aërem tutela animalium sequeretur; vtique aliquid probabilitatis haberet, sed ab omni duro infixo læduntur: ergò nihil est. Præterea inter duo dura plus mediat aër, vt inter lapides, quam inter lapidem, & carnem animalis, & vermis mollissimi: ergò potius lapidibus prouisum est sic, quam animalibus: sunt verba multa hæc.


Præterea quando gladius penetrat vulneratum, si aër præit aciem nunquam profectò occideretur homo, non enim aër quantumuis pressus lædit antequam dura acies immergatur; si immergitur ergò tangit immediatè. Vaniloquentiam hanc nemo audiat.

Puto ergò posse dari tactum absque medio: & ego plantam manus alteri affigo ita validè, vt postea ne vacuum intercidat, difficilè amoueam; sicuti & tabulam ab aqua æquè vndique eleuatam, Aër ergò non interficit, qui totum contactum teneret.

Ad primum errat Arist. non enim propterea humor intercedit inter corpora solida, quoniam in nulla sui parte immediatè se contingunt: sed propterea quod non reperitur corpus solidum absque poris, & lineolis, & vallicolis, vt in ventriculis digitorum intueri licet inuisiles sulcos, & sic in cunctis: similiter & poros, præsertim Telescopio paruo. Humor ergò imbibitur in eis: quapropter dum se contingunt, permanet in medio, vbi contactus non fit ob poros, aut sulcos, & valliculas; cumque amoueris necesse est videas liquorem præimbibitum. In aliis non hic ratio ostendit; nam fluida, & viscosa, quæ consistentias stabiles non habent, contacta adhærescunt: pori, & valles non permanent vt in duris. At si leuissima corpora eburnea possent inueniri, appimeque cohærentia, vndique prorsus puto contangi sine medio, ac difficilè auelli. Quæcunque etiam corpora in eminentiis se tangunt, non tamen se totis; vbi autem non se tangunt, ibi humor: qui disiunctis mox per totum totis inesse videtur, quia non discernimus, vel quia in amotione expanditur, ampliaturque.

Ad secundum dictum est in textu, prouisionem istam naturæ nondum probari; sed ne intercidat vacuum omnia plena fieri, & non nisi per violentiam intercipi, palam est: magis prodest animali mollities; qua cedit ne lædatur, quàm durities scabra cum intercepto aëre: patet hoc in mænibus terra plenis, tabulis, & lana, ad ictus bombardarum sustinendos facilius. Aët autem interceptus cunctis corporibus habet vsum multiplicem, vt speculantibus patet.

QVÆST.



QVÆST. XLVI.

DE GVSTV.

Vtrùm Gustus sit quidam Tactus gracilior, latentes vires natiuas rerum, nedum manifestas, vti Tactus percipiens.

ARTIC. I.



IDETVR Peripateticis, quod differant realiter.

Primo, quoniam gustus inest solis perfectis animalibus; tactus autem omnibus.

Quoniam tactus in toto corpore, gustus solum in lingua.

Tactile est qualitas simplex: gustabile mista, seù secunda ex primis resultans.

SED Contra est S. Ambrof. lib. 2. de Abra. cap. 8. vbi numeratis quatuor sensibus. *Tactus*, ait, *velut admistus est illis quatuor.* Item Albertus magnus in lib. de homine, ait, quod gustus: vt est sensus alimenti, inest omnibus animalibus, & etiam plantis, vti Pythagorici dixerunt, pro quanto aluntur, attrahendo proficuum, & relinquendo nociuum, & sic non differt à tactu, nisi vniuersalitate, quia hic in toto ille in parte; ratione quoque quatenus percipit gustus qualitates, vt subeunt ratione alimenti, tactus verò qualitatis. Item Arist. videtur dicere in 2. de Ani. tex. 101. quoniam fit sine medio, & quia idem obiectum habent, videlicet humidum. Sapor enim omnis in humido. Nec S. Thomas ab Alberto dissentit. Item gustus est Animali necessarius, vti tactus ad vitam. Mirum si hucusque peruenerunt Peripatetici, quomodo non pronounciarunt paulatim omnes sensus esse tactum, quoniam & odoratus parum à gustu differt, vt ait Ambrosius: sed vterque nutritionis est sensus. Auditus vero etiam tactu fit & visio quoque vt patebit; cumque in omnibus sensoriis sit etiam tactus, & insuper aliqua tactio fiat delicatior propter qualitatem, & porositatem admittentem sensilia introrsum magis ad sentientem spiritum, vt docuimus ex S. Ambrosio, Chrysost. Themistio, &c.

Ad primum, nego hanc differentiam; imò gustum inesse oportet prius cunctis animalibus, nutriuntur enim. Nutritio autem fit prægustato nutrimento vt rectè Pythagorici dixere: & Auer. nondum perscrutatum esse se ait, vtrum sentiant plantæ. Nam valde conuincebatur argumento ex nutritione; sed noluit palàm Aristoteli detrahere Deo suo. Themistius verò in 3. suæ Paraphrasis de Anim. cap. 20. dicit esse probabile, quod sentiant. Vbi Nyphus & delectationis, & doloris sensum illis concedit propter rationes Alberti, & Auer. At verò non iudicare de sensilibus, sed cognoscere tantùm ex similitudine, & contrarietate, qua afficiuntur à cibis & succis. At, inquam, si afficiuntur dolore, & delectatione, vtique sentiunt, iudicantque hoc dolorificum, illud voluptuosum; quia tamen non cogitant, neque ratiocinantur: si hoc pro iudicio sumit, rectè sapit; si pro perceptione sensibilis, haud rectè; neque enim dolet non percipiens. Ratio autem illa, quia sine materia non recipit, nil valet: nam & gustus noster absque materia non recipit, & Thom. quod sensus vt sensus est recipit cum materia; vt ratio sine.

Nullum profectò Animal nutrimentum traheret, sed aspernaretur, nisi voluptate ab illo afficiatur, quæ sequitur ad saporem, omniaque gustu priuata subito perirent, vt in Metaph. docui, excepto homine, qui ratione ductus ederet sine gustu ægrè quidem, & cito periturus, vt ægroti, amissa appetentia ciborum. Nota quod Themistius concedit idem esse gustum, & tactum in imperfectis: ergo in omnibus.

Ad secundum, nec valet, tactus enim in toto corpore est, & in visceribus, sed varius

pro temperie particularum, vt in quæst. 44. dictum est. Nec propterea, quia sensus veneris non est nisi in pudendo, & testiculis, non sit tactus: nec quia soli dentes stupefcunt acidis defricati, sensus dentium non sit tactus: oportebat ergò considerare linguę porositatem, & intelligere quomodo admittit substantiam cum calore natiuo ad spiritum sentientem, propriéque fieri gustationem; quæ porositas deficiens in aliis partibus est in causa, vt non sit vbique talis tactio. At videmus dentes, & gingiuas, & labia, & guttur, sapores sentire valentiores, linguam verò etiam languidiores: sal quoque in pudendis, & in vulneribus sentitur vbi subire introrsum ob gracilitatem valet: similiter & piper. At non omninò sicut in lingua, vt videas organa esse fenestras, & nidos, non autem peculiares sensus. At eadem lingua sentit etiam calorem extraneum epularum, nedum natiuum, qui est sapor. Illa enim gracilitas non tollit tactum valentiorum obiectorum, licèt seruiat pro languidioribus, sed addit: quod enim potest agere in crassum, potest & in delicatum: vuluam autem percipere sapores seminis, & pudendi, sicuti os cibi, & propterea habere in se humorem, qualis saliua in ore, nemo neget. Est ergò gustus venereus tactus, indicans & esculentorum gustum esse tactum: scabiei pruritus, & sensus quasi saporum, si apposueris, idem confirmat.

Ad 3. nego percipi solum simplices à tactu: nam in vulnere, & pudendis, & gracillimis partibus corporis etiam mistas qualitates sentimus: quod autem ait Nyphus, gustum differre, quatenus iudex saporis à tactu, non quatenus sensus alimenti, nihil est. Iudicium enim saporis est alimenti. Ideò enim sapiunt, vt aiant, vel vt probetur, vtrum alant, aut noceant: sola ergò differentia est, quia hoc organo melius probamus, quam altero, vt melius manu, quam pede delineo solum: hæc ratio etiam sensum veneris alium à tactu faceret, aliosque plures, vt dictum est: saporem non esse intentionem, sed realitatem superius diximus; nec nisi tangat realiter sentiri.

Vtrùm Sapor sit caloris natiui cum propria mole crassa, linguæ poros ad sentientem spiritum subeuntis, actio, vt in textu explicauimus.

ARTIC. II.

Videtur Peripateticis negandum.

Primò si actio caloris est sapor, tunc omnis calor vbicunque sentitur, saporem effunderet: hoc autem falsum est; nam tangimus multa, quorum calorem blandum sentimus absque sapore.

2. Ignis ipse esset saporosus, & aqua, & aër, quoniam calore natiuo mihi prædita videntur: hoc autem negat experientia, & Aristoteles dicit elementa expertia esse qualitatum secundarum. Omnesque Medici aquam priuant sapore, nec bonam dicunt quę saporosa foret, sed mistam.

3. Caro dum assatur suscipit dulcem, & tandem combusta amarum: ergò etiam extraneus calor dat saporem: nam & cineri idem accidit, plurimique liquores, dum coquuntur, varios assumunt sapores.

4. Nec benè positum videtur, cum propria mole: sic enim & vapores saporosi essent naribus, agunt enim cum propria mole; & aqua marina natantibus.

5. Illa moles aut pertingit vsque ad spiritum, aut non: Si secundum, ergò calor solus est sapor, quod videtur absurdum: omnis enim calor saperet: si primum, videtur impossibile, spiritus enim intra neruiculos linguæ latet, moles autem cibi non penetrat neruos, sed solus calor incorporeus, alioquin euolaret spiritus, si ibi exitum haberet.

6. Ex hoc sequitur opinio Egidij Cardinalis, quod materia coagat: quam Peripatetici reprobant: tum quia sicut datur primum Ens purus actus; sic aliud pura potentia nullo pacto actiua: tum quia non per se agit, ergò per communicata accidentia: ergò non ipsa, sed illa. Item.

Sequeretur quòd Democriti sententia sit vera, videlicet quod figuræ atomorum sint constitutiones saporum, quæ pungunt, stringunt, dilatant linguam: sed hanc opinionem esse falsam probat Arist. in lib. de sensu & sensili p. quia tunc omnis sensus esset tactus, 2. quia figuræ sunt obiecta communia; sapor autem est particulare, circa quod non est deceptio, vt in communi. 3. quia visus est cognoscere figuras, aut nullius: quod si gustus magis: ergò & omnes figuras sentiet, ne dum minimas, certissimus enim est de magnis, qui parua percipit, 4. quia omnia sensilia habent inter se contrarietatem, quæ figuris non adest; cui enim ex multangulis circumferibilis contraria est? 5. quia figuræ sunt infinitæ, ergò & sapores infiniti: non enim datur ratio, cur illa magis, quàm alia sensum saporis faciat: ergo omnes.

8. Ait Galenus, Ponticum, & acetosum sunt sapores à frigore geniti: non ergò omnis sapor est calor. Probatur, quoniam frigefaciunt. Item linguam adstringunt, cn ostrictio autem frigoris est actio.

9. Arguit Arist. lib. de sensu. Aqua non sumit saporem si calefcat, nisi incrassetur: à calore autem non crassatur; sine crassitie non est sapor: patet in fructibus.

SED Contra est S. Ambros. in Hexam. 3. vbi docet, aquam in arboribus immutari in varios sapores pro ipsarum natura: docuerat autem in 2. ab calore omnia arboris opera fieri, ipsaque animari. *Vnde enim*, dicens, *arbores germinarent, vel frumenta, aut sata prorumperent, vel orta coquerentur, nisi easque igniis animaret?* sunt & alij loci expressi, qui calori sapores tribuunt apud Patres, nunc non memini.

At profectò si sapor agit in sensum, Actiua res est, neque enim passiua agit, sed sentitur per accidens etiam Aristoteli. Qualitatum autem passiuarum nullà agere docet Arist. in 4. Meteor. sæpè: frigus verò non ingredi opus naturæ, ipse testatur; & Galenus, & Auicenna nulli vsui adhibent frigus, neque concoctioni, neque nutritioni, neque formationi: similiter Auer. Quapropter cum ex concoctione fieri sapores in arboribus, & Arist. & Galenus testentur: nullatenus asserendum est, frigus saporis esse causam, vel essentiam; humidum verò, sicumque non agere palam est sed coagere, quatenus fiunt vnum cum calore,, aut frigore. Igitur sapor actio erit caloris, vel ipse calor; non externus, quoniam obiectum est tactus: ergò internus: non solus; ergò cum sua materia: neque enim sentitur sapor, nisi materia rumpatur in frustula, & humectetur, vt possit linguæ poros intrare, & non modo vires, sed dispositionem spiritus immutare per suam materiam, alioquin calor, vt calor non vt sapor perciperetur.

Ad primum, oportet intrinsecari molem, atque frangi prius, sicque sentientem spiritum cum suo calore afficere, vt faciat saporationem. Vnde in vulneribus & scabie, attenuata in puluerem pharmaca quendam quasi saporem sui effundunt: in tactu veneris etiam ex parte id fit: in lingua autem huic dicata muneri prorsus celebratur.

Ad secundũ, concedo ignis calorem esse saporem super excedentem, qui antequam immutet vires spiritus, & dispositionem sua vehementia corrumpit, ideircò non vt saporosus sentitur. At blandus ignis in hyeme facit nobis quasi saporem, non tamen verum, quoniam oportet cum sua mole communicari, & spiritus non solum vires, quod facit calor solus, sed & dispositionem immutare, quod facit cũ sua mole blanda blandus. Aquam verò saporosam esse fatetur Hippoc. in lib. de aëre, aquis & locis, dilatat enim linguam. At sapor exilis est, qui nobis non potest sentiri, neque enim omnis sapor nobis patet, nisi qui nostrum excedit calorem natiuum, & non excellenter valde, vt superius docuimus. Animalibus minus calidis saporosa est aqua non solum salsa, sed etiam dulcis, & pura: quæ autem tenuior existit, videtur minus sapida, vt quæ fluit ex tophis, & capillis veneris, laudantque has Medici, non ob saporis carentiam, sed propter tenuitatem, quæ citò, & melius vsibus nutritionis accommodatur, & quia à terrenis contagiis liberior existimatur: sed multa sunt, quæ aquis insipidiora apparent, vt oui albumen, & cucurbita recens: ergò non est sapor qualitas ex mistione, sed ex caloris actione. Terram saporosam esse dico, vbi à calore est immutata; magis autem, quæ magis, vt cinis, & sal, & calx: de qua inferius. Aristoteles autem errat ex non sapidis elementis constituens sapores: oportet enim non ex nihilo sed ex aliquo sui effici omnia. Igitur vires

pro temperie particularum, vt in quæst. 44. dictum est. Nec propterea, quia sensus veneris non est nisi in pudendo, & testiculis, non sit tactus: nec quia soli dentes stupescunt acidis defricati, sensus dentium non sit tactus: oportebat ergò considerare linguę porositatem, & intelligere quomodo admittit substantiam cum calore natiuo ad spiritum sentientem, propriéque fieri gustationem; quæ porositas deficiens in aliis partibus est in causa, vt non sit vbique talis tactio. At videmus dentes, & gingiuas, & labia, & guttur, sapores sentire valentiores, linguam verò etiam languidiores: sal quoque in pudendis, & in vulneribus sentitur vbi subire introrsum ob gracilitatem valet: similiter & piper. At non omninò sicut in lingua, vt videas organa esse fenestras, & nidos, non autem peculiares sensus. At eadem lingua sentit etiam calorem extraneum epularum, nedum natiuum, qui est sapor. Illa enim gracilitas non tollit tactum valentiorum obiectorum, licèt seruiat pro languidioribus, sed addit: quod enim potest agere in crassum, potest & in delicatum: vulcam autem percipere sapores seminis, & pudendi, sicuti os cibi, & propterea habere in se humorem, qualis saliua in ore, nemo neget. Est ergò gustus venereus tactus, indicans & esculentorum gustum esse tactum: scabiei pruritus, & sensus quasi saporum, si apposueris, idem confirmat.

Ad 3. nego percipi solum simplices à tactu: nam in vulnere, & pudendis, & gracillimis partibus corporis etiam mistas qualitates sentimus: quod autem ait Nyphus, gustum differre, quatenus iudex saporis à tactu, non quatenus sensus alimenti, nihil est. Iudicium enim saporis est alimenti. Ideò enim sapiunt, vt aiant, vel vt probetur, vtrum alant, aut noceant: sola ergò differentia est, quia hoc organo melius probamus, quam altero, vt melius manu, quam pede delineo solum: hæc ratio etiam sensum veneris alium à tactu faceret, aliosque plures, vt dictum est: saporem non esse intentionem, sed realitatem superius diximus; nec nisi tangat realiter sentiri.

Vtrùm Sapor sit caloris natiui cum propria mole crassa, linguæ poros ad sentientem spiritum subeuntis, actio, vt in textu explicauimus.

ARTIC. II.

Videtur Peripateticis negandum.

Primò si actio caloris est sapor, tunc omnis calor vbicunque sentitur, saporem effunderet: hoc autem falsum est; nam tangimus multa, quorum calorem blandum sentimus absque sapore.

2. Ignis ipse esset saporosus, & aqua, & aër, quoniam calore natiuo mihi prædita videntur: hoc autem negat experientia, & Aristoteles dicit elementa expertia esse qualitatum secundarum. Omnesque Medici aquam priuant sapore, nec bonam dicunt quę saporosa foret, sed mistam.

3. Caro dum assatur suscipit dulcem, & tandem combusta amarum: ergò etiam extraneus calor dat saporem: nam & cineri idem accidit, plurimique liquores, dum coquuntur, varios assumunt sapores.

4. Nec benè positum videtur, cum propria mole: sic enim & vapores saporosi essent naribus, agunt enim cum propria mole; & aqua marina natantibus.

5. Illa moles aut pertingit vsque ad spiritum, aut non: Si secundum, ergò calor solus est sapor, quod videtur absurdum: omnis enim calor saperet: si primum, videtur impossibile, spiritus enim intra neruiculos linguæ latet, moles autem cibi non penetrat neruos, sed solus calor incorporeus, alioquin euolaret spiritus, si ibi exitum haberet.

6. Ex hoc sequitur opinio Egidij Cardinalis, quod materia coagat: quam Peripatetici reprobant: tum quia sicut datur primum Ens purus actus; sic aliud pura potentia nullo pacto actiua: tum quia non per se agit, ergò per communicata accidentia: ergò non ipsa, sed illa. Item.

Sequeretur quòd Democriti sententia sit vera, videlicet quod figuræ atomorum sint constitutiones saporum, quæ pungunt, stringunt, dilatant linguam: sed hanc opinionem esse falsam probat Arist. in lib. de sensu & sensili p. quia tunc omnis sensus esset tactus, 2. quia figuræ sunt obiecta communia; sapor autem est particulare, circa quod non est deceptio, vt in communi. 3. quia visus est cognoscere figuras, aut nullius: quod si gustus magis: ergò & omnes figuras sentiet, ne dum minimas, certissimus enim est de magnis, qui parua percipit, 4. quia omnia sensilia habent inter se contrarietatem, quæ figuris non adest; cui enim ex multangulis circumferibilis contraria est? 5. quia figuræ sunt infinitæ, ergò & sapores infiniti: non enim datur ratio, cur illa magis, quàm alia sensum saporis faciat: ergo omnes.

8. Ait Galenus, Ponticum, & acetosum sunt sapores à frigore geniti: non ergò omnis sapor est calor. Probatur, quoniam frigefaciunt. Item linguam adstringunt, constrictio autem frigoris est actio.

9. Arguit Arist. lib. de sensu. Aqua non sumit saporem si calescat, nisi incrassetur: à calore autem non crassatur; sine crassitie non est sapor: patet in fructibus.

SED Contra est S. Ambros. in Hexam. 3. vbi docet, aquam in arboribus immutari in varios sapores pro ipsarum natura: docuerat autem in 2. ab calore omnia arboris opera fieri, ipsaque animari. *Vnde enim*, dicens, *arbores germinarent, vel frumenta, aut sata prorumperent, vel orta coquerentur, nisi easquoque ignis animaret?* sunt & alij loci expressi, qui calori sapores tribuunt apud Patres, nunc non memini.

At profectò si sapor agit in sensum, Actiua res est, neque enim passiua agit, sed sentitur per accidens etiam Aristoteli. Qualitatum autem passiuarum nullã agere docet Arist. in 4. Metcor. sæpè: frigus verò non ingredi opus naturæ, ipse testatur; & Galenus, & Auicenna nulli vsui adhibent frigus, neque concoctioni, neque nutritioni, neque formationi: similiter Auer. Quapropter cùm ex concoctione fieri sapores in arboribus, & Arist. & Galenus testentur: nullatenus asserendum est, frigus saporis esse causam, vel essentiam; humidum verò, siccumque non agere palam est sed coagere, quatenus fiunt vnum cum calore,, aut frigore. Igitur sapor actio erit caloris, vel ipse calor; non externus, quoniam obiectum est tactus: ergò internus: non solus; ergò cum sua materia: neque enim sentitur sapor, nisi materia rumpatur in frustula, & humectetur, vt possit linguæ poros intrare, & non modo vires, sed dispositionem spiritus immutare per suam materiam, alioquin calor, vt calor non vt sapor perciperetur.

Ad primum, oportet intrinsecari molem, atque frangi prius, sicque sentientem spiritum cum suo calore afficere, vt faciat saporationem. Vnde in vulneribus & scabie, attenuata in puluerem pharmaca quendam quasi saporem sui effundunt: in tactu veneris etiam ex parte id fit: in lingua autem huic dicata muneri prorsus celebratur.

Ad secundũ, concedo ignis calorem esse saporem super excedentem, qui antequam immutet vires spiritus, & dispositionem sua vehementia corrumpit, idcircò non vt saporosus sentitur. At blandus ignis in hyeme facit nobis quasi saporem, non tamen verum, quoniam oportet cum sua mole communicari, & spiritus non solum vires, quod facit calor solus, sed & dispositionem immutare, quod facit cũ sua mole blanda blandus. Aquam verò saporosam esse fatetur Hippoc. in lib. de aëre, aquis & locis, dilatat enim linguam. At sapor exilis est, qui nobis non potest sentiri, neque enim omnis sapor nobis patet, nisi qui nostrum excedit calorem natiuum, & non excellenter valde, vt superius docuimus. Animalibus minus calidis saporosa est aqua non solum salsa, sed etiam dulcis, & pura: quæ autem tenuior existit, videtur minus sapida, vt quæ fluit ex tophis, & capillis veneris, laudantque has Medici, non ob saporis carentiam, sed propter tenuitatem, quæ citò, & melius vsibus nutritionis accommodatur, & quia à terrenis contagiis liberior existimatur: sed multa sunt, quæ aquis insipidiora apparent, vt oui albumen, & cucurbita recens: ergò non est sapor qualitas ex mistione, sed ex caloris actione. Terram saporosam esse dico, vbi à calore est immutata; magis autem, quæ magis, vt cinis, & sal, & calx: de qua inferius. Aristoteles autem errat ex non sapidis elementis constitu ens sapores: oportet enim non ex nihilo sed ex aliquo sui effici omnia. Igitur vires

elementorum remiſſas eſſe ſapores arbitrandum erat, & cur ſic ſapores ſunt, & in elementis imminè: facile quidem inueniſſet. Aërem autem ſaporoſum non eſſe, quoniam molem craſſam non habet communicabilem linguæ cum ſuo calore: ſed naribus. Ideoque odorem eſſe eius, & ignis; patuiſſet que rem cum reſpectu eſſe saporem: ablato enim reſpectu ad linguam non eſt ſapor: manifeſtum enim, quod geniſta amara eſt homini; capræ verò dulcis: quoniam alia eſt huius in lingua temperies: ſed an detur ſcientia, quæ non ſit reſpectus in Metap. docuimus: neque enim ſapiunt res nobis, & brutis, prout ſunt, niſi prout nobis ſunt: non autem ſimpliciter: ſolus Deus res prout ſunt, ſimpliciter nouit omninò, vt ibi probauimus.

Ad tertium ex hoc patet ſapores à calore fieri, ſed non ab externo, niſi quatenus internatur & ipſe, & molem immutat: dum igitur in carne partes fluidas in tenuitatem vertit, reliquaſque concoquit, conſimileſque facit, gignit ſaporem noſtro ſpiritui congruentem, quaſi dulcem: cum autem vrit, educit tenuitatem caloris blandi ſedem, nobiſque communicabilem, & partem craſſam relinquit multo calore robuſto donatam, quæ craſſitie ſpiritum premit, & calore vincit: Ideoque amara videtur; Quæ autem nutrit, dulcis. A ſole quoque omnes ſapores fieri palam eſt in plantis; ſed ſapor eſt non calor exterior, ſed qui internatur: nam exteriorem tactu ſentimus potius, quam guſtu, quoniam valentior eſt.

Ad quartum, concedo naribus vaporem eſſe ſaporem analagicè, quod & Ariſt. fatetur. At vniuocè ſapor eſt, qui linguæ ſentitur, nec niſi cum ſua mole, vt poſſit non quaſi calorem ſpiritus augere, ſed molem immutare mole ſua. Aqua marina non penetrat carnes, ſed vbi penetrat, quaſi vrit, vt ſal linguam; indicans calorem cum mole ſaporem eſſe. Odor aſſatæ carnis, famelico ſapor eſſe videtur, & nutrire palam.

Ad quintum, puto pertingere vſque ad ſpiritum etiam cum ſua mole: nam & per nares vapor vſque in cerebrum penetrat, ſpiritumque nutrit, & afficit; nec tamen inde elabitur ſpiritus. Adſunt enim in orificiis artificia multa, vt in textu docuimus, quæ ipſum detinent, vt in follibus, & naſſis, & folliculis vento plenis: penetrat ergò fibras, & carnem moles, licet non neruum craſſum: ſpiritus autem ineſt etiam in his, ac neruiculos fortè tenuitas penetrat.

Ad ſextum, bene loquitur Egidius: nam pungere, & grauare, & tenere & glutinare videmus materiam, quæ tangit. Hoc autem non facit, quatenus materia, ſed quatenus attenuata, mollificata, viſcata, & figurata variis modis eſt ab agente cauſa, eique deſeruit ad actionem. Verè dicis, non per ſe agit vllo pacto; ſed ego dixi, coagit, & per accidens: de actione materiali etiam in prædicamentis loquuti ſumus.

Ad ſeptimum, benè ſentit Democritus ex parte, qua figuræ ſaporem tribuit; non tamen quatenus illi ſoli, & ſine agente calore: coagunt enim figuræ particularum molis ſaporoſæ, non autem agunt, niſi prout impelluntur: ſicut ſpinæ, & ſcabroſitates, & leuitudines manifeſtant: docuimus in textu variati ſapores ex inſipido ad ſalſum per concoctionum, & particularum craſſarum, & tenuium variationes.

Ad primum ergò non dico non ſequi omnem ſenſum eſſe tactum Democratico modo nobis, ſed noſtro, quod aſſerimus.

Ad ſecundum, figuras eſſe communes tactui, & viſui, non negem, at inuiſibiles illas particularum acutarum in aceto, non niſi guſtu propalari. Dum enim linguam penetrant, findunt, lacerant, aut obſtruunt, aut leuigant, calore eas deferente, qui & ſic diſpoſuit.

Ad tertium, nego conſequentiam: non enim percipiet figuras, niſi aptas poros linguæ ſubire; neque quatenus figuræ ſunt, ſed quatenus linguæ diſpoſitionem, & ſpiritus in ea immutant dictis iam modis. Exempla habemus etiam in tactu exteriori; ſi quis tangat arenas, & fragmenta vitri, & floccos bombicis, & alia huiuſmodi, quæ diuerſum tactum faciunt iuxtà diſpoſitionem.

Ad quartum, negatur Ariſt. licèt enim actiuè non contrarientur ſibi inuicem figuræ; tamen in tactu aliter leuia, aliter aſpera, aliter aperientia, aliter obſtruentia nos afficere, quis non videt? circularis alium ab angulari facit tactum, illa lenit, iſta pungit.

Ad quintum, ſunt infinitæ figuræ, non tamen quælibet minutiſſima ſola facit ſaporem, ſed multæ ſimul, & varios pro ipſarum varietate,

Item nec vna species est dulcedinis, sed quasi innumeræ, nec aliorum: innumeris enim modis aptæ sunt misceri; reducuntur tamen ad certos gradus nobis; sed alij latent plurimi, vti & gradus caloris infiniti; sed tamen quatuor à Medicis notantur tantummodo: magis autem vna figura sentitur quàm alia, quoniam nobis magis contrariatur, aut texturæ linguæ spiritúsque proportionatur. Nec enim caloris gradus omnes notauimus, alij enim quia inferiores; alij quia excellentiores non sentiuntur: cæteri verò ex parte distinguntur.

Ad octauum, nego sapores aliquos à frigore constitui. Galenus sibi aduersatur, ita loquens. At quidem loquitur respectu nostri, non naturæ. Lactuca enim est frigida homini; sibi verò calida, à calore genita, nutritaque: omnis gradus caloris nostro minor, videtur frigidus: similiter, & qui per accidens refrigerat educendo tenuitatem, & calorem, vt acetum propter suum acumen, & sal nitrum, quo vinum refrigeramus trahente foras calorem ad se, vt & sal, quo vasa testea conficiuntur, vt calorem educat, frigúsque sentiens inimicum se se vniat, augeátque. Omnis natura agens potest se ipsam multiplicare. Idcircò ne quæras, vnde frigus in grandine, & in vino si nitro circumdetur, constrictio autem non semper à frigore, sed & ab obstructione, vt docuimus in textu de stiptico sapore, cuius particulæ opplent, obstruuntque linguæ spiritúsque poros, aliquando verò à fuga spiritus, dum enim præpotentem saporem gustat, fugit ne lædatur, ac eius abscessu caro comprimitur, vt cutis in meticulosis. Aliquando eductione tenuitatis, quod acetum facere experior suo acumine. At calida ista esse secundum naturam, non tamen nobis, etiam Galenus admonet in primo simplicium medicamentorum.

Ad nonum, quis non videt aquam vitis, quæ ex vino extrahitur ignis ope, saporosam? Item aqua marina natura dulcis videtur Aristoteli, sed à Sole salsescere. Concedo in crassitie plus saporis, quoniam robur caloris maius; in tenuitate copia maior. Itemque crassities linguam plus afficit, dispositionémque immutat magis, ac tenuitas: cum hoc tamen stat, quod vis saporis actio est caloris magis, quàm crassitiei; multa enim crassa insipida, vt lapis, calida autem nulla: nisi excellentia, quæ plus immutant, quam iudicare sensus animalis languidus potest.

Vtrum Sapor sit passio à sicco terreo in humido aqueo, vti Aristoteles putat.

ARTIC. III.

AB Antiquis videtur accepisse Arist. quòd sapor nullus, nisi in humido aqueo fit, vt 4. cap. de sensu, & sensili docet; reiectáque opinione Empedoclis, quod insensilia insint aquæ genera saporum, per id, quod videmus à Sole fructus in varios sapores immutari in se, non tanquam ab aqua trahente saporem. Itémque Anaxagoræ ponentis omne seminarium saporum in aqua, & ex alia parte aquæ alios sapores facientis, per id, quod videmus ex eodem fructu varios sapores fieri, non addita altera aqua: tandem facto nouo argumento articuli præcedentis, quod aqua non sumit à calido saporem, probat, quod à sicco.

1. Non enim fit sapor, nisi crassescat humor, crassities autem à sicco est.

2. Probat autoritate physiologorum dicentium, aquam assumere sapores à terra: hocque patere, quoniam alii fontes sunt salsi, alij amari, alij acidi, alij dulces, quoniam diuersis terræ speciebus decolari fluunt; sicut amara est quæ per cinerem.

3. Exemplo patet aquæ sumentis colores, & sapores rerum coloratarum, & saporosarum, quæ in ea lauantur; sic natura lauans terram sapores faciat.

4. Humidum non patitur, nisi à sicco, contrarium videlicet à contrario, ergò passio est sapor humidi à sicco, non igneo, ergò terreo: licèt enim, ait, siccus sit ignis; proprium tamen ignis calor; terræ verò siccitas magis.

5. Sapor est passio sicci, non cuiuscumque, sed nutritiui; nutrimur autem sicco, &

humido mistis, non autem simplicibus: ergò ex his sunt sapores. Amarum videlicet sicci, dulce humidi. Animal dulci nutritur. Calor enim, & frigus potius agunt, quàm nutriunt: sapor nutrit: sicut autem in corporibus exterioribus leue, & dulce trahit calor; crassum & amarum relinquit propter grauedinem; sic facit interior calor in corpore animalis nutriens ex dulci tenuique crassities amaras relinquens in fecibus. Alij sapores sunt pro condimento: propterea quod retrahunt, eo quod nimis nutritiuum, & supernatatiuum est dulce, patet de salso, & acido, quibus vtimur in epulis ob idem: ex his patet amaritiem terræ: dulcedinem aquæ esse magis.

SED Contra sunt autoritates Sanctorum, & ipsemet Aristoteles & ratio, & experimentum: siquidem actiua res est sapor: neque enim per se ageret in sensum, sed per accidens sensile esset, si non actiua: siccitas autem, & humiditas passiones materiæ sunt, id est constrictio, & expansio, quas nihil per se agere, ipsemet Arist. 4. Meteor. docuit. Item neque humiditatem humectare, neque siccitatem exsiccare, sed à calore, & frigore fieri humectationem, & exsiccationem, dum materiam expandunt, aut densant. Quapropter non videtur esse passio sicci, sed actio caloris cum materia ipse sapor, vt dictum est. Consentit nobis Galenus, qui penes frigus, & calorem graduat sapores, non penes humidum, & siccum, nec Auer. illi contradicit ratione, sed verbis. Item Alexander in Problematis ad quatuor qualitates omnes reducit sapores, non ad passiuas tantum.

Præterea humidum à sicco nihil videtur pati, sed tantum mistio fieri ex crasso & liquido: si autem crassities illa, & liquor sapores non habebant, nequaquam ex mistione acquirent: si enim arenam tenuem, vel quodcumque non sapidum, vt farinam, admisceas aquæ, nullus fit nouus sapor, nisi qui erat farinæ; & si nullus fuisset, nullus fieret: sapor autem qui erat in farina, & in cinere, in aqua recipitur. At ille sapor factus erat à calore internato. Calor ergò saporis est princeps causa, non humor & siccitas.

Præterea Aristoteli tellus est expers saporis, similiter & aqua: nunc quomodo ex his materialiter sapores facit? Profectò sibi non constat; sed cum nesciret componere sapores, ad Physicos confugit sibi aduersarios: illi enim tellurem haud frigidam faciunt, sed calidam, variisque affectam modis, præcipuè Pythagorici: ideòque ex sicco calido faciunt saporem, quatenus calido. Aristoteli autem tellus frigida, similiter & aqua, à frigore autem actio saporosa nulla fit: imò sapore obteguntur, ne agant, vt vinum glaciatum docet: à calore autem tanquam à cognato reuiuiscunt, agendique plus vires adsumunt, proptereàque epula calida, & potus calidos veteres introduxerunt, & quia res saporosæ sunt pariter odorosæ, à calore odorem emittunt, à frigore obstupescunt. Facit autem nobis tellus sapores, quia à sole eos accepit, calore relicto, semperque agente.

Palam etiam, quod fructus in arbore varios accipiunt sapores à concoctione, non à mistura noua sicci, humidi: & ratio Aristotelis contra Empedocl. & Anaxag. valet contra Aristotelem magis. Nec calor, quia siccus istos facit: Nam Arist. à sicco terræ sapores non ab igneo vult fieri.

Præterea cum fructus maturescunt, mollescunt, non indurescunt, vt patet è crassis fieri molles: ergò calor etiam, vt humectat, & expandit succos, facit sapores. Profectò si Aristotelis ratio esset vera, metalla, & lapides saporosissima forent; quoniam ex aqua Aristoteli constant, & terra, quatenus passiuis in 4. Meteor. quidquid in 3. dixerit.

At neque amarum à sicco fieri, quatenus siccum, sed quatenus intensè calidum, prædictæ res testantur; sicuti neque dulce ab humido, cum liquores plurimi amarissimi inueniantur, in quibus humor non siccitas maior est, vt nemo nisi insipiens negat.

Item bilis flaua tenuior, quam atra, est etiam amarior, quia calidior, non quia siccior; cum in melancholia, & flegmate crassior siccitas insit: similiter & in sanguine, de his posteà.

Ad primum negandum erat subiectum saporis esse humidum aqueum, nisi quatenus est subiectum caloris. At & siccum calore affectum, saporosum est: cinis enim siccissimus, licèt in minutias redactus, tamen saporem habet ingentem; omniáque combusta: vnde exhalauit tenuitas, humórque. Quod autem Arist. in 2. de Ani. Tex. 101. probat sapores non nisi in humidum, quoniam non potest gustari, quod non est humectatum, ridiculum est; humor enim liquidus non facit gustationem per se: sed præparatiuè, qua-

tenus mistam ſicco introducit illud in poros linguæ, non enim niſi atteratur, & madefiat, poteſt illabi in poros anguſtos ipſa craſſities, in qua eſt ſapor.

Quapropter Simplicius melius dixit, humorem ſputi eſſe ſicuti lucem caloribus, qua deferuntur ad videntem Animam: & profectò ſi humidum eſt guſtabile omne, vt Ariſt. dicit; oporteret linguam nullo humore donatam eſſe: recipiens enim debet receptibili carere prorſus in ſuo dogmate. Idcircò ſenſus facit potentias puras abſque vllo actu: illud etiam dictum Ariſt. & ſuorum, eſt fallax, quo ſapores potentia ab humido fieri actu putant. Inerant quidem ſapores, vti & colores; ſed ab humido iuuantur ad introitum, ſicuti & cibi in ventriculum per Oſophagum, nec tamen fiunt comeſtibiles actu, ſed iuuatur comeſtionis via.

Ad formam argumenti negatur, quòd non fiat ſapor, niſi craſſeſcat humor; nam in cinere, & combuſtis ſapor non craſſeſcente humore, ſed elabente ex ſola præſentia caloris in ſicco fit. Item in aqua ardente adeſt ſapor abſque craſſeſcentia, ſed cum attenuatione humoris per alembicum. Aquæ ſimilares ſapores à calore ſumere non poſſunt, quoniam caloris gradus in eis non augetur, elabitur enim cum tenui euaporatione: diſſimilares autem craſſæque elabente tenuitate retinent calorem maiorem in craſſitie relicta: Idcircò ſaporem habent: quæ autem ſimilares nimis decoquuntur, ante exhalant totæ, quàm plus roboris caloris accipiant: robur enim in craſſitie, copiam in tenuitate ſortitur calor; à robore verò ſapor: vbi tamen & robur acquirit quamuis tenuiſſimum ſit ſubiectum, ſaporem facit, præſertim vnde non exhalat, vt in quintis eſſentiis: eſt à ſicco igitur ſapor, vt à coadiuuante, ſicuti in figuris Democraticis, & coagente, non ſicut in agente cauſa ſaporis.

Ad ſecundum, Autoritas illa Ariſtoteli obeſt, vt in hoc articulo probatum eſt: experientia nihil probat, niſi quod in variis terræ affectibus à calore inditis varij ſapores ſuboriantur, ſed ſapor ille, non à ſicco, ſed à calore terram ſic afficiente, ortum habet; alioquin omne ſiccum faceret ſaporem. Nunc autem non facit, niſi excalfactum: craſſities autem iuuat, vt multus calor imbibatur, vtque in multam aquam ſpargi queat: ſicut in textu diximus, ex pauca ſalſa multam dulcem ſalſeſcere ob illius craſſitiem in hac expanſam, & huius penetrationem: & ſic patet reſponſio ad tertium: expanditur enim ſapor, & color, qui eſt materialis opacitatis, luciſque miſtura in craſſo; quo expanſo, & color expanditur.

Ad quartum negatur, quod humidum poſſit à ſicco pati. Aqua enim à lapidibus ſiccis nunquam ſicceſcit, ſed à calore educente tenuitatem: neque enim humor, neque ſiccitas actiuæ ſunt, ſed miſtione altera alteram obtegendo ſe afficiunt, non actione, niſi inditi caloris vi, vt dicebamus, quod aqua liquefacit ſal ſui caloris blanditie penetrante cum humore fluido in ſalis poros, ſicque ſoluente, de his ſatis in quæſt. de paſſionibus ſecundorum corporum. Ipſeque Ariſt. 4. Meteor. docuit calorem, & frigus humectare, exſiccare, humidum vero, & ſiccum iſta pati.

Quod autem ab igne negat fieri ſaporem, manifeſtè ſibi repugnat contra Anaxagoram, & Empedoclem argumentanti, & experientiæ: fructus enim, & corporis humores à coctura caloris varios ſuſcipiunt ſapores, non à ſicco terræ nouiter miſto, ſed ſolum materia alterata, & affecta nouis viribus caloris.

Ad quintum verè quidem nutrimur fluido, ſiccóve ſaporoſis; at non ſunt ſaporoſa, niſi à calore affecta, vt dictum eſt, nec amarum eſt ſicci, quatenus plus caloris ſortitur, qui plus vincit linguæ calorem viribus, craſſitie vero opprimit, affligitque ſpiritus tenuitatem: ſunt nihilominus & craſſa, ſiccáque dulcia, vt ſaccarum, & ſicca caſtanea: humidáque amara, vti ſucci herbarum plurimi, & mare: vbi nemo neget plus humoris, quam ſiccitatis ineſſe, ſi aquam eſſe humorem non eſt in controuerſia. Verum eſt, quod dulci nutrimur, ſed reſpectiuo, dulce enim nobis eſt mel, non autem cani; exque cibis non ſemper tenue eſt dulce; ſed quod magis conuenit nobiſcum: vnde aliis animalibus alius conuenit cibus: dulcis eſt porco merda humana, quæ homini amariſſima eſt, nec ſolis dulcibus nutrimur, vt putat, vti neque abſolutis. Aliis enim complexionibus alia placent, pueris dulcia, ſenibus ſubamara, fœminis acida &c. Quod ſi dulce ſumit Ariſt. prò conuenienti, declarandum illi erat, dulce non eſſe abſolutum, ſed ſemper cum reſpectu,

nec ſcientiam noſtram abſolutam,vt in p. p. Metaph.luculenter expoſuimus,de vſu ſalis in textu habes.

Vtrùm extremi ſapores, ex quibus medij componuntur, ſint dulcedo, & Amaritudo; an inſipiditas, & Salſedo.

ARTIC. IV.

PRimam ſententiam Ariſtoteles tuetur in cap.4. de ſenſu & ſenſibili

1. Quoniam ex humido,ſiccóque facit ſapores; dulce autem humido conuenit,ſiccóque Amarum. Vnde calor natiuus attrahens dulce pro nutrimento relinquit Amarum ſiccum in excrementis.

2. Sicut,ait,ex albo,& nigro fiunt medii colores,ſic ex dulci, & amaro ſapores, pingue enim dulce; ſalſum vero amarum: acris veto, & auſterus, & acerbus, & acidus in medio ſunt; & quemadmodum nigrum eſt priuatio albi in perſpicuo; ſic amarum dulcis in humido: ideóque cinis amariſſimus: exhalatum eſt enim ex ipſis potabile.

3. Galenus è contra extremos ſapores conſtitui oportere vult ab extremis qualitatibus actiuis,reſpondent autem eis ponticum,& acutum: illud extremè frigidum, hoc extremè calidum. Ad ponticum acetoſum,ad acutum amarities ſequi putat, & ab oppoſitis operationibus id patet in nobis,videntur enim & amarum & dulce calida eſſe, calefacereque,non ergo extrema ſunt.

Videtur & Alexander in Problem. aſſentiri:nam amarities fit illi à ſiccitate, & caliditate pleniori,dulcedo plus caloris,& minus humoris habet.Acritudo caloris,& ſiccitatis copiam,ſalſugo ſiccitatis plus & frigiditatis minus.Acor,à frigidi,& humidi copia: Auſteritas à frigiditate,& ſiccitate largiori.

At Auerroës 2. de Ani.tex.c. 101. contendit duo,vnum quod ſecundum naturam,& ſecundum nos ſapores ſi graduentur,non à calido,& frigido,ſed ab humido,& ſicco pẽſandi ſunt. Omnis enim complexio,ait,eſt miſti terminata, quando autem terminatur ad amarum manifeſtè ſiccum ſuperexcellit, quando ad dulce, humidum: ergò contrarietas eſt in dulci & amaro.

2. Contendit non eſſe graduandos ſapores ſecundum naturam:ſic enim amarum eſt calidum,dulce verò frigidum,vel temperatè calidum videtur,& opponuntur, & tamen ſecundum naturam,& reſpectu aliorum animalium non ſic ſe habent: oportet eos ergò graduari ſecundum nos,& ſic extrema ſunt Amarum,& dulce, quoniam illud natum eſt valde guſtum affligere,hoc verò delectare. At ſecundum qualitates actiuas bene dixit Galenus,ſapores tamen ad nos comparantur.

3. Videntur nec poſſe vt obiecta ſecundùm dominia qualitatum penſari: etenim Amarum in fructibus immaturis eſt frigidum: in aduſtis eſt calidum.

Item fructus frigidi in principio ſunt inſipidi,& in fine dulceſcunt,non variata temperie:ergò dulce & inſipidum ſub frigido quoque ſunt,& omnes medii.

4. Sapores,quibus tranſitur de Amaro in dulce,habent rationem medij: Ponticum autem,& acutum, cæterique numerati, ſunt huiuſmodi.patet in fructibus in quibus fit tranſitus mediante pontico interdum,aliquando per acutum.

5. Poteſt etiam addi, quod de pontico in acutum tranſitur per dulce,& amarum in pipere: ergò non poteſt reperiri contrarietas vera extremorum, niſi reſpectu guſtus; ſic autem ſunt dulce,& amarum.

Reſpondeo ordinem in textu poſitum eſſe ſecundum naturam nobis relatam, & verum,quoniam à Sole ſic immutari fructuum ſapores videmus,vt ex inſipidis fiant ſtiptici,mox pontici,mox acetoſi,mox dulces, quorum pars craſſior, calidiorque amara, tenuior pinguis:amarum autem combuſtione ſalſeſcere videmus,vel quia attenuatur, vel quia calefit,& cum ante dulcedinem partes ſunt craſſiores, fiunt acres, acutæque aucto calore;omnes autem hos caloris coctione fieri nemini dubium, naturas rerum,non verba

insipidum non est sapor, te moueat. Est quidem sapor, sed nostro natiuo consimilis, idcircò sensum non facit, nisi augeatur, & tunc sapores varios assumit. Signũ quidem, quoniam caro cruda nobis expers est saporis, non autem lupo. sal autem tanquam extremè potens sapor, omnia nobis sapida facit, modicè, vel plusculum appositum. Nullum verò gradum esse inter amarum, & dulce, mel subito amarescens, docet, & appia mala; & saccarum, ex quo bilis amara subitò generatur per nullos medios sapores, vti oportebat.

Ad 1. decipitur Arist. si enim dulce ab humido est, & à sicco amarum, tunc humidiora essent dulciora, sicciora que amariora. Ergò saccarum esset amarum: bilis verò dulcis; & aqua marina dulcior.

Præterea tanta humoris copia in mari, quomodo non superat tantillam siccitatis? superat quidem, non tamen dulcescit; vt videas non à sicco amaritiem, sed à caloris robore. Nec verum est, quod humidum trahat, expellatque siccum, virtus nutritiua: sed vtrumque attrahit provt membris variis conuenit; excrementa autem mollia esse videmus, non sicca, vrinam, & sudorem humidos, vti aquam, & tamen salsos. Ergò amaritudo in excrementis ab excalefactione fuit, non à siccitate. Eundem quoque cibũ ab homine, & à cane manducatũ, diuersa excrementa facere palam est: nobisque plus nostra facere illique plus sua. Ergò signum, quod omnis virtus nutritiua trahit, quod sibi cõuenit, nõ quod humidũ. Attrahit autẽ humidũ nõ quia dulce, sed quia prodest distributioni, & motib⁹, & lenitioni partiũ motarũ, & copulationi aliméti cũ alito & c. per vrinã tandẽ illud excernis salsã Hinc vides excremẽta boũ nobis olere, nostraque porcis, & quorundã animaliũ esse nobis delitias vt Zibetum.

Itẽ videmus parũ cineris dare saporẽ aquę multę, multã verò arenã siccissimã, & pumices nullũ ferè. Ergò sapor nõ est à sicco, sed à calore in sicco cineris pluri, quã alibi.

Lupina autem in aqua dulcescunt educto calore à blando calore aquę mollitiuo, non ab humore, vt sic.

Ad 2. decipitur, si enim ex amara Gentiana, & ex melle dulci facias compositiones, numquã inter medios sapores inuenias materialiter, neque ex insipido, salsoque, sed oportet a calore per gradus afficiẽte materiam, generari sapores. Ergò non pertinent ad humidum, & siccum, passiones materiales, sed ad caloris actionem in illis. Nec priuatio dulcis in humido est amaritudo, vt albi nigrum in transpicuo. Humidum enim non est subiectum saporis, quando & sicca saporosa sunt; sed delatiuum solummodo in lingua, ita vt potius soli, sicut dixit Simplicius, quam transpicuo subiecto coloris, vt Arist. vult, sit comparandum. Item in cinere non est humidum: ergò amaritudo non est priuatio dulcis in humido. Cinis autem exsiccatus liquatus, & in vitrum conuersus amittit amaritiem, quoniam robur caloris & partium crassities cessatunt in liquefactione.

Ad Galenũ, rectè quidẽ ab actiuis qualitatibus generatiuis saporis, sapores considerat, actiuos natura, at à frigore non rectè cum fiant sola coctione, quã frigus non ingreditur, neque aliud opus naturæ vllum ipsi Galeno, & Auicennæ. Quod Ponticum, & acetosum calida sint, generatio docet à calido, pungitiua vis. Acetum etiam lapides frangit: refrigerat autẽ per accidens, vt dictum est in alio articulo, & stringit per accidens. stipticus verò sua mole id facit. Benè amarum, dulceque calida facit, sed & cæteros facere debuerat; non enim secundum operationem in nobis, sed secundum sui naturam pensandi sunt. Medicis tamen istud licet.

Alexander non indoctè addit qualitates actiuas, sed perperam frigus. Nec austerus à frigore sit sed à calore attenuante, & acuminante. Vinũ siquidẽ vertitur in acetũ sub Orione, & Cane, & Austris spirantibus, nõ sub bruma, Boreâque. Calor autẽ acuminãs vinũ facit acetũ, quod frãgit ferrũ, & lapides, & parietes calore præeunte. Frigefacit verò educente Calorem, & tenuitatẽ. In Aquilia Acetũ nõ bibũt Messores, sed aquã aceto tẽperatã, cui⁹ acumine penetrat aqua ad omnes partes, & simul calor æstiuus educitur. Falluntur qui putant frigore aceti ista fieri. Bibant multũ aceti, quantũ vini, & tunc videbũt se à calore disrumpi flãmante, vt Alpes sub Annibale. Frigus salsedini haud rectè dedit: cum salis copia nos vri sentiamus. Strepitat in igne spiritu

KKk

facto, erumpentéque vt folia lauri, non propter frigus, vt vulgus existimat. Vide quæstionem de Mineralibus.

Ad Auerroëm nego assumptum; imò & terminatio ad amarum, & dulce in vtroque fit, in humido scilicet & sicco pro caloris viribus, vt sæpè docuimus.

Ad 2. non loquitur Philosophicè. Sic enim non relatio, sed natura consideranda est. Medicis licet pronunciare cicoream frigidam, non physicis, vt & Galenus docuit. ergò secundum naturam sunt pensandi sapores. Et Arist. secundum naturam loquitur, eosque ad siccum, & humidum reduxit; pulchreque à Galeno reprehenditur: quoniam res actiua non ad passiuum principium, sed actiuum referenda est. At si secundum naturam consideretur, dulce non erit dulce; nam Capræ non est, sed mihi mel dulce. similiter nec amarum idem omnibus. Non ergò secundum naturam Auerroës considerat, neque secundum Animalia, cum ad calidum, frigidúmque reducit.

Neque secundum nos, cum aliis aliud sit dulce. Ego puer amabam vinum dulce, nunc abominor, quasi syrupum.

At & si secundum nos fiat ratiocinium in gustu: idem faciendum erit in aliis sensibus, & tunc non erit album & nigrum extrema colorum: neque enim album summè delectat, ait Durandus, sed potius viride, neque nigrum affligit, quandoquidem Iaponenses, & Cataini adeò nigrum amant, vt & dentes illo tingant, quasi apparituros sic pulchriores. Ethyopes nigro delectari puto. Similiter neque graue, & acutum erunt extrema in sonis, sed consonans, & dissonans; quæ respondent dulci, & amaro. In odoribus quoque suaue, & insuaue. Apparet ergò Auerroës loqui pueriliter, dum non ad res, sed ad nos, nec omnes rerum naturas considerat. Quis autem non videt mel amarescere, & appia poma dulcia in prima sui mutatione, nullúmque esse interuallum inter dulce, & amarum, sicuti neque inter vinum, & acetum, inter consonans, & dissonans? dulcia autem prohibentur ægrotis; quoniam statim in bilem amaram conuertuntur, addito caloris gradu, & coctura. Item sicut mel amarescit, sic pingue rancescit, ait Alexander, subito. Nil suauius pingui, vel insuauius rancido. Nec propterea rancidum, & pingue vocabis extrema saporum.

Ad 3. fructus in principio amaros ex molis crassitie, & caloris copia, verum est, præsertim pruna: postea autem à calore moles digeritur, & mollescit, vti patet, & amarities deperditur. Expanditur enim & calor, & moles: non tamen dicas in principio frigidum esse prunum, nisi Medicis astrictionem considerantibus, sine causa; non autem physicis. Cum autem matura sunt, dulcescunt, eademque abeunte tenuitate marcescunt & amarescunt: nimius enim calor in materia sicca amaritiē facit. At si vratur salsescit, vt Cinis. Quod autem ait de fructibus frigidis varios sapores sumentibus, permeante temperie frigida, falsum est. Nullus enim fructus frigidus, nisi respectiuè. Temperies quoque fructus pro saporum varietate palam variatur, sicut in humoribus corporis.

Ad 4. Concedo fieri transitus eiusmodi, sed non à dulci in amarum; sed si quando fructus ab amaritudine, ob crassitiem non digestam, incipit; transitus fit per dictos sapores ad dulcem: non tamen à dulci in amarum. Est enim hic immediatus, vel insensilibus fit medius. Dulce enim concoctum amittit partes tenues, acquiritque calorem: idcircò amarescit. At amarum concoctum salsescit, non dulcescit. Si verò concoctio fiat aduenientе succo, ipsume penetrante, & augente, vt lupinum in aqua, necessario amaritudo perditur paulatim: aliique acquiruntur sapores, digesta in mole à calore. Sic autem est in fructibus ab exordio amaris. Non enim sola coctura dulcescunt. Sic enim salsescerent, sed fluore subeunte eos ab arbore à calore digerente blando, hoc patet in sorbis.

Ad 5. verè fit transitus per dulce, & amarum, ex pontico in acutum, id est, acrem, quale piper. Nec propterea non dabuntur extremi sapores, nisi ad gustum. Nam caloris gradus, & Materiei concoctiones illos nobis dant in natura veros, vti & colores. Sed quoniam non semper itur iisdem viis, medij latent, sicut & in coloribus. Nam aliquando sola coctura fiunt, vt in foliis arboris à sole

aliquando additione alterius materiæ, vt apud tinctores, & coquos experimur. Qui autem à nobis numerati sunt videntur certiores.

Vtrum numerus, & ordo, & generatio saporum sint ritè assignata, &c. de hoc alias.



QVÆST. XLVII.

Vtrùm Organum odoratus sit nasus, aut cor, aut cerebrum, aut neruuli è cerebro in nares porrecti: aut aures.

ARTIC. I.



VISVM est Alcmeoni conterraneo olim idem esse organum respirationis, & odoratus.

Manifestum est enim, quod in expiratione, & retentione inspirationis nihil odoramus, quamuis intra nares positum. At Capræ quædam syluestres respirant per aures. Ergo non in naso semper est sensorium odoratus.

2. Arguit Arist. primo de historia animalium, idem non potest esse organum duorum sensuum. Quapropter concludit, cerebrum esse organum olfactus. Idem in 4. de sensu, & sensato : nares autem esse viam. Nam & multa animalia insecta, vt Apes, formicæ, culices, purpuræ maximè, & pisces non respirant, nihilominus trahuntur ad escam odore: odor autem cerebrum mouet, vt in nobis patet; cum enim sit frigidum, indiget calore odoris ad sanitatem, quod & sternutamentum augurale signum ex cerebro probat.

3. Auerroës Nasum putat esse organum. Manifeste enim ipso clauso nil odoramus.

4. Alexander putat esse cor, quoniam est sensuum origo.

5. Auicennas, & Algazel, & Alphatabius mammillas quasdam ex cerebro pendulas. Ibi enim sentimus odorem internari.

Sed contra est S. Ambrosius Hexam. 6. cap. 9. docens omnium sensuum organa esse neruos è cerebro in loca sensationum deriuatos; hocque iam patet per Anatomiam Vessallij, & Galeni per experientiam, cum enim odoramus in nasi radicibus afficimur, vbi spongia est, & aër communicans spiritui in neruis olfactoriis odorem, vt in Textu.

Ad 1. possunt fortassis capræ illæ per aures odorari. Nihil enim refert vbi est organum. Sufficit enim, vt ad spiritum sentientem sensile deferatur quacunque via. Non nim organum sentit. Sed spiritus in organis, vt dicebamus cum Ambrosio Algazele, & Telesio. Nec sensoria sunt propriè orga: sed viæ ad sentiente animã.

Argumentum primum nihil valet Aristotelis. Nam & lingua organum est gustus, & tactus, & vocis. Similiter labia & gingiuæ. Si autem forma organum esset sensus fortassis Aristotelis ratio probabilis esset, nunc autem nulla.

item possunt in auribus esse duo foramina in captis illis, vel tria. Spiritus enim, & ad cerebrum, & ad cor defertur.

Igitur ad 2. responsum est ex parte. At antequã inspiciã capras illas non determino. Potest enim & per nares fieri illis odoratio· ne autẽ in cursu aduerso aëre nimis arctetur spiritus earũ, prouisũ est vt per aures respiret. Aures, & os, & nares, & omnes partes sensorias cõmunicare in vno cerebro per spiritum, palam est: sique dentibus tangas instrumentum musicum sonos percipies mirificè obstructis auribus. Cerebrum non esse organum olfactus, sed terminũ organorũ, palã est. Si enim quia ad illud feruntur odores, erit organum, vtique & sonorum, & colorũ, & saporũ organũ erit. Est ergò,

sed communicæ. Animalium respirationem non omnibus odorandi causam esse: respirantibus tantum dicimus. Neque respirantibus, nisi præparatoriam, & remouentem prohibens. Rectè quidem in hoc Arist. putat dum respiramus adaperiri opercula ad cerebrum nobis, quæ tamen non respirantibus naturâ aperta semper esse oportuit; sicuti cancris, & leporibus, & quibusdam aliis animalibus oculi insunt absque operculo palpebrarum, quoniam duriorem habent corneam, operculi non indigam. At quomodo scit Arist. quod fomicæ, & apes non respirant? sed de hoc infrà. Similiter de piscium odoratu incertus sum. Qui fiat; fit quidem. At si carent naribus, per gustum.

Ad 3. nihil dicit Auer. nares enim via sunt ad sensorium, sicuti eminentiæ aurium. Ac sectis auribus, & naribus audimus, & odoramus, non tamen multum, quoniam eminentiæ cartilaginosæ sonos, & odores colligentes, iam desunt.

Ad 4. Alexander delirat vt solet pro gloria cordis; quis tam stupidus est, vt in naribus, & cerebro affectionem odoris non agnoscat? & aliquando ex multa sternutationem sequi, spiritu erumpente; amolienteque grauitatē, & robur odoris?

Ad 5. Rectè docet Auicen. & alij eum Galeno, & Telesio. Illæ quippè mamillæ sunt nerui olfactorij, vt patet per Anatomiam. Si autem ad cor per respirationem odor vadit, non tamen tanquam ad iudicem. Sed sicuti aër tanquam ad ministerium, & confirmationem. Post hæc vidi per Anatomen ostendente Foto amico ad supercilia cauitates inesse aqua plenas, & aëre. Aqua ad oculorum, ne exsiccentur, humectationem. Aëre ad odorem percipiendum, communicandúmque spiritui in cerebrum. Nam & sentimus ibi acutos odores manifestè.

Vtrum odor sit qualitas passiua, vt Aristoteli videtur. s. siccitatis sapidæ lotura in humido.

ARTIC. II.

SIc affirmat Arist.

1. Nam & in aqua, & in aëre odorant animalia: odor autem gratia cibi consequendi est, sicut sapor amplectendi ad nutritionē. Ergò proportionaliter se habent Et quia sapor est lotura sicci in humido. Similiter erit odor: ille in aqueo, iste in aëre.

2. Elementa, & quæcumque insipida, non odorifera sunt. Neque enim lapis, aut aurum, quæ saporem non habent, odorem habent. Ligna verò ferrum, stannum, & quæcumque saporosa, etiam odorosa sunt. Igitur eadem causa est odoris, & saporis. S. siccitas in humido.

3. Differentiæ saporum sunt etiam odorum. Dantur enim sapores, & odores acres, dulces, austeri, acerbi, pingues, & proportionales amaris putridi, ægrè spirabiles. Ergò quod in aqua sapor, hoc in aëre, & in aqua odor.

4. Sed contra est s. Ambros. in sermone de grano sinapis, vocans saporem & odorem igneos, multæ qu
e actiuitatis. Actiuitas, autem non est ab humido, & sicco, sed à calore. Frigus enim teste ipso Arist. in cap. 5. de sensu, & sensili, vti de his loquitur, sapores, & odores hebetat: ergò calida tenuitas est odor.

Item manifestè agit in sensum, & per se etiam Aristoteli. Non ergò lotura siccitatis.

Item quantumuis sicca laues entia in aqua, & in aëre, nunquam odorem emittent, nisi prius sint odorosa per se. Sicuti neque saporem à sicco sumit aqua, quod prius calidum non fuerat. At & hoc ridiculum, quomodo aër lauet siccitatem sapidam. humor enim aquæ propterea abstergit, quòd crassitiem habet, intruditurque à sicco, & tenuitatibus eius inspergitur, & dilatatus expandit. Humor autem aëris tenuitas est, viscositatis, quæ in aqua est, licet modica, expers. Ideoque non potest abradere ex sicco quidquam, & conspergi, sed caloris ope res odorosa exhalat, ha-

stúmque aëri miscet, quo defertur in nares. sensui quoque patet, exhalationem calidam eductam ex thuriferis, agere in spiritum odotantem. Plato quoque in Timeo odores inter aquam, & aërem ponit, illa scilicet euaporante, isto concrescente, quæ tamen concretio absque calore odorem non facit.

1. Proportionaliter sese habere concedo, non tamen omnino in omnibus, alioquin, vt in tex: probauimus, sufficeret sensus odoratus ad probationem cibi. Nunc autem non sufficit. Multa enim bonum habere odorem, non tamen & saporem, & vtilitatem. Neque enim lilium sapit benè vti benè olet, neque thus, propter rationem in textu. At ex hac proportione non elicitur, quod siccitatis sit passio, sed natiui caloris vis in tenuitate, sicut sapor est caloris natiui vis cum sua mole in linguam agens, vt in quæst. 45. dicebamus.

Ad 2. elementa odorosa esse dico; neque enim ex non odorosis fiant odores. Sed odor aëris, & aquæ nos non afficit, nisi salsæ; quoniam consimilis est spiritui nostro; à simili autem vel minori non fit passio. Ignis odorem vtique sentimus in quacumque materia fit: puri verò ignis natura non datur apud nos, neque tenuitas eius, si essemus in Sole afficeret nos mensura odoris, sed longe validioris, ita vt destruat antequam more odoris immutet. Propterea que odores, & sapores respectu animalium natiuo calori moderato, non autem elementari immoderato tribuimus. Animæ autem separatæ ignis percipitur non per organa, at altiori sensatione, & vna; vt dicemus in Theologicis. Valet ergò, quod saporosa res sit, & odorosa. Sapor tamen blandus calor est in crassitie, odor in tenuitate.

Ad 3. Aristoteles sibi repugnat. Si enim odor est in aqua, & aëre. Ergò non quod in aqua sapor, in vtroque odor, sed in aëre odor. In aqua autem fortasse & sapores, & odores discernet. Et de hoc infrà.

Vtrum sit duplex genus odorum, vt Aristoteles vult.

ARTIC. III.

SEd non videtur mihi sapor, & odor sese consequi: alioquin omnia odorem facientia, saporem bonum haberent, atque nutritioni apta essent, cuius contrarium de lilio, & aliis multis experimur. Respondet Aristoteles ibidem duplex genus odorum. Aliud nutritiui sicci passionem communem omnibus animalibus: aliud non nutritiui, sed tantum alteratiui, proprium hominibus, qualis est odor rosarum, & Zipeti, & huiusmodi, quod homini natura dedit, vt cerebri frigiditati, & granditati, qua præstat cæteris animantibus, subueniat.

1. Probatur sic esse.

Quoniam suaue, & insuaue est in saporibus nutritiuis per accidens. Post esum enim panis odor non amplius suauis, quemadmodum erat famelico. Similiter odor carnium coctarum, & epularum, & leguminum. Odor verò rosarum, & zipeti placet semper. Ergò sunt diuersi generis.

2. Alij inuitant ad cibum, alij non: ergò diuersi.

3. Odor cibi suauis aliquando est morbosus, & ipse cibus. Odor verò rei non nutritiuæ semper sanus est, vt Zipeti.

4. Graueolentia non vitant animalia, vt fætidas herbas, & stercora. Homo verò aufugit tanquam à noxiis. Ergò non habent animalia sensum odorum, nisi pertinentium ad cibum. Atqui sunt, quæ à sulphureis, & bituminosis occiduntur animalia, vti homo à fumo carbonis, non tamen per odorem id patiuntur, sed passione alia corruptiua. Propterea que euitant, non quia graueolent.

Sed profectò nemo vnquam hanc somniauit diuisionem. Omnis quippe odor est calor in tenuitate, vndecumque exhalet, non tamen omnibus iidem odores placent propter temperierum diuersitatem.

Item, quoniam poteſt eſſe tenuitas ſalubris. Craſſities verò inſuauis eiuſdem rei, deceptus eſt Ariſtoteles: dum ſeruat tenorem poſitionis, quod ſaporis eſt aſſecla odor, nec diſtinguere nouit inter craſſum, & tenue.

Reſp. ad 1. non opus eſſe vt ſint nutritiua omnia odorifera: quoniam odor eſt tenuitas. Nutritio autem ex corpulentia eſt: falſum eſt quod animalia non ſentiant, niſi odores nutritiuos. Equus enim, vt ait Iob, odoratur bellum, & homines in inſidiis, vt teſtantur milites ſolertes, nec tamen hominibus veſcuntur. Herbas aliquas alia animalia olfactu norunt: canis etiam ſtercora leporis: manifeſtè quoque ſi naribus apponas eorum muſcum, aut Ziperium auerſantur. Ratio quoque idem docet. Si enim detectum adeò habent ſpiritum auctúmque vt odores ferarum, nobis inſenſiles percipiant, quantò magis herbarum nobis ſenſiles?

Ad argumenta igitur dico ſuaue & inſuaue in cunctis odoribus reperiri, nedum in nutritiuo. Et licet panem poſt eſum auerſemur, hoc ideo eſt, quoniam pleni ſumus, eiuſque nimietas nobis nocet. Sic etiam odorem muſci multum ſæpè auerſamur. Ego etiam odorem ruthæ in pueritia ſeotire non poteram vnquam; nunc in æſtate mihi diſplicet, veluti & thus, quoniam plurimus illorum calur & vapor vincit exilitatem ſpiritus mei: in hyeme placet, quoniam vincuntur, & nutriuot. Sic odores carnium ſaturo illarum diſplicent, quoniam eius vires ſuperant carnis odor interior, & exterior. Idem de cæteris. At roſarum placent ſemper quoniam eis non implemur. At ſi quis roſarum epulum ſumat, multaſque manducet, is poſtmodum earum auerſabitur odorem. Ità multarum herbarum non nutritiuarum, odores auerſamur, & mineralium, &c.

Ad 2. inuitanr ad cibum, quorum materia apta eſt nutritioni, attamen & alia inepta idem faciunt. Odor enim maris excitat appetitum, non tamen edendi maris. vſus quoque multum valet, & ratio. Pueri enim quidquid olet bene, ori apponunt, ſi fameſcunt: deinde diſcernunt, qui meliores cibi.

Bruta tamen exquiſitiori odoratu ſunt prædita, quoniam ratione carent, illóque feruntur ad cibum, nec ipſum ſolum odorantur, ſed & hoſtes, & nociua quæcunque ſibi. Adeoque notum eſt illis, vt feræ ſaltent aliquando, aliorſum fugientes, ne odoriſſequis canibus ſenſus illarum relinquatur, teſte Auicenna, & venatoribus.

Ad 3. fallitur, nam & roſæ odor catharrum ſuſcitat. Et muſci odor in æſtate capitis affectionem facit portantibus multum. Er hoc Marius Tuphus patiens cauſam ignorabat; donec aduertens chirothecas nimis olentes depoſuit, ac ceſſauit paſſio. Videtur tamen ſemper ſanus rei non nutritiuæ odor, quoniam paucus eſt, nec ſicuti cibus ingeritur in ventrem: vbi, multus nocet: nec ſemper propter odorem, ſed propter alias cibi, & cibati diſpoſitiones. At fetores etiam non nutritiuorum eſſe quis ignorat? ergò, &c.

Ad 4. valde mentitur Ariſtoteles in hoc. Nam licet non curet, quæ nobis graue olent, tamen curant, quæ ſibi: vt ſulphurea, & bituminoſa. Alia enim eſt complexio ſpiritus brutorum, & hominis: ideircò alij & odores, vt in textu. Quod ipſe ait eſſe paſſionem à bitumine, non propter odorem, voluntariè dicitur. Sic & bruta putarent nos ab odore illis infeſto non affligi, niſi quia patimur, ſed non graueolentiam. S. Bernardus ſerm. 60. in Cant. odorem florentis vineæ ſerpentes fugare conteſtatur. Et teſtatur Virgilius auerſari feras graueolentiam Auerni, & Aues. Merdamque quiſque ſuam aufugit, ſicuti nos noſtram. Proterea que cati obruunt ſtercora propria, ne ab illis lædantur: quod enim cuiuſque natura excernit, vt ſibi ineptum, nociuúmque excernit. Odores ergò res ſunt cum reſpectu: ad alios quidem alij: propteráque non omnia bruta, quæ nos auerſamur, auerſantur. Videmus & inter homines alios gaudere odoribus, qui aliis fetores ſunt: idem in ſaporibus. Vnde prouerbium; de guſtibus non eſt diſputandum. Vide Metaph. hinc enim patet non eſſe ſcientiam apud nos ſimpliciter; quia nec niſi in Deo. Homo à carbonis fumo occiditur, quatenus eſt odor grauis, niger, vehemens, craſſus, contrarius ſpiritui noſtro leui, lucido, blando, tenuique; nec ſecus in animalibus apud Agnanam fit iſta paſſio, cuius antri tetrum odorem canes fugiunt, & omnes feræ. Vide Medicinales libros noſtros de peſtilentia.

Vtrùm odor sit caloris in tenuitate subeuntis ad odorantem spiritum actio, vt in textu.

ARTIC. IV.

NEgat Aristoteles.

1. Sic enim esset fumus, aut vapor. Sed aquatica odorantur cibum in aqua, & sub aqua, vbi nullus fieri potest vapor. Ergò non est vapor, sed siccitatis passio.

2. Tunc odor esset defluxio, vt dicebat Democritus, & tunc omnis sensus esse tactus: quod falsum est. Item dùm odorantur, minuerentur odorabilia.

Sed contra est liber Apocalypseos sancti Ioannis, vbi sæpè vocatur odor fumus aromatum, & fumus odoramentum.

Item apud Moysem, fumus sacrificij odor suauis Domino dicitur. Ab sancto Ambrosio vocatur halitus, & nutritiuus substantiæ sentientis, in lib. 2. de Abra. Ergò vapor est a calore eductus ad sentientem spiritum delatus per aërem, vt in textu.

Quapropter graues vapores, fætores, sunt, & læsiui: tenues verò blandique odores; qui verò pusillum habent calorem, nec sui sensum faciunt, vt vapor aquæ, & huiusmodi.

Ad 1. potest sub aqua vapor fieri, alioquin nunquam mare ex ingenito vapore intumesceret, neque ferueret aqua; vt declaratum est in quæst. de ventis. Expansus ergò ille vapor potest odor esse piscibus, si nares habent; sed tamen cum humido. Nam idem præstat aqua piscibus, ait S. Ambros. quod aër nobis. homo autem in aqua non odorat, quoniam respirare non potest: odorat autem respirando, quoniam cooperculum habet.

Item fieri potest, vt aqua affecta calidis qualitatibus odorabilium vsque ad os piscis delata, sensum illi faciat odorabilis per modum gustus, fitque prælibatio gustatiua. Nam profectò id etiam in aëre est. Vnde Ambros. gustum, & olfactum sensus nutritionis appellat. Aliquam particulam exquisitè aquarum affectus percipientem, oportet inesse piscibus. Quod autem odorent exhalando pisces, palam est. Nam transpirant, expelluntque nutrimenti excrementa non solum per foramina ani: sed etiam per totum corpus porosum, vti & nostrum. Alioquin nutritione non egerent, neque famescerent vnquam. Si ergò transpirant omnia marina animalia, & plantæ, vtique odorem sui faciunt, afficiuntque aquam affectionibus notissimis ad sensibi viuentium, non autem nobis.

Ad 2. concedo esse defluxum: sed per calorem, & cùm calore, non solorum atomorum, vt Democritus dicebat. Concedo omnes sensus esse tactus varios, vt suprà probatum est.

Ad 3. Concedo odorabilia minui, vt patet ad sensum, maximeque exhalantia odorem etiam perdere tandem. Fumus, & vapor nobis idem sunt; differuntque tenuitate, & crassitie copia, & robore caloris. Non est, quod Aristot. hic nos remouetur.

Vtrum odor ab odorabili exhalans realiter perueniat vsque ad spiritum odorantem, an intentionaliter.

ARTIC. V.

PRimam sententiam tuetur Auicenna, Plato, Alpharabius, Telesius, Democritus, Pythagorei, & omnes antiquiores; quoniam feræ saltant in aliam partem,

vt odor canibus, quâ iuerunt, non remaneat. Et serpentes odore interficiunt; & thus, & pomum minuuntur odoris euaporatione, & quia quod mouetur est corpus, & quod a corpore impeditur: venti namque aliò deferre vaporem solent, quod est corpus odoriferum ab odorabili exhalans. Non potest autem odor in aëre recipi, vt ex vapore migret, quoniam vnius rei. vnum est esse, & subiectum vnum. Idem sentit Arist. de sensu, & sensili cap. 5. in fine & in 2.

Auerroes è contra, opinatur quædam corpora rarefactione in se facta mittere odorem, vt thus; qui tamen ex vapore in aëre, tanquam in medio recipitur intentionaliter: quædam verò absque rarefactione solam intentionem odoris mittere, vt multi lapides. Nec esse de essentia odoris vaporem, sed per accidens aliquando cũ eo esse. probat suam intentionem.

Vultures ex multis miliaribus veniũt ad odorem cadauerum, & Tygrides ex quingentis venere ad prælium Græcorum. Odor autem multiplicatur sphericè ex corpore odorabili, vt & sonus, vt patet, cuius centrum est odorabile. At si multiplices sphericè per quingenta miliaria non poterit corpus odorabile, etiam solutum in tenuitatem per tanta spatia multiplicari. Patet enim quod etiam si soluantur tota cadauera in ignem, tanta spatia occupare non possunt: vel oportet concedere corpus posse attenuari, ita vt accipiat ampliores dimensiones, quam ignis, quod est impossibile; nil enim igne tenuius, præsertim elementatum elemento nunquam tenuius.

Si corpus subtile est odor, miscetur aëri, vel non: si miscetur, tunc cum eo pertinget ad nares, & sine medio tangendo sentietur, & odoratus erit quidam tactus, quod Aristot. negat. Si non miscetur, vel aër sibi cedit, & tunc spatium quingentorum semidiametrorum sphericè erit sine aëre, nec per consequens ibi animalia possent viuere, sicut nec in forti fumo absque aëre; vel aër non cedit, sed penetratur ab odorifero vapore, & tunc dabitur penetratio corporum, vel multiplicatur in aëre odor realiter. Et tunc elementum simplex esset subiectum qualitatis secundæ, quod est impossibile. Ergò est in medio tantum intentionaliter, vti color in diaphano, & non realiter,

3. Quoniam si realiter hoc fiet ob rationem Auic. qua per corpus incorporeum non moueri, neque impediri putat. Sed hoc potest eludi, quoniam sonus impeditur, & mouetur, non tamen est corpus.

Item nec mouentur propriè sonus, & odor, sicut nec color, sed impediuntur, quoniam sunt minus spirituales, quam color, quem ventus non adducit.

Ad argumenta Auicennæ concedit, quod per accidens ratióque non per se vaporatio est cum odore: odorem verò esse qualitatem spiritualem in eo.

Sed contra sunt Apocalypseos & Leuitici autoritates, quæ fumos odoramenta vocant, Item Ambros. Hexam, lib. 3. cap. 8. *Odor, ait, longè, latéque spargitur, cuius suauitate replemur*, Et in 6. cap. 9, sic factas esse nares docet, vt non perfunctoriè, idest intentionaliter, Odor transeat, sed diutius inhæreat, & cerebrum, sensúsque pascat.

Item plerúmque quod odoratus fueris, toto die tibi spirat in naribus. Et in 2. lib. de Abrah. c. 8. probat spiritum sentientem etiam nutriri odore. Et S. Bernar. serm. 60. super Cant. odore florentis vineæ fugari serpentes. Palam ergò reali, non intentionali. Neque enim nutritio, & fugatio ab intentionibus est.

Præterea si intentio est iudicium de re, palam est, quod non in aëre, sed in anima est. Odor autem in aëre, & in naso. Si verò intenti est instabilis realitas; tunc & in vapore, & in foramine nasi, & in spiritu, realis erit, & tenuis, non autem intentionalis, nisi hoc modo, quo & nos concedimus. Auer. Tex. 76. vocat esse intentionale extraneum, quoniam ibi non habet causam conseruantem: At sic etiam frigus in aqua, & aëre erit intentionale, & calor in terra, & lux in aëre, quæ tamen sancto Thomæ, videtur realis, quidquid dicunt reuertitur realitatem, Vbi enim realiter agit, ibi & realiter est, Agere enim præsupponit virtutem actiuam, & virtus actiua præsupponit esse, & essentiam realem.

Calor

Calor autem in aqua,& frigus in aëre,agit realiter:sic odor in naso,& lux in aqua, ergo fictio est illa intentionalitas. Quod autem Auerroës per accidens esse dicit,vt vapor sit cum odore,nos dicimus per se,neque enim odor est nisi calidus vapor. Lapides autem non mittere odorem,nisi & tenuitatem palàm est,omnia enim calida poros habent,transpirantque:calorem autem, sine sua tenuitate, non nisi calefacere dicimus,cum ea verò etiam odore afficere,immutat enim odor non solum vires spiritus, sed etiam dispositionem,& in hoc ab Auicenna discedimus,quoniam putat odorem esse qualitatem aliam à calore:nos eundem,sed qualificatum in tali materia.

Ad primum Auerroïs,dico,quòd si intelligit esse reale non permanens, quale est frigoris in aëre,& caloris in aqua,vocandum esse intentionales,tunc concedam omnes sensationes intentionales esse in medio : sed tamen in spiritu sentiente reales,quando permanent in eo,vt puta,si odore nutritur,& calore remanente fouetur tactus , & sapore aggenerante nutritur caro.Etenim & bouis rapas comedentis,caro sapit rapam, vbi verò non permanet,dicam intentionale,sed hoc potius accidit in medio, quàm in anima. Verùm hoc euenit , quia non tantum agit, quantum opus est,vt immutet medium prorsus. At quoniam S.Thomas lumen in aëre reale ponit, licet non permaneat : ego idem de cunctis fateor ; dicamque reale permanens,& non permanens, intentionem verò Animæ in iudicio pono tantum,quatenus Primalitatibus constat. Ad rationem Auerroïs dico vultures tam à longè venisse ad bellum tractas ab odore ventis ad eas impulso pro nunc: in tertio enim de Sensu Rerum à communi sensu, & ab internunciis, non à solo odore posse trahi doceo,nec multiplicatio odoris est sphærica,vt putat,sed recta. Calor enim sursum tendit:quapropter si rosam super nasum ponis non sentis odorem, si verò infra, etiam pedibus,sentis. Odor est virgula fumi,non sphera fumi,vt habes in Cant. Salomonis ; & thus mittens odorem , ostendit. At quoniam totus aër continuò mouetur ad omnes partes odor fertur : maximè autem ab ortu in occasum , vbi montes non intercœdent ; sed maximè quò ventus ducit : sonus in spheram multiplicatur,quoniam est motus aëris non vapor alienus tendens ad cognatum ignem:lux verò quoniam vndequaque est actiua,vt sui diffusiua sphericè lucet,non sic autem vapor. Imponunt nobis Peripatetici tanquam asinis quidquid volunt,nisi examinemus dicta ipsorum : Nec oportet fieri igne tenuiora cadauera,quoniam non sphericè fit odor,nec expansione sui, sed ventorum vi tam longè feruntur,& aëris vndatione.

Ad secundum,dico misceri vaporem aëri, & cum eo tangere spiritum odorantem, nec modò esse quendam tactum,sed quendam gustum ipsum olfactum , quidni ? sic docuit S. Ambrosius,& Basilius,& Lactantius,& ratio ipsa, nec Aristoteles intentiones posuit,sed realitates pro obiectis sensuum,si bene legis,& euaporationem realem odoriferam intra cerebrum ducit in Tex.5.de sensu,& sensili. Nec si cederet aër, vita animalis periret in illo spatio,nisi sit grauis odor, noxiusque , vt in Agnana. Vapor enim aër est, Datur & penetratio rari à raro in raritate , non in soliditate.

Item odor est calor,potestque aër esse eius subiectum , imò secundæ qualitates sunt primæ refractæ.

Ad tertium nihil dicit, nam sonus est corporis motus,impeditóque mobili ipse impeditur:lux verò ab opacitate non à corpore impeditur , nec enim à vento. Vtrum incorporea moueantur,alibi docuimus.

Vtrùm odore nutriatur Animal, & inspirato aëre quadam vel omnia.

ARTIC. VI.

AFfirmant Pythagorici,contra quos Aristoteles de sensu,& sensili cap. 5. sic arguit. 1. Oportet cibum esse compositum,sicuti quæ cibantur animalia : vnde & excrementa mittant illius. Odor autem simplex est: ergo non nutrit.

2. Aqua sola immista non potest nutrire,oportet enim corporeum esse aliquid constituendum : ergò multo minus aër corpulentum fieri potest.

3. Locus cibi omnibus animalibus eſt in ventriculo, at odotabilis ſenſorium eſt in capite; & cum ſpirituoſa euaporatione intrat odor ad locum ſpirituum. Confertque ad ſanitatem in cerebro, non ad nutritionem.

Eaſdem rationes adducunt de aëre Peripatetici.

Et quoniam ſimplex eſt elementum.

Et odor intrat intentionaliter.

SED Contra eſt S. Ambroſ. in Hexam. 5. c. 1. docens: *Non modo animalia, ſed & plantas, omnéque ſatus terræ æthereo ſpiritu ali.* Item lib. 6. cap. 8. *factas ita eſſe nares* declarat, *vt odor non perfunctoriè tranſeat, ſed diutius inhæreat, & earum ductu cerebrum, ſenſúſque depaſcat.* Et paulò poſt de gutture loquens, *vitale commercium ponit inter aërem, & ſpiritum noſtrum, eo nempè nutritum viuificatúmque.* Item docet lib. 5. cap. 4. & in 2. de Abrah. cap. 8. *Odor,* ait, *& guſtus vitalis vſus videntur neceſſarium præbere miniſterium. Nares iugi afflatu aſpirationem recipiendo vitalem continuato quodam ſubſtantiam hominis cibo paſcunt &c.* Vitalem ſubſtantiam vocat ſpiritum ſenſitiuum ipſe Ambroſ. vt ſæpè ex dictis eius oſtendimus corporeum ex ſanguinis vapore factum, vel refectum; vti ex Moyſe accepit. At in lib. de Noe, & Arca c. 6. id pluribus docet, vbi de ſpiritu corporeo in nidis ſenſuum operante, meminit; naréſque attractioni aëris deſtinat: & tandem *nidi ſunt*, inquit, *viſcera pulmonis, & cordis, ſpiritus quidem noſtri hoc eſt eius, quem carpimus, & quo alimur in hac vita eſt pulmo ſanguinis autem, & ſpiritus cor, huius pulmonem miniſtrum.* Doctiſſimè ſanè. Idem docuit Lactantius diſputans contra Varronem, qui nos aliam negabat habere Animam quam ſpiritum aëris pulmone attractum; docens hunc eſſe alimentum Animæ ſenſitiuæ, & præter hanc ineſſe nobis intellectualem à Deo inditam. Quod & S. Ambroſ. cap. 25. eiuſdem libri ſatius explicat, & ſanctus Auguſtinus non ſemel, & Virgilius ait, *Veſcitur auræ.* Et Hippoc. & Galenus, Democritus, Orpheus, Homerus, & quicumque conſiderauerunt naturam in ſe ipſa. Videmus enim laſſos, languidoſque odore vini ſtatim refocillari, & coquos, & Aromatarios, res quas tractant, licèt optimi ſaporis, haud appetere, quaſi odore continuo illarum ſatiatos. Famelicus ad odorem allatæ carnis reuiuiſcit, & hoc syncopem patientes alit Hipp. quo & Democritus moribundus vitam per tres dies prorogauit, teſte Laërt.

Quapropter ſpiritum vitalem, quem & ſenſitiuum vocat Ambroſius, nutriri aëre, & odore, nedum ſanguine, vti & ipſe docet, ambigendum non eſt. Videmus etiam in paludoſis habitantes, macie, & pallore confici, ſub ſalubri autem cælo habere ſe optimè, cum de peſte loquemur, amplius id patebit: facilè enim tenuis, puruſque aër in noſtri ſpiritus naturam conuertitur, reficitque. Craſſus verò difficilè, & ſua craſſitie, & fuligine ſpiritum grauat, tingitque.

Ad Ariſtotelis primum reſpondetur, quod aër haudquaquàm partes ſolidas nutrit, neque humidas, ſed tantum ſpirituales, quibus eſt conſimilis: ſimiliter odor: nec oportet cibum eſſe miſtum, ſed minus robuſtum, nec prorſus contrarium cibato: non enim terra nutrimur, quia nimis contraria, neque igne, quia & contrarium, & robuſtum; neque calce, aut cicuta, aut ligno caſtaneo, quia robuſtiora ſunt, quam vt in noſtram mutentur ſubſtantiam noſtris viribus, bos autem manducat, & arboris ramos. Equus hordeum, & paleam, Leo carnes crudas, quoniam eorum calor his immutandis aptior, validiorque, & quoniam omnis immutatio fit à calore; calor autem coquit, & in coctura partes aliquæ exhalant: Idcircò videtur cibus eſſe debere craſſior cibato, non tamen ſic eſt: nam caro columbina mollior eſt humana, eiuſque mollitie caro, duritie oſſium, & neruus, tenuitate ſpiritus nutritur in ſequeſtrationibus coctionis. At ſi quid ſpiritui ſimile eſt, vt aër, non oportet fieri ex vapore craſſorum entium, ſed ſtatim paruo negotio inuertitur in ſpiritum, & ſic neceſſe fuit: continuò enim elabitur, continuoque indiget alimento, excrementa aliqua credo à ſpiritu emitti, ſi vapor eſt craſſus, quæ per aures & oculos egerantur.

Sic patet reſp. ad 2. Aqua enim non nutrit partes ſolidas, ſed ſpiritus nutrit; nam in vaporem vertitur; nutrit & corporis humores, vt ſanguinē, non tamen ſatis, quoniā craſſior eſt ſāguis, cum autē aqua coquitur, haud craſſeſcit, niſi miſto cibo: ſic autē nutrire palā eſt: caro enim & ſanguis humorem habent in ſe diſſimilarem, cuius partes tenuiores eſſe,

aqueas quis neget? crassiores verò succos ciborum qui aqua & crassior fluor sunt, non enim omnis fluor est nobis ab aqua, vti Arist. cum elementum non sit, sed fluorum maximum: in bilem autem verti aquam, testatur Galenus, & in spiritum, quo crassior erat, quis neget? solus ignis, & terra non nutriunt, quoniam excedunt virtutem animalis; vt dictum est prius: quoniam sunt elementa: cætera elementata, horúmque castigationes.


Ad tertium, benè Aristoteles fatetur ad spiritum ferri odorem, cuius subitam refectionem si considerasset, nutriri eo spiritum dixisset, & non confortari solummodo cerebrum; illa enim confortatio spiritus est auctio, & viuificatio: cerebri autem non nisi humectatio, aut exsiccatio. Hic textus intentiones Auerroisticas eludit. Ratio ista conuincit, quod totum animal aëre non nutritur, non autem quod spiritus, cuius mensa non in ventre, sed in retiformi: olla autem communis toti est venter.

At Plinius meminit Astomorum hominum, qui solis odoribus viuunt, alii idem Chameleonti tribuunt: alii Phenici, potest etiam probari ex historia Fulgosii, qui plures homines non miraculosè, sed naturaliter absque cibo per sex menses solitos viuere narrat, alios per annum, & experimentum fecit in vno Carolus quintus Imperator; & nouissimè Andreas Doria, Princeps, in quadam fæmina domi suæ, quam Medicus Fusconus obseruasse se narrat, quid dicemus ad hæc?

Resp. non posse absque miraculo Eliæ, & S. Catharinæ Senensis, viuere animal absque solido cibo: etsi enim spiritus vitalis ex aëre viuat, vtcumque tamen oportet solidas partes continuò imminutas exhalationes caloris in tenuitatibus refici: humores quoque, in spiritum, & in carnem vertuntur: hoc autem nequit absque cibo fieri, puto tamen esse quosdam adeò siccæ naturæ, quorum nerui, & caro, ita consolidati sunt, vt nulla ferè exhalatio fiat, & cum creuerint ad statum ætatis, tunc cibo modico, vel nullo indigere, quoniam aëre nutriuntur spiritus, qui exhalant; de solidis verò partibus, quasi exhalat nil, ideo &c. At si laborarent, puto cibi appetentes reddi, necessariò enim sic transpirant.

Item puto dum augentur corpora eorum, necessariò indigere solidis cibis, quapropter nego reperiri astomos plinianos, qui ab exortu ex vtero semper florum odoribus pascantur: hoc enim impossibile; nisi nascantur cum corpore grandi, & quod amplius non augetur: idem dico de Chameleonte, & Phenice, non posse nutriri solis odoribus, & aëre, nisi vbi desinunt augeri corpora, ac laborare ad lassitudinem. Aristoteles autem crasso modo naturas considerauit, verba verò tenuissimo.

Post hæc, facta piscis, quem vocant Saracum, anatomia, inueni nares instar auium propè oculos; asseróque non gustus organo, sed proprio odoratu tenuitates aquæ, transpirationibus odorabilium mistas affectásque vt suprà.



QVÆST. XLVIII.

DE VISV.

Vtrùm Visio fiat vidente Anima aliquid extramittendo, an intro admittendo; an excitatione, & sympathia.

ARTIC. I.



PRIMAM sententiam tuetur Timeus noster, & Platonici multi, atque Galenus: secundam Peripatetici, ac nos ex parte: tertiam Plotinus, & Iamblicus.

Primò probatur prima. Res visiles plerúque stupidæ sunt se ipsas ad sentientē animā deducere non potētes, vt lapis, & lignū. Anima verò est mobilis viuida se se ad rē

visibilem dirigens: ergò consentaneum est magis, quod anima aliquid emittat ad videndum lapidem, quàm quòd lapis in animam.

2. Agens est nobilius patiente: si fiat visio introadmittendo, tunc lapis erit agens, & Anima patiens, illoque ignobilior.

3. Oportebit dare triplex esse lapidi. Aliud in se, aliud in medio aëre, aliud in oculo; & tres causas actiuas huius triplicis esse. At si fiat extramittendo non multiplicantur esse absque necessitate: nec oportebit fingere, & inuestigare causas illas actiuas, cum nos sensum agentem negauerimus, vti & S. Thomas, & Peripatetici meliores.

4. Oculi sunt in animali sicuti sol & sidera in cælo, teste S. Ambros. Oculus autem cæli, vt videat, mittit radios: ergò & oculi nostri similiter.

5. Idem S. Ambros. super Psal. 118. in Iob, ait, *Oculorum radij virtutem quandam videntur infundere his, qui eum fideliter videre desiderant.* Et S. Bernard. in serm. de vita, & sensibus Animæ ait, *Odoratus, & Auditus videntur remota sentire; sed ad se magis quem sentiant aërem videntur attrahere. Visus autem non est ita: sed magis ipse exire videtur.*

6. Nos quoque in quæst. 45. contestati sumus exire radios ab oculo: nam cum expergiscor, aut oculos contrico, lucem video; & argumenta, & responsiones Aristotelis ibi confutaui: nam manifestè cati emittunt lucem in nocte vsque ad oculos nostros in tenebris penetrantem: nec mures viderent absque luce aliqua; ostendique rationem Aristotelis, putantis à tenebris posse lumen illud extingui, aut ab aqueo humore, qui in oculo, non permitti, variam esse.

Emped. positio. 7. Empedocles imitationem naturæ esse artem dicit. Nos autem solemus laternis includere lumen corneis, vt noctu videamus: sic pariter inclusisse naturam oculis, cornea rectis membrana, lumen oportet: illoque exiliente videre Animam.

1. Sed primò contradicit Arist. de sensu & sensili cap. 2. Impossibile videtur vsque ad astra aliquid ex oculo prodire, cum illa spectamus: ergò idem in cæteris.

Arist. cõt. Plat. 2. Quoniam Plato coniungi lumen solis cum lumine oculi extra dicebat, vt per communionem fiat visio, arguit Arist. sic melius foret in principio oculi fieri istam coniunctionem, quam longè ab eo.

3. Itē lumen lumini coniungi est impossibile: non .n. quidlibet coniungitur cuilibet

4. Nec interius exteriori, quoniam membrana interest.

5. Sine lumine non potest fieri visio, ergò motus, qui fit in eo, quod inter visum, & rem visam facit videre, siue lumen, siue aër sit: patet autem, quoniam intra oculos aqua perspicua, & luminis receptiua, quod interius oculi. Ideò vulneratis circa tempora accidit fieri tenebras, tanquam lucerna extincta; eo quod quasi laterna quædam abscissum fuit perspicuum, & vocata pupilla.

Arist. positio de visione. In secundo verò de Anima docens quomodo fiat visio, ait, aërem attenuari à lumine, & tunc color mouet diaphanum, puta aërem: ab hoc autem continuò existente mouetur sensorium, &c. ita concludit in Tex. 73. difficultates autem necessarias tangit nullas, se totum in verba distillat.

SED Contra hanc doctrinam sunt argumenta fortissima.

Primò, quoniam non docet nos quis extrahat formas sensiles, deferátque ad sentientem Animam: quomodo enim lapis piger mouebit aërem, aut speciem causabit? & quis multiplicat illam speciem? & quomodo in oculum aër attingens introducit speciem. Aër enim non intrat, ergò adhuc fiet visio extramittendo, & tangendo, quod non vult Aristot. Hic adducunt sensum agentem, nec docent quomodo spoliet lapidem simulacro, aut quomodo generet ex eo simulacrum: sed quomodo in actum sentiendi post speciem genitam currat: quod friuolum: si enim potuit lapis speciem producere, potest & mouere. At Aristoteli aër mouet specie affectus: sed quomodo aët oculū commouet, & subeat, nihil docet, nec potest, & Gandauensis, & Niphus in superfluis occupantur. Verum si species illa potest, vt Alber. & Niphus dicunt, tunc nec intellectu agente indigebimus. At quomodo producitur à lapide? ille ait, à forma, vt forma, non vt in materia: vide duritiem, quasi forma lapidis fit in actu productionis suæ speciei sine materia. Alter ait, quatenus est instrumentum Dei, ecce ignorantiam, numquid facient aliquid, nisi quatenus instrumentum Dei? At in physicis vltra suum esse nil fa-

ciunt, nisi miraculosè à Deo moueantur, non ordinario influxu. At nunc nullum est miraculum: nec physica ratio probat posse lapidem materialem producere speciem intentionalem: alioquin ab omnibus fieri fingerem omnia, saluando dictum, quatenus Dei instrumenta.

Sed Plotinus in 4. Ennead. vrget pro sua positione, quæ & has destruit. Putat quidem congenitas rationes sensiles animæ esse cunctas notionaliter, ac à rebus excitari eorum notitiam, sicut à chorda liræ sua contemperata excitatur: & amicus cogitans quæ amicus; & sonans alios ad sonum mouet: non ergò patitur Anima à rebus, sed spiritus animales, atque corpus pulsari realiter, & tunc statim animam excitari, & spiritus vegetare aliter, & alias ignotas formas edere; & hoc esse sentire, non autem pati, sed agere. Idem tuetur Aphrodis. in problem: quærens, cur pueri à sonis exhilarantur.

Primo probatur, quoniam si forma visibilis in oculo imprimeretur, tunc non oporteret vltra visibile illud intueri, semper enim erit in actu: hoc argumentum adduxi cum probarem, non fieri sensum informatione.

2. Non cognosceremus spatium intra nos, & cælum, nec distare putabimus, si in oculo est cæli species.

3. Nullum visibile apparebit grandius oculo.

4. Non videbo lapidem, sed lapidis formam in me, & non in lapide, quod est contra experientiam.

5. Videmus igniculum à longe in nocte, & spatium interceptum, quod tamen non multiplicat speciem.

6. Canes remotissimas odorantur feras, & Apes mella: & formicæ, & conchæ, escas, & Torpedo stupefacit manum per longam virgam: hæc autem fieri non possunt per speciem: non enim per tantum spatium, & sphericè tam paruæ res species suas multiplicant: quod autem ait Auer. posse intentionem multiplicari, friuolum est. Intentio enim Auerroïna est realis, nec differt à reali, nisi quia hæc permanet, illa non permanet, cum in subiecto sit extraneo: sicuti frigus in aëre, & color in iride, qui tamen est lux fædata, & frigus illud est verum, licet in subiecto haud sui conseruatiuo: quomodo autem fit tam paruarum rerum multiplicatio per quingenta miliaria, vt ipse arguit etiam contra Auicennam.

His, credo, Galenus motus considerationibus reuertitur ad Platonem; sed cum non posset luci dare modum deferendi res visibiles, existimauit spiritum ab oculis exilire, qui alterat aërem exteriorem, obiectumque sic sentiri faciat. *Galeni positio.*

1. Probatur primo, quoniam oculus menstruatæ afficit speculu, & pueros fascinat, necatque: & Basiliscus visu perimit animalia; vt & S. Ambrosius testatur: & lupus aufert vocem ei, quem præuidet: hoc autem non fit, nisi quid reale extramittatur: ergò spiritus visiuos, hi enim ministrant cerebro sensationem, & optici nerui forati sunt, vt sint illis via, nunc non habeo ad manus textum Galeni, nec Telesium.

Ista tamen opinio facile percutitur, sicut Democratica, qui à rebus atomos proficisci, & ordinarè conformatos formas rerum vsque in oculos deferentes, docuit. At si sic fieret, profectò visus à multis lapis minueretur tot spoliis emissis. *Confut.*

2. Item qui fieri potest, vt ordinatè emittantur?

Item à quo educuntur, cum non detur causa agens Democrito.

3. Item à ventis intermediis facilè aliò transferrentur, nec fieret visio.

4. Item nunquam fieret eadem, & æqualis, sed destructa variis modis, prout agitatio aëris, & auræ confundit atomos simulacri textura sparsos.

5. Item ad cælum tenuia euolarent: magis autem Galeni spiritus tenuis, calidusque cælo cognatus: nec ad corpus redire vellet, nec posset.

6. Videtur & à membrana impediri, ne exeat.

Et flante vento auferri; corporeus enim est.

1. Tandem Auerroïstæ arguunt pro sua positione.

Primo calor est est per se sensibilis, vt homo per se visibilis: ergò causat suam speciem & operationem in sensum. *Positio Auerrois & ration.*

2. Præterea aduenit noua relatio in sensatione: ergò accidit aliquid noui visui; vel colori: non colori: ergò visui. Hoc verò aut substantia, aut accidens, non substantia, quoniam non potest esse immediatum fundamentum relationis: ergò accidens: non physicum, quoniam non potest fieri absque nouitate materiali: ergò intentionale; vel causatum ab obiecto, vel ab anima sola, non ab anima sola, quoniam idem non est agens & recipiens: ergò ab obiecto; vel simile, vel dissimile; non dissimile quoniam non duceret in illius notitiam; ergò simile; ergò deriuatur ab obiecto, vt illius affectus per actionem in medium, & in animam.

3. Medium colorari à viridi arbore, & parietes ab eo patet, ergò species emittitur ab obiectis.

4. Imago in speculo facit videre, sic in oculo receptiuè.

5. Impeditur odor in medio à ventis: ergò aliquid procedit ab obiecto.

6. Fortè sensile corrumpit sensum: ergò agit.

7. Fortis sensibilis remanet impressio in oculo, vt cum solem intuemur, aut purpuram splendidam: ergò recipit.

Horum rationes quædam conuincunt. Nihilominus instant Prospectiui pro Platonicis.

1. Quoniam si acus in terra ante oculos cadat, non cognoscetur ab oculo statim; quod fieri oporteret, si eius species ad oculum deferetur per se; sed oportet diu spectare, & oculos conuoluere, quousque radius oculi incidat in acum, & tunc videtur.

Videmus etiam quædam refractione, forma autem visibilis non refrangitur, sed radius: ergò oculi radius est visionis causa, & non species. Vnde Arist. in 3. Meteor. de Iride rationem reddens, ad visionem extramittendo recurrit, cum per intromittendo à refractione redargueretur: oporteret autem vel nihil refractione videri, vel omnia videri etiam retro nos posita, species enim multiplicatur in aëre sphericè ipsis Peripateticis.

SED Contra videtur Ieremias cap. 9. Mors, dicens, introiuit per fenestras: quod omnes exponunt per oculos, & sensoria per quæ delectabilia, noxiaque intrant obiecta: ergò aliquid recipiendo fit sensatio, & visio: quod spiritus non egrediatur, vt Galenus docet præter dictas rationes, testatur S. Ambros. in lib. de Noë cap. 6. vbi duplicibus vinculis spiritum animalem, & animam rationalem à Deo coërcitam fuisse in corporis fabrica docet, ne egrediatur. Spiritum autem, qui egredietur, non reuerti testatur Dauid in psal. 102. & ratio naturalis: neque enim ignea tenuitas in lucernam, aut intra lucernam regreditur, sed cognatum petit cælum. Quod autem receptio ista sit realis, palam est, quoniam omnes sensus recipiunt, aut Tactus, Gustus, Odoratus, Auditus sentimus enim in nobis recepti odoris, & saporis, & caloris, & soni præsertim vehementis affectum: ergò idem de oculis existimare licet: nam à luce nimia. & coloribus viuidis, ita offenduntur, vt diu eosdem in se habere videantur, vti & Alexander, & Auer. notarunt; quod realiter non intentionaliter fieri eos docere debuisset.

Præterea in speculo recipitur imago; si autem vis visiua inesset speculo ibi videret eam: cum autem in oculis rerum imagines præsententur, haud dubium, quin spiritus visiuus per illas cognoscat: oculus enim mortui recipit imaginem, quod expertus sum, sicut speculum, non tamen videt, non quia radium non emittit, sed quia spiritum non habet, qui illa afficiatur imagine, lumen autem tinctum rerum imagine esse id, quod videtur, & intrare in oculos, sequenti probabitur articulo; & autoritate S. Anselmi, neque species intentionalis vlla per se coloris fieri potest, neque intrare, vti Peripatetici putant: qui nec qui intret, docuerunt.

3. Ipsa tandem oculi constructio admonet visionem fieri recipiendo: sufficeret enim foramen vnum ad emissionem radij vel spiritus: nunc autem amplus est oculus, pluribus humoribus tunicisque contextus, ad receptionem aptatis, & multiplicationem lucis subeuntis, ideoque & dilatari, & stringi vuea apta ad modicum multumque lumen, vt in textu docuimus: si Galenus putat lumen esse corpus, & spiritum, inferius impugnabitur in libro tamen de Placitis Platonis, & Hipp. incorpoream facit lucem.

Nunc Resp. ad singulorum opinionum argumentum, & primò ad primum primæ.

Quod nulla res materialis, passiuaque per se sentitur, quoniam sui in anima causare

similitudinem non potest; sed copulata cum actiuis sentitur per accidens. Lapis ergò etsi quatenus coloratus posset aliquid, non tamen potest: color enim eius languidus est. Itaque non ipse se manifestat nobis: sed lux ab eo dissiliens, eius imaginem nobis refert vsque in centrum oculi crystallinum; Aristoteles autem nullo pacto huic rationi respondere potest, vt in sequentibus articulis probabimus: ipse enim per se sentiri omnem colorem, & communia sensilia asserit: ergo & figuram, & magnitudinem: quod impossibile est: nec qui sentiantur docuit.

Ad secundum lapis non agit in animam, sed lux tincta colore, figuráque lapidis: lux autem neque in intellectiuam agit, sed in sensitiuam, quæ est spiritus tenuis, lucidusque, mobilisque, vt S. Ambros. & S. August. & Lactantius, & Telesius, & Plotinus, & omnes Philosophi meliores docuerunt: spiritus autem potest etiam de sensibili iudicare, & æstimare etiam in animalibus, vt patet. Animus autem intellectiuus ex iudicio spiritus informatur, non ex passione illata à corporibus exterioribus. Iudicium autem fit quatenus Primalitate contractè participat spiritus, & in hoc conuenit cum intellectu amplè participante: & sic nullum sequitur inconueniens, quoniam à simile annunciationem, non passionem nisi in eo suscipit. Aristoteles huic argumento non potest respondere, licèt adducat intellectum agentem, vt infra docebimus.

Ad tertium, subitò patet nobis responsio: esse enim in aëre, & in oculo datur colori à luce colorata. Lucem autem sui ipsius multiplicatiuam esse, palam est. At Arist. nunquam soluet hanc rationem, quamuis sensum agentem adducant Auerroïstæ: nam illo vtuntur solum intra oculum, vt fiat visio: quomodo autem producatur species intentionalis non dicunt: sed Niphus confugit ad Deũ, diffidens Physico dogmati Aristotelico contra quem dicti sunt multa in hoc articulo, & alibi: similiter, & Alberti explosa est responsio, quæ etiam si veræ essent, nec sufficiunt: non enim dicunt, quis speciem introduxit in oculum: nam etsi Niphus lumen intrare, & Auer. in de sensu & sensili, dicat, non tamen quo pacto intrat color dicunt: nec lumen cum sit reale possunt introducere reuerà, cum illis solæ intentiones introducantur: quare coactus est Egidius ponere lumen intentionale: similiter Scotus: quod S. Thomas negat, & rectè. Neque Arist. à luce, sed à colore vel medio, organum visus moueri docuit: sed quomodo ignorauit.

A 14. concedimus cum Platonicis, & S. Ambrosio, & Ptolomeo, oculos instar luminarium in magno animali, esse in paruo: quod & S. Bernardus pulchrè sentit. Attamen non propterea erunt per se lucidi, sed sicuti luna, & sidera, quæ accipiunt à sole lumen, ita & oculi, sunt etiam lanternæ, & Dominus Iesus dixit, *Lucerna corporis tui est oculus tuus*, sicuti autem oculus intellectualis indiget lumine diuino, vt docet S. Aug. & Bernar. ad intelligendum, qui est intellectus agens, vt Ambr. & S. Thomas, & Greg. Nyssenus admonent, & non ille fictus Aristotelicus. Sic ait Bernar. super Cant. Serm. 31. *Oculus corporis indiget lumine Iesu, oculi primi corporis, ad sentiendum corporalia, quem & spiritum vocat Salomon.*

Ad quintum quapropter Resp. inesse spiritum oculis, lucidum, eiusque radios etiam foras emitti, vt ego experior in me noctu, & Tiberius Cæsar. Attamen non sufficiunt ad illuminandum obiecta, neque ad sentiendum, nisi intro ad spiritum sentientem ex obiecto reflectantur: spiritus enim sentit: lux verò sola non consentit, nisi cum spiritu: Proptereàque Galenus emittit spiritum: at sensum fortè ipsa separata separatum habet, vt in 3. de Sensu rerum docuimus: Nec puto blattas, & pulices, & lepores, & vespertiliones tenebris videre, sed languida aëris luce, nobis inuisibili, qui spiritus fortiores habemus: sunt enim homines debiles oculis, qui magis vident in solis absentia, vt mane, & sero, quàm in die: feles autem emittere lumen ex oculis palam est; forte & illo vtuntur ad venatum murium. Concedo etiam homines, & omnia alia aliquam lucem emittere, quæ faciat symbolum cum exteriori, & intus fieri visionem per speciem ingredientem, nemo ambigat: hanc autem lucem oculorum efficacem esse intuemur, cum aliorum oculos nostrorum oculorum acie ferimus: qui enim viuacior est afficit, maximè autem si ipse est in luce solis, & alter in vmbra, roboratur enim lumen suum rectum lumine solis ex suo oculo reflexo, ita vt scintillare videatur, & alterius vrere lucu-

lam. Puto etiam animam nostram esse vbi amat, & vbi intuetur per communicationem Primalitatum, non per emissionem suæ substantiæ, aut actionis: & sic sancti Augustini, & cæterorum Doctorum dicta conciliantur: & Plato non delirat, vt putat Aristoteles. Nam & ipse intus fieri iudicium docet in Timeo: communicationem istam multis experimentis probauimus, de sensu aëris loquentes in 3. de Sensu rerum, & in Metaph. S. Bernardus intellexit à visibilibus magis nos oblectari. Ideoque trahi extra nos; vt amans in amatum. At de hoc alibi: igitur, &c.

Ad sextum benè diximus in quæst. 38. & tu vide: non tamen propterea fiet visio, nisi quid recipiat oculus.

Ad septimum: igitur peritè loquitur Empedocles: nam idem habes in Euangelio: non tamen propterea exteriori luce non indigemus: sicuti neque anima Deo non indiget: licèt oculum intellectus habeat in se; neque adeò stupidus fuit Empedocles, vt noctu nos non videre nesciret solo lumine nostræ lacernæ: sed sic loquutus est, quoniam simile simili cognoscimus: ergò igne. Omnis autem color, & lux ignis est, vt Plato ait. Ideo à solo oculo cognoscitur, cui ignis noster inest. Vnde Bern. ibidem dixit Oculum tunc visurum esse solem in se, cum factus fuerit illi simillimus: nunc autem quia similis ex parte, videt solem ex parte: quem alij sensus non similes vllo modo, vident nullo modo: similiter & Deum videbimus sicuti est, vt dixit S. Ioannes; quando similes Deo facti fuerimus: nunc autem ex parte. Indoctissimè ergò Arist. tribuit aquæ, tanquam inimico ignis, oculi essentiam: humores enim illi calidi sunt, perspicuique, ignique persimillimi. Ideo in eis lux exhilaratur, & augetur: vide quæst. 35. exilit ergò lumen spiritus ex syncipite in oculum, vt luce solis cognata fruatur, & foras, vt symbolum faciat, celebreturque visio; non tamen foris, sed introducta luce rebus visibilibus affecta, suúmque spiritui lucido affectum communicante.

Ad rationes Aristotelis quatenus nobis officiunt. Resp. ad primam, spiritum non vsque ad astra emittere lucem, sed paulùm extra oculos.

Ad secundam & tertiam, perperam, & inuidiosè arguit: cur enim non misceetur lumen lumini, simile simili? dicat ipse: nos hanc communicationem spectamus, & ratio sic docet: & magis quam vinum vino. Fiat in principio oculi coniunctio: fiat à longe; non propterea sic fiet visio, nisi & spiritus à luce, visibilis specie tincta, tangatur, emissio lucis nostræ præparatio est Platoni.

Ad quartam, ratio indoctior est: quis non vidit ex cornea laterna egredi lumen? transpicuæ membranæ non impediunt egressum luci, sed adiuuant, quod Arist. sæpè fatetur: nunc autem studio maledicendi etiam sibi maledicit.

Ad quintam. ipsemet fatetur lumen in aqua gaudere, non extingui, vt dixit in cap. primo, & lucem inesse oculis probat exemplo: ergò retractat quidquid dixerat contra Platonem, non enim scit facere visionem, nisi vt accepit, à se autem addit motum medici in sensotium, & in hoc solo peccat, quod suum est: nam quomodo medium intrat in crystallinum oculi humorem, non dicit: nec vbi fiat visio; in crystallinò ne, an vitreo, an aqueo: & quomodo: nec quis deferat speciem ab obiectis in oculum: at de hoc posterius disputabimus, & hic dictum est: in lib. de partib. Animal. anatomen oculi non videtur fecisse. Quæ autem adiunximus post hanc Aristotelis doctrinam in argumentis sequentibus vera sunt.

Nunc ad Plotinum conuertamur. Cognitionem non posse fieri, nisi per similitudinem, dictum est, vel causalem, qua Deus est omnia, omniaque nouit, & omnis artifex opus suum, aut formalem, qua calefactus sentit calorem, cui similis factus est, aut identicam, qua omnis res cognoscit se esse, & amat: formalem autem duplicem dicimus: Aliam innatam: aliam illatam: primo modo Angeli per species concreatas dicuntur res cognoscere à S. Thoma, & fortassis à Dionysio & Augustino. 2. cognoscimus nos quãdo à rebus patimur, eisque similes facti eas cognoscimus: similitudo autem earum in nobis non est id, quod cognoscimus, sed quo, vt dicunt Scholastici, sed profectò nisi illam cognosceremus, neque cuius similitudo cognosceremus. Verum quoniam facta est nobis vnum: nos enim similes euadimus rei cognitæ: Cognitio autem nostri nos latet, sicuti & sui omnem cognoscentem virtutem illatis, passionibus, & notitijs à sui alie-

natam

natam notitia, vt luculenter in Metap. docuimus: vbi solum Deum à se nihil vnquam alienari probatum est, solumque veram perfectamque immutabilitatem, & immortalitatem, vt Apost, ait, probauimus habere. Idcircò & similitudinis, qua res cognoscimus notitia nos latet, diciturque solum, nec incongruè cognosci, vt quo, non vt quod. Id autem in Metaph. vide.

Nunc Plotinus si vult omnium rerum notiones cuilibet animæ innatas esse, sicuti de Angelis sentit S. Thomas, profectò audacter loquitur: notitiæ enim sunt similitudines. Anima autem aliis rebus est similis, aliis dissimillima: ab aliis exhilaratur, ab aliis contristatur, multasque tristabiles plus nouit, quam voluptuosas; vti pecus lupum magis, quam escam: si autem velit ipsam omnia nosse, quoniam cum omnibus rebus habet similitudinem, quatenus ex eisdem est principiis, sicuti spiritus animalis, quia corporeus afficitur à corporeis, quæ non communicant in natura, non afficiuntur mutuò: ergò neque sentiuntur: neque enim calor à linea patitur: neque pes sentit solem; sed oculus soli persimilis; tunc verum dicit Plotinus: sed tunc inspectandum erat, quæ principia sunt in quibus anima conuenit, vt cum omnibus communicet: cum etiam incorporea percipiat animus, & cum corporibus non communicet, nisi per spiritum corporeum; ad Primalitates recurrendum erat. Igitur nos diximus in Metaph. quoniam constat Animus, Potentia, Sapientia, & Amore: Idcircò omnia cognoscere potest, quoniam eisdem Primalitatibus constituuntur, aliter tamen, atque aliter; vt enim entia sunt, vnum sunt; vt hoc ens, homo, & lapis, valde differunt. Anima ergò formas rerum non habet, neque notiones, ita vt scire suum sit reminisci, quamuis hoc concedit sanctus Augustinus; sed habet quo possit cunctis rebus communicare. At quoniam Plotinus posuit vnam animam vniuersalem toti mundo, & Animalium esse participationes illius, quia illam omnisciam putauit, quia toti mundo præest, has participatione eius notitias omnium habere etiam dixit. Nos autem alias hominum, ac brutorum animas facientes, hominemque ex intellectuali, & sensuali componentes, dicimus fieri sensationem per passionem præcedentem, sed iudicio consequenti. Iudicium autem non passionem, neque actionem, sed vitalem operationem; in brutisque sistere circa sensilia: in homine vsque ad diuina ex sensilibus transcendere, posseque omnia cognoscere, non quia est omnia formaliter, vt dicit Emped. neque quia est omnia potentia, vt dicit Arist. sic enim statim sequitur, quod sit materia, vt volunt Theophilus, & Alexander ab Auerroë allegati, & Dauid dedinando à Diuo Alber. & Diuo Thoma obiurgatus, quod etiam Deum primum intellectum fecerit materiam primam: sed quia est ens Primalitatibus, licèt finitis, non tamen contractis coporaliter constans, quarum communione omnia etiam nosse potest. Sed anima sensitiua non omnia, quia contracta est ad corporeitatem. Quapropter sympathiam cũ omnibus concedo, maximè cum propriis vniuscuiusque vitæ. Alia idcircò olfacit Apis, quæ non formica: quoniam eis illa nutritur, tanquam ex similibus. Ideo benè similitudinem notionem ponit Plotinus. Pecus olfacit lupum, quoniam eius antypathia vexatur: vnumquodque ergò maximè sentit, quæ maximè iuuant, aut nocent sibi, non quæ aliis: sic calor, aut calorem, aut frigus maximè sentit naturaliter; non autem lineam, & agriculturam, nisi per accidens, si calida, aut frigida.

Ad primum valet illud argumentum contra Aristotelem, & est insolubile, si sensus est potentia, quæ informatur sensibili, vt sentiat, sicuti lignum igne, vt igniat, sicut dicit Arist. De intentionali informatione Aristoteli fortè ignota, alibi diximus, & dicemus, quod non saluet ab hoc argumento. Nos autem modica mutatione sensum fieri: cæterum discursu perfici.

Ad secundum dico spatium ratione sensitiua discerni non sensu: per spatium autem lucem multiplicari palam est: si enim quis est in luce videmus eum. Si verò nos in luce; ipse in tenebris, haud videmus; quoniam ex illa ad nos lux nulla reflectitur. At si penitus tenebræ intersint, nec vllus ignis: nequaquam spatium sciemus vllo pacto, nisi vox, aut lux aliũde nos feriat; & existimatione, vnde sit, & vsu metimur: quomodo autẽ spatiũ cognoscatur per lucis reflexiones, & multiplicationes à punctis aëris, in textu diximus,

Spatium intra nos & cælum sic cognoscimus, & ratiocinio sensitiuo, species enim, quæ est in oculo non solum cælum, sed & spatium repræsentat, vt patet in speculo: vbi nos propinquantes propinquam imaginem nostram videmus; recedentes, recedentem, & à longe: sic fit in speculo oculi nostri.

Ad 3. licèt species cæli in oculo non sit oculo maior, tamen discursus excedit cælum, ex paruo igne totum ignem metior tactu: non enim forma cæli, sed mutatio spiritus annunciat nobis de cælo, quæ perficitur extimatione subita.

Præterea nec vnica visione cælum videmus, & magnum montem, vti Galenus putat hoc argumento conuictus; sed pluribus, velocissimus est orbis oculi, & volubilis subitò, ita vt intuitum ferat subitò ad plures partes, quas etiam contueamur & licèt plura transeat, quasi vnum accipiat, vti stylum ignitum circulo motum, quasi circulum ignis iudicat, ob illius velocitatem: idem euenit oculo ex velocitate sua.

Hoc autem patet si proximes ædificio grandi, quo enim vicinior, & ad plures partes oportebit te oculos conuoluere, vt totum videas; quo distantior ad pauciores, non quidem pauciores, licèt sic videatur, sed ad minores, quoniam anguli acutiores visuales fiunt à longe in oculo: idcircò strictiores, & motiones.

Ad 4. videt oculus non lapidem, sed imaginem lapidis, aut potius se affectum lapidis imagine à luce ex eo resiliente: non tamen discernit se, neque imaginem: sed ad imaginatum lapidem refertur motus visionis quodam discursu sensitiuo innato, & per vsum confirmato. Videt, dicerent alij, imaginem, vt quo, lapidem vt quod. Et verò; hæc ratio, si quid valet, etiam contra Plotinum valet, tunc enim Anima non cognosceret lapidem extra se hunc: sed quem in se ipsa præhabebat: quid enim refert nouam, aut antiquam habere notionem in se? & quomodo potest præhabere omnia indiuidua si habet species communes, tunc non hunc, sed communem spectabit.

Ad sextum responsum est in 2.

Ad septimum, concedo sympathias, & Antipathias quarundam rerum cum quibusdam, fierique communicatione non solum vaporis, & aliarum emissionum, sed etiam sensu communi, quo in Primalitate conueniunt, aut disconueniunt: palam enim est non motu aëris; nam & aliæ laxiores mouerentur, chordam cytharæ exhilarari, ac moueri, dum contemperata ex aduersa cythara pulsatur; & de mirifico rerum consensu & dissensu diximus in 4. lib. de Magia. Quapropter verum, vt quædam animalia quasdam res magis sentiant, fieri ex sympathia, & antypathia, affirmat Plotinus, quæ est affectio ex præcedenti sensu, non tamen absque sensibili notione sentientis Animæ. Nec enim pellis ouina tympano tensa frangitur, si lupina adsit, sed si pulsetur: hoc docet sensum esse quid prius passione, & diuinius, vt ibi docuimus: loquentes tamen de odoribus in quæst. pręcedēti diximus non fieri sphericè omnem sensationem, neque intentionaliter vllam: nunc repetere non est opus.

Ad Galenum Resp. fascinum fieri per vapores ex oculi non centro, cum corneam non penetret, sed extra corneam circumcirca exeuntes: nam & malefici ibi sanguinolenti sunt: posse quoque illis visilem radium misceri, & malefacere, malitia tamen à vapore est in menstruatis, & maleficis, & in basilisco, & lupo, forteque magis ab anhelitu: de his diximus in 4. de sensu rerum, & in Metaph. vtrùm anima extra se agat imaginatione, disputantes cum Auicen. vide. Galeni dogma benè confutatum est in hoc articulo.

Ad Auer. primum negatur, quod omnis color sit per se visilis sufficienter, vt in sequenti art. 3.

Ad secundum, benè concludit, quod fiet noua relatio; sed quod in substantia possit fundari etiam probauimus in Metaph. & odor substantia est, & quod accidens sit reale, item dictum est, licet non permanens, vt frigus in aëre. Benè concludit, quod ab obiecto deriuetur, sed à quo fiat, nescit; neque stupidus, inersque lapis sui speciem producat: tota tamen ratio nobis fauet plusquam Auerroi.

Ad 3. 4. 5. 6. & 7. dicimus esse veras omnes, ac contra Auerr. probant enim

ealem esse sensationem non intentionalem, & aliquid recipi in oculo realiter: sed quomodo, ipse nescit, vt dixit.

Ad prospectiuorum primum dicimus, acum non videri obiectam visui, quoniam lux modica ab acu resilit, & nisi visus se colligat directè in illam, haud accipiet: frustrum vitri nec videmus, nisi aduersa lux ex eo in nos maior fiat. Vnde aliquando inclinati ob hoc minutias videmus, ocularibus autem quis melius videt, quoniam lux per vitrum augetur transiens à visibili ad oculum.

Ad secundum apud Peripateticos nihil potest videri refractione præsertim sidera antequam horizontem scandant, quoniam fit visio eis per speciem directè multiplicatam, species autem nulla super horizontem, vel si species sphæricè multiplicatur persé etiam non directè fieret visio, & vndique: nobis autem non species, sed lux tincta visionem facit: lux autem frangitur transiens de crasso in tenue medium, & è conuerso. Item in crasso augetur, & superius repræsentatur: quod autem in Iride Arist. dixit contra se, nouum non est; excusatur, quia idem accidit visu ac visibili emittente.

Vtrùm visio fiat in cornea, an in vitreo humore, an in crystallino.

ARTIC. II.

ARistoteles à medio moueri sensorium statuit, sicque fieri visionem: constat autem aërem actuatum colore, esse illi medium. Aër autem intra corneam non penetrat: ergo Aristoteli in cornea fit sensatio: quamuis enim Auerr. introducat lumen, vt videtur Arist. in lib. de sensu, & sensili dicere; non tamen cum species introducit. Lumen enim Arist. est disponens diaphanum, vt possit à colore actuari, non deferens speciem.

At hæc positio visa est impossibilis, quoniam videmus simulacra intra oculum, non in cornea, eademque remanere etiam visibili amoto. Itaque in somniis eadem excitari relicta in die, ipse Arist. fatetur in lib de somniis. Quapropter Arist. insufficiens, & inanis videtur: neque enim oculi fabricam docuit, nec visionis modum: sed solum dixit, quod color est aptus videri per lumen, & oculus videre: & sic fieri visionem medio à colore actuato. Neque Rustici hoc ignorarent; aut sic philosopharentur. Porrò in lib. 5. de hist. anim. vbi hoc tractandum proposuit, quod in 2. de Anim. & lib. de sensu & sensili tractandum fuit, nihil de fabrica oculorum dicit: sed ab extrinseco eos describit, vt pictor, non vt physicus.

Telesius considerans, quod obiecti dextræ partes videntur sinistræ: & quod dum vniuntur luces ab obiecto in oculum intrantes in humore crystallino confundi possunt, quoniam in conum desinunt trianguli, cuius basis est in obiecto, & dextræ luces ad sinistram cadunt oculi, ita vt reuerà dextræ, dextræ, & sinistræ, sinistræ videantur; putauit tres triangulos, seu pyramides fieri ipsius lucis, alteram à basi obiecti terminatam in crystallino: alteram inuersam interfecantibus se ibi radiis fieri in vitreo; ita quòd conus sit in crystallino, & basis in vitreo: tertiam verò à vitrei basi intra secundam in crystallinum mox resilire, sicque fieri, vt ad primam positionem redeant partes obiecti.

2. Id confirmat, quoniam crystallinus in forma lentis est sinuosus ergò vt recipiat conum pyramidis, & in vitreum alteram transmittat. Memini & apud Timeum consimilia legisse: sed non tres pyramides: nunc librum non habeo.

SED Contra Telesium est experientia: facta enim Anatomia oculi bouini, inueni post crystallinum quandam membranam opacam, quæ à vitreo distinguit, & videbatur persimilis opaco, quod vitro apponimus, vt specula imagines reflectant. Quapropter non fit transmissio pyramidis, sed vna sola, cuius est in crystallino non acuta acies, sed tantùm est imago, quæ spectatur in eo, ac persimiliter fit, vt in speculo; spiritusque lucidus sensitiuus ibidem tingitur à luce, imaginibus fædata eiusque suscipit pas-

sionem, ac proinde indicat obiectum, vnde resiliuit.

Ad primum Telesij Resp. quod dextræ videntur sinistræ, & è contra, quoniam sic repræsentantur: quælibet pars obiecti retinet situm suum pone te contra speculum, & naso tange speculum, tunc videbis alterum oculum tuum non in altero speculi latere; sed in quam respicit partem. Neque potest fieri pyramis, quoniam lux ab oculo non potest propter nasum cum luce alterius coire in conum, & facere alteram pyramidem: sicuti ergò si quis faciem in panno pollutam lauet, remanet imago eius in situ suo qualibet parte picta; at cum videtur à nobis dextra, sunt sinistra, quoniam nos aduersi sumus ad illam: sic fit in oculo, palam est enim, quoniam nec superiora inferiora videntur, quod oporteret, si fieret talis inuersio visionis, vt in speculo concauo, & in pyramide facta, cum foramen sol intrat angustum.

Ad secundum nihil est: sinus ille crystallini potest esse, vt lux magis vniatur; pisces autem rotundum penitus habent crystallinum absque sinu, quoniam in aqua maiora præsentantur obiecta.

Vtrùm lumen sit obiectum visus per se, solumque: an color: an aliquid innominatum.

ARTIC. III.

Aristoteles 2. de an. tex. *66.* obiectum visus, ait, per se est id, quod per se visibile est causam habens suæ visibilitatis: hoc autem est triplex: nam aliud videtur in lumine per se, vt color; aliud solum in tenebris, vt ligna putrefacta, & cornu, & capita piscium: aliud verò in luce, & in tenebris, vt ignis. Aliud verò videtur acquisitiuè, vt diaphanum acquisito lumine: totum autem visibile est innominatum quid sit. Quapropter non determinat Arist. verum obiectum visus.

2. Attamen ex hoc, quod colorem per se visilem facit, & de ipso tractat in lib. de Sensu & sensili, tanquam de obiecto, & lumen vult esse dispositionem medij ad colorem suscipiendum; concludunt Peripatetici multi obiectum verum esse colorem.

3. Sensile proprium positum supra sensum non facit sensationem, huiusmodi autem est color, nam lux posita super oculum sentitur, nisi tanta sit, quæ prius vrat, vt notat Simplicius.

SED Contra est Apostolus ad Ephes. 4. *Omne*, dicens, *quod manifestatur lux est.* Alius textus habet, *quod videtur lumen est*, & reuera ibi de manifestatione ad oculum loquebatur, & per analogiam de visione etiam oculi intellectualis: & S. Ambros. in Hexa. 2. lib. cap. 9. lucem videndi officium subministrare docet, esseque causam, vt omnia videantur, & laudentur. Ideoque, Deus vidit primo ipsam, quod esset bona, scriptum esse. Quapropter palam est, quod quia nil videtur, nisi illuminatum, ipsum lumen esse per se obiectum visus, & solum: quod enim per aliud videtur, per se visibile non est: similiter, si omne quod videtur est lumen; palam est, quod color non videtur, neque homo, neque lapis, neque aliud quidquam, sed lumen ipsum tinctum colore hominis, & lapidis, ac consequenter figura: tingitur autem quoniam simplicissimum est: omne autem corpus participat opacitatem, quoniam est materiale: opacum autem tingit lucem, Idcircò lux resilit viridis à viridibus, Alba ab albis: Flaua à flauis, quod in aduersis parietibus intueri licet. Propterea & tinctura super nigrum nulla: super lucem omnis, super medios colores est in simplicioribus lueeque propinquioribus ab opacioribus.

Præterea omne per se visibile est per se actiuum in visum; cætera alia à luce non agunt in visum: quomodo ergò producent speciem?

Præterea neque possunt intrare in pupillam, cum cornea, & humor aqueus prohibeant: luci autem peruia sunt, quoniam diaphaneitas eius est cognata: quoniam ergò ipsa sola agit, & ipsa sola intrat, & nihil videtur, nisi ipsa tincta: ergò sola, & per se est causa visionis, & obiectum: hoc autem S. Ansel. de gratia, & lib. arb. scribens, etiam docuit, si locum rectè memini.

Præterea non datur sensus agens, nec causa vlla potens rerum simulacra portare ad oculum,aut producere,sicuti in superiori articulo probatum est,nisi lux: ergo sola per se est obiectum.

Ad primum,nego esse triplex per se visibile,non enim color videtur per se. præsertim niger: albus verò,quatenus est lux demortua in materię crassitie,habet aliquam visibilitatem. Vnde nix in noctu,& templa albissima faciunt quasi lucem auroræ: cæteri autem colores opaco viciniores,nequaquam, nisi gemmæ, quibus ingenita est lux multa, ignis verò videtur quatenus lucidus semper: quoniam viget lux in eo: cætera verò quæ non nisi noctu lucent,vt cicindulæ,& cornu,& squāmæ,& putrida ligna,videntur, quoniam lucem in se habent:à multo enim calore, vel diuturno faciem materiæ vincente prorsus,talia facta sunt,amissoque robore remansit copia cum luce sui facie, quia tamen calor non viget,exilisque lux est,de die non videtur, sicuti neque stellæ solis luce victæ, quod & Auerr. de nitedula loquens confitetur. Hic certat Auerr. cum Themistio: quoniam Aristoteles Deus eorum videtur labascere; quippè qui dixit in noctu videri hæc, non de die. At nitedulæ color etiam in die apparet propter hoc Auer. dicit eadem qualitate videri, quæ est innominata in vtroque tempore. Themistius duplici, nam alia lux: alia color:sed istæ sunt ineptiæ: die enim videtur quasi laterna,quod intus est,& per lucem solis simul, noctu vero quasi emittens lucem,quoniam emissio nos latet in luce solis: sed eadem res est, & fulgor igneus, qui in putrefactis est minor: putrefacta autem alba sunt,macerataque diuturno calore innato, vt patet de piscibus sic,vt de gemmis,& niue,& de aqua marina, quæ noctu lucet, die verò latet lux eius in maiori luce solis.Quapropter nullum visibile innominatum est,sed quidquid videtur est lux, vt docet Apostolus.

Ad secundum,nego colorem esse per se visibilem,nisi quatenus est aliqua lux. Item lucem esse dispositionem nego,sed causam volo,& rem totam,vt in sequenti articulo.

Ad tertium,ex hoc concludendum potius erat lucem esse proprium obiectum, quoniam neque medio,neque dispositione indiget,vt videatur, quemadmodum obiecta per accidens:sensile autem non posse sentiri, nisi positum supra sensum in quæst. 35. declaratum est contra Aristotelem; & ideò non sentiri colorem suprà oculum, quoniam non est obiectum per se,neque intersit lux inter digitum,& oculum, quæ resiliens ex digito eius speciem introducat.

Vtrùm lux causet speciem, & visionem, an solummodo disponat medium, quando sentitur color, vt possit color speciem suam producere: an verò actuet potius colorem.

ARTIC. IV.

Avempaces, & Auicenna arbitrantur doctè ex lucido, & opaco componi colores in præparatione elementari. Tunc aiunt, non requiri lumen ad diaphanum disponendum, vt colores recipiat: sed ad colores actuandos: erant enim aptitudine in tenebris. Fiunt autem colores diuersi, quoniam cum luce vna, diuersæ sunt confractiones, & præparationes.

1. Probant intentum, omne recipiens debet denudatum esse receptibili: ergò recipiens colorem coloribus: at lumen est color in diaphano, ergò non actuat diaphanum medium,vt recipiat colores,sed potius impedit: ergò requiritur vt colores actuet.

2. Potest addi secundò, videmus variari colores in collo columbæ ad lucis receptionem variam: ergò lux est forma colorum,& non diaphani dispositio.

3. Sicut intellectus agens, ita est Arist. lux, sed intellectus agens dat esse intelligibile formaliter phantasmatibus: ergò & lux coloribus.

4. *Abstulit & rebus nox atra colorem*, dixit Virgilius.

SED Contra Auerroës contendit,lumen esse præparatorium diaphani ad colorem suscipiendum: negatque lumen esse colorem: itaque diaphanum non est coloratum lu-

mine;sed actuatum, ergò potest recipere colores.

1. Probatur, quoniam in transitu nubium, color arboris reflectitur à nubibus in terram, ergò recipitur in aëre color, vt dicit Alexander.

2. Color est per se visibilis, vt homo visibilis: si autem non esset actu nisi per lumen, esset visibilis per accidens, quod est contra rationem coloris ab Aristotele assignatam.

3. Color est motiuus diaphani actuati: actuatur autem luce secundum Arist. ergò &c

4. Addunt alij si lumen esset forma colorum, tunc color esset vnus numero vel specie.

5. Nec color esset formæ simplex.

6. Fierent generationes, & corruptiones colorum nulla præcedente alteratione.

7. Lumen est actus diaphani: ergò non forma colorum.

8. Color suprà visum non sentitur nisi in lumine: ergò lumen requiritur, vt sit visibilis, non vt sit color.

SED Contra vtrumque est S. Anselmus in loco allegando, docens lucem tinctam obiecti vultu intrantem in oculos facere visionem; & claret ex dictis Apostoli in articulo præcedenti, & experimentis: non ergò requiritur, vt disponat diaphanum: non causa disponens est ignobilior generante; sicuti dolatrix manifactoriá: lux autem nobilior est colore: non ergo color sui speciem gignit in medio à luce disposito, sed ipsa lux fædata est species, ostendimúsque lapides præsertim tetros nulla ratione posse sui speciem facere: quamuis in præparatissimo diaphano, cum opacitas non sit actiua: si enim ponas lapidem propè extremum foraminis, in quo lumen vllum non incidat, nec ab eo resiliat, sic autem tota domus lumine plena, totúsque aër, non emittet lapis suam speciem, nisi illuminetur; cum autem illuminatur subitò emittit. Impossibile autem est rem stupidam crassam inertémque producere tam subito spiritalem, vt aiunt speciem: sed ipsa lux, quæ à lapide resilire videtur, sola est species, quatenus illius colore fædata, proptereáque & visibilior eo est lapis, quo illuminatur ipse, non medium, nec enim si quid est in tenebra, videmus à luce, sed si quid in luce, videmus nos è tenebris, quoniam lux exiliens ab obiecto est visibile quod, & quo: fortasse hæc fuit intentio Aucenpacis: sed vt ab Auerroe narratur falsa. Non modo enim lux est in diaphanis; sed in opacis mista, & quasi demortua, quæ facit colorem, & ignis mistio id docere debuisset, manifestè quoque nix in nocte, & aula dealbata colorem ostendunt actu, licet non valde vt ad lucis præsentiam: sunt ergò colores in rebus à luce autem fiunt visibiles, quatenus ipsa eis miscetur, vt dictum est, afficitúrque non quia diaphanum actuat: sic enim potius colores actuare dicenda esset, quantumuis enim illustrato medio, dum color non collustratur, visio coloris illius non fit.

Ad primum ergò argumentum Auicennæ Resp. Auerroës, quod lux non est color, & differt essentialiter ab eo: sed fallitur, lux enim est color viuus & simplex; color est lux mortua, & opacata, mistáque vt dicemus, dicendum ergò, quod diaphanum illustratum recipit colorem cum luce: quia ipsa lux tincta est color faciens visionem.

Si autem dicas, quomodo lux viuus color tingitur mortuo colore, & quomodo si est color in diaphano lux admittit alium colorem, nedum diaphaneitas. Respondeo; hoc palam esse in Iride, & igne, vbi lux fumo tincta varios suscipit colores ob suam simplicitatem; & quidem natura rei receptæ denudata erat, non enim color tingit lucem quatenus est lucis participatio, sed quatenus opacitatis, quæ non est in luce, omnem autem colorem opacum esse, etiam si candeat, vt nix, & lac, & pagina hæc, palam est, quoniam non transparet per ipsam lux, combustáque ostendit sui opacitatem, dum tenuitate alba spoliatur. At diaphanum cuius opacitas deuicta est, lucem non tingit, sed auget, vt mox docebimus, est enim in eo candor sine sua opacitate: nec purum diaphanum est visile etiam cum luce, vt inferius.

Ad secundum, variatio colorum in collo columbæ tirè docet colores esse misturas lucis cum opaco, similiter in Iride, & de his non permanentibus coloribus, quos intentionales Peripatetici vocant, verissimum est, quod lux sit eorum actus, & delatrix, & in hoc benè dicit Auicenna, non tamen de permanentibus, qui mistione ignis, & terræ concreti sunt; sed tamen non sola actuatio facit eos visiles, sed & delatio, vt dictum est.

Ad tertium, nego quod intellectus actuet intelligibilia in nostra doctrina, sed iudicat de eis, prout sunt. In Aristotelica, conuincit hæc ratio: licèt effugiat Auerr. negando totalem esse similitudinem lucis, & intellectus.

Ad quartum, Virgilius Poëticè loquitur, vt cum dicitur Terræque vrbésque recedunt, vel nox dicitur auferre colores, id est visionem colorum nobis, non naturæ; sunt enim multa noctu animalia videntia sola aëris luce, tenebris mista.

Ad primum: Auerroës non rectè sapit quid sit lux, neque rectè docet recipi in aëre colores per se; sed debebat considerare, quod lux reflexa ab arbore ad nubes tincta virore arboris iterum in pariete reflexa virorem ostentat: sic purpura facit, palam est enim, quod nisi illuminetur color, non recipitur in aëre, nec alio applicat sponte.

Ad secundum concedo, quod viuus color est per se visibilis, non autem languidus, neque opacus, quidquid Arist. dicat.

Ad tertium, nego colorem esse per se motiuum diaphani, sed lucem tinctam mouere assero, vel colorem viuum. i. Lucem.

Ad quartum negatur consequentia: nam opacitatis mistura variat species colorum, sicuti ex elementis, quamuis duobus, aut quatuor, non fiunt duæ, aut quatuor species rerum, sed plurimæ.

Ad quintum, color viuus est forma simplex, vt lux, & tenebra: color autem mistus non est simplex: miror cur sic dicant Peripatetici, cum color sit illis secunda qualitas ex mistione nascens, non prima elementaris simplex.

Ad sextum, colorum non permanentium generationes, & regenerationes subitæ, vt patet in Iride; quoniam sufficit mistio vmbræ cum luce ad ipsorum productionem, nec requiritur alia dispositio. Ipsique Peripatetici etiam lumen continuo regenerant, & subitò in aëre: licet, nec id intelligant permanentium verò est ostensio, non generatio.

Ad septimum, lux accidentaliter est actus diaphani: per se autem est apparentia caloris, & color viuus. Aliorum autem colorum causa actiua, & materialis, vt dicemus.

Ad octauum concedo lumen requiri, vt color sit visilis, postquam factus est color; at ante, vt fiat etiam requiritur lumen, vt sit, nedum vt visilis sit in permanentibus: in aliis est concausa simul, vt sit, & visibilis sit.

Vtrùm lux, color, & transpicuitas sint eiusdem naturæ in cunctis corporibus, pendeántque à calore, ita vt lux sit eius vultus, color sit lux opacata, & languens: transpicuitas sit candor à calore factus vincente opacitatem materiæ. An verò differant in cælo, & igne, & aqua, & sint diuersæ essentiæ secundum definitiones, quas tribuit illis Aristoteles.

ARTIC. V.

Aristoteles cum cælum alienæ naturæ ab elementis posuisset, & aquam penitus igni contrariam, vt positionem tueretur, etiam repugnante natura, videns lumen esse in cælo, & igne, & in aqua, similiter & transparentiam, vnde concludere debebat identitatem naturarum, vel causæ, vti nos; noluit obedire experientiæ: sed alias negat lucem in Astris, & fieri sola attritione; alias dat. Transpicuitatem verò his cunctis ex quadam innominata communi natura tribuit. Verum neque quid sit lux, neque color, neque transpicuitas intellexit, aut inuestigauit.

Item in 2. de Ani. elementa, & diaphana omnia priuat colore; in lib. de sensu & sensili, aërem & aquam colorat: in lib. de coloribus alios statuit, de quibus postea. Nunc autem 2. de Ani. Tex. 67. & sequent. definit colorem.

1. *Color, ergò ait, est id, quod est motiuum diaphani à luce actuari.*

mine;sed actuatum, ergò potest recipere colores.

1. Probatur, quoniam in transitu nubium, color arboris reflectitur à nubibus in terram, ergò recipitur in aëre color, vt dicit Alexander.

2. Color est per se visibilis, vt homo visibilis: si autem non esset actu nisi per lumen, esset visibilis per accidens, quod est contra rationem coloris ab Aristotele assignatam.

3. Color est mortuus diaphani actuati: actuatur autem luce secundum Arist. ergò &c

4. Addunt alij si lumen esset forma colorum, tunc color esset vnus numero vel specie.

5. Nec color esset formæ simplex.

6. Fierent generationes, & corruptiones colorum nulla præcedente alteratione.

7. Lumen est actus diaphani: ergò non forma colorum.

8. Color suprà visum non sentitur nisi in lumine: ergò lumen requiritur, vt sit visibilis, non vt sit color.

SED Contra vtrumque est S. Anselmus in loco allegando, docens lucem tinctam obiecti vultu intrantem in oculos facere visionem; & claret ex dictis Apostoli in articulo præcedenti, & experimentis: non ergò requiritur, vt disponat diaphanum: nam causa disponens est ignobilior generante; sicuti dolatrix manufactoriâ: lux autem nobilior est colore: non ergo color sui speciem gignit in medio à luce disposito, sed ipsa lux fœdata est species, ostendimúsque lapides præsertim tetros nulla ratione posse sui speciem facere: quamuis in præparatissimo diaphano, cum opacitas non sit actiua: si enim ponas lapidem propè extremum foraminis, in quo lumen vllum non incidat, nec ab eo resiliat, sic autem tota domus lumine plena, totúsque aër, non emittet lapis suam speciem, nisi illuminetur; cum autem illuminatur subitò emittit. Impossibile autem est rem stupidam crassam inertémque producere tam subito spiritalem, vt aiunt speciem: sed ipsa lux, quæ à lapide resilire videtur, sola est species, quatenus illius colore fœdata, proptereáque & visibilior eo est lapis, quo illuminatur ipse, non medium, nec enim si quid est in tenebra, videmus à luce, sed si quid in luce, videmus nos è tenebris, quoniam lux exiliens ab obiecto est visibile quod, & quo: fortasse hæc fuit intentio Auempacis: sed vt ab Auerroe narratur falsa. Non modo enim lux est in diaphanis; sed in opacis mista, & quasi demortua, quæ facit colorem, & ignis mistio id docere debuisset, manifestè quoque nix in nocte, & aula dealbata colorem ostendunt actu, licet non valde vt ad lucis præsentiam: sunt ergò colores in rebus à luce autem fiunt visibiles, quatenus ipsa eis miscetur, vt dictum est, afficitúrque non quia diaphanum actuat: sic enim potius colores actuare dicenda esset, quantumuis enim illustrato medio, dum color non collustratur, visio coloris illius non fit.

Ad primum ergò argumentum Auicennæ Resp. Auerroës, quod lux non est color, & differt essentialiter ab eo: sed fallitur, lux enim est color viuus & simplex; color est lux mortua, & opacata, mistáque vt dicemus, dicendum ergò, quod diaphanum illustratum recipit colorem cum luce: quia ipsa lux tincta est color faciens visionem.

Si autem dicas, quomodo lux viuus color tingitur mortuo colore, & quomodo si est color in diaphano lux admittit alium colorem, nedum diaphaneitas. Respondeo, hoc palam esse in Iride, & igne, vbi lux fumo tincta varios suscipit colores ob suam simplicitatem; & quidem natura rei receptæ denudata erat, non enim color tingit lucem quatenus est lucis participatio, sed quatenus opacitatis, quæ non est in luce, omnem autem colorem opacum esse, etiam si candeat, vt nix, & lac, & pagina hæc, palam est, quoniam non transparet per ipsam lux, combustáque ostendit sui opacitatem, dum tenuitate alba spoliatur. At diaphanum cuius opacitas deuicta est, lucem non tingit, sed auget, vt mox docebimus, est enim in eo candor sine sua opacitate: nec purum diaphanum est visile etiam cum luce, vt inferius.

Ad secundum, variatio colorum in collo columbæ ritè docet colores esse misturas lucis cum opaco, similiter in Iride, & de his non permanentibus coloribus, quos intentionales Peripatetici vocant, verissimum est, quod lux sit eorum actus, & delatrix, & in hoc benè dicit Auicenna, non tamen de permanentibus, qui mistione ignis, & terræ concreti sunt: sed tamen non sola actuatio facit eos visiles, sed & delatio, vt dictum est.

Ad tertium, nego quod intellectus actuet intelligibilia in nostra doctrina, sed iudicat de eis, prout sunt. In Aristotelica, conuincit hæc ratio: licèt effugiat Auerr. negando totalem esse similitudinem lucis, & intellectus.

Ad quartum, Virgilius Poëticè loquitur, vt cum dicitur Terræque vrbésque recedunt, vel nox dicitur auferre colores, id est visionem colorum nobis, non naturæ; sunt enim multa noctu animalia videntia sola aëris luce, tenebris mista.

Ad primum: Auerroës non rectè sapit quid sit lux, neque rectè docet recipi in aëre colores per se; sed debebat considerare, quod lux reflexa ab arbore ad nubes tincta virore arboris iterum in pariete reflexa virorem ostentat: sic purpura facit, palam est enim, quod nisi illuminetur color, non recipitur in aëre, nec alio applicat sponte.

Ad secundum concedo, quod viuus color est per se visibilis, non autem languidus, neque opacus, quidquid Arist. dicat.

Ad tertium, nego colorem esse per se motiuum diaphani, sed lucem tinctam mouere assero, vel colorem viuum. i. Lucem.

Ad quartum negatur consequentia: nam opacitatis mistura variat species colorum, sicuti ex elementis, quamuis duobus, aut quatuor, non fiunt duæ, aut quatuor species rerum, sed plurimæ.

Ad quintum, color viuus est forma simplex, vt lux, & tenebra: color autem mistus non est simplex: miror cur sic dicant Peripatetici, cum color sit illis secunda qualitas ex mistione nascens, non prima elementaris simplex.

Ad sextum, colorum non permanentium generationes, & regenerationes subitæ, vt patet in Iride; quoniam sufficit mistio vmbræ cum luce ad ipsorum productionem, nec requiritur alia dispositio. Ipsique Peripatetici etiam lumen continuo regenerant, & subitò in aëre: licet, nec id intelligant permanentium verò est ostensio, non genetatio.

Ad septimum, lux accidentaliter est actus diaphani: per se autem est apparentia caloris, & color viuus. Aliorum autem colorum causa actiua, & materialis, vt diximus.

Ad octauum concedo lumen requiri, vt color sit visilis, postquam factus est color; at ante, vt fiat etiam requiritur lumen, vt sit, nedum vt visilis sit in permanentibus: in aliis est concausa simul, vt sit, & visibilis sit.

Vtrùm lux, color, & transpicuitas sint eiusdem naturæ in cunctis corporibus, pendeántque à calore, ita vt lux sit eius vultus, color sit lux opacata, & languens: transpicuitas sit candor à calore factus vincente opacitatem materiæ. An verò differant in cælo, & igne, & aqua, & sint diuersæ essentiæ secundum definitiones, quas tribuit illis Aristoteles.

ARTIC. V.

ARistoteles cum cælum alienæ naturæ ab elementis posuisset, & aquam penitus igni contrariam, vt positionem tueretur, etiam repugnante natura, videns lumen esse in cælo, & igne, & in aqua, similiter & transparentiam, vnde concludere debebat identitatem naturarum, vel causæ, vti nos; noluit obedire experientiæ: sed alias negat lucem in Astris, & fieri sola attritione; alias dat. Transpicuitatem verò his cunctis ex quadam innominata communi natura tribuit. Verum neque quid sit lux, neque color, neque transpicuitas intellexit, aut inuestigauit.

Item in 2. de Ani. elementa, & diaphana omnia priuat colore; in lib. de sensu & sensili, aërem & aquam colorat: in lib. de coloribus alios statuit, de quibus postea. Nunc autem 2. de Ani. Tex. 67. & sequent. definit colorem.

1. *Color, ergò ait, est id, quod est motiuum diaphani à luce actuari.*

Probat, quoniam non videtur sine luce. Idem repetit Tex. 73.

2. Diaphanum est, quod secundum se non est visibile, sed per extraneum colorem, id est per lumen, vt aqua, aër, cælum: secundum se autem inuisibile est, aut vix videtur, sicut quod tenebrosum est. Ideóque susceptiuum coloris, quia sine colore, ait in Tex. 71.

3. Lumen verò est actus diaphani secundum quod diaphanum: & ideò color eius, potentia autem diaphani est etiam ad tenebras: ergò lumen non est corpus, neque ignis forma, quoniam actus diaphani non est forma ignis; & duo corpora non possunt esse simul.

Has definitiones tanquam à tripode sine probatione accipiunt Peripatetici. At quoniam videtur definire relatiuè, absolutas alias definitiones eius percurramus.

Igitur in lib. de sensu, & sensili cap. 3. *Lumen*, ait, *est color perspicui indeterminati*, vt aquæ & aëris: *color verò est extremitas in perspicuo terminato.*

Probat, quoniam Pythagoras vocat colorem superficiem: est autem id, quod in extremo color: non quidem in stabili; sed determinato, mistóque, sicuti lumen in simplici, inconstantique perspicuo extremitas, & sicut in aëre est lumen, & tenebræ priuatio lucis, sic in corpore terminato est albedo, & nigredo; & ex his extremis fiunt colores medij.

Peripatetici autem ex ignis luce, & aquæ aërisque perspicuo, & terræ opaco terminatiuo faciunt colores in superficie. Alexander reducit extremos ad ignem, & terram. Auerroës Tex. 62. Indeterminatum intelligit, quod caret forma mistionis; terminatum perspicuum, quod per mistionem in certo termino, & forma est, ita quod in eo primum est materia. Secundò Mistio, quatuor elementorum. Tertio Mistio lucis, & aëris, vel aquæ cum opaco terrestri. Quartò, superficies tegens hæc omnia. Vltimò, qualitas in superficie: non ergò est materia, nec mistio elementorum, nec mistio lucis cum opaco, nec superficies, sed vltimum corporis terminati, ergò prærequirit duplicem mistionem, & licet fiat à corpore lucido & opaco, non tamen est idem cum eo, sed differt essentialiter, sicut effectus à causa materiali, vel dispositione sua; differunt ergò color & lux definitione, quoniam color est extremitas diaphani terminati: lux verò actus diaphani interminati.

SED Contra nos probauimus ex dictis Sanctorum, & decretis naturæ lucem esse caloris apparentiam, & Ambros. in primò Hexam. natura lucis in apparere constituit.) Solem verò esse ignem, lucidúmque ipse concedit, & S. Basilius, & Iustinus, Bernardus, & Augustinus, & Dionysius, omnésque Patres. Lux ergò ignis est apparentia: quod autem color sit lux concreta, docet Magister Petrus Lombardus in 4. sent. vbi ait, quod sicuti lux in se dicitur lux, mista verò corporibus color; ita Spiritus sanctus dicitur in se, in nobis verò charitas: omnes acceptant comparationem, licet non comparatum omninò.

Item S. Bernardus serm. 71. super Cant. lucem, & tenebras idem esse, quod in corporibus candor, & nigredo, innuit. Neque est, qui album, & nigrum à luce, & tenebris non deriuet.

Item colorem esse misturam lucis, & tenebrarum, non modo S. Ambrosius docet in lib. de Noe declarans, quî fiat Iris, & omnes Patres; sed ipsemet Arist. in 3. meteor. de eadem loquendo. Plato quoque in Timeo idem asserit, & colorem esse flammulam definit, quoniam lux est flamma maior, & viua; putat enim corpoream esse lucem. S. Augustinus eãdem coloris dedit rationem passim. Quod autem diaphanum sit caloris opus, docent omnes Patres dum tellurem per ignem purgatam iri, & cælestia omnia admonent igne, futurámque eius superficiem diaphanam; ignémque purgare fœditates, & opacitates dicunt, transpicuáque omnia puráque reddere esse enim transpicuitatem puritatem, nec Arist. inficiatur, dum cur specula noua à menstruatis maculantur inuestigat.

Prætereà patet sensui, quæcunque ignis corripit, attenuare, purificare, & in aëreum traducere transparentem: cineres verò dealbare, ac mox liquefactos in vitrum diaphanum conuertere. Quapropter non nisi stupidus videri debet, qui negat diaphaneitatem opus esse caloris: cumque sit in cælo, & aquis, & igne ipsa, & lux, & candor, vtiquè debuisset calori hæc corpora subiicere, nec tantopere distinguere, vt alienissima inter se sint:

sint: Chimeras enim non naturam sequutus appareas.

At contra hoc diximus lucem esse caloris vultum: videtur Theodoretus, & Chrysostomus, super illud Psal. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*: vbi ait, lucem beatis, calorem damnatis distributurum. Idem Ambros. aliquando. Similiter Franciscus Patritius præsupponens lucem calori; & quidem cicindulæ lucent, non tamen calefaciunt, aliáque multa in nocte.

Respondeo posse facere Deum, vt lux in cælo solummodo luceat, vbi nulla crassities, & densitas, in qua calor robur acquirit: è contra in inferno robur habere in crassitie, & per antiperistasim; nihil autem lucere; & separare apparentiam ab apparente, ipse enim est autor naturæ.

Videmus quoque ignes fatuos lucere, nec vrere, quoniam extra densitatem robur non habet, aut extra vnionem: solem tamen vrere nemo negat ob vnionem. lucem lunæ à sole efficimus, nec tamen eius calorem sentimus, vti cancri, & echini sentiunt, quoniam nostro imbecillior est, qui ad nos venit, sic & stellarum, & ignium à longè conspectorum. Cicindulæ quoque concepto calore in exili materia, redditáque prespicua valde, lucent; non tamen vrunt propter exilitatem. Nec enim in sulphure solo ignis vrit, sicuti in sulphure & ligno, de his superius dictum est.

Niue non vrit, quoniam à frigore ligatus est. At oculos excæcare, sicuti lux, palàm est ambulantibus per niuem, nisi nigrum velum apponant, vti Xenophon suis de Perside redeuntibus per hyemales niues. Disgregare visum caloris est opus. Quapropter etsi carni non sentitur calor niuis, sentitur spiritui in oculo: vbicumque ergò lux, calor est: in carbone autem plurimus calor, paruáque lux nondum deuicta opacitate: in niue, & in cicindela è contra.

Ad primum Arist. Resp. perperam docuisse coloris naturam per genus transcendentale, & ex relatione ad nos: debuisset enim, quid sit ex propriis, & quibus ex principiis prius docere: ipse autem ex elementis non coloratis facit colores, quasi qui ex nihilo nihil. Præterea declaratum est, colorem per se non mouere diaphanum, neque in hoc eius naturam consistere, vt ipse putat, neque enim nigri colores mouent, neque albus, nisi quatenus est lux, & calor.

Prætereà cum ipse ex quatuor elementis faciat omnia, & colorem pronuntiasset per se motiuum, actiuúmque in visum, debuisset eum agnoscere à calore, vel à frigore actiuis qualitatibus.

Ad 2. tota errat via. Neque enim quid sit diaphanum, & à quo principio monet: sed innominatum facit; neque alibi id docuit præsertim in 4. Meteor. vbi de corporum qualitatibus disputauit; sed tantũ definit, quod sit inuisibile per se, & visile per lucẽ: numquid hæc est essentia eius, an potius quædam relatio ad nos? sicuti si quis dicat, equus est, quem possumus regere freno, non autem per se. Insipiéter etiam diaphanum expers coloris ponit. Ipse enim in lib. de sensu, & sensili colorat aquam, & aërem; & in 1. Meteor. niuem aëre concepto albescere putat: quis etiam aquæ candorem non videt, & cum aërem concipit spumescere, & albescere magis? sed quoniam diaphana est eius albedo, non apparet; oculis enim transilitur, at quidem albior est charta, & lapide; ipsúmque vitrum in puluerem actum suum alborem ostendit. Quoniam ergò amittit opacitatem diaphanum, & candorem accepit simplicem, propterea & ipsum ab omni colore fœdatur sicuti & lux, & per se non videtur, nisi lux in eo aut color alius imbibatur, vt in saphiris, & smaragdis, de quibus in quæst. de lapidibus. At verò quam indoctè loquatur, sol, & ignis docent; quia transpicui sunt albique, attamen visibiles omninò per se, non ergò semper à luce aliena.

Item Aër diaphanus, & tamen etiam actuatus luce est inuisibilis nobis, & quia lux diaphanis gaudet, de natura lucis existimanda erant. Tenebras ergò diaphanum recipit, nec modo diaphanum, sed omnia corpora cum absentia lucis. Diaphanum verò propter suam simplicitatem: nam & albus color magis suscipit tincturam nigri, quam croceus: sic & lux apta est tingi omni colore ob simplicitatem, vnde ex hoc cognatio lucis cum diaphano inspicienda erat: lux quidem ob viuacitatem expellit tenebras, quas diaphaneitas nequit languens. Ast vbi expellere nequit, quoniam crassæ sunt, & concretæ, eis tingitur, proptereáq; nigros colores videmus distinctos ab albis, quoniã nigra inde lux resilit,

hinc verò alba,ſed albore opacato,ex diaphanis alba,ſed albore puro. Ideóque minus viſibilis,quia minus tingit.

Hinc vide ſtultitiam Auerroïs,qui putat tenebras in cæleſti diaphano non recipi:cum vmbra terræ continuò ipſum quò pertingit obſcuret,ne dicam lunam diaphanam illi viſam: omne ergò diaphanum eiuſdem rationis,ſed aliquod purgatius aliquo.

Ad tertium,neque ſatis mirari Ariſt. qui non quid ſit lumen, ſed quod ſubiectum eius accidentale,docet,& per tranſcendentale genus, ac ſic putat definitionem, ſicuti ſi quis dicat homo eſt ille qui nauigat in mari,mare enim non eſt hominis ſedes, nec lucis diaphanum,ſed luminare,vt ſol: extraneum eſſe diaphano, & ipſe Ariſt. fatetur, quare neſcio vnde tanta ſtultitia placet. Dicat mihi,quid eſt lumen in ſe? nunquam audies, ſed quod ſit color extraneus diaphani: ò Deus, ſaltem aſſignaſſet ſubiectum proprium, ſequaces tamen neque eſſe colorem,niſi proportione contendunt, indoctiores magiſtro. Color enim apparentia eſt;lux autem hoc eſt maximè: non tamen extraneum eſſe diaphano,ſed opaco potius,dicendum erat: cum illud tranſiliat, amet, augeátque ſe in eo. In opaco è contra reflectitur,minuitur,fædatur. Cur autem ſic fiat Ariſt. non dixit, ſed in Problematis,rectis potis aſſignat cauſam: nos in quæſt. de paſſionibus ſecundorum corporum reprobauimus. Corollaria Ariſt. à Platonicis negantur, quoniam ex falſo fundamento.

Ad definitiones reales tranſeo,prima eſt inanis,non ſolum enim indeterminati, ſed & determinati eſt color tam innatus,vt in ſole ſuis terminis prædito ſtabilibus; quam illatus,vt in vitro,& ſpeculo,quæ Ariſtoteli non ſunt corpora prima,nec inſtabilia.

Quod autem non ſit extremitas etiam patet,quoniam in profundo æquè inuenitur.

Similiter nec color eſt ſolius terminati,quando multi liquores,& aquæ coloratæ ſunt, & aër, & Iris.

Item nec extremitas, etenim in profundo cum ſecas lactem,& quæcumque colorata inueniuntur habere colorem,deceptus eſt Ariſt. à Pythagora, qui vocauit colorem epiphaniam,id eſt ſuper apparentiam, non quia non ſit intus, ſed quia in ſuperficie apparet,vt quia ignis eſt apparentia. At in fundo maris, & in centro gemmarum color etiam ſpectatur. Nos etiam dicimus lucem apparentiam,ſed caloris aſſignamus cauſas. Ariſt. neque quidditatem,neque cauſas,ſed tantummodo ſubiectum;nec proprium lucis, ſed ſolius caloris ponit,nec adæquatum,etenim & in ſimplicibus reperitur; & diaphana omnia candida,niſi nouo fædentur fluore,vt Aër tenebris,ſic vitrum croco, & fit topatius falſus,ſic & lux in compoſitis.

Modus autem quo colores componit Ariſt. eſt nullus, non enim dixit à quibus elementis habemus album,& nigrum,nec quomodo fiant, nec cum vidiſſet à luce,& tenebris oriri poterit id ponere,ne cogatur lumen colorem facere album, quod tamen fatetur in tertio Meteor. At Alex. ex igne & terra colores faciens,vtique ex luce ac tenebris nobiſcum,vti & Auicen. & Auempa. conſentiunt. Hinc terram & ignem ſummè contraria, & cælum lucidum igneum pronunciare debuiſſet, vti in Metaph. ex hoc ipſum conuincimus non inuitum.

At Auerroïs modus eſt operoſior,cum enim vidiſſet ex luce & tenebris fieri colores, ne contradicat Ariſt. qui extremitates terminati eſſe dixit, quaſi terminatio, & interminatio ad quidditatem coloris quid faciat,cum vtriſque inſit, commentus eſt qualitatem aduenientem poſt miſtutam elementorum,& lucis & opaci, & poſt ſuperficiem. Quaſi lux & opacitas non ſit in igne,& terra;& iſtorum miſtura ſit ſimul lucis,& opacitatis, aut quædam pellis ſit ſuperficies.

Item ſi id,quod reſultat ex luce,& opaco eſt color, pronunciandi erant colores extremi lux,& opacitas,cæteri medij: illa autem extremitas poſt ſuperficiam ficta eſt, nam & in profundo eſt color.

Item differētia inter colorem,& lucem nullam dat,niſi quam daremus inter extrema, & media eiuſdem ſpeciei,vt inter amaru,& acrem in doctrina ſua. Quod enim terminatum vel interminatum ſit ſubiectum nil facit ad coloris ſubſtantiam, ſed ad permanentiā ex parte; nec verè eſt cauſa materialis lux coloris,ſed eſſentia,ſicuti extrema mediorum,præcipuè cum lux det calori ſubſtantiam,& actiuitatem,& viſibilitatem intrinſecè,

propterea enim agit color, quoniam lux est actiua opacata, quid autem potest aduenire lucidari, & opacitari, quod fit color, & aliud ab ipsis, nisi secundum minus, & magis? sic differunt vinum purum, & vinum aqua mistum.

Præterea hæc doctrina penitus repugnat libello Aristotelis de coloribus, vbi humiditati nigredinem, terræ & aëri albedinem: ignem & solem flauum statuit. In primo verò Meteor. ignem rubrum, & solem candidum contra Anaxag. At in tertio vtrumque candidum. Hic verò omnia elementa priuat colore, præsertim diaphana: estque moris eius, vt præsentes positiones tueatur, alias non curare: sed contra has ineptias in quæstionibus de sole, & de metallis bis locuti sumus.

Vtrum lux sit corpus, an virtus in corpore, & substantia ne, an Accidens.

ARTIC. VI.

Visum est Platonicis, vt elicitur ex decimo de Repub. lumen esse spiritum exilientem ex oculo cæli animati anima mundi ad visionem, vti ex oculis nostris noster spiritus, esséque corporeæ, tenuissimæque naturæ, omniaque penetrare, conspicere, fouere; probari potest.

1. Quoniam mouetur sicuti corpora tenuia.
2. Item impeditur à corporibus ne transeat.
3. Reflectitur millies à corporibus, quasi se effundendo quorsumlibet, vt tenuissimus liquor.
4. Fædatur à coloribus vt corpus, eisque subiicitur.
5. Item videtur sentire S. August. in epist. ad Volus. dicens, lucem, quamuis corpoream penetrare vitrum inuiolabiliter: sic Christum exisse de vtero Virginis; pluresque Patres huius sententiæ inuenies.
6. Item inconueniens videtur rem sic nobilissimam facere accidens. Nec formam potes, quæ migret de corpore in corpus, ergò.
7. Quamuis ventus moueat aërem cubiculi, lux per foramen trāsiens locum non mutat, neque in flumine: ergò non est qualitas in aëre, & aqua, corúmque actus, sed per se corpus à sole dependens.
8. Diuiditur in radios sicuti corpus.
9. Per circuitum pergit spiritus, ait Salomon, id est sol, secundum Hieronymum.

Contra Arist. vult esse Actum & quasi extraneum accidentale, non autem corpus. *Argumēta Arist.*

1. Primò, quoniam actus corporis non est corpus.
2. Daretur penetratio corporum.
3. Nullum corpus mouetur subitò, lumen verò subito mouetur.
4. Lux est contraria tenebris, ergò est præsentia alicuius Priuationis, ergò non est corpus.
5. Motus eius de Oriente in Occidentem corporalis non lateret nos, vt Emped. putat, ergò.

Proclus respondit, lumen non esse actum, sed corpus tenuissimum. Ideóque Arist. rationes nullas, mouerique in tempore imperceptibili, & replere aëris porositates; ideò non dari penetrationem corporum. *Resp. Platonicorū.*

Simplicius contradicit Proclo, quoniam fieret magnus motus densarum partium in illuminatione resistentium. Item augmentum aëris: nec continuum esset lumen, & aër. *Replica Simplicij.*

Sed hæ rationes nil valent, nam & mouetur, & rarescit aër illuminatus, vt aqua bulliens, concederétque non omnimodam continuitatem Proclus. *Responsio.*

Iamblicus autem dicit, lumen corpus spirituale habens cum corpore conuenientiam in extensione, ac indiuisibilem, ideò corpus illi non resistit, est enim alterius rationis, nec datur penetratio; & extensionem capit à medio, quod nobilitat, non actuat.

Albertus quærit, an sit punctus, quia non diuiditur, & an sit genetabile, an

incorruptibile, & quem motum habet ex tribus. Respondent defensores: diuiditur per accidens, per se incorruptibile, ad apparentiam corruptibile, & mouetur ab Anima, non vt corpus elementare.

SED Contra videtur esse S. Ambros. in 4. Hexam. cap. 3. *Simplex*, dicens, *est natura lucis species, vt lumen præbeat*. Item in p.c. 9. *lucis natura huiusmodi est, vt non in numero, non in mensura, non in pondere, vt alia: sed omnis in aspectu sit gratia*. Vbi videtur cum Basilio potius incorpoream statuere, effunditur enim non sicut corpora, sed innumeris modis semper se se multiplicando absque numero, & mensura. Hoc autem corporum non est, etsi enim aqua effunditur, aut aër, aut quoduis tenue, non tamen per omnem viam, nec augetur, sed minuitur; effusio autem lucis est auctio: ex modica candela per ingentem aulam tantum lumen effunditur, & si in transpicuas res incidit, multiplicatur, exhilaratur, augetur, id autem de nullo corpore existimare licet.

Præterea lux est actiua, multiplicatiua, calefactiua, sui augmentatiua: hoc autem corporibus non competit: sunt enim inertia omnia, si vniuocè corpus sumas.

Item S. Thomas in prima parte hanc sententiam tuetur: quoniam mille luces à mille lucernis se se concipiunt, penetrant, augent, conglutinantur nullo negotio; si autem corpora essent, sic facile non se se penetrarent: si das virtutem actiuam illis vnà cum corporeitate, erit corpus compositum, nec tam subitò corporeitas incorporeitatem consectabitur in momento temporis, vt dicit S. Ambros. ibidem.

Sol præterea continuo deficeret emittens lucem, suumque corpus, at ne dicas pasci vaporibus, multas attulimus rationes in quæst. de Sole.

Item lucerna deficit deficiente oleo; palam est autem oleum non in lucis substantiam consumi, sed in fumum verti, fumum sursum ascendere, lucem autem sphericè circumquaque etiam si ponas in laterna vitrea candelam; cuius laternæ foramen supra domus culmen exeat, totam super domum plenam lumine habebis ex vitro prosiliente, fumum verò illum collectum in alembico, quasi tantundem liquoris dare, multa experimenta concludunt: substantia ergò ceræ non fit lux, neque nubeculæ Galilei circa solem, nutriant solem.

Item si tenebræ non sunt corpus, neque lux est corpus. Item si lux esset corpus, ergo calor esset corpus, & quoniam sursum tendit vel per se sponte, vel extrusus, nunquam deorsum descenderet candelam consumptura: nec ergo consumeret vnquam.

Præterea neque diaphana crassa transiliret magis, quam tenuissimam paginæ, aut auri contusi laminam.

Ad primum resp. lucem non moueri, sed effundi, & multiplicari per virtutem quam habet à prima Potentia se ipsam generandi, & amplificandi, sicut omnes res actiuæ. Non enim lux quæ est in sole descendit ad nos localiter relinquendo solem: sic enim etiam deficeret sol; sed lux quæ est in sole se se multiplicat, amplificatque vsque ad nos; maximè autem per transpicua cognata corpora, in quibus se parturit facillimè nullam reperiendo repugnantiam, sed desiderium sui.

Vtrùm lux generetur, & quomodo moueatur.

AD hoc non potest Aristoteles respondere, qui in Problematis dixit. Lucem transilire diaphana, quoniam habent poros rectos: quod reprobauimus in quæst. de metallis. Et in 2. de Ani. & in lib. de sensu, & sensili, negat esse motum localem lucis, sed tantum alterationem, quæ subito potest fieri, sicuti si glaciatur tota simul aqua. At quæso, quomodo tota glaciatur, vbi pars aliqua frigori vicinior, alia remotior? sic Aër soli. Peripatetici quærunt; vtrum sit generatio, an creatio lucis in aëre, & quomodo sine tempore, tandem vbi non est resistentia, concedunt sine tempore; at negant esse creationem, sed educi lucem de potentia materiæ absque præuia alteratione: sed quomodo de potentia telluris nigræ sol educat lucem tam subitò, quod videmus è terra resilire, & duplicari in aëre? frenetica est ratio hæc contraria dictis philosophorum, & Sanctorum: vide quæstionem de Materia, & secundam p. Metaph. S. Ambr. quoque ait, quod lux, quando illuminat, se se diffundit, nostróque circũfundit aspectui,

Igitur amplificatio, & diffusio est, non eductio de Materia non lucida, neque localis transitus.

Ad secundum, nego lucem impediri à corporibus in quantum corpora: nam vitra, & omnia diaphana præbent hilariter illi viam; sed solum à corporibus opacis in quantum opacis.

Ad tertium, hæc reflexio non est expansio corporis, sed amplificatio entitatis actiuæ, vt dictum est, & fit multiplicatione, non distensione.

Ad quartum, verè fædatur à colore, qui est lux, & tenebra mista, non tanquam à corpore, sed tanquam ab incorporeo ente: apta enim nata sunt misceri non solum corpora, sed etiam qualitates.

Ad quintum, credo S. Augustinum Platonicis assensisse aliosque. Tamen in hoc sequor magis S. Thomam, & Ambrosium, & Bonauenturam.

Lux essentialis toti naturæ, & igni.

AD sextum Respondent Peripatetici, non esse substantiam, neque accidens, neque abesse, neque adesse, sed in esse, & exire, dicique actum diaphani, posseque accidens eiusdem dici quatenus corpus. Hæc Niphus, cui inquam.

At si alteratione fit: ergò non inest, & exit; exire enim corporum est, sed generatur, & corrumpitur potius: sed profectò omnis actus adueniens post esse completum, est accidens.

Item etiam præter essentiam, vt in triangulo ligneo ligneïtas est accidens.

Dico igitur lucem non esse accidens naturæ, cum non sit præter intentionem, neque præter essentiam illius. Igni autem esse qualitatem essentialem, & soli, & calori, aliisque corporibus antequam in ignis naturam vertantur: dicam accidere non essentiare. Sed Peripatetici curant de subiecto extraneo, non de proprio: quod autem non migret, sed amplificat, iam dictum est.

Ad septimum, rectè probat hoc argumentum contra Arist. quod potius sit actus corporis luminosi, quam diaphani: non ergò hæc eius est natura, vt dicebat ipse. Igitur inquam, non est accidens innatum, aut concretum aëri: sed qualitas à luminari dependens. Proptereàque ad motum luminaris à quo incipit effusio, & amplificatio lucis, mouetur amplificatio tota continuata; nec discontinuari potest, quin euanescat (remonetque tunc, vt calor, non vt lux, quoniam robur ex suo fonte non habet, vt manifestus sit, lux enim manifestatio eius est) non autem ad aëris motum mouetur, vt lux, quoniam ab eo non dependet; inest tamen in eo, aliunde pendens, sicut anima à Deo in fusa hominibus, ergò non est educta de potentia materiæ aëris, vel aquæ, vel terræ, sed amplificatur à sole.

Ad octauum, non diuiditur per se, sed tota ampliat se per totum, radij fiunt si transit per foramina, vel à pilis superciliorum nostrorum interponentium opacitatem.

Ad 9. Salomon vocat spiritum solem secundum Hieronymum, non lucem, vel animam solis, idest intelligentiam secundum S. Thomam.

Vtrùm lumen, & color recipiantur in medio realiter, an intentionaliter.

ARTIC. VII.

PEripatetici ferè omnes colorem in medio, in oculo recipi intentionaliter volunt: Lumen autem alij intentionaliter, vti Egidius, & Scotistæ quidam. Alij realiter, vt S. Thomas. Probant illi dogma suum.

1. Lumen non pendet ab aëre, sed moto aëre stat: ergò non est in eo realiter, similiter & colores: videmus enim etiam intercurrentibus ventis.

2. Abeunte sole statim discedit lux: ergò erat in diaphano intentionaliter, sicuti imago in speculo, quam propterea intentionalem vocat Alexander.

3. Lumen est similitudo lucis, qua videtur, sicut coloris simulacrum est, quo videtur color: sed hoc intentionale est. Ergò & illud.

4. Idem non potest esse sensibile quo, & quod. Ergò lumen est solum quo: ergò intentionale.

5. Auerroës dicit etiam in oculum intrare: nil autem intrat sensorium, nisi intentionale.

6. Colores esse in aëre intentionales oportet multo magis; non enim videntur vt quod, sed vt quo.

7. Si essent realiter, aër esset coloratus, talisque videretur.

8. Mille homines vident idem obiectum: non possunt autem mille realia simulacra fieri illius realia, vnum enim est reale esse, ergo sunt intentionalia.

9. Ait Aphrodis. plurimi colores reales albi, & nigri, & varij essent in aëre, illumque inficerent, & visionem confunderent. Item intersecant se radij visuales, & species visibiles, nec se mutuo impediunt: non ergò insunt realiter, sed alio modo.

SED Contra est autoritas omnium Patrum, qui lumen reale esse in aëre, & aqua docent; nemoque ab hac sententia discrepat Thomista: patet autem, quoniam lumen est realiter, vbi realiter agit, operaturque: in aëre autem, & in speculo sese multiplicat mouet, calefacit, accendit, producit ignem, vt non nisi stupidus sit, qui intentionalem quoque ignem dicat. Colores quoque agere in sensorium palam est realiter, & aliquando cæcare, & in pupilla videri sicut in speculo.

Nota, quod hoc esse intentionale diuersimodè accipitur: aut enim pro intentionis effectu, vt imaginato: & hoc non dicunt Peripatetici doctiores, licet hoc vocabulo incongruè vtantur. Alio modo pro esse nō permanenti, & ab Auerroë vocatur extraneum, quoniam non est in suo subiecto conseruatiuo; & sic frigus in aëre dicitur esse extraneum, vel, vt illi, intentionaliter: similiter color in aqua & virtus agentis in instrumento. Alij intelligunt intentionaliter quoddam esse spirituale, & imaginarium; & hi sunt indocti in Peripateticismo: non enim accipitur re vera nisi pro esse instabili, non permanenti, sicut color in Iride, imago in speculo: huius autem non permanentiæ causa non est imaginarium, sed debilitas agentis, & actio non tanta, quanta requiritur, vt imprimatur qualitas in subiecto.

Propterea enim calor in aqua dicitur ab Auerroë intentionalis: at si aquam vincat, & conuertat in fumum; tunc calor ille dicitur naturalis, non extraneus fumo seu intentionalis. Igitur idem est reale, & intentionale, differuntque sicut debiliter impressum, & fortiter: modicus color in ligno est intentionalis, quando non imbibitur: sed quando imbibitur permanenter in smaragdo realis est. Eadem ratione in oculo prouidit rerum conditor, ne permanenter colores recipiantur, quo possit successiuè multos recipere, nec à primo lædi. At si fieret scientia per informationem, vt Arist. dicit, semper oculus informaretur permanenter: fit autem per modicam immutationem: ideo fluenter. At in oculis videmus colores, vt in speculo, & in aëre multos ex viridibus viuidis reflexos. Vnde Alexander idem fluctuat, conceditque reales, mussitando tamen. Nam & sonis abeuntibus tinnitus in aure, & albor in oculo, & odor in naribus permanet aliquantulum, vt ait Ambros. & Arist. ex illis reliquiis facit somnia: ergò realiter recipiuntur soni, & colores, vt alia obiecta, non tamen prorsus permanenter.

Ad primum, negatur sequela quod non sit realiter in aëre lux; sed sequitur, quod ab aëre solo non pendet; sicut color in Iride: nam & à sole.

Ad secundum si intelligas intentionaliter, idest non permanenter, concedo, non tamen, quod non realiter: imago enim in speculo verè est imago realis, sed pendet à luce reflexa ex eo, cuius est imago; ipsaque abeunte non remanet in speculo: non enim apta fuit ipsum prorsus immutare.

Ad tertium, lumen non videtur per aliud, sed per se; illaque pars luminis, quæ pupillam afficit, est ratio videndi totum lumen, sicuti ex modico ignis calore tactus totum ignem per extimationem noscit calidū: vnde Ambrosius ex oculis iudicium emitti dixit.

Nego lumen esse lucis similitudinem, quasi accidens spirituale, sed realem eius entitatem, & multiplicationem: dicitur enim lux in luminari, lumen in aëre; splendor in reflexione; radius in angusto; omnia tamen vna sunt natura, sui amplificatiua; coloris autem simulacrum non est vllum, nisi lux illo tincta realiter, non tamen permanenter.

Ad quartum, negatur assumptum in his, quæ per se videntur, in per accidens, valet: pars quoque illa lucis, qua metimur aliam totam, est primo nota, vt quod. Latet autem, quoniam & nostri nos latet entitas propter causam superius dictam, & in Metaph. At hic dicamus partem esse quo, totum quod; & sic nihil habent Peripatetici.

Ad quintum: sic Cajetanus nimis religiosè Auerroï addictus contra decretum Sancti Thomæ, concedit lumen intra oculum intentionale, quoniam eminenter est intentionale, & reale ista qualitas: ex quo sequitur & in speculo esse intentionaliter. Idem enim crystallus est ferè vtriusque, & in aqua: ergò magis in aëre, vbi minus permanenter: ergo vicere Scotistæ. Si rationem, non autoritatem elegissent, statim ista paterent: nego igitur non intrare realiter in oculum: imò ajo magis realiter, quam in aëre: Proptereaque cæcare intuentes, quod & Niphus concedit, nedum Chrysostomus docet. Et quidem in humore aqueo, & crystallino, & per corneam plus crescit quam in aëre.

Ad sextum ajo, colores non esse in aëre, sed luces coloratas, vt in articulo 3. diximus: realiterque coloratas, non tamen permanenter, talésque colores spectari nemo neget, qui lucem ex purpureo panno resilientem obseruat in aëre, nedum in aliud corpus propinquum: dico etiam lucem esse Quo videntur; colores autem, Quod: excepto modico, qui cum luce intrat oculum.

Ad septimum, concedo, vbi viuaces sunt videri aërem coloratum: ordinariè tamen non videri, quoniam inualidi sunt: in speculo tamen, & in oculo ob reflexionem in denso transpicuo ab opaco interius terminato fieri visibiles: at esse oculos quosdam tam languidos puto, qui & colores illos per aëra transeuntes videant, & propriam imaginem: spiritus enim exilis aptus est ab illis pati. Vespertilio eas videret, si lucem diurnam sufferre posset. Arist. & in Antipheronte hoc expertus est.

Ad octauum, non possunt respondere Peripatetici ad hoc argumentum. Quis enim causet tot esse intentionalia, cum & sensum agentem negent; & qui asserunt neque huic muneri destinant? Nobis facilis est responsio: lux enim à lapide reflectitur non vna via, neque per radios, sed quaque versus in amplum tincta lapidis colore, proindeque figura: quot quot ergò oculos illius lucis particula intrat, tot contingit videre idem obiectum quod, non quo. Alia enim lux in meo, alia in tuo oculo, sed ab eodem corpore vndique quorsumvisque emissa: at nunquam videbimus ego & tu eandem superficiem, vel basim prorsus è diuerso situ: quoniam bases lucis fiunt innumeræ in obiecto, sicuti horizontes in sphæra, semper ergò aliquibus punctis, quamuis vicini nos, bases visionis distabunt, & flectuntur, vti & coni oculorum nostrorum. Loquor Mathematicè, vt percipiatur: lux enim in amplum vndique effunditur sed per omnem viam: vt vndique res eadem spectari possit.

Ad nonum, adeò exiles sunt luces istæ, vt non sese impediant, neque tangunt sensibiliter aërem, neque diaphanum non crassum terminatum opaco, & quia non per radios, sed per amplum effunduntur, visionem nunquam impediunt, nisi vbi ipsarum vna fuerit viuidior; & colot quo tincta est viuax: tunc enim omnium oculi in illo colore infecti, alios non videbunt, nisi quatenus illo tinctos, vt si domum pannis pupureis splendidis ornabis in plurima luce, videbis omnia purpurea, aut crocea, vti egò quando nimis inspicio purpuream camisiolam. Nec solum oculi inficientur, sed propinqua obiecta, sicuti camera fit viridis, si per fenestram intrat lux ex viridario reflexa: sunt ergò in aëre colores languidi, nosque latent: in vitro autem, & in oculo augetur lux deferens illos & sic videntur. Non se impediunt in aëre, quia debiles, neque intersecatio est vnquam directa, & impeditiua prorsus. Lucis enim viæ innumeræ: in oculi tamen pupillæ parte non indiuisibiliter, vt Aristotelici putant. Ergò nec intentionaliter, sed tantum non permanenter, vt plurimum. Qui hæc considerat, & creatoris opificium non admiratur obstupescens, impius, ferusque, vitaque indignus est: peccant, qui hoc opificium falla-

ciis, incognitisque vocabulis obscurant realiterque illud cognoscendi viam obstruunt, hominum verba, non Dei facta, philosophando spectantes.

Vtrùm optici nerui sese intersecant, ne obiecta videantur duplicia.

ARTIC. VIII.

GAlenus sic docet. Vesalius negat, quoniam vidit in dissectionibus quendam, cuius optici non se intersecabant, nec tamen obiecta illi duplicabantur.

Respondeo non necessarium, sed commodius esse vnitati obiecti percipiendi illud coniugium: nam & aures oppositæ non duplicant sonum. Vnitas ergò spiritus facit sensationis vnitatem: si autem esset forma organorum ipse sensus, necessariò duplicarentur obiecta: puto etiam si oculi diuersum haberent situm, duplicantem fore, vt eueniat: nam si alterum eleuas vides duplex obiectum: secus ergò à Vesalio prohibebat vnico duplicitatem, nos ambabus causis, sed ista princeps; de auribus alia est ratio: subitò enim cerebro communicant: nares etiam duplicant obiectum, quoniam reale est magis sic & tactus diuersarum partium, vel iteratus, quoniam non statim vniuersitati spiritus communicat, vt aures: sed partibus variè temperatis, variéque patientibus ante vniuersitatem; sic nares præpatiuntur quoque.

Item facilius communicat oculus alter alteri spiritum, cùm debet vniri ad melius intuendum, vt contingit iaculatoribus.

QVÆST. XLIX.

DE AVDITV.

DE Auditu tandem nihil ferè controuertitur. Aristoteles enim fatetur sonum esse aëris motum à sonantibus rebus emissum, eundemque esse auditus obiectum. Echoque fieri, sicuti & nos diximus. Item Auditus organum esse aures, fabrefactas vti in textu docuimus; & implantatum aërem esse in tympano aurium centro, quo ab exteriori pulsato motu, fit auditio realiter, non intentionaliter: si autem addidisset neruos auditorios è cerebro prodeuntes in auris tympanum, ac spiritum per illos delatum, qui sonos discernit, & malleolum super tympanum, nil à nobis discrepasset; nec desideratum fuisset. Hic autem licèt arguere eum, quod puram potentiam fecerit sensum, cum iam fateatur aërem motum auribus implantatum, vt fiat sensatio per symbolum. Vnde & oculis lucem, & colorem simplicissimum, tingibilem omnibus coloribus (neque enim sonus coloratur naturæ expers coloris, neque cor sonare potest expers soni, sed aër sonatiuus.) Itaque & naribus vaporem innatum; & gustui saporem quendam, qui aliis possit affici, & tactui calorem mediocrem, qui fortiores se suscipiat; adscribere debuisset: neque enim omnem sonum, neque omnem colorem, neque omnem odorem, neque omnem saporem sentit animal, sed solum fortiores innatis: hinc putauit Aristoteles, aërem sine colore, & omnia diaphana, & linguam sine sapore, & vaporem esse aliquem, qui non sit odor: cum tamen nobis pro nostro gradu sic non sit, non naturæ: de his dictum est superius: nunc autem inquiramus, quid alij non rectè deducunt.

Vtrùm

Vtrùm Sonus sit motus aëris, an alia qualitas: & de sono siderum.

ARTIC. I.

Videtur Aulcen. & Alpharabio, & cũctis latinis ferè, Sonus esse qualitas sensibilis ab auditu proueniens ex fractiuo motu aëris, permanens cũ illo, non autẽ motus.

1. Probari potest 1. Idem non est ratio sentiendi se. Sonus est ratio sentiendi motum. Ergò non est motus.

2. Sonus si esset motus, tunc omnis motus audiretur. Nunc autem non auditur, nisi qui fit ex percusso, & percutiente in medio aëre. Neque enim motus cæli sentitur. Ergò est aliqua qualitas ex peculiari modo motionis resultans.

3. Sonus est intentionalis in auditu, vti alia obiecta. Motus autem realis.

4. Intra Aquam audimus, nec aëre extra myringam aqnis confuso. Sic enim non fiet auditio. Vnde S. Ambros: prodesse multum etiam sordes, ne intrent animalcula, & nociua, vtque vox quasi visco plus retineatur in anfractibus, docet. At in aqua motus non exercetur. Sed potius intentio. Ergò.

5. Sonus est vnus numero, qui simul, & semel auditur: motus autem plures, quoniam aër à percussis corporibus mouet alium contiguum, & ille alium, & ille alium, donec sphericas per motiones multas veniat ad auditũ: nõ ergò idẽ sonus, & motus,

6. Sonus est in instanti, tum quia effectus est causæ totalis per se, & naturaliter agentis, ergò subitus, sicut fractio aëris sua causa: tum quia fit vbi non est resistentia, vt lumen, tum quia non est successiua res, cum non sit tempus, neque actus mobilis; tum quia est species sui obiecti. At motus fit cum tempore. Ergò.

7. Per sonum sentimus graue, & acutum, ait Aristoteles, sicuti per lumen Odores; sed graue, & acutum sunt motus. Acutum enim est, quod mouet sensum in pauco tempore multũ. Graue, quod in multo tempore parum, teste Aristotele, vel vt ait Timeus acutum est velox, graue tardum. Velox autẽ, & tardum sunt motus differentię, & per sonum sentiuntur. Ergò sonus est aliud à motu. Ergò est qualitas passibilis, quæ fit fractione aëris, vt declaratum est.

8. Potest addi, Motus est actus mobilis, vt percussi corporis passiuè, & percutientis actiuè. Sonus autem non est in mobili, sed in aëre intenrionaliter, & in aure.

Huius Albertus alteram spheram facit realem, cuius centrum est fractio. Alteram Intentionalem, cuius centrum est realis terminata in termino motus realis expansa vsque ad auditum. At Themistius, & Simplicius, & Auerroës, & Auicen. & Alpharabius spheram primam faciunt realem, & intentionalem. 2. verò solùm intentionalem: & harũ aër, quatenus fractus, est causa actiua soni; quatenus mouetur est subiectum soni realis; quatenus medium, soni spiritualis.

Sed contra est S. Ambros. in Hexam. 6. cap. 9. & in lib. de Noe cap. 7. vbi sonum vocat ictum, pulsationẽ, aliisque vocabulis, quæ ipsum aërem cõmotũ indicãt. Et Dominus dixit Samueli. Faciã verbũ, quod qui audierit, tenniẽt ambæ aures eius. Tinnitus autem est vehementis motionis aëris in aure. Propterea que anfractus esse in auribus, ne subitò commotio nos consternet: imò & sordibus auris, quasi visco detineri docet. Vt videas aërẽ commotũ esse sonũ apud ipsũ: nec memini me legisse librũ, in quo sonus aliud quid à motu esse doceamur realiter mouẽte inædificatũ aërẽ, vel organũ: idẽ docet S. Thomas in psal. 17. Aristoteles, nedũ Plato hãc qualitatẽ spiritalem ignorauit. Imò in 2. de Ani. tex. 82. *Auditus, ait, connaturalis est aëri. Propterea autem quod in aëre est mote exteriori, qui intra est, mouetur.* Deinde docet, aërem dissipari, atq; ictum effugere, propteràq; absonũ esse. Ideóque à natura auribus inclusum esse, ne possit effugere, sed accipere ictus exteriores, omnesque eorum differentias, etiam ab aqua. Vbi sanè stupidi videntur Peripatetici, auditionem aliter facientes, quam per motum aëris, aut aquæ exterioris communicatum interiori: sed tenaces semel inolitæ positionis de intentionalitatibus, id etiam fingunt, vbi Aristoteles eorum doctor nullo pacto fingendum permittit. At etiam

ipsi coguntur idem fateri. Siquidem sonus intentionalis non differt à reali, vt vidimus in quæst. 42. nisi quia ille facile elabitur, & euanescit, quoniam seruatiuum subiectum non habet: istæ verò constans est. Cum autem permanentia, & non permanentia non faciant diuersitatem, nisi fortis, & debilis; vtique idem sonus est realis, & intentionalis. Si autem realis est motus aëris, vtique & intentionalis.

Præterea palam est, plures motus bombardarum, & tubatum & tintinnabulorum, esse permanentes in auribus, & aliquando potentes auditum dissipare, vt lux oculos, quod Ambrosius, & Aristoteles docent, intentio autem, non lædit, sed res.

Quapropter secunda sphera Alberti non est nisi iam languescens motus. Si autem quis intra spheram realem sit, nonne audiet? vtique sed ajunt in myringa permutari sonum realem in spiritalem. O durities ingenij, & cur pulsat, & frangit, & obtundit spiritum, si in intentionem transit realitas? & cur sentimus remanentes commotiones.

Præterea quomodo possit fingi simulacrum motus vel soni, nondum imaginari queo, neque ipsi, licet sic sonent, sonum suum non intelligentes; & quis producat illud simulacrum? & quomodo? & cur tam subito? & cur realiter lædit? nondū dixere. Valent argumenta facta cōtra species sensibiles in quæstionibus præcedentibus.

Quapropter cum motus ille sit sonus, qui aëre ex mobilibus effunditur: motus autem sit actio, & passio, & operatio respectu diuersorum: nequaquam in prædicamento qualitatis ponendus erat, nisi sumatur, vt aëris figuratio. Sed vt figura non est sonus, sed vt motus. Secundum enim quod motus, mouet aërem myringæ spiritúmque in eo audientem.

Præterea motio aëris, seu fractio non causat qualitatem, sed tantum motionem aliā. Aër enim motus, pulsusque mouet, pellitque; qualitas verò fit à calore, & frigore, humore, & siccitate in via illorum. Quapropter indoctè aiunt, sonum esse qualitatē prouenientem à fractione aëris. Nos autem, qui qualitatem differentiam rerum esse ponimus, & modum motus, id est, motum sic modificatum, & qualificatum, vt audiatur, esse sonum: verum quia omnem motum, quatenus auditur, esse sonum volumus: auditur autem quatenus communicatur per aërem, & aquam; rectè diximus effusionem motus esse sonum, sicut lucis effusio est lumen, & idem sunt.

Ad 1. nego maiorem. Lux enim est, quo sentitur lux. Sed modica tangit pupillam, & per illam modicam emittitur totius iudicium. Sed motus aëris mouentis spiritum, est quo totius motus, & mobilis fit notitia. Id ergò quod causat obiectum in anima sentiente, est ratio, vel potius vnde ratio totius sensationis perficitur, & quia realiter sentimus, illud est reale, vt docuimus in quæst. 43. hic enim ratio sumitur pro repræsentante. Vnum quodque autem repræsentatur à se ipso, magis quam à simulacro sui, & à simulacro reali, potiusquam ab intentionali.

Ad 2. Verum est, quod non omnis motus auditur à nobis, nisi qui fit in aëre ad nos vsque pertingens, estque valentior motu nobis natiuo; spiritum enim nostrum natura mobilem esse docuimus. Quapropter motus suo languidiores non percipit. Percutio aërem manu & palam est, quod sonet percussio. At non auditur, nisi valenter percutiam: formica autem, aut alia Anima tenuior sentiet illum. Aristoteles ergò errat, dum sonum fieri solum à duobus percutientibus in aëre docet. Nam & ex scissione solidi fit sonus, & ex constrictione aëris, & venti in follibus, & cauernis, & ex inundatione aëris, vt venti sonant, & aquæ fluctus. Quocumque ergò modo aër fortiter moueatur vsque ad nos, sonet.

Vtrùm sidera cœlúmque, sonum edant.

Cœlorum autem motus siderúmque, esse sonum, & Iob videtur docere & sanctus Ambros. in expositione p. psalmi, licet hoc negarit ex parte in Hexam. secutus S. Basilium. At S Augustinus affirmat, & discipulus eius Lucentius scriptis carminibus ad S. Augustinum eleganter id docet, & ratio naturalis consentit. At quia non sentitur sonus eorum, Arist. concludit in 2. de cælo tex. 54. Astra moueri infixa orbi-

bus, non autem per se sic enim impossibile esset per aëra dum feruntur, non emittere sonum. At cum plurimis rationibus pateat astra per se moueri, non sicuti nodos, vt ipse vult, tabularum, vtique & sonare dicendum est. hoc autem nouissimè nos probauimus, vt Tyco, & Galileus, & quicumque rectè sapiunt.

Sed contra ait Arist. ibidem tex. 51. & seq. cur non auditur iste sonus; quem oportet esse ingentem ex tot, tantisque machinis velocitate summa mouentibus?

2. Soni excedentes destruunt sensum, & corpora inanimata etiam disrumpunt, vt tonitrua arbores. hoc autem magis efficeret sonus cælorum, siderumque.

3. Quod feretur in immoto medio maximè sonat; quod in moto, vt nauis in fluuio modicè, nisi faciat plagam, quare in circumfuso igne, vel aëre impossibile est sidera ferri absque motu violenter omnia confringente.

Respondeo non audiri à nobis sonos, nisi extraordinarios; qui enim innati sunt, non faciunt sensum. Vnde motus sanguinis, & cibi, & nutrimenti ad partes nutribiles, & spiritus animalis nostri, latent nos, propterea quod cognati, innatique sunt; sic & sonus auris, vt Aristoteles dicit; & qui molendinis assuescunt non patiuntur sic ab illis motibus, vti nos.

Quapropter motus siderum à nobis non audiri, quoniam innati sunt, non illati de nouo. Recentiores mathematici suspicantur inesse vacuum inter sistemata multas ob rationes physicas, & opticas, & tunc motus haud communicatur nobis. Motus autem Lunæ in nostro systemate innatus est, nec sensibilis nobis, vti neque telluris si natura circumfertur; motus autem violenti, & extraordinarij, nostro fortiores, sunt sensibiles omnes in nostra Philosophia, cum sint ignea corpora, & motu naturali ferantur, leuissimoque, haud sonabunt tam fortem sonum, vt Arist. vellet.

Ideò ad secundum dico, sonos excedentes non naturales, & extraordinarios sic efficere, vt Arist. dicit. Quapropter exemplum de tonitruo extraordinario nullum est ad motum cæli. Putat tamen in quibusdam motibus concauis cæli sonum audiri sanctus Ambrosius, sed hoc incompertum est.

Ad tertium, dico sidera ferri in re mota siue ignis, siue aër sit; nec plagas extraordinarias facere, nobis sensiles; imo rapere secum circumfluum æthera, & conuenire in motu. Animam tamen à corpore abstractam sonos illos sentire nil dubito, sique aër sentit similiter.

At Arist. qui docet; Aërem à Cœlo flagellari, & igniri: Calor enim, & lux sic ab attritione producitur cælesti in aërem iuxta Arist. ibidem tex. 41.

Item qui docet in Metaph. à pluribus orbibus deferentibus, & resuctantibus Astra moueri, vtique fateatur iuxtà argumẽta sic posita oportet cælum sonare, & astra; quoniam plagas aëri indit, & ignis vsque ad nos quasi globos vi demittit, vt docet in p. Meteor. vide hominis instabilitatem, & inconstantiam.

Ad tertium principale huius articuli, sonum vbicumque est realem dico, sed vel validum, vel languidum. Intentionem, quæ sit eius imago, ignoro.

Ad quartum motus in aqua reales, inundatio docet; nec nisi verè moueatur, possibile est audiri in ea, & fortiter. Sonus tamen aquæ melius est piscibus perceptibilis, quam nobis: habent enim ad id auditum aptiorem.

Ad quintum dico vnum esse sonum continuatione à resonante vsque ad Auditum, quemadmodum & motus. Hic dubitat Simplicius an primæ circulationis motus secundæ communicetur, ità quod transeat de subiecto in subiectum: quod videtur impossibile peripateticis. Si verò alius sit sonus secundæ circulationis, & tertiæ, & quartæ, tunc quærit, à quo causentur tot soni, & quomodo componatur ex pluribus generationibus sui.

Respondeo quidquid aëris mouetur, consequenter mouere consequentem, nec pluribus quietibus, vt Peripatetici respondent, & motibus fieri sonũ, sed continuatione. Ille autem circulationes, quales in aqua apparentes, non esse diuersarũ generationũ, sed eiusdem impetus communicationis signa; & eleuationes aquæ impulsæ in aëre Nec ita fieri in aëre, & in mediis, vbi eleuatio non permittitur, sed continuatio impetus. Resistit enim Aër, proptereáque non sic facilè mouetur distans portio, sicuti

propinqua, sed motus communicatur semper decrescens, donec impetus cesset: non tamen do quietes intermedias, sed continuationes cum resistentia, donec multitudo resistentiarum vincat, nec à vacuo subsequente impelluntur; nunquam enim cessaret motus, quia nec langueret, sed ab indita vi, quæ languet ob dictam causam. Sentitur autem sonus vnus non indiuisibilitate, sed continuatione, vti est motus.

Ad 6. licèt immediatè post percussionem fiat sonus, tamen communicatio per aërem fit cum tempore ob aëris resistentiam, & spatij dimensionem. Nego quod non sit resistentia in aëre; aut quod recipiat sicuti lumen, sonum; aut quod non sit successiua res sonus; aut quod non sit motus; aut actus mobilis sonatiui primò, deinde aëris moti consequenter. Dico esse rem non speciem, seu imaginem; & ipsum aëris motum prout auditur vocari sonum, & fieri cum tempore, & audiri cum tempore.

Ad 7. perperam Aristot. sentiri graue, & acutum sono docuit, sicut per lumen color. Nam vel intelligit res sonatiuas, vt chordas cytharæ graciles, & crassas, & tympanum, & tubam, & sic non rectè loquitur. Corporis enim crassities, & gracilitas percipitur per accidens in sono, & vt commune obiectum, non vt proprium sicuti color, & vt causa soni; color autem non est causa lucis. Si verò intelligit per graue, & acutum motiones ipsas à talibus corporibus prodeuntes, tunc palam est, quod sunt differentiæ soni, & sicuti album, & nigrum non videntur per colorem, sed per lucem, sic acutum, & graue non audiuntur per sonum, sed per aërem mobilem, delatiuũ sonorum, id est, motuum alienorum.

Præterea magis sentitur extremus sonus, quam sonus. Ergò graue, & acutum extremi sonorum non per sonum manifestantur. Excidit hoc verbum inconsideratè ex Aristotele, & sui mirè pugnant, vt tueantur, nec possunt.

Definitiones grauis, & acuti non rectè ab eis assignantur. Neque enim semper velocius est acutius, sed sequitur ad acutiem velocitas, & ad tarditatem grauitas, nec semper. Nam acutus sonus potest esse tardius. Siquidem ægroti acutum edunt sonum, sed tardum ob languorem impotentem mouere instrumenta, & aërem. At si eadem vi quis moueat aliquid grossum, erit tardior motus, quam illius ægroti. Neque Definitio Arist. valida est; non enim acutum semper mouet multum in pauco tempore sensum. Est enim vbi, & in multo tempore. Datur & sonus grauis in pauco tempore. Veruntamen sequitur etiam ad acutum, & graue tempus cæteris paribus dispar. In textu autem nostro assignauimus acumen mobili, & mouenti primo aërem, vel multum, & per planum: vel punctim & minus, vt patet in chordis cytharæ. Accidit autem punctim mouenti minus aëris mouere. PropterEáque velocius, & in paruo tempore; planum autem mouenti multum aërem impellere. Ergò tardius, & in multo tempore, cæteris paribus. Quare neuter inspexit causas totaliter. Eundem autem sonum esse motum ab eiusmodi corporibus, iam dictum est: quomodo autem mouetur aër, sic mouet.

Ad 8. sonus non est in mobili, sed in aëre; efficitur tamen à mobili, & aëri communicatur. Aliquando verò sola aëris vndatione. Quapropter non quia est mobilis actus, non fit etiam aëris. Mouetur enim aër à mobili, vel alio mouente, vel ab ipso mobili & mouente. Dicitur tamen sonus, quatenus in aëre. Sic enim nobis communicatur: vt in mobili est motus. Spheras illas intentionales negamus; melius tamen Albertus loquitur distinguendo alteram ab altera. Intentio enim soni est languens sonus. Languet autem dum à centro recedit. Quapropter ignoranter cæteri languorem, & robur in prima sphera quoque ponunt; præsertim Auerroës, qui hoc probè declarat. Alij Latini, dum videantur Auerroïzare, & Themistizare; quamuis erroneè, gaudent. Tanta est seruitus in Aristotelismo.

Vtrùm voces brutorum sint cum imaginatione, & desiderio significandi conceptiones Animæ.

ARTIC. II.

NEgatiuam tuetur Auicenna, & Peripateticorum plurimi.

1. Voces brutorum sunt ab instinctu naturæ. Ergò non ab Imaginatione, neque ad placitum.

2. Voces significant ad placitum Institutorum, non natura, & quælibet distinctum habet significatum. At voces brutorum sunt naturales, & sine distinctione enunciatorum; neque enim articulantur. Ergò.

3. Si essent gratià conceptus declarandi pro diuersis conceptibus fierent diuersæ voces. At omnes sunt vniusmodi in vna specie: Asinus semper eandem vocem edit. Ergo non significant.

4. Maximè vterentur voce ad simul conuiuendum, & contractandum. At animalia multa sunt, quę simul viuunt in Republica, & exercent militiam, & tamen voce sonóque carent, vt pisces: à quibus dicitur Alexander magnus etiam armorum peritiam didicisse. Ergò eis, qui videntur significare, nulla est significatio.

E contra Porphyrius, & Plutarchus voces brutorum significatiuas esse & cum ratione, contendunt.

1. Nam & opera ipsorum rationalia sunt multa & propter finem vt nidi; retia, &c.

2. Item syllogismos facere solent, teste S. Basilio, & Ambrosio, meliores quàm in scholis humanis fiunt. Ergò & voces cum significatione habent; quod Aristoteles, & Auerroës de Pygmeis contestantur.

3. Apollonius Theaneus voces animalium profitebatur audire, vt præcipuè probauit in coturnice, quæ natis indicabat ad portā ciuitatis cecidisse animal onustū frumēto, vt irent ad manducandū, teste philistrato, & Porphyrio in orationibus de abstinentia ab esse carnium. Idem docent omnes Pythagorei, & Platonici quamplures.

4. Voces humanas intelligi à canibus palam est. Polonus enim non audiebat linguam Neapolitanam, vti ego vidi, nisi quis loqueretur polonicè; & simij videntur disciplinari voce humana, & psitaci, & delphini. Sentit & serpens vocem incantatoris: ideóque aures obstruit, teste Dauid psal. 57. ergò multo magis intelligunt proprias, mutuásque.

5. Voces secundum Platonem significant realiter: item nec brutis datæ sunt frustra, ergò propter significationem: quod apes in Repub. viuentes, & Regi obtemperantes, satis probant. Hyena hominis voces imitatur, & vocat homines, quos deuoret. Aues, teste Ambrosio, canunt mane & sero laudes creatoris, & variant voces pro diuersitate rerum enunciatarum. Item Lactantius Firm. dat rationem, & enunciationem animalibus.

Sed contra est S. Basilius, & S. Ambros. in Hexam. 5. & 6. dans animalibus significationem vocalem cum varietate, non tamen rationalitatem, sed sensitiuam sapientiam; instinctu rectam Dei. Et Euangeliū ait, *Estote prudentes sicut serpentes*. Et S. Thomas dat illis prudentiā, & discursum exilem, quem vocat *Extimationem*. Vnde cogitur & voces consimiles eis tribuere. Sunt enim signa sapientiæ, & voluntatis: qualem ergò & huiusmodi habent sapientiam, tales & eiusmodi habent voces, & significationes. Quapropter nemo dubitet sermones esse inter belluas, præcipuè quæ in Repub. viuunt, vt Apes, Grues, Formicæ. Nec frustra datas esse illis voces putandum, sed melioris gratia; vtque quod volunt, & sciunt, aliis manifestent. Vnde & pluuiam præuidentes nonnullæ clamitant, aliisque annunciant. Habent Apes excubias, & susurrum vnius Dormitionem iubentis, & manę surrectionem ad opera. Grues autem manifestiora nobis ista habent; vt non nisi obstinatus sit, qui negat vo-

ces significatiuas illis inesse, propterea quod nos illas non percipimus: quandoquidem, & Scythas & Indos cum loquentes audimus, vix aliquid significare eos credimus. Pueri verò eos nescire loqui etiam asserunt, quoniam nostro sermone non vtuntur. Pueri ergò sunt qui animalibus significationes vocales detrahunt. Hoc autem melius scietur, cum de eorum discursu disputabimus.

Ad 1. R. negatur consequentia; nam & nos aliquando absque præuia deliberatione solo instinctu multa loquimur, nec tamen ideò absque significatu. Instinctus est cognoscentis impulsus naturæ, nec nisi cognoscentes res ad cognitiones instigat, non vi, vt sagittam, sed naturali spontaneitate, vt docuimus in libro de sensu rerū, primò.

Ad 2. Voces primarias naturaliter significare in Metaph. docui. Animal enim, vt mouetur à suis passionibus, ita & aërem mouet, dum significat quod interiectiones satis declarāt. Ridentis enim interiectio aperta est, & dilatata, sicuti & risus passio est dilatati spiritus, & in textu exēpla posuimus. At verò hominū cōmistio, confusio linguarū, & cæli tēperies, quæ aliter, atque aliter vocalia instrumenta afficit, sunt in causa, vt postmodū nō naturā, sed institutione significationes factæ videantur; cū institutio sit eiusdē naturæ imitatio, & quasi degeneratio, aut à principiis elōgatio. Quoniā verò bruta præter ea, quæ militiæ, cibo, & veneri, vtilia sunt nihil negotiātur, paucas habent vocū varietates, & quasi naturales. Nec negem ex nouo institutas aliquādo, vt passerculi signum à matre habēt aliquod proprium, & hædi. Nam suam quisque pullus matrem inter millia eiusdem speciei ad vocē nouit, vt ait S. Basilius; & quidē hoc cōuincit negantes distinctionē vocū in eis. Habent & articulationem, sed suæ speciei congruentem. Stultum est, quia non dearticulant sicuti nos, putare eis articulationes deesse modo suo. Quapropter.

Ad 3. patet responsio. Variant voces quidem, licet nobis non sic videatur. Nā neq; Scythos audiendo, voces variare putamus. Equa vocat pullum alio hynnitu, ac dum equum vocat ad coitum, aut exurgit ad pugnam. Si quis obseruet, eleuationē, depressionem, & attenuationem, & figurationē vocis in eis reperiet etiam in asinis, qui vt ignorantiores, minus vociferatores sunt In auibus autem in ita palā est hoc, vt nihil magis: sicuti autē gallinarias: cuius gallinæ hoc, & illud ouum est pernoscit: Ego autem minimè, quoniam non assueui notas ouorum illarum distinguere: sic quodlibet animal propriæ speciei voces, earumque distinctiones pernoscit, nobis autem eædem videntur, sicut oua: & puerulo omnis homo videtur pater quoniā vniuersalitates, & similitudines nouit, differentias autem nondum notare assueuit.

Ad 4. benè procedit argumentum, vt videtur fortè inuictum, nisi demus vocem piscibus, quales in Achelo io inesse dicuntur, teste Arist. sed profectò vociferari non possunt: non enim respirant, ac dum os aperiunt ad enunciandum, aquis repletur. Quid ergo dicemus? Necessario asserendum aliquos motus inesse eis, & nutus significatiuos, sicut in mutis hominibus. Manifestè enim sedes mutant, & prælia tractant, infirmos in medio tuentur, robustos antesignanos faciunt; natos exercent, nutriunt, comitantur, instituunt, auocant, reuocant: ergò aliquibus signis illis notis, vel caudæ, vel branchiarum. Et quamuis eorum sonos non audiamus aqua impediente, qui per aërem audimus: haud tamen negandi sunt. Nam & olfacere eos vix crederes; tamen conuicti asserimus illis olfactum per aquam, qui nobis per aërem Motiones ergò aquæ ab hoc ad hunc emissæ signa sunt, vt aëris motiones à me ad te, cum imaginatione factæ. Quomodo enim sciret quid vult alter piscis princeps, nisi audirent? Numquid Dii sunt, vt voluntates animi scrutentur? Et hoc omnibus vicibus absque indicio vllo? Neque Angelis id concedimus, quanto minus piscibus.

Ad contrarias rationes Pythagoræorum Respondeo.

Ad 1. concedit S. Thomas opera brutorum videri rationalia, quoniam ab instinctu sunt primæ causæ omnia cum ratione facientis. Instinctu spontaneo, non violento, qualis in sagitta: ergo ab intrinseca forma & vi propendente ad finem. Sed aliquis diceret, etiam homines instinctu agi, & non ratione sua elicita, sed impulsu vel innato, vt grauia: vel illato, vt quæ consilio alieno, aut occasione fatali, aut delectatione obiectorum feruntur. At in Met. tractatum. Sufficit pro nunc, quod homo

nec ab obiectis nec à passionibus, nec à Deo, instigantibus, cogitur: nam & Deum blasphemat sine Dei instinctu. Vide q. de lib. arb. in seq. libro. Dico pro nunc brutis inesse rationalitatem sensualem, quam dicimus extimatiuam, non autem intellectualem. Et quidquid vltra hoc apparet in eis, à superioris causæ impulsu, & directione: non tamen absque sensu spontaneo istorum, fieri opinamur. Conceditur etiam quòd operantur propter finem omnia etiam naturalia, nedum animalia. Sed aliqua non cognoscunt finem licet delectetur ire & quiescere in eo velut lapis deorsum, sicut dicit Dionys. citatus à S. Thoma. Alia cognoscunt finem sed non rationem finis, & mediorum ad finem, vt Aranea, quæ facit rete vt capiat muscas & manducet, non tamen scit quod manducatio fiat vt instauretur quod de corpore suo exhalat, & vt crescat corpus ad debitam molem. Nec intelligit quibus vncinis rete capit muscas, sed solum quia capit. Instinctu etiam patuula aranea texit absque doctore. Cânis voluptate coït, & catulos nutrit, vt immortaletur species, at ipse de immortalatione nec cogitat. Sic & puer anniculus ante vsum rationis, manducat, nec finem cur manducatur scit, nec rationem mediorum ad finem: quoniam tunc bestialiter viuit: similiter peccator finē non considerat. At canes quomodo cū in biuio ancipites argumentantur hac ne, an illac iuit fera? & sequendum ne est hac via, an illa, quæ videtur breuior? & tandem deliberant velociter facto epicheremate. Puto equidem mouentibus obiectis vario modo sic canem discurrere, illato quidem, non ex se elicito actu syllogistico, sed exteriori obiecto, & imaginatiua agentibus: neq; arbitrij libertate, sed spontanea affectione ducente illam. Ambrosius ait, naturali eruditione D. Thomas participio rationis. Vnde eluditur, quod Aristoteles ait, assuefactione. Nam & Galenus in agno ex dissecta matre nato sponte, & per se statim absque ductore, ambulante, & olfaciente vasa plena variis liquoribus, nec nisi lacteum tandē hauriente, id natura fieri admonet. Quid dicemus? Quod diximus naturâ, scilicet, & motione obiectorum duci sponte, & similiter vociferari, suo loco patebit. Vsu quoque discere multa, sicuti & homines, testantur equi, simij, canes, & alia disciplinabilia. Pygmei autem, qui dicuntur Nani, homines sunt, alij feræ similis.

Ad 3. facile id credo, nam vidi catos vocare catos ad prandium vbi cymbalum vocans monachos ad refectorium pulsaretur. Quod autem Apollonius animalium voces intelligeret, nego, nisi aliquorum quibusdam assueuerit, vt armentarius, quid velint iumenta nouit, dum hinniunt, & pastor balatum ouium vsu discernit. At coturnicis, qua cum conuersatus non erat, quomodo potuit vocem discernere, si scythæ hominis non discernimus nos voces? potuit diabolo, vel Angelo docente intelligere, quid significent interdum, non autem propria sapientia.

Ad 4. concedo canes intelligere linguam eorum, cum quibus conuersantur, non in omnibus, sed in his, quæ spectant ad ipsos, vt si vocetur ad cibum, aut ad venationem, & huiusmodi, haud tamen loqui posse, quæ intelligunt, quoniam carent instrumentis. Psitacus autem concauum, sicuti nos, palatum habens, voces nostras imitatur, ac etiam dentes si haberet, labiaque, vtique longè plures & cetriores pronunciaret, non instinctu, neque libero discursu sed passione illata per assuefactionem, edita postea sic per inuitationem obiecti. sic de cæteris. Serpens autem, cui prudentiam Iesus tribuit, non audit vocem incantatoris sensum percipiendo, sed murmur. Nec obturat aures, nisi fortè sic videatur, dum caput defendit, cui vni est intentissimus. Theodoretus, & Chrysostomus dicunt, Dauid v sum esse hoc tanquam exemplo, cuius non requiritur veritas sui, sed manifestatio exemplari. Vnde & fabulis Titanum pro exemplo vtitur Iudith, vt S. Ambros. admonet. Alij dicunt inditum hoc serpenti ex maledictione, & inimicitia subsecuta cum homine, ex quo contra ipsum factus est instrumentum diaboli, vt videtur sentire Ambrosius. Omne autem animal quadam antypathia persentit vocem hostilem, quam alij non sentiunt, vt cumque sit sermonis sententiam non percipit. Pythagoras verò anima-

lia verbis dicitur ligasse. Sed hoc absque diabolo, vel Angelo sensum verborũ exequente, non credam. De Hyena mirum est, credo ea discursu sensitiuo ira machinari sicut & polypus & piscatrix piscis & aranea venantur. Aues naturali eruditione, Ambrosio canunt Creatorem. Quem S. Thom. ait, amant naturaliter supra se ipsos. De his posteà nunc autem satis est scire voces significatiuas illis inesse, & certò.

Simplicius autem, & Philoponus, & Auerroës Dianeticam vim sensitiuam esse docent, & mortalem; aliam ab intellectu immortali, quæ est in homine ratiocinatrix, & syllogistica: in Pygmeis logistica: in brutis extimatiua, & sic vociferationem correspondentem. Sed de his posterius inquiremus.



QVÆST. L.

DE RESPIRATIONE.

Conuenimus cum Aristotele, cæterisque philosophis, & Medicis, quòd ex consequenti vsus respirationis sit formatio vocis ad significandum: restat ergo inquirere de vsibus principalibus. Quapropter quæritur primo.

Vtrùm vsus respirationis sit principaliter imminutio, & refrigeratio caloris cordis, vt videtur Aristoteli, ac Medicis ex parte: an potius retentio, & auctio caloris, & spirituum: sicuti in textu docuimus.

ARTIC. I.

PROBAT Arist. suam opinionẽ in libello de Respiratione, sic. 1. Vita est conseruatio caloris naturalis, mors eiusdẽ destructio. Calor autẽ in sanguinẽ habentibus, sedem obtinet in corde, vbi Anima tanquam ignita omnes operationes vitæ exercet. Omnes enim fiunt igne sensationes, nutritiones, separationes ignis autẽ à duabus corrumpitur causis, vel à contrario per extinctionẽ, & violenter; vel à seipso per marcorem: dum humidum quo nutritur, depascit, exsiccatque. Vnde & maior ignis minorem consumit. Ne ergò subiectum consumat, seque ipsum Calor, si vita seruari debet per eum, est refrigerandus. Vnde ignis non refrigeratus suffocatur; qui vero in cinere occultatur, viuit, quia non prohibet cinis respirationem, neque aëri frigido dat extinguendi viam. Igitur aër pulmone attractus in cor est gratia refrigerationis cordis, qui excalefactus postmodum expiratur, ne & pulmo ferueat.

2. Datum fuisse cordi ad refrigerationem non modo pulmonis ministerium, sed & frigus cerebri, docet. Est enim cerebrum frigidissimum, vt cordis calorem temperet, & vitam seruet.

3. Probat idem vniuersaliter, quoniam omnia viuentia, calore viuunt. Ergò omnia indigent caloris refrigeratione, ne marcescat. Patet r. in plantis, quæ solo alimento refrigerantur, vt dicit Hippocrates etiam. Ieiunium enim calefacit. Sufficit autem illi paruo calore præditis eiusmodi refrigerario. Vnde in æstate aqua & lapillis frigidis solent Agricolæ radices refrigerare, ne marcescant. 2. vide in animalibus. Alia

enim

enim exanguia, carentiáque pulmone, vt cicades, apes, & huiusmodi, vtuntur refrigeratione per foramen membranæ, quæ est à secto transuerso, per quod etiam sonum faciunt. Quædam verò pulmonem habent, sed laxum, & pauci sanguinis, & parua inde etiam respiratione, vt ranæ, & testudines, & cancri, qui ex aqua viuunt, & in terra; & pisces quidam in terra defossi, ac ranæ, suffocantur in aqua, nisi tandem per vices exeant ad respirandum & refrigerandum calorem. Quæcumque autem aquatilium habent brãchias, carent pedibus, excepto cordulo; neque exeunt ad respirandum aërem, sed branchiis aquam attrahunt ad refrigerationem cordis. Quæ autem branchiis carent per vices exeunt, vt vituli marini, & balenæ, & delphini ad aërem: habentque omnes pulmonem carentes branchiis: & quia capiunt alimentum in humido, sicuti alij pisces per branchias humidum sequestrant à cibo, ne totum in ventrem intret, sic isti per fistulam propè cerebrum, qua expellunt aquam ne cum cibo immittatur: similiter mollia, vt polypi, sepiæ per concauum super caput emittunt aquam. Crustata verò, vt cancri, & locustæ consimili modo suscipientes aquam emittunt, non respirationis gratia: frigidi enim sunt. Terrestria autem & aërea animalia honorabiliora sunt, quæ calidiora. Idcóque pulmone indigent ad refrigerationem cordis, & aëre, qui sua tenuitate facile permeet ad caloris loca. (Vnde increpat Empedoclem, quod pisces calidiores dixerit, proptereáque in humidum migrasse, vt temperentur; hoc enim verum est de temperatione excessus in qualitate, non in substantia materiali, cuius est viuere in loco, vnde substantiam habet, vt aquea in aquis, terrea in terris: concludit pisces habere venas ad branchias è corde sub gutture posito recurrentes refrigerationis gratia: hominem verò nobilissimum pulmone indiguisse, & aëre: & quæ ipsum imitantur præstantiora.

4. Idem concludit ex ratione mortis naturalis: quæ fit, quando pulmo, aut branchiæ indurantur, vt non possint cor refrigerare sese eleuando. Ideoque calor marcescit.

5. Probat tandem ex motu; etenim aucto calore in corde dilatatur, & eleuatur, & per consequens expanditur pulmo, & per ipsum etiam pectus ambiens, tunc ingreditur aër ad refrigerandum: quo facto, demittitur pulmo; & cor & pectus, & expiratur aër.

6. Galenus, & Hipp. idem decernunt; omnesque Medici, sed motum tribuunt musculis, vti nos docuimus, non inflationi à calore. Refrigerant cor aëre inspirato; expirato verò expellunt fuliginem, ad pulmonem sanguinem nutritiuum efferunt: addunt tamen & nutritionem spirituum.

7. Idem docere videtur S. Ambrosius in 5. Hexam. cap. 4. & in 6. c. 9. addit sanguine humido pulmonis iram cordis temperari.

Alij è contra, quos Pythagoreos esse dixerat Arist. de odoratu loquens, hic nunc adducit c. 8. putans respirationem fieri alimenti gratia, tanquam quod alatur spiritu internus ignis, quo alito fiat expiratio.

SED Contra ait Arist. sic oporteret omnia Animalia respirare, aut quid proportionale sortiri: omnia enim habent calidum vitale.

2. Fieri ex aëre calidum vitale, est fictitium: cum fiat potius ex alimento, cuius emittitur excrementum, id est ex crassa re.

3. Sequuntur & inconuenientia dicta contra Democritum.

Democritus enim aërem inspiratum docuit prohibere animam ne exhalet, & ipsam esse calidam, & figuras sphericas, quas vocat intellectum, multas in aëre dicit auxiliares animæ, ne exhalet: quando autem non amplius id possunt, tunc alius aër ingressus extrudit animam, & fit mors, quæ est talium figurarum è corpore exitus.

SED Contra ait Arist.

Primo insufficienter loquitur, neque enim de violenta morte dicit qui fiat.

2. Neque dicit intrinsecus ne, an extrinsecus intellectus sit principium respirationis, non autem inferente vim ipso ambiente intrudente.

3. Quomodo potest simul comprimere, ne exeat, & dilatare in inspiratione?

4. Item quomodo viuunt, quæ non respirant?

5. In æstibus magis respiratione indigemus, & crebrius respiramus. In hyeme verò frigore sæuiente detinemus spiritum, cuius contrarium fieri oportuisset secundum Democritum, si Anima est calor. Nunc enim prohiberi magis oportebat: ergò sub æstu plus respiramus, tanquam confitentes refrigerationis fieri gratia.

Gen. 1. In contrarium est scriptura Dei, vbi ait. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*: quod exponendo Doctores primi aiunt; quod quemadmodum vita sensualis, & animalis est ab aëre per nares inspirato; sic vita rationalis, seù intellectualis est à Deo consimiliter infusa: nam vt ait Augustinus, anima nobilissima corpori rustico vniri vix poterat absque medio spiritu animali, vtriusque naturam participante: & licèt immediatè totam substantiam informet, vt ait S. Thomas, non tamen fit, quin prius natura saltem, & dignitate partes nobiliores; vel si illi medium, non informationis, sed gubernationis. Absque spiritu enim anima non regit actus, sed separatur. Hunc spiritum ali aëre testatur Lactantius, Iustinus, Origenes, Platonici omnes ac præcipuè S. Ambrosius in Hexam. allegatus sæpè à nobis in quæst. de odoratu, & tandem in lib. de Noe cap. 25. & 6. vbi ait, *Spiritus quo alimur, & carpimus in hac vita, nidus est pulmo idest aëris exterioris. Spiritus verò & sanguinis nidus est cor, id est, spiritus interioris, qui exteriori nutritur: duo sunt enim eius vteri, vnus qui sanguinem velut quandam sinu suscipit & transfundit in venas: alter quo rigatus ex illo superiori deducit in arterias sugi meatu.* Quod amplius in cap. 25. docet: ex hoc Plato dixit, ab aëre inspirato irrigari totum corpus per arterias: putat enim spiritum esse aerem sensitiuum, nostrique nutritiuum. Vnde Ambros. omnia æthere alimentari docuit in Hexam. & Plinius etiam profunda Maris & terrarum aere penetrari, & quasi animari, dixit: sic Varro, & Orpheus, & quicunque aliquid sapiunt.

Quapropter videtur iste principalis vsus. At nobis visum est etiam prohiberi spiritus exhalationem per hanc intrusionem aëris, quod etiam fatetur Ambrosius ibi cap. 6. dum connexionem spiritus extrinsecus illabentis esse quasi per cohibitionem, ne spiritus infusus, aut inclusus euagetur: & in hoc Democritus rectè sentit, sicuti Empedocl. dum sanguinis per arterias immersioni, & reuersioni, tribuit inspirationem, & expirationem ex parte quidem. Quod & Asclepiadi visum est. At quoniam arteriarum motus sequitur cordis motum, qui non sectatur respirationem ex toto: propterea ex parte aberrarunt, vt dicemus de pulsibus loquendo. Aristoteles autem rigidè condemnat eos causa inspecta nihil: sicuti & Platonem; qui manifestè Ambrosianam reddit causam respirationis, quam soluisse omnem Arist. mentitur.

At quod non fiat refrigerationis gratia, sed augmenti caloris & sanguinis attenuationis, & spirituationis, & fuliginum expulsionis, & spirituum productionis gratia respiratio, (vt in 4. Medic. ostendimus) probat S. Gregorius Nyssenus in lib. de viribus animæ cap. 19. & argumenta multa testantur. Primo enim impossibile videtur, naturam, quæ nihil superflui admittit, tantum caloris in corde posuisse qui indigeat continuò minui, & à cerebro, & à pulmone. Quis sibi vestem faceret tam longam, quæ continuò recidi, & curtari à duobus fabris ad hoc ordinatis indigeat? si dicas calorem augeri cibo; tibi mentiris: tu enim cibo refrigerari, ieiunioque augeri dixisti: sed esto, cur non augetur in animalibus carentibus pulmone? ergò pulmo est causa caloris augendi non minuendi, quandoquidem carentes minus caloris habent; vel natura sicuti illis calorem temperauit, ne indigeat refrigeratoribus, frustrà huic muneri occupatis, temperare sciuisset in homine, & construere vasa, quæ certum calorem seruent, non augeant adeò, vt talibus munitionibus opus sit.

Prætereà Aristoteli calor videtur positus in potestate Animæ: nam 2. de Ani. contra Empedocl. ait, non vrere in infinitum, vt ignis, sed cum moderamine calorem natiuum, quia animæ subditur; & alij dicunt esse diuersum ab elementari propter idipsum: ergò non indigebit frigoribus exterioribus.

Præterea quæ accidunt corpori ob calorem, accidunt & calori; corpus indiget continuo pabulo, quoniam exhalans calor minuit ipsum in tenuitatem actum, educendo: ergò respiratio prodest calori, ne extra ducatur, & vt augeatur.

Prætereà idem patet in omnibus ignibus; vnde Aristoteles sumit exemplum; cum enim sint extra cognatum cælum semper quamcunque nacti tenuitatem, euolant sursum, relinquuntque corpus reliquum, quasi carbonem extinctum: & hoc est mors omnium calidorum: igitur vt viuat ignis, & viuificet corpora, indiget retentione. Retinetur ergò respiratione introactus, ac proinde auctus: cum enim exhalat, minuitur.

Præterea idem patet exemplo follium ab Aristotele inducto. Propterea enim insufflant, vt calor intra carbones, & ligna intrudatur, nec permittatur foras exhalare cum tenuitate, & in materia crassa perire nobis (dico nobis, quoniam ipse exhalat) vel à frigore extingui. Insufflans ergò pulmo calorem cordis intrinsecat, prohibetque exhalare, ac proinde augnet: si autem in cælo esset, hac retentione non indigeret; cum autem sit extra cognatum ad quem appetit ire, retinendus est artificio: & sic intrusus cum aëre tenui sibi amico vires sese amplificandi sumit, & faciendi flammas, & spiritus; sic in corde sanguinem attenuat, & in venis, arteriisque, hoc aere intropulsus excitusque.

Præterea manifestum est, quod in æstate, & post cursum grandem, & febrem, calor in nobis intraneus minuitur: exhalat enim multus ac propterea crebrò respiramus, & parua respiratione, ne elabatur, ac simul accēdatur: id quod facimus, dum paruus est ignis in lignis insufflando crebrò, ne antequam reuertatur retinens ipsum sufflatio, exhalet, aut extinguatur, vti candela pauci ignis: cum verò hyems est, & benè nutrimur, & calor multus inest in nobis, rariores, & grandiores facimus respirationes, sicuti & sufflationes in igne multo, beneque accenso: neque enim potest elabi, vt indigeat crebritate, neque potest magnus in materiam coërceri, & retineri suam, nisi grandi flatu percussus retro. Aristoteles ergò non rectè naturam ignis, & locum considerauit. Telesius in hoc mirificus fuit; cuius libellum de respiratione non habeo.

Ad primum igitur Arist. argumentum Resp. vtique per ignem omnes vitales functiones fieri, sicuti ipse docet, licèt non sibi, nec suis satis conueniat. At cum ait, ignem a frigore extingui, itidem concedo violenter; cum addit à se ipso per marcorem, nego. Calor enim qui tenuitatem è subiecto faciens, videtur petire, non perit, sed sursum elabitur ad cognata corpora, vt etiam Arist. docet 2. Meteor. Igitur crassum corpus remanet extinctum, quia abscessit ignis cum tenuitate: ergò calor non est minuendus (sic sequitur ratio) sed retinendus, & augendus: ergò respiratio est ad caloris retentionem, augmentumque, non ad refrigerationem: & hoc patet, quia si igni non retentionem, sed refrigerationem adhibes, extinguitur. Marcor ergò est exsiccatio remanentis materiæ per exhalationem tenuioris cum calore; quam si prohibeas egredi, marcorem prohibebis. Non ergò verum, quod ignis non refrigeratus suffocatur, sed potius qui refrigeratur. Pone aquam, & niuem in igne, aut terram, aut copiosum oleum, & suffocabis, claudendo poros lignorum, vnde vapor flammæ nutritiuus à calore educitur. Similiter etiam ignis ictus suffocatur, non valens se dilatare: eius enim vita est dilatatio, & raritas, mors est constipatio: cum autem insufflamus, non refrigeramus, vt putant rudes, sed intrudimus, & copiam augemus. Ignis autem sub cinere propterea seruatur, quod cinis ignita res fuit, sibique cognata, nec pro sui raritate obstruit poros carbonum, ne calor in illis dilatetur, & vaporem efficiat: neque sinit ipsum in aërem exhalare, & relinquere carbones absque se extinctos, & vt sic dicam, exanimes. Ratio autem Aristotelis est falsa penitus; non enim cinis quia relinquit igni respirationem, seruat illum: quomodo enim respirat, si aërem non trahit per cineris poros? neque aër ille seruabit carbones accensos in quantum frigidus; sic enim extinguit, vt ipse fatetur: vel si seruat per Antiperistasim, tunc absque cinere magis seruaret plus enim cogit. Neque in quantum calidus, in aëre enim calido ignis citò perit inuitatus exhalare ab exteriori: proptereaque in æstate magis putrescere omnia Arist. docet in 4. Meteor. licèt non satis doctè, tamen hoc verum. Vide quæst. de putrefactione. Refrigeratio enim solum iuuat ad cohibendum per accidens, & augendum calorem cum fit insufflato aëre, non ad minuendum: sic enim citius marcescet. Aristoteles autem non agnouit, quid sit marcor, nec Galenus. Vide quæst. de Morte.

Nota quod calor, vt calor, per se attenuat, & exhalat sursum, ideoque est retinendus, & fouendus: & per accidens nutrit corpus: accidit enim illi fieri animal; sed quatenus

animasticus per se nutrit, & per accidens exhalat. Vide Metaph.

Ad secundum, nihil vanius, vt probatum est, nec magis contra naturam & summi opificis mentem, quam talis superfluitas. Sed ais; non ne superfluum est, indigere retentione, & augmento? Nequaquam: Deus enim naturas non violentat. Igitur dedit igni naturam sursum elabendi ad cognata; hanc non tollit, sed dum pro vita animalis eo opus est, artificium excogitauit, quo & quanto tempore retineri debeat, in cuius laudem licet hic exclamare.

Ad tertium, sigillatim dico caloris retentione, non minutione ista celebrari; & primo in plantis, quoniam æstiuus calor vrit terram, & radices, educitque foras calorem natiuum, proindeque plantis humiditatem copiosam, & frigus, vt exterior minuatur calor non interior, vtque calor natiuus trahat ad se succum, & alimentum ex terra madefacta, quod ex combusta facere non potest. Alimentum autem non refrigerat, vti putant, sed calefacit, idest addit copiam caloris, tollit tamen robur ardoris. Ieiunans enim animal, cum non habeat vnde spiritus alatur, patitur accensionem in sanguine, & in partibus solidis, & tandem exsiccationem, & caloris abscessum cum tenuitate, & mortem. Cibus autem calorem a solidis partibus ad se reuocat coquendum suoque succo irrigat corpus: quapropter cessat ardor, augeturque caloris copia; sic etiam dico in respiratione robur reprimi, sed calorem augeri; quod Telesius solet dicere augeri copia non robore. Dicimus enim calorem in flamma copiosiorem, in carbone robustiorem: hoc notent Medici.

Quod secundò de Animalibus exanguibus dicitur, nil probat: qua enim via recipiunt aërem, non ad refrigerium recipiunt; sed ad ignis innati retentionem, & copiam, & spiritus alimentum. Et cum frigida Aristoteli videantur, frustra caloris diminutio illis data fuisset per intromissum aërem. Quod de tertiis ait, itidem eluditur: fit enim ad spiritus retentionem, & alimentum respiratio, qui cum non sit magnus, neque elabi validus, paucis indiget inspirationibus: suffocantur tamen in aqua, quoniam intrans aqua in cor, spiritus incrassat, extinguitque. At si organa non pereunt, & aqua non penitus infunditur, vt in apibus, & muscis, positæ ad solem reuiuiscunt, attenuato liquore obstruente in aërem; ac spiritu foto, reatenuatoque. Quartum genus piscium branchiis pro pulmone veentium adducit (saluo meliori iudicio) non rectè, puto enim pisces non respirare, quoniam fit respiratio ad calorem retinendum. Aqua autem circumstans satis cohibet eius exhalationem: copia autem multo vapore innato semper augetur. Aquarilia enim multi sunt vaporis. Branchiæ igitur insunt piscibus, non vt respirent, quando & defossos in terra multos immobiles pisces viuere, testatur Aristoteles, & moderni, & fætus in vtero non respirat: sed vt aquam exprimant, quam cum cibo simul necesse habent deglutire. Igitur fit separatio aquæ à cibo in orificio stomachi, hoc introrsum attracto, illa extrorsum per branchias expulsa: profectò calidiores essent pisces hominibus, cum frigidiori elemento cor refrigerent. Delfini autem, & balenæ vtuntur fistulis ad aquas expellendas, quas cum cibo hauriunt, non autem ad respirandum.

Quapropter idem vsus est fistularum, & branchiarum. Respirant autem per nares, & os, non per fistulam, quando eleuantur capita super aquas, & hoc illis datum est, quoniam grandiora sunt, calidioraque, ac spiritu multò indigentia. Propterea que aër prodest ad calorem augendum, & spiritus alendos, & retinendos, quando dormiunt vituli super scopulis. In aqua verò retinentur ab ipsa; respirant autem ne multo humore grandia corpora torpeant; sed spiritus copia agitetur, & viuificetur ab aëre. Nequaquam venæ à corde in branchias sunt ad attrahendum refrigerium, sed ad nutrimentum, sicuti iugulares in nobis: neque enim ibi foratę sunt: concedit tandem in cancris, & locustis, & polypis non respirationis gratia, sed humidi egerendi esse talia instrumenta. Idem ergò debuit de branchiis dicere, quod & fistulæ admonent huius vni vsui destinatæ, cum aliunde exerceatur respiratio.

Plinius putat pisces respirare, vti dicit Arist. sed tamen aërem intra aquas agnoscit, quo possent & pisces respirare: sed neque sine aqua simul.

Verum Anaxagoras ait, cum aquam emittunt per branchias, tunc aërem, qui fit in ore iam clauso (neque enim vacuum restat absque aëre) attrahi ad respirationem.

Diogenes subtilius ait, cum extruditur aqua per branchias, attrahi aërem, qui & in aqua per os ad respirandum: putat enim cum Plinio esse aërem intra aquas: & credo credit serratis dentibus intrare posse absque aqua.

Sed accusantur ab Aristotele primò, quoniam de inspiratione aliquid dicunt: sed nihil de expiratione, nec possunt dicere: oportet enim vtramque simul fieri, seséque obuiare expiratum aërem, & aquam; vel dicere, quod respirant tantum, sed non expirant, quod est impossibile. *Argum. Arist. cõt.*

2. Non habent arteriam vocalem pisces, ergò non attrahunt, nisi osophago: hoc autem facerent animalia extera, vel pisces extra aquam, si absque pulmone, & arteria potest fieri respiratio, quod tamen non fit.

3. Respirantia mouent pectus, & particulam, in qua fit respiratio. At piscium nil mouetur neque in aqua, neque extra aquam, dum palpitant, nisi branchiæ: ergò non respirant.

4. Cum respirantia moriuntur intra aquam fit bullitio aquæ spiritu exeunte, & ampullæ, cum autem pisces moriuntur, hoc non fit, tanquam aëre inspirato careant.

5. Si solus oris aër sufficit intra aquam respirantibus; cur homines intra aquam similiter non respirant, sed suffocantur, & pisces extra aquam moriuntur?

Respondit Diogenes, quia multum aërem trahunt in sicco, in aqua verò moderatum: sed Aristoteles contradicit, quoniam & pedestribus idem accideret; nunc nullum moritur ex multa respiratione suffocatum.

Item multa animalia anulosa secta in duas partes viuunt sine respiratione: non ergò omnia respirant.

At istæ rationes non conuincunt omnes. Dicerent enim ad primum quod indigent spiratione ad augmentum spiritus, & raro; ideoque non expirare, quoniam pauxillum aëris in spiritus transit naturam, & per corpus extenditur, vbi calor etiam semper transpirat, nec tamen ab aqua prohibetur, sic & per os fieri posset. *Resp.*

Ad secundum, carentia arteriæ fortiter suadet, quod non respirent. At quod ait, homines in aqua etiam sic respirare possent, & pisces extra, non valet: homo enim plurimo indiget aëre, non eo solo, qui in ore: pisces autem minimo. Itemque aqua retinente spiritus, qui in sicco carent, & aëre extrahente, abundat.

Ad tertium, Branchiæ solæ mouentur, quoniam illa est aquæ via perennis, & in aëre, clauso ore eas intrat aër, & exit: pulmone autem carent, cui pectus consentiens moueatur. Nec propterea modicus aër per meatus occultos vitalia non fomentet.

Ad quartum, hoc nondum expertus sum; sed pisces vidi ampullas facere vbi aqua toxico herbarum inficitur, vt pisces moribundi capiantur à piscatoribus. At cum spiritus eorum modicus sit, & aquæ conueniens, ex qua attrahitur, potest non facere ampullas.

Ad quintum, Aristoteles ipse non satisfaciet vnquam in suo dogmate; si enim refrigerij causa est respiratio: refrigerium autem plus habemus ab aëre, quam ab aqua: vnde Arist. propterea balenas aëre indigere docuit, quoniam multi sunt caloris; tunc nequaquam pisces in terra morerentur suffocatione: neque homines in aqua defectu refrigerationis. Quare Aristotelis ratio in fine 9. cap. est petitio principij: ait enim, homines aëre, pisces aqua respirare. Nos autem diximus, quoniam aqua suffocat spiritus incrassando, & vitales meatus obstruendo, quod non facit piscibus aquam ad vitalia per nullam viam intromittentibus, sicuti homo per arteriam, & Osophagum, sed per branchias expellendo, aut per fistulam, quæ si homini inessent haud suffocaretur: pisces verò in aëre non suffocantur, sed spiritum exhalant ab aëre attractum, qui ab aqua cohibeatur: homo autem non exhalat spiritum, quoniam habet folles, quibus retrudat. Responsio autem Diogenis falsa est: non enim inspiratur aër piscibus in sicco, cum vacui ratio desit, & folles; sed extrahitur spiritus ad cognatum, & madentia membra, quibus tenebatur, exsiccantur, & aperiuntur. Rationes tamen Aristotelis contra responsum Diogenis, inualidæ sunt, neque enim terrestria plus respirant quàm opus est, cum sint in suis conuenientibus locis.

Ad sextum neque anulosa viuunt secta, qua in parte non respirant nisi paucis momentis, donec spiritus ex angustiis exeat; quà verò respirant, viuunt, si organa vitæ seruata sunt sufficientia.

Not Hic sciendum, quod pluries Auem grandem, aquis amicam, dictam querquetulam, secando, non inueni pulmonem, sed loco eius cocleam instar lymacis duram, sed transpicuiorem, qua aërem inspirant, & expirant, pectore nil moto, cum sint multæ carnis: ergò noui fieri ratione vacui respirationem, vt Plato ex parte, cùm coclea illa dura non possit dilatari: & ad retentionem, & auctionem; non ad refrigerium; & vanam esse Aristotelis rationem.

Ad quartum argumentum principalium in principio positorum Resp. mortem naturalem non fieri defectu refrigerationis cordis, vti putat, sed elabente calore cum tenuitatibus ex omni parte paulatim, ac proinde corpus siccum relinquente nutritioni ineptum, sicut calx noua parieti antiquo ægrè copularur, aut sicut dicit Galenus, quoniam exsiccatis partibus calor impeditur ab humore excrementitio functiones ordinarias aggredi rectè, vt oportet: licet autem augmentum caloris exsiccet, respiratio tamen licet frigida, non posset ipsum impedire: sic enim Borealiores homines, & aquatica animalia, quibus frigus inest, longioris essent vitæ: sed de his in quæst. de nutrimento, & ætatibus. Præterea senectus frigida est Aristoteli, non ergò quia deest refrigeratio, moritur animal; sed quia calor deficit: deficit autem exhalando vndique continuò ad supera corpora, non se perimendo, sed separando, vide inferius.

Ad quintum errat Aristoteles in hoc valde; non enim calor cordis sufficit eleuare pulmonem, & pectus quantumuis dilatetur cor; neque calor, qui est in pulmone id facit; etsi enim fiant flatus, & ampullæ, nontamen quæ ordinato motu eleuent, deprimantque cor, pulmonem, & pectus; alioquin & flatus intestinorum consimilem ordinatam efficerent eleuationem, & depressionem.

Præterea palam est, quòd talis motus ordinatus, & cum magisterio est: vnde & sistitur quando anima aliquid intentè cogitat: ergò fit ab anima cogitante, non à solo caloris feruore: patet etiam, quoniam & arbitrio subest aliquantulum respiratio; possumus enim detinere illam.

Item in Peripneumonia, fit lenta, ne offendatur locus affectus, pectus autem musculorum intercostalium dilatatione, & constrictione moueri palam est: musculi autem arbitrio reguntur, seù sensitiua vi imaginantéque: ergò Arist. imperitè id excogitauit, vt & Galenus admonet.

Quod autem Auerroës in 2. de Ani. pro suo Arist. ait, pulmonem expellere aërem à corde tepefactum, odiendo illius feruorem, non autem pectus: nihil est ad rem, nec difficultatis punctum attigit; pulmo enim eisdem modis deprimitur, quo pectus & à musculorum functionibus per spiritum mouentem non à caloris grandirate: si enim Aristoteli copia caloris eleuat pulmonem; multò magis cum plus caloris addiderit.

Præterea systoles, & dyastoles cordis non conuenit cum pulmonis constrictione, & dilatatione, vt probat Galenus contra Asclepiadem, vel Erasistratum, si rectè recordor; sed cum pulsibus: ergò non à corde mouetur pulmo, vt dicebat Aristoteles, sed proprio motu, vt in textu docuimus. Aliquid ergò melius dicebat Plato, qui intrante aëre, ne fit vacuitas, vnde expiratus exierat per circumobsistentiam fieri motum pulmonis; vel Empedocles, aëre sanguinem insectante, & cedente eidem; licèt vterque insufficienter; idem probat exemplum querquetulæ. Item positis follibus & aëre, non fit inflatio, nisi alio eleuentur; sic à spiritu eleuatur, à vacui ratione adiuuatur.

Ad Galenum patet Resp. concedo nutritiones, qualiter ab ipso fiunt, nego refrigerationem, quæ calorem minuat; sed tantum, aliquando ardorem: copiam verò augeat. Item spiritus ex sanguine solo fiunt nimis ardentes, ex commisto aëre temperatiores.

Ad quintum Ambrosium idem dico, cum præsertim & ipse id doceat: nam in allegatis locis huius aëris spiramine viuere, & ali omnia probat animalia; putátque spiritus vitales defectu pabuli priuaros respiratione extingui, non autem caloris refrigeratione perdita, vt Aristoteles vult. Docétque aërem, & alere, & refrigerare calorem, non quidem minuendo copiam, sed augendo; robur verò temperando, sicuti in aqua feruenti, si tepidam inijcias; calor augetur, feruor tamen remittitur quod in lib. 6. de pulmone loquens amplius declarauit, solummodo videlicet æstum iracundiæ temperari à pulmone, non autem calorem lædi.

Præterea quoniam ex sanguine solo pauci & ardentes fiunt spiritus, asserimus aërem mistum sanguini efficere temperatos spiritus, non autem imminutionis gratia inspirari.

Ad Pythagoricos dico, eos benè locutos esse, sicuti & Ambros. & Basilius: rationésque Aristotelis contra illos non valere.

Prima est inanis: nam illa solum indigent respiratione, quæ multam exhalant continuò copiam spiritus: in aquis autem modica fit deperditio: quæ autem in aëre viuunt, respirant omnia aliquo pacto: nos autem & retentionem addidimus, quæ & aqua fit. Diogenes modicum aëris ab aqua piscibus commodat.

Ad secundum Responsum est in quæst. de Odoratu, spiritus enim alitur aëre, non autem partes solidæ; nec etiam si cibo alitur, aëre non egeat: non enim semper paratus est cibus è sanguine, vti ex aëre; nec sufficiens continuæ effluxioni, nec ex sanguine alitur, nisi in vaporem aëreum verso; ergò itidem ex aëre: excrementa autem vapor non dat, sed crassities; an autem det, in quæst. prædicta docuimus.


Ad Democritum dico, bene locutum esse, in quo dixit retineri spiritus animales ab inspirato aëre, quod autem sphærica atoma sint intellectus, falsum est, vt superius probauimus. Rationes Aristotelis contra eum non valent, & prima est inanis: nam violentam ex intemperie exterius facit Democritus, aliisque de causis à Lucretio expositis. Insufficienter tamen loquitur, quia vnicum vsum dixit respirationis, cum sint plures, vt diximus.

Secunda est contra ipsum Aristotelem, qui dum Platonis sententiam examinat, condemnat eum, quod priorem expirationem fecerit: nunc autem damnat Democritum, quod inspirationem faciat priorem. Vide Philosophi sophismata: equidem puto priorem esse inspirationem: nam Salomon ait. *egressus ex vtero accepi communem spiritum.*

Item morientes postremò expirant: ergò viuentes primò inspirant, in ventre autem non respirare fœtum membranis, & humoribus circumdatum, palam est: neque enim ibi aër, neque os aperit, neque per os nutritur, sed per vmbilicum: egressus verò quoniam spiritus exhalat, statim ab aëre cohibetur, & intruditur, vt rectè Salomon admonet: & quidem fœtus, & pullus intra ouum non respirantes condemnant Aristotelem, qui piscibus respirationem tribuit. Quod si modicam in vtero concedas, fauebis Diogeni, & Anaxagoræ in piscibus. Qui autem dicunt per vmbilicum respirari in vtero, rudes sunt, neque enim via per ipsum ad pulmonem, sed ad hepar, & vesicam reperitur in dissectione, vt vrinam excernat, & alimentum exugat. Tertia ratio facessat. Aër enim intrans, calorem, & spiritum in cor intrudit; & pulmonem, & cor, & arterias aëre replet, quæ est dilatatio simul sui præsentia, & compressio, potiusque cohibitio caloris ne egrediatur: si enim insufflas in ignem intra vas laxum positum, tunc ignem intrudis carboni, & accendis, vas autem amplias, dilatasque.

Quarta, negocium non facit: omnia enim respirant in aere; in aqua verò non indigent, quoniam ipsa retinet spiritum, ne exhalet, & excepta ore potest hoc facere, aut brāchiis: licet enim branchias emissioni aquæ destinauerimus, vti fistulas; nihilominus si etiam dum non cibantur, aquam accipiunt, possunt per illam aquam calorem intrudere, & augere per antiperistasim, non autem minuere, vt Arist. credit.

Ad quintum Respondimus in corpore articuli; probauimusque nobis fauere, & Aristoteli refragari: non enim Arist. respirationis in calore, & in frigore differentias considerauit, sicuti neque pulsus, vt patebit.



QVÆST. LI.

Vtrùm pulſus ſit calefacti humidi inflatio, vt Ariſtoteles putat: an vitalis inſenſatæ facultatis cordis functio, vti Galeno placet; an verò ſentientis ſpiritus in arteriis, qua ratione in textu.

ARTIC. I.



RISTOTELES in lib. de reſpiratione cap. 15.

1. Omne humidum calefactum natum eſt inflari, & dilatari. Cor eſt fons ſanguinis, humidi, atque caloris, ergò continuò inflatur ſanguis in ipſo, & per conſequens fit dilatatio in eo, & in cunctis arteriis ſanguinem inde attrahentibus.

2. Pulſant venæ omnes & ſimul, ergò ab eodem principio, habent pulſum, non à ſe: ergò à corde.

3. Palam eſt iuuenibus fieri pulſationes maiores, quoniam calidiores, & humidiores.

4. Idem patet à ſigno apoſtematum in quibus fit pulſatio ob congregati in eis humoris calefactionem. Quies autem fit, ſi non perſpirauerit, craſſiore facto humore putrefactio. Bullitioni autem excidentia perterminantia.

Reprob. opin. Ariſt. de pulm. Galenus autem quod non à pulmonis motu fiat pulſatio contra antiquos docet, ex eo quod retineri poteſt reſpiratio, non autem pulſus, nec correſpondent ſibi inuicem eodem tempore illius, & iſtius dyaſtoles, & ſyſtoles. Ariſtoteli quoque refragatur Galenus, & omnis ratio, ſiquidem ebullitio ſanguinis temeraria eſt, neque eadem poteſt in toto corpore ſimul & ſemel, ſicuti eſt pulſatio haud temere facta.

Præterea palam eſt cordis motum muſculorum, & fibrarum ope fieri, non ſanguinis, imò ſanguinem intrudi, & extrudi, tanquam ſubſequens motum, non tanquam faciens, vt in textu docuimus. In querquetula tandem quomodo fiet eleuatio, vbi pro pulmone coclea teſtacea dura?

Præterea non docet Ariſt. quî fiat conſtrictio, ſed dilatatio tantum; cum autem ſemper adſit humor, & calor in corde inflans, nunquam fiet quies.

Olla ſiquidem feruens nunquam bullitionem ſedat, dum calor adeſt idem: oportet autem remoueri ab igne, vel frigidam iniicere, vt ſedetur: ſi autem Ariſt. tranſpirationem ſanguinis ex venis quietem facere dicat; oportuit hoc declarare; & quomodo in corde, vbi nunquam deficit ſanguis, fiat conſtrictio, non minus rationis ſequens tenorem, quam dilatatio.

Item venæ non pulſant, niſi inſenſiliter. Ariſtoteli autem à corde oriuntur, ficut arteriæ: ergò &c.

Atqui & Galeni modus difficultates patitur, putat enim à corde fieri pulſum in omnibus arteriis.

1 Quoniam eius imitantur conſtrictionem, & dilatationem in modo, & tempore.

2. Et arteriæ omnes à corde oriuntur.

3. Item ſicut motui cordis non poſſumus imperare, vt ceſſet; ſic neque arteriarum motui: ergò eſt à vitali, non à ſentiente virtute.

4. A corde autem immitti facultatem incorpoream in arterias omnes vult, & per ipſam pulſari; hocque probat, quoniam intercepta filo arteria, quà reſpicit cor pulſat; quà diſiungitur, non pulſat.

5. Item omnis febris fit corde affecto, & tunc pulſus fiunt è paruis, raris, & tardis; magni,

magni, crebri & veloces, prout cordis exigit ratio ad suæ accensionis refrigerium.

SED Contra est S. Chrysostomus super epist. 1. Thess. hom. 11. & 2. Thess. hom. 5. docens, spiritum qui è cerebro influit per totum corpus, efficere sensus & motus, & nutritiones, omnésque functiones vitæ.

Item S. Ambrosius lib. de Noe cap. 25. eundem spiritum in arteriis includit ad opera vitæ, ergò vt pulset. In venis modicum ponit, & plus sanguinis, Ideoque minus pulsant. Patet etiam ratione à spiritu fieri pulsus. Ipse enim mobilis est, huicque aptus muneri.

Item oblæso capite pulsus dimitti palam est, præsertim in Apoplexia & Epilepsia, & ab aliis capitis morbis.

Item ex sola imaginatione variatur pulsus, & in timore, & lætitia, & amore; per quem Antiochi agnouit amorem Erasistratus: sic ego passiones à pulsu diuinaui multas. Timere autem, amare, imaginari, sentientis est animæ, non stupidæ temperiei. In verecundia quoque pulsus variatio docet verecundantis esse substantiæ. Galenistæ respondent, cor in his pati per consensum, non per essentiam; ideoque pulsus, variari: sed falluntur, statim enim ac sensibile obiectum offertur sentienti animæ pulsus variatur: ergò eius opus est. Cor enim Galeno insensatum est, nec potest consentire, si non potest sentire; vel si consentiat, non subitò, antequam enim sensus insensato communicetur multum requiritur, si tamen possibile foret.

Præterea in Pleuritide remittitur pulsus pectoris, ne noceat dolenti parti: hoc autem artificiosi motoris est signum Galeno.

De vsu pulsationis nihil Aristoteles dixit. Galenus, vt attrahatur sanguis in arteria in dilatione, & refrigeretur calor natiuus, & educantur fuligines in constrictione, dixit. Nos autem in textu id explicauimus, vtque etiam sanguis arterialis exiliat per apertas fibras, & misceatur venali, quem viuificet, simulque disponantur corporis refectioni totius, Quod refrigerationis gratia non sit, & quot sunt vsus vtriusque pulsus, diximus in quarto Medicin. & quomodo spiritus belligerat contra morbum, dum febrit, ideoque motiones variat, vt possit morbosam causam attenuare, & è vasis educere, & non propter refrigerationem: vide ibi.

Ad primum Arist. respondeo, quod inflatio non præstat nisi tumorem accidentarium, non autem perennem motum ordinatum in dilatatione, & constrictione, ad vitæ tuitionem essentialiter operatum, vt probauimus in 4. Medicin. *Resp. ad rationes Arist.*

Ad secundum dicimus sanguinem à corde accipere, & sic dilatari, constringi autem subitò arterias à spiritu, vt sanguinis molem se infestantem amoueat; sicque euenire spiritus refectionem, tunc attenuato sanguine, & extramisso, fuliginum expulsionem, & corporis nutritionem. Quapropter pariter pulsant, quia æquè ab eodem fonte sanguinem habent, & functionem in eo à spiritu eodem continuato cum vniuersitate spirituum, quæ in cerebro. At etiam variari in diuersis partibus ad diuersos vsus, in Medicin. probauimus, & non temerè.

Ad tertium vtique palam est, quoniam abundant copia spirituum, & fiducia ob idem, vt dicit S. Thomas.

Ad quartum, nego fieri pulsationem in tuberculis eiusmodi, nisi à spiritu in fibris, vel arteriis incluso, volente noxium coquere humorem, quod & in febre facit, ac proinde expellere, expulso autem humore, cessat pulsatio extraordinaria, sicuti & febribus euenit, humoribus deuictis, non autem ordinaria.

Ad Galenum respondeo imitari cordis dilatationem, & constrictionem, quoniam sanguinem ab eo hauriunt constricto. Vnde puto in cordis constrictione fieri pulsus dilatationem; in dilatatione verò constrictionem, sic ratio dictat, & experior. Attamen in Medicinalibus plurima circa hoc disputauimus cum Galeno, & Auicenna, & asseclis. *Resp. ad rationes Galeni.*

Arterias autem à corde non oriri probauimus, autoritate Sanctorum, & rationibus, cum de Animæ sede loqueremur, & experimentis.

Ad secundum, ibidem diximus non esse imperium super motum cordis, & arteriarum: quoniam neque ardendi voluntati, neque intelligendi intellectui præceptum dare possumus.

Item hæc functio vitæ immediatè deseruit, nec contra vitam imperare possumus. At vbi opus est remittitur, vt succurrat capiti: spiritus autem refectio ex his motibus est, vt diximus in quæst. de sede Animæ, & vnitate.

Ad tertium, impossibile esse à stupido corde immitti facultatem vllam, ibi docuimus: neque enim nisi elementaris, vel ex elementis: ergò calor est, vel frigus: non hoc, quia stupefacit: ergò ille, tunc redit Aristotelis sententia. Fernelius per se pulsare vult arterias; sed quid faciet corporeitas absque actiua vi motiua? hanc autem probauimus esse spiritum: neque ex elementis aliud nobilius posse dari, quàm quod habent. Arteria intercepta non pulsat, quoniam sanguinem ibi non recipit, vt dictum est ibi; vel spiritus à se disiunctus, quasi timet, opusque intermittit, sicuti qui à suis destituitur in labore, vel prælio; vel quia fugit ad suam vniuersitatem, nec pulsationi tenetur, vide Medic.

Ad quartum, nego febrem fieri semper affecto corde, etenim solum apostema in pede facit febrem, nil læso corde. Gratis Galenus id docet, læso capite non corde etiam etiam fit febris: hanc autem esse spiritus feruorem belligerantis contra morbum: Idcóque facientis motus suos maiores, crebriores, & velociores, in Medicinalibus docemus contra Galenistas; bonámque rem esse febrem, sicuti & bellum infestatis ab hoste; non malam, vt ipsi putant: sic enim humor malus attenuatur, & expellitur. Hipp. etiam febrem agnoscit topicam in podagra. De febribus igitur inquirere hoc in loco superfluum est, de quibus in 7. Medicinalium luculenter.

QVAESTIO LII.

DE SOMNO, ET VIGILIA.

Vtrùm Somnus sit vinculum, & immobilitas cordis, tanquam primi sensorij communis, ad quam sequitur quies sensuum particularium, facta ab infrigidatione vaporum descendentium ex cerebro; propter quam fit conuentus caloris intro ad interiora, & inferiora, vt Aristoteles docet; an cerebri infrigidatio, vt placet Galeno: an tandem collectio spirituum in suam vniuersitatem ad se reficiendum, & vapores oppugnandum, & à vigilia laboribus feriandum.

ARTIC. I.

ARISTOTELES quidem in lib. de Somno & Vigilia, sic argumentatur.

Primò, omnia animalia dormiunt, & vigilant vicissim; cum autem dormiunt omnes sensus ab opere cessant: ergò quia excesserunt tempus in operibus suis, quiescunt. Delectatio enim in operibus non potest perpetuari. Quies ergò est causa finalis, & quia non possunt sentire, & moueri, erit somnus ipsorum vinculum, & immobilitas, & quia omnes ligati sunt, communis erit causa, & subiectum, affecta: ergò organum sensus communis: ergò cor, quod principium sensus, & motus esse probatum est, & tactus sensibus cunctis communis, originem, centrumque.

2. Quoniam non omnis ligatio sensuum est somnus, nam & præfocatio, & amentia, & deliquia tollunt sensum, nec tamen sunt somnus, sed quæ fit ex euaporatione alimenti, quæ in cerebrum eleuata coït in humorem, & reuertitur deorsum. Igitur infrigidatio ab illo humore in corde primo sensorio, est causa somnij, ratioque, & salus vti respiratio.

3. Id probatur, quoniam omnes quibus calida eleuatur, multaque euaporatio, sunt somniculosi, & vaporabilia sunt huius causa, statim enim à cibo & somnus, maximè

à vino, & exculentis humidis, & à mandragora, lolio, papauere; itémque à superfluitate calida, & humida in febrientibus, & lethargicis fit somnus, & in pueris, maximè ob humoris abundantiam, sursum petentem: propterea enim capita, & superiores partes habent grandiores, quia alimentum calidum, humidúmque ad illas attollitur, & in matricibus quinque mensibus dormiunt ob idem.

Item qui tenues, & occultas habent venas, & naniformes, & magna capita habentes, somniculosi sunt; epileptici etiam ob humorem in corpore quasi dormientes videntur.

At è contra parum dormiunt sicciores, & manifestas latas habentes venas, humoribus haud angustum dantes receptaculum, neque melancholici somnulosi, quia frigidas habent ventres, & atrabilis frigida, non sinit multam ad caput euaporationem ascendere; sed omnia membra reddit potentia talia.

4 Quod calor à descendentibus vaporibus introagatur, ostendit infrigidatio partium exteriorum, ac superiorum videlicet capitis, & palpebrarum, ac caliditas interiorum, vt inferiorum videlicet pedum, & abdominis.

5. Expergescentiam autem fieri docet in 6. capite eiusdem libri, cum impulsa caliditas ab humore demisso in angustum acta vicerit, & secretus fuerit sanguis purior a corpulentiori; dum enim indiscretus est, somnus durat, cum discernitur, & purissimus in caput, impurissimus ad inferiora, mediocris in medio constiterit: tunc fit vigilia: somnus ergò est primi sensorij comprehensio, vt non possit agere propter salutem; quia quies conseruat: causa autem est vapor sursum eleuatus, ac descendens in humorem actus ad primum sensorium, circumobsistens calidum, &c. hæc ille in toto libello.

Galenus verò concedit somnum fieri refrigerato principio sensus, & motus, hoc est primo sensorio. At quoniam probauit hoc esse cerebrum, vtique refrigerato cerebro: refrigeratio autem tollit calorem, qui est causa motus: itémque stupefacit sensum, ideò in somno cessat sensus, & motus.

Lucretius putat deficiente anima, quoniam in die elabitur foras, imminuitúrque passionibus, necessariò animal sine sensu, ac motu relinqui arbitratur, donec noua reficiatur ex cibo anima: vnde post somnum nouas cogitationes, ac priores mutatas habemus, & nouas vires. Ita ex antiquis reminiscor: libris autem illorum careo.

Respondeo ex scripturis sanctis haberi causam somni duplicem, videlicet vaporem caput obnubilantem, vt ait Dauid Psalm. 77. *Excitatus est tanquam dormiens Dominus tanquam potens crapulatus à vino.* In capite autem fieri hanc dormitationem, testantur sæpissimè S. Ambros. & Chrysostomus, cum ille de ieiunio, & Helia scribit, iste contra crapulas inuehitur: habes in Isaia, & Ieremia calicem soporis. Aliam causam somni lego afflictionem, & laborem: vnde Dauid 118. Dormitauit anima mea præ tedio, & ibi Ambrof. *Irrepit ex tristitia somnus, & sollicitudine rerum secularium.* Inuenies in Ambrosio lib. de Noe cap. 6. & 25. instaurari spiritus animalis sanguine, & aëre, vti sæpè diximus. Quapropter vt spiritus laborando imminutus instauretur somnum fieri compertum: tandem quietem esse à negotiis, & laboribus omnes docent homines; & Dominus dixit, *Dormite iam, & requiescite*: vnde S. Ber. serm. 2. de Septuag. infirmitatem causam somni adduxit, & super Cant. serm 52. somno sensus carnis suauiter sopiri ad tempus docet. De quo Virgil. dixit, *Dulcis, & alta quies placidæque simillima morti.* Lucretius non similem morti, sed quandam esse mortem dicebat, & resurrectionem, quoniam Anima deficit, & reficitur. At hoc falsum esse docent non modò homines somno resistentes, ac vigilantes, aliquando dies decem, vt narrant, qui remigio miseri ligati sunt; sed etiam bestiæ, quibus nulla inest Anima à Deo, nisi spiritus Animales, vigilantes in laboribus nostris, quo tempore eas dormire oportebat. Item in profundo somno excitati surgimus: ergò Anima etiam in somno adest.

Scripsit hæc autor in ergastulo latentur.

Concedimus quidem imminui spiritum vigilantium: sentire enim pati est, ac moueri, attenuari, exhalare, ac minui, non tamen prorsus perdi: sic enim nunquam instaurabitur, fit enim simile à simili: ergò à spiritu remanente in nobis, alius subsequens ex cibi vapore generatur: & cum Lucretium relegissem inueni, quod in somno animam non aufert, sed solum minuit vti nos, Rationes ergò nostræ sunt contra alios ita sentientes.

Quod autem in corde non fiat ſomnus, & S. Scriptura monet, dicens. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Et licet pro corde ſumatur ibi anima in cerebro, & in toto corpore operans, tamen cortex literæ nobis fauet, & inſuper experientia; ſiquidem dormientibus cor ita mouetur, vt prius in vigilia, nulla in eo facta ſoporatione: ergò ſopor ipſius non eſt, ſed capitis, in quo manifeſta eſt ſoporatio: in corde enim ſtupor nullus. Prætereà operatio animæ eſt motus, & ſenſus, & hanc nunquam dimittit in ſomno, vt putat Ariſt. ſed à paſſionibus dumtaxat exterioribus refugit: ſed mirum quomodo Ariſt. animam fatigari ſtatuit, quam incorpoream, & impaſſibilem alibi eſſe decernit: nec intro & foras abire, vt hic, ſed in toto corpore vt formam permanere inceſſanter.

Prætereà in quæſtionibus præcedentibus oſtendimus, principium motuum, & ſenſuum, eſſe caput, ex ratione, experientia, & ſacris Oraculis: ergò in eo fit ſomnus, per rationem Ariſtotelis, vti & concludit Galenus.

Nos autem neque cerebri, neque cordis paſſionem dicimus eſſe ſomnum: hoc enim modo eſſet morbus aliquis; ſed collectionem ſpirituum ad ſui refectionem, vel contrarij expugnationem. Quando enim fit a labore, & exercitio ſenſuum, tunc verè ſomnus eſt, & refectio, feriatióque ab externis exercitiis; non autem à propria operatione, quæ motus, ac ſenſus, nunquam ceſſans: vnde videbis pulſuum contractiones maiores, dilatationes minores in ſomni principio; quoniam ſpiritus refugit ad interiora: in medio ſomni vix pulſum ſenties tangendo dormientem: ſpiritus enim occupatur refectione in ventriculis cordis, & cerebri, ac nutritionibus in aliis vaſis: in fine verò ſomni vndoſum habes pulſum, & dilatationes maiores, quoniam iam refectus, vnctúſque ad exercitia exteriora, potens factus reuertitur.

Hæc autem inditia ſunt non cordis, nec cerebri, ſed mobilis ſpiritus receſſum ad interiora eſſe ſomnum. Ridiculè etiam Ariſt. vapores è cerebro in cor deducit: nec cor ſopiri videns, neque quà via deſcendant: ſiquidem duo neruuli parui è cerebro in cor feruntur, qui ſi humoribus replerentur, conuulſione, & ſpaſmo ſtatim contracti cor è ſua ſede aſportarent: & dolorem maximum facerent, qualis in morbo articulari. Per venas autem humores deſcendere à ſanguine prohibitos non poſſe exiſtimandum eſt: cum nec venæ ex corde oriantur: per arterias verò calido plenas ſpiritu diſſoluente vaporem omnem, eſt impoſſibile: cum præſertim in retiformi foratæ non ſint ad hauriendos humores, ſed ex textura emittunt ſanguineum vaporem in ſpiritus alimoniam. Per arteriam vocalem, nequaquam: à pulmone enim excipiuntur, qui ſolum aërem cordi membranis ſepto intrudit.

Præterea Ariſt. non dat cauſam ſomni ex labore, ſed tantum ex vino, & cibo vaporem facientibus. Conſtat autem etiam ſine vaporatione fieri ſomnum ex laſſitudine.

At Ariſt. in libello prædicto occurrens argumento ait, labores faciunt colliquamentum, quod ſimile nutrimento inconcoctum vapores etiam facit, vt etiam in lethargicis, & febricitantibus. At ratio hæc nulla eſt, etenim ab inedia, & vigilia multa, nullo labore, incaleſcentes ita vt colliquemur, dormitamus: ergò fit ſpiritu quietem, & refectionem quæritante, non vaporibus cor afficientibus.

Præterea nullus calor accenſus in re ſolida, niſi ſit ſummus, & præter naturam, liquores facit, ſed vapores tenuiſſimos, vt docuimus: ex materia verò laxa, & molli vapores facit craſſos, non poterit igitur labor colliquare, niſi in hecticam nos deducat. At hecticos videmus nimis vigiles, nec dormire poſſe, quamuis colliquationem multam patiantur: ergò Ariſt. vndequaque mentitur.

Præterea vapores calidi in cerebrum delati generant humores ſalſos calidóſque, qui Ariſtoteli ſomnum non faciunt: exemplum de læthargicis eſt contra ipſum, non enim in corde fit læthargus, & caros, & epylexia, ſed in cerebro, vt probatur euidentiſſimè: ergo vapores, qui faciunt ſomnum obnubilant cerebrum, reuocántque ſpiritus ad pugnandum contra eos; & ſic fit ſomnus ille, qualis & his, quos vapor craſſus per nares afficit apud Agnanam: vnde non immeritò ſomnus dicendus videtur S. Ambroſio: nam & febris nihil aliud eſt, quam pugna ſpiritus contra humores, vaporéſque infeſtos.

Præterea calidi vapores vini, & ciborum in cerebrum elati, quomodo in frigidos

vertuntur humores? Arist. causas reddit plures inanes: tandem excogitat, cerebrum natura frigidissimum vapores refrigeratos in liquores frigidos conuertere, vt aër in aquam eleuatos vapores à sole, ac proinde destillare. Nos autem ostendimus non esse viam inde ad cor, & huiusmodi vapores infessos in humores corrosiuos, & vigiliarum incentores, potius conuerti dormire autem spiritum antequam conuertantur, dum scilicet, eorum conuersioni in tenuitatem occupatur. Cerebrum autem frigidum non esse, nisi respectiuè multa docent: at solum angustias esse causam condensationis vaporum in liquores in quæst. de aquis patefactum per alembiccos. Nec vapores condensati faciunt somnum, nisi per accidens, & qui succedit, non qui præcedit, condensationem eorum in fluorem.

Ad primum Arist. Resp. nego in somno cessare sensum, & motum; sed tantummodo sensationes exteriores. Neque enim cum claudimus fenestras, & intus operamur, cessat opus nostrum, sed relatio operis, & passionis tantum ad extra. Patet enim in somno animam mouere pulmonem etiam in brutis, & nutritiones probè conficere, & cor agitare, & omnia opera interiora melius facere, seque ipsam reficere. Cessat & motus, qui est vectatio corporis, non motus, qui est operatio spiritus: ex hoc autem quod exteriores sensus vacant, in vno subiecto conueniunt, Arist. concludere debebat vnum esse spiritum sentientem in cunctis corporis sensoriis, & in tactu, qui ad interiora conuersus sine sensu & motu relinquit exteriora; nec sensum esse formam sensorij, quæ à suo subiecto non potest recedere; sed spiritum mobilem: sicuti dictum est. Cor autem non esse commune sensorium, neque animæ arcem, sed cerebrum, superius sic probauimus, vt nemo contradicere queat. Concedo causam finalem ex parte esse quietem: sed Aristoteles, cur quiescat, dicere non potest. Siquidem immutationem sentientis animæ non nouit, sed refectionem. Posse quoque moueri vectatione corporis dormientes, etiam Arist. testatur, de his qui surgunt, & agunt multa dormientes, quos agnoui multos: ergo sola exterior sensatio cessat in somno: nam sentiens anima est mouens, regensque eos, licèt clausis oculis. Vni ex his ambulanti per monasterium clausis oculis apposuit frater candelam, ac statim experrectus cecidit in terram. Aristot. dicit eos somnio dici: somnium autem esse sensamentum: ergò fatetur sensum inesse, & primum sensorium haud stupefactum frigore; sed tantum interius sentientem animam collectam esse.

Ad secundum concedo, non omnem sensuum ligationem esse somnum: sed Arist. mediam causam adducit, & quæ potius est morbi, quàm somni. Vapor enim multus, vt vini, & carbonum, & crassarum rerum, somnum faciunt ex passione etiam sine necessitate naturæ sed violentia: Qui autem fit labore, vel post vigiliam simplicem, verus est somnus; quoniam succedit status statui secundum ordinem naturalem vitæ. Vnde Deus noctem, & diem assignauit duobus hisce accidentibus. Omnis morbus tollens sensationem habet affinitatem cum somno ex vapore, nam & vapore infesto fit; non autem cum somno, vbi fit ad quietem, & refectionem. Mentitur autem, quod cor indigeat hac secunda refrigeratione à cerebro, vti docuimus in quæst. de respiratione.

Ad tertium, concedo etiam somnum fieri ab humidis, & non in corde: verum in cerebro: vaporesque occupantes spiritus sedem, necessitate ipsum ad sedis tutamen; & si vapores apti sunt, in spiritum conuerti, & itidem ali, vt dictum est. Concedo multos morbos somniferos vapore caput infestante fieri febres, tamen non vapore, sed diminutione spiritus exhalantis in multo calore. Idcircò qui remanet, quietem appetere, & hoc malum esse: oportet enim illum prius pugnare contra morbum, ac post victoriam in febris bellicæ declinatione nutriri, & quiescere, vt alibi docuimus.

Habentes capita magna dormiunt valde, quoniã multum attrahunt ad caput vaporem, non in cor, quo venæ angustæ, quoniam replentur vaporibus facilè, & humoribus, viæ spiritui obstruuntur. Sed hoc signum est corpulenti, & flegmatici, quorum spiritus satis explicare vasa non potuit, & excrementitiis humoribus præpeditur, & hoc dum in cerebro fit, est somni causa, non in corde; neque enim ibi hoc fit: sicciores dormiunt parum, quoniam calorem habent viuacem, qui vapores facilè vincit. Melancholici similiter spiritus tenuissimos magni sensus, ac motus, qui à vaporibus non nisi multis impe-

diri possit, & in inedia excandescunt, vt quamuis minuantur spiritus, non tamen dormiunt, cogitationibus motionibusque exagitati multis: frigus illud atrabilis fictitium est, cum sit fex adusti sanguinis à vincente calore, non autem frigoris opus.

Ad quartum, calorem intro agi, quoniam spiritus interiora petit, dico ex hoc agnoscat Arist. calorem esse sensitiuum, quia per se tanquam animal mouetur, vt & in problematicis fatetur: omnia extrema frigere in somni principio dixi, non solum superiora, vt Arist. docet: in fine verò calefieri omnia. At quia pedes regimus, non autem caput, videri illos calidos, non hoc.

Item opera nutritionis fieri in vasis inferioribus, cognitionis in superioribus. Idcircò spiritus dormientibus plures ad inferiora descendere, calefacereque plus solito: haud tamen ex hoc euincet Arist. frigus vaporum ipsum ad ima redigere.

Ad quartum, de expergescentia haud rectè loquitur; non enim finis somni secundum naturam est in sanguinis sequestratione, licet & hoc fiat à spiritu, sed in spiritus refectione: per alias autem causas non secundum naturam expergisci potest. Item si non potest expergisci Animal nisi separato puro ab impuro, quomodo ad ad ictus & vociferationes expergiscitur? numquid tunc in ictu potest separari illud ab hoc?

Item deuictis vaporibus in alio somni genere reuertitur foras victor, & finem somno dat. At quomodo cor, impeditum ne possit operari faciat, hanc sequestrationem, Arist. nihil docet, docendum quidem: quomodo enim in impedimento melius hoc faciat, quam in libertate, mirum est.

Item calor ille obsistit frigido humori: tunc deuicto humore, quid fit? & quomodo in illa victoria sanguinis secretio.

Præterea opus nutritionis est ab anima nutritiua, secundum Arist. somnus verò est ligatio sensitiuæ: quomodo ergò ad pugnam caloris sensitiui sequitur opus nutritiuæ? hoc docendi eramus.

Item cum sint ambæ in corde, ligata vna potentia, ligatur & reliqua. Vnde ergò opus nutritionis melius in somno, quam in vigilia, vt ipse asserit. Melius profectò Plato, & Galen. in Hepate ponunt nutritiuam, ne impediatur in alterius impedimento nobis autem hoc non euenit nihil ligantibus, sed ab externis actibus feriantibus.

Ad Galenum nunc inquam: si fit somnus refrigerato cerebro, cur non dormimus spirante frigido Aquilone, sed calido Austro, quam maximè, vt experientia testatur, & Hippocrates? profectò Borealis constitutio refrigerat cerebrum Hippocrati, Australis calefacit.

Item cur bibentes niuem frigidam non dormimus, vinum verò calidum, statim dormitamus: ergò non refrigeratio sensorij facit somnum, sed spiritus collectio ad expugnandum vaporem, vel ad se se reficiendum. Ratio eius inanis à dictis experimentis redditur. Siquidem vbi frigus tollit sensum, fit mors, non somnus: similiter vbi calorem ligat, aut extinguit, sique organa destruit irreparabiliter perimit.

Propterea enim Aues, & pisces in Flandria à frigore gelati, nec confracti in vere reuiuiscunt; quòd spiritus incrassatus in liquorem tenuissimum à frigore in suis vasis, accedente calore attenuatur, & viuificat iterum. At frigus somniferum nullum inuenitur, nisi per accidens, dum scilicet vapores tenues, calidosque spiritum agitantes, ne quiescat, moderatur; aut cerebrum excalefactum, spiritusque affligens, temperat, ne suo calore mordeat, sicuti in frenesi: ordinariè tamen frigus non facit somnum, sed vapor, & labor, vt dictum est: sequuntur & ad Gal. Aristotelis absurditates iam dictæ.

Item probatum est supra cerebri temperiem non esse causam sensus & motus: ergò neque eius refrigerationem causam somni.

Ad Lucretium iam diximus, quæ oportebat in corpore articuli.



QVÆST. LIII.

DE SENTIENTIS ANIMÆ OPERATIONIBVS INTERIORIBVS.

POstquam de mouentis, & sentientis, ac nutrientis Animæ vasis & organis loquuti sumus, & de mouentis, ac sentientis operationibus internis, externisque passionibus, & actionibus sequitur in Physiologiæ Epilogismo de mente à Deo homini immissa post corporis, & sensoriorum, & motiuorum organorum formationem. Deinde de natiuitate hominis, & de nutritione, vita, & morte; ac mox de interioribus sensationibus; quoniam verò quæstio de Anima, à Deo indita, absolui non potest absque his, &c. Anticipamus præsentem.

Vtrùm de sensibus interioribus, vel sentientis Animæ operationibus in obiecti absentia, sufficienter loquuti sumus in textu, & rectè.

ARTIC. I.



VIDETVR quod non.

Primo, aut enim loquimur de operationibus Animæ vt cognoscentis; aut vt cognoscentis, & appetentis, & operantis. Si omnibus modis, tunc amare, sperare, nutrire sunt interioris Animæ opera, multaque alia non nominata: sin verò de solis pertinentibus ad cognitionem, tunc vltra memoriam, reminiscentiam, credulitatem, discursum intellectionem, & imaginationem, ponenda erat extimatio, consideratio, cognitio, opinio, scientia, contemplatio, pensatio, cogitatio, consultatio, dubitatio, suspicatio, quas in sacris literis etiam reperimus: & in Scholis philosophorum.

2. Intellectus, Reminiscentia, Fides, & Discursus brutis desunt: ergò perperam sensitiuæ assignantur.

Respondeo in textu sermonem esse de operationibus Animæ cognoscentis in absentia obiecti: præsentiam enim habet solum in exteriori sensatione. Obiectum autem absens nullo pacto potest agere inanimam, nisi per id, quod sui reliquit in Anima. Reliquit autem simulacrum Peripateticis, nobis verò motionem: quatenus ergò illa motio remanet in Anima sentiente, vt motus in virga, & cicatrix in carne, dicitur memoria Propterea que vocauimus memoriam sensum anticipatum. Quatenus deinde aliquid memorantes, vel sentientes, per aliquam decem similitudinum dictarum in prædicamentis, in nobis expergiscitur sensus anticipatus, vocatur reminiscentia, quæ est anticipati sensus renouatio, vel resensatio. Quatenus verò dum sentimus aliquid, sentimus simul aliud non præsens obiectum, vel non notum, aut non mouens, sed ex vno simul noto in aliud noscendum mouetur sensus, vocatur discursus, qui est sentire in simili: nam & per contrarium sentimus, quatenus similis est disciplina vtrorumque. Vtrumque enim contrarium est. Vocatur etiam, præsentire, quando futurum in suo præsenti consimili sentimus. Quando autem nos aliquid non vidimus, sed aliorum sensibus, qui viderunt, vel à scientibus perceperunt, nos conformamus: dicitur credulitas,

& consensus Sic oculis Chrystophori Columbi videmus Mundum nouum; & Apostolotum, Christum. Cum verò id, quod nobis aliorum sensu, & sermone dicitur, non sentimus; sed vt sentiamus, aliquid simile ab illis, vel à nostra anima confingitur, vocatur imaginatio: sic pictor imaginem non visæ rei nobis facit, & Anima sentiens sibi ipsi. Nec potest facere, nisi è motionibus in memoria seruatis. Aliquando etiam ex illarum compositione per se fingit noua, vt fabulas, & inuentiones rerum; & hoc vocabimus prosentire nouo vocabulo, sed necessario: cum vero non totum obiectum cum suis particularibus sensus percipit, remanet enim motio languens, quæ vniuersalitatem rei repræsentat, & communitatem cum aliis, non autem singulares differentias; vocatur intelligere: hoc est intus legere, quod foris accepimus; sed vocabulo malè applicato. Intelligere enim est rerum medullas interius legere, & contemplari, vt patet ex S. Bernardo, & vi vocabuli. At à Peripateticis sumitur pro notitia vniuersalis, quam S. Thomas Deo non adscribit tanquam languidam, & imperfectam. Deus autem omnes rerum singularitates vsque ad intima medullarum agnoscit.

Quapropter quoniam expetimur brutis maximè conuenire, ac pueris notitiam communis, nescientibus particularitates discernere, ego inter sensationes interiores posui intellectionem, & vocarem ipsam desensationem, quoniam de obiectis, quod commune sentimus non perfectè. Potius autem apprehensio dicenda fuisset: sed de hoc postea: & quoniam alium sentiendi modum absentia obiecta non inuenio. Idcircò alias non apposui interiores sensationes.

De Meditatione dicendum, quod sit discursiuus actus ex corporalibus ad incorporea, proprius mentis, non sensus.

Ad primum dico de cognoscente tantum hic esse sermonem, non de actione in corpus, & appetitione adiunctis. Ideò nutrire, & sperare, &c. seorsum tractatur.

Sensationem autem interiorem nullam desiderari puto; & primò existimatio est opus discursiuæ, quæ est præstantissima potentiarum sensitiuarum Philopono, & Simplicio, & Nipho Peripateticis; & vocatur in homine Rationalis, in Pygmeis, & simiis logistica, in brutis æstimatiua: verum in cunctis, excepto homine, dicitur extimatiua, cui discursum singularium, non vniuersalium tribuunt Thomistæ. Nos autem in sequenti articulo dicemus.

Consideratio etiam pertinet ad discursum. Est enim S. Bern. in lib 2. de consideratione ad Eug. intentio animi vestigantis verum: ad inuestigandum cogitatio) & pertinet ad inquisitionem: omnis autem inquisitio fit per syllogisticum discursum: propter eaque cum discursum posuimus, etiam considerationem posuimus, si sensitiua Anima illam participat. Verum cum dicatur à siderum contuitu consideratio, in quibus multa arcana superum, & futura inuestigantur, maximè nunc perspecillo Galilæi: brutis autem non conueniat; nam ait Ambros. spectant quidem cælum bruta, sed non considerant ecclipses, Æquinoctia, siderum ortus, occasus, &c. quæ hominis solius sunt. Idcircò considerationem inter sensitiuas operationes non posui, nisi fortè instrumentaliter.

Cognitionem non posui, quoniam est vocabulum commune pertinens ad omnem modum sentiendi, & sciendi diuinum, & humanum, animalem.

Opinionem neque posui, quoniam est effectus ipsius discursus, vel credulitatis incertæ. Cum enim pro vero habemus (ait Bernardus lib. 5.) id quod falsum esse nescimus; tunc dicimur opinari: habere autem pro vero est ex discursu: cum enim nobis aliquid narratur, opinamur esse verum propter aliquam similitudinem cum rebus à nobis scitis, & sic est filia discursus, opinio semper.

Scientia verò est filia discursus demonstratiui. Dicimus enim scire, quod ex sensatis propositionibus concludimus euidenter.

Suspicio autem est degenerans opinio, idest languida, sicuti in Topicis determinauimus: similiter dubitatio est suspensio assensus vrgens ad inuestigandum: ergò ad discursum pertinent: scire tamen, opinari, dubitare, & suspicari, de hominibus dicere solemus magis, cum tamen & brutis conuenire palam est. At nomine communi existimatio dicuntur in eis, scientia tamen non semper: nam quia ad discursum diuiniorem videtur spectare, non solet brutis tribui, vt autem dicit cognitionem, ipsa non carent.

Contemplatio-

Contemplationem inter sensitiuas recte non posui, & consultè: Hæc enim ad solam mentem à Deo infusam pertinet, cum sit, teste Bernardo, & Richardo, verus certusque intuitus Animi de quacunque re: vel apprehensio veri non dubia. Apprehendere autem verum non est sensitiuæ animæ, nisi instrumentaliter, & in cortice. Ad contemplationem pertinet sapientia, quæ est res sapere prout sunt & fortè soli Deo conuenit perfectè: nobis autem ex parte, vt in Metaph. docuimus.

Pensatio autem est notitia eorum, quæ perpendimus, & ad discursum spectat, & extimationem: ex ponderum scrutatu nomen habens.

Cogitatio est Inquisitio discursiua: vnde S. Ambros. primo de off. cogitationes, ait, verum exquirere, & quasi emolere muneris habent. Hanc vocat Rationem Aueroës, & intellectum sensitiuam.

At S. Thomas in 22. tract. de Prudentia, intellectum singularium ipsam vult esse; pertinet ergò ad sensitiuam animam: equidem participatiuè tantum ad sensitiuam pertinere dicerem.

Consultationem omisi, quoniam spectat ad discursum superiorem inuestigantem, & determinantem facienda, quod in sensitiua non fit, nisi participatiuè, vel instrumentaliter.

Ad secundum argumentum dico, hæc omnia inesse sensitiuæ animæ: si enim illis inest extimatiua, quæ est discursus sensitiuus, vtique & Reminiscentiæ inerit, cum corporea sit passio, teste Arist. in lib de Reminiscentia. Puto tamen longè nobiliorem in homine, quanto discursus eius altior. Intellectum brutis inesse testatur Deus in Iob dicens, *Quis dedit gallo intelligentiam?* Sentit gallus solem antequam oriatur, & ille sensus obiecti absentis non particularizans eius naturam, dicitur intelligentia: cum autem Dauid inquit; in equo & mulo non est intellectus; intelligitur de Anima à Deo infusa, & de intellectu mentali, non autem sensuali iuxtà Doctrinam etiam S. Thomæ, alioquin contradiceret Iob.

Fidem non habent bruta prout est inuisibilium credulitas, & diuinorum, sed prout est assensus, habent. Etenim agnus credit matri ducenti eum ad herbam, & formica formicæ congreganti pro hyeme, & canis hero ostendenti panem, credit quod dabit sibi: vocabimus autem potius credulitatem, & in scripturis sanctis sæpè id inuenies. Discursum damus brutis, nec tamen propterea dicentur Animalia rationalia, sed extimatiua: tam modica enim est ratiocinatio illorum, vt ad nostram videatur nulla, sicuti nec sensus plantæ ad Animalis. Ille tamen modicus discursus rectè vocabitur extimatio, vel ratio sensitiua. Homo autem non modo est animal rationale, sed mentale. Ratio enim mentis longe major: vel dicetur Animal intellectuale, vel contemplatiuum, & religiosum, vt Lact. & Ambr. & Chrysost. & Osius Card. admonet.

Nota, quod omnia vocabula, & operationes Animi humani tribuuntur sensitiuæ animæ, & è conuerso propter communicationem. Vnde mens vocatur sensus, & contemplatio, cogitatio, apud Salomonem. *Terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Brutis tamen mentem, & contemplationem tribui, nec in sacris literis legi, nec in probatis autoribus: Rationem tamen, intelligentiam, discursum, &c. bene legi.

Vtrùm imaginatiua, intellectiua discursiua, reminiscitiua, & memoratiua differant à sentiente, & quomodo Aristotelici putant: an sint eiusdem animæ operationes, & facultates, & actus.

ARTIC. II.

PRobat Arist. differentiam imaginatiuæ à sensitiua, & cæteris in 2. de Ani. tex. 153. & seq. sicuti ex Thæetheto Platonis accepit sic.

Primo imaginari est in potestate nostra, cum volumus fingere; extimare, & opi-

nari non est in nobis: necesse est enim aut falsum, aut verum dicere: ergò differt ab opinione, & Intellectu; & addit Picus, & à Fide.

2. Cum extimamus aliquid terribile, afficimur, & timemus: non autem cum imaginamur: ergò differunt; & quia species existimationis sunt scientia, opinio, prudentia, & horum opposita.

3. Quod non sit sensus patet: nam in somnis imaginamur, non tamen sentimus: ergò imaginatio non est sensus, qui fit cum præsentia sensilis.

4. Imaginatio non semper adest: non enim infantibus. At sensus semper adest: ergo, &c.

5. Sensus inest omnibus bestiis, non autem imaginatio formicis, & apibus, & vermibus.

6. Sensus de suis obiectis semper veri sunt: imaginatio plerumque fallax.

7. Cum videmus sensibile, non dicimus, apparet nobis homo, sed potius cum non clarè sentimus; quando etiam fit, vt verus sensus sit, & falsus.

8. Clausis oculis etiam apparent visu.

Quod imaginatio non scientia, neque intellectus, probat.

9. Scientia, & intellectus semper veri sunt; imaginatio, vt plurimū falsa: ergò, &c.
10. Quòd non sit opinio patet: nam omnis opinio est cum fide, & omnis opinio est cum ratione, quia cum persuasione. Imaginatio verò non omnis cum fide, nec cum ratione omnis: nam bestiæ multæ sine ratione habent imaginationem.

11. Patet etiam, quod non est composita ex opinione, & sensu, vt Plato ait: sensus enim, & opinio non sunt eiusdem: apparet enim oculis sol pedalis: opinioni verò maior tellure.

12. Tandem concludit, quoniam imaginatio fit in sentientibus, nec sine sensu, esse motum factum à sensu operante, ergò patitur, & facit: ergò est vera, & falsa; & quidem sensus circa proprium parum fallitur; circa per accidens multum; circa communia maxime, sic & imaginatio, & amplius errore proprio.

13. Dat munus imaginationi, vt regat animal in somno, quando sensus brutorum cessat, & in homine intellectus obruitur somno, vel ægritudine, aut passione.

14. Quod intellectiua non sit sensitiua probat Arist. 2. de Ani. tex. 152.

Primo sensus inest cunctis animalibus, intellectus verò paucis: similiter sapere inest paucis: ergò.

2. Sensus propriorum obiectorum semper est verus, & inest omnibus animalibus; intellectus non semper verus, nec inest omnibus, nisi quibus ratio.

Auer. sensus in propriis semper verus, intellectus in vniuersalibus, sensus in communibus sensilibus falsus; intellectus in propriis idest specialibus obiectis.

3. Iterum in 3. de Ani. probat 3. Intellectus à potenti intelligibili vigoratur ita, vt magis intelligat minus intelligibilia. Sensus hebetatur ita, vt sentire non possit minora, cum solem aspicit, quoniam ille separabilis, iste inseparabilis à corpore.

4. Sensus non reflectitur in sui cognitionem: intellectus verò sic. 5. sensus cognoscit accidentia singulariáque: intellectus substantiam vniuersaliaque.

1. Rursus in lib. de Memoria, & reminiscentia probat memoriam non esse opinatiuæ, aut scientis partis Animæ: Quoniam præteritorum est solum.

2. Neque intellectiuæ, quoniam inest animalibus sine intellectu.

3. Neque sensitiuæ, quamuis, quæ sentimus memoramur: nam non omnia temporis sensum habent. Ergò sensitiui, imaginatiui ergò primi sensitiuo, quo & tempus sentimus.

1. Reminiscentia verò non esse memoriam postmodum docet, quoniam dicere est pati nunc ab obiectis: memorati est passum esse.

Reminisci verò non iterum pati, & sentire, vt à principio, sicut Platoni videtur: sed resumere scientiam, aut sensum, cuius habitum memoriam vocabmus: fit autem quia meditamur ab ipso, nunc, vel à contratio, vel à sensibili, vel à propin-

propinquo. Cum enim mouemur vno horum, apti sumus, & cæteris moueri, quia habent inter se ordinem. Ideóque Mathemat. maximè.

Vnde secundo differt Reminisci ab iterum addiscere; quoniam potest per se fieri, vt motus alterum ferat motum coordinatum sponte: non autem addiscimus sic denuo, nisi ab obiectis iterum moueamur.

Deinde docet non reminisci exteriora, quia ad ipsa extenditur cogitatio, vt visus Platoni, sed per id, quod habet in se simile exterioribus, hoc autem est figura, & motus; & licèt minora obiectis tamen proportionantur. Iterum nec æquales quæ intus inter se.

Deinde monet nos aliquando meminisse non putare, quoniam tempus etiam simul non meminimus: tunc autem verè meminisse, cum & tempus: nec differt in communi præteritum, aut tertio ante die distinctè.

Probat memorari nō esse reminisci, quoniā illud inest multis animalibus, hoc solum homini. Propterea quod syllogismus est reminisci; ex hoc enim inquirimus, quæ nouimus olim ratiocinando vnū post alterū: ergò est quid consultatiuū soli competens homini.

3. Probat reminisci esse passionem corpoream, & inquisitionem in phantasmate; quoniam turbamur aliquando cum reminisci non possumus, & valde cohibemus cogitationem. Aliquando sponte reminiscimur, nec possumus non reminisci, vt Melancholicis accidit etiam nolentibus, mouentur enim à phantasmatibus; & sicuti qui iaculantur semel non est in ipsis sistere amplius, sic reminiscens corporeum aliquid mouet, in quo passio est, maximè autem quibus humiditas fuerit facilè mobilis, quæ non cessat, donec accedat, quod quæritur. Itidem se habet in ira, & timore moti, nam & denuo contra mouentur: veluti cantores post cantum, iterum cantant, cessantibus enim, & nolentibus iterum subit dicere, & cantare.

4. Ex his patet quod Reminiscentia, & Memoria sunt passiones corporales. Propterea que senes, & pueri parum memoratiui, fluunt enim propter decrementum illi, isti propter augmentum. Similiter multum veloces, & multum tardi; illi enim humidiores, nec manent in eis phantasma; hi duriores, quos non tangit, & sicut in aqua non remanet sigillum, nec in antiquis ædificiis propter duritiem accipientis figuram: similiter naniformes capita habentes magna minus sunt memorantes, & reminiscentes, quoniam grauitatem habent multam in sensitiuo; nec motus à principio possunt immanere, neque in reminiscendo facile procedunt.

Hæc ex Arist. collegimus, super quibus altercantur Peripatetici, an diuersæ sint Animæ istæ, an verò potentiæ: & vtrum differant realiter, & subiecto; an sola ratione, & quomodo ex ipsis & intellectu immortali Anima constituatur humana.

Quicunque sequuntur Alexandrum has vocant facultates Animæ sensitiuæ ortæ ex elementorum optima complexione, meliori in melioribus Animalibus: putantque in corde primo sensorio, sedéque Animæ reperiri. Hanc sententiam reprobauimus, vbi cor non esse sedem Animæ cognoscentis docuimus; hocque membrum destinatum agitationibus, quibus sanguis attenuatur in spiritum, & sequestratur in arterias, haudquaquàm meditationū sedem esse posse, sicuti neque coquina, nec molendinū est Schola sapientiæ sed laboris; impedirique à cordis motionibus omnes sensatas motiones, ex quibus speculamur, iam dictum est: quod & Arist. per id quod dicit de reminiscentia humidorum, & velocium fateri cogitur. Qui autem Auicennam, & Auerroëm venerantur, putant differre realiter has virtutes, quoniam in diuersis Animalibus separatim comperiuntur: & in homine, vt in illis locari in cerebro, ita quod primo in syncipite ponunt sensum communem, qui particularium sensuum obiecta discernat: post syncipùt faciunt aliam cellam, in qua ponunt imaginatiuam in medio capitis, quod probat Auer. quoniam quidam læsi in illo loco imaginari haud rectè possunt: post illam ponunt cogitatiuam in homine, & extimatiuam in brutis in altera cella: quæ etiam intellectus dicitur singularium: huic subsequitur Memoratiua in occipite, quæ est thesaurus specierum: verum Auicen. vocat phantasiam thesaurum specierum, sed dicunt illam purificatarum, hanc sensatarum. Deinde adducunt intellectum possibilem, & agentem in his negotiantem. Addunt & memoriam intellectiuam. Dicunt enim in sensibili obiecto esse quatuor, materiam, præsentiam materiæ condi-

tiones, materiæ, intentionem indiuiduam formæ seù quidditatem singularem, & intentionem vniuersalem: sensum percipere cum Materiæ præsentia; non autem cum materia. Phantasiam absque materia, & præsentia materiæ. Cogitatiuam absque materia & præsentia materiæ, & conditionibus indiuidualibus, sed non absque intentione indiuisibili: ergo recipit indiuiduum vagum non signatum. Intellectus tandem abstrahit ab omnibus his, & recipit quidditatem simpliciter, vt vniuersalem omnino defecatam, vt elicitur ex Auer. 2. de Ani. tex. 63.

Hanc opinionem in p. p. Metaph. luculenter destruximus, probantes eandem Animam sensitiuam has omnes facere operationes, & quas fingunt cellas in cerebro inuentum esse nebulonum, qui non rerum naturas spectantes, sed propriis chimeris philosophantur: vnde Vesallius in Anatomia impietatis etiam obiurgat eos, qui istas cellas fabricantur, quas rerum opifex non fecit: in syncipite quidem aula est duplex duobus oculis correspondens, vt si cerebrum patiatur hic, ibi spiritus saluetur suaque munia edat: in occipite vna in quam secedit meditans: inferius subiacet ad nucam cerebellum fusum in spinas, neruósque, & vbi arteriæ plexum formant tanquam cænaculum: cellas illas quinque taliter se consequentes, & potentias animæ alligantes, nusquam inuenimus, & quotidie piscium, & pullorum ego Anatomiam faciens nihil reperio eiusmodi, nisi quas Vesallius narrauit.

Sed dicant quæsò, quomodo vna anima indiuisibilis in pluribus simul cellis negocietur? hoc nobis nil obstat corpoream ponentibus sentientem animam. Dicunt clie plures potentias, non plures animas. At profectò quę differunt subiecto non radicantur in eadem essentia: Proptereáque Plato tres faciens animas, vti & Niphus, & Pyth. & Galenus tribus in membris subiectis eas locauit: & Arist. contra quærit, quid est conniens illas: sed aiunt, plures potentias esse formas sensoriorum docuit Arist. vt visiua, oculi, auditiua auris, sic imaginatiua suæ cellæ &c. sed nos ostendimus ex doctrina sanctorum plura esse organa materialiter formata, non plures formas organorum sentientes: sed vnum spiritum in cunctis organis distributum: & sensum cõmunem vnicúmque reperiri iisdem rationibus comprobauimus. Prætereà Arist. videns sensus sic diuersos conuenire oportere in iudicio obiectorum, posuit sensum communem. Nunc autem dicant mihi, intraneorum quinque nidorum est ne sensus communis in quo conueniant, an non? si est, ergò sex cellæ: neque enim sensus primus communis sufficit: iste enim recipit indiuiduales conditiones cum obiecto, quas cogitatiua, & Memoratiua non habet. Item erit omnes sensus interni iste communis. Si non est, dic quæso in quo conueniunt cum de illorum obiectis discernimus? si dicis in essentia animæ sensitiuæ, tunc à principio idem dicere debebas; nec ponere frustra sensum communem; si in intellectiua, mentiris: nam intellectus non percipit illorum obiecta, sed vniuersale per vos: non ergò est in quo conueniant, nisi ponant virtutem omnibus communem, quæ erit melior intellectu, sicut sensus communis omnibus sensibus. Vel dicant vti nos, non differre subiecto, sed vnam animam has omnes edere operationes. Nec profectò fingent vnquam quo pacto, si alligatæ sunt organis, altera alteri communicat obiectum idem; & quomodo spolient illud conditionibus materialibus: namque vt possibilis intellectus intelligat Aristoteli indiget actiuo defecante obiectum: nunc autem dicant mihi, quis spoliat in sensu exteriori obiectum materia? neque enim sensus agens hoc facit, vt superius disputauimus. Iterum quis à præsentia materiæ defæcat, vt imaginanti offeratur? Iterum quis conditionibus materialibus, vt à cogitante percipiatur? de Indiuiduo vago quis faciat vniuersale? Aristoteles respondet esse intellectum agentem, quem suo loco reprobabimus: si sic est oportebat quidem Aristotelem ponere quatuor actiuas abstractas potestates ad ista munera quatuor potentiis distributa secundum Arabes: vnicam autem esse Animam sensitiuam, omnesque hasce operationes facilè obeuntem, mox probabimus. At neque illud ostendent mihi quo pacto ex insensatis elementis tã nobiles oriantur substantiæ, & operationes percipientes incorporea, & tam à longè cognoscentes: & dum Auer. cogit Alexandrum fateri elementa sensata, se ipsum cogit: quî enim fiat in elementis cogitatrix & imaginatrix, & sentiens substantia ex insensatis?

Galenus plures effugere ratus difficultates si in vnico cerebro sentientem Animam

ponat, cum videret lædi functionem vnam non læsis aliis, ex hoc plures potentias argumentatur, non tamen plures tribus, videlicet Imaginatiuam, Discursiuam, & Memoratiuam quoniam vna istarum lædi potest aliis non læsis, fortasse & hac ratione Peripatetici dogma defendunt suum.

SED Contra hos omnes statuo conclusionem ex doctrina Sanctorum in homine esse carnem, spiritum sensitiuum, & Mentem intellectualem; quæ per Serpentem, Mulierem, & Virum in S. Scriptura repræsentantur, teste Philone, Origene, Ambrosio, Augustino, & aliis sanctis. Ita quod Anima duplex est in nobis, videlicet sensitiua & Rationalis, quasi instrumentalis, & principalis: Illius spiritus aëris est substantia, huius spiritus Dei inspirantis spiraculum vitæ, vt docet S. Ambros. in lib. de Noe cap. 25. cum hoc tamen quod spiritus Dei creat substantiam, non dat de sua. Item Apost. ait, *si spiritu orat, caro orat, mens autem superuacua est*) quoniam, inquit Augustinus, spiritus fit ex carne, & sanguine: vnde in Scripturis caro & sanguis sumuntur pro anima sensitiua: cui proprium est magis nomen Animæ, teste S. Ambrosio in lib. de dignitate conditionis humanæ, rationali verò nomen Mentis. In Christianis verò vltra has substantias inest spiritus Sanctus, quem accipiunt in baptismate, inhabitans rationalem, vt loquitur Apostolus; non autem informans, nisi largo modo, de quo nunc non est sermo; sed posui propter S. Ireneum, & alios Sanctos, qui lectorem possunt confundere in vocabulo spiritus, qui est in homine. His positis, cum vnica sit anima sensitiua, quidquid additur a Peripateticis superfluum est: sed operationes, & passiones eiusdem dicendæ erant, quæ apparent: nec addendæ defecationes, & defecatores pro varia eiusdem obiecti perceptione, sed modus percipiendi considerandus erat solertius in natura, non in proprio arbitratu. Cum enim & aër percipiat colorem sine materia colorati, & cera sigillũ sine annulo, vtique sensum corporeum posse sine materia percipere, dicendum erat, sine præsentia autem materiæ etiam patere poterat: etenim & soni, & odores & motiones abeuntibus obiectis mouentibus, in aëre permanent, sic & in spiritu aëreo, & hoc est memoria, quod & Arist. aduertit. Imò Materiam incorpoream recipere corpus corporaliter, monstrosè Peripatetici asserunt. Nunc autem, quod natura offert non aduertunt: posse autem quod motum est iterum se mouere eisdem motibus, si aliud simile occurrat obiectum, vel si vnde id sibi placeat, habeat, etiam videmus, Quapropter spiritus sensitiuus potest imaginari quod passus est, & ex illis alia, si sentit appetitque. Hoc autem non facit nisi natura sentiens sit, ideoque Peripateticis impossibile est Animam ex insensatis natam elementis illud facere; nobis vero facillimum. Igitur quoniam tandem rem sentimus, & imaginamur, vel similem ex sensu, quoniam omne simile in quantum simile, est idem & vnum; nil mirum si imaginans anima est ipsamet sentiens: etiam oculus cum videt Petrum putat se videre Iohannem illi persimilem, & ex modica linea in pariete, serpentem. Aptus est ergò sensus simile in simili percipere, quia similia quatenus similia vnum sunt, & quia sensatio est motio: poteſtque se mouere, vtique & imaginari: si enim obiectum nullo pacto in sensu remaneret, vtique liceret aliam ponere imaginantem substantiam à sentiente. Nunc autem manent simulacra Arist. nobis verò motiones: ergò eadem præsente, & absente obiecto sentit, aut nulla est memoria sentilium. Discurrentem verò esse imaginanti eandem quis non videt? vt enim aliquid sciamus, imaginamur, & facimus simulacrum: sic Romæ imaginem formo, vt intelligam Romam: aliquando & nonentium formo imagines, vt Briarei: hoc enim est alter actus inuentiuus; sed discursiuus est primus; & quia etiam ex formatis imaginibus discurrimus fingentes poëticè auaritiam, crudelitatem, & alia inuisilia per imagines visiles, vtique discurrens anima eadem erit cum imaginante: similiter & quæ incorporea percipit corporeorum. Ouis enim videns lupum, inimicitiam cum eò etiam sentit, & dicit, est fugiendus inimicus, ergò iste lupus fugiendus. Quapropter cum sola sensitiua sit in oue, & discurrat, vti & Thomistæ concedunt ex singularibus, & inimicitia offeratur imaginanti, vtique eadem erit sentiens, discurrens, & imaginans: est enim discurrere in alio sentire aliud, vel per similitudinem, vel per connexionem. Maximè autem patet in sensu exteriori, qui modicum tangens vrentem ignem, totum vrentem iudicat ignem; syllogizans ex parte ad totum. Similiter ex albedine chartam sentio: & omnia obiecta per accidens, & communia non, nisi sensato

discursu percipit, cum per se non agant. Nec quidem canis ex voce in nocte cognosceret herum, sed tantummodo sonum illum, si non discurreret ex voce ad vocantem, ex obiecto per se ad per accidens: nec in rubedine carnem, sed tantum colorem rubrum esse putaret, propterea que discursus tempore augetur non sensus, quoniam est cognitorum per accidens, in quibus consuetudo consequentium requiritur. Intellectionem verò esse sensum languidum nemo ignorat, qui pueros vniuersaliter percipere nouit, & omnes homines patrem vocare, propterea quod nondum particularitates notare didicit: sic nos oua similia successiuè videntes idem putamus; non autem gallinarum magistra assueta in illis. Esse intellectum sensum à longè, & confusum, palam est etiam vbi quid à longè conspicamur, tunc enim dicimus est animal, deinde homo, deinde Petrus, prout magis minusvè propinquat, hic autem nullus est intellectus, aut sensus agens defecans animal à Petro, sed fit separatio à potentia mouendi sensum maiori in animali, quàm in Petro: siquidem habet animal sensum & motum, qui à longè comparet, & in pluribus est nobis notus: Petrus autem hunc motum, hunc nasum, hunc colorem addit, qui à longè non possunt sensum mouere: sic in sensu interiori, vbi abest obiectum, sentimus hominem in hoc, & in illo iam sensu perceptis: sed quia huius & illius singularitates parum nos mouerunt, & in his solis, homo vero in pluribus, & ergò magis, propterea plus intelligitur homo quàm hic homo, & videtur separari ab aliqua virtute, cum tamen sit à sola impotentia. Non ne oculus etiam colorem percipit, non percepto colorato? ergò sic intellectus hominem non percepto hoc, est enim homo communis natura multis, quæ plus mouet: estque similitudo multorum essentialis: hic autem est particularis. Vnde Deus dicitur sapientissimus, quia etiam hæcceitates scit: ergò cognoscere commune sine singulari est imbecillitas. Nec quia vniuersale est incorporeum, sit nobilitas: nam omne sensile etiam incorporaliter recipitur; & vis sensitiua ouis, quæ dicitur extimatiua secundum auctum Thomam, percipit etiam incorpoream inimicitiam, ò dutities, cur non vides, panni te colore tingi, non autem panneitate? sic est in internis sensationibus separatio, & non à cellis, & virtutibus abstractiuis. Sed ait: ergò non datur via cognoscendi animam rationalem immortalem incorpoream à Deo infusam? nulla, inquam, in Peripateticismo, vt mox demonstrabimus, etiam ipsorum testimonio: in nostra verò Philosophia, & Platonica, maximè.

Ad primum ad rationes Aristotelis sigillatim resp. nego opinari sensitiuum, & imaginari sensitiuum esse liberos actus in brutis, aut in nobis: sed tamen in nobis imaginari est in potestate, quatenus imperatur ab Anima à Deo immissa: secundum se tamen fieri non liberè, sed spontè, vt in brutis. Nota quod imaginari fictitia, à sensibus non oblata, ideò est in potestate, quoniam fit à nobis non mouentibus obiectis, sed nobis illa fingentibus ex obiectis quæ remanserunt in memoria, & cum sit actus noster, apparet liber: sentire autem præsente, tangenteque obiecto, est necessarium; sed ne nos tangat possumus recedere: at vbi tangit, necessariò agit, quia naturaliter: cum autem sentimus, necessario patimur, ergò affirmamus hoc calidum, illud frigidum: sic intellectio, & opinio cum hoc esse calidum, vel frigidum dicit ex motu obiecti, necessariò sic dicit. Quærit autem Picus vtrum credere sit necessarium; ex dictis videtur, quod sic, non enim est in nobis facere apparere veram, vel falsam propositionem: ergò nec secus credere: sed verum dicit, quando ab obiectis certis mouetur, & per se: non autem quando ab incertis, & per accidens notis, potest enim voluntas determinare se ad assentiendum potius huic, quàm illi. Diuina autem non sunt nobis per se nota, nisi quod Deus sit: nec omnibus: ideò voluntaria est fides Catholica.

Ad secundum, quoniam nos cum fingimus illud terribile, propterea non timemus, quia ab obiecto non mouemur, sed nos facimus ex aliis obiectis hoc: at cum existimamus obiectum terribile, illud tanquam ens sentimus, propterea que timemus: nec propterea erit alia imaginans substantia, & alia existimans, & opinans, sed eiusdem diuersi actus. Responsio Themistij & Simplicij est falsa, quod fiat opinio vnà cum consensu voluntatis, non autem imaginatio: ideò illa timet, hæc non: sed potius contrarium, dicendum erat. Non enim quod facimus nolumus, aut nos afficit. Quando ego tango me sub pe-

dibus, non titillor, quando alius, fugio, sicut tristem affectum; quoniam illud voluntarium est à me, hoc ab alio à quo possum timere: sed imaginatio cum fide facit timorem, vt ægroti, quod imaginantur credentes verum, timent non voluntate, ergò necessitate.

Ad tertium, Arist. petit principium, hoc enim est quod controuertitur, vtrum eadem anima percipiat obiectum præsens, & absens in somno, & in vigilia: dico igitur in somnis nos percipere obiectum, quoniam imaginatio est actus sentientis Animæ per id, quod ab obiecto sibi relictum est, & non per obiecti præsentiam.

Ad quartum, potest vnus actus eiusdem virtutis fieri vno tempore, & alius alio: nec propterea virtutes diuersas indicant, neque pueri discurrunt, quoniam particularitates non notant: intelligunt tamen commune: hoc enim proprium illis, & bestiis, neque fingunt imagines, quia non didicerunt discurrere: imaginantur tamen, quia somniant: at nimia humiditate spiritus affectus, & influens multus non communicat aduenienti suas passiones, propterea memoria carent, & imaginationibus, & discursibus: sunt tamen eiusdem animæ, sicuti & sermone carent, nec propterea alia anima in iuuentute loquetur.

Ad quintum, propterea non inest, quia pueris sunt similes, vt dictum est, nec hoc distinguet sensitiuam ab imaginatiua, sed sensationes ab imaginationibus: formicas, & apes imaginari palam est, cum quo pacto cellas construant prius norunt facta in se cellæ imagine: formicæ etiam dispositiones temporum, teste Plinio, imaginantur. Resp. Auet. quod Arist. non curat de exemplis: sed inquam, ergò decipit nos sic arguens, etenim cum exempla dantur ad solam manifestationem non est curandum nisi, vt notificent: cum autem ad probationem, vt hic, debent poni vera, vti & omnis experientia scientifica esse debet: sed nec quod ait de vermibus sine phantasia, credam; quis enim nouit? scio omne patiens retinere passionem; & illa mox posse moueri: timent quidem in absentia obiecti: ergò nec sine imaginatione, cui Arist. dat etiam motiuam vim, & regitiuam in somnis; & cum ista moueantur, & dormiant, imaginentur oportet iuxta eius decreta, nisi memoria prorsus careant, vt passio non remaneat.

Ad sextum, etiam sensus fallitur ad lucernam, cum viridem colorem putat esse croceum: sæpius autem imaginatio: quoniam circa obiecta omnia negotiatur omnium sensuum, & per accidens: & in absentia: contingit autem obliuisci multas eorum particularitates & passiones deleri, & alias misceri; propterea que videtur alia operatio, non alia virtus sentiens, ac imaginans: sensus à præsenti obiecto regitur & minus errat, cum ab absenti magis errat patet, quoniam à longè fallit nos visio magis quàm à propè.

Ad septimum, & octauum patet Responsio, nihil enim aliud habetur, nisi quod sit sensatio in præsentia obiecti. Phantasia verò in absentia: vnde & apparere nobis dicitur, quod à longè ægrè sentimus: esse autem, quod propè benè sentimus.

Ad nonum scientia, & intellectus principiorum fit ex pluribus sensationibus experientiam facientibus certificatis, ideo semper veri. Item in necessariis: at imaginatio est operatio eiusdem Animæ procedens ex quocumque semel & non bene impresso motu obiecti: ideò plerumque fallax. Nec propterea erunt duæ res, sed eiusdem rei duæ affectiones, aut operationes variis factæ modis. Intellectio autem similitudinis rerum etiam minus fallitur, quia quod multis inest, & pluries mouet, sentit: imaginatio autem quæcumque & quomodolibet.

Ad decimum probat, quod sint diuersi actus tantùm, non res diuersæ, omnis enim opinio est cum discursu ex sensatis prius, sic & imaginatio; verum illa accipit, ista fingit noua ex acceptis: fidem autem esse consensum diximus, sed ex persuasione, persuasio autem ex discursu, discursus ex eo quod sentimus ad alia, est enim in alio sentire: probauimúsque esse in omni sensu, idcóque & imaginantem Animam esse eandem cum opinante oportet. At si capiatur fides, & opinio non pro sentire cum alio, neque pro sentire in alio, vt nos hic capimus, sed prout fit in superiori mente inferioris animæ vtente actibus, tunc distinguitur imaginatrix ab opinante: at si superior vtatur etiam imaginante, vt in Mathematicis, non distinguitur: sunt enim actus eiusdem virtutis superioris, & inferioris coniunctarum vtræque. Concedo bestias non habere rationem mentalem, non autem sensualem. Nec quia deest imaginatio, non erit eiusdem animæ, sed non idem actus, vt dictum est.

Ad vndecimum Respondeo, opinionem esse sentientis opus, propterea enim opinor solem non esse pedalem, quia sensu percepi quæ à longè video, apparere minora, tunc met[illegible] per sensata quantum diminuit magnitudinis vnum miliare, & sic deuenio ad solis magnitudinem: sed hoc etiam sensus facit; non enim cum video Petrum super turri quantus est pygmeus, dico esse pygmeum: sensus ergò sensum corrigit, & alia sensatio aliam. Hoc etiam remanet in Anima complexum, puto & canes hominem à longè conspectum putare grandiorem, quia alias grandiorem eundem viderunt, nam & timent, & amant eundem procul, & propè. Opinio nascitur ex multis sensationibus, propterea videtur alia a sentiente virtute: non tamen sic est, nisi vbi fit in Mente humana.

Ad duodecimum, ex his poterat concludere esse sentientis animæ virtutem, quandoquidem ita agit, ac patitur, vt sentiens. Decipitur autem magis, quoniam obiectis absentibus operatur: & quia etiam fingit noua obiecta, & non nisi ex sensatis prius, vtique eadem dicenda erat, licet plus erret hic, quàm ibi.

Ad decimumtertium, indoctissimè loquitur Arist. si enim hominis intellectus immortalis, & impassibilis est, cur sopitis sensibus non das intellectui regimen hominis, sed fallaci imaginationi? ergò imaginatio est quid potentior intellectione: siquidem intellectus obruitur tunc, vt ais, imaginatio vero viget: sensus ergò intro collectus tunc regit, & non in fenestris, & iste est imaginans & sentiens. De vero intellectu Aristoteli haud noto, posterius loquemur. Lactan. etiam ostendit, quod intellectus, non phantasia regit in homo.

Ad decimumquartum, vbi probat intellectum, non esse sensum quinque rationibus, Resp. sigillatim. Prima est falsa, si intellectus pro absentis obiecti notitia quoad commune, non quoad differentias accipitur. Imò brutis hoc proprium esse assero, atque pueris, confuse cognoscentibus, sentientibúsque, & homini raptim aliquid videnti, aut a longè: si verò intellectus sumatur pro Mente, non inest brutis: sed Mentis non confusa notitia proprium opus, neque Arist. eam ritè infusà inuestigauit.

Secunda non valet: nam & sensus fallitur circa obiecta propria: magis autem circà per accidens, & communia, & quia ista percipit intellectus, similiter fallitur. Contingit tamen falli magis intellectum, quia à longè in absentia nouit, quam sensus, qui præsentia. Cum hoc tamen stat, quod eadem substantia sic fallitur, & sic non fallitur in cognoscendo: sed parum sibi constat Arist. qui in nono argumento dixerat, intellectum semper esse verum, nisi intelligat, circa vniuersale solum, vt dicit Auerroës: & sensum verum semper circa singulare. At vniuersale, & singulare variant modum cognoscendi, non cognoscentem virtutem: & ab vtroque vtrumque percipi palam est. Idem enim sensus videt Petrum, & hominem Petrum, vt Aristot. fatetur secundo Post. cap. vlt. cum autem à longè, non nisi hominem, vel etiam simul Petrum confusè, & hoc est intellectus proprium, & talem intellectum omnibus inesse animalibus necesse est, quorum est sentire: & fortiter, & languidè. Neque de hoc Theologi loquuntur, cum ipsum brutis negant, sed sicut Bern. vt suprà.

Tertia ratio, quæ videtur Achilles, nulla est, vt Telesius aduertit: si enim intellectus est sentire absentia, & distantia; sensus verò præsentia, & propè; tunc non rectè comparatur excellens sensibile, hoc est maximè actiuum propinquumque sensui, cum maximo intelligibili, id est parum actiuo, remotóque: sed contra minimum sensibile cum maximo intelligibili, & tunc sequitur, quod qui sentit minora sensilia, vt atomos aëris, & acum, & floccos, & saturnum, multò magis vigoratur ad sentiendum maiora vt baculum, mensam, parietem, & lunam: sic qui intelligit maiora intellectilia, id est distantia valde à sensu, multo plus intelligit vicina. Quapropter si spatium, & Angelos, & amicitiam, & alia incorporalia per corporalia discimus, vtique longè magis corporalia, hoc est magis sensibilia percipiemus, nec ex hoc sequitur sensum inseparabilem, intellectum separabilem: sed quod absentis, & præsentis obiecti differunt actu.

Quarta nil conuincit, intellectus enim, qui est sensus procul, non cognoscit se magis, quam sensus propè: palam est enim, quod sentimus patiendo à sensili: sensus autem sentit se pati sic, & sic: ergò sentit etiam se sentire, non quia à suo iudicio, & à sentire mouemur, vt arguunt sequaces Egidij: sed quia scit se pati, & de actiuo iudicare eodem sanè iudicio:

iudicio: neque enim sentire est pati, sed operatio propriè, hoc est iudicium de passione: iudicium autem non indiget altera passione, sed se per se nouit: latet autem hoc ob alienationem, quam ab externis patitur obiectis, sed sicut scit & amat se esse, ita scit se pati, dum patitur, & se iudicare, quod iudicat. Simplicius quidem, & Auerroes, & Albertus concedunt, se ipsum sentire, quod sentiat, atque in suam operationem reflecti, vt & Iamblicus dicebat; non tamen reditione completa ita quod sentiat potentiam, & tandem sui essentiam: hoc enim, aiunt, est proprium intellectus circulo flecti, vt habetur in lib. de causis, & hoc concedunt sensui humano tantum quatenus participat rationalitatem, non autem ferino, quoniam est virtus materialis, & extensa. Item componeret, & diuideret; alij dicunt, in se ageret: & visus se videret, &c. At & ferinum sensum se sentire palam est. Asinus sentit se tangi, & pati; cum autem verberatur, etiam dolere se scit. Dolor autem est vehemens sensus, qui ergò sentit se dolere, & non dolere, sentit se sentire valde, & parum. Præterea si sensus sentit suam operationem participando rationem, cum ratio sensitiua insit omnibus brutis secundum eos, apud D. Thomam vocata extimatiua: tunc omne brutum sentiet se sentire per extimatiuam. Non enim requiritur ratio superior, & vniuersalium secundum ipsorum dogmata ad notitiam particularium. Ratio verò eorum ex eo quia est materialis, & extensus, non valet: quia idem dicerem de sensu humano. Præterea probatum est non esse organi formam vel ipsum organum id, quod dicimus sensum, sed spiritum sentientem in organis; qui cum sit per se mobilis aptúsque moueri non solum acceptis motibus ab obiecto, sed etiam propriis à se editis, vt patet dum imaginatur; vtique sentit & obiecta, & motum proprium, & alios omnes. Hoc autem & sentiendo, & discurrendo, & componendo, & diuidendo: quando & Auerroës cogitatiuæ hoc dat, quæ est ipsa sensus discursiua vis. Intellectum autem non reflecti ad suæ essentiæ notitiam, nisi per ea, quæ accipit à sensu, nec Arist. negat. Idem ergò faciet sensus, si pro anima sentiente, non pro sensorio accipiatur. Oculus enim non videt, sed spiritus qui in oculo, nec oculum, quoniam ab eo non patitur, videt tamen circulum lucis in oculo. At in speculo oculus videt se, & reflectitur in se, sicuti intellectus videt se in alio non in se, intuitu illato, non innato. Hoc enim cuncta sese nosse in Metaph. probaui, & per se: & quia accidit se alienare à se propter obiecta externa, ideo accidit se non nosse nisi alienata in externis, & hunc cognoscendi modum vocant reflexum.

Quinta gratis asseritur: si enim nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu secundum Aristot. vbique id inculcantem; tunc sequitur & substantiam, & vniuersale prius in sensu fuisse. Tunc quæro vtrum secundum esse cognitum, an incognitum? non secundum incognitum, quia sic nec intellectui cognitum fuisset: ergò secundum cognitum, & sic substantia à sensu cognoscitur, alioquin non nisi species accidentis eiusque singularitas à sensu ad intellectum transmitteretur: sed si dicant transmitti substantiam, & accidens cũ singularitatibus, ab intellectu autem spoliari, & fieri substantiam vniuersalem: tunc redit idem. Nã à sensu cognitam esse substantiam oportet cum accidente: cum talis acceptio, & transmissio sit cognoscitiua, non fistularia; alioquin sola species accidentis transiret ad intellectum, nesciretque intellectus posteà illud accidens esse velum substantiæ, neque substantiam. Præterea cum vniuersale nõ differat à singulari, nisi quia illud in multis mouet, hoc in vno, nec percipiatur, nisi cum hoc, palam est, quod prius sit in sensu. qui cognoscit Petrum, & hominem Petrum, substantia verò cum cognoscatur à sensu per accidens quatenus alba, calida, frigida, dura, & cognoscere sic fit discurrere: Igitur intellectus substantiam cognoscens sine singularitatibus accipit ipsam à sensu discurrente languido modo iam mouentem, nec potentem suas particularitates imprimere. Proptereáque videtur intellectio alia à sensu: cum quo tamen stat, quod sensus prius & per se, & discurrẽdo agnouerit, quod intellectus dicitur nosse, & aliquid plus, quia etiam singularitates, & accidẽtia: & id est perfectius scire, sicuti perfectius est scire quod Petrus est homo, Italus, Romanus, bonarũ qualitatũ, longus huius figuræ; quàm quod homo tantũ. Hinc patet intellectionem Aristotelicam esse desensionem vti dicebamus, substantias tamen actiuas à sensu cognosci per se palam est, vt calorem, & frigus. Passiuas verò per has: superioris autem entitatis, vt Angelos per operationes sensui expositas, & per discursum à similibus sensilibus ad insensilia, & per minus sensilia qualis aër. Vnde & spiritus

vocamus eos, sicuti ventum, & intelligentias, sicuti quod nos in nobis immaterialiter percipimus. Nomina autem, scientiarum sunt signa. At & Auerroës tactum sentire substantias docet, quia sentit graue & leue. Item cogitatiuam percipere omnes quidditates singulares decem prædicamentorum, vt vult 2. de Ani. tex. 65. & Ratio est quoniam ministrat intellectui substantiam, vt instrumentum cognoscitiuum: ergò illam cognoscit. Optimè quidem: At Latini neque intellectum percipere substantiam per speciem substantiæ volunt, sed per speciem accidentis, sicuti & sensus, alioquin etiam sensibus innotesceret prius substantia. Obiectum enim agit in potentiis prioribus & deinde in posterioribus, ergò causat speciem, quæ si non est in sensu, neque ergò in intellectu: optimè & hi, sed ex hoc concludere debebant sensum cognoscere substantiam actiuam, non autem passiuam: sed aiunt substantia agit per accidentia, non per se, hoc nego. Imò ipsa magis agit, & dat accidentibus vt coagant, at in nostra philosophia calor & frigus sunt substantiæ agentes per se notæ sensibus, materia, & compositum per hæc, & per lucem, & motum, vt dictum est. Ex quibus omnibus colligitur natura ipsarum in sentiente anima: sed si ista sunt accidentia; rectè dicunt Latini, nullam substantiam per se cognosci, nisi ab intellectu separato, & mentitur Auerroës.

Ad decimumquintum, vbi probat primò, memoriam non esse opinatiuæ, nec scientis partis. Respondeo quod opinionus est, omniúmque notitiarum thesaurus, quoniam verò eadem virtus opinatur, & scit per ea, quæ a sensu accipit, seruátque, palam est memoriam esse in eadem anima. Neque enim alia seruat, alia scit seruatum. Memorari autem esse anticipatum sentire, iam dictum est. Proptereáque respicit præteritum: & sicut sensus præteritorum non est alterius animæ ab ea, quæ sentit præsentia, & ex præsentibus futura, sic nec memoria erit alia a sentiente, & discurrente, in qua est opinio sensitiua: nam de mentali adhuc non sermocinamur.

Intellectum inesse omnibus, iam dictum est, qua ratione ab Aristotele ponitur.

Esse imaginantis concedit, ergò sentientis: sed ais, non omnia sentiunt tempus; verum dicis de differentiis minutis: at confusè omne animal sentit tempus, & se passum esse nouit, & timet pati, & passurum: vnde pluuiam præsagiunt, & ventri consulunt, seséque mouent, ne imparata deprehendantur, vt Virgilius affirmat. Omne autem quod mouetur, imaginari quoque Arist. docet. Concedit & Philoponus confusè tempus à brutis cognosci (licet Arist. 3. de Ani. parum sibi constans non nisi ab hominibus dixerit) quatenus animal nunc pati incipit: non tamen ex præterito futurum cognoscit, quia sic syllogizaret. At fallitur Philoponus, cum videamus animalia seniora prudentiora, multáque præuidere in venatu, quæ catulus non præuidet. Ideo Aristoteles omnibus animalibus prudentiam donat, quæ memoriam habent, & D. Thomas ratiocinium singularium, quod vocat extimatiuam: licèt autem tempus sit incorporeum, percipitur tamen ab omnibus per passiones corporeas, quæ non sunt simul, sed cum successione, quod est tempus.

Ad decimumseptimum, quod docet de Reminiscentia, rectè probat non esse discere, sed resentire in aliquo, quod sentieras, videri debet etiam ex Arist. verbis. Tot autem esse reminiscendi modos, quot & syllogizandi, nos quoque docuimus: & eodem fieri modo: nec differre, nisi quia illud etiam præcessit. Deinde benè loquitur, quod reminiscimur per motus, ideóque ordinata melius, quoniam motus se consequuntur: at non rectè per simulacra, nullum enim remanet simulacrum in sensu, sed motio quæ ipsum repræsentat, vt dicemus: si enim vno simulacro spiritus afficiatur, aliud nullum suscipiet: sicuti neque tabula, nisi prius deleatur. De proportione motionum notionalium ad res exteriores, & an scire sit reminisci, vide Metaph.

Secunda probatio, quod Memorari non sit Reminisci, vera est, sunt enim differentes actus: non autem, quod non sint ab eadem substantia cognoscente. Et licèt solus homo discurrat de æternis, & abstractis; tamen de pertinentibus ad sui conseruationem omne animal syllogizat, teste S. Ambrosio, & S. Basilio in Hexam. per multa exempla attribuunt tamen hoc syllogismum eruditioni naturali: S. Thom. extimatiuæ: quæ in nobis dicitur cogitatiua.

Tertia probatio vera est, quod Reminiscentia sit passio corporalis: est enim in spiritu corporeo, qui sic motus moueri non desinit consimiliter: sed hinc Arist. videre poterat, quòd non fiat in corde, vnico motu semper agitato, nec in cerebri temperie immobili: ergò in spiritu per se mobili. Desinat ergò Plato admirari, quo pacto sicut columbæ euolant phantasiæ: vnum enim cogitantes, aut reminiscentes, plura suppetunt, quoniam omnia similia in substantia, & quantitate, & in actione, in passione, in loco, & tempore, & cæteris prædicamentis, excitantur obiecta ob similitudinem, & consequentiam motionum relictarum, & qui canunt, resumunt cantum, quoniam remansit motus ille fortis in spiritu mobili. Hæc autem quomodo euenirent in substantia cerebri, aut cordis? & quia spiritus est sensitiua Anima: ergò sentientibus cunctis reminiscentia sensitiua donanda erat, cum & corporalem esse probet Arist. exceptis carentibus discursu, vt Plantæ, non enim spiritus earum cauitates habet, in quibus moueatur, & pristinos recolat motus.

Quod tandem ait de senibus puerisque tardis, velocibusque, verum est: at causam dat non veram. Non enim in carne, aut in osse, vel medulla humida duráque, species imprimuntur sensiles, vnde memoramus, vt scioli credunt: sic enim impressa vna specie, altera non posset imprimi, vti in tabula rasa, neque senum cerebrum est durum, vt non possit impressiones suscipere; imò mollissimum: nec naniformium est fluidum, vt aqua, neque vt lubricositas, sed vt mollities. Igitur causa est spiritus ipse habitans in cerebri cauitatibus, qui in senibus exilis est, modicus, attenuatúsque, facilè elabens; antequam aduenienti spiritui suas communicet passiones motionésque; idem euenit percalidis, velocibúsque, maximè autem & fuliginosis, quorum motiones à fuligine interturbantur. Pueri autem non ob tenuitatem, sed ob copiam vaporum obnubilantium fit, vt minus retineant. Vapores enim motiones ab obiectis inditas delent, & nouis mouent, suisque: sic naniformes capita magna plena fumis habentes, immemores sunt. declarãt hoc ebrij, quibus vapor vini, memoriam tollit, de his vide Textum.

Nunc ad Arabes Resp. quorum doctrinam in corpore articuli confutauimus. Dico haudquaquam fieri depurationes obiecti per tot cellas à sensu ad intellectum, sed passim singularitates deleri, quia languidius mouerunt, fierique sicuti cum video Petrum præsentem agnosco ipsum vt Petrum cum suis indiuidualitatibus: cum verò paululum se elongauit à me, cognosco ipsum vt quendam hominem monachum; & paulo distantiorem, vt hominem tantum, & mox vt animal, & tandem in fine visiuæ lineæ, vt corpus: quoniam singularitates passim desinunt mouere; communitates plus durant ob causas in textu. At singularitatibus tantis carens indiuiduum aliquod, vti Sol, & æquè sibi patens, idem apparet à longè, & propè, & in intellectu, & sensu singularitates easdem habet; si præscindas extrinsecas, quæ sunt locus, & tempus, & vicinitas cum hac & illa stella, quæ non durant in Sole. Vide p.p. Metaph. Nec solo medio capitis læso imaginatiua læditur, sed etiam solo spiritu in Amore vehementi, & timore, quæ solius sunt spiritus passiones.

Ad Galenum patet Responsio in textu. Potest enim lædi vna functio, altera non læsa, non quia diuersæ sunt substantiæ fungentes, sed diuersæ læsiones eiusdem. Profectò nimia spiritus tenuitas, aut multus vapor ipsum obnubilans, lædunt memoriam, vt dictum est. Nimia verò affectio eiusdem rei, imaginationem: vt qui amat, imaginatur amantem, & quocunque mouetur spiritus motu, ad motionem notionariam amantis, vel amasiæ secedit. In cæteris discurrit, & memoratur: quoniam non nisi forti passione affectus est vnius rei: vnde & gallum se esse quis, & mortuum præ nimia eiusmodi passione putat, in grandem incidens sic imaginationem. Quidam amicus nimio calore æstiuo affectus, dicebat, videor mihi esse pepo nimis maturus, & tunc incidit in fortem imaginationem, quod esset ipse pepo. Hoc autem fieri non potest in cerebri immota temperie: nec possunt Peripatetici, & Galenistæ ex sua positione causam reddere, sicuti nos facile. Potest discursus lædi, rarò tamen sine imaginatione ex parte, qua ex vno aliud imaginamur, & hoc ex nimia fuligine motiones discurrentis spiritus interrumpente, aut huiusmodi causa altera, de quibus in textu: omnes tamen in læsione communicant. De his cum Galeno, & cæteris Medicis disputauimus in 6. Medic. cap. 1.



QVÆSTIO LIV.

DE ANIMA HVMANA A DEO immissa & de immortalitate Animorum.

Vtrùm verè, ac sufficienter Aristoteles demonstrauerit intelligentis Animæ humanæ immortalitatem, alterúmque genus à sensitiuo, separabile re, & ratione à magnitudine, & an rectè agentem superaddiderit Intellectum. Idem quæritur de Aristotelis Asseclis.

ARTIC. I.

VIDETVR quod sic, ait enim in 3. de Ani. Tex. 2.

Primò intelligere est sicut sentire (quia aliquando in actu, aliquando in potentia, vti & sensus) ergò est quoddam pati, vel quid simile: ergò Intellectus passibilis est sicut sensus, ergò suscipit formas, & non res: ergò sicut sensus ad sensilia, sic intellectus ad intelligibilia.

2. Et quoniam omnia intelligit, ergò non est mistus intelligibilibus, sed separatus, vt ait Anaxagoras, vt imperet, id est, vt cognoscat, intus enim existens prohibet extraneum.

3. Ergò eius natura nihil est nisi potentia, neque aliquid eorum quæ sunt actu antequam intelligat.

4. Ergò non est miscibilis corpori: fieret enim calidus, aut frigidus, & organum haberet proprium in corpore, sicuti & sensus, hoc autem non habet.

5. Et benè ergò dixerunt (Platonici) esse locum specierum, sed non totam, nisi intellectiuam, nec actu, sed potentia species.

6. Sensus non potest sentire à vehementi sensibili: Intellectus verò à vehementi intelligibili magis intelligit inferiora, quoniam separabilis est à corpore: sensus autem cum corpore.

7. Anima intellectiua discernit quidditatem vniuersalem; indiuiduum verò sensitiuo, puta calidum, frigidum, aquam dico, formas verò eorum intellectiuo, vel etiam eodem aliter se habente per reflexionem ad sensilia percipit indiuiduum.

8. Quærit quomodo intellectus immistus patitur cum commune sit aliquid agenti & passo. Item quomodo intelligit se? erit ergò intelligibilis, sed intelligibile est intellectus: ergò omnia erunt etiam intellectus. Respondet, patitur perfectiuè, sicut tabula rasa in qua nihil est depictum. Ad secundum ipse intelligibilis vt cuncta, quoniam in his quæ sunt sine materia, idem est intelligens, & intelligibile, vt scientia & scibile idem. In materialibus verò non idem intelligibile, & intellectus, propterea se non intelligunt, sed cur se non semper intelligit? tacet. Addit in Tex. 17.

9. In omni natura est aliquid loco materiæ, & aliquid tanquam agens vt patet in artibus, sed anima est quædam natura, & intellectum passibilem vt materiam habet, ergò & agentem, qui est omnia facere, sicuti ille omnia fieri, & sic operatur sui substantia: semper intelligit, nunquam ab operatione desistit, est animasticus, immortalis, iste tantum & separabilis; est sicut lumen, & habitus faciens actu intelligibilia, sicut illud colores actu colores: est prius simpliciter, sed possibilis in hoc indiuiduo. Nec reminiscimur, quia hic impassibilis est, passiuus verò corrumpitur, & sine hoc nihil intelligit. At in Tex. 21. & seq.

Deinde declarat quomodo quædam intelligit simplici intellectione, quædam & com-

positione,& quæ abstractione tanquam separata,licet non sint separata. Vtrum verò quæ separata sunt ab intellectu non separato à magnitudine intelligantur, an non, posterius perscrutandum esse dicit tex. 36. non tamen vllibi hoc declarat, sed in 37.

Tandem ait, Animam esse per intellectum omnia intelligibilia, & per sensum omnia " sensilia;quoniam intellectus est forma intelligibilium,sicut manus organum organorum: " itidem sensus sensilium: & concludit, quæ abstractione noscuntur, & passiones incor- " poreæ, & habitus sensilium, non sunt extrà magnitudines, ideò qui nihil sentit, nihil " addiscit, nec intelliget; & cum speculatur, necesse est aliquid phantasma speculari; phantasma enim sensile est; licèt sine materia: primæ quoque intellectiones nec sine phantasmatibus sunt; licèt phantasmata non sint: complexio autem intellectionum est verum & falsum.

Ex his deducunt Peripatetici animæ immortalitatem, torquentes verba hæc, & rationes quisque ad propriam phantasiam: variis enim opinionibus agitantur, vt mox dicemus.

SED Contra est Gregorius Nyssenus lib. de homine, arbitrans Aristotelem non probasse immortalitatem animorum, sed potius mortalitatem: cumque sit Theologus Græcus & sanctus Episcopus, non videtur inscitia, aut malitia errasse.

Scotus verò subtilis Theologus inter primates substinet Aristotelem nihil certi tradidisse, & in dictis suis hæsitasse ita, quod nec verè, nec sufficienter propositum absoluerit.

S. Thomas opinatur Aristotelem tenuisse immortalitatem animorum verè: haud tamen demonstrasse etiam verè probat; sed eius verba exponit tanquam id demonstrantia.

Caietanus perspicacissimus Diuóque Thomæ addictissimus, in hoc contradicit sancto Thomæ, putans Aristotelem mortales posuisse singulorum animas, vnam tamen immortalem.

Durandus inter Scholasticos fortasse primus post S. Thomam, solidissimè probat intellectum agentem à sanctis Patribus non esse agnitum, ac frustra ab Aristotele positum fuisse, cum nulli vsui sit; nullâque necessitate, aut ratione inuentus ab Aristotele. Græci omnes, vt Alexander, Simplicius, Themistius, gentiles quidam; at & Christiani Ammonius, & Philoponus monachus, & Marinus, pariter concludunt Aristotelem non posuisse animam immortalem, nisi vnam cunctis hominibus communem; singulares verò animas à semine educere, ac mortales facere autumant. Idem profitentur in doctrina Aristotelis cuncti Arabes, Auicenna, Auerroës, Alpharabius, Auempaces, Alph. & alij.

Verum & hi inter se digladiantur, alij enim ponunt intellectum passiuum, & actiuum simul abstractos, & immortales cum Auerroë, vnumque; cui concordat Themistius, eiusque verba adducit Niphus, licèt S. Thomas non sic sentiat de Themistio, fortè in Græco fonte non lecto, & cæteri Græci & Latini multi, vt Ioannes Iandunus, Pomponatius Portius, & alij sic sentiunt de mente Aristotelis, quod Auerroës;& vtinam non putaret hanc esse veritatem, vnde Niphus in lib. de substantia orbis ait, Iandunum plus credidisse verbo simplici Auerrois, quam Religioni Christianæ & sapientibus. Alij verò sequuntur Alexandrum, qui solum intellectum agentem facit immortalem vnum & immistum: passiuum verò ex complexione elementari corruptibilem.

Sed quidem aliud est nosse, quid sentiat Aristoteles, aliud verò quid probauit. *De Sent. Arist. circa Anim. humanã.* Puto equidem ipsum animorum immortalitatem ostendere cupiisse, ac ita ex parte sensisse, & pluralitatem, & sic S. Thomas rectè exponit, nam in 3. de par. Anim. c. 11. Animæ partem immortalem de foris accersit. in lib. de Ani. contrarium probasse arbitror: neque enim in tot sententias raperentur doctissimi Græcorum, si varius Aristoteles non fuisset: ex quo Scotus eius incertitudinem non indoctè agnouit. Vnde autem id euenit, dicam. Mos est Aristoteli nihil magnum de suo dicere, sed ex dictis antiquorum mutilatis: quorum contrarias confarcinare solet sententias, & prout præsenti probationi faciunt, eas adducere: ac proinde videri sibi contrarius, & varia sentire, vt Lactantius monet, & alij doctissimi. Vnde Peripatetici in nullo dogmate concordes

sunt. Sic in primo Physic. duo ponit principia actiua, duoque ergò elementa cum Parmenide. In 2. de gener. & corrup. addit quatuor elementa cum Ocello & Empedocle, in lib. de Animalibus solem, & terram probat tanquam masculum, & fœminam. Vide quæst. de Elementis. Rursus non contentus res mistione facere cum Empedocle, addit generationem; & mox cogitur diuinius cum Platone principium addere. Arne Platoni consentiat de Ideis, adducit motum solis stupidiorem, quàm quatuor elementa, quæ reprobauerat, & omnibus contradicit, ac sibi simul: similiter de solis substantia loquens in 2. de cælo, nec calidum, nec lucidum dicit, sed attritu aëris fieri lucem, & calorem in primo Meteor. solem facit album, & ignem rubrum, ne afficiat igneum cum Anaxagora. In 3. Meteor. vtrumque facit album; congruebat enim sic dicenti de Iride. In lib. de coloribus flauum vult solem. Idem passim facit de affectionibus elementorum, & de cunctis dogmatis, nec videbis ipsum in vno stare: & quæ pluribus stabilierat mox diruit: quantopere laborauit, vt à sole, & cælo lucem, & calorem auferret, & igneam naturam, nemo ignorat: tamen vbique postea loquitur de illis tanquam igneis tum in Meteoris, tum de Animalibus, tum de paruis naturalibus loquens. Propterea Lactantius ait, quod Arist. pugnantia dicit, & credit. Quapropter ex Aristotelis moribus hoc dogma de anima exculpere volo.

Traditio tota Arist. de Ani. Is ergò proposuit in primo de Anima, tex. 12. & 13. quod si aliqua est operatio propria animæ, qua non communicat cum corpore, contingit animam separari à corpore sicut incorruptibile à corruptibili: & quia videntur omnes fieri cum passione corporis, vt irasci, timere, confidere, amare, sentire, phantasiari; concludit, quod intellectio videtur illa magis esse sine corpore. At quia videtur & ipsa esse phantasia, vel non sine phantasia concludit, quod si est sic, non erit separabilis, sed corruptibilis. Sed sicut recto accidunt multa, quæ illi quatenus quanto, & materiali non conueniunt; sic etiam intellectui videtur conuenire esse, vel operatio aliqua, quæ tamen nequaquam illi aderit, quia nunquam separabitur sicuti rectum nunquam tanget spheram in puncto, quia nunquam separatur, licet ratio id ei tribuat: & quidem hoc fundamentum fecit contra Platonem, qui animam per se operari, & intelligere, neque esse Actum corporis dixit, nec mori. In 3. verò lib. de Ani. concludit Arist. tex. 39. intellectionem non fieri sine phantasia: & licèt putauerit se probasse non esse phantasiam: tamen ex quo nunc concludit esse phantasiam, vel cum ea contra Platonem, vtique concludit & mortalitatem animorum: Hoc argumentum inuictum est Caietano: scio expositiones innumeras, haud tamen frustià immorari volo.

Secundum fundamentum Aristotelis est, quòd omnis Anima est Actus corporis physici, sicuti forma securis: vnde reprehendit Pythagorā, & Platonem, qui ipsam facientes motorem, & h b.tatorem in quodcunque corpus intrudebant: cum autem Actus corporis sit mistus corpori, videtur demonstratio sua vanissima, & contra assumptum dum ait, intellectus est immistus obiectis; ergò & corpori, ergò solutus organo, ergò immortalis: ex quo enim est actus, necessariò est mistus, sicuti omnis forma suæ materiæ: & inseparabilis & mortalis morte corporis, imò corpus moritur, quia eius forma corrumpitur, vt probat 1. de Anim. tex. Frustrà ergò Aristoteles ab Anaxagora accipit hanc maximam, quæ est suæ demonstrationis fundamentum. Anaxagoras enim vocat immistum intellectum Diuinum imperantem rebus. Neque enim imperare potest, neque cognoscere, si est mistus, vti anima non potest, quæ sunt intra suum corpus scire, neque illud quomodolibet regere, sanate infirmum, consolidare vulneratum, & exteriora illi procurare, & eius passionibus non obrui. Hæc ratio probat Deum non esse animam mundi, sed causam actiuam per se subsistentem, & regentem, non actum corporis, neque inclusum habitatorem. At Arist. cum fecisset Animam Actum corporis contra Platonem, frustra vtitur dogmate Anaxagoræ: quod etiam est Platonis; qui posuit animam in corpore ex parte instar Dei in Mundo: hunc tamen separatum magis, quia non inclusum: ex hoc dogmate Peripatetici Aristotelem posuisse Animam immistam immortalem, non omnem, sed intellectum, ergò vnicum in cunctis; quoniam, quæ multiplicatur, est actus corpori mistus, & mortalis: vel ergò oportet distinguere animam, vel definitionem eius, vel demonstrationem negare.

3. Et quidem tertium fundamentum, quod Arist. vnicam faciat Animam immortalem est, quoniam postea loquitur de ipsa, more Platonis, & Anaxagoræ, quos reprobarat: qui fecerunt animam Mundi vnam, animalibus vero singulis singulas: differunt tamen quoniam Anaxag. intellectum ista facientem dicit esse Deum. Plato animam Mundi sub Deo: quoniam Plato in Dial. de legibus contra Democritum non nominatum, docet animam esse corpore præstantiorem proptereáque antiquiorem, formatricem corporis, & cuius gratia formatur corpus. Neque enim nobilis fabrica à se fit, vel casu ab inepto artifice, & sine aliquo fine: & ibi intelligit de anima Mundi formante corpora, vt & Galenus in 17. de Vsu part. & lib. de Sem. & format. fœtus. Propterea Arist. primo de Anima, tex. 82. contra Empedoclem ex elementis animam componentem procedit quasi eodem argumento. *Quid est*, inquit, *faciens elementa vnam animam? non ipsa, quia materialia sunt: ergò aliquid præstantius. Principalissimum enim est, quod continet quodcumque est. Animâ autem aliquid esse melius, & præstantius impossibile est: impossibilius autem adhuc intellectu. Maximè enim rationi consonum hunc omnia præcessisse, & præstantissimum omnium, & natura Dominum esse.* Alius textus habet; *Esse antiquissimum, & Dominum secundum naturam.* Ex quibus verbis patet animam potius elementa continere in corpore, illudque formare, quam quod ipsa sit corporis mistum, vt docet Empedocles, & nunc Alex. & Galen. atque hoc ex Platone acceptum esse. Sed intellectum omnia præcedere, & Dominum esse rerum, & Mundi, accepit ab Anaxag. à quo demonstrationem mutuatur quod *intellectus sit immortalis, quia immistus, vt dominetur.* Ergò quoniam Anaxag. ponit vnicum intellectum nullius corporis actum, iure Peripatetici Alexandræi concludunt Aristotelem fecisse intellectum ante corpus vnicum, æternum, actiuum, cuius lumine omnes animæ illustrantur; quod S. Augustinus tribuit Deo. Nunc autem Alexand. aliquando vocat Deum, aliquando rectorem inferiorum vnà cum motu cæli. Auerroes verò, quoniam de immistione Aristoteles loquitur etiam quando de intellectu passiuo, arbitratus est intellectum passiuum esse eundem cum actiuo; at dum vnitur nostris phantasmatibus dici passiuum: & hoc Themistius, Theophrastus, & alij Græci senserunt.

Adhuc alij textus Aristotelis hoc confirmant: cum enim definisset animã esse actum corporis in 2. lib. & sicut forma securis, actus securis, concludit iure optimo ipsam non posse à corpore separari, nisi ratione. Est enim actus eius, sicuti forma oculi, actus oculi, quæ corrumpitur. Ergò & illa, tandem ait in textu 11. *Quod igitur non sit anima separabilis à corpore, aut partes quædam ipsius, si partibilis nata est, non immanifestum est; corporis enim partium partes animæ aliquæ actus sunt: at verò quasdam nihil prohibet separari propterea quod nullius corporis sunt actus. Amplius autem immanifestum est si sit sicut nauta nauis, actus corporis Anima.* Vbi planè Arist. fatetur animam inseparabilem & eius partes similiter; sic enim vocat potentias: verum illas partes separabiles autumat, quæ actus corporis non sunt: & propterea immanifestum est, vtrum anima sit actus informans, vt forma securis an verò vtens, & regens, vt nauta nauis. In textu autem 21. clarius id docet dictum de solo intellectu: *Qui videtur*, ait, *aliud genus animæ esse, & hoc solum posse separari sicut perpetuum à corruptibili.* Ex quibus verbis haud immeritò Græci, & Arabes trahunt intellectum vnicum immortalem, nullius corporis actum, & quia Latini vocant hunc intellectum animæ potentiam, & accidens, non substantiam, manifestè contradicunt Aristoteli, qui dixit *illum antiquissimum, & Dominum rerum*, primo de Ani. & *substantia actu*, in 3. de Ani. & immistum per se subsistentem. Si enim accidens est, magis est actus ipse materialis, quàm anima: plus enim indiget subiecto accidens quàm substantia. Præterea cum accidens non sit vllo pacto separabile, frustra ex hoc Arist. separabilitatem conclusisset. Ipseque intellectus quid est nisi substantia intelligens? dicunt potentiam intelligendi: ergò est anima potens: quis autem separabit potentiam ab eo cuius est potentia? quis potentiam calefaciendi à calore? potentiã materiæ à materia, cum qua est idem re & ratione: concedunt de calore & materia, non de intellectu, quasi simplicior sit calor, & materia, quàm anima: & aiunt esse idem existentiâ, non essentia quia in duobus sunt prædicamentis, substantia, & qualitate: sed duriter loquuntur contra S. Augustinum, vt Scotus, & Durandus docet. Item contra rationem: intellectus

enim eodem in prædicamento est cum anima: & licèt eius qualitas dicatur, tamen est substantialis qualitas: omnem differentiam substantialem vocat etiam Aristoteles Met. ph. 5. qualitatem; & nos in Logica probauimus. Ego autem neque substantiam dico, licèt differentia sit, qua anima à sensuali differt essentialiter, sed neque accidens. Omnis potestas mihi videtur ad Trascendentia pertinere, quoniam ex potentia, sapientia & amore, omne ens essentiatur, vt in Metaph. p. 2. docuimus. At mirum quomodo intellectum immistum faciunt, cum sit actus animæ actuantis corpus, & bis actus, bisque mistus: ex his palam Græcos, & Arabes errare, dum sequuntur Aristotelem errantem, & variantem. Diuus Thomas verò fide Catholica fultus in meliorē sensum cuncta dubia trahit, ne Aristotelis errores in fidem diffunderentur, vt patet ex his quæ docet in libro de Intellectu: & cum intellectum facit accidens, intelligit intellectum indutum respectu ad exteriora obiecta, accidit enim illi hæc intelligere, absolutè autem, & radicaliter dicit substantiam cum Augustino vt patet ex p. p. q. 77.

Inter istos tamen errantes puto Alexandrum meliora dixisse: nam etsi Aristoteles passiuum intellectum vocet separatum & immistum, probetque ex eo, quod potest fieri omnia, ergò & cætera; tamen frigida est ista ratio, vti videbimus: ac perpetuum dicere quod passibile est, est contra dogma Aristotelis 12. Metaph. vbi nullam intelligentiam vult potentiam esse, ne sit corruptibilis & materialis: erronea ratio, vt in Metaph. docui: tamen hoc est illius dogma: propterea Auerr. coactus est fateri intellectum dici passiuum respectu nostri, sed per se plenum æternis intellectionibus, neque aliquid de nouo recipere. Vide inconstantiam indoctam: & tamen Aristoteles è contra quia fit omnia de nouo ipsum immistum posuit, & puram potentiam, sicut agens purus actus, & eius separationem probauit, vt videas in Aristotelismo nihil constare.

Tandem Aristoteles cum loquitur de agente intellectu, quasi corrigens quæ dixerat de passiuo, ait, *hunc solum esse immistum, & immortalem, passiuum verò corrumpi*. Tunc Peripatetici deliria Aristotelis venerantes laborant in declarando ly *solum*, & dicunt quod non excludit à concomitante passiuo, & per ly *passiuum*, intelligi phantasiam, quam tamen constat ab Aristotele non fuisse vocatam intellectum passiuum aliquando: & tunc erat sermo Aristoteli de verè passiuo, & actiuo, sicuti si loqueretur de Petro, & de Paulo signatis hominibus: & addat Petrus est bonitate perpetuus, Paulus malitia corruptibilis. Tunc si quis diceret ipsum non loqui de Paulo de quo dicebat, sed Paulo, qui est simius, vel asinus, sic vocatus, palam mentiretur, vti mentiuntur saluatores Aristotelis hic.

5. Prætereà ansam grandem præbuit hic Arist. suspicandi singulas animas mortales, quoniam cùm Plato immortalitatem probasset doctissimè ex conuersione animæ ad superos, & per ecstasim, & commercium diuorum, & quia à se mouetur causaliter, non ab obiectis nisi occasionaliter: vnde separabilem, & diuis associabilem dixit in Phedone, & Phedro, & Ione, & de Repub. & in Axiocho: Aristoteles hoc dogma diruens putat nihil intelligi sine phantasmate; & in lib. de somno & somniis negat etiam in ecstasi absque sensu interiori, eam intelligere: & in sectione 30. problematum; & nunc in 3. de Ani. cum de Anima quæ sisset quo pacto abstracta intelligit, & indiuisibilia, concludit, *nihil sine phantasia intelligere*; & an abstractas intelligentias percipiat, vti Plato docebat, posterius se dicturum pollicetur; quod tamen nunquam fecit, neque hoc in libro, neque alibi: & quia actiua passiuis in substantia communicant, alioquin nō esset actio inter illa, profectò docet, vel dubitat, quod nos communicemus cum superis: potius tamen negat: & quia in separatis à materia ponit vnum indiuiduum tantum licèt Actum orbis cæli, vtique vnicum solum facit intellectum actiuum more Anaxagoræ; Animas verò particulares tanquam corporis actus cum corpore extinguit.

6. Patet autem quoniam in primo de Anima tex. 24. non omnibus intellectum inesse putat, & loquitur de agente, & in tex. 60. animam mori, quia per se non mouetur, & in 66. intellectum solum immortalem, in lib. de Animalib. hunc putat de foris aduenire. In 12. Metaph. docet nullum corporis actum esse ante suum corpus, nec post eius corruptionem, contra Platonem, nisi fortè intellectum. Ergò intellectus Aristotelicus de foris adueniens, & post corpus remanens, non est actus, nisi sicut nauta, & est vnus, vti

vti vult Alexander, & æternus: nam & in primo de cælo probat, id, quod semper erit, semper etiam fuisse contra Platonem: licèt Durandus sibi contradicere Aristotelem hìc contendat. Græci autem negarent contradictionem; cum enim ait, remanere post corpus, intellectum & perpetuari, respondent etiam antiquissimum esse, neque vere actum corporis perficientem sed vtentem; vt Simplicius, & Themistius, & Auerroës docent. Nunc Aristotelis processum examinemus, an aliquid probauerit.

Ad primum ergo dico, quod quamuis omnes propositiones ab Aristotele assumptæ essent veræ, nec suis dogmatibus contrariæ, nunquam probant immortalitatem animæ, neque animarum: ipse namque ex hoc procedit, quia est immista, nullius corporis actus, sed sicuti nauta in naui, ad ostendendum, quod sit separabilis: tunc concedam illi esse separabilem: quid tum? numquid propterea erit & incorruptibilis? Cuncti philosophi posuerunt inesse sicuti nautam, & actum vtentem, non tamen propterea etiam immortalem. Imò ipsemet Arist. in 8. Physic. assumit, *Omne quod mouetur, ab alio distincto separatóque moueri.* Et animalia omnia pariter ab anima insidente, vt nauta naui, moueri statuit; alioquin inductio esset ibi nulla: at non propterea fatebitur omnium animalium animas immortales, nisi sit Pythagoricus: Ecce Aristotelis inconstantiam. Item Zeno concedit animam separari, & in aërem secedere, & post separationem mori. Præterea si anima non potest sine phantasmate intelligere, vt ipse ait, & ideò post mortem non esse reminiscentiam, vtique nec intellectionem, vt Græci expositores volunt, neque essentiam intellectus per consequens: quapropter nihil probat Arist.

Ex eo verò, quod intelligit quidditates vniuersales, neque aliquid probat: nam ipsas intelligit in phantasmate, vt ait, & cogitatiua mortalis, idem facit Auerroï, & Simplicio, & Themistio. Item probauimus in articulo præcedenti intelligere vniuersale esse proprium bestiarum, & confusè cognoscentium (loquor de vniuersali Peripatetico) nec intellectum quidditatem percipere, nisi à sensu prius percipiente accipiat, testis est ipse Aristoteles tex. 83. ergò ex hoc non probat, quod quærimus, sed contrarium. Alias probationes pro immortalitate animorum non habent Peripatetici ab Aristotele, nisi autoritates eius, quæ nihil sunt, & passim suis dictis aduersæ. Veh nobis si animæ immortalitas his rationibus solis constaret: quadam nocte in adolescentia mea eas perpendens quàm fragiles sint, plorare cæpi, ac auidissimè ad Platonem, & Telesium me contuli, & sanctorum dogmata, quæ me solatio ingenti refecerunt: tunc Aristotelem dereliqui. Vide articulum præcedentem: nunc ad examen. Nam quomodo Plato ex operatione aliena à corporeis, & notitia vniuersalis Platonici, rectè concludat animi immortalitatem, non Arist. in art. sequenti.

Prima igitur propositio Aristotelis, quod intelligere sit pati; condemnat demonstrationem de immortalitate: passio enim omnis nota est mortalitatis, in 12. Metaph. tex. 51. quod ait, perfectiuè, negamus: nam & sensus à sensibili vehementi patitur corruptionem, licèt perfectiuè etiam Aristoteli patiatur; & hoc fit solum cum patitur à simili, non ab excedenti. Dolor est sensus, qui testatur idem. Item propterea Deus apud Arist. non intelligit quippiam aliud à se, quoniam vilesceret essetque in potentia ac proinde materialis, vt in 12. Metaph. vbi nil iuuare putat si dicas pati perfectiuè: sufficit enim ad probandum materialitatem receptio obiectorum: at propterea quod recepit formas in 3. de Ani. facit ipsum puram potentiam & tabulam rasam: ex quo debebat concludere potius esse materialem, vt Theophilus Peripateticus acceptat vnde & Dauid Dedinando concludit Deum esse materiam primam, quoniam intellectus omnia fieri aptus materiæ Analogicus est, & Dei imago: ex eodem ergo fonte concludit Aristotel. contrarias conclusiones. Item quando ait, à vehementi intelligibili confortari intellectum, at à vehementi sensibili sensum destrui; in articulo præcedenti probatum est, comparationem esse falsam: nam intellectio est sensus interioris: omnis autem talis à summo sensibili sic setuatur, etiam cogitatiua mortalis Auerroïca. Præterea Aristot. petit principium. Negant enim Platonici intelligere esse pati: cum verò ait, quia aliquando actu est,

aliquando potentia, ergò patitur; Respondent, excitari ab habitu non à potentia ad actum, quem habet. Tunc nihil Aristoteles potest vltra fari. Ego vero nego sentire, & intelligere esse pati, sed iudicium de passione aliquando illata, & de agente obiecto per ipsam, quod Galenus, & Themistius fatentur. Item quamuis sit pati, ista via non est ad demonstrandum, nisi ignobilitatem intellectus. Si enim phantasma agit in ipsum est nobilius ipso. Præterea si iste intellectus est immortalis, non potest recipere a corporalibus entibus passionem nouam, vt Aristoteles probat de intelligentiis in 12. Metaph. tex. 51. & seq. vbi etiam esse mortales eas dicit, si aliquando essent potentia, aliquando actu. Propterea Alexander facit intellectum possibilem hunc mortalem, & præparationem quandam, sicuti rasuram tabulæ ad species percipiendas. Auerroes verò negat pati intellectum passiuum à speciebus nouis, aut recipere aliquid nisi obiectiuè: & tamen Arist. dicit receptiuè, vt sensus; & esse locus formarum, ergò recipit: ergò & moritur.

Qui verò ponunt intellectum passiuum, & actiuum esse vnum realiter, nec possunt hanc propositionem sui Aristotelis acceptare: quomodo enim patietur summè actiuum, nisi extrinseca denominatione, quia patitur cogitatiua? cui eum non sit vnum, vana est positio eorum. Themistius vero intellectum hunc facit causam rerum & ideò eas intelligere essentialiter per essentiam, nos vero per copulationem nouam cum illo, illam verò ab æterno: ergo cogitur, qui vult tueri propositionem Aristotelis ponere intellectum passiuum mortalem, vel creatum cum imperfectionibus, patique ab obiectis, perficique, non tamen immortalem in eius via, sed alterius: nisi cum Platone sentiat reminisci. Ergò sensus textus fauet sancto Thomæ & Egidio, non Auerroï, nec Græcis, nec, &c.

Ad tex. 3. secunda propositio, siue illatio: ergò intellectus est impassibilis in tex. 3. est talis: ex eo enim quod patitur vt sensus, sequitur potius esse passibilem. Sed intelligunt corruptiuè impassibilem. At Arist. 2. de Ani. tex. 162. Intellectum somno, ægritudine & passione obrui dicit, & plusquam phantasia. Nos autem probauimus omnem sensum pati corruptiuè à multum excedentibus, perfectiuè à parum: Et quia intellectio est sensus parum sensibilium, & a longè, propterea videri, quod minus corruptiuè, quàm sensus patiatur, vt in articulo præcedenti, & in quæst. vtrum sensus fiat per informationem, luculenter probatum est: at ex hac propositione etiam concessa gratis, nihil Arist. potest probare immortalitatem: licet enim non patiatur corruptiuè ab obiectis, stat tamen, quod possit corrumpi ad corruptionem subiecti cuius est actus; quod concedit Alexander, negat Auerroës; quoniam negat passiuum intellectum esse actum. Latini qui asserunt esse actum, non habent quid respondeant, nisi quod non est actus, vt forma securis inmersa materiæ, sed vt nauta, quod tamen nolunt: sed dicunt non dependere à subiecto. Id autem quomodo fieri possit, non declarant: atqui etiam declarantes non saluant Aristotelis demonstrationem, statim enim dicam, licet non patiatur corruptionem ab obiectis, pati tamen corrupto subiecto. Neque enim immortalis formæ subiectum sit mortale, & alia multa, quæ Arist. processum infirmant. At præterea intellectionem esse corruptiuam passionem non difficilè probamus: quando enim homo intelligit attentè speculando, laborat, & quo plus intelligit, plus laborat, ita vt excalefieri caput videatur; sicuti ait Dauid, *In meditatione mea exardescet ignis*; stomachus imbecillis fit, & munia corporalis nutritiuæ, & sensitiuæ impediuntur: ergò quid corporeum est intelligens, & intellectio. Item neque possumus nos continere ab intellectione: at hoc argumento vtitur Aristoteles ad probandum reminiscentiam esse in subiecto corporeo. Item ex nimia speculatione aliqui in delirium incidunt, & ipse Aristot. in lib. de somniis, & in problem. sect. 30. prophetias, & poëmata fieri excalefacta atrabili, & non participatione diuinorum & in spiraculis, vti putabat Plato. Intellectio autem nullibi magis ostenditur, quam in pangendo poëmate, & diuinatione, & meditatione magnorum: ergò patet consequentia Aristotelica suo ipsius testimonio conuicta, quod intellectus patiatur corruptiuè, & corporaliter, & sit mortalis. Ergò immortalitas si qua est sola debetur actiuo, qui non est pars hominis, vnus tan-

tum in via Aristotelis, vt Alexander volebat: nec tamen probauit illum intellectum esse immortalem: sed accepit vt notum ex hac possibilitate intellectus materialis perfectiua, quæ falsa est: non ergò datur vlla immortalitas in Aristotelismo, neque probatur, sed potius contrarium: licèt asseratur. Cum autem Durandus tollat intellectum agentem, nil remanet in hac Schola immortale: nobis autem istud non sequitur, vt patebit in articulo sequenti: ergò bene scripsit Gregorius Nyssenus.

In quarto textu, concludit demonstrationem vt putant, sic. *Omnia intelligit, ergò est impermistus: quoniam intus existens prohibet extraneum:* in quibus verbis nequaquam probat esse impermistum materiæ, sed obiectis intelligibilibus vt omnes fatentur; licèt & hoc deducant. At verò propositiones assumptæ sunt vanæ, & nihil probant, primo falsa est illa, quod intellectus omnia intelligit. Imò vt fatetur alibi, ea, quæ scimus, sunt minima pars eorum, quæ ignoramus. Neque an extarent Antipodes ipse potuit scire. Præterea nihil potest sciri ab intellectu, nisi quod à sensu percipit: sensus autem non omnia percipit. Præterea si intellectus est actus & substantia, & ens, clarum est, quod sit aliquod genus entis: ergò habet esse proprium, quo prohibet extraneum: vel erit materia prima, vel non omnia intelligit, si ipse est forma. Profectò solus intellectus diuinus intelligit omnia: humanus nequaquam. Quapropter ista probatio erit de diuino intellectu, vt Auerroës putat aliquando, aut nulla est. Neque in sensu id ignotum, cum enim sit spiritus tenuis sentiens substantia, non sentit quæ sunt se inferiora, neque valde excellentia, neque remota: sed mediocria supra se. Oculus enim aëris colores non videt, neque solis in se, sed medios: lingua saporem oui suo debiliorem non sentit, sed insipidum reputat: neque calidissimi epuli, quoniam prius destruitur, quàm sentiat, sed mediocres supra se: sic intellectus humanus neque Deum intelligit, neque minima entia, quæ sensum non moueant, neque remotissima, vnde dubitauimus de Antictonis, & de Cælicolis, & de his quæ supra cælum: & Galilæus per sensum nunc aliqua ostendit. Intelligimus verò per discursum esse alia; sed non illa alia: sed hæc, quæ videmus, quibus alia similia esse putamus, quoniam in rebus est similitudo; qua ablata, nihil scimus ratiocinando: ergò fallax est Aristotelis propositio, quod omnia sciat. Imò se ipsum nescit intellectus, & animas cæteras: multóque negotio indagat quid sit intellectus, & intelligere, & animæ substantia, nec dum nouit: ergò non omnia intelligit, neque consimiles intellectus, quoniam intus existens prohibet extraneum, vel simile à simili prorsus non afficitur. Item cum sit aliquid commune agenti, & passo, vti Arist. probat in hoc libro, & in primo perigeneseos, vtique cum rebus illis, quas intelligit, communicabit, neque enim albedo patitur à linea sed à nigro, , qui est etiam color: neque (vt dicebat S. Bernardus) pes solem videt aut nasus, quia similitudinem cum sole non habet, sed oculus: & sic videbimus Deum cum similes ei erimus: patet ergò ex quo omnia intelligit anima potius, vel similem esse omnibus, vt dicebat Empedocles, componi ex omnibus elementis, vt omnia intelligat: vel plenam esse omnium notionibus, vt dicebat Plato: falsa est ista propositio: *Omne recipiens debet esse denudatum à natura recepti*; sonus enim reciperet colorem, quià est incoloratus, non autem oculus. Propterea intelligendum est in gradu quo recipit: sic enim & Aristoteles tactum dixit constare mediocribus qualitatibus, vt extremas recipiat. Calidus ergò tactus calidas res sentit, sed non eiusdem gradus, consimilisque. Simile enim à simili non patitur: sic neque calores minores, sed maiores: igitur intellectus potius erit de natura rerum à quibus patitur, si passiua res est: signum autem, quod intellectus alios non sentit; sicuti nec tactus per simile calidum, nec oculus candidum diaphanum, sed tantum opacum diaphanum: Neque recipit sonum, qui est incolorabilis, sic neque intellectus ea, quæ sunt alterius generis à sensilibus secundum Arist. contra Platonem. Igitur ratio eius potius corruptibilitatem ostendit, ac materialitatem: quoniam non nisi sensilia capit, & in phantasmate, quod sensile est: non enim oculus recipit colores alios si rubescat, nisi vt rubeos: nec lingua amara, nisi amaros sapores: quia intus existens prohibet extraneum. Et hoc verum est vbi intus existit, quod non ad mediocritatem sed ad extremitatem vergit. Vnde febricitans calorem manus

m n s Medici non sentit, vti sanus. Natura autem in simplicitate, & mediocritate sensus constituit; ideóque medioctia, & similia sentit: idem debes de intellectu dicere, vel docere quomodo sit pura potentia, & omnia sciens, quod nunquam probasti.

At dato, quod hæc ratio Aristotelica sit bona, nihil aliud probat, nisi quod intellectus non sit mistus obiectis intelligibilibus, vti omnes Græci fatentur; at in hoc quomodo elicies, quod non sit mistus subiecto & separabilis, & immortalis? negant hanc consequentiam Epicuræi, & Galenus, & quicunque faciunt animam mortalem: imò & Alexander Aphrodisiensis tuus. Intellectus enim passiuus est sicut tabula rasa, & immistus obiectis, attamen mistus corpori, & corruptibilis. Idem tenetur dicere Auer. & Themistius, & Simplicius, qui cogitatiuam percipere omnia obiecta, esseque illis immistam docent: attamen materialem corpori mistam. Ecce sapientiam Aristotelicam à suis delusam. Imò oculus est immistus coloribus obiectis, non tamen etiam subiectis. Sed respondent discipuli eius, valere consequentiam, non ex eo quod est immistus obiectis solum, sed quia intelligit obiecta vniuersaliter: vnde sequitur, quod non sit materialis: ergò neque in subiecto materialiter. Sed ista responsio vana est: non enim ex textu Aristotelis, qui simpliciter ex immistione obiectorum probat & magnitudinis. Item vidimus etiam, quod intelligere vniuersaliter est confusè & bestialiter, propriumque omnium sensuum, & puerorum, & bestiarum: non enim quia intelligo Petrum esse hominem sum sapiens, sed quia talem hominem cum talibus conditionibus intrinsecus vsque ad minutias. Etiam rusticus intelligit solis motum; at motus conditiones singulares in auge, & perigeo, & obliquitates, & diarios gradus percipit sapiens. Igitur ex perceptione vniuersalis Aristotelici non elicimus nisi insipientiam intellectus, sensumque rusticum potius, vt & D. Thom. probat p. p. loquens de scientia Dei contra Auer. At dato hoc non ne etiam cogitatiua quæ materialis est, percipit vniuersale secundum Themistium, & Simplicium in præsentia intellectus illuminantis, vti etiam aër colores intentionaliter? Ergò processus Aristotelicus est ridiculus etiam suis. Dicemus enim passiuum intellectum sic percipere obiecta à Deo illustrata: non tamen propterea erit separabilis.

Auerroës autem conatur Aristotelis demonstrationem sic texere. *Omne recipiens debet esse denudatum à natura recepti. Intellectus recipit omnes formas materiales: ergò est denudatus formis materialibus. Sed omne denudatum formis materialibus, est separatum, neque est corpus, neque virtus in corpore: huiusmodi est intellectus: ergò non est corpus, &c.*

Prima propositio est vera cum glossa, idest non habet illum gradum, quem recipit: tunc concederem esse sicut tactum materialem, qui recipit alias qualitates materiales, quibus caret: nam quas habet, non sentit: minor quoque est falsa, quod recipiat omnes formas materiales; non enim recipit, nisi quas cogitatiua, & sensus recipit, & contradictum est supra. Ergo discursus erroneus. Auerroïstæ insudant in hoc; & adductis glossis multis, in his quiescunt. *Omne recipiens vniuersaliter, & immaterialiter aliquid, quod in se est materiale, & singulare, omne tale est simpliciter immateriale. Intellectus est huiusmodi, ergo est immaterialis*: ergò, &c. Sed neque ista dixit Auer. neque ad hanc probationem spectant, sed ad aliam: & prima glossa est falsa, quoniam cogitatiua, & phantasia recipiunt & vniuersaliter ipse, & omnis sensus languidè vel à longè motus: transeamus ad aliud.

In tex. 5. concludit, nullam naturam esse, nisi potentia: ridiculè, & falsò: Ergò erit materia prima, vt concludunt Theophilus, & Alexander Rhodius, & Dauid Dedinando. Respondet Auerroës intellectum recipere vniuersaliter intentiones, & cognoscitiuè, materiam verò formas particulariter, & sine cognitione. Sed illi negarent has glossas: siquidem & sensus, & aër particulariter formas, & intentiones suscipit sine materia, & materia suscipit formas sine materia, alioquin susciperet se ipsam. Item materia est incorporea, sicuti intellectus. Iterum materia appetit formam: ergò etiam cognoscit: non enim appeti potest aliquid sine præcognitione saltem naturali. Intellectus autem naturaliter quoque cognoscit: profectò nil respondebunt Peripatetici ad hoc: nam & formas vniuersales à materia recipi palam est, sed in ea fieri particulares,

sicut idea in ideato. Intellectus verò similiter: nemò enim ignorat formam in intellectu receptam esse singularem, sed in repræsentando vniuersalem: sic autem est omnis forma, quæ suas consimiles repræsentat, vt cum video hominem Petrum omnes homines video, quò illi similes, quapropter oportet dare intellectui aliquam naturam, nec facere illum puram potentiam. Item quæro, substantia ne, an accidens? si substantia, ergò materia; vel forma, vel compositum; non compositum ergò vel materia, vt ait Theophilus, vel forma: si forma ergo vel vniuersalis, & abstracta quemadmodum idea, & hoc negat Aristoteles. vel concreta, & sic vel erit actus corporis huius, vel omnium corporum, vel Deus, vel Angelus: ergò est ens actu, & non pura potentia. Item ex quo iudicat de formis acceptis ens est patiens Aristoteli, non vt materia, ergò sicut calor à frigore, & forma à formis aliis: ergo totus corruit eius syllogismus: si accidens, ergo actus substantiæ, non materiæ, ergò formæ, quod autem est forma formæ, est maximè actus, & non pura potentia, cum singulare habeat esse: proptereàque ex actu, & potentia cōponitur omne, vt videtur sancto Thomæ, & Scoto: sed Aristoteles vt vnum eijciat Platoni oculum, nil ambigit duos sibimet eruere. Quod autem formas reales intellectui imprimat Arist. alibi diximus, ac dicemus, & quod intellectui immaterialitatem dare propterea quod est potentia ad omnes formas, cum hoc sit proprium materiæ, est idem, ac si quis, Auem propterea non volare dicat, quòd habeat alas: & hoc offecit Auer. cum dixit esse vnum de difficillimis, propterea quod Arist. in 12. Metaph. aufert potentiam etiam ad intelligendum, sed actu semper intelligere vult substantias separatas, quia talis potentia necessariò materialitatem, & corruptibilitatem infert, licet in Theologia talis propositio vniuersalis sit falsa.

In tex. 6. palam videtur ostendere, quod non sit actus corporis, & hoc contra definitionem datam, propterea Alexander interpretatur hoc de rasura, non de rasa tabula inaniter. Alij de intellectu qui est accidens Animæ, & non est actus corporis: sed si anima est actus, vtique magis is, qui actus est actus. Auerroës gaudet ex hoc textu, & Græci, qui abstractum faciunt passiuum intellectum. Auemp. & Alphar. qui dicunt esse phantasiam, torquentur. At vtcunque sit, ratio Arist. non valet: nam intelligentem incalescere palam est. & David dixit: *In meditatione mea exardescet ignis*. Et Galenus concedit consequentiam, imò in lib. de morbis vulgaribus inquit, *Quibus multum inest calor, eorum spiritus adeò exacuitur, vt subito omnia cognoscat, & omnia lustret*. Ipse quoque Arist. Problem. sect. 30. ait, atram bilem cum incalescit tangere sedem animæ, & sic fieri Sybillas, & Bacchas, & Poëtas furore mirifico pangentes carmina: frigidam verò bilem facere stupidos, & indoctos: & exemplum ponit de vino calido, eiusque vsu, & effectu in nobis. Quapropter palam fatetur intellectum esse corporis actum, & frigere, & calere mentem ab atrabili. miscetur ergò corpori: quod si organo corporali non alligatur exteriori, vt visiua potentia, tamen alligatum organo interiori ipsemet ita fatetur, vt non possit intelligere, nisi phantasmate: ergò phantasiæ organo est mistus, non enim in pede intelligit, sed in capite, vbi phantasmata. Rationes Simplicij hic vanæ sunt, tum quia interturbatur intellectus à vehementibus qualitatibus, quod patet in ægrotis, & furiosis, & vinosis, & timentibus, & iratis, prudentibus consilium & intellectionem rectam amittentibus, & Salomon id fatetur: quapropter non rectè Arist. & constanter procedit. Idem posset de cogitatiua dicere eadem impudentia. Neque ipse spiritus quatenus sentit sit calidus, sed quatenus est corporeus, neque sensus brutorum vt primalitas, sed vt concretum.

In textu eodem concludit benè, locum specierum dictum intellectum, sed potentia, non actu: atinquam, si actu non est species, quia intus existens prohibet extraneum, vt dixisti contra Platonem, tunc quæro, quando intellectus iste accipit actu species, retinet ne, an non? si retinet ergò accepta vna alias accipere non posset, nisi illa destructa, ac simul intellectu, cui facta erat vnum, magis quam ex materia & forma: destructa autem forma, destruitur compositum: si vero plures recipit, quomodo simul stabunt? sunt enim reales Aristoteli, quidquid dicant scioli. At sint intentionales, non contingit plura simul intelligere, nec duabus informari formis: non ergo est locus specierum. Item cum recipit formas, quid necesse est amplius phantasmata speculari? non ne sufficiunt formæ illæ ad intellectionem? hoc percipiens Themistius, negat manere formas in intellectu,

sed statim deleri post intellectionem, & phantasmate seruari: vnde post mortem, nullo pacto intelliget. At ista positio dictum tollit Aristotelis, quod sit locus formarum: iterúmque quod facta actu anima intelligit se, & omnia sicut lignum factum ignis (ait) semper actu calet. Prætereà quomodo ex re immortali, & impatibili deletur notio, non autem ex corruptibili, quis finget? cum præsertim bonum sit intellectui illas seruare? Auicen. propterea ait, remanere in intellectu, nec indigere phantasmate, nisi in principio, non autem post receptionem: sed quomodo Arist. adhibet deinde phantasmata? & vnde tanta in reminiscendo fatigatio? & cur non intelligit semper? lignum enim ignitum semper calefacit: sic intellectus formis informatus semper intelliget: at vnde obliuio, & deceptio? numquid ab intellectu deletur immortali impatibilique? aut potest impatibile decipi & turbari, vt vnam pro alia specie intelligat? hæc mira sunt. Auerr. vult ante corporum ingressum intelligere æternas intelligentias per eorum essentiam, & non per phantasmata; in ingressu res omnes per phantasmata omnium materialium; tunc enim totam speciem humanam animat. In indiuiduis verò per noua phantasmata, non recepta in eo, sed obiecta illi in cogitatiua: sed si sic est, ergò nos non intelligimus qui sumus obiectum, sed nostra sensilia ab illo intelliguntur: hanc fictionem Auerrois pluribus calculis explodunt Theologi, & nos in Metaph. patet tamen ex his locum formarum non esse animam cunctis Peripateticis: & quibus est, absurditates accidere innumeras. Plato autem notiones non se impedire, sed iuuare docet. Ideo argumento Aristotelis non tangitur: non enim innatus, sed acquisitus sapor prohibet extraneos: ego verò non species pono, sic enim semper actu intelligeret, sed modicas immutationes, quas à nouis turbatas recolere potest anima; omniáque veloci discursu diu cognosci. Item quoniam anima Primalitatibus constat, quibus omnia essentiantur entia: entium entitates, & priuationes per illa recognoscit, de his in Metaph. non leue negotium hoc.

Comparatio in tex. 7. hic & in articulo præcedenti examinata est.

In textu nono & seq. formant syllogismum; *Quia intellectus intelligit quidditatem, & formam vniuersalem, sensus verò particularia, sunt diuersæ substantiæ.* Sed cum Aristot. fateatur etiam ab intellectu aliter se habente indiuiduum cognosci, friget ratio. Philoponus etiam probat, quod intellectus singularia cognoscit, quoniam corrigit sensum putantem, solem pedalem, & in aliis singularibus errantem. Item cognoscit, qui differentias eorum decernit. Intellectus autem ponit differentiam inter vniuersale, & particulare. Idem sentit Scotus, & Durandus, & palam syllogismus expositorius, & qui fit ex vna particulari, & vniuersali altera, conuincunt intellectu singularia percipi. Item Alexander. At quidam dicunt hoc fieri indirectè, quod Aristoteles non dicit, sed aliter se habente. Alij per conuersionem ad sensum, quoniam cum speciem cognoscit, inquirit vnde sit accepta, & sic ad indiuiduum descendit. Alii hoc nolunt: neque enim posset ab indiuiduis ignotis speciem abstrahere: cum abstractio sit notionaria non decoriatoria. Nos autem cum probauerimus aliquando remanere vniuersale in sensu post notitiam singularis distinctam, aliquando antequam singularitates possint agere in sensum, vt cum à longè aspicit, dicimus intellectionem fieri post sensationem aliquando, aliquando ante: hoc est sensationem languere, & confundi, aliquando post quam robusta fit, aliquando antequam robur haberet, & hæc declarata sunt, vt pateat Arist. nihil probare: nam de quidditatibus aliis, vnde Animæ immortalitas argui poterat. Arist. nihil dicit; imò negat, quidditates sensiles ponit, quas & sensus, & imaginatio prænoscis: videat articulum sequentem. Præterea intellectus diuinus & Angelicus noscunt singularia: ergò non repugnat intellectui singularitas.

In tex. 12. & sequ. benè dubitat, malè respondit, debuerat enim declarare, quod est commune intellectui, & intelligibili, quod inquisierat, & tunc vidisset intellectum non esse puram potentiam: neque à dissimilibus pati, vt sonus non patitur à colore, sed oculus coloratus, & albedo amplius tingibilis: hinc neque à diuerso, neque à simillimo, sed à consimili fieri actionem didicisset, & naturam intellectus percepisset ab his, quæ intelligit, neque pati perfectiuè solum dixisset, sicuti neque sensus: nam & intelligentes, & ratiocinantes deprehendimus, vnde doleamus, nedum fatigamur, & exardescimus: id in reminiscentia, quæ syllogismus est, agnouit: ergò non dat immortalitatem per hæc; sed

mortem intellectui: de his superius. At etiam si tabula rasa est: cur post primam picturam aliam imprimere licet? & quis illam delet ab impassibili subiecto? vide quid dix contra Auicen. paulò ante de hoc.

In secunda resolutione mentitur: non enim eadem scientia Angeli, & Angelus: hoc soli Deo datur, vt idem sit sciens scientia, & scibile; in cæteris sunt vnum existentia, non essentia; nisi in Primalitatibus Aristoteli ignotis: vide Metaph. sed profectò si intelligibile conuenit in aliquo cum intelligente, vt agens cum passo, vtique debuisset Aristoteles sensum rerum hic agnoscere iuxtà rationem, sed non tantus erat. Neque cur semper se non intelligit, vbi factus est actu, nos docet; docendos quidem, non enim leue est fingere, quomodo in impatibili actuato cessat actus optatus, & vnde obliuio, & deceptio: nos autem facilè ista spiritui elabenti, & venienti tribuentes, sine quo Mens vacat, respondemus.

De Intellectu Agente Aristotelico examen.

IN Tex. 17. & seq. Aristoteles nulla ratione compulsus superaddit, tanquam Animæ partem intellectum agentem. Quoniam Plato, & Anaxagoras reputabant intellectionem esse operationem: neque enim videtur rectum qui omnia facit, in maximo sui pati: intellectum autem omnia facere indicat mirabilis rerum architectura, & cælestium motuum ordo, & gubernatus rerum, quapropter Animas particulares ab illo deriuatas, non passione, sed actione, decorabant in intelligendo viri illi sapientes. Aristoteles autem, cum nostram animam pati fecisset materialiter, nunc adhibet intellectum actiuum, vt faciat illum intelligentem actu, & faciat obiecta actu intelligibilia, id est incorporea, vt ab incorporeo intellectu passiuo intelligantur. Denique propterea certant Peripatetici, num sit pars Animæ nostræ, vt Latini, an Deus vt Themistius, an rector mortalium, vt Alexander; an formarū dator vt Auicenna: videtur tamen Aristoteles partem animæ ipsum facere, sicut docet D. Thomas. Ratio tamen Aristotelis nulla est: siquidem concedimus in omni artificiali, & naturali actione dari agens, & patiens, non autem in omni operatiua, nec natura in omni, cum & calor sit quædam natura, & materia sit quædam natura, nec ista, nec ille diuidantur in agentem & patientem. Propterea Aristoteles in 8. Physic. probare satagit in eadem re, & substantia non esse idem agens, & patiens; sed hoc ab illo distinctum, & separatum esse: alioquin idem esset ædificans, & ædificatum, vt ait, vt non insit cum patiente. Item de Animalium loquens generatione statuit, semen masculi non cedere in materiam fætus, ne idem esset agens, & patiens, cumque in femine sit corpulentia, & calor, noluit ipsum distinguere in agens, & patiens, vt dictum est in quæst. de Animalis generatione, nunc autem quasi nebulo in eadem Animæ substantia simplici ponit agens, & patiens principium, & hoc secundum veraces Latinos. Græci enim, & Arabes id nolunt, sed actiuum faciunt alterius substantiæ. Auerr. nequaquam, sed passiuo negat passionem, nisi denominatiuè: vide quantas technas: ex dictis sufficienter Aristoteles interpretatus secundum Latinos venit reptobatus: Et ex hoc, quoniam si intellectus actiuus semper intelligit, vt ipse dicit, & est potentia Animæ informantis hominem, tunc semper homo intelligeret: & quidem omnia, quoniam omnia iste intelligit, & licèt passiuus non semper intelligat, cum sit potentia eiusdem animæ & non organica, nihil impediret quominus sit semper homo intelligens, stat enim & in organicis alterius actio cum alterius cessatione, potest enim quis videre, & esse surdus. Præterea & passiuus, informatus ab Actiuo, etiam semel speciebus informatus pariter cum illo semper intelligeret: nam impatibile est: ergò non potest à corporeis impediri imaginibus; & si quid impedirent, plus posset intellectus actiuus eum seruare in intellectione, quam imaginatio deturbare: siquidem ille intus est, prohibétque extraneum, præsertim si viuax est, vt ignis, sicut dicit Alexander, & deuorat phantasmatum materialitates & singularitates, ne obsint: sed de hoc postea. Peccat etiam ratio Aristotelis, quoniam sufficit phantasma ad mouendum intellectum, sicut sensilia sensum: ergò pro intellectione habemus agens, & patiens: quod si non datur sensus actiuus, qui reddat immaterialia sensilia, nam sine materia recipiuntur Aristoteli: ergò neque intellectus actiuus. Præterea si ratio Aristotelis, qua comparat illud lumini colores visiles fa-

cienti, oportebit date aliud proportionale faciens odores odorari, & aliud sonos audiri. & sic de cæteris. Item cum sint quatuor interiores sensus, dabitur, qui actuet obiectum sensus communis, & qui obiectum phantasiæ amplius depuret, & qui obiectum cogitatiuæ appendicibus materialibus spoliet, & sic de cæteris, vt in articulo præcedenti probauimus.

Et Auerroës veterator malignus hoc vidit cum necessitatem sensus agentis iuxtà Arist. agnouit, nihilominus tuetur mordicus, quod falsum esse deprehendit. Probat ergò necessitatem intellectus agentis.

Primò, quia solæ intentiones phantasticæ non possunt mouere intellectum, cum sint particulares: ergò opus est motore qui faciat illas vniuersales, sicut lux colores visibiles.

Secundò, quoniam Animæ attribuitur agere, & pati, quod est abstrahere, & intelligere recipiendo.

Tertiò, quoniam oportet dari agens, qui transferat de ordine particulari ad ordinem vniuersalem phantasmata.

Quartò, quoniam omne agens agit prout est in actu per suam formam. Intellectus agit, ergò &c.

Quintò, quoniam prius in nobis fit actio, quæ est abstrahere, & creare species: postea sequitur passio, quæ est recipere, ergò actiuus, & passiuus insunt nobis.

Sextò, alius, ait, si non esset pars hominis intellectus actiuus, homo careret principiis suæ operationis.

Dur. 1. Sen. d. 3. q. 5. SED Contra est Durandus inter primates Theologos vix secundus. Intellectus agens in sacra Scriptura non ponitur, neque à Patribus præcipuè Augustino, & quidem ponendus si nobilissima est pars Animæ nostræ; & ipsi profitentur de Anima dicere sufficienter, & Aristotelem viderunt, ergò fictitia res est. Secundò id patet quoniam non est necessarius ad agendum, neque in phantasma, neque in intellectu possibili: ergò frustra. Quod non in phantasma patet, quoniam neque imprimendo, neque extrahendo. Non imprimendo: tum quia quidquid imprimeret esset materiale, vtpotè de natura recipientis factum, ergò mediante illo, phantasmata adhuc inepta essent ad agendum in intellectum immaterialem: tum quia illud impressum esset phantasmatibus ratio agendi in intellectum passiuum: ergò id quod agunt phantasmata in intellectu potius repræsentaret illud, quod erat impressum in phantasmatibus ab agente, quam ipsa phantasmata: ergò illud intelligeretur, & non ista: tum quia intelligentia non potest aliquid immediatè imprimere secundum Arist. in materia, ergò multò minus intellectus agens in phantasmate materiali: tum quia videtur irrationabile, quod intellectus agens potius, ac prius agat in alienum passum, cuiusmodi est phantasma, quam in proprium, qui est intellectus passiuus.

Quòd verò non sit necessarius ad abstrahendum probat, quia abstractio hæc à phantasmatibus, vel esset realis, vel rationis: non realis, quia esset corporis à corpore; vel formæ à subiecto, vel de potentia materiæ. Non primum, quia esset sicut lapidis ex cumulo: non secundum, quia forma migraret de subiecto in subiectum: non tertium, quia esset generatio, quod est ridiculum. Quod non sit abstractio rationis, patet: quoniam hæc fit ab intellectu possibili, vt dicitur 1. Phys. non mentientis, dum commune percipit sine indiuiduis.

Quòd verò non sit necessarius ad agendum in intellectum possibilem, probat, quia vel solus ageret absque phantasmatibus, & sic superfluerent phantasmata, nec essent, sicut sensilia ad sensum ipsa ad intellectum, vt docet Arist. aut ex intellectu & phantasmate fit vnum agens totale in passiuum, & tunc effectus assimilaretur potius phantasmati, quã intellectui actiuo, causæ nimirum particulari, potius quam vniuersali, vt homo homini non Soli assimilatur, licet vtriusque effectus: ergò nulla ratione requiritur intellectus actiuus in Anima humana.

Resp. Niphus, argumentum Durandi esse insufficiens: nam licet ritè probet intellectum actiuum non agere in phantasmata imprimendo, aut abstrahendo: neque enim passiuum notionem, aut intellectionem, tamen ad hoc est necessarius vt disponens Animam ad recipiendum intentiones vniuersales, vt lumen Aërem ad intentionem colorum:

rum, sed hæc Resp. impudens est; ponitur enim ab Arist. actiuus, non dispositiuus, vt actuet potentiam & obiecta, & ab Alex. omniscius & omnipotens. Item lumen agit in medium in via Aristotelica, non in oculum, neque in colores: tunc quæro, vtrum sit medium inter phantasma vt possit agere, an intellectum vt possit pati? videtur dicere intellectum: ergò, inquam, est dispositio materialis, non actiua: disponit enim ad patiendum, non ad agendum. Prætereà si prius agit in intellectum, aut dat illi qualitatem aliquam, aut nihil: si nihil, ergo nihil disponit: si qualitatem, ergo actiuam, vel passiuam: si passiuam, concurret materialiter non actiuè: si actiuam; ergo non poterit recipere actionem phantasmatis intellectus præuentus altiori actione: sic enim oculus luce perfusus non recipit colores, & si lux reciperetur in oculo, & non in Aëre, nequaquam oculus videret: vnde nus in luce existentes, non videmus ea, quæ sunt extra lucem, licet proxima. Tandem videns id Niphus, qui dixerat non nisi præaffectum intellectum passiuum ab actiuo, vt aër à luce, posse suscipere phantasmata, nunc vult quod & phantasmata ab eodem afficiuntur, &, vt alij dicunt, illustrentur, vt possint agere in passiuum. Intellectum verò agentem non agere. Quapropter nunc faciunt ipsum dispositionem actiuam phantasmatis: sed hæc dispositio, inquam, quid est, nisi vis actiua? quod enim non agebat, & fit ab alio vt possit agere, vtique vel actiuam virtutem accipit, vel remotionem prohibentis agere: nunc, inquam, quid remouet intellectus agens à phantasmate, tenebrásne an indiuidualitates? & sic erit abstractio, quam negastis: si dat vigorem, erit impressio, quam conuicti negastis, vel respondete iterum affirmantes, quod negastis: liceat vobis.

Dicunt alij actionem intellectus agentis esse depurare phantasmata: sed, inquam, hæc depuratio est abstractio vniuersalis a particularibus, si est rationis, & non realis: ergo spectat ad intellectum passiuum intelligentem prius absque posteriori: & quidem oculus sentit colorem Pomi absque sapore; nec requiritur abstractio realis, vel agens separans colorem à sapore; quod oculus hoc, & non illud aptus est percipere.

Alij dicunt nihil imprimere, neque agere, sed sua coexistentia posse phantasma quidditatem vniuersalem intellectui imprimere: sed est responsio fugax, quærimus enim vt prius, si imprimit, aut remouet aliquid à phantasmate, aut nihil.

Alij dicunt quod vnà cum phantasmate agit in possibilem &c. sed mentiuntur, quoniam nulla forma secundum Arist. agit in suum subiectum, quomodo poterit agere in passiuum, cum quo est vnum & simplex? item sequitur Durandi inconueniens.

Alij volunt quod remoueat potentialitatem, & imprimat lumen spiritale in phantasma, vt possit eleuari ad agendum in intellectum se nobiliorem.

SED Contra, si phantasma eleuatur ad agendum eleuatione spirituali, & cognoscitiua indiuisibili, tunc esset cognoscens, sicut intellectus lumine gloriæ eleuatur ad Dei notitiam, hoc est, vt eliciat actum &c. Præterea phantasma est quid corporale & extensum organo secundum Auerr. ergò recipiet corporaliter, vt dicebat Durandus: ergò sequuntur omnia quæ dicebat Dur. cót. impressionem in phantasmate: ex his appatet Argumentum Durandi inuictum in eorum via. Cum ergo intellectus sit pura potentia, in qua nullum prohibens est, non requiritur dispositio ad recipiendum. neque in phantasmate ad agendum: quoniam intellectus Arist. est sola potentia: ergò ad omne agens, non autem hæc potentia ad hoc vnum agens.

At secundum rei veritatem lux agit in visum, tincta coloribus; igitur intellectus agens prius à phantasmatibus afficitur, vt possit posteà afficere possibilem. Ergò non erit agens, sed etiam passiuus, & prior in passione vt probaui in quæst. de visu.

Item potest ex doctrina S. Thomæ in lect. 8. super ptimo Metaph. responderi requirentibus vniuersalis abstractionem. Ait enim quòd *species intelligibilis est singularis in essendo in phantasmate, sed vniuersalis in repræsentando.* Tunc dicam, non requiri spoliatorem vniuersalis à singulari: nam illa species recepta in intellectu statim repræsentat vniuersaliter licet sit particularis: nam, cum video Petrum,

Petrum, omnes homines video illi similes in quantum similes: ergò & in sensu datur vniuersale. Præterea palam est quòd Petrus est Petrus homo, ergo habet in se speciem singularem suæ hæccheitatis, & communem humanitatis, quà similis est aliis essentialiter. Quando ergo agit in sensum imprimit singularitatem, & vniuersalitatem. In intellectu verò si fortis non est actio, remanet sola vniuersalitas: nam memini vidisse hominem, sed non quem: ergò in memoria vniuersale fit non per abstractionem actiuam, sed per deletionem, aut inualidam impressionem singularitatis, palam est dum à longè video Petrum videre me hominem, & non hunc: tunc clausis oculis remanet in me homo visus, & non hæcceitas huius animalis, in quo vidi hominem, ergo vel vniuersalis est cum singulari, vel sine ex defectu actionis singularis, non abundantia actionis intellectus spoliantis vniuersalem hominem singularitatibus, vt indoctè probabat Auerr. & hanc abstractionem facit etiam oculus dum Pomi colorem, non odorem sentit; potius autem fit in oculo: & tactus dum frigus Medicæ manus sentit ægrotus, non autem calorem, ego verò sentio calorem, non frigus: quoniam in me potest ille gradus caloris, non in ægroto. Ecce abstractiones Peripateticas tam claras, in quibus tanto tempore hallucinantur.

Sic patet responsio ad Argumenta Auerr. non enim generatur intentio vniuersaliter, sed est actio indiuidui, qua parte est similis multis, & qua à longè non imprimit etiam quà dissimilis.

Ad secundum, nemo experitur actionem in abstrahendo, sed impotentiam obiecti in singularitatibus, vel incuriam Animæ volentis considerare album, & non parietem. Vniuersale ergo Peripateticum non fit depuratione agentis intellectus: sed diminutione cognoscibilitatis vtriusque, & ideo intellectus diuinus, & Angelicus simul percipit vniuersale cum suis particularitatibus, vt probat S. Thom. contra Auerr

Ad tertium, mentitur quod particulare fiat vniuersale: sed simul sunt in indiuiduis: & possunt alterum sine altero, vt dictum est sentiri: non autem diuidi re vera, vt vult Alexander, neque ratione ratiocinata, sed ratiocinante de hoc sine illo.

Ad quartum, actio intellectus est iudicium, non diuisio obiectorum.

Ad quintum, probè mentitur: prius enim patimur etiam in sensu, & posteà iudicamus, abstractio autem non fit, nisi vt dictum est.

Liber de Essentiis adscriptus S. Thomæ, probat, quod si intellectus posset spoliare obiectum singularitatibus, & facere de particulari & corporeo vniuersale incorporeum, esset Deus infinitæ virtutis: in cæteris vero libris licet D. Thom. concedat intellectum agentem, non tamen illum abstractum, sicut Alexander & Auer. instar solis: hic enim esset Deus; nec vnum, sed potentiam Animæ actiuam: non in possibilem intellectum, sed in phantasmata, sicut lumen intra oculum agit in speciem: quam defert oculo, ita quod est eius indicatiua quam potentiam etiam nos ponimus: sicut intellectus possibilis, est potentia receptiua potestatiui, quæ non iudicat formaliter: sed materialiter: idem intellectus, vt recipiens, etiam est passiuus, vt iudicans actiuus nobis est: similiter & sensus: ergo nobis consentit D. Thom. si ritè intelligatur p.p.q.79.ar.5.p.2.q 55. verit. 4.1. Art. 16..1.

Examen Opinionum Peripateticorum multarum, de vnico intellectu & Animabus.

HIc examinandæ essent positiones multorum Peripateticorum de Anima humana. Themistius putat duplicem Animam, duplicémque intellectum inueniri: id est Mundi & Hominis: huius mortalem qui etiam communis appellatur Theophrasto, quoniam & brutis inest, & producitur ab Anima Mundi immortali: quæ non informat, sed format omnia, viuificátque, vt Sol, & eius intellectu tanquam actiuo nos intelligere

vult per continuationem, vt principium intelligendi, estque nobis ille intellectus agens; dum est causa, vt vniuersalia percipiamus: dicitur passibilis, dum per ipsum de nouo nos dicimur intelligere: sed tamen in se non patitur, sed nos, habetque omnes notiones innatas, nec per se existens est nostri forma, vt Simplicius docet sectator Themistij: ab informando verò est semiforma, & semianima cum nostræ animæ copulatur. Ergò omnium hominum vna est numero immortalis anima media, media altera mortalis, & plurificata est.

Auerr. eiusdem opinionis, vt ipse ait. Ponúntque nouem Orbes intelligentiarum: nonus est humanus, in quo intellectus, qui simul est actiuus passiuúsque, vnus in se, plurificatus in subiectis informatis Dianetica, quæ Auer. est cogitatiua.

Alexander intellectum passiuum ex complexione elementorum fouit, siuè de potentia materiæ, mortalem, præparationem ad omnes formas. Intellectum agentem æternum, cuius est formas spoliare materialibus efficaciori vi, quam ignis, & in passiuo imprimere, & per intellectum continuatum habituari nobis, facereque beatos, ipsúmque posse omnia facere, & aliquando vult esse Deum, aliquando rectorem infimi Orbis vnà cum motu cæli, à quo pendet generatio & corruptio, vt patet ex eius libris de anima.

Albubacher & Auempaces Arabes putant intellectum passibilem esse phantasiam, & phantasma illuminatum speculatiuum: de Agente concordant, quòd sit ab extrà, & vnus, & hi sunt Aristotelici viciniores: quoniam cogitatiua fuit illi secundum veritatem ignota: nec nisi à phantasia ad intellectum transfert species. At nos intelligere volunt sicut Alexander per actuum, licet distinguant passiuum.

Auic. propinquus Auerr. & Themistio, exceptis paucis credo præ narratis.

Opiniones has Monstruosas nemo ipsorum probat, nisi ex dictis Aristotelis, & fundantur in eo. 1. Quia de vnico intellectu immortali loquitur. 2. Et quia daretur infinitum actu, si animæ essent immortales. 3. Et quod in æternis vnum solum est in vna specie indiuiduum. 4. Et quod semper est futurum, fuit etiam semper.

Inter se vero mutuo se confutant sinè fine. Rationes eorum etiam pueri soluunt, negando Aristot. autoritates.

Ad secundum, negando Mundi æternitatem, & sic finitæ sunt Animæ.

Ad tertium, est articulus Parisiensis. *Qui negat Deum posse plurificare formas absque materia, anathema sit*, distinguuntur enim hæcceitatibus & gradibus singularitatis, vt docui in Metaph. stellæ quoque Arist. sunt plures numero, & immortales, dicunt, specie, nego, nunquam probabunt, nisi ex penu proprio.

Ad quartum fallax est, ex quo enim esse cœpit, non potest non esse, nisi corruptricem causam habeat: potuit autem à voluntaria, non necessaria causa cœpisse: vide Metaph. non est iste locus.

At isti ridiculi sunt, qui faciunt hominem vnum ex brutis, idem enim intellectus, & in eis esse, quomodo negatur si est in sphera nostra, & ipsorum?

Item quo pacto Homo erit Homo per id, quod non est de eius essentia?

Item idem erit à me, & à te, & à cunctis intellectum: & eadem intellectio; si intellectus passiuus est qui intelligit, & est vnus in cunctis. Hæc contra Auerr. & Themist. & Simplicium.

Item cur non recordamur illa, si eo intelligimus, quæ in aliis hominibus intelleximus? aiunt: quia Phantasia corrupta est, per quam intelligebamus. At Auic. qui species locat in Anima intellectiua quid dicet?

Item Arist. vocat illam locum locum Formarum, & fieri omnia. Si facta est in Salomone omnia, quomodò nos illa omnia non cognoscimus.

Item cum optimum Animę sit scire, cur intrat in Homines alios, in quibus perdit scientiam acquisitam? quo fato ducitur ad tantum sui malum? Si autem habet illas æternas, & nos non intelligimus nisi per phantasmata nostra: tunc profectò non erit intellectus intelligens in nobis, sed phantasia: si enim intellectus, cum iste sit omnia, sciemus omnia: non enim indiget phantasia, nisi vt accipiat obiecta: si verò ha-

bet, & nostri sit Anima, vt que omnia sciemus absque nostris phantasiis, vel oportet dicere, quod non sit nostri forma, neque pars.

Item si percipit a phantasia, ergò nos erimus intellecti, qui sumus phantasiæ, & non intelligentes: si enim intelligentes, etiam quæ ab æterno sciebat intellectus sciremus in eius copula. Hoc valde cogit Auerr. licet dissimulent stultissimi sequaces eius.

Item postquam aliquid intelligimus per intellectum immortalem: vnde fit deceptio, & obliuio? quis enim potest delere ex diuinissimo intellectu veritates? quis torquere ad capiendum aliud pro alio? Et cum sit vnum cum eis: tunc obliuiscetur sui: vel fiet quod non est dum est, si decipitur.

Item iste intellectus quando nobiscum copulatur? ab initióne, an posteà? si prius, cur non statim intelligimus, cum ipse omniscus sit, & possit phantasmata depurare, & res suis formis priuare, & illorum passiuo intellectui repræsentare, vt docet Alexander, qui profectò non simulacra, sed formas, sic producit? Et cum postea intelliget actu, cur desinit intelligere? desinit enim esse quod est: idem enim & intellectus intelligere & intelligibile in peripato de intelligentiis loquente.

Item cur a fumo vini ita obnubilatur tam diuinus intellectus abstractúsque, vt delirare nos sinat, & ipse falsa promat, & syllogizet?

Quod autem dicunt de speciebus intentionalibus, friuolum est: nam Aristot. reales vult.

Item intentionales sunt reales, non permanentes, vt docuimus in quæst. de sensibus, vt color Iridis: tunc mirum quomodò res spoliata formis non corrumpuntur, & quomodo intellectus informatus oblauscitur formas sine corruptione sui.

Et quomodo vna forma accepta, intellectus possit alias absque sui corruptione capere, & quomodo non educuntur de potentia passiui intellectus, sed phantasmatis contra Perip. dogma.

Et quomodo tabula rasa tot imagines simul habet, cum præsertim corporea sit Auempaci, & Alexandro. Idem dic contra Auerr. de formis in cogitatiua. At si sit incorporea indiuisibilis, quomodo recipit? & quomodo plures recipit?

Illud etiam impium est quod faciunt Deum formam hominis, vel intellectionis ministrum: cum deberent generali auxilio eius tantum vti ad naturales hasce operationes, sicuti in cæteris: sic enim concedit S. Augustinus lumen diuinum in omnibus. Intelligo ego, ait, veritatem, & tu eandem intelligis veritatem, non ego in te, nec tu in me: ergo in lumine communi primæ veritatis? rectè. Qui autem faciunt ipsam Animam Hominum, vel ponunt alium intellectum communem omnibus, si faciunt ipsam formam, necessario omnes homines erunt eis vnus & vna actio & intellectio in pluribus organis, sicuti si omnes homines diuina persona incarnata personarentur, secundum Theolog. Si assistente, tunc homines erunt bestiæ. Contra prædictas opiniones extat decret. Concil. Viennensis. In Metaph. pluribus has confutauimus: quod nec ex elementis, nec ex potentia materiæ fiat intellectus, & sensus, nec possit in via eorum, disputatum est prius.

Vtrùm rectè, ac sufficienter extrà Peripateticismum possimus nos probare Animam aliam à sensitiua communi nobiscum Brutis, inesse Hominibus immortalem, cuique suam.

ARTIC. II.

Videtur quòd non.

Primò, nos enim nullam Animæ, quam vocamus Mentem immortalem, tribuimus operationem, quæ sentienti mortali non conueniat, immò ipsum intelligere

maximè Brutis conuenire dicimus: atque Telesius huius veritatis indagator nullam fatetur reperiri operationem, quæ spiritui caduco non conueniat, sed tantum perfectiores omnes in nobis, quam in brutis: perficique à mente immortali: quod facilè potest tribui melioritate temperiei, & organorum. At animæ separabilitas & immortalitas non cognoscitur à nobis, nisi ex operationibus: ergò nulla est via demonstrandi quod quærimus. Hoc argumentum est Achilles Aristotelicorum immortalitatem negantium. Præterea easdem operationes edit, anima humana & brutorũ; licet meliores: Id autem ex melioribus organis & meliori temperamento accidit non ex diuiniori substantia: haberet enim diuinas & altioris ordinis extensiones & obiecta. At nunc sicut Sardi excedit Echinum: & Polypus Sardam; & coluber polypum: & colubrum vulpis, & vulpem elephantus, ingenio & opationibus, sic homo elephantum, ita vt sit nobilissimum animalium, non autem super animal.

2. Si alterum genus immortale est in nobis, vtique potentissimum, cum mori non possit. Ergò in infinitum excedit vires corporis, & animæ sensitiuæ. Ergò postquam nobis infunditur statim operari, & spiritum ad sui obsequium cogere & corporis mala pellere, ægritudinem, vitiáque: nunc autem contrarium videmus euenire; alterato enim corpore alteratur Anima, & corpore adhuc paruo, & infirmo, paruam imfirmamque animam, & eius operationes, vt infantia: crescente corpore crescere vires animæ tum motricis, tum intelligentis. Corpore autem senescente, senescere animam, fieri timidam, in confidentem, ægrè ratiocinari, & tandem delirare: Quapropter non videtur esse aliud in homine, nisi corporeus spiritus, vt Hipp. ait, qui nascitur, crescit, & moritur æquè ac corpus & cum corpore.

3. Item Galenus arguit contrà Platonem: quomodò si immortalis anima, cicuta extinguitur.

4. Quæstio Theophrasti viget adhuc: videlicet vndenam deceptio & obliuio in cognitione, & prauitas in voluntate, si anima diuina res est corpore durabilior, ac potentior? Item quomodò insanimus affecto spiritu, ira, vel amore, aut morsu rabidi canis, vel Tarantulæ? (homo enim rationale est) vt spiritus caducissimus affectus animam tam diuinam rapiat ad sui affectiones; sed è contra euenire par est.

5. Vel hæc mens traducitur cum semine, vel aduenit deforis, non primum, quia semen corruptibile est: nec eius præsentiam indicat: & quoties semen effundimus toties immortales animas propelleremus: Mens quoque generantis non videtur, cum sit indiuisibilis, alteram mentem facere: nam nec creare potest ex nihilo, nec ex sui substantia, nisi sit corporea, vt dicebat Tertullianus, & tunc esset corruptibilis, vel sicut calor sui multiplicatiuus, vt lux; & tunc etiam corruptibilis sicut generabilis. Non secundum, quoniam vel à Deo, vel ab anima Mundi. Tunc quæro, vel ex nihilo, vel de substantia eorum: non ex nihilo, quia ex eo nihil: & quod fit ex nihilo impotentius est quàm quòd ex ente. Nec de substantia eorum vt dicunt Stoïci, diuinæ particulam auræ. Deus enim impartibilis, similiter & anima: & sic nihil aliud esset anima, nisi præsentia Dei vel omnia essent Deus, & omnes animas vnus homo. Et sic redit opinio Varronis, Themistij, & Auerr. quam reprobauimus. Vel ergò oportuit animas esse æternas, & in corpora mitti propter peccata, quæ in cælo committunt, tanquam in carceres, vt dicitur in Phedro, quòd & Origenes videtur sentire. Quæro enim quare non recordamur; tunc respondes quia corpus obliuione animam obruit: tunc ego dicam. Cur anima non est potentior corpore caduco? Item quo fato traducitur in carcerem obliuionis? nec potest assignari, nisi fati iniustitia, vel Dei lex castigatiua. Ex quo sequitur, etiam in Brutis immitti mentes immortales, vt Pythagorici dicunt in pœnam. Hinc fluctuamus incerti. Item non est vindicta, nisi qui patitur sciat propter quid patitur, vt probat Arist. ex Homero. Anima autem ignorat, cur est in corpore.

6. Maximè manifestaretur immortalitas animorum in somno, & ecstasi: tunc enim à sensibus alienamur, & quasi corpore: sed in somno multum vanitas, & deceptio: Ecstatici verò deliria narrant, vt dæmoniaci; & hæc passio corporalis est secundum Medicos: cuius contrarium euenire deberet.

7. Hæc anima est nè forma corporis an habitator? si forma, quomodò incorruptibile

incorruptibili potest misceri? Et quis nodus? & quo communicat? & quo fato naturam vniuntur? Si assistens, vt nauta: tunc poterit à corpore separari, & rec quando: Sed Salomon ait, *non est agnitus, qui sit reuer. us ab inferis*. Et Dauid,
Eccl. 3. Psal. 102 *pertransibit in homine, & non subsistet, & non cognoscet amp ius locum suum*. Et alibi
Psal. 38. tur ad Deum, *remitte mihi, vt refrigerer prius quàm abeam, & amplius non ero.*

8. Saltem ex reuelatione sanctarum Scripturarum nobis immortalitas pater Moyses nullibi posuit animas immortales; nec præmia virtutibus nisi temporali cetur: Vnde Sadducei negant immortalitatem tanquam a Moyse explosam. Et in dictis locis videtur consentire: & Salomon ibidem: & cum ait, *Vnus e exitu num, & iumentorum: nihil habet homo iumento amplius: quis scit an anima filiorum*
Eccl. 3. *tenda sursum, & Brutorum deorsum? atque vtrisque conditio*: similes sumus bestijs *agnitus qui sit reuersus ab inferis*: nec Prophetæ de vita post mortem loquuti fu hæc videtur inuentum Pharisæorum, quale fuit Druydarum in Gallia, teste Cæs homines in prælio non timerent mortem. Plurimæ sunt sectæ, & nationes idem tes: & videtur E. icuræis esse Legislatorum inuentio pro tutela reip. blicæ: sic H tus admiratur, quod esset aliqua natio, quæ diceret animas immortales. Hæc est à Religione, non ex natura. Religio autem est, *f ragium ut flato*, vt dicunt M Uelistæ; quorum caput est Aristotelicus Auerroës.

9. Videmur & ratiocinium præcidisse, quo ex contrarietate intellectus & probatur eorum diuersitas apud Apostolum: nam eundem sibi contrarium do d m contrariis obiectis agitur vt æger cupiens frigidam, & timens mortem à f Vnde Platonis rationes pro triplici anima, atque Galeni confutauimus: quòd & fius facit in Commentario Quod Animal vniuersum ab vnica animæ substantia nerur: qui forte à sanctis Patribus prohibitus est, donec expurgetur ob hanc c nulla ergo via remanet ad immortalitatem demonstrandam.

SED Contra est Prima Sapientia Incarnata dicens *Nolite timere eos, qui occidun animam autem occidere non possunt*. Quòd etiam probat ratione, experimentis hi
Mat. 10. fundata contra Sadduceos. Idem probat Apostolus, & omnes Patres rationibus & quatuor nationes magnæ, ex quibus constat sphera humana, videlicet, Chr Hebraica, Maomettana, & Gentilis: licet horum pauci discrepent.

Resp. igitur breuiter, quoniam hanc quæstionem luculenter tractaui in Metap 3. & in 2. de Sensu Rerum: tædetque eadem repetere: sit prima conclusio. A esse separabilem a corpore: probatur naturali ratione & experimento: sed non pro sequitur statim ipsam esse immortalem, nisi velimus omnium animalium anima que immortales facere.

Primò palam est animam in corpore esse sicut nauta in naui: & hoc præci Brutis, vt probatum est in quæst. præcedentibus: ergo separabilis est, vt nauta. cùm nauta sit mortalis, postea remanet dubium, an separata anima postmodum tur: separabilitatem hanc Arist. non potest probare, qui facit animas omnes En chias. Est enim enthelechia perfectio vltima, quam habet corpus, vt ex Græ Alexander doctissimus interpretatur: sicuti autem à corpore habetur grauitas, mouet deorsum, sic habetur, & possidetur anima, qua se mouet, & sentit, & inte Idcircò ergò quià grauitas non separatur nulla enthelechia separatur: quæ autem ratur non est enthelechia, ideo intellectus actiuus ponitur immistus, & sicut nau sit separabilis ab Arist. Quapropter vel Latini falluntur, vel Arist. sibi contradic solet in cunctis positionibus suis à diuersis autoribus truncatè mutuatis, vt dictum articulo præcedenti. Idem fatentur omnes Græci, & Niphus. Propterea S. An negat animam immortalem esse enthelechiam in lib. de Isaac & Anima.

Probatur etiam experimentis: quando enim corrumpitur corpus, propterea co pitur, quia sua forma corrumpitur: & propterea generatur, quia forma gene Corrupta autem forma, statim vides in corpore nouam dispositionem & specie operationem: vt cum ex aqua fit aër, statim apparet tenuitas pro crasso liquore, pro torpore, caliditas pro frigore: similiter cū ex ligno fit ignis. At quando anima d corpus animare, nihil corpus mutatur, sicuti nec cythara à cythare do relicta (vt S.

brosij vtar exemplo) sed remanent oculi, caro, nerui, organáque omnia in sua specie, & dispositione: quoniam formam non amiserunt, sed habitatorem & motorem: patet hoc maximè cum ex gaudio quis moritur. Ergò non corrumpitur anima, sed solum separatur.

Item fine morte probatur separabilitas, nam cum dormit animal oculis apertis, nihil videt, quoniam anima ad interiora secessit; & ex vno oculo migrat in alium: & ex illis in aures. Et quando vteri suffocationem fœminæ patiuntur confluit in vterum, & reuocatur in caput per odores tetros, ad quos vincendos stimulatur redire: & iam in superioribus, lura dicta sunt. Ergò si anima separatur ab organis & ab externis ad interna & è conuerso reuocatur, vtique separabilis est. Et hoc argumentum fuit quoque sancti August. Plato quoque in Phedone, & S. Ambrof. de Bono mortis loquentes, dicunt studium sapientiæ quoque indicare separationem, & doctè quidem: nam tunc quasi despiciens corpus, à membris separatur, & speculationi vnitur. Nulli ergò dubium est animam esse separabilem, licèt Arist. in hoc insudarit, & contrarium potius probarit. Sed vtrum post mortem & separationem viuat; hoc opus, hic labor est. Mors ergò aliud est à corruptione formali. Est enim separatio partium seruatarum, & totius compositi; &, si datur, tertiæ entitatis corruptio.

Animam humanam post mortem viuere, probare possumus & rationibus, & experimentis: brutorum verò non viuere difficilius probatur.

1. Nam quæcunque moriuntur, aut habent contrarium à quo corrumpantur; 2. Aut ex contrariis componuntur, in quæ dissoluantur: 3 Aut sunt corpus quod diuiditur, & perit, idest per alia it corpora comminutum in frustula, 4. aut accidentia sunt, 5. Aut formæ elementationis, quæ corruunt aut annihilantur corruente subiecto aut elementatione. Mens humana horum nullum est. Ergo non moritur: nec potest mori ex quo est: licèt antea potuerit non esse.

Probatur minoris pars prima. Mens essentiatur ex potentia, sapientia, & amore, quę non habent contrarium positiuum nec proinde destructiuum, sicut calor frigus, sed negatiuum: scilicet impotentiam, insipientiam: & disamorem: quæ nec sunt nec agunt destructiuè: sed ex Nihili participio præinsunt: quod non agit in rem factam sed terminatiuè nec destructiuè circundat. Contraria autem Physica actiua non contrariantur animæ cum illa omnia percipiat & iudicet, imò anima intelligendo calorem & frigus, fit illa in esse cognito, nec patitur ab eis: & est apta omnia scire, quia omnia fieri: non quia sit materia, sed imago factoris omnium, & participatio: ideo potest scire omnia, sicut oculus lucem quoniam lucem habet implantatam. Ergo nulli est contraria enti. Imò spiritus animalis cui anima infunditur patiēdo contraria iudicat esse contraria, quoniam in alijs sui partibus, cum sit corporeus, patitur At iudicium facit ex participio primalitatis secundæ, idest sapientiæ: & tunc non est vlli contrarius in iudicando, nam simul de illis iudicat eodem iudicio; non autem per alteram portionem sui recipientem calorem iudicat de calore, & per alteram frigus, sed vna. Passiones autem ex ebrietate æstu, gelu, labore, non sunt mentis, sed corporis & corporei spiritus, quo quasi vinculo vitæ copulatur, & tunc mens suas functiones circa corporea non potest sine spiritu exercere & videtur ipsa pati, quia compatitur indirectè.

Mentem primalitatibus puris essentiari ex eo patet, quoniam de ratione mentis qua mens est, non est esse corporeum calidum & frigidum humidum, mobile. Non enim soli & per se menti, ista conueniunt, sed elementis cunctis & elementatis, quæ nō sunt mens. Item posse sapere & velle animasticè diuersa sunt ab incalescere frigescere corporari, moueri: quæ excitantur ab anima in spiritu animali: per quem totum corpus immutat, à se, non à corpore accipiens vt faciat ista, non tamen sunt eius. Non enim per hæc sapit & vult, sed per suum sapere, & posse, & velle corpus immutat, aliquando etiam perdit, sua in diuinitate confisa. Ab obiectis autem non mouetur, sed excitatur ad notionem: ipsa vero per se noscit, & corpus mutat, obiecta iudicat. Præterea anima est infinita in potendo, intelligendo, & appetendo, & excedit omnia corpora, & loca, & tempora, & in infinitum extenditur vltra ipsa considerando; ergo non pendet à corpore & loco & tempore; sed ab infinito ente: quod corporum ritu finiri non potest.

Non componi ex contrariis palam probatum est; quoniam nec datur mistio corporalium contrariorum: nec componitur ex corporeo & incorporeo cum excedat corpora sine fine in infinitum. Primalitates autem ex quibus ipsa constat, non opponuntur realiter. *Sed vnum sunt.* Quod verò non sit corpus liquido constat. Corpus enim passiuum ens est iners insensatum; mens autem actiua, solers, & sapiens. Pręterea posse intelligere & amare, actus nempe mentis, excedunt & circundant corpora omnia extra Mundum non modò id quod inhabitat mens. Quod non sit accidens patet quoniam essentiat, præcedit, architectatur: Præterea accidens extra suum subiectum non extenditur sicut mens. Nec forma substantialis corporata id est dependens à materia extra corpus informatum extenditur. Men autem extra corpus & Mundum; & Mundos exerit se, ergò infusa non confusa forma est. Non esse formam elementationis quoniam excedit elementa & vires eorum; ipsáque vincit & moderatur miris artibus. *Element.* Elementatio autem est castigatorum elementorum moderatio & diminutio; non autem excessus super ipsa. Et si sensus, ira, bellum sit in elementis ex participio primalitatum, haud tamen per se sapere, posse, velle, immensum, mentale, pium extra materiam, quod ab anima incipit, & cum absque organis negotiatur, & cum organicè. Obiecta enim passionem inferunt; sapientiam vero discernentem adhibet anima ipsa.

Probo 2. quod anima post mortem corporis viuit. Præterea arguit S. Ambros. in lib. de bono mortis c. 9. Anima est vita: nam à quo discedit ipsa, & vita discedit: vita autem non potest recipere mortem sicuti contrarium non recipit contrarium, vt lux non recipit tenebras. Idem quasi Arg. facit Cicero in Tusculanis: si anima dum erat in corpore mortali viuebat: ergo multo magis cum abscedit à mortali. Idem probat, quoniam corpus est carcer Animæ & tribulatio, vt patet: sic etiam arguebat Trismegistus: ergo melius & verius viuet extrà carcerem vt infert S. Ambros. in oratione de Resurrect. Eandem facit S. Bernard. super canticis Serm. 81. *Confirm. ex Bern.* Deo idem est esse quod viuere, atque beate viuere: animæ idem est esse quod viuere, non autem quod beate viuere: non enim habet à se beatum esse: corpori autem non est idem esse, quod viuere: viuit enim non se ipso sed animę vita. Ergo anima si per se vita est, mortis expers est. Illa enim sola moriuntur, quæ non sunt sibi vita, sed aliundè habent ipsam. Rectè quidem: Sed omnes illæ rationes probant etiam quòd brutorum anima sit immortalis: ipsa enim dat corpori vitam caduco, ergò potest & extrà corpus viuere; ergò, &c. Respondet Ber. ibi animæ brutorum non sunt vita, quia possunt esse, & non viuere, quòd non euenit humanæ, quæ est vita. Quòd possint esse, & non viuere probat, quoniam sunt elementorum colligatio, non autem alligatio vitæ & viuificati: & in elementa dissoluuntur, in quibus erant (vt multorum fert opinio) antequam in membris & organis. Ex quibus Ber. verbis elicio, quod anima brutorum erat in elementis & sola colligatione in bruto elementaliter fit vita, & postea redit ad esse prius. Ergò elementa S. Bern. sentiunt: nam allegat eos, qui dicunt præfuisse sensum anteà in elementis, quam in membris & in ramis. Hi autem sunt quos allegauimus de Sensu rerum loquentes. Et S. Ambr. 2. Hexam. c. 3. ab igne plantas & foras animari dicit: & in 3. lib. aquam animare pisces: aërem verò omnia, ibi, & in lib. de Noë. Quapropter vita brutorum non est quædam per se vita, sed communis cum elementis, & eorum constans congressus: sicut etiam in bruto: sed hanc non probauit: accepit autem, vt confessam Nos verò probauimus ex operationibus infinitis animæ humanæ: & excessu super elementa; & artificiis diuinioris ordinis. Igitur stat hæc demonstratio. Dicimus ergò animas brutorum in aerem euanescere, eique vnum fieri, vbi è carcere & colligatione soluentur. Extingui possunt calore extincto, vt in auibus congelatis apud Islandiam, si sol non accederet iterum: posseque in aquam necatum verti: ac statim fieri in sensu illo prę teritorum obliuionem: passio enim magna & transmutatiua omnes delet præteritas. Quapropter remanet sensus communis rerum, non autem huius: in pelle tamen ouina remanet ouinus: nam lupina pulsatâ, disrumpitur ouina in tympanis: at si pellem in ignem soluas, non remanebit vlla passio ouina: & hic est transitus letheus in Philosophia fabulosa: nec tamen Paracel. placet. Vide lib. de Sens. rerum, & Metaphys. Quòd autem anima hominis per se separata subsistat, & non fiat aer, multæ sunt rationes.

2. Arguitur etiam à potentia, nam & vita ad hanc Primalitatem pertinet. Videmus

mus enim animam esse inuictam, ità vt nulla violentia possit mutare potentiam voluntatis, & licet à Tyranis affligatur homo, verberetur, crucietur, occidatur, permanet immobilis non modo ex sanctitate, vt Laurentius: sed ex natiua deliberatione, vt Mutius, & Attilus Regulus, & alij: voluntas autem non est res corporea sed Primalitas, eiusque potestas non est corporalis: spiritus enim subitò cū sit quasi aër, trahitur ad omnem mutationem. Ergò diuinus est animus nobis inuictusque: neque enim vincitur, nisi volens quòd nullis brutis accidit: nam licet Primalitate constant, non tamen quæ sit libera per se vita, sed mutatur, quomodò & spiritus caducus, cum sit corporata. Cùm ergò Dominus sit homo suorum actuū, & non corporis, neque spiritus sensitiuus, vt ego in tormētis probaui 40. horarum: consequens est, vt nec cęlo, nec sideribus blandius mouentibus, subditus sit. Ergò diuiniorem in se habet animam, nec cū corpore caduco cadentem, non enim fineret pro sua contemplatione & victoria perdi corpus, quod perditionem sui prius implicat: multò autem certius id faciunt martyres, qui aliā vitam in spiritu Dei contuentes, præsentem spernunt. Trismegistus hoc vtitur argumento, quòd homo partem sui caducam spernit, diuiniore confisus. Sed obijcitur, quoniam bruta propter honorem etiam eligunt mortem, vt in elephantis, & Leonibus experimur, & Historiæ testantur. Resp. id facere quatenus nobilcum in Primalitate participant, non in animæ substantia immortali: neque enim aliam vitam sperantes moriuntur: neque verberibus sunt inuicti, sed cedunt tandē sicuti furiosi asseruati apud Incurabiles Neapoli declarant: hi enim intellectu non vtuntur sincere, sed spiritus passionibus, quo etiam nutriuntur, vti nos, & spirant: at inuictam non habent voluntatem, quia intellectus eorum est impeditus, vt dicemus. Prætereà quòd fit propter honorem, est etiam propter caducā conseruationem nominis in præsenti vita, vt non cedamus alijs, tanquam melioribus: at homo spretis spontes honoribus, se studiis tradit & disciplinis, quibus animus gaudet, affligatur corpus, & spiritus animalis: & hoc oprimi hominū eligunt, Philosophi, videlicet, & Religiosi, quibus plus credendū est de vita disputantibus, quā Peripateticis, Machiuel.

3. Idē maximè probat Argum. Apost. *Video, in quit, aliam legem in mēbris meis repugnantem legi mentis meæ.* Ergò in nobis est anima carnalis qualis brutis & mens qualis Angel. sic & Salust. concludit, alterū genus animæ cū dijs: alterū cū belluis nobis commune est. Proptereàque pugna est inter illas: non enim idē diffidet secū. Sed contra potest id euenire ex Elem. contrarietate: quorū aliud habet in se bonū præsens, aliud futurū, vt dicit Arist. & Telesius. Resp. nunc duo obiecta non arguere duplicē substantiā appetentium, quādo sunt eiusdē ordinis, vt cū febricito, cupio aquā, & simul auersor, quoniā etsi gustui satisfacit contrà calorē, tamen nocet morbum fouendo: qua in re de vnico bono est disputatio, videlicet, sanitatis, & voluptatis præsentis vitæ. Quando desidero bonū pręsens, & alterū æternū, quæ inter se non habent conuenientiam: neque eadē caro vtrisque delectatur, neque eadē substantia: vtique oportet dare duas substantias appetentes. Neque enim sunt idem desiderans mortē corporis & vitam: neque idem desiderat ieiunium, & delitias: neque idem metiri stellarū cursus, & meretricis capillos. Studia hæc sunt penitus opposita. Vndè ait Apost. *quòd prudentia carnis legi Dei non est subiecta: neque enim potest.* Nunquam suadebis spiritui carnis ne comedat, nè luxurietur, nisi per vim, & subtractionem cibi & verbera, vt asinis solemus: sic Franciscus verberat carne & suum niue asinum obruit. Quapropter ista repugnantia ad duas pertinens conseruationes, non ad vnā, vt illa Galeni, manifestè indicat in nobis esse duplex genus animæ aliud pertinens ad carnē, & sanguinē, aliud ad diuina entia: suadebis carni nè comedat nunc, quia noces, sed paulo post, quià salubrius, & suauius: non autē vt se propter Deū maceret. Propterea ergò habemus interiorē & exteriorē hominem. Hoc Arg. cōmune est omnibus Patribus in Apost. ponentibus in nobis voluntatē rationalem, & appetitū animalem: qui appetitus aliquandò fit quasi duplex: sed obiecti ratio ad conseruationē eandē spectās licet duplex indicabit tibi animi eiusdem discrepantium dubitantis non duplicem animam; sicut neque intellectus disputando ad vtramque partem est duo vt Aug. contra Faust.

Rom. 7. Catel. Proem.

4. Idē ostēdit Religio, quæ omnibus nationibus est cōmunis: licèt differāt in ritibus, & in modo credēdi, & in cognitione obiecti credibilis: omnes tamē putāt se verū colere Deū. Neque Religio est res ab arte, vt dicit Epic. & Auer. & At. sed à natura, vt probaui.

mus in Metaph. de reuersione rerũ ad sua principia, & meliora entia: vndè elephanti lunã colunt benefactricẽ. Omnis calor reuertitur ad solem, omnis aqua ad mare suam vniuersitatem. Cùm ergo homo colat solùm numen primum, alijs reuelatum, aliis adhuc velatũ: nã & Gentiles illud appetũt, licèt decipiãtur à Tyrannis, & Legislatoribus, vt Symmachus apud S. Ambr. eloquitur dũ Aram Deæ Victoriæ à Valentiniano petit: palam est quod habet symbolũ cum Deo Primo Numine, & ad illud reuerti habet tanquã ad principium, vt calor ad solem, aqua ad mare: & innata non illata scientia id fieri, nam per hanc potius decipitur: luculenter in Metaph. probaui. Ergò non in aërem, neque in solẽ, sed in Deum est reuersio animæ humanæ, cum separatur à corpore. Neque enim appetere potest Deum nisi per id, quod in se habet diuinum; sicut nec oculus lucem, nisi per implantatam lucem. Vide Antimachiauellismum vbi tractatur hoc argumentum validè, & Metaph. & 2. de Sens. rerum, & nihil vltra dubitabis.

5. Palam facit Mundi fabrica, & ordo temporum, & motuum, & siderum, & animalium constructio, intellectũ potentissimũ sapientissimum, & optimũ omnia fabricari, & regere, nosque eius esse participes, qui hoc nouimus, & colimus, & imitamur: & non bruta, quæ licet fabricent nidos, & retia, & quæ ad victum spectant, id tamen habent à Primalitate, qua nobiscum participant: cultum tamen Dei, & intelligentiam eius non habent; neque communicant cum diuinis; neque fabricantur sibi instrumenta operum, sed à natura habent etiam filamina, quibus retia & folliculos texant: nec per hoc fabricantur ea, quæ Deo similes nos faciunt: vt horologia quasi cælum, bombardas, quasi tonitruum Dei; naues, quibus mari imperamus; lucernã qua tanquã sole in nocte vtimur naturæ legem mutantes: ignem quibus omnia domamus, & libros, quibus scientiam in sensatis rebus cõmittimus, & posteros docemus; sentimus sidera, Æquinoctia, ventos, ecclipses futuras, cæli cursum, & omnia tanto artificio, vt quasi Dei videamur: & hoc argumento vtitur Plato in Axioco & S. Ambr. in Hex. 6. Quapropter cum in artificiis Deũ æmulemur, & omnibus bestiis supra nos fortioribus imperemus & equis & Leonibus & elephantis non quidem secũdũ magis & minus eiusdem ordinis, sed sicut ens diuinioris ordinis: Etenim ea quæ faciunt animalia, facit & homo ac longe plura; & diuiniora, ad quæ brutorũ nec cogitatio pertingit, vt codices, bombardæ, lucernæ, Astrolabia: alea, quibus sortimur & ludimus, &c. Non est dubiũ quia cũ Deo comercium nobis sit, & diuinis rebus, & vita nostra non finiatur in aëre, sed ad diuina cognata pergat, quæ tanto amore quæritat: quod certum faciunt miracula sanctorumquæ negari non possunt, vt in Metaph. ostendi, & expertus sum.

6. Itidem argumentatur Telesius, quòd natura non dat inclinationem inutilem brutis, neque lapidibus: ergò neque nobis. Nos autem inclinati sumus ad inuestigandum Deũ, Angelos, bonũ aliud, quod miseriis non scateat, vti præsens vita. Ergò aliã nobis vita debetur: ergò immortales sumus: nec consũmamur in aëre: vident bruta cælum sed tantum lumen: vltrà non philosophantur de cælicolis: ergò illis non conuenit.

7. Idem probat S. Bern. ibidem serm. 80. ex similitudine mentis nostræ cũ Deo in duobus: dicitur enim magnus Dominus, & magni virtus eius in Ps. 25. & in 51. rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo. Homo autem appropriat Deo in magnitudine & rectitudine virtuali: eo enim magnus, quo capax æternorum, eo rectus, quo appetens supernorum. Ergò æterna & superna illi conueniunt: ergò & altera vita post mortem. S. Ambr. in lib de excellentia conditionis humanæ probat ex Primalitatibus conuenientiam nostram cũ Deo trino: Sed Primalitates sunt vbique (non curo nunc de illo Arg. sed in Metaph.) deinde probat similitudinem ex virtutibus, quià frenat corporis vitia, & se sanctũ custodit, Deóque similem reddit, quod bruta non faciunt sequẽtes sensitiuũ appetitũ: & reuerà cõsiderãdo ista, apparet statim in nobis alterũ genus animæ.

8. Probaui & ego per rationes inuictas: nullus effectus eleuatur super suã causam: si anima humana esset corruptibilis fieret ex Elem. vel ex Sole, vt volũt, essetque spiritus animalis, tũc nõ posset supra Elem. cognoscere, neque appetere aliquid. Anima autẽ supra cælum se erigit, & intelligit alios mundos, & soles, & res diuinas in infinitum. Similiter etiam appetit illuc ire, & videre quæ sunt entia suprà cælum & vitas meliores cupit merificè. Ergò non est effectus elementorum, sed Dei infiniti, quoniam in infinitum intelligit & cupit: quod Epicurus credere debet cũ infinitos mundos credat, & Alexan.

cupiat. Quot libros de hoc negotio scribimus, tot testes facimus diuinitatis nostræ super omnia elementa.

Socrates autē & Plato ex eo quod Ideas intelligit, & vniuersalia quæ sunt vbique & sēper animā æternitatis, & immensitatis diuinæ capacem agnoscunt, vt arguebat S. Ber.

Sed hæ rationes possunt infirmari: tum quoniam anima ratiocinando ex simili ad similia currit imaginando, non intelligendo; & licèt intelligat tamen non infinita intelligit, sed vnum a quo infinita similia potest agnoscere: sed etiam caballus ex vno hordeo cognito infinita hordea scit, sic nos ex vno Mundo plures. Item dicebamus rationem Aristotelis, qua propterea probat intellectum esse immistum, quia omnia intelligit esse falsam: nunc verò nos eadē vtimur, & vniuersalis notitia ad idē probandum.

Resp. quamuis bruta per vnum cognitum infinita possint nosse, non tamen defacto noscunt, nisi sensui offerantur: non enim discurrunt vltrà cibum: ex noto hordeo quod vis hordeum visui præsentatum cognoscet; non tamen numerabit hordea, neque ad infinita percurret, sed aliud simile cupiet tantum: quoniam participant in sapientiæ Primalitate: nec habent subsistentiam diuiniorem posteà, vt benè loquitur S. Bernardus. Nos autem non modo ex vno cibo alios scimus, vti bruta; neque de his discurrimus solum, quæ ad hanc vitam pertinent, sed ex vno Mundo infinitos percurrimus, & multi formes fabricamus cogitatu, & Archetypum Mundum intelligimus ex simulacris visibilibus vt docet Apost. inuisibilia Dei in Mundo Archetypo. At ista brutum non intelligit, neque ad cælestia, & eorum ordinem, & motus, & efficientias, vt ait S. Ambros. Ergò multò minus ad diuina entia: quorum capacitas ostendit animam immortalē Bern.

Item dico, quòd vniuersale Peripateticorum est aliud ab vniuersali Platonico: illud ex Ideatis est similitudo in nobis facta dum sentimus, in quo sunt similia ideata indiuidua: istud verò est idea æterna, & causa ideatorum. Quapropter manifestat validè diuinitatem animæ, quoniam est in Deo & propterea vbique, & semper, & est causa rerum suprema. At vniuersale Aristotelicum est causatum ex causatis ab Vniuersali Platonico: causat enim ideatum in sensu nostro sui similitudinem cum aliis: Quapropter non indicat animæ diuinitatem, sed ignobilitatem & passionem à rebus, & confusionem in eorum notitia, & defectum perceptionis singularitatum. Ideò dicebam hoc conuenire brutis in textu; illud mentibus humanis & Angelicis. Anima ergò bruti vti & humana percipit vniuersale Aristotelicum, sed non assurgit ex eo ad Platonicum, vti assurgit homo; & benè eliciturid ex Ambrosio, propterea negans ideas Aristoteles præscindit sibi vim probandi immortalitatem ex notitia vniuersalis æterni, & vbique: non enim est vbique illud, sed in indiuiduis tantum, & quando ipsa sunt. Platonicum est in Deo, ideò vbique, & semper. Vide Metaph.

Ex eo autem quòd intelligit omnia, Arist. probat animam esse omnibus immistam, & puram potentiam. Hanc ego reprobaui consequentiam, & antecedens falsum dixi; quoniam neque omnia intelligit: sed quia discurrit supra elementa ideò à causa superiori; & ex intellectu diuinorum, quòd Arist. negat, & posterius se dicturum dixit, & non dixit; ego intelligo diuinitatem animæ. At Arist. quando intelligimus ideas, & superis continuamur, vt Prophetæ & Sybillæ, dicit nos delirare. Ergo non potest nos meliores brutis facere. Vndè S. Iustinus ex vniuersalibus Platonicis agnoscit Deum, & ad Fidem Christi accessit, quam ex Aristotele aspernabatur.

9. Probatur idem ex commercio hominum cum diabolis & Angelis, quòd sancti homines, & Necromanti continuò probant: & ego diù dubitans experimento didici sic esse. Ergò si diaboli sunt & Angeli extrà corpus, potest & anima humana viuere extrà corpus. Item quia nobiscum communicant, ad eorum nos societatem post mortem pertinere necesse est, vt quid enim tantum curant de nobis, & ad se nos vltrò trahere curant? Arist. negat eos esse; ideò & immortalitatem nostram, cum in Ethicis loquitur de felicitate: quià neque somnia nobis immitti ab illis vult, vide quam dissociet nos ab immortalibus. Vide Metaph.

10. Tandem argumentum argumentorum omniū est quod facit Dominus Iesus contrà Sadduceos: si enim Deus comparuit hominibus, & dixit, ego sum Deus Abraham & Deus Isaac, & Deus Iacob, & hi iam mortui erant. Deus autem ridiculè vocaret

ſe Deum mortuorum, & non entium: Ergò Abraham Iſaac, & Iacob, viuunt poſt mortem, ergò & omnes homines. Vt quid tantam curam de hominibus Deus oſtendit beandis, ſi paulò poſt deſinunt eſſe? ſi tu negas Hiſtoriam Moyſi, negabo & ego verba tua fallacia o Atheiſta Macchiauelliſta. Imo omnes Hiſtoriæ cum ſint minoris autoritatis, poſſunt negari. Ergò neque Ceſar fuit in Mundo, neque Moyſes, neque Cyrus, neque Alexander, & omnes Hiſtorias dicemus fictas. Vide hoc argumentum in Autim. & in Metaph. & de examine Hiſtoriarum in noſtris Topicis. Teſtimonium enim negari, non poteſt, ſicut opinio negatur.

11. Probatur id tandem experimentis de animabus, quæ poſt mortem apparuerunt, tam ſanctorum, quam Prophetarum, & nouiſſime Marſilij Ficini ad certificandum amicum iuxtà condictum, vt qui prius moreretur alteri nunciaret, an viuat poſt mortem. In omnibus ſeculis iſta ſunt plura, & Hiſtoriæ ſanctorum plenæ & prophanorum, quas longum eſſet recenſere & ſtultum, negare: ergò remanet anima poſt mortem, viuitque, vti religio, & hominum conſenſus docet.

12. Plato probat idem ex hoc, quod anima ſe ipſam mouet per ſe: ergò non deſtituit ſe vnquam in motu ſpirituali: ergo ſemper mouetur, & viuit. Valet hæc ratio, vti prima S. Bern. ſed niſi addas, quia non habet contrarium fortius, quæ poſſit illam corrumpere, non concludit, niſi quod de ſe non corrumpitur: & idem valet pro anima brutorum: propterea corrigenda eſt, ſicuti prima. Et quidem ex hoc quod poteſt omnia noſſe: & ex puris conſtat Primalitatibus, videtur contrarium non habere, a quo phyſicè corrumpatur.

13. Probaui idem in textu ex eo quòd conſtat ex Primalitatibus puris non corporatis, vti in ſpiritu animali, primalitates aut indiſſolubiles ſunt propter identitatem, non realem, & coëxiſtentiam ſubſtantialem, & carentiam contrarij potentioris: Ergò mens indiſſolubilis, ſpiritus vero mortalis, qui ex participio Primalitatum & corporeitate calida tenui ſolubilique conſtat. Vide Metaph,. Prætereà quoniam per ſe ſapit, poteſt, & vult cauſaliter: ab obiectis vero ſolum occaſionaliter: ergo cum ab alijs non pendeat: quando nec corrumpi poteſt, hanc rationem habes in conſtitut. Apoſtolorum: & apud omnes patres.

Ad primum igitur argumentũ Reſp. Quòd quamuis omnis operatio mentis, ſit etiam ſentientis animę, non tamen omnes incipiunt a ſentiente anima: ſed aliquæ ab ipſa mente, vt cum volo ieiunare, Philoſophari, cum diuina conſidero & alia huiuſmodi: quę licèt à ſenſu excitati conſiderare incępimus, tamen ſępè ab ipſa mente incipiunt, cuius ſunt: ſenſus enim illa reſpuit: quià tamen eſt particeps rationis & cognitionis, & mens illi eſt admiſta, propterea in omni operatione Teleſius conſociat ſentientem menti, & ſicut ſenſatio incipit ab obiecto inferente paſſionem; iudicium tamen mox incipit eliciturque à facultate ſenſitiua, non enim obiectum iudicat, nec patitur a ſe ſed iudicatur à patiente virtute ſenſitiua. Sic etiam licet ſenſualis anima, incipiat motionem, qua notionem mentis excitat, non tamen ipſa ſentiens vis iudicat, decernitque deliberatque, ſed mens de ſe ipſa excitata à ſenſu: Imò etiam non excitata: ſunt enim vitales operationes multæ, quæ ſentienti per ſe non conueniunt, imo repugnant, vt deſiderium, & intellectio diuinorum, & decretatio affligendi carnem: vtique palam eſt habere animam operationes per ſe, quibus non communicat ſenſui: nam corpori neque imaginatio communicat, cum ſpiritus ſit in eo ſicut nauta: ſolùm ergò in motibus molis, & nutritionibus, & in actibus coniuncti, communicat corpori vt & Galenus fatetur, quemadmodum nauta cum naui & vento in motu vtriuſque, & arte Mechanica, non in cogitatione: licèt corporeus ſit cogitans ſpiritus. Omnes tamen operationes animæ, quæ ſunt intelligere, diſcurrere, credere, imaginari, meditari, memorari, inſunt vtrique: ſed quoniam eiſdem communicant Primalitatibus, vnde & brutis illæ inſunt: non tamen vocantur animalia rationalia, hoc eſt mentalia; ſed extimatiua, & irrationalia, quia rationis mentalis expertia ſunt, vt in alio articulo diximus: Eædem tamen operationes ſenſuales meliores eſſe in nobis, quã in brutis, non organa tantũ meliora ſunt in cauſa, vt Pytag. forſan dixit, ſed mens nobis, cõiuncta, vt docet Ambr. in lib. de Iſaac: Nam & Aquila viſũ, canis olfactum, lupus auditum, capra guſtum, aranea tactum, meliores habent, per

organa sagacius percipientia, vt palam est, imò senes altius & rectius contēplantur quā iuuenes, qui sagacius sentiunt. Quoniam anima per se scit causaliter, per organum fenestraliter, per obiecta occasionaliter, & hic sensus est Platonici dicti, Anima est numerus se ipsam mouens, id est operans per se propria operatione absque corpore, à quo solum obiecta habet, vt occasionem sic operandi: non autem & operandi causam.

Intellectum Aristotelicum brutis damus, non autem Platonicum vt dixi in hoc articulo: ille enim est particularium confusa notitia propterea que apparet vniuersalis. Platonicus verò est, vt ait Ber. lib. 5. ad Eugenium, cuiusque rei certa & inuisibilis, & manifesta notitia: & secundum August. versatur in rationibus æternis, quoniam causam idealem particularium speculatur, & diuina sapit, ergò habet obiecta superioris ordinis & diuiniora quā bruta, & modum insuper operandi: dantur ergo eædem operationes in sensu & intellectu, quoniam similes sunt, & mutuo se adiuuant in operationibus; tamen aliæ sunt solius intellectus, licet vtatur ministerio sensuum interiorum: aliæ solius sensus, licet illi intellectus condescendat. Bernardus tamen se ipsam totam inspectare Animam aliquando posse docet, & esse totam oculum, & mentem, & aurem, hoc est simplicem omnisque sensus viribus abundantem eminentius in se, & absque sensualis animæ ope, aliquando, imò etiam sine phantasmatibus, vt in ectasi, intelligere diuina; docet in Canticis Serm. 52. & nos in Metaph. vt ipse expertus est id in contemplationibus per gratiam Dei, & Sancta Catharina Senensis, etiam se extrà corpus vidit. Quapropter vel credat experientiæ Aristoteles, vel desinat philosophari ex sui proprio solius sensu. Ergò dantur operationes, quæ indicant non solum spiritus, sed etiam Mentis separationes vt in corpore Articuli. At neque si habeat meliora organa homo, aut temperiem puriorem, ex hoc concluditur non excedere bruta nisi per organa: imò contrarium. Non enim datur cythara fossori, sed ligo, neque codex Ferrario, sed philosopho: si ergò Natura Animæ humanæ dedit organa meliora, & temperiem corporis p[r]iorē cōsequens est, quod sit melioris & diuinioris ordinis Anima corpus humanum habitatura. Præterea hoc nota quod organa sensuum forsan meliora habent bruta, vt probatum est: non autem organa Mentis, qualis est figura recta & manus, per quam diuino quodam modo operatur quidquid bruta faciunt vt nidos, retia, cellas, sed insuper quæ excedunt opera Naturæ, vt horologia, scripturam, naues Scaccos, lucernas, &c. & omnia corpora sibi subiicit, & elementa, ne dum bruta &c. & si detur manus bruto, vt simio, haud tamen fabricabitur instrumenta suæ artis, & artium omnium, nec tractabit ignem, nec metietur sidera, & dies, nec sacrificabit, nec minimum eorum, quæ facit Rusticus homo faciet. Temperies eorundem elementorum faciet differentias secundum magis & minus, vt in brutis, & inter ipsos homines: non autem obiecta superioris ordinis, excedentia mundum & naturam adibit: & diuinis rationibus operabitur: imò ad faciendum diuiniora, non requiritur temperies, quæ est castigatio, & diminutio virium elementarium, sed excessus ignis, ipsorum nobilissimi, vel corporea crystallina puritas transpicuitásque. Nesciunt quid dicunt diuinitatem & miracula temperamento tribuentes. Vide Met.

Ad secundum dico Mentem immissam ad pugnandum & merendum: sibique datum esse sano spiritui dominari. Cùm autem spiritus, cui est vnita, languet, & delirat, ipsa eodem inuoluta cum seorsum functiones non possit exercere, vtique desinit operari, & sapere sapientia illata, non tamen indita: sed ista non apparet. Robur autem Mentis non est corporeum, neque vt corpus sanet, aut regat absque spiritu corporeo, propterea tunc eius operatio obruitur: neque huic Argumento possunt respondere, qui spiritum esse Animam sensitiuam negant, cui Mens principaliter inhæret coniuncta. At August. & Ambros. & Lactant. & alij Patres, sic facilè respondent, non autem Peripatetici recentes. Verè ergò nascitur, crescit & sentit spiritus cum corpore, vt probat Hipp. non tamen Mens, sed videtur sic: quoniam spiritui est inuoluta arte Dei, nec potest functiones suas absque illo ostendere. Propterea Telesius proprias non dedit ei operationes in exequendo: tamen in eliciendo habet proprias omnes, vt palam est, & in corpore Articuli dictum fuit.

Ad tertium, Galenus ergò non conuincit, dicimus enim spiritum à cicuta corrumpi;

& sic è eo Mentem non posse regere corpus, ac proindè abire: timemus autem mori ob incertitudinem, & spiritus timore, non mentis.

Ad tertium, dicimus obliuionem effluxu spiritus fieri, aut nouis motibus, delentibus priores, vt in textu, deceptionem verò dum alius pro alio sumitur in spiritum: Mentem vero ei inuolutam compati, vt dicit Ambr. in eodem libro, & in primo de Iacob: sic autem euenit propter eum, qui ipsam subiecit in spe huic muneri: prauitas ergò est cum nimis condescendit, aut cum non potest eius motus cohibere ob vinculum cum eo, in primo peccat, in 2 minimè.

Ad quartum dico, quod a Deo creatur ex nihilo, non quòd nihil sit eius substantia, sed entitas, quam a Deo accipit, quando erat ipsa nihil remanent tamen nihilitatis Primalitates, vt impotentia, insciencia, & noluntas multarum rerum, sicut habet a Deo Potentiam, sapientiam, & Amorem. nec proptereà erit corpore imbecillior, aut spiritu: nam ista plus nihilitatis habent quam illa. Solus autem Deus expers omnis nihilitatis & misturæ, vt diximus in Metaph. Cum S. Augustino & Ambrosio. Ex nihilo actiuo & passiuo, nihil fit, at ex Ente actiuo absque passiuo fit si illud infinitæ est virtutis, vt Deus. Immittitur autem corpori, non quia peccauit, sed vt merita fruendi Deo in hac pugna sibi acquirat vt miles in Tirenibus: sic Nazianzenus & Ambros. & Chrysostomus, & omnes Patres. Origenes autem dixit carcerem: & verè secundum Ambros. non tamen quia peccauit, sed vt mereatur. Cyrillus autem 20. Argumenta facit contrà Carcerationem: nam (inquit) non esset appetibilis Carcer, vt Ezechias vitam appetit. Resp. tamen appeti antequam meliorem locum, quo eas, inquiras tempore Ezechiæ non erat Cælum apertum de his vide Metaph. & Theologiam nostram: spiritus brutorum etiam in Carcere est: nec tamen id nouit, nisi vbi fit Aer, cum & notitiam amittit per priorē.

Ad quintum, sunt quædam somnia à Deo & Angelis, similiter ectases, in quibus Anima à corpore seiungitur: sed Dei virtute: alias non rediret, vt Sancta Catharina experta est: aliæ ab ægritudine & cacodæmone, aut vapore, & in his accidunt deliria, & passiones variæ, quoniam spiritus ipse afficitur, vt dixi in lib. de Sensu Rerum. Arist. omnia tribuit humoribus indoctè, & impie. Vide 4. de Sensu Rerum. Nunquid melancholia docet futura & hominum cogitationes, & diuinæ beatitatis arcana? ait Arist. accipiunt idola tanquam res: sed nunquid possunt formari idola futurorum, & diuinorum in phantasia, quæ non extiterunt, nisi diuina causa exterior id faciat? Et Galenus & Auic. in hoc falluntur. Vide Reuelationes Sanctæ Brigidæ oculis veritatis & cognosces esse Dei commercium nobiscum, non humorum labores. Crede Bern. & Thomæ, & Augustino, & aliis doctissimis ista in se expertis, si Brigidæ feminæ diffidis,

Ad sextum dico, vt nauta, & vt lux in Aëre, sicut dicit Ambr. & patebit in sequenti articulo, dico autem separari non posse dum corpus & spiritus benè valent ob vinculum à Naturæ Deo connexum posse tamen separari concedit Bodinus, tum ob ecstasim, nam Sancta Catharina fatetur se vidisse corpus proprium à se remotum, tum in alienationibus Perugiorum, & Lapponum: qui pollicentur se tibi nuncium portare vndecunque volueris: tunc nescio quomodò obdormiscunt, & corpus videtur exanime: & post horas aliquas aut diem Anima reuertitur, & dicit quæcunque sunt & fiunt in Regione, de qua quæris, & hoc crebrò faciunt: sic olim quidam Clazomenius, & Aristeus, & alij: equidem puto absque Dei virtute id fieri non posse, vt in sanctis, at Lappones istos à dæmone decipi somniferis rebus eos fogiente, & in phantasia sola præsentante quæcunque narrant. Idem dico de Lamiis, quando non corporaliter vadunt cum dæmonibus, non enim Mens reuertitur per se ad carcerem. Patet autem quoniam & spiritus tunc alienatur introactus, qui exire non potest quin in Aëre secedat, & in cognata corpora, quod continuè facit. Ergò tunc introactus est arte cacodæmonis alioquin Mente abeunte, remaneret Homo bestia cum spiritu animali, & asini staret, donec illa reuerteretur.

Ad septimum, Moyses tanquam per se notum istud reliquit: nam docuit bestias factas fuisse ex Elementis Hominem vero à Deo, eiusque spiraculo animatum: ergò immortalem: & cum sæpè dicat de morientibus, quod appositus est ad Patres suos, & non carne, quoniam in aliis locis sepeliebantur reliquum est Anima: sed præmia æterna non posuit in lege, quia tunc homines boni in limbum morientes ibant, nondum in-

carnato Verbo Dei, qui præmia cælestia demonstraret, & aperiret: sæpè in Prophetis videbis hanc doctrinam. Dauid, ait, quod non reuertitur spiritus ad corpus, quoniam vsque ad diem Iudicij, de quo sæpè loquitur, detinebitur alibi. De præmiis post mortem sæpè loquitur, habes etiam Samuëlem a Pythonissa resuscitatum in libr. Regum, & in Ecclesiastico verum Samuëlem fuisse habemus, qui dixit Sauli, cras eris mecum. Habes in 4. Esdræ quam multa de Animabus post corporis egressum: Salomon verò loquebatur ex persona impiorum, ait S. Thomas, vel ex Argumentis potius, quæ in sua phātasia versabantur in iuuentute: nec ego caui illis, & philosophantes sic arguere solent: & ipse ait, disposui in corde meo inuestigare de omnibus, quæ sub Sole sunt, in eod. " libro Ecclesiast. & posteà adducit has argumentationes: sed in fine probat quòd omnia Deus adducet in iudicium. Antè illud nos non esse quod sumus nunc, dixit Dauid, non autem nihil. Hoc non est inuentum Pharisæorum, sed tota Scriptura id docet: imò nulla potest dari doctrina absque doctrina de Animorum immortalitate, vanáque res esset colere Deum, à quo nisi præsentia data etiam brutis speres, quæ spernis: quando impij meliora obtinent, vt Iob conqueritur, & Dauid, & omnes Prophetæ. Ex quo Antenagoras Philosophus probat aliquando futurum Iudicium Dei, & alteram vitam nos manere. Druydæ id sciebant ex successione à Noe per Gomer. Cæsar Epicureus erat, teste Salustio, & Lucano, propterea sic loquitur: similiter Herodotus, & Macchiauellus. Hæc enim doctrina ab Adam ad nos venit per Religionem naturalem, vt inuictis rationibus probaui in Metaphysica, & in libro de Recognitione Veræ Religionis contra Macchiauellistas. Vide ibi.

Ad octauum, patet Responsio in corpore articuli, non enim est contrarietas inter Animæ & Mentis operationes, sed diuersitas tanta in obiectis, vt verè credas duplicem in nobis Animam, vt S. Ambros. descripsit. Telesium verò non intelligunt calumniatores; nec legerunt August. easdem responsiones adducentem contra Faustum eisdem rationibus probantem in homine esse duas animas, vnam de substantia Dei, alteram de substantia diaboli: propterea forsan Patres informati ab his scrupulosis, quamuis non esset error in libro illo, nè occasio errandi esset aliis, optimè cauerunt, vt expurgetur. Patet autem ex quinto de Rerum Natura apud Telesium, cum ipse probat immortalitatem Mentis ex ex quòd appetit Homo quæ ad vitam mortalem non spectant, & curat multa quæ diuinioris sunt Animæ, & altiorem pertinent ad vitam. Ergò ponit repugnantiam inter Mentem & spiritum Animalem cum Apostolo, quam nemo negare potest. Proptereáque ipse librum intitulauit contra Galenum, qui Mentem non agnoscit, & ponit contrarias Animas sensitiuam, irascibilem, & concupiscibilem; quæ tamen sunt vna etiam apud Sanctum Thomam, & alios Theologos, maximè in Animali, de quo est titulus libri, & quæstionis.

Quod autem vnica omnium Hominum non sit Anima, in articulo præcedenti contra Peripateticos satis probatum est.

Vtrùm Mens à Deo nobis immissa, sit Forma, seu Enthelechia corporis organici, an motor, & habitator, an aliquid medium, & quomodò vniatur.

ARTIC. III.

Videtur quòd sit forma.

Primò illud, quo vnumquodque compositum operatur est eius forma, vt calor ignis, quo calefacit &c. sed Homo operatur, hoc est intelligit, quod eius operatio est præcipua, per mentem, quæ est Homo, ergò Mens est eius forma.

Secundò, Mens non est materia, neque compositum, ergò est forma.

Tertiò, si non vniretur vt forma Mens corpori, ipsa assisteret tantum, & per se intelligeret, & homo esset sicuti artificiatum compositum, vt nauis ex homine, & ligno, & domus ex habitatore, & tecto.

Quartò, Mens si non esset forma, adueniret corpori formato per corporeitatem, & per vegetatiuam, & sensitiuam, & sic ex eis fieret vnum aggregatione, non essentialiter.

Quinto, tandem Homo non esset vnum simpliciter, & per se, sed secundum quid, & per accidens, fit enim vnum simpliciter, ait Arist. ex potentia, & actu: nunc autem ex materia actuata, & mente fieret aliquod per accidens, vt ex vestimento & vestito, & ex albo & animali. Confirmatur, quia quidquid aduenit post actum essentialem atque completum esse, facit vnitatem per accidens, quamuis sit substantia, vt patet ex dictis: nam & triangulum ligneum est vnum per accidens. Homo autem est Ens per se, ac per se vnum: ergo Mens vnitur ei vt forma nudæ materiæ.

Sextò, extat Concil. Vienn. in Clem. Titulo de Summa Trin. & fide Cathol. vbi condemnentur dicentes Animam humanam, non esse formam, sed assistere tantum, vel &c. ergò pro Arist. decretum est quod sit enthelechia. &c.

Septimo, D. Thomas super Arist. docet animam esse actum materiæ nudæ priusquam corporis: ergo &c.

SED Contra est Scriptura Diuina à Deo per Moysen reuelata, dicens, Formauit Deus Hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem &c. vbi patet prius formatum esse corpus animale formatione formàque sua, & organis ornatum ac deinde in faciem iam bene organizatam spirasse spiraculum vitæ: quæ est Mens à Deo immissa post corporis formationem: & sic factum in animam viuentem, quæ per se vita est, vt ait Bernardus, quia id ei est esse quod viuere. Brutorum autem animæ non est idem esse quod viuere subsistentet. Præerat enim vita eorum in Elementis secundum esse, in quæ etiam dissoluitur. Et super hoc textu omnes Patres nullo penitus discrepante, docent animam non vniri materiæ nudæ, sed corpori, benè organizato. Quod enim Deus fecit in principio, ait Ambros. hoc exequitur Natura. Imo natura est illa institutio. Quapropter nemo excepto Alberto Magno, audet Mentem copulare Homini masculo ante corporis formationem perfectam, quam 30. die absolui volunt, & in fæmina in 60. at de tempore non disputo, sed quòd benè formato corpori vnitur, non destruendo formationem illam, & alteram faciendo; frustrà enim Deus prius formasset, quod per spiraculum destruendum erat, & Natura nunc organizaret, quod ab eodem spiraculo non sit perficiendum, sed euertendum. Incipe à Sancto Clemente Romano discipulo Sancti Petri, & percurre sæcula Theologorum vsque ad Sanctum Bernardum, qui fuit anno 1150. Christi, & semper inuenies hanc eandem doctrinam. At quod anima vniatur materiæ nudæ, & non corpori organico, cæpit teneri in Peripateticismo sunt anni 400. iam, non tamen nisi à quibusdam Aristotelem sic commentantibus: quem tamen condemnarat expresè maxima pars Patrum nominatim, vt S. Iustinus, Tertull. S. August. Origenes, & Lactantius, & Gregor. Nyss. de An. c. 4. teste S. Thoma 3. con. gent. dicens: *Quod si anima esset Enthelechia, statim esset corruptibilis*: & hæc est etiam Arist. consequentia 2. de An. t. 11. eas tantum partes vt incorruptibiles separari, quæ nullius corporis sunt actus: & ideò secundum Alex. Intellectus agens immortalis non est actus corporis: idem docet Themist. Simpl. & alij, & ipse D. Thom. nedum Patres: libros non habeo ad manus, nisi S. Ambr. qui lib. de Noe, c. 25. allegat Arist. dicentem Animam esse Enthelechiam, & reprobat ipsum, sicut alios ibi nominatos. Hoc autem expressius facit in ep. 21. & lib. de Isaac & Anima, c. 2. ait Non ergò anima est sanguis, neque aër, quia aliud est flatilis spiritus, aliud Anima, neque ignis, neque enthelechia: sed Anima est viuens, qua factus est homo in animam viuentem. Posteà ostendit partem hominis irrationalem esse spiritum ibi, & c. 25. de Noe, & 6. Quapropter anima definitur per Primalitatis obiectum, quòd sit vita per se, vt & Ber. dicebat, & Plato interdum. Quòd autem sit in corpore sicut in habitaculo, & organo, & carcere, docuit in eisdem locis: insuper in lib. de bono mortis, c. 6. dicens: *Anima vtitur corpore vt organo, qua velut præclara artifex, quo vult obsequium corporis ducit.* Item in 6. 7. *Non sit*, ait, *confusa operatio Animæ & corporis, quorum dispar est substantia, sed sit anima in corpore, vt viuificet corpus, gubernet, & illuminet.* Et paulò post docet, quod vtitur corpore vt fidicen cithara & chordis: non ergo vna est operatio vtriusque, neque confusio, & mixtio actus & materiæ. Idem docet

in

in Orat. de Resurrect. & tandem super Psalm. 118. in litera na. *In nauigio*, ait, *tui corporis mouetur æstus cupiditatum*, &c. Itaque ponit eam sicuti nauta in naui. Et in Hex. 6. cap. 7. *Aliud sumus nos*, inquit, *aliud nostra, aliud circa nos. Nos sumus Anima & Mens: nostra sunt corporis membra, & sensus eius: circà nos pecunia serui, & vitæ istius apparatus:* Et sæpe repetit hanc doctrinam, quòd totus homo est Anima. Aliquando vocat ipsam cum Apostolo, interiorem hominem, & in lib. de conditionis humanæ dignitate cap. 1. ait: *Anima nominatur totus interior homo, qua viuificatur, regitur, continetúrque luteæ illa massa humectata succis, nè arefacta dissoluatur.)* Et in lib. de Hab. 1. diuidit eam in Mentem rationalem, & spiritum sensitiuum: sic etiam in lib. de Noe: & Mentis substantiam facit Spiritum sanctum, sentientis verò Animæ aërem & sanguinem: & S. August. hanc doctrinam declarat, quomodò spiritus non potest corpori vniri sinè sanguine, nec Animam esse in sicco; & allegatur à Gratiano in Decret. vbi Glossator Bibulus ait, *Bibamus ergo nè Anima sit in sicco.* Mentem autem vniri corpori rudi non posse, nisi per spiritum, sicuti spiritus per sanguinem: idem August. millies docet præsertim in 12. in Genes. & in lib. de Anim. & Spiritu: sequitur enim in cunctis ferè Ambrosium Præceptorem, quod nec sit forma ille docuit: & S. Chrys. super Gen. hom. 14. ait, quòd corpori est Anima quasi optima artifex suo instrumento coniuncta, postquam organizatum benè fuit: nam de spiraculo vitæ ibi loquitur S. Bern. in quodam sermone de Natali, & super Cant. Serm. 1. Animam vti corpore vt organo, non formam eius esse docet. Percurre omnes Doctores, idem dicent: nescio cur modò Aristotelizamus. Aristotelis quoque definitio sibi repugnat: si enim est corporis organici actus, erit organorum forma, vt securis forma eius est enthelechia: dicitur enim enthelechia à duabus vocibus Græcis, quæ significant perfectionem habitam, & possessam, teste Alex. vt grauis perfectio ab grauis corpore possessa est grauitas, qua se mouet deorsum, quòd si ita est, omnis forma est mortalis, vt Nyssenus concludit: at Arist. ait eas esse immortales, quæ nullius corporis sunt actus, & tunc Anima, quæ inest vt naura, & est immista, solum ponitur immortalis: nec dicant Latini, sufficit secundum potentias non esse actum: nam si substantia Animæ est actus: ergò & potentia, quæ eius est essentialis differentiá secundum August. & Scorum. Item S. Ber. in Cant. Ser. . . . . nam si calor actus, ergò est potentia calefaciendi: proptereáque omnes expositores Græci actum vtentem non perficientem faciunt intellectum. Item quomodò mortalis erit secundum substantiam Anima, & non secundum potentiam?

Superius probauimus corpus esse multiforme, nec posse ab vna forma informari: vbi examinauimus Aristotelis definitionem. vide.

Ad primum Resp. quòd operatio homogenei corporis fit per formam agentem, non passiuam, nisi coadiuuando. Operatio verò etherogenei, & compositi ex multis, non fit à forma cum sit multiforme passiuè, sed à principaliori parte compositi, cui actiuitas illius inest, attribuitur autem toti per communicationem idiomatum, vt docet S. Damascenus: sic in artificialibus dicimus. Cythara sonos edit, cum tamen solæ chordæ sonum faciant: pistrinum molit frumentum, vbi solæ rotæ circumuolutæ id faciunt: sic dicitur homo videre, & tamen solo oculo videt, nec homo videt, sed Anima in oculo, quia tamen homo est quid compositum ex corpore & Anima: propterea que quidquid facit parte, dicitur facere totus; conueniunt enim omnes partes in vnam hominis essentiam integrandam: Interdum id quod est principalis agentis, tribuimus organo: vt perpetere, ô cor, ait Vlysses in Homero; & ambulate pedes mei, & sunt aliquæ partes aptæ denominare totum vt dicimus Hominem crispum, ait S. Thomas, qui solos capillos crispos habet: quoniam crispitudo non nisi in illis fieri potest: sunt quæ non denominant: neque enim dicimus Ethiopē album, quia habet dentes albos, albedo enim non illis membris tantū, sed totius esse solet, vel aliorum etiam. Intelligit ergò Homo Anima, quæ Platonicis est totus homo, & Ambrosio, & multis Patribus: negat S. Thomas, quoniam corpus est de hominis integritate fatetur Ambrosius, sed etiam interiorem hominem dicit animam: exteriorem verò, & organum interioris corpus, ita tamen quòd essentialis sit ista vnio constituens hominem integrum: sed principalis pars videtur esse totum, patet autem quo-

nium organum non motum à causa principali iners est: huiusmodi autem corpus sine Anima: ergo organum est, sed essentiale, non accidentale, vt cythara, quæ tamen organum essentiale est cytharedi, vt cytharedus, sed non hominis, dico essentialitate artis non naturæ, qua Homo interior, & exterior.

Ad secundum, concedo Animam esse corpus tenue in brutis, itidem sensitiuam in Homine, vt probauimus ratione & Sanctorum authoritatibus, quòd sit tenuis spiritus. Mentem verò esse incorpoream & asserit Chrysostomus, Ambros. & alij (omitto Tertull. & Apol.) non tamen sequitur quòd sit forma, sed potius natura, vt docet Richard. de Sancto Victore, in lib. de contemplatione: forma enim est corporis dispositio, figuráque, & species ex sic disposita emergens corpulentia. Natura verò quod diuinius est interiusque operans, agens quem. Ideò dicemus Animam naturam: at etiam dicam formam, sed non vt securis, sed vt aëris lumen, quod non dependet ab aëre, sed à Sole: & aëre perdito, non perditur, sicuti securi perdita eius perditur forma. Quapropter palam est quod possit esse forma vt vtens & formans & informans, sed non potestà à corpore informato, quoniam ex eo non est, sed à Deo, vt lumen à Sole, & hunc sensum tenet S. Thomas, & non illum Aristotelicum. Angelus est natura, non forma, quia nihil informat, nisi æquiuocè: sic verbum Dei est forma formarum, sed vt causa. Idea enim est forma causans, forma in materia est causata, & illius sigillatio, vt securis forma est sigillatio ab idea fabri; & hæc corrumpitur, at non est Anima huiusmodi.

Ad tertium negatur consequentia, quòd solum assistat: nam perficit mouet, operationésque edit, & communicat corpori vitam, suáque dona vt dicit Ambros. nec erit compositio, vt nauis & hominis: hæc enim accidentalis est, sed altera essentialis, quæ suæ ideæ correspondet in mente artificis diuini. Artificialis soluitur ad arbitrium hominis: naturalis durat secundum naturam, sed ad Dei arbitrium: est enim ars naturæ imitatrix filiáque: elicit anima per se operationem, sed cum corpore operatur: in quibus autem non communicat, indicat suam independentiam, non distinctionem totius.

Ad quartum, in hoc argumento summoperè digladiantur Peripatetici. Alij enim volunt in homine esse plures formas, primam corporeitatis, secundam mistionis; tertiam vegetatiuam, quartam sensitiuam, quintam intellectiuam: & alij putant has formas se se præcedere, vt diuersimodè perficientes, sicuti Auicembron. Alij vt disponentes tantum sicuti Iandunus, alij vt disponentes & perficientes, sicuti imponunt Auicennæ: & hi omnes dicunt remanere has formas: negant alij, quoniam esset coaceruatio entitatum quinque, & non vnum ens, quod vnica forma est vnum, à qua habet esse, & vnitatem. Propterea dicunt, alij cum Richardo Mediauil quòd prima forma est interminata, & sequens est terminus eius, quæ etiam est interminata in suo esse, & per aliam terminatur, donec venias ad intellectiuam, quæ est omnium terminus constitutiuus hominis, & sic euadunt. Videtur & Scotus his assentiri. Contradicunt alij, quia intellectus extrinsecus aduenit, nec potest esse terminus internarum formarum. Item homo esset solus intellectus, qui non corrumpitur, ac proindè incorruptibilis. Simplicius verò vult quòd prior sit vegetatiua, quæ in aduentu sensitiuæ corrumpitur, quoniam hæc est simul vegetatiua: sed cum aduenit intellectus cum non sit actus corporis, non corrumpit sensitiuum, sed perficit. Quòd etiam vult S. Thom. in 3. p. q. 1. & 5. vbi docet diuinitatem in Christo non corrumpere Animam intellectiuam, sicut neque intellectiua sensitiuam. idem in 4. contra Gent. Latini vero negant hæc, sed omnem præcedentem formam corrumpi aduentu sequentium volunt singillatim, & sic Animam intellectiuam esse formam corporeitatis, & vegetatiuam & sensitiuam simul. Reclamant alij, quoniam corporeitas nutritur, augetur, corrumpitur, non autem intellectiua: ergò non sunt idem. Item corporeitas in Sacramento verteretur in Animam Christi, si Anima Christi est etiam corporeitas. Item non esset pugna inter sensum & intellectum contrà Apostolum. Propterea Bacchonitanus Carmelita ponit corporeitatem & intellectiuam duas solas formas. Idem facit Henricus Gandauensis: sed isti reclamant, quia Anima reciperetur in materia quanta, & duæ formæ

faciunt duplex esse. Item habent pro magno incommodo si Anima vnitur materiæ formatæ. Faceret enim compositum accidentale, & accidentia præcederent substantiam in materia. Illi respondent, simul fieri vtramque formam in materia. Lis sine fine, nulla resolutio, quoniam relicta doctrina Patrum, in Arena Peripatetica luctantur. Hæc adduxi, vt videas eorum discordiam. Nos autem corpus non esse formam, sed materiam edocti à Patribus, & Animam esse duplicem in homine, sensitiuam & intellectiuam, quæ sibi inuicem aduersantur, teste Apostolo, & illam corpoream, istam incorpoream, vt docuit Basil. Ambros. August. Lactant. & Chrysostomus quos in superioribus quæstionibus allegauimus; & Animam sensitiuam cum semine traduci, & intellectiuam à Deo inspirari, non vt illam destruat, sed perficiat, facilè omnia eludimus argumenta. Neque enim imaginabile est quòd nudæ materiæ Anima recipiatur, vt melius sentit S. Thom. in cont. Gent. quàm in Summæ primo libro imperfecto: & sequendus est ibi iuxtà regulam suam in Opusc. de concordia: quomodo enim ex in corporea anima & incorporea materia corporeum subito fiat compositum, nemo finget, vt optimè arguit S. Iustinus. Item euidenter remanent organa in morte, & S. Theologia id probat in Christi corpore, quod fuit idem numero in vita & in sepulchro, & eædem cicatrices, vt visus est Thomæ Apostolo. Ergò falsa est illa maxima, nihil est commune mortuo & viuo. Experimur carnem gallinæ eandem numero cum viua: & tandem id reprobauimus in quæst. de Materia, & in Metaph. & sensus omnes clamant contra opinantes eiusmodi. Dico ego: esse vnum simplex vnicam habet formam, vt aqua & caro: compositum quot temperies componentium, vt parietis, alia forma est lapidis, alia calcis, alia ligni, & alia lateris: sic in corpore humano alia carnis, alia ossis, alia nerui, alia spiritus &c. omnes tamen conuenientes simul accipiunt formam totius corporis compositam, sed tamen vnam; cuius vnitas est ab idea sua, & non à formis, sed à forma totius, & sic corpus est vnum: spiritus verò cum corpore est vnum Animal. Tunc cum Deus immittit Mentem, fit ex eis vnus homo: non enim accidentaliter vnitur, ita quòd nihil faciat amplius essentiale, sed coeunt in vnam naturam compositam ex multis, vt ait S. Bern. in Serm. de Natal. quæ natura est vna ab vnitate ideæ, non à partibus, sed à toto, quod suæ ideæ subest. Scotus benè vidit aliam esse vnitatem compositorum, aliam simplicium; nec dici per accidens nisi compositio non coëat in vnam essentiam; idem habes ex Parm. apud Platonem. Quapropter dicam, hominem vnum non ab Anima, & à formis partium, sed à forma totius, quæ est humanitas ideata: ex albo autem & lapide non fit vnitas essentialis, nec ex calceo & homine, quoniam non faciunt totum in vnam formam totius ab idea naturali sigillatam, est enim & lapis sine albore, & calceus sine homine, at non homo sine Anima, neque sine corpore. Posse autem hanc vnitatem reperiri docet Concil. Ephes. & Patres omnes: nam Christum ex diuinitate, & Anima, & sensu, & carne, faciunt vnum essentialiter: quoniam ad constituendum vnum totale compositum essentialiter conuenerunt, vt etiam D. Thom. probat, nec à diuinitate corrumpi, sed perfici Animam: & licet diuinitas præcedat & præueniat personalitatem humanam nè fiat vnum per accidens; tamen hoc non tollit vnitatem in aliis hominibus: quandò enim aduenit intellectus personalitas humana non adest, sed suppositum brutale. Et sufficit mihi probasse vnitatem essentialem etiam ex diuersis formis, sed compositam, non simplicem: vel nihil prohibet esse simplicem in compositis, quatenus terminantur ad vnum secundum ideam. Idea enim proptereà à Platone dicitur vnitas. Quòd autem dicant non fieri vnum simpliciter, nisi ex potentia & actu, Peripateticum est, non vetum: imò falsum in Theologia: magis enim fit vnum ex similibus, quam ex diuersis, similitudo enim vnitatis est influxus, vt patuit in Metaphysica nostra: quapropter magis fit vnum ex calore & calore, quam ex calore & calefacta materia: sic magis fit vnum ex Anima sensitiua & intellectiua, quam ex Anima & corpore: proptereà doctissimus Sanctus Augustinus non benè vniri Mentem tam nobilem ignobili materiæ, nisi per spiritum medium inter eos: sic neque lux vnitur aëri, nisi per diaphaneita-

tem, quæ est opus caloris & albedo in deuicta materia: albedo autem lucis entitas. fit ergò vnum ex materia & forma diuersis, propter ideam vnam & formam totius, non propter formam partis, quæ à sua parte est diuersa, non autem a toto: & hæc benè nota, vt fugias tecnas peripateticas. Conformatur materia formæ, & forma coextenditur materiæ, vt fiat vnitas: sed nulla est nisi propter ideam sigillantem hanc materiam hac formatione ad hunc finem: vnde magis est vnum cythara ex diuersis ad vnum opus ordinatis, quam albedo & moles ad nullum. Item verum est cum ait, quidquid aduenit post esse completum efficere vnum per accidens. At intellectus non aduenit homini completo, sed Bruto, cui dat esse, vel potius complet esse humanum: non enim est homo sine animalitate. Quæ ergò adueniunt nō constituendo essentialiter, illa accidunt, sic triangulo lignum, & vestis homini: & Glossa est S. Concilij Ephes. 1. quod aduenit accidentaliter, & non essentialiter, illud facere vnum per accidens, non autem hæc sc. quia illud non constituit esse &c. Mentem materiæ vniri non immerito abhorrent Patres, nec materiam dari alibi palam est, nisi corpus substantiale. Corporeitas autem non est forma, neque accidens, sed matericitas ipsa, voce forma, non re. Vide Metaphys.

Ad sextum responsum est, cum examinauimus definitionem Aristotelis: non enim Concil. intendit dicere quòd anima sit forma quomodò placet Aristoteli, quandoquidem Ambros. & Nyssenus, & omnes Patres id negant, quibus Concil. non contradicit, vt putant Hæretici: sed intendit prohibere opinione erroneam Auerrois, quæ Animam vnicam in omnibus hominibus propter hoc faciebat, quoniā erat assistens: & credebatur illi quasi oraculo tunc tēporis, vt dicit Albertus, & S. Thomas, qui contra ipsum tunc scripserunt: & statim prodierunt libelli multi contra S. Thomam pro Auerroe; vt Rogerius, Sigerius, & Bacchonitani, & Iandunus, & alij multi coëtanei, ita quod factus erat Auerroës oraculum illius sæculi. Tunc Theologia damnificabatur; & Concil. prouidit statim, anathematizando eos, qui intellectiuam Animam, assistentem ponebant, & non formam hominis, sed vnam in cunctis assistentem: & quia Concilij Mens est sequenda, vt probat S. Thomas in exposit: Decretalis: vbi decernitur visibilia & inuisibilia simul creata; vnde sequebatur damnatio Greg. Nazianzenum, & Hieron. qui Angelos longè antè creant:) & respondet, non damnari, nisi Origenistas, qui antè creant, vt propter eorum peccatum factum esse mundum introducant, in carcerem illis: at posse teneri sententiam Gregorij & Hieron. sic dico nunc posse teneri animam non esse formam cum Ambrosio, & Patribus, quoniam decretum illud est contra Auerroïstas, non contra Patres. Verumtamen etiam volo esse formam informantem, sed non dependentem. Et quoniam non videbatur rectè posse multiformem corpus ab vna forma informari, dixi in textu posse solum, quando aliundè dependet, vt lumen. Propterea.

Respondeo ad 1. quæstionem principalem quod sit forma, vt lumen aëris, non vt enthelechia, quæ est actus possessus, sed possidens. 2. pars probata est ex dictis Ambrosij in
„ lib. de bono mortis cap. 7. dicentis de vnione corporis, (suscipit in te Anima insensibili-
„ tatem defuncti corporis: & corpus omnibus Animæ virtutibus fungitur; ac ne fortè
„ quia diffunditur Anima corpori, etiam confundi putetur: Exemplum nobis sit lumi-
„ nis huius gratia, siquidem & lumen terreno loco infunditur, non tamen confunditur,
„ non sit ergò confusa operatio, quorum dispar est substantia) quid clarius pro nostro
„ dogmate quòd sit forma infusa, & non confusa, & operatio, quæ est intelligere sit Animæ, licet cum corpore, &c. Vtrum autem sit tota in toto, & in qualibet parte tota Mens, asserunt ex Sancto Augustino multi: sed modum nesciunt, licet alij dicant essentialiter, sed non existentialiter. At Durandus & Scotus identificantes esse & essentiam: quid dicunt? Alij dicunt, secundum essentiam, non secundum potentias: sed cum vna potētia sit idem, vel simul existat, nec separata ab essentia, profectò vbi vna, ibi altera: & quomodo Anima vbique, & non extensa? Gerardus quidem extensionem concedit, alij negant, sed quid æquipollens extensioni dant: equidē multa dixi in Meth. Nunc verò cogitans, video non posse intelligi: quòd probo autoritate Chrysostomi in

lib. contrà anomeos tomo 5. vbi quomodò sciat anima res incorporeas, non posse concipi docet: statim enim vt extensæ nobis repræsentantur: sic autem neque Deus quidditatiuè sciti contrà eosdé. S. Ambr. in lib. de dignit. cond.hum. ait, sicut Deus vnus semper vbique totus est, omnia viuificans, omnia mouens, & gubernans: sic anima in corpore suo vbique tota viget viuificans illud mouens, & gubernans: nec in maioribus sui corporis membris maior, nec in minoribus minor, &c. Equidem dicam sic se habere secundum essentiam & operationem propriam abditam; secundum verò operationem editam & inditam in variis membris varias functionesostendere. Spiritus autem aliter se habet, quoniam est pars in parte & totus in capite, & corporeus pro membrorum capacitate. Sed mens vbique, quoniam incorporea, neque extensa, vt albedo, neque confusa, vt forma, sed infusa, vt lumen operans & lucens pro merito partium, ideóque maximè in spiritu: Ergò in capite.

Substantiam mentis Potentiam, Sapientiam, & Amorem, sine corpulentia in Metaphys. docemus: hic autem non est locus de illa inquirere: Spiritus sanctus est eius substantia apud Ambrosium, sed causaliter, non formaliter.

Ad autoritatem S. Thom. dicimus, ipsum de mente Arist. ita tenuisse: at cum loquitur ex propriis vult animam esse immortalem, quia intellectus non est forma corporis: nec ipsam recipi in materia nuda, sed organizata: nec destrui organa, nec sensitiuam in aduentu eius, sed perfici, vt patet ex 4. Cont. gent. c. 44. & 3. p. q. 2. art. 4. & 5. & in qu. 5. & in opus 42. cap. 6. vbi nullas formas materiæ nudæ quæ est punctus, aut vacuum, vt dicitur in lib. primo de gen. & corr. t. 28. vniri posse demonstrat.

Vtrùm Rationale sit differentia hominis vltima, qua differt à brutis & Angelis.

ARTIC. IV.

Videtur quòd sit.

Primo in Scholis enim Philosophorum definitur homo, quòd sit animal rationale: bruta verò vocantur irrationalia.

2. Item omnes Patres, quoscunque legi, vt Origenes, Chrys. Ambr. Richardus, & alij vocant bruta animalia irrationalia: Hominem verò solum rationale: Et Origenes in Periarchon Patris Dei in cunctis inueniri virtutem docet quatenus sunt. Filij autem, quòd est Verbũ & Ratio Dei, solùm in rationalibus, népè hominibus & Angelis: spiritus sancti solum in Christianis spiritu Dei ductis: quod etiam in Aug. legi, & in Richardo de sancto Victore, & in sancto Bernardo, super Cant. serm. 5. Deus autem à brutis non exigit rationem, quibus non dedit rationem.

3. Scholastici ponentes Angelos intellectuales, non etiam rationales, nolunt enim discurrentes eos cognoscere, dicunt rationale etiã differentiam hominibus vltimã: Ber. verò ad Eugen. lib. 5. & Patres antiqui multi dantes discursum Angelis, definiunt hominem per animal rationale mortale. Quapropter si neque ratio est in brutis neque intellectus, vt dicebat Dauid de equo, & mulo: & hominis definitio stat prout Ber. definit: vbi ait & videtur contraria continere: si enim est rationale ergo Mortale: quomodo autem additur mortale? Resp. respectu corporis, &c.

SED Contra est Deus in Iob, qui se dedisse gallo intelligentiam monet; & Salomon, qui nos ad Scholam formicæ ad discendum sapientiam mittit: & Dominus Iesus, vt simus prudentes sicut serpentes: prudentia autem non potest esse sine ratione, & D. Thomas super Metaph. docet, omne animal habens memoriam, habere prudentiam: quoniam ex præteritorũ memoria discurrit ad futuri notitiam, & prouidet sibi in æstate pro hyeme, &c. Idem docet Arist. in lib. de Histor. Anim. Plato autem, & Pythagorici, & Porphyr. Plut. & Democr. Hipp. Galenus, animalia cuncta donant ratione: Auerr. Simel. & Themist. & Philoponus, & Auicen. & cuncti Peripatetici, & Galenus, & om-

nes Medici, dant animam ſenſitiuam rationalem brutis, & vocari in homine dicunt rationalem, vt recitat Niphus, in Pygmeis Logiſticam, in brutis extimatiuam. Alexander verò, & Galenus, ex Element. complexione: Auerr. & Sanctus Thomas, & Scholaſtici ex potentia materiæ: quidam verò, & ſi recte recolo, eſt Ioannes Andreas, in Metaph. ſua, & quidam nuperrimus autor, à Deo deriuant eam in brutis: ſed falſum eſt niſi principali influxu. Nos à Senſu rerum. Præterea Plinius, & Plutarchus etiam quærit, an, in mari ſint rationabiliora animalia, quam in terra. Teleſius quoque multis exemplis etiam Ariſtotelicis, conuincit præcipuè autem canis, qui læſus à potentiori cane congregauit cibos, & abſcondebat, & deinde accerſit canes alios ad prandium; & poſtea omnes cum ipſo aggreſſuri perrexerunt canem, qui fecerat iniuriam, & occiderunt. Quapropter ſi tanto diſcurſu eſt víus, vt & milites auxiliares cibo conducat, procul dubio rationalis eſt. Quod S. Aug. in prudentia araneę dum muſcas captat retibus, tam aſtutè fabrefactis tenſiſque, admiratur. Item Lactant. lib. 3. inſt. cap. 10. rationalia vult eſſe etiam bruta. Præterea S. Baſil. in Hexam. & Amb. ibidem plurima exempla adducunt rationis animalium, in canibus, elephantis, vulpibus, perdicibus: maximéque in Rep. apum & gruum: quos abſque ratione regi non niſi ſtulti dicent: exemplum Polypi ad decipiendos piſciculos, & cancri ad vorandum conchilia; Conjicit enim lapillum, dum oſtreum aperit clauſas teſtas, nè poſſint claudi, cancrique chelas ſtringendo rumpere, ac ſimul molli cibo ipſum priuare) conuincent nos etiam obſtinatos: non diſſimile facit ichneumo dum cocodrillum inuadit: quid de hyena, & ſimiis? Proptereáque fatentur ſancti rationem, & Syllogiſmis melioribus aliquando, quam in Scholis fiunt humanis, vt ait Amb. loquens de cane, bruta vti in ſuis negotiis. Adde præſcientias tempeſtatũ in piſcibus, & percoribus multis, Alcionibuſque, & apibus, & formicis, quæ ſapientiſſima omnium vocat Salomon: rationem ergo bruti negant illi ſolum qui in rebus non philoſophantur, ſed in verbis, & qui neſciunt diſtinguere inter nos, & bruta, & quadam Religione indocta verentur nè nos quoque bruta ſimus caducaque prorſus animalia, dum pigri ſunt ad melius philoſophandum. Religionis autẽ plenum eſt, opera Dei inſpectare, admirari, faterique eius dona, ac celebrare vbicũque ſint.

Propterea doctiſſimus & ſanctus Cardinalis Oſius Polonus in confeſſione Petracorenſi quadam, docet non eſſe rationalitatem, quæ diſtinguit nos à brutis: ſed religionem Idem videtur dixiſſe S. Chryſoſt. in quadam hom. tom. 5. locum non notaui, ſed verba ait: in cunctis homo cum brutis conuenit, ſed pietate ſecernitur. Idem docet Lanct. ibidem: dicemus ego nè, homo eſt animal rationale religioſum, vel vt alij dicun , beatificabile? S. Thomas non putat addendum, ſed ſolummodo rationale; nam & ſi bruta rationalia ſunt, non tamen ratione mentali: ideò potius extimatiua ſunt, ait, quàm rationalia: ſed quoniam & prouidentia vocantur à Salomone, & ſapientia, & ſimiliter à S. Thoma, vtique cum idem ſit quòd rationale, non eſt curandum de vocabulo.

Ego tamen puto in multis differre rationem humanam à brutis. Primo quoniam humana excellens eſt, multiformis, & ad plurima ſe extendens: brutalis ratio ſolum ad victum, & communionem in rep. ſua pro defenſione à malis corporis.

2. Quoniam ratio hominis, vt ait S. Ber. in Cant. & Ambr. in 6. Hex. aſſurgit ex mortalibus caducíſque rebus ad diuina, & inuiſibilia cognoſcenda, & cum diuinis communicat, & hoc eſt religionis natiuæ munus: qua inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellectu conſpiciuntur, vt ait Apoſt. Brutorum ratio ad inuiſibilia, & diuina non aſſurgit, etſi enim ſpectat ſidera, non tamen motores inueſtigat: nec æqui noctia, & eclipſes, & motus metitur, nec Deum huius ordinis autorem tandem intelligit, quòd bene notat Ambroſ.

3. Quoniam non cognoſcunt rationem mediorum, & rationem finis.

4. Quoniam ratiocinatio brutorum non pertingit ad idearum intellectum.

Porrò ſequaces Ariſtotelis quidam concedunt brutis ſyllogiſmum ex particularibus, quem vocant expoſitorium, non autem ex vniuerſalibus, & ſic putant inter hominem, & brutum diſtinxiſſe: ait enim hic eſt fugiendus, & hic eſt lupus, ergo lupus hic eſt fugiẽdus. Prima ineſt naturaliter, 2. ab aſſuetudine ſicut nobis: nam & infans tangit ignem, & poneret ſibi illum in ore, vt dicit Phylo de Moyſe: ſed aſſueſcit ex paſſione dicere,

ignis non est tangendus. Præterea cum probatur sit animalia cognoscere vniuersale. Canis non videns hominem adlatrat, nisi quia scit contra inimicum omnem esse Latrandū: non ergo hæc est differentia syllogismi brutalis ab humano: sed quod noster assurgit ad ideas ex vniuersali causato ad causas, brutalis potius ex vniuersali ad particulare redit sensatum, non ad ideas: ex hordeo enim in memoria retento, vniuersaliter ad hoc hordeum quod nunc videt, & ad aliud quod videbit, & quod optat, se inclinat noscendum: non autem ad ideam, & opificem hordeorum, nec ad elementa: sic dico, de intellectione brutorum, quod sit vniuersalis Aristotelici ideati humana ratio est vniuersalis Platonici ideantis.

4. Differunt quoniam, vt ait S. Amb. syllogismus brutorum fit eruditione naturali qua Deus naturaliter illa ad talia munia sic ordinauit: ibidem dicit Basil. homo vero artificiali. Hoc difficile est intelligere, Sanctus Thomas dicit ex instinctu sic ratiocinari canes: & instinctus est impulsus aliquando rei cognoscentis à meliori cognoscente, vt homo impellit seruum ad aliquid ex aliquo agnoscendum; & canem erigit ad videndam vulpem: aliquando est rei non cognoscentis à cognoscente, vt sagitta à sagittario: paret autem impulsum brutorum non esse sicuti sagittæ extrinsecus motæ; nam præconcipiunt in se, & sentiunt quod faciunt, ex odore leporis cognoscunt canes leporem: & iste est vnus discursus, 2. ait, esse insectandum per secundam consequentiam, quoniam inimicus est, vel esca: escā autem & inimicus persequendi sunt propter vtile, 3. discurrit in biuio (vt Ambr. monet) etiam breuiori via & certiori inquirendum, & quam inuenit certiorem aggreditur, eligitque. Ergò eius impulsus non est sagittæ impulsus, sed cognoscentis virtutis prosequutio, & motus spontaneus non violentus. Propterea videntur mihi Ambr. & S. Thomas, vt in q. disp. ver. 22. 1. sese explicat, intelligendi de instinctu secundo, qui propterea vocatur sic, quoniam obiectis mouentur imaginatis secundum institutionem Naturæ, quæ est ars Dei, nos autem ab aliquo actu eliciro per liberam voluntatem. Dicam ergò esse humanum syllogismum liberum, bruti verò naturalem, vt docui in Epist. Antiluterana. Et quidem si homo non haberet liberum arbitrium, non differret à bruto per rationem solam, quæ est discursus à noto ad ignotum: nam non quia discursus, cum & horologium rotis & ponderibns discurrat: nec quia à noto ad ignotum, cum & bruta sic discurrant: nec quia sponte discurrimus, vt putat Caluinus; nam & sponte discurrit aranea captans muscas: Ergò quia liberè discurrimus eliciēdo actum etiam obiectis non mouentibus: nec passionibus cogentibus. Et licet vnus actus ex alio, & ille ex priori, quousque ad Deum, & ad obiecta peruentas deriuentur; tamen videmus etiam diuinis nutibus & legibus nos repugnare, & pluribus obiectis mouentibus eligere non quod melius, sed quod volumus, etiam cognoscentes aliud esse melius & facilius, Bruti autem discursus ab obiecto imaginato & passione innata vel illata pendet, nec eligere potest, aut scit, nisi tali sub impulsu, & secundum successionem obiectorum, & modorum eiusdem obiecti oblati variantur motiones in spiritu bruti discurrentis. Et propterea instinctus vocatur à S. Thoma, quoniam ordo rerum affert obiecta: ordo autem est Fatum à Deo ordinatum, & illud est natura vniuersitatis rerum etiam Alexandro ex Arist. Ideircò & instinctu, & natura regi discursus bestiarum legimus apud sanctos. Vtrum suæ libertatis principium habeat in se homo, vide Metaph. & ethic: q.2. At Arist. cum bruta disciplinari assuefactione, non natura dicat, mentitur contrà S. Ambros. nisi intelligat in nobis inesse, vt erudiantur: in brutis verò consuetudinem imprimere obiecta, & actiones circà illa: & sic eis produci: vt simij dum docentur saltare & equi belligerare. Sed illud idem facit in nobis consuetudo: propterea ad libertatem deueniendū est, & Religionē, quæ nos à brutis sequestrant. Alias dixi quòd brutum non cognoscit rationem mediorum & finis. Sit ergò homo animal rectæ figuræ rationale liberū religiosum, corpore & spiritu mortale, mente perpetuum, ad beatitudinem natum. *Definitio vera hominis.*

Nisi enim omnes causas & finem exprimas, imperfectè definis, vt docui in p. p. Metaph. & in Dialectica: sed ais. Nonnè bruta quoque Religionem habent, vt elephas colit lunam gentiliter, & se baptizat à coïtu? Resp. inesse illis vmbram Religionis, & discursus, & intellectus, & omnium quæ nos habemus, quoniam ab eadem sapientia Dei condita sunt vti nos: ordo est, vt infimum superioris attingatur ab supremo inferioris, vt

ſit eminenter in ſuperiori, quod eſſentialiter eſt in inferiori, & participatiuè in inferiori, quod eſſentialiter in ſuperiori. Ergò Angelus participio diuinus: homo participio Angelus; brutũ participio eſt rationale, eſſentiã autẽ ſenſitiuũ: cætera naturalia, vt plãtæ & elem. ſunt participio ſenſitiua animal verò eſſentialiter: bruta ergo diſcurrũt: ſed ſicut non aſſurgunt ad diuina inuiſibilia à ſenſibus, ſic neque colunt niſi quod illis fauet. Fauet luna in noctu aditer elephanto; ſe lauat à coitu non ceremonialiter, ſed naturaliter, ſentiens ſe pollutum & calefactum: quòd omne animal facit excepto porco, quòd gaudet ſordibus: gyrat ad ſolem heliotropium non religione, ſed paſſione ſpontanea.

Ad primum Reſp. Quòd homo ſolus dicitur rationalis per eſſentiam, quoniam ratio eius eſt vera ratio, quia libera, bruta verò ratiocinantur non liberè, neque ad diuina, neque ad plurima, ſicut homo, vt dictum eſt. Vocabula autem ponuntur ad libitum: neque inſpicies vndè, ſed ad quod: ſi enim vndè, eſt etiam brutum rationale: ſi ad quod, nequaquam. Et vox hæc, ſpiritus, dicitur de Deo, de ſpiritu ſancto, vt perſona, & de vento, & de anima, & de ſpiritu ſenſitiuo: tamen vide ad quod, & quando, & quomodo.

Ad ſecundum Reſp. rectè Patres vocant bruta irrationalia, reſpicientes ad quod, non vndè. Impoſitum eſt enim hoc nomen ad hominis rationem eſſentialem non bruti participatiuam ſignificandam; quæ potius extimatio dicenda eſt, vt vocabula conſtent, teſte S. Thoma. Origenes loquitur ſecundum attributionem proprietatum perſonarum; ſed reuera quidquid facit Pater, facit tota Trinitas. Ratio autem etiam in Plantis inuenitur, & in conſtructione omnis rei, vt ait S. Clemens: & illa eſt à Verbo Dei. Sed quia maximè in homine intrinſecus exercetur, in aliis à natura per opus intelligentiæ: ideò verbum Dei in hominibus eſt notum, Spiritus ſanctus eſt & vbique: nam, *mitte ſpiritum tuum & creabuntur*, ſcriptum eſt: ſed tamen per modum ſanctificantis & inhabitantis per gratiam ſolum in Chriſtianis implicitis eſt, vel explicitis, vt in Theol. Ideò Patres aliquãdo per ſpiritum intelligunt Spiritũ Sanctum in Chriſtiano; in homine verò ſpiritum corporeum ſenſitiuum, vt Ambr. docet. Bernardus loquitur de ratione libera, naturali.

Ad tertium concedo etiam in Angelis rationem, circà quæ non naturaliter norunt. Intellectum verò proprium illis, ſecundum quod definitur à Bernardo & Patribus: ſi autem ſit vniuerſalis Ariſt. notio eſt etiam in brutis: propterea legimus in mulo & equo non eſſe intellectum ideſt mentalem & certitudinem rerum in mente: è contra legimus, in Gallo & Brutis eſſe intelligentiam ideſt ſenſualem, & confusè cognoſcentem abſentia, vt declarauimus in præcedentibus Art. & S. Thomas etiam cogitatiuam vocat intellectum. Habet hyrundo ideam nidi ſui, & ſubiectiuè, non autem ideas diuinas, intuitiuè, vel diſcurſiuè: etiam in ſigillo eſt idea ſubiectiuè: hyrundo addit notionem, ſed non aſſurgit ad notiones rerum opificis qui fecit cælos in intellectu? Nota quòd S. Ambr. in lib. de Abr. videtur quatruplicem facere animam, quia componit eam ex homine, boue, leone, & aquila: per hominem intelligit rationalem: per bouem & leonem, concupiſcibilem & iraſcibilem: per aquilam religioſitatem, & diuinorum communicationem. Verum poſtcà ſe declarat ibi & in Noë, & Iſaac, & in Epiſt. & in Hexam. quòd rationalis eſt vna, & dicitur mens in ſe: in corporum verò muniis anima, quæ eſt incorporea. Irrationalem vocat ſpiritum ſenſitiuum corporeum, qui eſt iraſcitiuus, & appetitiuus, vt in Quæſt. prioribus declarauimus

QVAEST.

QVÆST. LV.

DE SOMNIORVM CAVSIS.

Vtrùm sint tres tantum somniorum causæ, fiantque omnes in Phantasia & in corde: an plures, & in intellectu etiam, & in capite: & per motiones, an per simulacra.

ARTIC. I.

ARIST. in lib. de somniis & diuinatione, tres causas assignat, primam reliquias motuum diurnorum: probatur, quoniam apti sunt remanere motus absente motore, 2. internos humores: probatur autoritate Medicorum qui ex somnio comedentis dulcia, pituitam argumentantur descendentem in linguam, 3. exteriores, vt motus aëris a rebus, quas somniamus, qui sensum mouens causat in nobis illorum simulacra: probatur, quoniam aliquando somniamus sentire gallum, & videre ignes; & expergefacti, verè sic esse experimur. Ergo motus possunt sic communicare dormientibus: 4: causam Deum negat. & hoc contra Platonem & Pythagoram, & viros sanctos: probatur, nam Deus potius vigilantibus reuelaret, & doctissimis & optimis: nunc autem eueniunt omnibus, & præcipuè stultis. Idem docet in ecstasi, quæ solis bonis non accidit; putatque fieri præuisionem futurorũ ex causis præparatis mouentibus animum melancholicum: nos autem latentibus, 5. phantasiam somniare putat, intellectum sopiri. Errò in primo sensorio, ergo in corde.

SED Contra est tota scriptura Dei de somniis Pharaonis, Nabuchodonosor, vbi Daniel somnia & cogitationes capitis non cordis dicit, & à Deo immitti. Idem dixit Ioseph Patriarcha: & similia habes in Euangelio ad sponsum Beatæ Virginis: & Iob docet quomodo Deus erudit nos per somnia. Doctores dicunt aliquando per se, aliquando per Angelos. Præterea diuinationes fiunt in somno rerum futurarum quarum causæ non sunt aëre, neque in cælo sed in arbitrio hominum, aut Dei; & antequam de illis tractetur: non ergò à solis tribus causis fiunt: & quoniam hoc probauimus diligenter in 3. lib. de Sensu rerum, & in 2. par. Metaph. vbi ecstases non esse naturales omnes, nec somnia, vt Arist. putat, & Auic. & Auerr. non amplius immoramur. Nam diuinationes & euentus mirifici conuincunt subitò sapientem. *Gen. 40. & 41. Dan. 5. & 7. Mat. 1. Iob. 33. & Deus ipse n. 12.*

Quòd autem non fint in phantasia sola, patet, quoniam intellectus vigilantior, minusque corporis passionibus obrutus: ergò diuina somnia in eo, cum præsertim carmina in nocte, & syllogismos faciamus: quòd mihi millies accidit. Aliquando communicat phantasia ob spiritus & mentis nexum, præsertim vbi fiunt ab Angelis, & diabolis, qui immediatè, vt probat S. Bern. animæ illabi non possunt, sed motiones spiritus, quæ phantasmata vocantur, facere, aut ordinare ad significandum. Quòd ego sæpissimè expertus sum in me & aliis. Multi vocari se à proprio, vt dicunt, genio, audiunt: & Brutus etiam in Vigilia id expertus est & Socrates. Ego quoque millies, vt alibi scripsi: sed Angelum verè genium, diabolum verè tentatorem; cuius technas iam non sine damno corporis didici, & fortunæ: Lucro tamen animæ quam plurimo. Arist. autem ista nil expertus semper ad Atheïsmum nos inclinat, præsertim hic & in sect. 30. proble. Numquid humor melancholicus pangit carmina, & diuinat? esto, quòd aëris motus percipiat, quomodò percipiet arbitrarios non propalatos: & quomodo carmina faciet indoctus? hæc non à causis exteris insensatis accipit: ergò à cognoscentibus, vbi præsertim mens rustici versificari non est apta. Demoniaci etiam nos conuincunt. Vide lib. 3. de Sens. rerum.

Quòd autem non fiant in corde palam est: Cor enim tunc solitas easdem functiones agitationum habet, motiones tam paruas haud admittentes, & Daniel somnia & visiones capitis, dicit esse. Nemo quoque est, qui non in capite se somniare experiatur, nec phantasiam, neque mentem in corde, sed in cerebro negociari, quæ spectant ad scientiam in quæst. superioribus ostendimus amplè.

Dan. 4.

Quòd autem non fint simulacra sed motiones, Aristoteles tunc fatetur in tribus dictis causis. Sed cum ait, motus externos causare simulacra, mentitur: quomodo enim motus aëris in obscuro equitem album & septem vaccas, & spicas, phantasiæ præsentabat? Non quidem sine luce Aristotelici aër accipit colores, neque communicat oculis. At præterea in hoc Aristot. inertiæ est incusandus: non enim dixit quomodò fit, vt motiones externæ nobis dormientibus communicentur obturatis sensoriis. Nos autem diximus per inspiratum aerem, qui & cerebrum subit ad spiritum sentientem, qui & illo alitur: cum autem hanc communicationem, & alimoniam neget Arist. & spiritum sensu priuet, & aërem, nequaquam videtur posse positionis reddere causam: sed accepit à Democrito aliquid de causis externis mouentibus; & à Platonis Timeo reliquias motionum diurnarum in sensoriis; ab Hipp. somnium ab humoribus: de suo autem nihil habet, nisi impietatem, quòd Deus non immittit somnia.

Ad 1. 2. & 3. benè argumentatum esse dicimus: sed non sufficienter. Vide tex. & lib. de Sensu rerum.

In Act. hom.

Ad 4. dico Deum instruere sæpè vigilantes Prophetas, & eos quos sibi amicos nouit vndè Chrysost. ait, non elegit Aristotelem, neque Pythagoram, neque Platonem ad ista mirifica: sed Petrum & Paulum, quoniam sensu illi suo tumescebant insipientiamque pro summa sapientia habebant, & sibi virtutes adscribentes: eos verò, docuit, quos sibi obedientes & humiles, Deo virtutes adscribentes non sibi, cognouit: Arist. nescit qui sunt optimi & prudentissimi. Cumque se primum mortalium reputaret in sophismatibus suis non meruit ista à Deo percipere: & ego hoc expertus dico: Sapientissimus est quisque Dei amantissimus. Aliis verò propter iudicia Dei varia immittit somnia, vt Pharaoni propter bonum nationis, & Iudeorum; Nabuchodonosor propter causas dictas à Daniele: sanctis viris propter salutem: & Deus, ait August. facit quod melius sibi videtur, non quòd tibi: sunt & hæc dona gratis data etiam malis ad aliorum vtilitatem & suam, si velint. Idem dico de ecstasi, de qua vide Metaph. vbi quam plurima non ex causis naturalibus accidentia in his adnotantur. Est quidem ecstasis ad inferiora & timentium & admirantium, & amantium: quando nimis in obiecto formidato, aut admirato, vel amato colliguntur & profundantur & hæc naturalis. Alia ad superiora, admiratiua, & amatiua, cum Dei visiones & Angelorum, & futurorum alienati à sensibus conspicimus, quæ à nullo sensu hauriri possunt: & hæc supernaturalis, vt apud Isaiam, & Iosephum interpretem Pharaon. Cuius etiam Auerr. meminit.

Ad 5. responsum est hic, & in superioribus quæstionibus vbi de phantasia & de capitis primatu loquuti sumus. Scripsi etiam in iuuenta libellum de insomniis haud indoctum: de diuinatione per somnia, & alia signa, & causas: Vide Metaph. Hic sufficit quòd non sunt omnes ecstases, neque somnia omnia naturalibus ex causis: neque ex humore melancholico fiunt Sybillæ & Prophetæ, nisi fortè dispositiuè: & in fuliginosis est dispositio ad dæmonoplexiam: vtitur enim diabolus (ait Origenes & S. Thomas) causis naturalibus ad nos vexandũ. In lucidis purisque spiritibus tenuibúsque est dispositio ad Prophetiam & lucem Angelicam: sed mirifica illa sunt à causis intelligentibus communicata, non autem ab humoribus stupidis, vt Arist. indoctè contendit. Vide lib. de Sensu Rerum & 3. p. Met.

QVÆSTIO LVI.

DE APPETITORIIS.

TRansactis his, quæ ad Potestatiuum & cognoscitiuum spectant organis & vsibus & quidditatibus: de spectantibus ad appetitiuum nos manet sermo iuxtà ordinem doctrinæ & naturæ, nouiter considerata: quæ paucis absoluam, quoniam non satis inter Philosophos veteres Primalitatum exortes, controuertuntur.

Vtrùm organa appetentis animæ sint quatuor tantum, videlicet, ventriculus, Anus, Iecur, Genitale.

ARTIC. I.



VIDETVR quòd plura sint Appetitoria. Etenim præter ventriculum Anum, Iecur & Pudendum, fel & lien, videntur præcipuam habere rationem organicam, vt obiecta: cum ad se fæces trahant, & vsibus destinentur ad stimulandam expulsionem fæcium, & appetitionem alimenti.

2. Renes in sacris literis aliquid principale habent ad concupiscentiam: vndè semper dicitur Deus scrutari Renes & corda, tanquam in quibus lateant appetitiones & notiones.

3. Diuus Gregorius ex dictis Iob dicit concupiscentiam masculis esse in lumbis: fæminæ verò in vmbillico. Vndè in Euang. dicitur, *sint lumbi vestri præcincti*: Ergò & in his alia organa ponenda erant.

4. Attrahere, coquere, retinere, & expellere, omnibus conuenit partibus: peculiari verò modo præfatis visceribus.

5. Prætereà sicuti expulsiuum excrementi alimenti sicci est aliud ab expulsiuo alimenti humidi; videlicet, intestinum rectum à vexica; ita etiam famis, & sitis videntur duo esse appetitoria videlicet ventriculus & Pulmo: veteres enim Poetę & Philosophi sicuti Plutarchus locauerunt sitim in pulmone.

6. Prætereà animam appetitoriam Arist. ponit in corde: & Plato & Galenus in iecore: omnia ergò organa appetitoria vel à corde, vel à iecore deriuanda essent; quod tamen structura eorum & Anatomes non admittit.

7. Vis augmentatiua videtur alius à nutritiua, cùm illa & in adolescentibus tantum adsit; ista verò semper. Datur etiam & diminutiua in senescente animali: & quia augmentum & decrementum sunt naturalia animalibus, assignanda essent propria organa nutritiuæ, & augmentatiuæ, & diminutiuæ.

8. Somnus & vigilia videntur ad nutritionem spectare, illa ad coquendum ista ad distribuendum: ergo & ex his organa debentur propria etiam contraria.

Resp. nutritiuam esse appetitiui communem vim & affectionem, & in omni membro reperiri, nedum in appetitoriis, sicuti tactus in omni membro & in sensoriis; & calefactio ac mutatio in omni membro, nedum in Potestatoriis. Poni tamen præcipuè organa solummodo obiectorum, quorum apprehensio non potest fieri per commune. Ergò sicuti omnia membra vident oculo, sic omnia esuriunt & sitiunt ventriculo, & omnes expellũt fæces Ano; & generant pudẽdo; & nutritionẽ celebrãt iecore & corde. Siquidem sanguis arterialis, & venalis, sunt ad nutritionem dupliciter in vnum, quemadmodum

cibus & potus ad vnam appetitionem: & calefactio & mutatio ad vnum potentatum. Quapropter videntur 4. esse principalia organa omnium vsibus destinata membrorum, & ad 4. obiecta præcipuè spectantia: cætera verò organa sunt tanquam secundaria & iterum vsibus deseruientia, ergo, &c.

Resp. ad primum, quòd lien & fel sunt ad trahendum excrementa ad sui nutritionem, quæ non toti composito seruit, nisi ad exonerationem, nè excrementis lædantur; non autem vt per ipsorum vitam seruentur, sicuti per vitam iecoris & cordis. Habent etiam propria obiecta, lien fæces, fel spumam, quarum exuberantia ad stimulos vtiles in textu narratos, valet: numerantur ergò inter organa secundario & viliter seruientia.

„ Ad 2. dico Renes præter vsus exonerandi cineribus & liquoribus serosis membra, habere etiam in se vim stimulandi ad venerem, sicuti fel ad iram, qua exonerantur excrementa; & lien ad famem, & contemplationem: propterea in renibus & lumbis renum loco, dicitur esse concupiscentia originaliter; in pudendis completè: Metaphoricè autem sumuntur propterea cor & renes pro voluptate & concupiscentia in sacris literis.

Ad tertium rectè Gregorius ponit in lumbis concupiscentiam, quoniam ibi sunt renes cineribus dedicati, per quos transiens vrina plus salsescit, & ad coitum cum descenderit ad vexicam pruritum & stimulum facit testiculis genitalique communicando: Seminaria quoque vasa ex lumbis descendunt in testiculos, ideoque, concupiscentia in illis tanquam in fonte inesse videtur: in testiculis enim absoluitur. Fæmina autem in vmbilico etiam luxuriam habet, quoniam vterus per arterias vmbilico correspondet, & per sui intrò inuersionem: qua inuersione cum careat masculus titillatio vmbilici parum illi mouet libidinem, sicuti mouet multum titillatio & calefactio lumborum & renum excitando sanguinem albidum ad egressionem in testiculos, & calefaciendo salsos humores exinde descendentes ad pruritum, fæminis autem frigidioribus ibi tactus vuluæ in vmbilico stimulos facit magis.

Ad quartum Argumentum veritatem concludit.

Ad quintum Resp. in ventriculo cibum & potum propter coctionem & distributionem necessario simul suscipi, sicut in olla olera & aquam. Probant etiam infantes lacte nutriti, quod est simul & cibus & potus. Qui verò plures dies abstinent à potu, humoribus abundant, densáque textura ventriculi, humiditatum egressiones prohibente, ac proinde ad cocturam vtente. Deindè verò potus siuè quicunque humor coctioni & iecori vsum præbens ac distributioni per venas in locum fæcium redire absque incommodò animalis nutritionis nequit: idcircò per renes decolatus ad alterum vsum in vexicam descendit, ex indè excernendus. Non ergò propterea quod duo organa expulsioni vtriusque alimenti destinantur, duo etiam erunt attractioni vtilia, cum hæc ratio potius noceat. Qui ergò pulmoni alimentum humidum adscribunt atque sitim, non inspexere rerum naturam, neque vsum organorum: Imò puto quòd siqua particula cibi aut potus in arteriam ad pulmonem defertur, suffocationis afferret periculum, quod sæpius ingluuie experimur. Potest tamen fieri vt cum per Esophagum transit potus humectet ac refrigeret adnatam arteriam, quæ in pulmonem descendit; atque id decepit Poetas & scriptores apud Plutarchum.

Ad sextum responsum est in quæst. 37. eundem spiritum esse sensitiuum, potestatiuum, & appetitiuum, & in variis organis celebrare nutritionem, præcipuè autem in ventriculo, ad quem omnia organa habent relationem. At in iecore Appetitiuum sanguificatiuum, & in corde spirificatiuum insuper palam est: quorum obiecta, & organa appetitoria dicta sunt in textu & in Medic.

Ad septimum dicitur, quòd vis augmentatiua est ipsa nutritiua, quæ cessat augere, non quia cessat nutritiua, sed quia corpus augeri amplius nequit, facta à calore induratione partium, & rimis, & exhalationis copia, ita vt æquetur exhalans aggenerato: si autem sumatur potentia communis, pro eo quod potest fieri in toto respectu omnium partium: tunc concedo aliam esse potentiam augmentatiuam à nutritiua; & illam perdi. At quoniam omnis nutritio est aggeneratio: ergo & aliqua auctio videtur adhuc vna in se, sed in toto ad totum minimè: vis diminutiua non est ex appetitione, sed inappetentia: non posse enim augere est impotentia; posse minui similiter impotentia secundum

secundum rem, defectúsque actionis tertiæ Primalitatis: sic senium & mors, licèt naturaliter sequantur, si respicis Fatum, id est, Omnium causarum concursum, accidunt naturaliter: si verò hoc indiuiduum, sunt contrà eius naturam, cui aduersantur, vt pereat. Vide Metaphys.

Ad octauum, somnus & vigilia sunt operatiui actus in executione appetitionum: similiter & sensitiui in executione cognitionum. Nec habent organa & obiecta, nisi causas finales & organa communia.



QVÆST. LVII.

Vtrùm definitiones Famis & sitis traditæ à Platone, Arist. & Galeno, & Telesio, sint veræ & sufficientes: & quis ipsorum meliores tradiderit, an nos veriores.

ARTIC. I.



PLATO in 4. de Rep. *Fames*, ait, *est appetitus cibi* (per se simpliciter) *sitis verò potus*. Deindè addit, *Calidi vel frigidi, siuè humidi, siuè sicci, siuè multi, siuè parui*. Probatur, quoniam esse appetitum cibi per se patet, ac per se verum est; quod autem sit calidi vel frigidi, &c. per accidens est: aliquando enim calidum cibum aliquando frigidum sumimus, sicuti & multum, aut paruum, in definitione autem, quæ per accidens sunt non ponuntur, sic de siti.

Arist. in 2. de An. t. 28. ait, *Fames est appetitus calidi & sicci, sitis frigidi & humidi.* Probatur, quoniam corpus constat ex 4 Elem. ex quorum deperditione in nobis efficitur appetitus instaurationis. 2. sensus alimenti est sensus tactus, huius obiectum sunt calidum & frigidum, humidum & siccum. Famis ergò & sitis alimenti sunt gratia; ergò horum sunt appetitus. Nam sapor, ait, est condimenti gratia solum appetibilis; & gustus est quidam tactus, potus autem & cibus his differunt qualitatibus, vt aqua & panis.

Galenus in 7. lib. de Caus. sympt. *Fames*, inquit, *est sensus suctionis in ventriculo*. Probatur. Nam ex inanitione in peripheriam corporis facta per euaporationem continuam, sequitur attractio ex vicinis membris: ex his ab Epate: ex Epate à ventriculo, in quo huius suctionis fit sensus animalis, ac proindè appetentia: in aliis enim partibus est sinè sensu, ac naturalis.

Telesius autem in 6. de rerum natura docet suctionem fieri ex membris, sicut Galenus, sed vbique cum sensu, quoniam vbique est tactus: in ventriculo verò fieri constrictionem, vel sola inanitione, quæ distensum contrahit, vel acidi humoris a liene immissi, tanquam stimuli passione: acida enim constipant: & hoc idem dixerat aliquandò Auicenna. Ergò fames est sensus constrictionis molestæ ex inanitione, ac proindè appetitus repletionis propter instaurationem Animalis: sitis verò fit ob accensionem caloris natiui in cibi coctione, ideo videtur illi appetitus humidi, vt fiat coctio, & distributio, & expressio succi, & permanentia: at oportere frigidum esse potum, vt ardorem illum remittat: ergò &c. & quia calida dilatant, ideò famem esse calidi atque solidi appetitum, hoc enim repletio, illo dilatatio fit.

Respondeo, videtur mihi fames, causaliter esse sensus particularis constrictionum in ventriculo: formaliter verò appetitus alimenti, quoniam est tactus particularis, organum & obiectum particulare habens. Est enim ventriculus organum: obiectum autem constrictio facta ab inanitione, vel succo: nam si qui fatui sorbos assumant constringunt os ventriculi: non tamen vt repletionis sequatur desiderium, sed tantum dilatationis,

quæ solo humore calido, vel sorbitiuncula fit. Constrictio quidem est obiectum commune toti tactui: si quis enim valde constringat nos, dolemus, sed talis constrictio famelica non nisi in ventriculo probè noscitur, licet in toto fiat corpore, vt Teles. & Gal. docent: similiter sapor est calor cum mole agens, nec sentitur a toto tactu, sed solum linguæ propter organi dispositionem: sic Veneris sensus in solis pudendis, licet aliis etiam tangas membris. Quapropter non est obiectum famis motus, vt aliqui dicunt, quoniam motus est sensile commune; sed talis motus: neque est frigidum & siccum à melancholico succo: nam & sinè succo fit: & si quid frigus est, non vt frigus, sed vt stringens facit famem. Alij autem, cum Turisano, dicunt sentiri priuationem: sed hoc falsò: nam priuatio per se non percipitur, nisi per positiuum. Alij dicunt sentiri angorem à frigido, & humido, ideo appeti calidum siccúmque: sed non rectè. Nullum enim frigus à suctione, sed ardor potius solidarum fit partium: fit tamen ab aceto sensus frigoris, quatenus stringit spiritum pungendo, ac fugando, vt diximus de aceto. Quapropter talis constrictionis est sensus, sitis vero incrassationis vt dicemus in cibo, & ardoris, ideò sequitur talium contrariorum appetitus, qui formaliter est fames & sitis.

Locat Galenus inter symptomata famem & sitim, quoniam appetimus contraria; naturalibus enim intemperiebus similia cupimus: præternaturalibus, quæ symptomata vocantur, contraria: hic digladiantur Medici: cùm enim fames & sitis sint à natura propter finem, non debent vocari symptomata: rursus cum sint dolorifica, videntur esse symptomata: sed inanis altercatio. Nam in tactu exteriori etiam fit dolor à multo calore, & statim cupimus frigus; & è contrà nec tamen symptomata, aut non esse dicimus: sunt enim sensationes, vt fugiamus, aut prosequamur aliquid; non autem morbi: sic in fame & siti.

Verum dubitatio est, an sit sensus fames, an appetitus sequens sensum, & quomodò differant sensus & appetitus. Plato enim ratione videtur ista distinguere, sicuti Durandus, & alij multi. At Arist. testatur etiam in 2. de An. Ego tamen Appetitum esse prolem sensus & potestatis docui in Metaphys. Quapropter fames causaliter est sensus, prius suctionis, ac consequenter formaliter essentialitérque appetitus repletionis. Idem habes in omni sensu: visus enim est coloris sensus, ad quem sequitur amor vel odium coloris, vel colorati, prout afficitur benè vel malè ab eis. At quia passim visio est à longè, ac languida, non apparet appetitus sequens: in odoratu tamen & in gustu statim sequitur certus amor vel odium obiecti: nec natura dat sensus propter aliud, nisi vt nota sequamur, aut fugiamus, vel per ipsa ad alia sequenda, vel fugienda, traducamur, vt in seq. lib. parebit. Quoniam ergò sicuti gustus, intrinsecè fit fames, statim sequitur Amor, vel odium, vt dictum est. Quapropter aliud dicimus de illis vt sunt sensus, aliud vt amor, differt autem sensus ab amore non ratione sola, nec realitate existentiæ, sed ratione ratiocinata, quæ dicitur ex natura rei: verè enim sequitur amor, sensus præcedit: sed non tempore, sed natura, vel origine, de his vide Metaphys.

Organum famis non est sensorium formaliter, sed causaliter, neque enim sentit, nisi vt appetitus exerceatur. Vide additiones ad textum & Quæst. vltimam.

Ad Platonem ergò dicimus, rectè sentire, nec in verbis eius esse reprehensionem. Nam fames verè est appetitus cibi, & sitis potus, per se: quod enim sit plus aut minus, calidus, aut frigidus, per accidens est. Nam multa frigida comedimus, vt fructus, & calida multa bibimus, vt brodia; & calido potu vtuntur Iaponenses, & veteres Romani, atque Latini, vt Persius noster doctissimus, & Lypsius probarunt historicè: sed in Platone est solum insufficientia, quoniam non docuit esse sensum angoris ab inanitione, vnde sequitur appetentia: sed tunc politicè loquebatur, & sufficit formalis illi causa vltima, tacitis agentibus & finalibus.

Ad Arist. verò conuersi, perperā loquutū dicimus, tū quia insufficienter, quoniā tacuit causas, quibus fit fames & sitis, itémque subiectum eius, id est, ventriculum: & in lib. de Resp. assignat pulmonis calorem, qui est causa per accidens vt probat Plutarchus, & ratio. Tum quia si esset appetitus calidi & sicci, tunc nihil cuperemus edere, nisi calida siccáque: ergò ignis illi calidus siccúsque maximè cibus esset, soláque aqua glacialis potus, aliæ enim calidæ sunt. At nos cupimus vinum in siti natura calidum, & præcipuè sub

Leone, vt dixit Hesiodus, teste Plinio, & senes id maximè: cibos autem multos cupimus frigidos vt ficus, poma, pepones, acetaria. Infantes autem vescuntur lacte calido humidóque: & cibi humidi non sicci febricitantibus conueniunt, teste Hippocrate. Item cibi coquuntur vt emolliantur, non vt exsiccentur. Item famem præcedit inanitio, quæ exsiccat & calefacit, Ergo potius erit appetitus humidi & frigidi: saluatores Aristotelis dicunt, præcedere famem quendam humorem in ventriculo, ideò neque prius sitire. sed stulte loquuntur: prius enim humor quam siccitas transpirat. & depascitur à calore: dicunt alij, non sicci, sed solidi esse appetitum, nam ignem esuriremus: sic neque humidi, sed liquidi, quoniam vina sitimus. Tandem fugiunt ad potentiam & actum; & cum conuincuntur, non omnia solida calida esuriri, neque omnia liquida sitiri, dicunt, solidi esculenti, & liquidi poculenti, vbi tandem ad Platonem reuertuntur, id est escæ & potus, idem enim est. Præterea errat, quoniam non nutrimur elementis, sed elementatis, vt in quæst. de mistione, & hîc: non ergo appetitus est elementorum. Tandem contingit simul esurire & sitire famelicos a Sole: ergo appeterent simul contraria: alij negant hoc impudenter: sed Arist. cupidos pomorum dicit simul cibum & potum velle, in Problem. ergò nulla constantia in Peripato.

Ad primam ergò rationem eius dico, quòd nos vno elemento constamus, videlicet igne: ex terra enim solam materiam habemus; & ideo appetimus in cibo, & potu calida, sed secundum magis & minus: & solida liquidáque: quoniam partes solidæ liquidæque in nobis nutriuntur: & quoniam etiam spiritus nutriuntur, ideò spirituosa cupimus, odorifera, saporosa, & laxa, vincibilia à nostro calore.

Ad secundum, nego tactum esse summorum calidorum aut frigidorum: ab his enim destruitur. Item nego esse sensum alimenti, nisi commune: proprium enim est gustus; ideo non appetimus calida & frigida, sed saporosa, dulcia, acida, acuta, salsa, & huiusmodi. Calor autem & frigus externi sunt à cibo & potu: & arte procurantur, vt iuuent coctionem, aut nimium calorem moderentur, & symptomata tollant; non appetentias, vt naturales expleant, & hoc nondum Medici considerarunt. Est sapor condimentum, sed & substantia cibi, cum sit moles, vt sic calida. Qui autem dicũt alimentum, licet non sit obiectum tactus, vt substantia, sed vt calidum & siccum, hi bene dicunt; sed contrà se ipsos. Calor enim & frigus, non accidentia regnantia, sunt obiectum exterioris tactus; substantia verò cibus: vtque sapor, est obiectum interioris sensus, particularisque tactus: idem vides in Venere: quod autem Aqua non sit elementum, alibi docui.

Ad Galenum: benè quidem deducit famem ab extremorum inanitione: sed perperam negat ibi sensum, & sibi contradicit in q. de vsu par. vbi docet vbicumque est tactus, ibi appetitum cum cognitione, & nos idem probauimus. Item loquitur insufficienter: nam neque appetitum adiunxit perficiens definitionem famis: neque posuit distinctionem inter famem & sitim: vtraque enim videtur suctionis sensus, vt ait Scaliger. Defendunt Galenum quidam, quod intelligitur suctionis frigidi & humidi, &c. sed hæc inania sunt, oppositaque, & contra mentem Galeni; ipse enim famem facit sensum suctionis, sitim vero sequi ad cibi coctionem fortasse, vt Telesius ratiocinatur. Nec formaliter loquitur de fame, & eius organo.

Ad Telesium, doctè loquutus videtur, quoniam rem aperit, non vocabula definit more Aristotelico; & siquidem in hoc permansisset, vt repletionis appetentiam, natæ ex constrictione, diceret famem, ideoque plerúmque calida solidáque appeti, vt dilatatio & repletio simul fiant: similiter vt coctio & ardoris moderatio subsequitur in siti, appeti humidum frigidum, dixisset; nil desiderassem. Plerumque enim sic est. At vero quoniam calidũ potũ vtilem & consuetum noui, & cibis non semper calidis Animalia vescuntur, nec homo: vtique oportet agnoscere frigidum, & calorem contrà intemperies, solidum, & humidum pro fame & siti requiri. Propterea dixi Platonem circumspectè loquutum: hoc autem licet in Apologia pro Ant. Persio nostro probarim, hic repetere non grauemur.

Vtrùm calidus potus fuerit in vsu apud veteres, & modernas Nationes, tanquam salubrior, & voluptuosior.

ARTIC. II.

VIdetur Antonio Persio quòd sic, ex tempore enim Plauti vsque ad Iulium Pollucem habentur de hoc historiæ: allegat Corn. Tacitum de Veneno per Neronem dato in frigida, vbi nimis calidum aspernatus est Britannicus; & Martialem, & Iuuenalem, & Ammianum Marcellinum, & Plautum, & Aur. Sextum, qui Claudium Tiberium Neronem vocitatum, Caldius Biberius Nero, introducit, quia potu calido delitiabatur: maximè autem apud Athenæum de Rodiis sic bibentibus, & de testimonio Alexij Sybaritæ clarescit hæc veritas. Plautus non semel itidem meminit.

Præt. hoc tempore sic bibunt Iaponenses & Chinenses, vt testatur Historia Iesuitarum & Lusitanorum. Philo quoque de Essenis loquens, nobilioribus propinari calidam consueuisse narrat.

SED Contradicunt Medici quidam Romani. Nam & Neronem vsum frigida volunt, teste Plinio, & solum aquam coctam fuisse, vt attenuetur, & melius refrigeretur, vt Iuuenalis ait. *Frigidior Gethicis petitur decocta pruinis*: & Seneca inuehitur contra eos, qui delitiis frigidæ luxuriabantur.

Secundo aiunt fuisse vinum, quòd tanquam mel crassescebat, & hoc solitum dilui aqua calida, non tamen potum calida temperari, vt vult Persius, hinc deceptus.

Tertio negant Iaponenses vti calido potu, nisi medicinaliter ad puluerem Chia bibendum indè salubriter: & sic omnes euadunt historias, vertúntque contra Persium, & Lypsium.

At contrà hos est S. Iohannes Chrysostomus tomo 5. in hom. contrà eos, qui relicta communione theatra petunt &c. Galenio interprete circà finem libri, dicens: *Quemadmodum in apparando prandio quoties calida opus est, si aqua parum caleat ad focum admotam recalfacimus: ita & hic faciendum est, & os nostrum ad precationes, quasi ad prunas admouendum, vt hoc pacto Mens ad pietatem rursus accendatur.* Idem in homil. 5. de pænit. calicem aquæ frigidæ, in qua neque ligna consumis ad calefaciendum, prodesse ad salutem docet. Idem dicit S. August. Ser. 61. de tempore & 3. Confes. c. 1. Quapropter palam est eorum tempore, quod fuit ferè Annus 400. post Christi aduentum, fuisse in vsu calidam aquam, non secus ac Persius noster faciebat, in summo gradu; deindè vino in patera infundebat, cuius calore excitum, ac subito potatum suaue est: sapor enim expergiscitur: non autem calefit vinum, nè spiritum amittat; & has autoritates antè mortem amico dare non potui. Miseram prius aliam eiusdem S. Augustini 3. de Confess. cap. 1. vbi matrem tepidam potius bibisse dicit, quoniam non voluptati, sed pietati seruiebat: siquidem in tepido non est voluptas, sed nausea: in calido verò magna, vt experior: ipse tamen noluit vti hac autoritatate in sua defensione, quoniã poterat etiam negari frigidam voluptati, nedum calidam per illum textum: sed quas modò adinueni conuincunt: de Iaponensibus & Chinensibus absque controuersia est historia vera: & loquutus sum cum P. Rogerio Iesuita, qui 14. annis apud eos versatus est, idémque testantur similiter alij: & quidam longæuus senex naturæ instinctu sic bibebat in Lucania, sed imperitè calefacto vino, & ego per plures menses cum altero sene: ac delectationem inueni maiorem quam in frigida: nunc commoditate careo prosequendi. Persius autem 20. annos ita bibit, & alij eius suasu.

Ad contradictores Respondeo, verum esse quòd calido potu alij, alij frigido, vtebantur ad gustum: & fortè hinc metaphora Apoc. sumpta est: *Vtinam calidus esses, aut frigidus, sed quia neuter, incipiam te euomere.* Et propterea Plato sitim esse potus calidi vel frigidi. Vide hist. apud Persium.

Ad 2. nihil refert de vino illo crasso; non enim propterea calido potu non vtebatur

etiam:

etiam: cum puniat Caligola vendentes calidam in exequiis Imperatoris; luxúmque ministrantes: & quidem Athen. & Philo glossas non recipiunt; non enim omnes Rhodij crasso vino, sed ordinario potu calido vtebantur, vti Chinenses. *Apud Ammian*

Ad 3. fallitur indoctissimè Medicus iste: nam ego oculatis testibus vtor, puluis Chia est in delitiis, sicuti tempore Sancti Bernardi Cluniacenses vino pulueres aromaticos delitiosè addebant, vt scribit in Apol. contrà eos, ac calido vino vti istas Nationes iam palam est: vinúmque ex fructibus esse arborum, de Tiberio testimonium est inuictum, vti de istis.

Vtrùm salubrior sit, suauiórque potus frigefactus niue, quam calefactus igne, in corpore sano, secundum naturam temperato.

ARTIC. III.

1. PRimam sententiam tuentur Medici nostri temporis, præcipuè Pisanellus, & Manardes, & alij. Primò, quoniam sitis est appetitus frigidi & humidi, ergò naturalius est bibere frigidum.

Secundò, Animalia & omnes Homines delectantur potu frigido: & hæc ratio est etiam Plinij.

Tertiò ait Pisanellus, non posuisset natura tantam delectationem in potu frigefacto, nisi ob magnum bonum; vti in cibo & in coitu propter conseruationem speciei, & indiuidui: in calido autē abominationē, nauseam, & horrorē: neque .n. audire hæc possumus.

Quartò, experimur in Messāna post vsum niuis longiores ætates, & delitias maiores: sic in Hispali, ait alter.

Quintò, Aër frigidus salubris; calidus, pestilens, sic & potus: nam & aër nutrit.

Sextò, Air Auic. calida facit nauseam, hecticam, tollit appetitum, dissoluit membra, laxat viscera: frigida confortat stomachum, & appetitum mouet.

Septimò addunt alij, vapores non sinit ad caput ascendere: qui congelati destuunt, faciúntque podagras, & sciaticas, & chyragras: ergò omnibus his morbis proficit frigida. Insuper incrassat humores, & prohibet per corpus & iuncturas discurrere, bilem sedat, & febrium causas: contraria facit calor.

Octauo, Homo componitur ex 4. elementis: ergò sicut ad instaurationem eorum requiritur calor & siccitas, sic humor & frigiditas. Ex his enim etiam calor natiuus constat, qui ergò calido potu vtuntur, naturam euertunt.

Nono Telesius dicebat. Humor nullus nisi frigidus benè sedat sitim, quoniam sit aucto calore in ingesto cibo, quem oportet remitti, nè ventriculus vratur, nec cibus assetur: ergò frigido potu.

Decimo, dicitur in Eccles. *Sicut aqua frigida Animæ sitienti, sic, &c.* calidam verò vomitum prouocamus.

SED Contrà est authoritas S. August. & S. Chrysost. allegat. in art. præced. de potu calido, p.scarum Nationum salubri, delitiosóque: similiter Philo & Aur. Sextus & alij; & vsus Orientalium Nationum modernarum. Item Hipp. Medicorum Princeps ait: *Frigus inimicum ossibus, neruis, dentibus, spinali medullæ, & ventriculo &c. Calidum verò amicum.* Respondent, hoc intelligi de calore ambientis, sed mentiuntur: nam aër frigidior melior salubriórque, vnde spitante Borea saniores sumus, quam austro. Alij dicunt, intelligi in medicinis; sed hoc falsum: etenim medicina pro morbi natura datur, frigidis calida, calidis frigida, vt docet in alio Aphorismo, contraria contrariis curari: ergò loquitur in cibo & potu. Item patet idem ex vsibus, quos præstat potus Animali. Primus est elixatio cibi: hanc constat calida fieri, si autem calefacias tu, tollis laborem illi: propterea enim cibum coquimus in olla, vt in ventriculo facilius vertatur in Chilum. 2. est expressio succi ex fæcibus, sicuti in Trapetis aquam oliuis fractis addunt, vt oleum exprimendū inuitēt, & sic qui ex amygdalis oleū exprimūt, prius eas madefaciūt: at quidē aqua calida non frigida: sic .n. potius impedirēt olei expressionē cōstipante frigore. 3. vsus est vt sit vehiculū sanguinis & Chili & distributioni deseruiat: at hoc calido fieri mouente, non frigido im-

mobilitante scimus. 4. vt dicunt, quo sanguinis temperies non subitò consumatur, sed perduret, vti sal ponimus in lucerna, vt suo frigore olei consumptionem temoretur. In hoc triumphant aduersarij, sed profectò falluntur: sal enim non refrigerat oleum, sed attenuat, secúmque pugnat, vt dixi in quæst. de Mineralibus, retardátque ad ignem iter: Vide quæ ibi diximus. At hoc non dicunt Medici quandò & vino calido vtimur in potu. Frigus autem in ventriculo extinguitur, antè quam in iecur aut in venas transeat. Quapropter vsus liquoris est, nè crassescat sanguis, sed distribuatur: Item in appositione ad partes alendas vt conglutinetur: hoc autem facit calidus liquor magis, poros alendæ particulæ subiens, & sanguinem attenuans, vt insinuetur.

Prætereà prodest transpirationi, excrementorum expulsioni, musculorum dilatationi, membrorum exercitio, motui, & volutioni alterius in altero. Item humorum attenuationi, ne crassescant, & crudescant, vnde fiunt chiragræ, podagræ, aliique morbi articulares: lauat intestina teste Auic. tollit dolores colicos, vapores attenuat, excrementa sequestrat, multáque huiusmodi bona facit, quæ frigus impedit, contrariáque mala adducit.

Quòd autem maior sit voluptas in calido, patet, quoniam naturæ amicus magis: cúmque nos calore, & materia conditi simus, illo seruamur, frigore extinguimur: vndè calor natiuus conseruatur, digestio fit melior, & concoctio. Frigus autem naturæ opera non iuuat, teste Arist. Gal. Hip. & Auerr. & Auic. Quapropter cum naturæ noceat per se, solúmque aliquandò per accidens iuuet, & per antiperistasin calorem augendo, vel superfluum moderando, vtique nullam rationem habet in vtilitatibus & voluptate ad calorem. Ego etiam expertus sum tanto plus inesse voluptatis in vino percalidâ temperato aqua, ita vt sumatur quanto potes cum calore, quanto plus inest in brodio, & cibo calido, quam in frigido cum cibamur: & si quis vinū optimum diu in ore teneat vt incalescat, saporem vini excitabit, & sentiet eius voluptatem, quam frigus tegebat. Nihil enim differt suaue potare an triste vinum frigore tectum, quoad gustum, patet quidem id magis, quoniam si frigidam potas antè prandium, vel in simplici frugali prandio, est tibi venenum, vt docet Auic. propterea que non esse vtendum gelidâ, nisi post cibum assum, & pipere, & sale, & aromatis conditum: ergò frigus, inquam, non prodest naturæ, sed ad extinguendum calorem superfluum, quem tu cum aromatibus introducis, non autem aliter; quoniam potius calorem natiuum extingueres; & hoc fatentur Medici recentiores. Cur ergò consulunt frigidam, nisi vt luxuriam in aromatis propinent? Et quidem Seneca doctissimè dixit, post cibos exquisitos & conditos vináque generosa generari bilem, & ardorem in stomacho, proptereáque inuentam esse gelidam potionem, quam natura abhorret. Laudatur autem ab ignorantibus sicuti laudares, vt quis se lancea percutiat, vbi loricam triplicem fuerit indutus: non enim lædetur, sic non videmur lædi à gelida, quando nimio calore cibi, & vini præmuniti sumus. Ideò Iuuenalis ait.

Cùm Domini stomachus feruet, vinóque cibóque,
Frigidior Gethicis petitur decocta pruinis &c.

At frugalibus & natura duce viuentibus, arbitror calidum igne melius, sicuti & cibus, paulò plus assumentibus quemadmodum è dolio ac fonte haustis; opipara vorantibus concedo niuem. Adde & complexiones, & morbos, & regiones calidas, & tempora, in quibus indulgeo niuem: potius autem morbo calido offensis pro medicina, cæteris prout à fonte & dolio: frigidis verò è contrà dabimus calidam, mediocribus mediocrem, sanis tamen ac temperatis frugaliter viuentibus, nec exagitatis labore, & negotio, dabimus calidam potionem magis, frigidam negabimus omninò: nec Galenus ab hac ratione abest. palam hinc est, calorem & frigus in cibo, & potu non esse per se ratione cibi & potus; sed contrà intemperiem: calorem tamen per se magis habere, vt dicebamus.

Ad 1. nego sitim esse appetitum frigidi & humidi; est enim liquoris tantum vel calidi vel frigidi pro temperie, vt Plato ait, magis autem calidi, quo viuimus.

Ad 2. nego homines delectari frigido potu, nisi ob intemperiem naturalem, vel additam à calido cibo nimis. Animalia quoque frigido vti nequaquam dico, sed mediocri. omnis enim liquor calidus à calore genitus est: frigus autē externum, quo gelatur, abominātur bruta: sed, ais, ergò saltē potus ignitio est contrà naturam: nego, nam, & cibi dati sunt à natura frigidi nobis, & brutis; tamen nos elixamus & assamus, quoniam Ars naturæ

filia nobis inest excellenter, non autem brutis: si autem velis sequi bruta, dices & vinum contra naturam, & cibi coctionem, vt Diogenes: qui dum naturæ adulatur, & artem spernit, noluit cibos coquere, & comedit pedem bouis crudum, à quo disruptus est non potens digerere miser: non enim videre voluit quòd Arti applaudendo filiæ naturæ eius matri gratificamur: scio tamen brutis potus calidos & cibos placere, vt probauimus.

Ad tertium, non valet ratio, nam & in venere contra naturam homines corrupti sentiunt voluptatem maximam, & multi etiam patiendo, vt Arist. ait in Probl. non tamen propterea erit Sodomia naturalis: sic dico voluptatem in frigido nullam esse, sed horrorem: nisi quibus stomachus ingestis contrà naturam feruet cibis, vt dicebat Seneca, & Iuuenalis. Antiqui autem frugali vtentes mensa, & semel in die, in calida inueniebant voluptatem maiorem, experire vti ego, & agnosces. Idem qui nunquam cibo elixato vsi essent, dicerent nobis vtentibus. Item in Lombardia mirantur si quis acetaria, & cinaras, & cancros fluuiales, & huiusmodi crudos manducet: in Calabria è contrà, quoniam Regio calidior. Consuetudo etiam est altera natura.

Ad 4. contrarium experti sunt Veneti, eiúsque propterea vsum relegarũt, in calidis regionibus minus nocet, quoniam intemperiem sedat, non quia naturali per se prodest calori. Neapoli nouum morbum, qui dicitur flatus nix inuexit, præter podagras & alia mala.

Ad 5. calidum crassum aërem concedo pestilentem esse ob crassitiem, & fuliginem, qua spiritum grauat, & tingit, & vincit. At cæteris paribus in frigido breuiores vitæ, vt Arist. testatur. Et quidem Ital. longioris sunt, quam Germani & Polon. vbi autem nimius est calor è contrà, vt sub Tropicis. Homo enim calore mediocri gaudet sibi contemperato: in potu tamen & cibo, vt interior augeatur calor requiritur magis, quam in aëre, à quo interior extrahitur foras & vita infirmatur.

Ad 6. tepida facit nauseã, non calida: vinum tepidũ in principio mihi displicebat, nec nisi percalidũ placebat; nũc & tepidũ sumo: aquam tamen nec tepidã, nec calidã seorsũ: at amicus quidã etiã aquã calidã volebar mecũ in carcere, vbi vinũ deerat: & hic senex erat Antonettus. Tepida laxat fibras, supernatare facit cibum. calida stringit in fine actionis, & coquit; post prandium tamen prodest frigidum, nè vapor, & cibus natet, vtque calor vniatur, non tamen gelida, nisi opipare vescentibus, vt dixi. Appetitum non tollit, nisi tepida. Calidum vinum auget, quoniam confortat vires ventriculi neruosi, cui prodest calor. Nec membra soluit, nec laxat viscera, sed roborat, vti experior: quando autem calidus sum à labore & igne, vbi cibum paro solus, à calido potu patior quasi deliquium, ideò dixi per accidens nocere per calefactis, educendo spiritus, non autem naturaliter se habentibus. Hecticam non facit, sed confortat vires, vt nutrire possint corpus, & in cibum agant non in soliditatem corporis: Item transpirare facit, nec colliquationes permittit soliditatis, quæ fiunt propter pororum clausuram, nec reuersionem ad centrum. Verum his consiliarem mediocrem victum in calido: non frigidum, neque percalidũ, neque enim Medici dant niuem illis. Nos autem loquimur de sanis, in quibus à calida potius impeditur generatio Hecticæ, quoniam transpiratio fit melius, & coctio, & nutritio, quorum defectu fit hectica. Vide Medicinam nostram. De frigore non est verum, quòd confortet stomachum & appetitum; imo euertit, nisi per accidens post intemperiem & febrem ardentem, & à calido cibo, non antè: calidus autem nocet nunquam, quoniam naturalis.


Ad 7. loquuntur imprudenter. Nam frigus facit cruditates, ex quibus in ventriculo relictis, postea fiunt vapores crassi & fluxiones insanabiles: & hoc sciunt peritiores: neque podagra affectis propinant frigidam, alioquin crassa vina, & carnes ignoranter dant, vt fluxiones non fiant, sed sic æterna ·t morbum, quoniam crassities illa cum tempore fluit, & ita impingitur art culis, vt lapidescat. Medici non curant bellum truncare, sed fædus inire tantum: bilis quoque attenuatur, & exhalat per calorem; per frigus crescit & permanet: similiter omnes febrium causæ: contra quas febris, id est, feruens calor, est remedium, vt in Medicina scripsimus.

Ad 8. mentiuntur, neque Homo, neque calor natiuus ex contrariis constat; alias esset magis dicendum calor, quàm frigus: constat tamen ex diuersis. Vide quæst. de Mist.

Ad 9. ex dicto Telesij habetur, quòd calor factus à cibo prohibetur per potũ frigidũ,

non autem quod natiuus confortetur, imò patitur: ergò iuuat per accidens. Telesius tamen non cõsiderauit frugales vêtres, ideò sic loquutus est. At calido potu magis sedari sitim expetior, & minus bibi: imò niuem excitare sitim in confesso est, & Medici quærunt causam. Mercurialis dicit quòd iecur refrigeratum non potest trahere humiditatem, nec distribuere: sed sic fieret sitis solum in extremis vbi humor deficit: at nunc fit etiam in ventriculo. Gentilis ait, quia attractrix debilitatur, & membra siccescunt: sed idem est hoc, Latinus ait, quia calorem cogit per antiperistasim, & hoc verum, sed nec falsum quod frigus vocat, vt in citta prauus humor prauos cibos.

Ad decimum, loquitur de aqua Eccles. & in Palestina, vbi plurimus calor, & ob intemperiem requiritur frigida, non tamen niualis: non autem in natura sana, & temperata regione, &c. vt dictum est: & de vino potius controuertimus, de calida dictum est quoniam prosit.



QVAEST. LVIII.

Vtrum nutrire, augere, diminuere, & generare, sint opera naturalia, an animastica: & si animastica vtrum sentientis, an solùm vegetantis, & qua ratione.

ARTIC. I.



VIDENTVR Empedocli opera esse naturalia, 1. etenim nutrimentum ad nutribiles partes traducitur secundum Elementorum propensionem, vt tenues partes sursum, graues deorsum, & singuli suo pondere, ac similitudine ad partes sibi similes in corpore feruntur. Actio quoque naturalis est per quantitatis additionem, & per eiusdem substractionem in elementis celebrata: generatio verò non est nisi mistio ergo &c.

Secundò, videtur aliis nutritio esse ab igne ac proindè naturalis. Quidquid enim habent elementata, ab elementis habent: inter elementa autem maximè & per se nutritur ignis, cætera sunt illius pabulum: ergò elementatum animal nutritur, quia habet ignem, omne enim per participationem tale, reducitur ad id, quod per se ac maximè est tale. Idem patet de augmento; ignis enim dum nutritur, augetur: de generatione verò palam est, quod ex inuicem elementa generantur: ergò &c. maximè verò ignis in se omnia vertens.

Tertiò, in his operationibus semper ingreditur calor: fiunt enim locatione omnes, & addit Alber. fiunt etiam attractione, quod proprium est frigidi: retentione quod sicci, expulsione: quod humidi, digestione: quod calidi instrumentaliter: ergo opera sunt elementaria, & naturalia.

Arist. in 2. de gen. & corr. t. 56. approbat dictum antiquorum, quod simplicium corporum ex inuicem genetatorum solus nutritur ignis. Nam quod nutritur, vt docebat in 1. lib. manet idem secundum formam, mutatur autem secundum materiam, aliis partibus exhalantibus, aliis ex cibo aduenientibus, sicut in vase semper pleno facta conuersione nutrimenti per actionem & nutribilis: at ignis, ait, maximæ est formæ, quoniam natus est ferri ad terminum: vnumquodque autem ad suam ipsius regionem, forma autem & species omnium in terminis: hinc concludebat mista igne constare, quoniam nutriuntur. Et in 2. de An. t. 43. fieri docet nutritionem ex contrariis; non omnibus, sed quæ per inuicem generantur ita vt augeant. Quapropter, ait, ignis non nutrit aquam, sed aqua ignem. Vbi Auerr. tria dat nutribili esse porosum, actiuum, & siccum, vt penetretur, agat, retineatque: nutrimento, vt sit penetratiuum, passiuum, & fluidum; quo intret, conuertatur facilè, & terminum nutribilis accipiat. Tria illa insunt igni, tria hæc aquæ. Videntur ergò naturalia opera.

5. Idem probat Gal. distinguens opera animalia à vitalibus, & naturalibus: vocat autem naturalia nutritionem & generationem, &c. Atque sic syllogizat.

Nutritio, &c. Fiunt nulla præcedente cognitione, ergò non est opus animæ, sed naturæ.

Idem fit nullo præcedente appetitu animæ, & aliquando etiam nobis nolentibus. Ac vt dicebat Telesius, cur noxij cibi non euomuntur subitò, si animæ imperio fit nutritio? Verum oportet oleo, & tepidis potionibus stimulare naturam ad vomendum. Prætereà aliquando insaniente anima, vt in furiosis videmus, fit concoctio, & nutritio; melius autem dormiente sensu. Ergò non est opus animæ, sed naturæ, cui non possumus imperare. Patet hoc in generatione, quis enim pudendo imperabit nè erigatur, aut arteriis nè pulsent, aut ventriculo vt egerat cibos prauos, nec coquat? aut citta affectis, nè cupiant manducare carbones? Propterea Galenus cum Platone ex tribus animabus constituit animal subiecto diuersis. Arist. verò essentia, sed non subiecto: omnes enim ponit in corde.

6. Videtur nutritio esse prius alteratio cibi, posteà generatio sanguinis, posteà motus localis sanguinis ad partes nutribiles distributi, posteà generatio carnis, aut nerui, &c. sanguine, ac simul appositio, vt calcis & lapidis ad parietem augendum. Quapropter non videtur esse aliquis motus proprius animæ, sed alteratio, generatio, & motus localis & appositio; qui motus omnes sunt in elementis ergò naturales sunt. animasticæ.

Si anima auget, quomodo posteà minuit? semper ergò augebit.

E contrà Arist. & Auic. & Auerr. contendunt has operationes esse animales, dicit enim animam alentem corpus alitum, alimentum quo alitur materialiter, calorem quo instrumentaliter: alimentum quatenus substantia nutrit; quatenus quantum auget: quatenus superfluit; alterius generationi deseruit.

Nihil additur non participans vita: ergò nutritio opus animæ. 2. Nutritio est propter corporis conseruationem, generatio propter speciei. Conseruare autem opus animæ. 3. Auic. definit nutritiuam sic. *Est vis animæ vegetabilis conuertens corpus à corporeitate, in qua erit, in similitudinem corporis in quo est, & vnit ei cibum pro restauratione eius, quod solutum est de illo.* Arist. verò dicit. *Est vis petens seruare id quod ipsam habet, & secundum quod huiusmodi.* Palam est autem quod ignis non intendit conseruare indiuiduum animal à quo habetur: ergo animæ vis est. 4. Motus naturalis fit ad vnam loci differentiam & vnico modo: natura enim determinata est ad vnum. Sed motus nutrimenti est ad omnem positionem corporis, sursum, deorsum, antè retrò, quod opus est animæ.

5. Si est naturalis, ergo ab elemento, vel à misto; neutrum dici potest, quoniam erit vel sursum, vel deorsum tantum: nam & mistum sequitur propensionem prædominantis elementi.

6. Contrà Empedoclem ait Arist. non potest fieri secundum propensionem elementorum nutritio: nam singula ad positionem suam tendendo distraherentur. Oportet ergo aliquod prohibens dissolutionem misti adesse, quibus motus temperet: hoc autem est animæ motus ergò nutrimenti ad eius imperium.

7. Quod non è solo igne etiam argumentatur: ignis per combustibilis appositionem crescit in infinitum. Natura autem constantium terminus est & ratio magnitudinis, & accretionis: hæc autem animæ est, sed non ignis: & rationis magis, quam materiæ.

8. In 1. Met. c. 2. dicit flammas non nutriri, sed generari, quoniam non permanet eadem forma: ergò ignis non nutritur.

9. Quod istæ operationes sentientis animæ non sint, sed vegetantis solummodò probant: quoniam in plantis est nutritio absque sensu: non enim percipiunt speciem sine materia, cum terrestres sint, quòd facit sensus.

SED Contra est Chrysost. super Epist. 1. & 2. Thess. dicens spiritum animalem ex capite transfundi per membra in neruis, & iuxtà cuiusque analogiam augmentum facere. Item sensum & motum, & augmentum esse à capite. Item organum spiritus cor, sanguinis Iecur, splen fellis, & alia aliorum: omnia autem (air) ista à cerebro causam ha-

bent. Idem docet Ambros. non semel, præcipuè 6. Hex. c. 9. vbi & ventri à capite præscribi regulam docet: & in lib. de Noë. c. 6. & 25. Quapropter nutritionem non vegetantis solùm, sed sentientis esse animæ opus probauimus in quæst. Vtrùm caput, an cor sit animæ sedes, contrà Arist. & Gal. & in quæst. vtrùm vniuersum animal. Quapropter hic non est immorandum, sed pro declaratione q. ponimus: patet enim nutritionis principium esse sanum, quæ Galeno, nedum Arist. sensus esse videtur: omnesque corporis partes dum nutriuntur gaudere & iucundari; in inedia verò cruciari: cibum arte coqui ac distribui per membra, consensu quodam trahente simile, & hoc alteratum accurrens. Item sensu multo conquiri, testantur formicæ & apum industres actiones. Venerem verò sensu & gaudio exerceri, & extimatiua ratione ab animalibus conquiri, vt ibi dicebamus: vbi & Plantarum sensum demonstrauimus non minus, quam in quæst. de Plantis propria. Nunc aduertendum quod Mens à Deo indita, operationibus nutritiuæ & generatiuæ non immiscetur, nisi imperando, nec despoticè, sed politicè, & potius permittendo, si enim omnia ad nutum eius faceret spiritus animalis, vt dicebat Iouinianus, nulla pugna esset inter eos, neque meritum. Spiritus autem constat calore, tenuitate, mobilitate, & sensu. Calore magis exercet opera nutritionis mechanica, quæ fiunt omnes coctione: tenuitate penetrat loca, & mouetur: motuque impetum facit & mouet corpus quocunque est opus: sensu verò exercet iudicium de sensibilibus, imaginationem & extimationem; & hoc in opere ad cognitionem spectante, maximè immiscetur mens, in motibus minus; coctionibus longè minus: nihil tamen sine illa in homine: quæ omnia spiritus opera meliorat: in brutis verò à solo spiritu animali ista omnia exercentur: sicut autem mens spiritus operibus communicat, ita spiritus operibus mentis: vndè & intellectioni vt meditationi diuinorum interest aliquando: imò ferè semper, nisi vbi à Deo fit separatio, vt S. Bern. docet; spiritus ergò imaginarios motus ei ministrat in quibus ipsa visibilibus inuisibilia Dei per quandam similitudinem discurrendo contemplatur; & si adest numinis pręsentia, illę imaginarię motiones ordinantur ad repræsentandum vel arcana Dei, vel futurorum pręcognitio, & quidquid placet numini ordinanti, vt sanctâ Theologiâ docemur. Quapropter nil mirum si ait Dauid, *In meditatione mea exardescet ignis.* Spiritus enim animalis igneus est, totusque vnitur ad ministrandum menti, ac proindè fit accensio quædam in capite: in membris destitutis Spiritu fit rigor, & frigus, aliquando etiam durities, vbi ecstasis magna; at semper nutritionis opera vel intermittuntur, vel ægrè exercentur: vndè palam est nutritiuam animam esse sensitiuam: non enim ministraret species sensibiles, quę species sensibiliter & cognoscibiliter non retinet, nec percipit. Nimis errauit Galenus, animales spiritus à naturalibus sequestrando, cum in cunctis sint operibus iidem: Sed distribuuntur per vasa multa, & functiones, & sic videntur substantiæ diuersæ, cum sint vnius: quòd Ambr. probauit nobis, dum sensibilem & appetitiuam (quam vocat delectabilem ipse, & Arist. nutritiuam) eandem esse dixit. Nec absque ista doctrina mentis immortalitas & munia saluari possunt. At quoniam ista anima sensibilis (sic loquitur Ambros. egò verò dico sensitiuam) ex elementis est, [vt dixit S. Bern. in quęst. pręcedenti ex dictis antiquorum, & S. Ambr. in 2. Hex. c. 3. ab igne plantas & feras animati docet, & in 3. lib. pisces ab aqua, aërem verò omnium animam vocat ibi, & in lib. de Noë vti nos probauimus.) Elementa sensu naturali sentire, alioquin animas brutorum neecundè habebimus, palam est; quod cuius elementi pars & modificatio est spiritus sensitiuus, vegetatiuus, eius elementi opus est nutritio, quæ tota corporalis est. Et quia igneus est spiritus, vt cum Patribus, & Virgilio, & Platonicis dicebamus, idcircò nutritio ab igne est in quantum in formam spiritus redactus est, non in quantum est temperies viscerum, vt dicit Galenus: sic enim solummodò vasorum est vis & materia immobilis à suo loco: Spiritus autem mouetur à ventriculo in cerebrum: ipsáque vi nutritiua in contemplatione ministrat in capite. Ergò mobilis spiritus igneus est, non pigra temperies vasorum, & vasorum calor, & humor ille prodest, & siccitas, & fibrę ad trahendum, retinendum, coquendum, emittendum. Quapropter opera coctionis naturalia sunt, & à calore & igne: sunt verò animalia, quatenus ab igne in formam animæ acto. Nulla autem inest anima spiritui imperans in brutis, in nobis verò est, sed politicè: proptereàque id non

Plin. etiã ac Paracel. aërem esse rerum omnium animam docuere.

distinguentes, neque percipientes antiqui in varias iuisi sunt contrariásque opiniones.

Ad primum, dico Empedoclem stante sua positione, quòd anima ex elementorum nobilitatibus sit composita, non indiguisse distinguere inter motus naturales & animales, nisi prout ille in separatis, iste in commisto ex eis fiunt ac rectè dixit, partes cibi: iuxtà propensiones distribui, quoniam mistione sola vtitur, non generatione, animáque eiusdem naturæ. Arist. verò illi contradicit, quoniam in plantis aliud est sursum deorsumque, quam in animalibus, sed nulla est ratio hæc: ille enim diceret et idex animalium formationibus oriri, at seruari in eis sursum & deorsum secundum elementa, vnde plantarum inferiora crassa sunt ob partes cibi graues residentes, licet sint superiora in quantum animal. Palam est etiam id aliquid facere in distributione: potius autem Galenus incusat eum cum Democrito, quoniam sine alteratione assimilante distribuunt cibum ad cibatum sola similitudine partibus trahentibus, vt Anaxagoras dicere tenetur: & quidem puto eos præmisisse alterationem ad distribuendum, vti nos ad assimilandum: sed ait Anax. vnde est quod in coctione alia pars cibi sit apta fieri ossum, alia caro, nisi præsint partes ossis & carnis in quolibet iuxtà dogma suum de homiomeria? vel rationes seminales, vt Platonici & Patricius? Resp. ab antiquis immutationibus factis in elementis & elementatis à principio Mundi vsque nunc. Vide Metaph. quoniam quæstio dura est: dico ergò ad Empedoclem quod sunt quasi dispositiones & concausæ in talibus motibus nutrimenti similitudines elementares: motus autem fit ab sentiente spiritu per omnia vasa. Concedo etiam eadem fieri in elementis, sed alio ritu vt patet.

Ad secundum, rectè probare quòd vult, ego testificor: hinc sequitur spiritum esse igneum.

Ad tertium, similiter perhibeo bonum testimonium: sed quòd addit Alber. ex Auic. non rectè dicitur: non enim frigidi est attrahere, sed congelare & retinere potius: sed nullum opus naturæ fieri frigore intrinsecus, testatur Arist. & Auer. & Gal. & Hipp. & Auic. Quapropter in his longè abest, nisi aliquando si potamus frigidam, vt calorem superfluum remittamus: aliquando ita deiicimus, vt alui fusio sequatur à frigore non potente spiritu vasa continere. Siccitas & densitas in vasis deseruit quidem retentioni & coctioni, nè elabatur calor coquens, & spiritus contineatur. Fluor deseruit expulsioni vt transeant fęces, & distribuatur sanguis: proptereà enim bibimus. Sed tamen opera fiunt à spiritu omnia: facultates autem Attractrix, Retentrix, Coctrix, Expultrix, enumeratæ, ab Auic. nihil sunt, nisi spiritus potens ista facere vasorum aptorum ministerio munitus: per fibras enim rectas & transuersas & obliquas trahit, transmittit, & retinet, & per calorem coquit. Isti Peripatetici in quolibet opere nouam inueniunt vel substantiam, vel potentiam realiter distinctam & quidem frustrà: ex his non sequitur quòd non sint opera animalia, licet qualitatibus elementorum exerceantur: nam aliter in elementis, aliter in animali fiunt: hoc patet.

Ad quartum, rectè ponit ignem nutriri: sed ratio est falsa, & ridicula: non enim ignis nutritio tractatur sub luna, vbi recipit terminum sphericum, sed apud nos: neque forma ab ambiente surupta est acquisitáque, quæ remanet in nutrito, sed propria: hæc enim nutriri dicuntur communiter. In igne verò sufficit si natura seruatur, non autem figura exterior, quam non habet ob nimiam tenuitatem. Imò & planta nutritur & augetur, formam semper variando in nouos ramos & frondes, & flores, & fructus: nec proptereà non nutritur: nutritio ergò fit additione nutrimenti intrinsecùs permutati in corpus nutritum quacunque in forma. Nam & semen cum nutritur, organizatur, transitque in formam alteram plantæ vel animalis, sed nutrimentum transit in substantiam nutriti seminis potentis immutare, quamuis & ipsum mutetur, non tamen ab alimento, quia tunc non fieret nutritio, sed destructio: semper quidem nutrimentum est nutrito debilius. Cùm autem fuerit fortius, non fiet nutritio sed alteratio, & ruina vtriúsque: vndè pharmacum non nutrit, quia præualet viribus spiritus: nec toxicum non idem.

Quòd autem aiunt Peripatetici nutritionem fieri ex contrarijs à principio, similibus in fine, mentiuntur: neque enim requiritur contrarietas per se in principio: imò melior esset similitudo. Quapropter neque ex elementis præpotentibus, neque ex lineis &

z.

sonis diuersis à nostra substantia, neque ex glacie nobis contraria, sed ex similibus in materia & forma potius nutrimur, vt ex animalibus & plantis, & rebus illis proximis. Nutriuntur ex carne humana homines Americani, & Africani multi, sibi simillima. Sed quia oportet distribui cibum in partes cibati: non autem distribuitur, nisi in minutias actus, & madefactus & calefactus, vt penetret: idque fit coctione, propterea videtur cibus contrarius à principio cum non nisi similis sit aptus: qui si inueniretur, sine labore cibaremur. Vidi hominem qui proprium bibit sanguinem, quo credo facilè nutritum fuisse: & Mart. Ticinus de senum victu loquens, consulit sanguinem puerorum è vena extractum. Quòd ægritudinibus nescio an concedendum vt vnciam è puero demas: at id contra naturam esse doceri, quòd homo hominem voret, nisi prosit cibus, vt Diogenes contendebat.

Quòd autem Auer. addit oportere siccum esse quod nutritur, falsum est: sicuti falsum est ignem ea pollere siccitate, quæ retineat, est enim soliditas vt vasorum, quæ tenet: in igne autem summa tenuitas, & figuræ propriæ carentia: ergò humiditas teste Arist. 2. de gen. vide ignorantiam: si enim fluidum est nutrimentum, nutritum verò siccum: cum fluat ignis plusquam aqua, quomodo siccus, & qua constans figura? nec Arist. illam dat, nisi à continente, vti omnibus humidis: Nec forma continentis, nec propria sicco; est quæ alterat, & nutritionem celebrat; sed forma actiua ex natura: & huius permansiò requiritur non illorum.

Ad 1. Galeni respondimus in quæst. vtrùm animal vniuersum? nunc nego fieri absque sensu nutritionem, imò & tactus, & gustus concurrunt in toto corpore, & prius in cibi prægustatione.

Ad secundum, licet in lingua & gustu non sit cibi appetentia, tamen in visceribus & membris fit distributio, & coctio; quoniam iucundantur illo: hoc autem non sentimus nisi in cibis multæ suauitatis, vel noxiis, quoniam ordinaria est passio ab alimento intus: nec fit exquisita sensatio.

Ad tertium, Telesius argumentatur sic ad probandum, quòd calor sit substantia animæ sentientis: si enim, inquit, dominio alterius animæ calor subiiceretur, non coqueret cibum noxium: sed ipse coquit, vt alia omnia, quoniam omnis materia ignis est pabulum, vt docui in Metaph. nunc ego verte argumentum contrà ipsum: si anima sentiens est simul vegetans, cur quando malum cibum sumit, & malum nouit, non spontè vomit? Resp. quòd calor est in toto corpore etiam solido, & in spiritu: & vbicunque ponas aliquid intus incalescit: caloris enim est calefacere: nec potest contrarium eligere: spiritus autem non dominatur corporeis membris & visceribus prout vult: corpulentæ sunt enim & compaginatæ partes. Quapropter vt partes etiam quibus colligatus in fibris inest spiritus, agitentur ad expulsionem mali, adhibet pharmacum. Sic & totus spiritus concurrit ad auxilium, oleum verò immissum laxat fibras sua lenitate, vt possit fieri expulsio, & supernatare facit noxium cibum. Pharmaca verò contra bilem adhibemus, vt similitudine illam trahant ad se in ventriculum; spiritus enim non potest, nisi spontè motam illam vndique congregare. Ast vbi congregata est expellit illam. Non ergò spiritus è cerebro discurrentis gratia adhibentur remedia, sed vasorum, & compaginum, & humorum, & spirituum in fibris alligatorum disponendorū gratia, vt dictum est. At & hoc considera in homine fieri ista mentis imperio, & cooperatione: & rectè videri duas substantias; At in Brutis non fit medela; & quæ fit eruditione naturali, fit sympathia & & passione, vt cum ægrotus cepam desiderat, qua liberatur à morbo; hic est instinctus ex Sensu rerum communi & prouidentia Autoris.

Ad quartum, nego fieri bonas coctiones in sanis: cum irati, aut amantes nimis ægrè nutriantur, & quicunque sentientem animam habent nimis affectam: potest quoque spiritus ineptus esse discursui, non autem coctioni, & distributioni: hoc enim assuetudine naturali facit: vndè stultos Latinè loqui & cytharam benè pulsare vidi; quoniam non nouo discursu, qui est impeditus, sed antiquo faciente per assuetudinem naturam, id exequuntur: dormientibus autem spiritum introagi, & operibus domesticis occupari non sopiri, dictum est in quæst. de Somno.

Ad quintum, dico partium corporis affectione ista fieri: corpori autem non imperamus

ramus politicè, sed despoticè: non enim aptum est obedire: cum autem cogere non possumus, quia intus sunt mala, oportet ad remedia deuenire. At pudendum concidere si videamus aliquid terribile, aut venerabile quis nescit? apprehensio autẽ est illa animę cognoscentis: ergo à spiritu cognoscente erigebatur, sed facili imperio sibi spiritus non imperat: quomodo enim coget se ipsum, nisi per externam cogentem causam? pulsus etiam amore & ira mutari sentientis animæ & lætitia scimus: Iubere autem ordinaria iussione nequimus; quoniam nostri est instauratio: nec ne velimus imperamus: nec nè intelligamus, nisi adhibitis artibus à mente, vel aliis sensilibus portionibus. Appetitus cat bonum est a sensu ventriculi prauè affecti; dicebamus autem membra singula propriis sensationibus etiam donari; & hominem fabricatum instar Mundi ex difformibus rebus vt dicebat S. Ambros. spiritus autem membris non imperat, sed vim adhibet. At ob mentis mistionem difficilè omnia distingues.

Ad 6. principale concedo omnes motus in nutritione fieri, & insuper appositionem: nec sequitur non esse animales, sed animam nutritiuam esse ex elementis tantum, vt sępè dictum est.

Ad 7. Respondet Galenus quòd vis augmentatiua post tempus euanescit. Sed hoc perperam: si enim est potentia animæ, & anima perseuerat post adolescentiam; ergò & potentia: diminutio verò vndénam? Nec Galenus nec peripatetici possunt respondere, qui apponunt facultates in anima. Nos enim dicimus ipsam posse dum vigor adest tantus, qui plus ingerat, quam educat foras, vt in textu; & hoc corporis & spiritus ratione Peripatetici coguntur dare potentiam minuendi, vt aiunt, quæ potius est impotentia iuxtà dogma nostrum & naturæ. Nota quòd Galenus suscipit naturale vt distinguitur contrà arbitrarium insuo dogmate: propterea concedet nutritionem animalem anima appetitoria, non sensitiua. Nos autem nihil appeti absque sensu volumus; ergò.

Ad Arist. 1. concedo quæ ponit: sed quod vitam habentia nutriantur tantum, mentitur: nam ipse confitetur ignem nutriri sæpè: licet de more sibi contradicat. Nec animam requiri ad agendum nutritionem, nisi vt causam transmutantem. Calor autem ignis omnia in se transmutat. Spiritus verò per calorem tanquam per suam vim, non per instrumentum seiunctum, nisi is sit calor cibi, & viscerum, quibus vtitur spiritus vt cognatis.

Ad 2. concedo totũm, sed est contrà ipsum: conseruare enim est opus animæ benè cognoscentis noxia & proficua: ergò non solius stupidæ potestatis quod vult: ergò & in Plantis sensus.

Ad 3. dico esse vim animæ: potius verò animam vegetabilem, sed eandem dico esse sensitiuam: ignem verò non intendere conseruationem animalis per se, verum est: at vt factus est spiritus animans, sicuti loquitur Ambros. vtique conseruat; & hoc appetit appetitu addito per talem formationem & teclusionem in corpore: appetitu tamen abdito inditóque semper ad cognata elabitur corpora, idcóque indigemus instauratione. Vide quæst. de vnica animæ substantia, & Metaphys. hoc enim negotium maximum est in Physiologia, ciusque arcana hic referare non est locus: ergo nec.

Ad 4. benè probat esse animalem, sed ex hoc etiam sentientis esse animæ sequitur, non enim anima stupida mouet ad omnem positionem tam ordinatè, sed sentiens; neque sequitur quòd non sit ab igne: aliter enim mouetur inclusa, & motibus necessitatis, illatóque appetitu, quem nunquam dimittit: idcò nunquam cessat sursum exhalare, licet munia in corpore subeat.

Et sic patet responsio ad 5. quoniam ignis aliter sic formatus operatur, aliter in se; sed secum non diffidet: nullum autem motum motui esse contrarium, & omnes mobili naturæ conuenire in principio probauimus: solamque quietem esse spiritui noxiam & mortem; non autem motiones varias pro necessitate viuendi, in quo est, &c.

Ad 6. nego elementa contraria esse in animali, sed ignem tantum & materiam terrestrem sic organizatam, ab ordine fatali sic colligata, vt prius dicebamus: sique adessent remissa, non indigerent prohibente: nam neque alia mista inanimata propter hoc Aristoteli dissoluuntur: sed quandò argumentatur, solet, quidquid occurrit enunciare.

Bbbb

Ponit & Empedocles animam, sed de ipsorum natura id facientem: ipsi viderint.

Ad 7. Responsum est in quæst. de vnica anima: quòd etiam pro rata sua agit sinè fine calor animalis: & quòd mens imperat politicè: nec tamen corpora absque fine augeri: quoniam auctus calor nimis educit in tenuitatem conuersum, vndè prius status, posteà minutio sequatur exsiccato corpore, vt pariete antiquo nouum cementum ægrè amplectente. Quòd imperio animæ id non subsit, patet: quoniam nani anima vellet augere, & non potest. Ergò caloris est, vt à Fato id est causarum serie ad sic agendum redigitur: si autem ignis summus esset, destrueret. Vide posteriorem Art. & suprà de causis & ideatore.

Ad 8. mentitur: nam etsi per totum flamma non nutritur, sed fit sicut fluuius, tamen remanet quia nutritur dum est, alia abeunte. Nutritio autem generatio est, & aggeneratio, vt in flamma. At in densis corporibus aliter manet forma constans, & distributio fit ad totam: hoc tamen nutritionem non facit esse, sed vis aggregans sibi quod alterius erat, vt dictum est. De Plantis diximus in quæst. de ipsis.

Vtrùm in coctione ope vegetantis animæ generentur quatuor humores, quatuor elementis correspondentes. An vnus tantum, pluráque excrementa.

ARTIC. II.

PRobat Gal. sequutus Hippocratem, esse quatuor, quoniam sunt quatuor elementa, quatuor febres, quatuor anni tempora. Item omnes humores quatuor vtiles sunt: & eorum æquatione consistit sanitas, vt etiam Arist. fatetur: exuperantia infirmitas: de ipsorum vtilitatibus, etiam nos in textu diximus.

SED Contra est S. Chrysost. in Tom. 3. hom. 1. de Resur. dicens sanguinem esse humorem animali proprium: Flegma verò, holeram, & melancholiam excrementa posteriora. Idem legimus sæpè apud Patres de Resurrectione loquentes: & ratio naturalis id docet: quoniam ex illis humoribus non nutrimur; sed sequestrantur sicut stercora: attamen eis vtitur natura, vt solet, imitando autorem suum. Præterea non sunt quatuor tantum: nam multiplex Pituita, differens qualitate essentiali: alia enim est crudus sanguis alia fluor excrementitius è capite descendens, alia vitrea, alia salsa, alia dulcis: Et quidem merentur varia nomina: sed Medici nè quatuor elementa amittant, rebus contrariis vnam dant nomenclaturam. Omnes præterea humores à calore geniti sunt Ergò omnes ab illo fortiori, ac debiliori. Omitto varias species vtriusque bilis. Item sputum, item vrinam, item serum; & ros, & humores oculorum diuersarum naturarum.

Ad Galenum respondi in quæst. de elementorum numero: ibi vide esse duo tempora Anni, duo elementa, febres plures quatuor, vide etiam quæst. de Mistione. Sanitas non læditur à multo sanguine, sed ab excrementis, proptereà febres ab eis, & ipsorum abundantia plusquam operibus stimulariis naturæ est opus. Vndè Chrys. ait, quòd sicut natura produxit animalia venenosa, & sordida & noxia, vt pulices, cimices, &c. ad nostrum exercitium; sic humores excrementitios in corpore ad exercitium Spiritus & stimulum, vt expellat fæces, & acuatur ad iram iustam, reuocetur ad contemplationem, pigrescat à furia, &c. Aristoteles quoque de Partibus animalium loquens, docet excrementa esse humores prædictos omnes, excepto sanguine, rectè: licet suis elementis non concors.

QVÆST. LIX.

DE NATIVITATE HOMINIS.

ARTIC. I.



CVR octauo mense natus moritur, & periclitatur mater: in septimo & nono viuit? Respondent Pythagorici per vires numerorum. Sed de hoc: vide Metaphys.

S. Ambrof. Epist. 39. concedit id de partu octimestri: sed tamen octauum numerum laudat, quoniam indicat requiem, que subsequitur septenarium, quo Mundus iste laboribus plenus constat. De hoc vide Prophetales nostros articulos.

Astrologi respondent octauum esse Saturni, ideóque mortiferum. Sed ratio fallax: nam & primum dant Saturno, quando formatur in vtero, & vita incipit. Omnia autem seruantur per similia suis principiis, e ntiáque temporáque. Ergò secum pugnant sic dicentes. Præterea si luna est significatrix primæ, ætatis post exitum ex vtero secundum Ptolomeum, & Astrologos, vtique erit & primi mensis in vtero: Frigida enim molliáque eius calori conueniunt; sicca, frigidáque Saturno. Ergò octauus erit lunæ potius quam Saturni. Præterea in decimo viuit, quem dant marti similiter malefico; ergò alia est causa, quam in textu assignauimus, dicentes in 6. 7. 8. 9. & 10. posse viuere & cur minus in octauo. Cætera in nostra Astrologia. Rara est in 10. natiuitas hominis: attamen vsque ad 14. aliquando protrahitur, si Arist. & D. Thomæ, & A. Gel. credimus: formationis contumaciam in materia: & negligentiam in spiritu.

Cur alij nascantur Patri similes, alij Matri, alij consanguineis, alij extraneis, alij monstruosi sunt partus: & alij masculi, alij feminæ, alij hermaphroditi.

ARTIC. II.

RESpondent quidam Peripatetici & Medici, vt scripsi in libro contra Martam, quòd similes Patri, & masculi sunt vbi præualet semen paternum: fęminæ & matrizantes, vbi maternum: consanguineis vbi vincit neutrum: extraneis pro variatione temperiei, & stellarum, quibus & monstra tribuit Albertus, vti Ptolomeus, & sexum, & multitudinem. Tribuuntur & imaginationi effectus plurimi. Arist. autem principio aliquo corrupto, videlicet seminali monstra facit non potente natura suum effectum perficere, quod euenit etiam arti.

Sed non satisfaciunt, nam contingit fæminam Patri, & masculum Matri assimilari. Ergò similitudo est ex præualentia alterius seminis: sed masculus fit à calore pellente genitalia, fæmina à debili calore, non dico in toto corpore: vidi enim fæminas calidiores aliquo masculo: sed in genitalium loo: duplicitas sexus à multa eiusmodi materia vndè spiritus animalis opus duplicat. Causa fiualis non deest in sexu, licet casu videatur fieri, vt Arist. putat. In Hermaphroditis est significatio. Opifex naturæ ista omnia nouit nos ex parte, alibi de hoc: fiunt monstra corrupto principio; sed quo corrumpente? humoribus, qualitatibus, aëre, stellis, imaginatione, cibo, & aliis multis trahentibus ad bestiarum temperies, quibus assimilantur: dum enim facio panem aliqua mutatio ad Placentam formandum me trahit. Finis horum in Metaphys. declaratur. Nihil enim nobis à casu, nisi respectu causarum secundarum duplicitas autem membro-

autem membrorum à feminis abundantia: defectus à carentia vel penuria. Imaginatio potens est, quoniam afficit spiritus, qui prout est affectus format fœtum, vndè & appetentis matris repræsentat notas appetitarum rerum, vt in textu. Arist autem & qui spiritus vim negat & femen animatum esse, horum rationem nunquam reddent. Quid autem valeat imaginatio docuit Patriarcha Iacob in coïtu Ouium. Vide quam multa de hoc in 4. lib. Sensu rerum. Stellas posse vt causas cōmunes non vt proprias, in Metaph. dixi, & in Astrol. partus gemini assignatur geminis largitoribus filiorum à Ptolomeo. Sed hoc est Philosophari à longè: proprius autem est feminis exuberantia, vndè duplex corpus facere natura posset: de cellis vteri mentiuntur scioli expertes Anatomiæ. De prodigiis non est iste locus. Positura ad Mundum & sidera quam valida sit indicat magnes, & clauus ferreus natans super subero, féque ad illam positionem voluens semper in qua ferrarius erat, faciendo illum: similiter homo mortuus in aqua semper in cælum vultum attollit; iuxtà posituram in vtero matris. Motes & inclinationes ex figura, & coloribus, & actionibus, & notis in facie & corpore physionomizare possumus. Fabricatur enim spiritus suam domum iuxtà propriam affectionem, & propensionem, & fines, vt de membris animalium S. Basil. & Ambros. philosophantur. Vide lib. de Sensu Rerum.



QVÆSTIO LX.

DE IVVENTVTE, SENECTVTE, VITA, ET MORTE.

Vtrùm de generatione, iuuentute, & senectute, vita, & morte, rectè Arist. definierit: ac præcipuè vtrum omnis mors sit corruptio.

ARTIC. I.



VIDETVR quòd sic, vt concludit in lib. de his, c. 14. Quoniam enim omnia animalia viuunt anima nutritiua, ac præcipuè calore natiuo. Ergò generatio est prima participatio cum calido nutritiuæ animæ.

2. Ergò vita erit permansio caloris natiui.

3. Et quia calor dupliciter deficit, ac perit, vel à contrario violenter per extinctionem, vel à se ipso proprium subiectum consumente, quòd marcor dicitur: nè autem marcescat indiget refrigeratione continua. Ergò iuuentus est primæ refrigeratiuæ particulæ augmentum: vt Pulmonis, vel branchiarum.

4. Ergò Senectus est huius decrementum: nam cum Pulmo in terrestribus & branchiæ in piscibus, & proportionale quid in cæteris, obdurescunt, nec possunt refrigerare, sequitur caloris à se imminutio, quæ senectus dicitur in animali, ariditas in plantis.

5. Ergò mors naturalis est perditio caloris à se ipso propter impotentiam refrigerandi à senectute: propterea de leui tanquam flammulæ ab omni aura moritur senex, & sine dolore; quoniam exiguus est calor, patet quoniam morbi afficientes pulmonem tuberculis aut excrementis, aut caliditatis ægritudinalis excessu, vt in Febribus crebrum spiritum faciunt, quia ægrè mouere potest Pulmo, & cum non amplius mouetur, moriuntur expirantes.

6. Dicunt Peripatetici, quoniam mors est corruptio: corruptio autem formæ ac proinde compositi destructio. Ergò mors est formæ animalis destructio: patet enim quòd putrefactio sequitur.

7. Alij addunt perdita forma animalis fieri resolutionem vsque ad materiam primam, vt introducatur forma cadaueris: nec aliquid idem numero permanere in mortuo, ac viuo.

SED Contrà est S. Ambrof. in lib. de bono mortis, docens, vitam consistere in coniunctione Animæ viuificantis cum corpore viuificato, de se tamen mortuo. Mortem verò esse separationem Animæ à corpore simplicem nulla parte corrupta naturaliter, neque Anima, neque corpore. Est enim de se mortuum sine Anima corpus: & non per nouam formam cadaueris, ait Ambrof. ibi; sequitur tamen corruptio corporis abeunte Anima quæ illud in vita seruabat: omnésque Patres vno ore docent mortem formaliter non esse corruptionem, sed partium separationem: esse tamen causaliter. Hoc etiam est de fide Catholica, qua credimus iuxtà Oraculum Dauid, Christum nec vt Hominem corruptum fuisse, quando mortuus est veréque mortuus. Item idem numero corpus & corporeïtatem fuisse in viuo, mortuo, & resurgente; imò easdē cicatrices, vt S. Th. approbauit. Et quidem si Anima esset forma materialis, vtique omnis mors esset corruptio, quoniam autem non est forma materialis, spiritus verò animalis est habitator naturalis tantum corporis: ideirco potest fieri mors sine corruptione partiū, vt ex nimio gaudio. An verò totū corrumpatur quæstio est: sed si nulla pars corrumpitur, quomodo totum corrumpitur? dico totum non esse partes vtcumque, sed vnitas: vnitio autem corrumpitur, ex qua generatur separatio. Alij autem putant dari entitatem tertiam, quæ corrumpitur, vt in Parmenide apud Platonem dicitur: sed hæc entitas est entitas totalitatis & vnionis talis iuxtà ideam compositi ad tale esse, indè existentiam totalitatem & vnionem substantialem corrumpi dicemus, non essentiam: posséque reparari idem numero dum partes manent: non enim est rei, sed talis existentiæ corruptio, quæ ex tali rursum copula integratur. Hæc pro nunc in dubio relinquo, quoniam in Theologia & Metaph. tractantur. At nunc nihil Physicum ens corrumpi, seu nullam partem, in morte pura dicimus: sequitur tamen ad ipsam corporis putrefactio, quoniam calor inexistens, externo adiutus, corpus colliquat: ad putrefactionem autem sequitur durities & incineratio per euaporationem, quæ est marcor: sed dices, nonnè corrumpitur spiritus in morte animalis? Nequaquam (inquam) ex morte id fieri, quæ solum separat, sed quia vita spiritus non est subsistens (vt ait S. Bern.) & aëri copulatur. Muscæ & Apes aqua necatæ moriuntur, & sub cinere viuificantur per attenuationem spiritus aqua incrassati: sic Aues necatæ in Islandia; nec tamen spiritus separatus erat, sed ligatus frigore, aut factus aqua in suis organis. Ergò mors non est corruptio corporis, vt aiunt, nisi subsequenter: sed tantum separatio Animæ: quæ si fieri posset non disrupto corpore, vt fit in necatis Apibus, vtique nihil esset mors, nisi separatio totalitatis: scio autem aliquando corporis, aliquādo spiritus præcedere corruptionem, vnde sequitur separatio & mors: attamen mors per se non illa corruptio, sed sola separatio: & nunc est effectus corruptionis, non causa. Fit autem separatio aut paulatim, vt in senio, & tandem extremus spiritus elabitur cum voluptate: aut breui, vt in morbis, aut per extinctionem, vt in frigefactis: aut per incrassationem vt in suffocatis à carbonis vapore; aut per lætitiam confluente spiritu ad exteriora, & angustia vasorum impetuosè se suffocante, aut per dolorem se cogente & incrassante; aut per iram dissoluente: aliisque modis huiusmodi.

Iuuentus tamen per augmenti gratiam dum spiritus plus potest ingenerare, quam emittere: status, dum tantundem: senectus dum plus exhalat aucto calore à iuuenta nimis. Mors quando totus reliquus exiit non potens amplius vasa iam siccata regere, séque nutrire, atque illa. Vide textum; diximus ætates plures iuxtà immutationes principales: sed in tres iuxta augmentum, statum, & decrementum partiri potest vita.

Ad 1. Arist. dico, quòd si calorem natiuum vocat spiritum Animalis, vt plurimi credunt; & Arist. in Probl. dum quasi Animal calorem vocat, quoniam per se mouetur, intrò & foras; rectè docet vitam esse eius permanentiam, & generationem eius in corpore originem. At quoniam aliud facit Animam bruti, aliud calorem seu spiritum; & illam vocat formam, non rectè, id est, non congruenter dogmati de vita, & iuuentute, & morte nunc decernit: potius enim generatio esset vnio formæ, id est, Animæ cum materia, seu corpore. Iuuentus autem roboratio Animæ in corpore: vita permansio: mors eiusdem Animæ corruptio, si forma est, vt vult. Nunc autem nobis, non sibi fauet ista docens aliundè, qui spiritum esse Animam contendimus.

Sic patet responsio ad 2. quoniam est copula spiritus vitalis cum corpore in omni

Animali: sed homo insuper vitam Mentalem habet, vt suprà.

Ad 3. concedo extinctionem spiritus, sed non vnam, vt paulò antè dixi: similiter eiusdem caloris auctione fieri per accidens senium, & mortem; non tamen propterea iuuentus est pulmonis robur calorem refrigetantis, sed caloris robur à pulmonis spiritu aucti, & sui copia potentis munia corporis omnia facilè obire: senium verò non à pulmonis ac branchiarum duritie fieri dico, sed caloris auctu absessu, ac omnium partium ariditate paulatim facta ob id ipsum. Nam & benè sano pulmone fit. Vnde Gal. senium facit ab hac exsiccatione, qua postmodum membra excrementitio abundant humore, impediúntque calorem a functionibus. & hæc principalior est causa, quam Aristoteli ca. Ego tamen addo ex exsiccatis non benè nutriri spiritum, nec exsiccata: illúmque infirmari, & hæc corrugari, ideóque fieri senium defectu copiæ caloris, & abundantia roboris in soliditate: vnde recentior seniorum durius à calore & petrosum, non potest blandè coquere. & fluidos succos penetratiuos facere, nec ossa & carnes duræ accipere, vt nec paries antiquus nouum cementum. Non rectè Hipp. dixit pueros plurimum habere calidi: nam ex tactu videmus senes calidiores, sed robore, & ardore intraneo, non adscititio, quamuis a febre & Sole, vt glossant Medici, de hoc alibi. sed cur senes plus frigent? quoniam poros apertos habent ab effluxu caloris, & frigori introitum dant, sicuti domus antiqua rimis & disiunctionibus plena: pueri corpus sicut domus noua succis illita frigus non admittit. Itidem Ethyopes apud nos frigent, quoniam suo calori multo nostra Regio est frigida, vt febricitanti medica manus, sic de senibus: appetit enim intemperies naturalis similia, vt Gal. docet, male intellectus a suis.

Ad 4. & 5. patet Responsio: quoniam causas per accidens, & non totas Arist. adducit. Neque respirationem non ad refrigerandum, sed augendum caloris copiam fieri, in superioribus quæstionibus ostendimus. Moriuntur autem expirantes, quoniam calor non introtractus exhalat ad cognata corpora.

Ad 6. dico, mortem non esse per se corruptionem, sed causam, vel effectum: at per se separationem, nec vllam formam corrumpi, nisi vnionem in Animæ abitu.

Ad 7. quam sit ab re patuit in quæstionibus præcedentibus, & in Theologia vix est credibile, imò damnatus Parisiis: sola enim separatio fit, corporeitas non corrumpitur, quoniam non est Animæ, nec vna forma est difformis corporis, sed plures partiales, vna totalis ab idea, vt sæpè docuimus. Neque ergastuli corruptio est discessus captiui, ait Ambr. in Orat. de Resur. & in lib. de bono mortis c. 2. ante ingressum Animæ corpus etiam defunctum dicit: sic post egressum. Mors ergo nihil illi aufert, nec ergò corporeitatem.

Vtrum aliquod mortis genus sit naturale: an omne violentum.

ARTIC. II.

Hipp. Plato Gal. & Arist. & Auic. statuerunt mortem solam naturalem, quæ fit ex nimia senectute, à calore natiuo depascente proprium subiectum paulatim, at per accidens se ipsum perdente: cæteras quæ fiunt extinctione, malisque à causis extrinsecis, esse violentas: probatur, quod ab externis causis: illa vero ab interna, ideoque cum voluptate. Tancredus Telesij discipulus, in Peripato Taurini viuens, negat dari mortem à calore natiuo factam, quod Galenus etiam sentit aliquando; sed omnem ab externo, demoliente subiectum, extrahentéque natiuum, aut à frigore extinguente. Exemplum de lucerna à suo calore consumpta, dicit esse vanum: quoniam calor lucernæ non est natiuus: nec minor ignis à maiori occiditur, sed trahitur ad se: qui verò paruus remanet à frigore extinguitur. Item in febri ardente disgregatur, & à frigore temperamenti (inquit) qui remanet destruitur: quare omnino negat à calore natiuo esse consumptionem; & probat, sic. Nulla forma in suum subiectum agit: ergò.

2. Calor est instrumentum Animæ: Anima autem non mouet illum contrà se: at neque currus bouem trahit.

3. Sicut calor ignis seruat ignem, sic Animalis Animal.
4. Nihil se ipsum perdit.
5. Omnis effectus positiuus est à causa positiua: ergò à frigore peremptio caloris.
6. Nec à principio fabricaret corpus ipse calor natiuus, si eius esset etiam destruere.
7. Si sic, quanto robustior esset calor natiuus, tantò magis langueremus, & plus in hyeme, quam in æstate; cuius contrarium accidit.
8. Potest probari decreto Concil. Tolet. quòd mors non sit Homini naturalis, sed stipendium peccati: ergò.

SED Contra est authoritas Sanctorum, præcipuè S. Ambros. in lib. de bono mortis, Mortem esse separationem Animæ à corpore: separatio autem rerum diuersarum extra suum locum colligatarum ad suum locum redire contendentium, est naturalis. Ergò & mors. Probant hoc qui ex quatuor elementis componunt: inter quos se Latinus immiscet, quoniam elementa naturaliter ad propria loca contendunt: & in inuicem pugnant. Ergo tandem eorum mistura dissoluetur. Mihi verò ex Sole, Terraque constituenti, contentio caloris redeundi in cælum videtur esse sic naturalis, vt nunquam illam deponat. Et quamuis illatis ex passionibus fit intrà causarum seriem, vt Animalis fiat spiritus, eiusque procuret bonum: tamen innato desiderio nunquam cessat ad sidera tenderi: vnde naturalius est calori ad solem ire, quàm Animal viuificare, vel Animæ instrumentum esse: hoc enim aduenit illi per accidens ex pugna, & debilitatione, & impedimento elabendi, & passionibus alienantibus eum à sui notitia, & existentia: illud verò habet à natiua vi, se, cum cognatis, similibúsque seruandi. Tancredus autem ad illatas respexit affectiones caloris, non ad innatas, idcircò sic pronunciauit; & quidem rectè contrà Galenum, & eos, qui calorem animalem alium faciunt ab elementari, & cælesti, non tamen si eiusdem sunt substantiæ: quod illius ad hunc amor, & iter docent, præter alia in quæstionibus prioribus facta Argumenta. Et quoniam illi, contrà quos Tancredus hanc agit causam, putant calorem à se ipso extingui, dum subjectum pascitur; rectè statuit hoc esse impossibile; quoniam calor euolat sursum dum subiectum attenuat, non autem extinguit se. Plato tamen in Timeo, & in Axiocho introducit Opifices Angelos mutuari ab elementis has particulas, suo tempore reddendas; dum componunt Animalia: & sic videtur nobis assentiri. Aliud est tamen de morte Hominis, ac Brutorum loqui. Homo enim non moritur naturaliter, sed ex peccato, factus est namque inexterminabilis, teste Salomone, quoniam Mens Deo subdita subdebat illi ita spiritum Animalem, atque calorem, vt non possit elabi perniciosè, nec corpus indurare, ineptúmque facere nutritioni. Quòd & Plato in Charmide possibile arbitratur. Ex quo verò peccauit, sensualis spiritus eius imperio se subtraxit ex parte, sicuti, ait Chrysost. & de cæteris brutis, quam Deus permisit nè malum sit perenne, id est, pæna maledictionis, & labores, teste Ambros. sed per resurrectionem suam posteà Dei sapientia, nostra apparens in carne, naturam nostram reparauit, vnde resurgemus. Interim dicemus, mortem naturalem, quæ senio fit, absque morbo, sicuti naturale est calori abire sursum, dum à Mente cohiberi non potest omninò; quòd voluptas contestatur non esse violentam.

Ad discursum Tancredi, quòd exemplum de lucerna negat, negamus quòd ipse dicit. Nam olco & lucernæ sit natiuus ille calor, sicuti in nobis, sed vterque calor est extrà cognatum suum, ac sicut ille sursum, ita & noster contendit natura: fallitur etiam cum putat igniculum à frigore semper occidi, & natiuum calorem post febrem à frigore temperamenti. Nam & ille exhalat, & iste natura: & quia calor febrilis frigus temperamenti si quod erat extingit, aut debilius fecit, quam est calor relictus, vtique ab eo extingui non est dicendum. Miror etiam quomodò ipse credat frigus natiuum aliquod reperiri, quod nec Telesius docet, & Medici opus naturæ neque ingredi volunt: sed de hoc alibi. Potest reliqua extingui, sed in nostro casu id non est mors, sed abeuntis separatio.

Ad 1. Argumentum conceditur de forma passiua, non de actiua. Calor enim agit in semen, & id omne subiectum, attenuare contendens: vbi autem attenuatum est, tunc non agit in illud, quia iam est suum. Quapropter dicam non agere in perfectè suum, sed in imperfectè suum: maximè suum autem est cum ignis fuerit.

Ad 2. Verum est, sed ipse calor non obedit Animæ, nisi cohibitus fatalibus organis:

Animali : ſed homo inſuper vitam Mentalem habet, vt ſuprà.

Ad 3. concedo extinctionem ſpiritus,ſed non vnam , vt paulò antè dixi : ſimiliter eiuſdem caloris auctione fieri per accidens ſenium, & mortem ; non tamen propterea iuuentus eſt pulmonis robur calorem refrigerantis, ſed caloris robur à pulmonis ſpiritu aucti, & ſui copia potentis munia corporis omnia facilè obire : ſenium verò non à pulmonis ac branchiarum duritie fieri dico, ſed caloris aucti abſeſſu , ac omnium partium ariditate paulatim facta ob id ipſum. Nam & benè ſano pulmone fit. Vnde Gal.ſenium facit ab hac exſiccatione, quia poſtmodum membra excrementitio abundant humore, impediúntque calorem a functionibus . & hæc principalior eſt cauſa , quam Ariſtoteli-ca. Ego tamen addo ex exſiccatis non benè nutriri ſpiritum,nec exſiccata. illúmque minui,& hæc corrugari , ideóque fieri ſenium defectu copiæ caloris, & abundantia roboris in ſoliditate : vnde ieeur ſeniorum durius à calore & petroſum,non poteſt blandè coquere & fluidos ſuccos penetratiuos facere,nec oſſa & carnes duræ accipere , vt nec paries antiquus nouum cementum. Non rectè Hipp. dixit pueros plurimum habere calidi: nam ex tactu videmus ſenes calidiores, ſed robore , & ardore intraneo, non adſcititio, quamuis a febre & Sole,vt gloſſant Medici , de hoc alibi . ſed cur ſenes plus frigent? quoniam poros apertos habent ab effluxu caloris , & frigori introitum dant, ſicuti domus antiqua rimis & diſiunctionibus plena : pueri corpus ſicut domus noua ſuccis illita frigus non admittit. Itidem Ethyopes apud nos frigent, quoniam ſuo calori multo noſtra Regio eſt frigida , vt febricitanti medica manus, ſic de ſenibus : appetit enim intemperies naturalis ſimilia , vt Gal. docet, male intellectus à ſuis.

Ad 4. & 5. patet Reſponſio : quoniam cauſas per accidens,& non totas Ariſt.adducit. Neque reſpirationem non ad refrigerandum,ſed augendum caloris copiam fieri, in ſuperioribus quæſtionibus oſtendimus.Moriuntur autem expirantes,quoniam calor non intro.actus exhalat ad cognata corpora.

Ad 6. dico,mortem non eſſe per ſe corruptionem,ſed cauſam, vel effectum : at per ſe ſeparationem,nec vllam formam corrumpi,niſi vnionem in Animæ abitu.

Ad 7. quam ſit ab re patuit in quæſtionibus præcedentibus , & in Theologia vix eſt credibile,imò damnatus Pariſiis : ſola enim ſeparatio fit, corporeïtas non corrumpitur, quoniam non eſt Animæ,nec vna forma eſt difformis corporis,ſed plures partiales,vna totalis ab idea,vt ſæpè docuimus. Neque ergaſtuli corruptio eſt diſceſſus captiui, ait Ambr. in Orat.de Reſur.& in lib.de bono mortis c. 2. ante ingreſſum Animæ corpus etiam defunctum dicit : ſic poſt egreſſum.Mors ergo nihil illi aufert,nec ergò corporeitatem.

Vtrum aliquod mortis genus ſit naturale : an omne violentum.

ARTIC. II.

Hipp. Plato Gal. & Ariſt.& Auic.ſtatuerunt mortem ſolam naturalem , quæ fit ex nimia ſenectute,à calore natiuo depaſcente proprium ſubiectum paulatim , at per accidens ſe ipſum perdente : cæteras quæ fiunt extinctione,maliſque à cauſis extrinſecis,eſſe violentas : probatur,quod ab externis cauſis : illa vero ab interna, ideoque cum voluptate. Tancredus Teleſij diſcipulus, in Peripato tamen viuens , negat dari mortem à calore natiuo factam,quod Galenus etiam ſentit aliquando ; ſed omnem ab externo,demoliente ſubiectum, extrahentéque natiuum,aut à frigore extinguente.Exemplum de lucerna à ſuo calore conſumpta,dicit eſſe vanum : quoniam calor lucernæ non eſt natiuus : nec minor ignis à maiori occiditur,ſed trahitur ad ſe : qui verò paruus remanet à frigore extinguitur.Item in febri ardente diſgregatur, & à frigore temperamenti (inquit)qui remanet deſtruitur : quare omnino negat à calore natiuo eſſe conſumptionem; & probat , ſic. Nulla forma in ſuum ſubiectum agit : ergò.

2. Calor eſt inſtrumentum Animæ : Anima autem non mouet illum contrà ſe:at neque currus bouem trahit.

3. Sicut calor ignis seruat ignem, sic Animalis Animal.
4. Nihil se ipsum perdit.
5. Omnis effectus positiuus est à causa positiua: ergò à frigore peremptio caloris.
6. Nec à principio fabricaret corpus ipse calor natiuus, si eius esset etiam destruere.
7. Si sic, quantò robustior esset calor natiuus, tantò magis langueremus, & plus in hyeme, quam in æstate; cuius contrarium accidit.
8. Potest probari decreto Concil. Tolet. quòd mors non sit Homini naturalis, sed stipendium peccati: ergò.

SED Contra est authoritas Sanctorum, præcipuè S. Ambros. in lib. de bono mortis, Mortem esse separationem Animæ à corpore: separatio autem rerum diuersarum extrà suum locum colligatarum ad suum locum redire contendentium, est naturalis. Ergò & mors. Probant hoc qui ex quatuor elementis componunt: inter quos se Latinus numerat, quoniam elementa naturaliter ad propria loca contendunt: & in inuicem pugnant. Ergo tandem eorum mistura dissoluetur. Mihi verò ex Sole, Terráque constituenti, contentio caloris redeundi in cælum videtur esse sic naturalis, vt nunquam illam deponat. Et quamuis illatis ex passionibus fit intrà causarum seriem, vt Animalis fiat spiritus, eiusque procuret bonum: tamen innato desiderio nunquam cessat ad sidera reuerti: vnde naturalius est calori ad solem ire, quàm Animal viuificare, vel Animæ instrumentum esse: hoc enim aduenit illi per accidens ex pugna, & debilitatione, & impedimento elabendi, & passionibus alienantibus eum à sui notitia, & existentia: illud verò habet à natiua vi, se, cum cognatis, similibúsque seruandi. Tancredus autem ad illatas respexit affectiones caloris, non ad innatas, idcircò sic pronunciauit; & quidem rectè contrà Galenum, & eos, qui calorem animalem alium faciunt ab elementari, & cælesti, non tamen si eiusdem sunt substantiæ: quod illius ad hunc amor, & iter docent, præter alia in quæstionibus prioribus facta Argumenta. Et quoniam illi, contrà quos Tancredus hanc agit causam, putant calorem à se ipso extingui, dum subjectum pascitur; rectè statuit hoc esse impossibile; quoniam calor euolat sursum dum subiectum attenuat, non autem extinguit se. Plato tamen in Timeo, & in Axiocho introducit Opifices Angelos mutuari ab elementis has particulas, suo tempore reddendas; dum componunt Animalia: & sic videtur nobis assentiri. Aliud est tamen de morte Hominis, ac Brutorum loqui. Homo enim non moritur naturaliter, sed ex peccato, factus est namque inexterminabilis, teste Salomone, quoniam Mens Deo subdita subdebat illi ita spiritum Animalem, atque calorem, vt non possit elabi perniciosè, nec corpus indurare, ineptúmque facere nutritioni. Quòd & Plato in Charmide possibile arbitratur. Ex quo verò peccauit, sensu illis spiritus eius impetio se subtraxit ex parte, sicuti, ait Chrysost. & de cæteris brutis, quam Deus permisit nè malum sit perenne, id est, pœna maledictionis, & labores, teste Ambros. sed per resurrectionem suam posteà Dei sapientia, nostra apparens in carne, naturam nostram reparauit, vnde resurgemus. Interim dicemus, mortem naturalem, quæ senio fit, absque morbo, sicuti naturale est calori abire sursum, dum à Mente cohiberi non potest omninò; quòd voluptas contestatur non esse violentam.

Ad discursum Tancredi, quòd exemplum de lucerna negat, negamus quòd ipse dicit. Nam olco & lucernæ sit natiuus ille calor, sicuti in nobis, sed vterque calor est extrà cognatum suum, ac sicut ille sursum, ita & noster contendit natura: fallitur etiam cum putat igniculum à frigore semper occidi, & natiuum calorem post febrem à frigore temperamenti. Nam & ille exhalat, & iste natura: & quia calor febrilis frigus temperamenti si quod erat extingit, aut debilius fecit, quam est calor relictus, vtique ab eo extingui non est dicendum. Miror etiam quomodò ipse credat frigus natiuum aliquod reperiri, quod nec Telesius docet, & Medici opus naturæ neque ingredi volunt: sed de hoc alibi. Potest reliquia extingui, sed in nostro casu id non est mors, sed abeuntis separatio.

Ad 1. Argumentum conceditur de forma passiua, non de actiua. Calor enim agit in semen, & id omne subiectum, attenuare contendens: vbi autem attenuatum est, tunc non agit in illud, quia iam est suum. Quapropter dicam non agere in perfectè suum, sed in imperfectè suum: maximè suum autem est cum ignis fuerit.

Ad 2. Verum est, sed ipse calor non obedit Animæ, nisi cohibitus fatalibus organis:

loquor de Mente humana, de se autem semper sursum tendit: nec currus trahit bouem, sed canis, & equus dominum aliquando: si enim sic foret, præciperet illi, ne febricitaret, nè pulsum plusquam decet moueret, ne cibos noxios retineret: & alia. Vide Quæst. præced.

Ad 3. Concedo dum non crescat. Item illata affectione seruat Animal: innata verò tendit sursum, & hæc tandem præualet, illa enim est ab Opifice corporum: hæc intus à conditione naturæ.

Ad 4. Concedo; neque enim calor se perdit, vt putat Arist. sed elabitur ad cognata, vt ibi melius, ac tutius conseruetur.

Ad 5. Concedo peremptionem caloris esse à frigore; elapsum verò à se ipso omnia attenuante, & ad cognatum euehente.

Ad 6. Non fabricat per se: neque enim calor intendit facere, nisi ignem, sed fato coactus, id est causarum concursu, debilitatur, & agit paulatim aliud quam cupiebat, alienis deseruiens Artibus sicut ignis non vult facere ligonem, sed à ferratio in ligonis formam trahitur. Opus Naturæ non est Elementorum tantum, sed Opificum diuinorum Fato, & Necessitate, & Harmonia vtentium ad expressionem idearum in materia per opus instrumentale caloris, ac frigoris, vt sæpe dictum est, & qui hæc ignorat, nunquam intelliget rerum structuram, & affectus: fabricat ergò passione illata, destruit innata, qua vult semper attenuare, & ignem facere.

Ad 7. Negatur consequentia, sed sequitur quòd robur caloris paulatim materiam attenuet educàtque foras, ac proinde sequi senium. Præterea copia caloris nos adiuuat in hyeme, & iuuentute; robur verò perdit, quoniam partes solidas exsiccat. Qui autem posset multum calorem seruare, & à soliditatis arefactione in certis cibis præpedire, vel ariditates oleis succisque emendare, is vtique longam vitam sibi comparare posset, vt scripsi in 4. de Sensu Rerum, & 3. Medic. Bene ergò valemus dum multus calor natiuus adest: sed dum discedit cum attenuata mole, corpus reliquum senescit arescendo, nutritionique fit ineptum suæ, & spirituum habitationi.

Ad 8. Responsum est in corpore Articuli.



QVÆST. LXI.

DE EXEQVVTIVO.

Postquam dictum est de Organis ad Appetitiuum principium pertinentibus, déque huius effectibus in conseruatione Animalis, prætermitto tractatum de passionibus notionibus, & affectionibus, quæ indistinctæ priscis fuere Philosophis ob Primalitatum incognitam doctrinam, ideóque in controuertendo non videtur cum eis immorandum, ex nostro enim Textu statim veritas & error clarescunt, exque dicendis in 2. par. voluminis. Nunc de Exequutiuo Principio, in quo Primalitates conueniunt extrinsecus respiciendo aliquid dicere libet, nè ieiuni transire videamur. Sunt autem duæ facultates executorij, s. Contrectatiua & Delatiua: ergò duo organa Manus & Pes: ergò duo obiecta, Contrectabile, & Commodum.

Vtrùm Organa Exequutoria sint duo, Pes, & Manus.

ARTIC. I.

Videtur quod non, in omni enim membro datur Exequutio sui actus, iecur enim exequitur nutritionem: oculus visionem: Anus expulsionem, Genitale generationem; & omnis particula munus suum. Ergò non duo tantum instrumenta exequutoria.

2. Motus pertinet ad Exequutionem: sed in omni membro est motus, præcipuè in corde: ergò non solis Pedibus, vel Alis, & Manibus.

3. Os in Animali carente manibus tractat corpora. Ergò frustra ponitur manus in Homine.

Resp. In omni membro dari exequutionem sui actus, quoniam fit à Potestatiuo, cognoscitiuo, & Appetitiuo simul: quorum opera ad extra sunt indiuisa, licet quædam plus ab vno, quam ab alio specificantur: haud tamen in omni membro inesse peculiarem exequendi modum toti corpori vtilem, vnde totius operatio dicatur, quæ est vnius organi: nec particulare obiectum: Quæ requiruntur ad distinctionem operationum, sicuti ad distinctionem sensoriorum, & Potestatiorum, & Appetitoriorum vt in præcedentibus quæstionibus declaratum est. Motu autem fieri executionem palam est, de quo & de virtute motiua & de organis motus dictum est, q. 37. in Textu, etiam de musculis motui destinatis, de quibus q. non formamus: quoniam veteres hoc non considerauerunt. Vide q. 37. per totam.

Ad 1. Resp. quòd iecoris exequutio non specificatur propriè ab exequutiuo omnium Primalitatum seruiente egressioni erga obiectum commune: sed ab Appetitiuo formaliter & propriè. Genitalis etiam à concupiscitiuo &c. sed exequutio pedis & manus est peculiaris obiecti & actus ad totius compositi vsum: sicut oculus videt lucem ad totius corporis vsum, aliis organis non compossibilem.

Ad 2. Verè omnis exequutio fit motu, idcircò vis motiua est communis & vbique, sicuti tactus in negotio cognitionis: haud tamen propterea omnis motus est toti composito, ac totis Animæ Primalitatibus præcipuè proficuus, sicuti motus Pedis, & Manus.

Ad tertium, Nihil prohibet idem membrum esse organum Potestatiui, ac cognoscitiui, & exequutiui, relatum ad obiecta varia vario modo, & variis sui partibus vel aliter vsitatis: sic ergò os vt habet dentes, & æsophagum illi adnatum seruit appetitiuo: quatenus aërem verberat ad notitias exprimendas cognoscitiuo, vel huius operatiuo: quatenus verò pugnat in hostes, potestatiuo: & tandem, quo capit, tractátque corpora exequutiuo. Similiter lingua est organum gustus & vocis formandæ: at non eadem ratione: poris enim gustanti animæ admittit cibum: figura & soliditate carnis format vocem aërem illidendo cæteris organis. Rostro etiam Auis edit & pugnat: pede leo ambulat pugnatque: quatenus delatiuo, & quatenus vngulato, &c. cætera vide in quæst. de anima mouente. q. 37. & seq.

Vtrùm obiectum Pedis sit commodum & incommodum. Manus verò tractabile, seu operabile.

ARTIC. II.

Videtur quòd 1. Pedes enim fugiunt hostilia, æquè ac nociua; pugnantque in Auibus & Leonibus. Ergò sunt etiam Potestatiui, nedum exequutiui organa.

2. Commodum est obiectum appetitiui. Ergò non rectè tribuitur operatiuo formaliter.

3. Manibus exequimur omnium Primalitatum munia. Item consignificamus digitorum vatio positu formando literas: cuiusmodi non habemus obiectum tractabile, sed finem tantum significandi. Ergò obiectum manus non est tractabile: cum præsertim omne tractabile sit obiectum corpus.

Resp. quòd exequutorium cunctis Primalitatibus seruit: proptereà nil mirum si eodem fugimus nociua, & pugnamus in hostes: sectamur vtilia ad capessendum, malàque ad debellandum. Quæ tamen omnia referuntur ad commodum & incommodum. Omnis enim motus videtur ad sequendum, vel declinandum: omnia autem sectanda, vel declinanda, sunt commoda vel incommoda. Veruntamen hæc ipsa sunt obiecta Primalitatum præcipua ac seorsum: pedis verò est obiectum ipse locus, seu situs, pars corporis magni, ad quam imus. A quo verò discedimus, est incommodus, vel secundum quid hic & nunc. Cùm verò ad templum de propria domo pes me confert, ab incommodo ad commodum trahit secundum aliquid. Non enim domus commoda sacrificio, sicuti Templum.

Ad primum, commodum vt obiectum appetitus est res, quam captamus: vt verò obiectum pedis est locus, ad quem vadimus commodum adeptioni rei deseruientis, vel cognoscitiuo, vel appetitiuo, vel potestatiuo, vti indicant artes. Vide P. 2.

Ad secundum, dico literas formatas digitis esse id, quod tractatur manu ad significandum. Ad agendum enim etiam corpus addi oportet: potest etiam operabile poni pro obiecto: litteras autem operamur. Ita etiam hostilia; quæ tractabilia sunt. In significatione autem qua muti per manum vtuntur, operabile ponamus obiectum: sed finis gratia cuius specificat: sicut ergo manibus etiam ambulamus in necessitatibus, ita etiam significamus. Organa enim aliquando mutuantur sibi inuicem officium necessitate cogitante, non autem primitus natura ordinante. Ad contrectandum propriè ordinauit ac principaliter manus: Hoc tamen & pedibus addititi0 munere non principali exequimur, vuas in torculari calcamus, & lapides pellimus in via & hostem concutimus in pugna.

FINIS PRIMÆ PARTIS
Quæstionum Philosophiæ realis.





THOMÆ CAMPANELLÆ QVÆSTIONES SVPER SECVNDA PARTE PHILOSOPHIÆ REALIS,

Quæ est Ethicorum.



Bsolutis Quæstionibus Physiologicis super primo libro Epilogismi nostræ Philosophiæ Realis, aggredimur Morales super 2. lib. in quo Ethica tractatur: Et quoniam in primo de rerum natura tractantes vsque ad hominis naturam peruenimus, qui omnium est epilogus & quodammodo finis, nunc de bono hominis considerandum est, primo autem de summo bono, cujus gratia omnia fiunt, & expetuntur: ac mox de operationibus, quibus ad illud peruenit, & de affectionibus, vnde operationes emanant: ac de regulis tandem harum, quas virtutes vocamus; primus quidem liber gratia scientiæ præcessit: hic, vt operemur benè, subsequitur; neque enim quis rectè operabitur, qui operationes, & fines earum, & naturas adiuuantes, & impedientes non præsciuerit. Et quoniam quod est vltimum in acquisitione, primum est in cognitione, de summo bono quæstio præcedere debet, non quidem de summo simpliciter, hoc enim palam est esse primum ens, DEVM BENEDICTVM, sed etiam de hoc in Metaph. & in Theologia diximus: sed de summo bono, in quo consistit hominis felicitas vocata Philosophis, & beatitudo Theologis: hinc simul patebit, vtrum in summo bono simpliciter nostra felicitas quæritanda sit, an in aliquo bono in nobis existente, an circa nos, an extra nos. Verum enim verò de hoc in Metaph. p. 3. pluribus disputationibus, idcirco summatim quantum præsenti negotio conuenit, inquiremus.

QVÆSTIO PRIMA.

DE SVMMO BONO.

Vtrum summum Bonum hominis sit gloria, an imperium, an voluptas, an lucrum, an contemplatio, an fruitio; an virtus, vel viuere secundum naturam: vel DEO assimilari.

ARTICVLVS PRIMVS.

OPINIO 1.



VISVM est Romanis Priscis, vt ex Salustio, & eorum actionibus agnoscimus, summum Bonum esse gloriam.

1. Probatur primo: quoniam omnis operatio hominis virtuosi ad illam aspirat. Siquidem præmium virtutis est gloria: summum autem bonum est ad quod per virtutes peruenimus. Ergo, &c.

2. Honor, & gloria præfertur vitæ, & filiis, & vxori, & rei familiari, & cunctis denique rebus naturaliter. Patet hoc in bello, & in pace ex cunctorum actionibus, præsertim Heroum. Ergo videtur esse summum bonum.

3. Nil melius, ac felicius mortalibus, quàm dominari: vnde libido imperandi immensa pectoribus nostris inserta est. At dominatus non quæritur gratia pacis, cum sit plenum belli, neque Veneris, & Bacchi, cum plus in his oblectentur, qui seorsum à Rep. viuunt; neque sciendi, & contemplandi gratia, cum ab his studiis nos auertat: neque ob longiorem vitam, cum diuturnior sit quietis, & Heremitis. Ergo solum honoris gratia. Hic ergo summum quo beamur.

4. Deus ex gloria videtur beari: cum enim nullius rei indigeat, à nobis tamen exigit gloriam, & laudem, & omnia propter gloriam suam fecit, vt habetur in Sancta Scriptura. Si ergo est finis eius. Ergo summum nobis multo verius. Vnde beatitudo nobis promissa à Deo, vocatur gloria æterna.

OPINIO 2.

SEd contra Politici moderni, & Macchiauellistæ summum bonum ponunt in dominatu, & potentia. Potest probari sic.

1. Qui summum bonum possident, hi sunt beati; at beatos eos solos dicimus, & reputamus communiter, qui dominantur aliis hominibus, prævalent potestate, & diuitiis. Pauperes autem seruosque miseros vocare solemus. Ergo in imperio est beatitas.

2. Felix est qui omnia potest, & quidquid vult facit, & nullius indiget, sibique sufficiens est. At solus Rex est talis, & qui absolutus est Princeps, alij autem omnes indigent, vt sapiens cibo, seruis; diues gloria; alius alia re; nec facere possunt quod volunt: virtuosus his omnibus indiget. At Princeps vtitur sapientia aliorum tanquam sua, vt Medicorum, & Philosophorum: & sanitate aliorum, per quos exequitur sua negotia, quando ipse non est sanus: & aliorum diuitiis, & filiis, & seruis vtitur. & tandem nihil quod suum non sit in humanis: ergo is solus est beatus, sibi, & aliis sufficiens; qui

& vndique poteſt voluptates conquirere, & frui.

3. Omnes hominis operationes ad regnum diriguntur; nihil enim eſt quod non faciat homo eius gratia, vnde, & religionem tranſgreditur, & virtutem omnis Princeps, vt aiunt *per ragion di ſtato*: quoniam dominium recompenſat omnia mala, & iacturas etiam virtutis, & famæ. Cum enim quis regnum cõſcendit, licet dolis, & iniuria, ſtatim fit famoſus, & glorioſus, & laudatur; nec æquitatis, & virtutis violator nuncupatur, ſed ſtrenuus, & magnanimus, qui tantum auſit. Vnde Cæſar ſolebat ex
» Euripide dicere, *Si violandum eſt ius, regnandi cauſa violandum eſt; cæteris rebus pie-*
» *tatem colas*. Et Periander vnus de ſeptem Sapientibus, regni gratia omnia fecit. Vnde Macchiauellus laudat ſcelera Cæſaris Valentini, & Liueroti de Fermo, & Agatoclis Siculi, & aliorum, qui per fraudes, & ſcelera, ad regnum euecti ſunt: & Romanos quacunque via imperium adeptos.

4. Religio ipſa quę ad Deum homines dirigit, non niſi cauſa regnandi videtur inuenta: vt videlicet populi ſperantes poſt mortem ſe regnaturos in cælo, ſinant Reges in terra imperare: alioquin cum vnicuique ſit cupido imperii, nec modus adimplendi cupidinem cunctis reperiatur, oporteret cædibus adimpleri humanum genus. Quod autem ita ſit, patet ex eo, quod Principes mutant Religionem pro vt exigit vtilitas regnandi maior, quod ſæpè fit in Germania hodiernis temporibus; & Romani fœdera Religione firmata, vbi regno non erat proficua, per nouas interpretationes violabãt, & nouiſſimè Hiſpani prætextu Religionis occupant Regna Hemiſpherii noui non ſua: & vbicumque Imperii cauſa interuenit, violatur iuramentum nedum à Principibus Turcarum, ſed à Chriſtianis: & Macomettus, & Prophetæ, & Lutherus, & Seriſus, & Sofius, & quicumque nouitatem in religione fecerunt, regnandi cauſa fecerunt: Reges nonnulli diu ſibi probatas religiones, & ſectas abiurant regni cauſa, quas nulla de cauſa alia abieciſſent. Quapropter ſi quod ſummum eſt Reip. & ad Deum videtur dirigere, dominii gratia habetur, dominatio erit ſummum hominis bonum, cuius gratia omnia fiunt, & appetuntur.

5. Si Deus ipſe tanquam ſummum bonum habet dominatum: nam ſiue mundus ſit æternus, vt æterno dominio frueretur, ſiue factus de nouo, vt Deus ſibi dominium adſciſceret, quo carens non videbatur perfectè beatus, fateri oportet Dominium eſſe ſummum bonum.

6. Item homini promittitur regnum cælorum tanquam beatitudo ſuprema in Sancta ſcriptura: ergo palam eſt, hoc ſolum eſſe quo beamur: & cuius gratia quidquid facimus; licet enim videatur malum, eſt bonum. nam, & multa fiunt amore Dei, quæ mala videntur, & non ſunt, vt ſi Abram occidat filium.

7. Nulla iuſtitia eſt in mundo, neque alia virtus (cum omnis virtus ſit iuſtitia) niſi quam Rex facit eſſe virtutem. vnde plures vxores habere eſt virtus in Imperio Macometi, & vitium bibere vinum: apud Chriſtianos è contra. Et quidem vitium eſt tranſgredi legem dominatoris in omni genere regiminis, ſiue ſit Monarchia, ſiue Oligarchia, ſiue Democratia: virtus autem eſt obedire. igitur id eſt ſummum bonum, quod vias ad bonum facit, & eſſe honeſtis bonis largitur, & per quod, quæ non ſunt bona, fiunt bona.

PRO OPINIONE 3. ARG. 1.

AT Bias & qui in lucro ponunt ſummum bonum refragantur. Et ſi enim quis ſit Rex, & dominator hominum, niſi ſit diues, beatus non eſt, vt dicit Horatius.

Mancipiis locuples, eget æris Cappadocum Rex.

Ergo videtur propterea beatus Rex, quod eſt diues, ſiquidem his demptis eſt miſer, & præda inimicorum; non poteſt tueri regnum, neque frui voluptatibus, quæ ex venere, & Baccho proueniunt: eget Mercatorum.

2. Regnum eſt maximum hominis bonum: ſed hoc non niſi per diuitias acquiritur, & earum gratia quoque appetitur, & eſt. neque enim vult quis eſſe Rex, & pauper. Vnde Monachi ſpernunt prælaturam ſuper Monachos pauperes, tanquam laborem: amant verò vbi diuites ſunt conuentus. Pecuniis autem acquiri palam eſt: nam emptione, aut occupatione poſſident: emunt autem pecunia: occupantque militibus, pecunia conductis.

3. Maxime autem fugiunt homines paupertatem, maximéque amant diuitias: vnde Arist. pauperi melius esse ditari, quam philosophari docet: summum, autem bonum illi videtur philosophia: at per hoc maius sunt diuitiæ.

Diues omnibus bonis abundat, & nullius indiget: ei omnia parent, vt dicit Horatius.

Hor. lib. 2. sat 3.

Virtus, fama, decus, diuina, humanaque pulcris
Diuitiis parent: quas qui contraxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens etiam, & Rex
Et quidquid volet, &c.

ergo solus est beatus, quod probari potest Boetho definiente, *Beatitudo est omnium bonorum status aggregatione perfectus*: qui, vt patet ex dictis carminibus, in diuitiis est.

PRO OPINIONE 4. ARG. 1.

ALij verò antiquissimi, & post eos Eudoxus, & tandem Epicurus, summum bonum dicunt esse voluptatem.

1. Summum enim bonum est, quod omnia appetunt: huiusmodi est voluptas. nam & elementorum, & animalium appetitus, & hominum in voluptate quiescunt tanquam in suo summo appetito fine.

2. Omne bonum expetitur alterius boni gratia. Nam cibus, & Venus propter conseruationem speciei, & indiuidui. Sapientia quoque vt mala vitare, & bona quęrere sciamus: diuitię, & imperium, & honor, vt viuamus, & quidquid cupimus, faciamus. At voluptas per se quæritur. Non enim inquirimus, quare quis vult delectari: quoniam nullius gratia est, sed omnia eius.

3. Dolor est id, quod maximè fugimus, quoniam sui gratia est fugibile: cætera autem, ne dolorem afferant nunc, vel in futurum. Ergo è contra voluptas est maximè ac per se appetibile. Ergo summum bonorum.

4. Nulla res est bona, nisi condiatur voluptate. Per se enim, neque bona, neque mala sunt; atque cum voluptate, bona fiunt, & laboriosa, & dolorifica spe voluptatis, ergo ipsa est summum bonum, causa omnium bonorum.

5. Quicumque, & quantumcumque bona habeat homo, non sunt illi bona, nisi eis fruatur. & hoc non semel docet Salomon in Eccl. Quid enim iuuat habere pecuniam clausam in arca, aut cibos dulcissimos, & non gustare, aut pulcherrimas mulieres, & non misceri; aut regnum, & non facere quodcumque placet, aut omnia scire, & nihil possidere eorum quæ scis; aut possidere, & non frui? Damnati in inferno etiam habent Deum, at Deo non fruuntur; Beati habent, & fruuntur. Quapropter neque Deus absque fruitione est nobis bonus bonitate beatifica. Fruitio autem est perceptio voluptatis ex obiecto fruibili. Sic enim fiunt bona in nobis, quę erant bona extra nos. Non enim quæ sunt extra nos, possunt nos beare, quamuis optima, nisi nobis vniantur, & ex vnione fruitio. Vnde in beatitate rogat IESVS, vt omnes fiamus vnum in Deo. igitur si voluptatis gustatio facit res omnes esse nobis bonas, & ipsum quoque Deum, procul dubio est ipsa summum bonum,

6. Idem probatur auctoritate Dauid in Psalmo 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos*, & in voluptate ergo beamur Dei.

7. Moyses docet hominem creatum à Deo, repletumque gratia *positum fuisse in Paradiso voluptatis*. tanquam in loco beatitudinis, & Dominus Iesus promittit Paradisum, in quo *edatis & bibatis* (ait) *SVPER MENSAM MEAM IN REGNO MEO*, vnde ex voluptuosis depingit illum nobis. Similiter Macomettus promittit paradisum ex cunctis voluptatibus carnalibus constitutum, vti & Cherintus, licet prosequentes expositionem meliorem, spiritualiter interpetrentur, tamen voluptates spirituales sperant pro beatitudine. Item, Thomas Morus in sua Rep. voluptatem fecit summum bonum, licet mussitando.

8. Qui autem cum Scoto beatitudinem ponunt in fruitione, hanc tueri sententiam videntur, fruitio enim est actus voluntatis quiescentis in fructu perfecti boni delectabiliter, atque voluptuosè. Rationes ergo Scoti, quibus probat voluntatem esse

reginam potentiarum, & in ea perfici beatitudinem, intellectu verò adiri tãtum, neque enim beamur, quia scimus bonum, sed quia fruimur, & beamur bono & vero, vt bonum: non autem vero vt verum: & aliç omnes directè probant felicitatem in voluptate tanquam in summo bono consistere.

OPINIO 5. ARIST. declaratur.

ARistot. autem in primo Eth. distinguit tria bonorum genera. Videlicet vtile, honestum, & voluptuosum.

1. Negatque in voluptuoso esse fælicitatem humanam: quoniam voluptas est communis nobis, & brutis. bruta autem non beantur, ergo nec homo per illam.

2. Nec in honore (inquit) est beatitudo: quoniam ipsa est maximum bonum proprium beato. honor autem est in aliis, & in eorum possessione, qui exhibent honorem. Item honos non quæritur propter se, sed vt sciamus nos esse virtuosos, & tanquam virtutis testem: vnde magis cupimus à sapientioribus honorari, vt optimis testibus.

3. Neque diuitiæ sunt summum bonum, quoniam externæ sunt, & alterius gratia. Item pecunia per violentiam acquiritur, & perditur. Quod fælicitati non conuenit.

4. Neque (ait) in virtute est fælicitas, vt Zeno putat. Tum quia fælicitas est quid perfectissimum. virtus autem inuenitur quandocunque sine propria operatione, quæ eius est perfectio, vt in dormientibus. Item contigit virtuosum esse pauperem, & ægrum, & iniuriis affici. Nemo autem talis felix est.

Deinde in c. 7. ostendit contra Platonem non dari summum bonum separatum, à quo res omnes participent bonitatem. Tum quia non datur idæa vna eorum, quæ ordinantur prius, & posterius, vt omnium numerorum idæa non est. at bona ordinantur per prius, & posterius; prior enim substantia, deinde cætera prædicamenta seriatim: Ergo. Tum quia non conueniunt prædicamenta in vna essentia: bonum autẽ, vt & ens est in omnibus prædicamentis: idæa vero est essentia vna ab omnibus participata, non tamen esset nisi in vno primo sicut ens: in cæteris per analogiam. Tum quia vnius ideæ vna est scientia. omnium autem bonorum prædicamentalium non est vna, sed diuersæ. Tum quia non esset altioris gradus bonum separatum, nam eadem est ratio hominis idæati, & ideæ. i. separati hominis, nec quia iste perpetuus, melior. non enim melior vita vnius diei, quam mille in sua quidditate. Tum quia essent bona ejusdem rationis, vt alba in pariete, & caseo, nunc autem non sunt, quoniam alia sunt bona vtilia, alia quia prohibent malum, alia honesta, alia voluptuosa. quæ non conueniunt in ratione: sed habent quandam Analogiam inter se tantum.

6. Deinde ait, de illo bono non esse tractandum Morali Philosopho, quoniam si est, non est finis hominis, vt operatio, neque vt res operata, neque vt possessa, & fruibilis: neque vt exemplar operatorum & possessorum bonorum. Tum quia nulla Ars vtitur eius exemplo in operatione, & artificio, neque auxilium ab eo capit. Tum quia inutile, & superuacaneum est illud per se bonum separatum tam ad scientiam, quàm operationem: neque enim vllus artifex in ipsum inspiciendo propriam addiscit artem: neque exercet. Abstractum enim est: nos autem concretè operamur, & docemur singularia inspiciendo.

7. Deinde in cap. 8. ostendit quod si est vnus finis omnium operatorum perfectus, & optimus, semper propter seipsum, & nunquam propter aliud eligibilis, ipse est summum bonum, & fælicitas, item oportet esse sibi sufficiens, & his qui sunt hominis: cui si quid addatur, non est eligibilius ipso. sed è contra. Deinde in cap. 9. probat fælicitatem esse operationem hominis optimam secundum virtutem eius potissimam per totam vitam. sic cuiuslibet rei habentis propriam operationem, illud est bonum suum, & finis, vt cytharedi cytharizare, ædificatoris bene ædificare. Hominis autem est aliqua operatio propria. probatur: si quid enim ab arte non est otiosum, sed est coriarij & tentoris, est opus proprium: ergo multò magis eius, quod est à natura: non ergo otiosus homo. Item partium hominis est propria operatio, vt oculi videre, pedis ambulare, ergo & aliqua totius. Hæc autem operatio, non est viuere: nam & plantis conuenit. quæritur autem propria. Neque sentire: nam communis est brutis. ergo est operari secundum rationem. Sed duplex est rationale in homine, alterum participatione,

quod suadetur, & gubernatur à ratione: aliud essentiale, quod per se intelligit, & ratiocinatur. & huius operatio videtur vita felix. Ergo sicut finis hominis est operatio secundum rationem: sic optimi, & felicis erit operatio optima secundum rationem: Bona autem operatio fit per virtutem: ergo est operari secundum virtutem, si est vna: vel virtutes, si plures. Item non vita perfecta, id est, diuina ac tota, non enim vna dies facit beatum, vt nec vna hirundo ver.

8. Post hæc in cap. x. rectè se posuisse in bonis maximis, quæ sunt animi, fælicitatem, non in minoribus, quæ sunt corporis, neque in minimis, quæ sunt fortunæ. Attamen omnia ista requiri ad felicitatem putat. quoniam deformis, & æger est contemnendus, & non potest operari virtuosè. Similiter neque pauper, & filijs orbatus & amicis. Ita quod diuitias amicos, & filios, & omnia exteriora assumit ad fælicitatem, tanquam instrumenta: voluptates autem per se sequi ad operationem virtuosam, & puras, tanquam pulchritudo ad iuuentutem, vt mox declarat in 10. Eth. Mox dubitat. Vtrum sit à Deo fælicitas: & alibi soluendum dicit: ab homine autem per naturam, aut disciplinam, aut assuefactionem posse haberi considerat. negat à fortuna, quoniã irrationaliter operatur, & non quod est optimum. Excludit à fælicitate pueros, fæminas, opifices, agricolas, amentes, vt patet ex Polit. eius, Post mortem nil ad hominem de felicitate pertinere, quoniam notorum probitas, aut improbitas, & fortuna, quasi nihil tangit id, quod est ipse in fama. Quapropter aliam vitam negat nos manere post mortem.

Eth. cap. 14. & 15.

9. In 10. lib. Eth. ponit veram fælicitatem in vita contemplatiua veritatis, & non in actiua per octo rationes. Primo, quia conuenit homini secundum optimum in ipso. Secundo, quia potest esse magis continuata. Tertio, quia delectabilior. Quarto, quia magis sibi sufficiẽs. Quinto, quia magis propter se diligitur. Sexto, quia consistit in quadam vacatione. Septimo, quia competit diuis, & secundum diuina. Octauo, quia est secundum id quod magis est proprium hominis, scilicet intellectum: actiua vero secundum rationem sensitiuam.

10. Deinde secundariam quandam fælicitatem dat vitæ secundum prudentiam regulantem omnes virtutes, quæ sunt compositi; sapientia enim in contemplatiua regulabat solam animam rationalem. & quoniam homo est compositus, debetur alia felicitas ei vt composito. Item quoniam indiget bonis exterioribus per actiuam procurandis. Item nè impediatur speculatio indiget sanitate, & victu, & amicis, & ciuitate, Ergo, &c.

OPINIO STOICORVM DECLARATVR.

Stoici in moralibus conspicui fælicitatem, ponunt in Honesto: nec bonum aliquid esse putant nisi honestum, hoe est virtutem; quę sola est honore digna; nec aliquid malum, nisi vitium, quod solum est turpe. cætera omnia vocantur indifferentia. Intelligo quidem, vt Origenes docet contra Celsum, omnia entia esse bona secundum id quod sunt: A Deo enim summo bono sunt, & hoc modo Bonum considerat Metap, sibi enim & Mundo, & Deo simpliciter omnia sunt bona. At secundum nos, & moraliter, nihil est bonum nisi virtus, nihil malum nisi vitium. cætera sunt indifferentia, diuitię, paupertas, honot, inhonoratio, cælum, terra, patria. & quidquid est in corpore, & extra corpus, sunt nobis indifferentia. Probatur.

1. Quod est bonum verè, non potest fieri malum: & verè malum non potest esse bonum. Quod autem bonum, & malum esse potest, illud indifferens dici debet: neque enim bonum, ex quo malum fit, neque malum ex quo bonum. At virtus est ita bona, vt nunquam possit nobis esse mala: nemo enim potest virtute malè vti: sic neque vitio benè vti. At rebus cęteris possumus bene, & malè vti. *Diuitia sępè conseruantur*, ait Salomon, *in malum Domini sui*. sunt & peccati fomenta, & pigritię, & ignorantiæ causa. Similiter honor multis nocuit ad superbiam. Pulcritudo ad luxuriam, & stupra. Voluptas peperit podagram: & hebetat ingenium, & trahit ad peccatum: Imperium, iniustitiam, & superbiam, & illorum mala potest adducere: Possumus, & Cælo abuti, ad incantationem, & terra ad auaritiam: & vita ad aliorum damnum, & diuturna scelera: morte verò ad Reip. salutem, & virtutis defensionem. ipsis quoque

Sacra.

Sacramentis abutimur. Quapropter non videtur esse verè bonum nisi virtus: quâ nemo potest malè vti. Hanc sententiam tuetur Tullius, Seneca, Socrates, Plato, Zeno, S. August. Origenes, & S. Chrysost. & S. Hieronym. & S. Ambros. Cumque arguis, Non nè meliores sunt diuitiæ quam paupertas? ergo sunt aliqua bona, si eis est aliquid deterius. Similiter non nè melius est sanitas quam infirmitas? ergo, &c. si negas, interrogat Peripateticus: Quid cupis magis esse sanus, an æger? Resp. Cicero in lib. de Finibus; sanus. ergo eligibilior sanitas: ergo bona: & quidem, si rectè memini, videtur concedere præferendà esse sanitatem: & aliquid esse bonum minimum, quod tamen comparatum virtutibus non videtur, sicuti latet obulus inter Cresi thesaurum. At S. Chrysost. nequaquam concedit esse bonam sanitatem, neque vitam ipsam, nisi quatenus benè vtimur, & idcircò eligendam esse statuit præ infirmitate, quia vti possimus illa ad operationes virtutis magis. At vsuro ad malum, eligibilior est infirmitas, & mors. Vnde sancti optant à Deo mortem, quando ex vita periculum peccandi imminet. Quoniam ergo virtus est Iudex, vtrum ad operationes suas hoc, vel illud conuenit magis. ideò virtus dat bonitatem vitæ, & morti, & sanitati, & infirmitati. Sic Bern. prælegit infirmitatem: & Monachum continua infirmitate saltem modica iuuari docuit magis quàm perfecta sanitate.

Docent solum virtuosum esse beatum, & hunc esse omnium rerum dominum, Regem, & magistrum hominum, nullis legibus astrictum, veris gaudiis semper plenum: nec posse ab vllo lædi, aut malum pati: sed inuictum esse, suique dominum, & omnium, quamuis in tormentis Attilii, aut Laurentii, & in paupertate Fabritii, & Diogenis: & in doloribus, & tentationibus Iob.

1. Probatur. Virtus est verum bonum: bonum fælicem facit possessorem, malum vero infœlicem. fœlix atque bonus vtitur omnibus rebus in bonum, Ergo, & ærumnis, & morte, & paupertate. Ergo minus non est fœlix in paupertate, quam in diuitiis, & in dolore, quam in delitiis corporis. Omnia enim illi vertuntur in bonum. & hanc sententiam confirmat Apost. Paulus, & omnes Martyres, & certè si consideres, felicior erat Attilius dum cruciaretur à Carthaginensibus, quam Aristippus dum voluptate Amasię fruebatur. Et melior Socrates dum pro virtute moritur, quam interfectores eius in vitio viuentes, & S. Amb. in 2. de offic. c. 4. exagerat Argumentum in Moyse, & Daniele: Quandonam enim fæliciores fuerunt hi, dum ille persecutionem passus à Pharaone in mare incidit, aut occidendus, aut aqua obruendus, & Daniel in lacum leonum deuorandus, an verò cum in mensa Regum ille Pharaonis, & iste Nabuchodonosor epulabantur? Non nè Iob fælicior in cruciatu, quem vincebat, quàm Reges eius consolatores, qui iniustè loqui conuincebantur? virtutis conscientia bona fælicem facit hominem. sed ait Arist. impeditur à fęlicitate dum cruciatur sapiens, neque enim potest contemplari verum. O stultè Arist. immò tunc exercetur virtus fortitudinis, & omnis virtuosa operatio per se est fęlicitas. Ergo, tunc maior felicitas. Quod si perditur corpus, & sensus, non perditur, nec cruciatur virtus: nec desinit esse, quia desinit subiectum: non enim virtus in corpore, sed in mente, quæ non desinit. At etiã si desineret, non nè fælicius est non esse, quam malè esse? Non esse est vna mors: malè esse est perennis mors multiplex. Loquor de bono morali, non naturali. Dic mihi non nè honorares plus Anaxarchum in mortario pistum, quam Tyrannum pinsentem? Ergo, natura docet fęliciorem, & honorabiliorem eum, qui patitur virtuosè, quam qui fruitur delitiis vitiosè.

2. *Quòd virtuosus sit Rex*, docet Salomon, eius esse totum mundum diuitiarum; & ab eo Stoicos id didicisse testatur S. Ambr. 2. lib. de Hab. c. 7. sed ais, si nihil possidet, quomodo est mundi Dominus? Respondetur de iure, non de facto. meretur enim dominari, & scit se esse talem, & omnia Deus subiecisse sub eius pedibus, & in hoc se Regem natura licet non fortuna cognoscit; & hoc plus est ad beatitatem, quam Regem esse vitiosum dignum seruitute, & carcere. Et quidem IOSEPH in seruitute Rex erat, & euentus ostendit in eo animum Regium. Hoc fortè. Io. Gerson, & Richardus intendunt, quando hominem in gratia Dei positum faciunt Dominum omnium rerum: quia sunt amici Domini omnium: amicorum autem omnia communia.

Iniustè tamen à Soto repræhenduntur: eo quod non possit iure charitas bona aliena accipere in vsum proprium, alioquin esset rapina, & furtum. Hoc enim est verum, stante diuisione, & vsurpatione, vt ait Amb. esset siquidem scandalum, & iniustitia in iure gentium, non autem in iure naturæ. & propterea quamuis liceret, non expediret, sed & hoc notandum quod virtuosus, & amicus Dei, non vtitur superfluis, ergo solum in necessitate alienis vteretur: in necessitate autem omnia sunt communia. Quapropter non expedit iure charitatis, & virtutis, dominatum vsurpare: nemo enim id ex virtute, sed ex vitio fieri putaret. sic enim & illi faciunt. Sapiens autem ab omni malo, & à specie mali se abstinet, teste Apostolo. Si autem omnes essemus boni, nihil esset diuisum, vt in statu innocentiæ; & solus sapiens consensu omnium gubernaret. Christus autem petenti tributum soluit, sicut tunicam petenti dat & pallium, cum esset Dominus omnium. Vide Monarch. Messiæ.

Quod non sit legibus adstrictus patet: quoniam sibi ipsi est lex iustus, teste Apostolo, & ipsomet Aristotele. *Lex enim non est posita iusto, sed iniustis, &c.*

Quod sit Rex sap. Chryst. etiam docet in lib. vbi comparat Monachum Regi, & illum fæliciorem & Rege potiorem facit. Item quoniam dominatur sibi ipsi, & passionibus innumeris, & cogitationibus longè pluribus, & fortioribus, quam sunt exercitus, & Vassalli Regum. hoc autem non agnoscit, qui in solitudine non versatur: & contra vitia bellum non gerit. Equidem experior nil difficilius, quam dominari carni, & cogitionibus propriis, & passionibus. Qui ad hanc peruenit perfectionem, omnium dominus, vt in politica dixi, verè est de iure, & sibi, quamuis facto non dominetur.

Quod à nomine lædi possit, hic suadetur; quod in læsione aliquod bonum amittitur, virtuoso autem nihil est bonum nisi virtus, quam amittere non potest: corporis enim amissio non est boni, sed indifferentis: sic cæterorum. At S Chrys. qui vbique hanc doctrinam inculcat. Præcipuè in Hom. cuius Titulus est, *quod nemo læditur, nisi à seipso* sic procedit. Tunc læditur aliquid ab aliquo, cum aufertur, aut impeditur id, quod est ipsum, & opus eius. vt equo si tollatur id quod est equi, vel operatio, cuius est gratia, vt currere, & belligerare: vineæ, si sarmenta, & fructificatio. At hominis quatenus homo, esse totum est virtus & mens. Virtus autem eius est rectè sentire de Deo, & benè agere inter homines, vnde *pietas sola* (ait) *nos secernit à brutis*. Qui autem ab aliis cruciatur non potest compelli, vt malè sentiat, neque vt malè faciat, si enim facit, aut sentit, sponte facit, vt qui proiicit merces in naufragio. Homo ergo lædi non potest, nisi consentiat prauitati, consentire autem est in nostra potestate, ergo lædi etiam est in nostra potestate. Virtuosus autem hanc potestatem non cedit. ergo non potest lædi: & sanè Horat. rectè cecinit, & experientia testatur.

Iustum, & tenacem propositi virum,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solida; nec auster
Dux inquieti turbidus Adriæ.
Nec fulminantis magna Iouis manus.
Si fractus illabatur orbis
Impauidum ferient ruinæ.

Id ego expertus sum 40. horis pendens de fune tortis brachiis ligatus retro, & funiculis simul vsque ad ossa adstrictis; super acuminatum lignum insidens, ita vt si velim brachiis me substinere contortis, nimis affligerentur brachia, scapulæ, & pectus. & collum, si me demitterem, à ligno nates deuorabantur: quæ distentæ vsque ad vessicæ collum, & radices genitalium, sanguinem multum emittebant, donec tanquam mortuum post 40. horas torquere cessarunt. Homines alij me maledicebant, & intendebant dolores, funem excutiendo: alii laudabant clanculum fortitudinem. Hoc tamen scio ex hoc, penes nos esse lædi, vel non: neque enim illis quidquam cessi: nec verbum extorquere potuerunt. Sed tunc me Arist. vocasset infælicem. cui si obtemperassem fugiendo mortem, victus, & seruus fuissem timoris, & vita indignus.

Tandem quod *in virtuosum non cadit iniuria*, Seneca facit librum vnum. & probatur: quoniam vel à nolentibus infertur iniuria, vel à volentibus. si à nolentibus infertur iniuria,

iuria, non est iniuria, sed casus. si à volentibus: tunc, vel sciunt esse virtuosum, & indignum miseria, vel putant scelestum, & dignum morte, si primùm cruciant ipsius corpus: sed non faciunt iniuriam illi, sed sibi ipsis contra conscientiam agentibus; si nesciunt, non illi iniuriantur, sed alteri, quem scelestum in sua imaginatione faciunt. Propterea DOMINVS IESVS, in cruce dixit, *nesciunt quid faciunt*: fælix ergo non potest esse non fælix, nisi sit Aristotelicus, aut Epicureus. Si fælicitas est sibi sufficiens, & nihil ei deest, & intrinseca felici. Planum est non posse amitti, neque exterioribus indigere: & qui contradicunt nesciunt quid sit fælicitas.

Et viuere secundum virtutem, & assimilari Deo vnum sunt. ideo in his est opinio aliorum.

Sed contra istos arguit Arist. virtus non sufficit sibi ipsi: nam indiget victu, vestituque corporis, & bonis externis, & amicis: ergo illa sola non beamur. Summum autem bonum nullius indiguum est, vt Plato dicit in Philebo. Item dolor tollit operationem virtuosam, sicut & voluptas impura, & longe magis. ergo, oporter etiam vacare doloribus. Item omnia entia amant voluptatem, ergo & fælicitati conuenit. Quod enim omnia amant, bonum est, non ergo sola virtus. Item, Moretus ait, Homo Stoicus est truncus, quoniam non amat, nec timet, nec gaudet, nec dolet, nec vllâ tangitur affectione. erit ergo insensatus, & lapideus, vt Xenocrates. Hoc autem impossibile. Item Aug. super illud Io. *Christus infremuit spiritu*, repræhendit Stoicos, qui passiones à sapiente auferunt omnes: Moyses quoque irascitur contra adorantes vitulum, ita vt tabulas à Deo sibi datas, frangeret. ergo, &c.

Arist. Argum. contra Stoicos. 1. 2. 3. 4. 5.

At contra omnes præfatas opiniones est S. Amb. in 2. de offic. c. 2. vbi Arist. sententiam, & Epicuri, & Romanorum, & Polytic. & aliorum redarguit, & pro Stoicis statuit vitam beatam in virtute sola consistere. Vnde in C. 5. ait. *Certam est solum & summum bonum esse virtutem, eamque abundare solam ad vitæ fructum beatæ. nec externis, aut corporis bonis; sed virtute sola vitam præstari beatam, per quam vita æterna acquiritur.* & in c. 4. probat, quod inter dolores, & calamitates virtuosus est beatus: nec carere doloribus, sed vincere dolores, esse beati. immò quæ putantur mala non solum impedimenta non esse ad vitam beatam, vt putat Arist. sed etiam adiuuamenta. & hoc ex Euangelio, *Beati pauperes; Beati qui fletis, Beati estis cum vos persecuti fuerint.* Item ex Dauid, *Beati immaculati, qui ambulant in lege Domini.* hoc est, in omnibus virtutibus, quas lex imperat. & sicut bonus ciuis est, qui leges ciuiles obseruat, ita bonus homo simpliciter, qui leges Dei. Et hoc est viuere secundum naturam apud Stoicos. Natura enim Dei est Ars, & lex. & Sanctus Io. ep. 1. c. 2. *Nolite diligere ea quæ sunt in mundo. Quoniam omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut superbia vitæ, aut oculorum concupiscentia, &c.* & in his damnat tres primas opiniones, contra quas Monachi profitentur, castitatem contra Epicurum, paupertatem contra Biantem, Obedientiam contra Macchiauellum, &c.

Respondeo igitur, quod ens nullum simpliciter beatum per se esse potest. Beatitudo enim est summi boni possessio; summum bonũ simpliciter est Deus, summum vnicuique est bonum proprium, quod à Deo habet. hoc autem est esse. Colligauit autem Deus ita rerum vniuersitatem, vt non possint esse tueri proprium nisi per communicationem mutuã. Omne ego ens aliis entibus indiget. Angeli vero optima entia indigẽt Deo: cæterasque res administrant iussu Dei; & in hoc eorum esse seruatur. Hinc Plato ponit summum Bonũ abstractum, quo omnia participant. Arist. impiè, vt solet, ipsum reprehendit. & quia esse per operationes seruatur, operatio autem à virtutibus regitur, idcirco dicimus beari omne ens dum secundum suam virtutem viuit. hominẽ vero humanis virtutibus: per ipsas enim omnia bona etiam externa, quatenus indiget, acquiruntur: & etiam ipse Deus promeretur talibus hostiis, vt loquitur Apostolus. Idcircò qui negat Deum esse, aut prouidentiam ergà nos, non potest de fælicitate benè loqui. Nullum enim bonum nisi à primo Bono. ideo S. Ambr. de ipsa loqui volens ante omnia excludit sententiam Epicuri, & mox Arist. prouidentiam Dei non nisi vsque ad lunam extendentis, in lib. de offic. siuè ergo sola homini vita præsens debetur, siuè & altera post mortem; in neutra potest beari nisi per virtutem. cætera autem bona nõ

funt illi, nisi pro vt à virtute assumuntur tanquam instrumenta ad bonum vsum. stat ergo sententia Stoicorum.

Hic quæritur an licet peccare venialiter ad saluandum corporis vitam, si alia non datur post mortem. equidem nego. peccare enim est contra virtutem facere, & per consequens contra Deum virtutis, qua fruemur, datorem: operari autem contra virtutē est destrui, non seruari. sicut qui fit de homine pecus. non ergo licet: Neque puto dari casum, in quo oporteat hominem, vel mori, vel peccare venialiter. Quod si Tyrannus iubet obscena loqui, vel quid ociosum facere, si in præiudicium virtutis iubet peccas mortaliter etiam in leuissimis: sin secus, neque venialis est culpa. contra religionem autem aut contra honestum nil faciendum pro vita redimenda est viro beato, melius est enim mori, quam beatitudinem amittere. Scimus enim nullum ens annihilari. Hoc autem in bello, & contentionibus palam est. ne enim vituperetur quis in minimis, quoniam vituperium est vitij index, vt honor virtutis, pugnat vsque ad mortem, & Equus præcipitauit se cum agnouisset, se matrem subagitasse. vnde concludit S. Thomas esse contra ius naturæ talem incestum. ergo & omne inhonestum, & vitiosum actum. Nam & Leo, & Elephas, ne inhonorentur, se patiuntur mori. S. Thomas sapienter docet eligendam esse pœnam inferni magis quam peccare venialiter. pœna enim non facit hominem malum, nec infælicem, sed culpa malum, ergo & infelicem.

Respondeo ad argumenta 1. Classis, facta pro Romanis.

AD primum Rom. Respondens nego, quod operatio virtutis aspiret ad gloriam mundi tanquam ad finem beatum. Beatitudo enim nostra in nobis est: facit enim nos bonos. gloria autem est in hominibus nos glorificantibus. quod autem in alio est, nostrum non est. Vir autem bonus etiam in nemore solus, & in nocte virtuosè operabitur; & si in tenebris micat, non fallet socium; & si Gigis anulum habet, quo inuisibilis fiat, itidem operabitur vt in omniū conspectu, sicut ait Plato, & Cicero. Quapropter S. Greg. distinguit duplicem gloriam, alteram conscientiæ, alteram in ore hominum. gloriam conscientiæ affectat sapiens, testimonium habens in se suæ virtutis: cæteri fatui gloriam ab aliis concupiscunt, quoniam ipsam non habent in se, vt qui caret propria pecunia, affectat alienam: ideo Apostolus Paulus, *gloria nostra, ait, est testimonium conscientiæ nostræ*. Sed S. Ber. nos illi fidere nec posse docet, sed in Deo reponere, qui est custos melior gloriæ nostræ. ideo Paulus ait, *Qui gloriatur in Domino glorietur*. & profectò si Deus est, & Angeli, melius est ab illis glorificari, quam a formicis: si non est, non facit nos bonos gloria ab aliis, sed potius infelices, & dolentes, quod non mercamur quod nobis tribuitur. Propt. Pythagoras ait. *Summus pudor ipse tibi sis*. Si enim bonus & celsus; pudebit te peccare coram te, sicuti coram Rege cacare, aut fornicari. Bonus enim est etiam Rex, Stoicis. Non indoctè Arist. ab eis accepit, quod honor requiritur vt testimonium virtutis. qui testis, si mentitur, nos infelices sumus. non ergo potest nos beare in nobis, sed in aliis deceptis.

Ad secundum. gloria conscientiæ præfertur cunctis rebus, non honor externus, nisi quatenus sit testis honoris interni. Nec pugnat sapiens vsque ad mortem pro honore externo, sed ne cogatur seipsum dehonorare intrinsecus, aut de se ipso mentiri. Si enim me vocas impium, ego non debeo dicere me impium, si non sum, alioquin pecco, & facio me infelicem. Pugnabo ergo non vt tu me voces pium, sed ne ego mentiar asserendo me impium. & hæc est Heroum pugna. At celsior animus non pugnabit, sed spernet, & docebit te, & orabit pro te, quoniam nescis quid dicis; sicut non pugnat contra ebrium, & inscium, aut contra Asinum calcitrantem, sed solum cauet. Qui autem pugnant pro gloria exteriori, sunt in se infælices, & quærunt in aliis fælicitari, & conseruari per bonam famam, sed hæc fælicitas est leuis, & ventosa, & extra nos.

Ad 3. nego quod sapiens virtuosus affectet imperiū pro gloria externa: sed pro interna. amat tamen externā, vt testimoniū internæ, & actionum virtuosarū; qua si caret, non dolet: nā & scelestis solet adesse gloria exterior: non autē si bonis. cupit tamē imperare, vt benefaciat aliis, faciatque homines bonos, & liberet à tyrannis, & vsuris, & ignorantia, & impietate. neque per vim id faciet, sed si velit: suadebitque eis

qua-

quacumque potest via, vt diximus in Reth. arma capiet, & subiiciet Reip. hostes, & bonos faciet, non autē seruos viles, sed quibus seruitus sit doctrina. Arist. ignoranter, & impiè hoc negat seruis, & barbaris, & rusticis beneficiū: vult enimvt seruiant solum nostræ beatitati, non vt ipsi beentur in 7. politicorum: quasi sintæquiuocè homines.

Ad quartum respondet S. Chrys. in quadam Hom. tom. 5. quod si homo non expetit gloriam à vermiculis: multo minus Deus à nobis: ipse enim beatissimus sibi sufficientissimus est. dicitur tamen à nobis velle glorificari, & laudari, non sui gratia, sed nostri, vt sic illi adhęreamus, qui est summū bonū, ac proinde boni, & fælices sic reddamur. Dicitur tamen omnia fecisse propter gloriam suam internam, quam habet à se in se. Ex consequenti tamen gloria externa succedit, non supplens eius indigentiam, sed rerum, quę ipso indigent, ideóque enarrant gloriam Dei: quoniam eius idæas in se ostentant, & diuitias, nobis occultas, quæ sunt in mente Dei. Promittitur autem nobis gloria æterna tanquam completiuum beatitudinis, quæ consistit in vnione nostra cum Bono æterno per opus virtutis. Vide 3. partem Metaph.

Resp. ad Arg. 2. Classis 1. Politic.

AD Politicos & Macchiauellistas dicimus, quod nisi prius credant Deum esse, & curam nostri gerere: & viros probos diligere, scelestosque bonos fieri velle: & remuneratorē esse: nequaquam possumus cum illis disputare. Propterea legant prius Metaph. nostram, aut librum contra Antichristianismum Macchiavellisticum; dehinc sanati nobiscum certabunt. quis enim cum amentibus disputabit? At pro nunc dicā, fælicitatem esse in nobis: bona verò exteriora non propter se requiri, sed nostri gratia: nos autē sumus corpus& animas: bona exteriora non propter se requiri, sed nostri gratia. Nos autē sumus corpus, & anima: bona externa corpori, & corpus animæ, seruire debent, alioquin Asinus ducet hominem, & super ipsum equitabit. Dominiū ergo, est gratia nostri: nec per se est bonum, nisi benè vtamur. Benè autem vtimur, si virtuose. Ergo, virtus nos facit fælices, & non dominium. Contingit autem tyrannos infælicissimos esse, vt patet de Nerone, Ezzelino, Liuerotto, Cesare Borgia, & alijs à Macchiauello laudatis: qui turpem, & acceleratam mortem, & dominii amissionem perpessi sunt, & odiis in vita, & vituperiis, & suspicionibus & timoribus (nihil enim non rimet Tyramnus) vexati sunt. Quapropter si dominator vult esse tyrannus, dominium est muscipula, & ruina illius. si bonus, est labor, & seruitus: in laborando autem, & seruiendo virtuose beatur. neque enim dominium accipiet, nisi, vt faciat homines bonos, & fælices. inuenietque in hoc laborem, & repugnantiam, & vitæ sepè perditionem, vt Moyses, Lygurgus, & Romulus, & Codrus, & alii. In his tamen dicam illos beari, sed non Macchiauellus. Item virtus acquirit, & seruat regnum. ipsa ergo est, in qua beamur, non regnum.

Resp. ad 1. Arg. Polit.

AD primum ergo respondeo quod existimat vulgus fælices Tyramnos, & principes: quoniam videt solum exteriora illius status, videlicet seruitia, purpurā, cibos lautos, musicam. At Philosophus, ad cuius iudicium ista referenda sunt, rimatur interiora, & reputat eos parietes dealbatos, aut pomum fulgidum exterius, interius autem vermibus plenum. Nam si timet Deum, continuò affligitur, si non bene regit: si benè, laborat continuò. Si autem Deum non timet, timet seditiones populorum, suspicatur neces, expulsionem sui, æmulorum regum introductionem, vituperia, & infamias ex malo regimine, & vexationem in negotiorum expeditionibus. si plus edit, quàm pauper, laborat podagra: si plus veneri seruit, similiter morbis, & infamia, & zelotypia, & suspitione. Quis melior Dauide, & Salomone, & tamen ille periculis cōtinuis, & laboribus, iste infamia, & superfluitatibus abundauit, itaut diceret tandem *vanitas vanitatum, omnia hominis bona.* Item dicit Plinius de Augusti infælicitatibus, quem hominem fælicissimum sęcula reputarunt. Dionysius Tyrannus idem confitetur Symonidi apud Xenofontem. & interrogatus cur Tyrannidi non renunciaret, respondit, quia timeō à multis, quibus malefeci siuè iure, siue iniuria. Item præter timorem, adest cupiditatis augmentum: non enim diuitię, & regnum sedant appetitum, sed augent, vt patet in Alexandro. qui autem plura cupit minus sufficiens est, minusque beatus. item ait Hor.

Qui cupit, aut metuit, iuuat illum sic domus, aut res,

Vt lippum picta tabula, fomenta podagram,
Auriculas cythara, collectâ sorde dolentes.

Nec Papa licet Sanctus, est fælix: quoniam vinculis Religionis, & dignitatis satisfaciendi pluribus est adstrictus. Nemo ista fecit, nisi sapiens, aut expertus.

Ad secundum concedo maiorem. At deficit minor. Immò Princeps indiget vassallis, pecunia, honore populi, voluntate bona, militibus fidis, tributis, & aliis, quæ inuicem pugnant. Sed ais, hęc omnia habent princeps. non, inquam à spontaneis: sed ab inuitis horum pleraque; hinc metus, dolorum suspicio. Item indiget sanitate, robore, amicis: qui etiam excitant æmulos illi alios ab amicitia quasi exclusos. vtque non contemnatur, abstinet à risu, & voluptate, & delitiis, vt solet Hispanus. Si autem his se totum dat, contemnitur, & indignus est principatu in corde suo, sibique infelix, & aliis. Si autem summa pollet virtute, tunc est beatus virtute, non regno: regnum tamen est instrumentum, quo exercetur, & declaratur virtus, & fælicitas; non autem est, quo quis beatur. Si autem est insipiens, tunc fit seruus fœminarum in delitiis, medicorum in sanitate, seductorum in Religione, & pseudo-Prophetarum, & consiliariorum suorum in negotiis: non ergo est Rex. Sed non parum prodest Regi insipienti, si scit vti sapientum consilio, vt Pharao Iosephi: sed tunc zelus Regni à sapiente forsan affectati, illum macerabit, & contemptus à populis colentibus magis Senecam, quam Neronem. Non enim oues venerantur Arietem specie similem, sed Pastorem superioris speciei. Benè inquit Salomon, *Seruus bonus est Dominus Domini sui.* At si surrepit suspicio, oportet occidere bonos, vt Nero dicebat, *quidquid excelsum est, cadat.* In hoc autem maior infælicitas: quoniam orbat se nobilitate regni, & consilio, & viribus, & amore populorum. Tandem cum bona regni non sint in Rege, sed extra, non potest ex illis beari, & bonus fieri, sed ex virtute.

Sed contra hoc quis arguat, Beatitudo Angelorum est in Deo, non in Angelo: sed quatenus vnitus Deo, beatur Angelus, quoniam in Deo sunt omnia bona: Sic Regis beatitudo potest in regno esse, quoniam omnia bona animi, & corporis, & fortunę in Regno continentur. Respondeo quod Deus est intrinsecus nobis in beatitudine plusquam nos nobis, est enim auctor nostri esse, & fęlicitatis. ideò habendo ipsum omnia bona habemus intra nos. sed habendo vassallos Philosophos, & medicos, & milites, non sumus quod ipsi: non enim internantur nobis, sed indigentia adhuc in nobis est. Præterea bona regni non faciunt Regem virtuosum, nec eleuant ad gradum naturæ superiorem, quo fruatur illis virtuose. Deus autem elenat hominem, & virtuosum adeò facit, vt possit virtuosè delectari. Quapropter valde differunt bona creata ab increato in nostri beatificatione.

Ad 3. concedo viros prauos omnia facere regnandi gratia, & inuenire veniam apud vulgus. At apud probos quantò maius malum est regnum occupare, quam vnum carlinum, tanto magis vituperabilis est iniustus regni occupator, quam latrũculus, neque ex eo vlla beatitudo nisi ad vulgi oculos. in his enim nihil boni esse potest. Macchiauellus, qui solam apparentem fælicitatem agnoscit, laudat scelera, non secus ac virtutes. Nos autem ostendemus virtutes esse secundum naturam, vitia contra naturam: & infælices vitiosos. Vide cap. vlt. lib. contra Atheos. vbi contra Admiratorem Machiauelli, Euripides vulgariter loquebatur. Principes, qui religionem violant, & ius, & fœdus, sunt omnium infælicissimi: quoniam damnati coram Deo, vituperabiles coram hominibus: anxij, & dolentes in sua conscientia. culpa magna, qualis Tyramnis, & si tutum facit aliquando, nunquam tamen securum. Animus culpa plenus semet timet: sicut fuliginosus spiritus semper est pauidus, interna fuligine infestatus, & tristis. Agis, Cleonymus, & aliqui sapientes, vt prodessent affectarunt dominatum aliquando. sed iustitiæ prędicatio, & pro illa mortem subire longè magis prodest generi humano. Apostoli fregerunt Tyramnides mundi; non autem armati Reges. Nemo enim in Christianismo profitetur palam tyrannidem; sed fraude vituperosa aliqui vtuntur.

Ad 4. Nego Principes fœlices, & bonos regni gratia violare religionem. Nego prophetas affectasse Regnum, aut Apostolos, vt docet Macchiauellus, qui omnes ho-

mines idem affectare, vt summum bonum putat, quod ipse cupiebat, & suspiciebat. Nego Hispanos palam regni gratia nouum orbem occupare, sed vt faciant homines bonos, & vindicent ius naturæ. Si secus est, sunt infælices, & damnati. Nego Henticum Quartum abiurasse Caluinismum regni gratia principaliter, sed tantum occasionaliter, assero; vt eius probitas deinde ostendit. De Macometto, & Pseudo-prophetis, concedo. sed quomodo id agnoscendum, vide examen in lib. nostro de recognitione veræ Religionis.

Ad 5. nego Deum habere dominium tanquam summum bonum. ipse enim sibi est summum bonum. dominium autem est extensio boni eius ad nos; nec quia indigeret dominio fecit mundum, sed quia bonus est, voluit, vt sint, quæ poterant esse: de hoc vide Metap. *Regnum autem Cælorum, intra vos est*: Et Apostolus, *NON EST ESCA ET POTVS, SED GAVDIVM ET PAX IN SPIRITV SANCTO.* Quapropter ex interiori regno resultat exterius secundariò. Si autem Macchiauelista velit interius Regnum prius possidere, concedam illi exterius pro vmbra interioris fælicitatis: ideò dixi in Politica, *NEMO DIGNVS ALIOS REGERE, QVI PRIVS SE IPSVM NON REGIT OPTIME.*

Ad 6. duplicem dico iustitiam, aliam natutalem, quam non facit dominatio, sed Deus; aliam legalem & hanc rectam, dum ab illa manat, obliquam, dum deflectit. omnis ergo iustitia à Deo per naturam, vel per positam legem rectam: cæteræ non sunt iustitiæ, sed nequitiæ. De quibus infra. Obedire nequitiæ vitium est, non virtus. est vmbra Dei Rex virtuosus, est Diaboli Rex vitiosus. Nota quod ius gentium detiuatur à iure naturali per modum conclusionis. ius positiuum ab eodem per modum determinationis, ius naturæ à diuina æterna lege. & quæ ab illa non sunt, tyrannicæ, & sophisticæ sunt. Omne malum est puniendum, dicit Natura, ergo est latro puniendus, concludit ius gentium. sed quod puniatur verbere vel pecunia, est determinatio iuris positiui, ad Reip. huius & hoc tempore commoditatem.

AD ARGVMENTVM 3. CLAS.

AD eos qui opinantur in diuitiis summum bonum reponi, forte non esset respondendum. stulti enim sunt non secus ac qui putaret scriptorem esse qui habet pennam, & chartam, & atramentum, non autem qui scribere scit, ita dicunt isti. fælicem qui habet diuitias, non qui scit vti, & acquirere. Scientia autem virtus est: ergo si quid boni in diuitiis, à virtute est. da diuitem stultum, & ægrotum, & tunc dicet, melius esse sanitatem, quam diuitias. & quidem bona corporis præponderant bonis externis, multò magis virtus. diuitiæ sunt propter aliud, nec bonis sufficiunt, nec sunt in bonis, sed in ludo fortunæ. Nihil ergo habent, quo boni simus, sed quo bonitate vti possimus, aut malitia, prout lubet: sunt occasio potius ignorantiæ, pigritiæ, anxietatis, insilentiæ, imbecillitatis, & totius infælicitatis. Fælicior Fabritius pauper, quam Crassus diues.

Ad 1. Argumentum concedo, quod regno, & exterioribus negotiis prosunt diuitiæ; non tamen illæ prosunt, nisi à virtute tractentur. virtus ergo facit eas bonas, & vtiles. non ergo datur bonum nobis, quod à virtute non fit. sed tamen pauper beatior esse potest, vt S. Franciscus: aliquando etiam Diues, vt S. Lodouicus Rex.

Ad 2. Concedo, quod regno prosint, non autem quod regnum sit summum bonum; neque quòd prosint sine virtute. Nec virtuosum velle pręesse, nisi vt prosit; & hic pauperibus, itaut diuitibus pręsidebit libenter. Quod si multi potius diuitibus, illi non habent in se bonitatem, quandoquidem à diuitiis eam venantur.

Ad 3. Boni homines fugiunt vitium, non diuitias, neque paupetiem, eliguntque semper quod prodest magis. Vnde alii pauperiem vt Apostoli, & Monachi, & Philosophi: alii diuitias, vt Patriarchę: alii mediocritatem optant, vt Salomon, & Theognis, ne ab extremis in vitia impellantur. vir bonus scit abundare, & penuriam pati: & iste solus fælix. Arist. autem molliculus fundat in diuitiis fælicitatem, quam fundarat in sapientia. si enim fælix prætet virtutem homo, prius illam quam ditari aggredietur. An non potest ad illam peruenire, nisi qui prius ditatus? ergo nè infælix Socrates, & Diogenes, & Petrus, & Paulus, & Fabritius, & Serranus, qui prælegerunt

philosophari in paupertate? etiam diuitias acquirendo acquiritur virtus, vel perficitur, vt solertia, vigilantia, tolerantia, &c.

Ad 4. verè loquitur Boechus: sed aggregatio omnium bonorum à sola virtute fieri potest: quæ à vitio bona non sunt, nisi per virtutem mox dispensentur, vt docemur de iniquo Mammana. Diuitiis nec paret philosophus, nec virtus, nec Religio, vt dicit Horat. Sed vitiosus homo illis paret; qui videtur Religiosus, & virtuosus, & non est. Virtuosus enim illis imperat. dixit & Salomon *pecuniæ obediunt omnia*; sed intelligitur vitiosa, & sæcularia. Falsi etiam Religiosi pro pecunia prædicant, & à *Propheta vsque ad sacerdotem omnes student auaritia*, dixit Ieremias; ex quo agnoscimus solam auaritiã seruire pecuniæ. Horatius verò loquitur ex vulgi sententia: & per accidens: accidit enim auaro esse Religiosum, & grammaticum, &c. Ideoque videntur diuina, & humana pecuniis obedire, cum non nisi auaritia eis obediat, & homo quatenus auarus: sunt diuitiæ instrumenta bonorum exteriorum, quibus corporalis vita se tuetur. sed tamen non beant, nisi virtute tractentur, neque corpus seruant, sed morbificant sine virtute. De his satis.

Resp. ad 4. opin quæ est Epicur. Nunc ad Epicureos, & alios ponentes in voluptate summum bonum, dicamus, voluptatem esse amorem coniunctum amatæ rei. Dicitur enim Amor quatenus tendit ad obiectum, vel sibi complacet de obiecto: dicitur voluptas idem Amor quando fruitur obiecto. Dicitur desiderium quando absens est id quod amamus, & tendimus ad illud: & si addas posse adipisci, ille Amor fit spes. Omne autem ens essentiatur ex posse esse, ex sapientia sui esse, & ex amore sui esse. Est enim quoniam potest esse, scit esse, & amat esse. Sique desinit se amare, aut scire, aut posse, desinit esse, vt in Metaph. demonstrauimus. In Physiologia autem dixi voluptatem esse sensum pręsentis boni, & dolorem præsentis mali. Non formaliter nunc illud intelligo, sed effectiuè. ex sensu namque boni oritur voluptas, ex sensu mali præsentis, dolor: & quia esse est optimum vnicuique proprium; palam est, quod non potest voluptas esse mala sicuti neque amor, neque potestas, neque sapientia. sunt enim primalitates constituentes omne ens. sunt tamen mala sicut ens respectiue non simpliciter: vt esse ignis est malum frigori: & serpentis homini: simpliciter autem omnis voluptas est bona, quia omnis amor bonus. Contingit tamen amorem esse malum per accidens: vt cum ex inopia, & ignorantia nascitur. Non enim quia amat seipsum aliquid, est malum: habet enim se, & complacet sibi de se. & sic vnicuique bonum est esse suum, & amor sui secundum naturam. at in amando alia extra se, peccat, & hic amor est filius inopię apud Platonem. non enim illud habes. & dum anteponitur minus bonum maiori bono, aut amatur illud in quo est plus mali quam boni: vel ex quo sequitur plus mali, quam præit boni, & in hoc est ignorantia, & error. Vitium ergo, facit videri voluptatem malam, quæ tamen per se erat bona. & vbicumque est, bona est, in coitu est sensus conseruationis in specie: in cibo est voluptas sensus boni conseruantis in indiuiduo. & in omni bono est voluptas, quoniam sequitur ad illius sensum, & perceptionem. At ex cibo noxio, & ex adulterio licet voluptas capiatur, tamen multa mala subsequuntur maiora quam ipsa fuit voluptas. Hinc est quod voluptas dãnatur. Quæ tamen de se non est damnabilis. Quapropter errat Arist. dum alias voluptates facit malas ex obiecto malo, alias bonas ex operatione bona in 10. Eth. easque specie separat imperite, sicuti si quis putaret pecuniam fœneratoris esse malam, & magnifici bonam, specieque distinctam. contingit tamen eãdem esse pecuniam. sic voluptas mariti cum eius vxore esset bona, adulteri cum eadem, mala: quod tamen falsum est. vtraque enim bona: nec specie differunt, nisi per accidens. sola ergo differentia est in vsu, & abusu, qui ex virtute, & visio suboriuntur. omnis ergo voluptas per se bona: per accidens mala, & quatenus coniuncta rebus prohibitis, & noxiis. Alius error Arist. hinc patebit quod putat voluptatem esse operis perfectionem resultantem sicut ex iuuentute pulchritudinem. Quod quidem falsum est: non enim sequitur ad operationem vllam, sed ad solam boni perceptionem. Delectatio autem, qui operationem perficit præcedit illam: quatenus præcognoscimus bonum, quod per operationem adipisci nos putamus. delectatur agricola seminando, quatenus

tenus præcognoscit bonum ex sperato fructu. rursus in fructu delectatur tanquam percipiens re bonum, quod spe præconceperat. ergo, voluptas præcedit, & subsequitur, pro vt præconcipimus, aut accipimus bonum. Vnde, & in quiete voluptas. Rectè Arist. condemnat Platonem, quod motum, aut repletionem vocarit voluptatem: sed enim in adimpletione delectamur, non quia replemur, sed quia bonum sentimus ex illa repletione, qu seruamur, & amissum instauramus. Vnde repletis cessat voluptas, quoniam cessat perceptio boni. incipit enim cibus multus esse nociuus malusque. At falsò ipse subsequi solum putat, cum præcedat etiam: falsoque esse perfectionem operationis docet, cum sit adepti boni fruitio in ipsa: pulchritudo autem sequitur iuuentutem, vt apparentia boni idest vigoris, & valetudinis. voluptas autem vt perceptio boni: ideò pulcra amamus, voluptuosis fruimur. pulchrum dicitur bonum à longè: cùm autem coniungitur nobis in ratione boni, dicitur iucundum, & voluptuosum, non amplius pulchrum: vide de hoc Metap. Arist. iners in his videtur. Dico ergo voluptatem omnis boni sensum esse: optimi autem maximam esse voluptatem, & in Deo nos beari Potentia, Sapientia & Amore, repletis, & completis, vt in Metap. Multas autem voluptates esse fugiendas, quatenus mistas malis in nostro sęculo. Cum autem mala separata fuerint à nobis, non amplius errabimus: nec vllam voluptatem sequetur malum, & dolor, aut infamia. est ergo incentiuum ad beatitudinem voluptas, ait S. Amb. in prologo super Psal. Diabolis facit etiam calcar peccati in tanta rerum mistura.

AD ARGVMENTA.

AD primum Argumentum Eudoxi resp. Plato, non quod omnia appetunt, sed quod optimi: sed ista responsio reprehẽditur ab Arist. quoniam non potest non esse bonum, quod vniuersaliter appetitur: neq; si à solis prauis: nam quatenus est illis bonum. Et quidem Platonici rectè negant solam voluptatẽ summum esse bonum, sed non quod non sit aliquid bonum. Ego autem assero esse primalitatem, & optimum. at quoniam triplici essentiamur primalitate, dico cum potentia, & sapiẽtia esse optimũ: non autem cum inopia, & ignorantia. & per accidens fieri malum, non per se: nec tamen esse summum bonum, sed de integritate summi boni, vt AMOR. & ideò ab omnibus appeti. Palam est etiam quod nullam rem appetimus nisi per id, quod habemus de illa in notitia coniunctum, quod nos trahit ad eius amorem, quoniam benè nos afficit, & lætificat: ergo voluptas, vt præueniens est causa omnis appetitus: vt subsequens est eiusdem quietatio. Appetimus & amaram medicinam, non quatenus amara, sed quatenus voluptuosa ex hoc, quod voluptuosam sanitatem illi inesse pręconcipimus. præconceptio autem est vnio præcogniti cum præcognoscente. Hæc autem vnio statim parturit voluptatem. Multi autem res voluptuosas non appetunt, non quatenus voluptuosæ, sed quatenus aliquando futuræ dolorificę, vel impeditiuæ voluptatis summæ, quam à Deo speramus. Prophereaque dolorificus infernus caret voluptate: quoniam caret præconceptione boni, ex illis malis affuturi.

Ad secundum concedit Arist. quod voluptas propter se ipsam expetitur in 10. Eth. At mox probat, non esse summum bonum neque omne bonum. Tum quia adulatoris voluptas mala: amici obiurgatio bona. tum quia nemo eligeret puer esse semper vt puerilibus gaudeat iucunditatibus, tum quia plurima sunt eligibilia per se etiam sine voluptate, vt recordari, videre, sapientem esse. Sed fallitur Arist. Non enim adulatoris voluptas per se est fugienda, sed quatenus mista dolo, & mendacio: sicut nec esca pisci, sed hamus, sub esca latens. pueriles autem delectationes non eligimus, quoniam iam nouimus alias potiores in obiectis melioribus. similiter nego eligibilem esse scientiam, & memoriam, nisi quatenus sunt bona. quatenus autem bona, sunt iucunda, vel iucunditatis effectiua semper. Potentia enim & Sapientia, & Amor, & quidquid horum appendix est, per se eligitur, quoniam esse dat, vel conseruat, aut constituit. Fateor, fugiendas esse plurimas voluptates, sed non per se, sed ratione adiuncti. Vnde Caiet. super 2.2. non agnoscit in incestu voluptatem malam, sed iniustitiam. illam vero bonam. sic & scientia esset mala, quia nocet stomacho: sed & hoc per accidens. Sciendum tamen voluptatem sui gratia expeti: dico voluptatem sum-

mam. At quæ præcedit in obiecto, non propter se expeti, nec propter se à natura datam, sed tanquam incentiuum ad finem, vt voluptas in cibo est stimulus vel suasio ad edendum, vt viuamus. absque illa enim nec cibum cuperemus, nec cupitũ manducaremus secundum naturam. Nunc autem prudentia & Ars ægrotos cogit manducare. similiter voluptas venerea data est, vti cogeret nos ad speciei conseruationem: non ergo propter se expetitur: sed de vase summi boni, propter se expetiti, destillat in cunctis actionibus vtilibus, & honestis. Neque enim datur aliquod bonum in mundo voluptuosum tantum: sed omnia sunt vtilia ad finem: condiuntur tamen voluptate, vt labor non terreat nos, & trahamur ad opus à natura destinatum. Voluptas autem quæ subsequitur est per se à natura intenta magis: quoniam quietat in opere iam perfecto, nobis proficuo, & vitali. sed tamen nulla perfectè quietabit, nisi suprema, ad quam per has medias trahimur. Quis enim quiescit in voluptate, quæ sequitur manducationem, aut prolificationem, aut ædificationem, aut cytharizationẽ, nisi secundũ quid? formaliter autem nullibi. possumus ergo quærere quare in cibo est posita delectatio: sed non cur volumus delectari. hoc enim sensus summi boni facit, sparsus in secundis bonis: in quibus qui ponit finem, ponit in via patriam, & in seminatione manducationem: & in odore vini putat esse totam vini fruitionem; & in odore beluæ canis putaret esse prædam beluæ.

Omnem tamen voluptatem dico esse vitæ gratia. Et Arist. hoc quæsiuit & non resoluit, vtrum quæramus voluptatem propter vitam, an vitam propter voluptatem. sed ait, hoc dimittatur in præsenti: At inquam, dimittendum non erat, cum in tali quæstione consistat cognitio summi boni, & cum ipse addat non posse operationem esse absque voluptate, quæ ipsam perficit: & vita sit operatio: & propterea appeti probat voluptatem ab omnibus; quoniam appetitur vita; vtique docendi eramus, vtrum appetibilior illa, vel ista: quoniam verò hæc quæstio difficilis est, effugit ipsam, vti solet; nos aut in sequenti art.

Ad tertium concedit Plato dolorem fugiendum tanquam malum: non tamen propterea voluptatem sequendum tanquam bonum: nam & malum malo contingit contrariari. Arist. hanc responsionem damnat. Nam si voluptas repugnaret dolori tanquam malum, semper & ipsa esset fugienda, sicuti & dolor. nunc autem ab omnibus appetitur: ergo bona sit vt ille malum. Equidem dicerem, per se dolorem semper malum, voluptatem semper bonam: per accidens verò bonum illum, & istam malam. dolor enim ex labore, & medicina, & studio, bonus est, quatenus mistus bono præsenti, vel futuro nobis ex ea re, cui mistus est dolor. Omnis autem res fit bona nobis, aut mala, ex bono vel malo vsu, qui ex virtute, vel vitio promanat. vnde reuertimur ad Stoicos, & quidem in via est sic: in fine autem omne bonum cum voluptate sola: omneque malum cum dolore tantum.

Ad quartum concedo omnis boni perceptionem subsequi voluptatem: & præire tanquam calcar. & Deum summum bonum summam esse voluptatem. Qui sicut dat esse, dat complacentiam esse dati: ideo omne ens amat, & gaudet suo esse, & rebus cæteris, quoniam ipsum cõseruant. & quia ab aliis alia conseruantur: ideò alia aliis iucunda sunt, non omnia. ex quo palam est voluptatem puram esse per se bonam. Mistam verò aliis bonam, aliis malam. Omniumque bonorum esse saporem: sed vt sint bona vtiliter, fieri à virtute: finaliter, à voluptate. Plato tamen huic rationi obuiabat, dicens, quod voluptas mista prudentiæ melior est, & eligibilior, vt dicitur in Philebo. Qui enim vtitur voluptate imprudenter, incidit in multa mala: si ergo non est bona nisi cum ratione. ergo non est summum bonum. id enim ita per se bonum est: nam quodlibet bonum si aliquid ei addatur, est eligibilius quam prius: bonum ergo cuius participes sumus, & quod hic inquirimus, nullum erit. sed errat Arist. Nam summum bonum simpliciter est illud, cui nihil addi potest, quod eius participatione non sit bonum, ergo est eligibile tam cum alio quam per se. & hic est Deus Benedictus. & Sanctus Thomas hoc intellexit. Durandus verò putat aliquid melius esse Deum cum Mundo simul, quam solum sine Mundo. Ego id asserere non possum: cum mundus sit à Deo, & in Deo, nec habeat aliquid quod non sit à Deo. imò S. Thom.

rite probat quod omne ens simul, & quodlibet singillatim etiam insensatum, magis amant Deum quam seipsa amore naturali: qui non potest errare: amat enim magis bonum vniuersale & totum quam seipsum & partem. non autem electiuo similiter: quo contingit errare: & amare minus, bonum maius, quam minus. De hoc vide Metaph. Ratio Arist. & Durandi valet solum de bonis finitis, & participantibus, non de infinito, & per essentiam Bono bonorum. Dicam ergo voluptatem non esse aliquod Bonum subsistens, vt homo, aut equus, aut inexistens vt albedo, & linea; sed ad aliorũ bonorum perceptionem præire, ac subsequi, tanquam accidens ex amore essentiali cuiuslibet entis: sicut notitia aliorum ex notitia sui ab aliis effecti, sic amor aliorum ex amore sui, omni inest enti, voluptas autem amor est in suo fine, aliquo modo habito, vel præhabito. Omne quidem ens quantum habet de esse tantum habet & de potẽtia essendi. & quantum de vero, tantum & de sapore essendi. & quantum de bono, tantum & de amore essendi. & quoniam sunt participia isthæc in rebus finitis, amant Toticipia magis secundum naturam. Deus enim omnia ad se conuertit, ait Diony. ex quo D. Thomas.

Ad 5. bene concludit voluptatem esse cum summo bono simpliciter, & propria cum omni bono. At quia omne bonum per accidens fit nobis malum ex abusu: ideo omnis voluptas præter supremam finalẽ, potest esse nobis mala. Quę autem ex virtute fit non potest esse mala, sed solum deficiens à summo. virtus enim via est ad summum bonum: via autem à fine suo non discordat: deuiatio discordat, & in hoc est malum. Via verò non est finis, sed ad finem: ideò non est optimum, sed bonum. Concludit etiam ratio, quod bonum nobis nullum est, nisi fruamur eo: & in omnis boni fruitione esse voluptatem aliquam, etiam in dolorifico, quatenus est Medicina, & via, vel dispositio, vel remouens prohibens. Neque nos bonum adeptos ante fruitionem, & iucunditatem. ergo in via voluptatem esse condimentum: in fine complementum.

Ad 6. concedo beatitudinem compleri in voluptate: quæ tamen est ex vitæ fonte, vnde sequitur Dauid: *Quoniam apud te est fons vitæ, & ex visione: vnde & ait. & in lumine tuo videbimus lumen.* esse enim, posse, & sapere, & amare integrant beatitatem. Vide Metaph. & art. 2. & cum ait Salomon. *vidi nihil melius esse quam lætari & manducare, & bibere, & gaudere cum vxore sua. hæc enim pars nostra*: intelligitur de bonis iucundis, & in præsenti vita: ideò ait: *Sub sole*: non autem de cunctis bonis: cum virtus sit melior. vel loquebatur ex persona dubitantis, & inquirentis, vt in libro illo solet.

Ad 7. bene concludit Paradisum esse cum summa voluptate spirituali: quæ nobis ex voluptate carnali innotescit: errauit Cherintus, & Macometus id non aduertens. Paradisus terrestris erat plenus omni voluptate honesta. quoniam nullus fuisset rerũ abusus, sed tantum vsus ex virtute. & carnaliter, & spiritualiter sic erat. In futuro autem sæculo longè spiritualius, vnde in corpus omnis redundabit voluptas, non veneris & Bacchi, quibus immortalitas non indiget, sed altioris conditionis, & suauioris, quam possit homo in hac vita imaginari.

Ad 8. benè Scotus posuit in fruitione voluptatem, sed perperam in voluntate principaliter. neque enim potentia, neque sapientia, neque voluntas, quæ est Amor essentialis, aliquid plus habent seorsum, aut principalius. & hoc Plato in Philibo ex parte videtur concludere. Nos autem in 3. parte Metaph.

Hic nota quod Diodorus & Hier. Philosophi videntes aliquas voluptates esse prauas, dixerunt summum bonum esse doloribus carere. sed cum carentia doloris sæpè sit praua, vt si quod eligat in bello fugere, quam vulnerari, manifestum est, quod idem iudicium de vtroque.

Ad Arist. primo dicemus: nullum esse bonum iucundum seorsum ab vtili, & honesto. voluptas enim est sensus boni, siue vtilis, siue honesti. voluptas in venere est sensus vtilis operationis, qua seruamur in specie. In Sodomia turpissima, est voluptas sensus vtilis ad conseruationem. Etenim est sensus seminationis. sit tamen inutilis quia in vase contrario ad naturæ intentionem. Quapropter & situ abuteris seminatione, & manducatione, & aliis actibus vtilibus, non tamen natura deest muneri suo,

tibi imputatur culpa, qui dees tibi: nec malum morale tollit omninò naturalia bona. In ludo voluptas est sensus vtilis, quia dilatatur spiritus, seruaturque. si tu mensuram excedis, transis ad inutile. Nulla ergo actio, aut res inutilis secundū naturā, præsertim in qua natura ponit voluptatem. Nos autem per abusum reddimus illas inutiles. Rursus vtile bonum non videtur id, quod alterius gratia, honestum verò quod sui gratia quæritur. Nam & voluptas propter se experitur, nec dicitur honesta illis. Item virtus propter summum bonum & tamen honesta est. Dicitur & pietas vtilis ad omnia apud Apost. ex quo videtur S. Ambr. rectè dixisse idem esse bonis, vtile & honestum, in primo de Offic. c. 9. sed ais: pecunia & genitale membrum, sunt vtilia, non tamen honesta. Equidem dicerem neque vtilia esse, neque noxia, sed ex bono vsu, & abusu fieri vtilia, & inutilia. In bono autem vsu etiam honestantur. Vnde viliora nostri corporis abundantiori circumdamus honore, dixit Apostolus. & idem vas in coquina est inhonestum, in sacrificio honestum. Sammonitus Rex fecit calcari ab introeuntibus in templum lapidem Smaragdum grandem. & dixit; ecce quam inhonestum, ex quo fecit idolum in altari: ecce idem quam honestum. Artes viles, vt coquinaria, & cloacaria sunt vtiles, & quidem in bono vsu etiam honestæ. quidquid Arist. dicat. si enim inhonestas dices; dices, & vitiosas, & malas, ergo, ne Deus malam fecit vetpam, & membra, quæ putamus turpia: an nos potius ex eorum abusu fecimus videri mala? Honestum est quidem purgari, & ars purgandi noxia. Dicam ego vtilia esse bona, quibus benè vtimur à longe ad corporis salutem. honesta quę proprius attingunt beatitudinem, vt virtutes quarum operatio & effectus vtilis dicitur. Nam virtus est, qua vtimur externis, & internis, non autem est id, quo vtimur in nobis, sed in aliis, vt virtute serui, & amici, externa nobis per naturam internam. Quidquid autem ad æternam proficit vitam etiam honestum dicitur, quamuis Arist. videatur vilissimum, ergo dolores, & vermes, & sterquilinium ideo ei, honesta sunt, & paupertas S. Francisci honesta, quæ Virgilio dicitur turpis quando scilicet inuoluntaria.

Ad id quod Arist. dicit voluptatem non esse bonum hominis, quoniam & bestiarum, dico voluptatem humanam homini, & bestialem bestiis. Immò bonum est, quod appetunt omnia, ergo, & bestiæ, vt dicemus in sequenti Art. summo enim bono omnia communicant. & de fonte eius habent vt sint bona, & voluptuosa.

Rationes, quibus probat non esse summum bonum in virtute, sunt friuolæ. Nam nec dormiens operatur. Si autem somnus tollit operationem, & non virtutem; fęlicitas potius est in virtute vt volunt Stoici, quam in operatione, vt ipse vult: operatio autem ostensio est fælicitatis. Item cum dicunt operationem meliorem esse operāte forma, falluntur: quandoquidem est entitas, longè deficiens à virtute. sic etiam diceret melius esse motum solis, quam sol, & calefactio quam ignis: & accidens substantia. Vide quod diximus in Metaph. contra Arist. in hoc. Respectu nostri operatio artificialium & instrumentorum, est melior quam operans: non autem sibi & naturæ.

Ad 2. potius ridiculus quam Philosophus videtur, qui putat infælicem fieri virtuosum à paupertate, & iactura. sed quidem hæc ratio valet etiam contra ipsum Arist. ponentem fælicitatem in operatione, quæ insufficiens est illi sine bonis externis.

Quæ subiungit contra honorem, & diuitias rectè se habent. Quæ vero contra summum Bonum Platonis, impia sunt, & Logicalia. certum est enim vnum esse summum bonum, quo omnia bona participant, & idem esse summū ens. Vtrum autem sit idæa aliorum bonorum, nihil ad hunc locum. Vide Metaph. Nec omnis idæa est vniuoca fortasse Plat. vt Arist. imponit: sufficit enim quod ipsam imitentur entia analogicè, & sic euacuantur omnia argumenta Arist. & quidem de Primalitatibus sic dicendum. Quod autem putat idæam non esse altioris gradus, ignoranter aut malitiosè dicitur. Quis enim ignorat idæā huius literæ A. esse omniū causam eius m. caracterū, & altioris gradus, quia intellectualis, & incorruptibilis; litteras verò A. in Carta materiales, & corruptibiles, & non per se, sed participatione idææ scriptoris esse quod sunt? Quod verò ait illam summi boni idæam non conferre nobis aliquid, peruersè dicitur, vnde August. in 83. qu. docet tantum esse vim idæarum vt sine illis sciri ac fieri possit nihil.

Nam, & rebus dat bonitatem, & nobis bonitatem & exemplum operandi, licet non ſemper immediatum: ſicuti ipſa operatur in rerum productione. Ars enim naturam imitatur. Itemque eſt à nobis acquiſibilis per virtutes. Vnde S Amb. ait, hominem eſſe creatum, vt ſummum bonum intelligeret, intelligēdo amaret, & amando poſſideret, & poſſidendo frueretur. Immò Auer. putat nobis copulari poſſe Deum, quem vocat intellectum, per acquiſitam ſcientiam. Nam intellectum illum aliquando dicit eſſe Deum, ſicuti & Alexander interdum. Nos autem potius, & facilius amore quam ſciētia poſſe illi vniri credimus, quod ſancti viri experiuntur, & docent. ſed de hoc in Metap. p.3. lib. 3. per totum.

Opinio tandem Ariſt. de ſummo bono puerilis, & mollis videtur. Rectè quidē aſſumit optimo fœlicitatem eſſe finem, & optimum, cuius gratia omnia facimus, & perfectum, & nullius indigum. Hæc enim ex Philebo exſcripſit. At cum ait, vniuſcuiuſque finem eſſe operationem, probè mentitur: operatio enim non ſui gratia, ſed vitæ tuendę, eſt. Nam vel loquitur de operatione perenni, quam ipſe non intellexit, vt motus caloris, & quies terræ ſunt operationes: & ſic palam eſt, quod talis operatio intrinſeca eſt, ſequens ad vitale eſſe: & eius gratia fieri. vel de operatione tranſeunte, quæ interit, & reficitur: nam de talibus exemplificat, & operationem propriiſſimam fœlicis non ſemper ineſſe docet: intranea enim ſemper eſt: & tunc planum eſt, operationes tales quæ finiuntur non eſſe gratia ſui, ſed gratia operati; operatum autem eſt propter vitam operantis. Quapropter quaſi nihil habet de fœlicitate operatio Ariſt. Acquiſito enim fine, ceſſat actio, quæ gratia finis erat. hoc docet Ariſt. & Auer. ergo omnes operationes terminabiles, propter ſe non requiruntur, ſed propter aliud: ergo illud aliud erit finis. exempla eiuſdem idem probat. Non enim ædificatoris finis, eſt ædificatio, ſed domus ædificata, vt habitetur. neque cytharedi cytharizatio, ſed voluptas, quæ per illam fit in auditu, aut aliquid eius modi: interdum & pecunia: eius enim gratia canunt: pecunia autem propter vitam eſt. Quapropter vita erat verè vltimus finis: eiuſque conſeruatio eſt ſummum bonum, vt mox docebimus. idem dico de coitu, & de viſu: non enim videmus propter videre, ſed propter ſcire bona, malaque obiecta, & illa ſequi tanquam cōſeruatiua, iſta verò declinare, vt deſtructiua. Aliquando ſolius voluptatis cauſa. voluptas enim ſenſus eſt conſeruationis: exhilaratioq; conſeruat. At poſito, quod exempla eius ſunt vera, nihil concludunt: non enim ſumuntur, niſi ab inſtrumentis & artibus: inſtrumenta & artes ſunt propter operationem: vt ſerra propter ſecare: coriaria propter calceorum ſuturam. At homo non eſt inſtrumentum, ſed principalis in ſua fœlicitate, & propter ſe: omniaque eius opera propter ſui conſeruationem. Quapropter imperitè Ariſt. ponit fœlicitatem in operatione: cum hæc ſemper alterius ſit gratia: & ipſa propter hominem, non homo propter ipſam: contingit tamen ſeruo homini operari non propter ſe, ſed propter alterum hominem. At hoc non inerit ſeruo quatenus homo; ſed quatenus eſt inſtrumētum hominis: quatenus enim homo obedit, vt viuat ipſe, & non propter Dominum. Contemplatio tandem quæ videtur Ariſt. optima operatio, ac fœlicitas; nequaquam gratia contemplationis eſt, ſed gratia Eſſe contemplatoris: quando eius finis non eſt opus: Attamen videtur operationis gratia eſſe: ideò enim contemplamur, vt ſciamus; ſcientia autem eſt obiectorum bonorum, & noxiorum, quæ ſequamur, aut vitemus. in ſequela autē, & fuga eſt operatio practica. Quapropter contemplatio eſt gratia practicæ operationis. Hoc Scotus approbat: & Philoſophi multi. ſi autem obiectum contēplationis eſt optimum, tunc contemplatio eſt gratia vnionis illius optimi cum contemplante anima: ſic enim *qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt*: contemplamur quoque vt amemus; amamus, vt fruamur, ſicut dixit S. Ambr. ipſum autē ſcire per ſe non beat: neque enim quia ſcio bona, gaudeo illis, ſed quia fruor, eſt ergo contemplatio propter boni conſentionem, & mali vitationem, non propter ſe vnquam: & Origenes ſuper Luc. idem ſentit. S. Thom. autem vult contemplationem eſſe boni adeptionem: & propterea in ea principaliter conſiſtere beatitudinem. fruitionem verò ſubſequi neceſſariò, & ideò ea ſecundariò. ego autem potius dicerem completiuè, & finaliter. At Ariſt. qui cōtemplationem Dei non admittit contra Platonem, ſed in pura operatione ponit fœlicita-

tem: & hæc operatio est circa obiecta non potentia beare: perperam in ipsa locat beatitatem: quoniam illa obiecta non vt sciamus, sed vt conseruemur, sciuntur: vnde cessat cõtemplatio tanquam non sui gratia fit. voluptuosa autem est omnis scientia, quatenus facit nos expertos, aptosque conseruationi. Item nemo fęlix, nisi philosophus esset: philosophi autem in Mundo vix decem reperiuntur in annis mille. cæteri enim decepti, vel deceptores, sophistæ sunt. Auer. autem vnum solum saltem reperiri beatum semper in mundo putat, qui per scientias continuatur agenti intellectui. At ille cum non possit beari absque bonis exterioribus, & hęc nulli plenè adsint, nullus erit vnquam beatus. Arist. autem ita docet, vt vel solus credatur beatus.

Rationes quibus prefert contemplationem actioni, nullæ sunt. Non enim optimum hominis est contemplatio, sed Esse, cuius gratia illa fit. nec intellectus Scoto, sed voluntas. Nec continuari potest cum sit laboriosa, impediat digestionem, faciat corpus valetudinarium, &c. nec delectabilior cum percipiat intentionaliter Peripateticis obiectum: delectabilior autem operatio, quæ realiter percipit bonum, sicut melior est panis manducatio, quam consideratio. Nec sibi sufficit etiam Arist. testimonio, immo pluribus indiget philosophus, quam diues. Nec propter se diligitur. sed propter fruitionem. Nec quia est vacatio. sic enim melius esset dormire quam vigilare. nec quia diuinior. diuinius enim est frui, quam scire fruibile. Nec quia secundum maximè proprium. nam voluntas libera est magis propria homini, quam intellectus, vel eque. & quidem in patria habet veritatem aliquam doctrina ista: in via nequaquam, vbi morales virtutes sunt vtiliores ad beatitatis acquisitionem. rerum contemplatio præcedit actionem, vt lux ostendens bonum, fruitio sequitur, vt perceptio boni, & quietatio, & in hac finis. Dominus laudat magis Mariæ partẽ, quoniã actionibus pręsentibus ipsam comparabat, quæ distrahunt à via ad summũ bonum: sed si comparetur fruitioni succedenti ad contemplationem eiusdem obiecti, non præfertur, nisi tempore non dignitate, & finalitate, vt & Arist. fatetur in 7. Eth. sic etiam comprænsio boni præcedit contemplationem. propterea in Metap. & Theologia posuimus æquè fælicitatem in comprænsione potestatiui, in contemplatione cognoscitiui, vt fruitione volitiui. In operationibus moralibus quoque Arist. ponit secundo fælicitatem. Nunquid tunc fęlicitatur homo quando vendit iustè brassicas, & patitur in bello vulnera pro salute patriæ; an quando iniustè, vt pecuniã acquirat multant, nè impediatur propter inopiam à contemplatione, Itemque quando fugit à bello, vt possit contemplari? Arbitror fęliciorem Petrum in martyrio, quam Aristotelem in contemplatione. non ergo operatio est fælicitas: nam & passio est, nec propter se, sed propter bonũ quod subsequitur, & præcognoscitur. alioquin si propter se, tũc dolorifica pugna esset fælicitas: & posset quis beari continua perenni tolerantia. Vel ergo non est operatio fælicitas, vel si est, non omnis virtutis est. Sed quid immoror, cum virtus faciat operationem, non operatio virtutem: virtute autem sumus boni, ac beati, non operatione, qua solum ostendimur boni, ac beati: & quidẽ magis agendo, aut patiendo interdũ, quam contemplãdo.

AD Stoicos tandem deuenientes, eorum sententiam omnium patrum calculis approbatam confirmamus. summum enim bonum nobis, est virtus, qua summum bonũ simpliciter, qui est Deus, adipiscimur: & omnia corporis, & fortunæ vocata bona fiunt bona; vt vitio mala. Eandem virtutẽ esse bonũ honestum in nobis, vt verò nos ad Deum eleuat, esse vtilem: non quia vtamur ipsa: sed quia per ipsam vtimur cunctis rebus in bonum. At si vti quis se virtute contendat, non tamen abuti probabit. Virtus enim est bonus vsus, vel boni vsus causa. hac autem quomodo male vteris? Sed cur in Salust. legimus; *Quousque abutere patientia nostra, ò Catilina?* Resp. hũc abusum esse ab extrinseco, nec patientia, sed effectu patientiæ senatorum Catilina abutebatur. Restat vt Arist. ration. contra hanc sententiã soluamus: cætera enim in seq. art. elucidabuntur.

Ad primum nego virtutem indigere bonis externis gratia sui, sed gratia corporis, & inferioris vitæ. at ipsa potens est illa adipisci: virtute enim parantur bona vtilia, fiuntque bona. sine autem virtute expedit mori: quam illis abuti. Nec quidem est in Mundo Ars, aut res vtilis, quę non à virtute fit.

Ad secundum nego dolorem posse tolli virtute, sed potius subiectum virtutis corporale. Anima enim æterna, nego etiam impediri, immò fieri cum Lactantio & exer-

ceri dicam cum Ambroſio vt in Iob,& perpoliri, & manifeſtari. & hoc ipſemet Ariſt. diceret,ſi ſibi conſtaret. nam & in fortitudinis operatione eſt beatitudo,ergo & in doloribus. ſed dices: iuxta hanc ſententiã damnati in inferno perpetuò dolentes poſſent beari, ſi viriliter tolerẽt,immò ex hoc ipſo beari. nego conſequentiam: nam dolor nõ beat, niſi per accidens,quatenus eſt medicina contra peccatum,aut oſtenſio virtutis, & accretio meriti. At in inferno non eſt medicina,nec exercitium ,ſed pura pœna ob culpam: ideò nec per ſe,nec per accidens beare poteſt.

Sed vtrum in perenni dolore poſſit quis beari? videtur quod ſic. quoniã ſi eligimus ipſum nè peccemus, gloria illa conſcientiæ eſt tranquillitas, & innocentiæ ſecuritas, in quibus conſiſtit beatitudo ſecundum Ambroſium:& S.Thom. præeligit pænam æternam quam venialiter peccare. Reſpondeo quod dolor non beat niſi per accidens: quãdo autem æternatur, fit neceſſarius,& per ſe:& ideo in perenni dolore nemo beatur,nec poteſt dari iſte caſus,niſi per impoſſibile, vnde alia impoſſibilia ſequuntur.

Ad tertium concedo voluptatem eſſe ſemper cum virtute.nam virtus reddit bonũ habentem,& cognoſcit bonitatem habentis.ad cognitionẽ ſubſequitur voluptas ſemper:ideo nemo ſine voluptate beatur.ad illam enim nos virtus ducit,licet per aſpera.

Ad quartum credo tangi affectionibus virtuoſum,ſed non obrui. regulat enim illas: vnde Dauid, *Iraſcimini, & nolite peccare*. Omnis enim quoque affectus per virtutem fit vtilis & bonus. Bonum eſt timere, & amare,& iraſci cum virtute.

Ad 5. Benè Aug. reprehendit illos Stoicos,qui negant etiam affectionem ineſſe regulatam:at nequeo imaginari,quomodo paſſiones è nobis eradicari queant, niſi humores,& calorem, & ſenſum à nobis amputantes. De his poſteà.

Vtrum rectè poſuerimus in textu, Summum bonum eſſe conſeruationem, eiuſque gratia eſſe virtutes, & omnia appeti. ART. 2.

VIdemur quidem erraſſe. Nam

1. Illud,quo datur melius,non eſt ſummum bonum.at conſeruatione melior eſt virtus:probatur,quoniam eligibilior: quoniam homo bonus eligit mori pro virtute. mors autem deſtructio eſt,contraria cõſeruationi, ergo virtus cuius cauſa mors eligitur melior eſt, ergo non eſt ſummũ bonũ conſeruatio,cuius gratia cætera ſint bona.

2. Eligunt mori homines,& leones,& elephanti honoris gratia, vt Cato & Lucretia. honor ergo melior conſeruatione.

3. Qui diutius viuunt eſſent beatiores, ſi conſeruatio eſſet bonũ ſummũ. hoc autẽ falſum eſt: immò vita datur damnatis pro pœna: vnde *cupiunt mori, & fugit mors ab eis*.

4. Sequeretur quod damnati vita æterna conſeruati eſſent fælices.

5. Amantes amaſia priuati ſe ipſos occidunt, confitentes voluptatem meliorem conſeruatione.

6. Confeſſi ſumus cum Stoicis virtutem eſſe ſolum,& ſummum bonum,vt dicebat S. Amb.nunc autem contradicimus non rectè,quando viuere,& conſeruare eſt commune nobis cum brutis.

7. Omnia bona acquirimus operatione virtutis,non virtute, neq; conſeruatione:& in operatione delectamur,non autẽ in conſeruatione: nemo voluptatem capit ex hoc, quod eſt:immò neque ſeipſam cognoſcit anima : neque ſua gaudet entitate: gaudium enim ſequitur cognitionem ,ergo in tranquillitate, vel in alio eſt fælicitas.

SEd contra eſt Dominus IESVS in Euãgelio,qui ſemper tamquam ſummũ bonum promittit *vitam æternam* & Chryſ.in quadam Hom.to.5. *Nihil*,ait, *ſuauius eſt quam non mori*.& paſſim omnes patres immortalitatem tanquam ſummum bonũ prædicant. cõſeruatio autẽ eſt immortalitas, & vita æterna, & eſſe ſemper. & hoc appetunt entia omnia : vnde cõtra inimicũ deſtructiuum pugnant,& cõſeruatiua amicaque amant ſectāturq; vocantque bona ex hoc:nihilque faciunt,quod ad conſeruationẽ non tendat.

Poteſt autem cum ſit vnum bonum ſimpliciter, qui eſt Deus : cæteraque ſint nobis bona & mala,licet vnumquodque ſibi ſit bonum, vnde amat omne ens ſe eſſe,& conſeruari ſemper tanquam proprium ſummum bonum,omneſque actiones ad hoc dirigit. Attamen nobis cætera dicuntur bona,& aliud aliis dicitur bonum,& malum,qua-

tenus videlicet conseruat, aut destruit. bonus est serpens serpenti; non autem homini. bonus est ignis igni, non terræ: & aqua bona piscibus non sic homini. Adeò quod quæcumque plus conseruāt, magis bona sunt conseruato; quæ minus minus. Ideoque virtutes maxima bona putamus, quoniam illis maximè seruamur. Mala autem, quibus destruimur, & in politicis, & in Ethicis semper bona, & mala pensantur, ex conseruatione, & destructione. Pulchra vero & turpia ex eo quando indicant bonum, vel malum, vnde nec eadem cunctis pulchra. Pulcher Asinus Asinæ, nō autem capreæ videtur. Nobis pulchrum est quidquid indicium boni conseruatiui habet. Cum autē homo sit multiplex, quarruplicem habet conseruationem. Videlicet in seipso: quā cibo potu, vestitu, & domicilio, & artibus sustentat per virtutem, & societatem. Aliam in filiis: nā dum moritur in se, viuit in eis: qui quatenus similes illi, sunt ille met, & hāc venere & vxore, & rebus huic vtilibus, acquirit & tuetur. Tertiam conseruationē habet in fama: cum enim in se moriatur, prouisum est vt in filiis viuat. cumque in degenerātibus filiis moriatur, prouisum est, vt viuat in fama. & hanc ad vitā bonam vtilia sunt operationes virtuosæ, victoriæ, ædificia, beneficia collata humano generi, patria, templa, libri, statuæ, & similiter. At quando & ista deficit conseruatio, habet quartam in Deo, quā per religionē adipiscit, & ad quam omnes virtutes sunt viæ. & hæc reuera est vita æterna. Quoniam cætera bona tēporalia sunt, vel facta ex nō esse, propterea nō possunt æternū esse dare: solus Deus æternus potest æternare: & sic promisit. Quapropter ex his vides quidquid dicitur bonum in ordine ad aliquam istarum conseruationū, esse bonū secundum nos, virtutes autem omnia excedere in bonitate, quoniam has omnes conseruationes curant, & tuentur: maximeque excedunt, quę maximam spondent conseruationem, videlicet eternam. igitur nomine verissimo, dixi conseruationem esse bonū summum, cuius gratia omnia fiunt, & expetuntur. Voluptas autem sequitur perceptionem horum bonorum quorumcumque, & antecedit, vt incentiuum in prænotione, & sequitur vt fructus in adeptione. At quoniam nullum bonum conseruat nisi virture adhibitum, neque cibus, neque coitus, neque honor, neque sacra: hinc est quod virtus solum, & summum bonum dicitur, quo beamur: beamur autē per ipsam conseruati perenniter in conseruatiuis rebus, maximè autem in maximè conseruatiuo æternóq; qui est Deus. Formaliter ergo summum bonum nobis est conseruatio, obiectiuè Deus, effectiuè virtus à Deo nobis data. nam quæ datur naturaliter, conseruat nos naturaliter, quæ datur supernaturaliter, vt Theologica virtus, conseruat supernaturaliter.

Ad primum, nego dari aliquid melius conseruatione. ad probationem dico nos nō eligere mortem, vt seruetur virtus: absque enim nobis non est virtus nostra: sed eligimus viuere virtuosè potius quam vitiosè in hac vita. vita enim vitiosa mors est, quia facit nos non esse quod sumus; id enim est mors. Sumus autem rationales, & virtuosi: quapropter nè irrationales fieri, & bestialiter operari cogamur, eligimus non esse, sed non esse rationale, sed illud non esse irrationale, in quo esse compellebamur absque virtute, ergo per mortem effugimus mortem, & non vitam humanam; putamusque minorem esse mortem corporis morte virtutis.

Ad 2. eligit mori Cato, nè viuat nō Cato: & Lucretia nè viuat nō Lucretia, tum quia vitā animę aliā habent, corpusque cōseruatur in clemētis, tum quia præstat mori quod es, quam viuere quod non es. vt Leo, & Elephas præeligunt henorāte vitam, quoniam honor est vita in aliis, & longior, & testis proprię bonitatis: quam spiritus celsus amittere non vult. sed errant, quoniam seipsos interimunt: nam vel peccasti, vel non: si peccasti, vtere vita in pœnam. si non peccasti, beatus es in te, quamuis non in aliorum mente, honor verus est intra nos, vt diximus in Art. præcedenti. Quapropter nil mirum si bruta errant, quando & homines in hoc. faciunt tamen istud quatenus virtutem participant, vnde S. Thom. in 10. Eth. Leonem fortitudinis, cyconiam pietatis participes facit. Basilius autem plura dicit. Sunt qui non cōfidunt viuere absque bono illo, in quo suam fundarunt iucunditatem, vnde quidam se interfecit ob auaritiam. quoniam frumenti copia tanta facta est, quod ipse suum seruatum ab anno præcedenti, vilius vendere necesse habebat. Quidam vero, quoniam vua à latrunculis bis, & quater, sibi ex optima vite, direpta fuit. Alter musicus se laqueo suspendit, quoniā ab altero simul canēte, correctus est. & hic falluntur ex illatæ notitię pugna cōtra innatā.

Ad 3. & 4. dico magis conſeruari, qui magis ſecundum naturam viuit humanam, non qui diutius viuit. vita enim impura, miſta eſt entitate non ſua, ſicuti ſpiritus fuligine, & ſanguis putredine. illa autem impuritas tollit aliquam partem eſſe, & vitæ. ideò vita pura, & virtuoſa breuis eligibilior eſt diuturna, & impura. Qui autem propter ſcelera vellent mori, putant finiri malum, animo illorum inhærens, quod valde pauent. Animus enim culpa plenus ſeipſum timet, quoniã eſt ſibi pœna illud malum, & accerſit alias pœnas, vnde ingerit metus diros. hine mortis cupido, nè non ſit illud non eſſe humanum. Damnati vero non ſeruantur licet non deſinent eſſe. conſeruari enim eſt eſſe, & operari ſecundũ illud, quantũ natura poſſibile eſt. ens autẽ omne eſſentiatur per potentiam, ſapientiam, & Amorem. Qui ſunt in inferno habent poſſe ligatum, & coarctatum: ſimiliter ſapientiam ſui eſſe obnubilatam, infirmatam, & cæcatam, amorem deprauatum, & anguſtiatum, neque enim volunt bonum, nec quod volunt habent, ſed quod nolunt. Quapropter illud eſſe eorum non ſeruatur, ſed deſtruitur, licet non annihiletur. Hoc probamus in infirmis, & ignorantibus, & carceratis, quod poſſe, ſcire, & velle anguſtiantur, vt potius non eſſe quam eſſe dicantur: ideò ſunt in morte ſecunda. In beato autem amplificatur poſſe, ſcire, & velle, & dilatatur, vt lux ſolis, quæ in ſui effuſione, & amplificatione ſeruatur magis, & eſt magis.

Ad quintum, Reſponſum eſt in ſecundo.

Ad ſextum confeſſi ſumus ſummum bonum eſſe virtutem, quatenus præſtat vitam beatam. Vita autem beata non eſt, niſi ſit æterna. fruſtra enim datur bene viuere, cui non datur ſemper viuere, inquit S. Aug. ſola enim cogitatio de amiſſione fælicis vitæ facit vitam infælicem. ergo. beata eſt tranquillitas mentis, & ſecuritas conſcientię innocentis, vt docet S. Amb. in lib. de Iacob, & in 2. de Offic. hac autem vita beata acquirimus nobis vitam ęternam, id eſt, conſeruationem immortalem, vnde aliud eſt vita beata, quę ſecundum virtutem pręſtatur, aliud ęterna, quæ per beatam paratur. hoc docet ibidem S. Ambr. c. 5. dicens; *Certum eſt ſolum, & ſummum bonum eſſe virtutem, eamque abundare ſolam ad vitæ beatæ fructum, nec externis etiam corporis bonis, ſed virtute ſola præſtari vitam beatam, per quam vita æterna acquiritur. vita enim beata fructus præſentium. vita autem æterna ſpes futurarum eſt.* ſed ſi vita æterna eſt ſummum bonum: ergo, non virtus. Reſpondeo. virtutem eſſe tamquam cauſam adipiſcendi ſummum bonum; ergo, eſt ſummum bonum cauſaliter, & eſt medium quo, &c. vita autem beata eſt formaliter ſummum bonum, à virtute præſtitum, vita æterna eiuſdem beatæ vitæ immortalatio & fructus: & quoniam virtus ipſa præſtare non poteſt, ſed ducere nos ad obiectum, vnde ipſam haurire poſſimus, ideò dicimus tandem Deum eſſe ſummum bonum obiectiuè, nobis, & ſimpliciter. Nec quia conſeruatio eſt communis nobis, & brutis, rectè Ariſt. à ſummi boni ratione excluſit. nam & operatio ſecundum virtutem beſtialem eſt illi beſtiæ fælicitas: homini verò ſecundum humanam: ſic mihi conſeruatio hominis per virtutem eſt fælicitas. ſi autem degeneret in beſtialem, præſtat mori, quam beſtialiter conſeruari: non enim eſt ſeruari, ſed deſtrui. Cato putabat ſe vilis ſerui vitam acturum, & non liberi Catonis, ideò ſeſe interfecit, vt illud non eſſe declinaret, licet in hoc errauit: quoniam & ſeruus poteſt beari ſi virtuoſus, vt Ioſeph.

Ad 7. dico nullam voluptatem haberi niſi ex boni apprehenſione præuia, vel ſubſequente; nec bonum dici, niſi quia eſt cauſa, vel via, vel diſpoſitio, vel remouens prohibens, vel ſignũ conſeruationis. Vnde & bona, & pulchra vrina dicitur, vt ſignũ ſani: voluptas autem innata nobis ex noſtri eſſe noſtri ſummi boni perceptione, non ſatis euidens eſt, ſicuti nec ſcientia noſtri: quoniam ab externis obiectis continuò pulſatis, alienati ſumus à noſtri in illorum notitiam, & à noſtri amore, & voluptate in illorum amorem, & voluptatem. Attamen ſicuti nihil cognoſcimus niſi nos illorum ſimilitudine affectos prius cognoſcentes: ſic de nulla re iucundamur, niſi quatenus nos prius illa probè affectos præſentimus notione innata ſuſcitata, & alienata per illatam: de hoc vide Metaph. p. 2. in rerum autem affectione fit regula virtus, vt ſeruent non deſtruant, ideoque ipſa reputatur bonum bonorum, cauſaliter tamen, non eſſentialiter.

QVÆSTIO SECVNDA.
DE LIBERO ARBITRIO.

Quoniam per virtutes ad summũ Bonum peruenimus circa media, & impeditiones operando rationabiliter: quemadmodum legislatores & philosophi docent: & Anima ipsa quasi infinita in potendo, intelligendo & appetendo, sibi præsagit, quamuis intra pugillum cerebri videatur arctata: Non autem meremur per operationes virtuosas, imò nec verè virtuosè operamur, nisi in nobis sit eligere, & operari ad vtrunque, non ex decreto, aut vi aliena coactis, propterea necesse est videre prius an in homine insit libera voluntas arbitriumque liberum, sine quo vana est Moralium doctrina.

Vtrum homo sit liber voluntate & Arbitrio.

QVÆSTIO VNICA.

ARTICVLVS PRIMVS.



Idetur quod non: primo. Nam vel res naturales, & humanæ, temerario casu fiunt, vt videtur Leucippo, Democrito, & Epicuro; vel diuina potentia, & prouidentia, vt Pithagoræ, Platoni, Parmenidi, & Stoicis, placet. Sed vtroque modo tollitur libertas. ergo homo non est liber nec Dominus suorum actuum, sed seruus sub casu, vel prouidentia ductus. Probatur prima pars; nam libertas est eorum quæ fiunt arte, & deliberatione; casus autem contrarius est arti, & deliberationi. Præterea Democrito omnia fiunt ex atomorum agitatorum congressu vario. Atoma autem ipsi omnia tendunt ad centrum vnoque motu feruntur. libertas autem est extendentis ad multa, & multipliciter, prout placet. Respondet Lucretius esse in Atomis, ex quibus fiunt animæ, motum alium, qui est aliqua inclinatio extra centrum. ast hoc inutile figmentum est: illa enim modica inclinatio facit tantum errorem vnum à communi modo: voluntas autem multipliciter fertur ad obiecta præsentia, præterita, & futura, superiora, & inferiora, præeunte multiplici syllogismo, & sagacitate; ergo, &c. Probatur secunda pars, nam Dei potentia omnia facit, & nullus effectus eius potest illi resistere, præscit etiam omnia, & præscientia sua falli non potest, quoniam contra voluntatem suam potest fieri nihil: ergo nos, & res aliæ, operamur vt serui, non vt liberi. Augustinus respondet. Deus facit omnes naturas, sed non omnes actus, actus enim peccaminosi fiunt à nobis sine Deo, sed contra inquit Isaias: omnia opera nostra operatus est Dominus. Et Hier. Non potest aliquid fieri, Domino non faciente. Præterea omnis actus est entitas, omnis autem entitas à primo ente vno. nam si non ab illo, darentur duæ primæ causę, sicut placet Manichæis, & Cathainis.

2. Amplius

2. Amplius homo non eſt liberæ voluntatis erga finem, nulla enim Creatura poteſt non velle finem ſuum ſibi optimum, ad quem dirigitur, & deſtinatur à Deo. Neque eſt liber circa media. nam voluntas non vult media niſi propter finem, quem neceſſariò vult, ergo & media neceſſariò vult. Neceſſitas autem repugnat libertati. Præterea voluntas eligit finem, quem ſibi proponit intellectus, ſiue ratio; intellectus autem erga finem, & principia neceſſariò fertur. Erga media vero & concluſiones dubitanter aliquando, aliquando conſtanter. Conſtantia tollit libertatem, non enim voluntas poteſt non eligere medium, quod intellectus arbitratus eſt neceſſarium ad finem. Dubitatio verò dat fluctuationem, & incertitudinem, non autem libertatem voluntati.

3. Amplius omnis homo mouetur ad operandum ductus ab obiecto, quod ſibi proponit intellectus, vel ſenſus, tanquam bonum ſequendum, vel tanquam malum fugiendum, vel ductus paſſionibus, iraſcibilis, & concupiſcibilis; ergo ſeruit paſſionibus, & obiectis inferentibus illas, quando quippiam operatur, ergo non eſt liber. Nam etiam bruta quæ non ſunt libera, mouentur ad appetendum, ſequendum, vel fugiendum, à paſſionibus innaſcentibus, vel illatis ab obiectis. Et quando mutant operationem, vel deſiſtunt, mutant, & deſiſtunt, quoniam noua paſſio vel nouum obiectum fortius ipſa mouet, quod per virtutem, quam vocant æſtimatiuam, fugiendum, vel ſequendum æſtimant. ſic etiam homo à paſſionibus & obiectis motus, arbitratur ſequendum vel fugiendum. ergo arbitrarium non eſt liberum, ergo nec voluntas, niſi & in brutis ſit libertas.

4. Omne quod eſt in potentia ad aliquid, deducitur in actum ab eo, qui eſt actus per ſe; ergo arbitrium potens arbitrari, & voluntas potens velle, cum actu arbitratur, & vult, mouetur ab alia cauſa exteriori, ſicut dicitur in libro de bona fortuna, quod primæ volitiones, & notiones ſunt à numine primo. Et Diuus Thomas docet, quod Deus omnibus cauſis dat eſſentiam, & virtutem operatiuam, & applicat ad operandum & operatur cum eis.

5. Amplius maximè liber videtur homo cum peccat, non enim à Deo mouetur ad malum. ſed cum peccat, à concupiſcentia attrahitur, & illicitur, Teſte Sancto Iacobo. Imò dicitur etiam in ſacra ſcriptura, Deus induraſſe cor Pharaonis, & excæcaſſe corda Iudæorum: ergo homo in peccando ſeruit & paſſionibus, & Deo, & tunc videtur modiciſſimæ libertatis, in quo maximè liber apparebat.

6. Amplius nec Deus ipſe videtur liber, quoniam non poteſt aliter operari atque operatur, alioquin poſſet mutari. hoc autem eſt impoſſibile, dicit enim ipſe, *Ego Deus & non mutor*, ergo nec vlla Creatura eſt libera, non enim poteſt à ſe neque à Deo habere libertatem, quam Deus non habet.

1. SEd contra Apoſt. 1. Cor. 7. ait. *Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis*, &c. & Gen. 4. *ſi bene egeris recipies, ſin autem male in foribus peccatum* (ſeu pæna) *ſtatim adeſt*. ſed *ſubter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*. Et Deut. 3. & Ioſue 24. *optio vobis datur, eligite cui ſeruire debeatis, Diis, an Domino*. Eccleſ. 15. *Ne dicas, per Deum abeſt, quæ enim odit ne feceris. nec dicas, ille me implanauit. non enim neceſſarij ſunt ei homines impij. Nemini mandauit impiè agere; & nemini dedit ſpatium peccandi. non enim amat multitudinem filiorum infidelium, & inutilium. Deus ab initio conſtituit hominem, & poſuit eum in manu conſilij ſui*, &c. *Si volueris mandata ſua ſeruare, conſeruabunt te. Appoſuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors; bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.*

Hæc autem omnia eſſent falsò ſcripta, ſi homo ex ſe non poſſet deliberare, ſed à paſſione, vel à Deo, vel ab obiecto, neceſſariò moueretur; vel motus non poſſet diſſentire de facto, & aliud vel aliter eligere.

2. Idem patet ex omnium legiſlatorum teſtimonio, leges enim omnes ſunt pacta & conditiones: ſi obſerues, præmium: ſi omittis, vel tranſgrederis, pænam recipies. Imò qui negant libertatem eligendi, vt Mahom. ipſam confitetur, conſtituendo præmia & pœnas, ſimiliter Caluinus & Lutherus.

3. Præterea probatur philosophorum omnium testimonio, qui scripserunt philosophiam moralem, præcipiendo quid facere debemus, & quod effugere. Quod si non possemus, frustra doceremur. Vnde Arist. in 3. Polit. & in Ethicis, & P. Perhier. docet homines esse liberos, alioquin non valeret lex, nec exhortatio, nec scientia. Et ideo de futuris contingentibus nullam esse prædeterminatam veritatem, frustrà enim suademus facere, si nil homo faciat, nisi quod à Deo prædefinitum est, & per passiones & obiecta coactum. Plato non semel scribendo de legibus, & de legislatura, & de Rep. idem docuit, sed insuper accusat Homerum, quando dixit, bona, & mala à Ioue propinari ex duobus doliis. Laudatur autem Homerus cum Iouem introducit iratum hominibus propterea, quod dicunt, Deos esse causam malorum humanorum, cum ipsi præter fatum sibi sponte incommoda quærant. vnde Stoici, teste Seneca, & Cicerone, fatum ad omnia extendunt, præterquam ad humanas voluntates: quibus, si fato, idest prædefinitioni subiacerent, nil prodesset lex, nec staret Resp. ait Cicero, idemque docent Plutarch. Alex. Afrod. Porphir. Varro, & Pithagorici omnes.

Præterea probatur ex consensu totius generis humani, pugnantis prò sua libertate & dominio actuum suorum; & viuentis politice, & omnia tractantis præsupposita libertate promittendi, seruandi, & faciendi, & non faciendi. Et qui negant ipsam propterea negant, quia nesciunt Sophisma soluere contrarium, sed facto affirmant. Sicuti Zenoni neganti motum dari propterea quod continuum est diuisibile in infinitum, ergo non pertransibile, quispiam sese mouendo dicit, ecce motus. Et Aliis ait, tu dicis motum non dari labia mouendo. sic nemo potest neque libertatem negare nisi libertate.

DISTINCTIO LIBERTATIS.

EST autem triplex libertas, scilicet à miseria, à peccato, & à seruitute. primam habent solus Deus & beati, ad quam omnis Creatura anhelat. secundam confirmati in gratia Dei: ad quam omnes per morales scientias contendimus. Tertiam quicunque sunt suorum actuum Domini (quod per politicam conseruare satagimus) atque ex se ipsis deliberare possunt & eligere, non autem si ex præscripto alterius. Quocirca Arist. 3. Polit. rectè dixit, quòd serui non habent liberum arbitrium. Pueri habent imperfectum. Mulier debile. Ex hoc habemus quod libertas fundatur in rationis iudicio, & decreto. propterea enim pueri habent imperfectum liberum arbitrium, quia nondum habent perfectum vsum rationis: Mulieres verò debile, quia non exactè argumentantur, & facile seducuntur. propter quod Paulus eas in Ecclesia loqui non permittit, nec dominari in virum. vir autem perfectum habet vsum.

At quoniam seruus perfectum vsum rationis habet, & tamen dicitur carere libero arbitrio: quoniam ad alterius arbitrium viuit, nec potest de se deliberare ad faciendum aliquid, nisi placuerit Domino; videtur non in sola ratione esse libertas; sicut etiam potestatiui est capessere possibile, & relinquere impossibile, & cognoscitiui affirmare verum, & negare falsum: ita est volitiui eligere bonum, & reprobare malum. Executiui verò est agere, & omittere harum facultatum obiecta. Et quoniam possibile & verum capessimus, quatenus sunt bona, vtiliaque conseruationi perenni, ac tranquillæ, quam omnia appetunt vt summum bonum, vel ad media, quibus acquiritur, respicit. Propterea videntur omnes facultates ad voluntatis obiectum dirigi, & quasi præparationes obire. voluntas propendit ad bonum fruendum. Intellectus cognoscit illud consulta voluntate & media, dirigitque: potestas capessit. Executiua vis, quà simul est potens, sciens, & volens, actuat omnes ad acquisitionem illorum.

AT quoniam voluntas non vult, nisi quod intellectus cognoscit, ignoti enim nulla cupido. nec intellectus cognoscit, nisi quod potestatiuum prius afficit: ex passione enim allata ab obiecto, iudicat de natura obiecti. passio autem in potestatiuo fit, non in cognoscitiuo formaliter, vt putat Arist. intelligere enim non est pati, sed inferentis passionem dinotio: videtur voluntas non esse libera, quoniam non potest velle nisi quod intellectus prænoscit: vnde in Peripato dicitur esse cæca; nec

intellectus eſt liber, non enim poteſt intelligere niſi quod poteſtatiui paſſio offert.poteſtatiuum autem non poteſt non recipere, aut non pati. Calefacta enim manus, neceſſario calet, & oculus apertus in luce neceſſario videt, & Auris pulſata non poteſt non audire: ſic intellectus oblata obiecta non poteſt non cognoſcere, in quo ergo libertas?

Reſpondeo quod in operibus ad extra concurrunt facultates tres vt vna, libera, etiamſi non in primis motibus, tamen in acceptatione & retentione ſpeciei, & volitionis libertas eſt, ſimiliter ad accipiendas alias motiones liberè ſeſe adaptãt. Et nulla per ſe eſt libera, vt patet in actibus internis naturalibus, ſed ſimul; & tunc verum eſt, quod voluntas non eſt cæca: Eius enim oculus eſt intellectus arbitrans, & neuter liber niſi prout vniuntur; vnde antiquioribus dubitatur, vtrum libertas ſit in intellectu, vel in voluntate, cum viderent neutrum ſeorſum eſſe liberum. Porrò nec intellectus eſt impotens, quod enim poteſtatiuum capit, capit & intellectus & voluntas, quatenus identicè ſunt vnum, & vnius eſſentiæ realitates, non res: tam intellectus, & poteſtas eſt volens, & voluntas intelligens, & potens realiter, ſed non formaliter; & propterea dicitur apud Apoſtolum poteſtas voluntatis, & conſilium voluntatis; apud Philoſophos quoſdam voluntas arbitrij, apud alios arbitrium voluntatis, & liberum arbitriũ, & libera voluntas, & libera poteſtas. Et profectò voluntas non eſt libera niſi vbi conſilium interuenit. Et conſilium non eſt liberum niſi vbi voluntas comitatur aut præcedit. Similiter nec poteſtas receptiua, nec executiua niſi iſta adſint; vnde primi impetus non eſt libertas, nec præmium, nec meritum. *Reſpondeo.*

Dicitur autem liberum, quod à ſe mouetur ad volendum, & operandum, & poteſt à volitione, & operatione deſiſtere, à ſe, non ab alio compulſum: vnde dicitur Dominus actuum ſuorum, & propterea ſi bene facit aut malè aut melius, illi imputatur ad laudem, & præmium, vel ad vituperium & pœnam. *Quid liberum.*

Moueri quidẽ à ſe comperit omnibus naturalibus naturaliter operantibus, vt ignis per ſe calefacit, & grauè tendit deorſum: moueri ab alio competit motis ab arte, vel à violentia: natura enim eſt principium motus intrinſecum: Ars & violentia, extrinſecum, vt ædificari domum ab ædificatore, & lapilli ſurſum proiici à manu. Sed moueri ab extrinſeco contingit, vel contra naturam mobilis, vt ſagittę à ſagittario: vel ſecundum naturam, vt cum lapis impellitur deorſum, & cum docetur ab alio is, qui cupit doceri, & trahitur gratia Dei cupiens trahi. Quaptopter diſtinguimus naturalia à ſupernaturalibus. Et naturalia iterum in neceſſaria, quæ non poſſunt aliter ſe habere, & incontingentia, quæ poſſunt aliter ſe habere antequam ſint. Deinde tam neceſſariũ quam contingens diſtinguitur in ſpontaneum & coactum. Spontaneum eſt iuxta intrinſecam propenſionem: & ſi eſt à cauſa non impedibili eſt neceſſarium, vt ignis neceſſe calet, & graue tendit deorſum: quando ab impedibili, eſt contingens, vt hominem ſedere, & ferrum relucere. Coactum eſt ab extrinſeco contra propenſionem intrinſecam, vt ignem extingui, & ferrum liquari, & lapidem ſurſum attolli. Spontaneum etiam duplex, aliud liberum, vt hominem ſcribere quando vult: aliud ſeruile vt iraſci quando nollet, & remigare, & canem latrare & manducare, ita vt non poſſit aliter operari, quoniam ab alio determinatur ad ſic operari, & nunc. Quamuis enim ſponte operentur bruta, & mancipia, non tamen liberè, quoniam à paſſionibus & ab obiectis, & à Deo, & à Dominis, mouentur: nec poſſunt deſiſtere quando volunt ab opere, niſi aliud obiectum, vel paſſio maior, vel præceptum herile ipſa, remoueat: homo autem à ſe proprio ſyllogiſmo elicito, non illato, mouetur, & ceſſat. Quapropter liber eſt ante deliberationem & poſt, Brutum nequaquam. Similiter grauia, quæ ſe ipſis mouentur, potiuſquàm à ſe ipſis, quoniã non deliberant, nec poſſunt ſiſtere motum, dicuntur neceſſitate naturali moueri deorſum: & neceſſitate violenta, ſurſum: nam nec poſſunt deliberare aliter faciendum: nec deſiſtere de ſe, non enim deliberare poteſt, quod eſt natura deliberatum ad vnum. vt graue: nec quod ad plura, niſi ſe ipſum determinet carnaliter ad actum ſuum. *Declaratio ex diſtinctione.*

Omne enim, quod mouetur ſeruiliter, vel cogitur, vel ducitur, etiam ſi ſponte vt canis ad venandum, aut à Deo vt Domino; aut ab obiecto, aut à paſſione innata, vel *1. diſtinctio addidem declarand.*

Homo liber à Deo vt Domino.

illata. homo autem non cogitur, nec mouetur à Deo ſeruiliter, ita vt reluctari non poſſit, ſed paternaliter, quoniam eſt factus liber, ideſt ad imaginem patris, nam homo blaſphemat Deum, & aliquando odit: Cupiens Deum non eſſe, vel iniuſtè ſibi propitiari. Deus autem non poteſt mouere hominem contra ſemet ad malum, alioquin ſibi contrarius & diuiſus eſſet, ergo non mouetur à Deo deſpoticè vt ſeruus; ſed vt filius; vt dicitur in ſacra ſcriptura ab ipſo Deo: Quod ſi Deus vt Dominus immutar aliquando voluntatem; tunc non meretur vt liber, nec demeretur, ait S. Tho. Nec poteſt duci à paſſionibus, nam poſitus in atrociſſimis paſſionibus, adhuc repugnat, vt Attilius Regulus, & qui torquentur à iudice non mutant volitionem; ſi ergo has paſſiones poteſt ſuperare violenter illatas, multò magis illatas blando more à Cœlo & ab obiectis, dum rationis vſus durat. At ſi quando vehemens paſſio rationem obruit, vt inſania, Epilepſia, tunc non peccat protunc nec meretur, ſicuti nec cum efficaciter à Deo mouetur, vt reſiſtere non poſſit; in ſenſu compoſito, nam in diuiſo & iam beſtiæ poſſunt. Idem dic de paſſionibus innaſcentibus, iracundi enim, & pigri, & luxurioſi, poſſent mititer, ſedulò, & caſtè operari, vt continuo videmus, vnde Horatius.

Liber à paſſ.

Inuidus, iracundus, iners, vinoſus amator,
Nullus adeò ferus eſt, vt non miteſcere poſſit:
Dummodo culturæ patientem commodet aurem.

At cum inſurgunt in primo impetu, quando arbitrio libero vti non poſſumus, tunc culpa vacamus, niſi prius procurauerimus illos impetus, ergo liberum arbitrium eſt voluntas dum eligere poteſt, poteſt autem cum poteſt diſcurrere, & plura arbitrari.

Liber ab obiect.

Quod homo non ducatur ab obiectis, vt canes, patet; quoniam viſa declinat, vt Iob virginem; & audita reſpuit vt Vlyſſes cantum ſyreneum, ligans ſe malo nauis. Rationis: & tactus impudicos Ioſeph fugit per rationem; & cibos oblatos carnium Monachus reſpuit. hoc autem canis nunquam faciet ſponte niſi alio cibo illectus, vel verbere prohibitus. At ſi obiectum eſt primarium, naturale, & finis, mouet voluntatem ita vt non poſſit concipere contrarium: & ideò finis, vt conſeruationis tranquillæ & totius boni in communi, non datur liberum arbitrium. Non enim poſſumus arbitrari bonum non eſſe amandum, nec malum eſſe amandum: nec Deum vt ſummum bonum non amandum, niſi falso apprehendatur vt malum. ſed naturaliter omnia entia etiam inſenſata, magis amant Deum quam ſeipſa, quoniam ſecundum naturam magis eſt amabile totum, & vniuerſale bonum quam pars; licet amore electiuo, qui peruerti poteſt, accidat è contra: Eſt tamen ſummi boni & finis (ait aliquando S. Thom.) libera voluntas, ideſt, maximè ſpontanea, non autem liberum arbitrium. Non enim poſſumus arbitrari non eſſe amandum.

In quibus apparet palam libertas.

1. At mediorum quæ ſunt obiecta ſecundaria eſt liberum arbitrium: dum inquirimus conſiliamur, & iudicamus, vtrum ad acquirendum finem ſit per hoc medium, an per aliud incedendum. Et deliberamus liberè, non coacti, nec compulſi.

2. Eſt etiam libertas circa determinationem. nam poſtquam deliberamus, & incipimus opus, poſſumus aliter arbitrari & deſiſtere. alioquin non peccaret homo incipiens opus, & non perſequi non potens, ait S. Tho. Quamuis enim à Cœlo, ab obiectis, à paſſionibus, & à nobis moueamur, tamen eſt in nobis proſequi motionem, & reluctari, & dum mouemur, & poſtquam moti ſumus: alioquin homo non poſſet ſingula peccata vitare.

3. Item libertas eſt dum duo æquè bona, æquè diſtantia, & æquè facilia, offeruntur, eligere vnum non tanquam melius, ſed tanquam arbitrantes melius eſſe capere quodcunque vnum, quam fluctuare animo & nullum capere.

4. Item circa bonum & malum facere, vt dicitur Eccl. 15. eſt libertas, non quia maleſacere ſit pars liberi arbitrii, in quantum malum; nemo enim operatur reſpiciens ad malum, ſed ad bonum; quia ergo eligimus bonum minus præ maiori, noſtræ voluntati potius quàm diuinæ ſatisfaciendo, committitur peccatum. Eligimus autem quia illecti cupiditate liberè arbitramur eſſe ſequendum pro tunc minus bo-

num: vnde radix peccati remota, est Nihilum, ex quo nati sumus: & ideò eligimus minus, quod plus nihilitatis habet: propinqua verò est concupiscentia sensualis, qua eligimus bonum hoc quod minus est, vel vetitum est, ideoque à culpa separari non potest. Quapropter peccatum est non in maiori propositione syllogismi practici, videlicet: Bonum est sequendum, sed in minori, videlicet: hoc bonum est, ergo sequendum, Etiamsi vetitum à ratione, vel Deo.

Item probatur libertas cum sic, aut aliter, nunc, vel alias, hic vel alibi possumus circa idem operari: præsertim in volitione, licet non semper in executione, nisi cùm homo est causa totalis alicuius effectus.

RESPONSIO AD ARGVMENTA PRINCIPALIA.

AD primum respondetur res naturales & humanas, si temerario casu fierent, libertatem excludere, etiamsi animasticæ essent, sicut Plutarchus putat materiam & animam mundi ante constructionem eius, agitatas fuisse temerariis motibus: Deinde vero à Deo ad sanitatem, & rationem, dum architectaretur mundum, fuisse perductas. ergo nec in materia nec in anima furente est libertas: nec enim ex se ad bonum, & concinnum, mouere se possunt. Benè ergo confutatur Lucretius.

Ad secundam partẽ Arg. dicimus, Deum omnia naturalia regere & arbitraria, hominemque, prout causa finalis, quoniam omnia propter bonum agunt, vel partiale: Deus autem est omne bonum: non autem vt causa formalis, nec materialis, quoniam non potest esse forma vel materia rerum, sed dat materiam & formam rebus, quæ sunt principia actionis & passionis, & eas conseruat in esse: si autem Deus esset anima mundi, operaretur etiam formaliter, & esset causa totalis, & intrinseca cuiuslibet actus etiam mali, quod negat Aug. & omnes Doctores. Est tamen Deus potius causa exemplaris, ad cuius imaginem & vestigium omnia facta sunt. Est etiam efficiens, quoniam omnia creauit, nec sine ipso potest fieri quicquam. Attamen facit Deus decreto quodam communi, super causalitatem rerum cadente, non super actus particulares, vt particulares sunt: vt res, rerumque effectus diuersi essent. Alii quidem necessarii, alii contingentes, alii liberi: sed tamen causis secundis modos hosce permisit tanquã modificãtes vniuersalem Dei causationem: Alias enim fecit necessarias, quæ non possunt impediri, quin producant effectũ necessarium: Alias contingentes, quæ possunt impediri, & facere, & non facere effectum, vt sic, & aliter, vt pluere in æstate. (Effectus tamen postquam est, quia non potest non esse, necessario est. Omne enim ens necessarium est; omne non ens impossibile; dum autẽ potest esse & non esse, dicitur contingens, sed cum solum est, necessariũ est; cum solũ non est, impossibile est.) *Plura causatorum genera.* Alias causas Deus facit liberas, id est dominas actuum suorum, quæ possunt facere, & non facere, incipere, & desistere, hic, & nunc, & sic, & alibi, aliàs, & aliter. Deus quidem omnes causas fecit, & mouet ad causandum: sed necessarias necessario, contingentes contingenter, liberas liberè. Quapropter possunt non agere id, ad quod mouet liberè Deus, & à cœptis desistere. Non enim Dei decreto particularizato, sed proprio consilio causant, & particularizant effectus. Mouet autem Deus omnia ad bonum suum, & ad bonum vniuersi, & ad bonum Dei, tamen causa libera potest modificare motionem Dei ad malum suum, vel vniuersi. sicut dicit D. Thom. quod Deus excitauit Pharaonem ad custodiam regni sui, ipse autem vsus est illa excitatione ad malum Israelitarum: dicitur ergo Deus operari omnia in omnibus, quoniam omnibus dedit materiam & formam, & virtutem operandi; & applicat ad operandum immediatè ad bonum, sed mediatè ad hoc, & ad malum; quoniam causa libera habet potestatem operandi ad vtrumlibet: Deus quidem in actu penitus impio, qui non potest separari à culpa, vt quando homo blasphemat Deum, vel odit, agit cum causa Physicè, & communiter, & dans esse, sed non in causam immediatè ad hoc, & sic esse, nisi sicuti generans mouet graue, vel sicut agens vniuersale modificatum à particulari. Sol nimirum generat plantas, sed alias ex alia terra, & ex alio semine, iuxta modifica-

tionem ipsarum: dicitur tamen intimè operari in rebus omnibus. (Teste D. Tho p.p. qu. 105 artic. 5.) quoniam dat formam: quæ est intima rebus, & quia dat vniuersaliter esse, vt causa vniuersalis. Esse autem ante omnia intimum est. Esse autem hoc, & sic, est à causa hac, non ab vniuersale, vt hac, sed vt vniuersale. Quapropter non damus entitatem rebus, quæ non fit à Deo cum Manichæis: sed diminutionem entitatis, quæ est à nobis tanquam factis ex nihilo. Nulla enim particularizatio, aut modificatio fit, etiamsi à Deo, nisi ex participio nihili, vt probatur in Metaphysica. Operatur ergo Deus omnia in omnibus, vt vniuersalis causa essendi, non vt particularis, nisi quatenus vtitur nihilo, quod est in nobis radix potendi peccare. Idque dicitur permittere Deus Physicè, id est, non impedire, non autem moraliter, cum & in lege æterna, & in naturale, & in positiua, vetetur à Deo peccatum mortale. nec fit volitum à Deo per se, nec per accidens: quoniam est deordinatio à Deo, & contra Deum summum bonum, deordinatio autem nec per se, nec per aliud potest esse ordinabilis, nec potest habere recompensam meliorem: Deo enim nihil melius. Sed malum Physicum est permissum, & volitum à Deo per accidens, quoniam est ordinabile ad aliud bonum, vel melius vt corruptio terræ propter generationem ignis, & plantæ; & mors vitulæ ad vitam hominis. Cum autem Deus elicit ex peccato aliquod bonum, vt iustitiæ ostensionem, hoc facit ex omnipotente sapientia sua, non ex eo quod peccatum erat ordinabile ad hoc bonum vel ad melius causaliter, nec occasionaliter, vt paupertas occasio est discendi artes occasione data, sed tantum occasione accepta à Deo, qui facit, & vult, vt esse malum sit occasio boni. omnia ergo fiunt Deo volente, aut permittente. Esaias autem loquitur de operum castigatione potius in Hebraico, vult enim Deus omnia vniuersaliter, vnde August. *Deus facit naturas omnes, sed non actus omnes* (intellige) vt sic, & *legimus* ait, *Omnis potestas est à Deo, sed non legimus, Omnis voluntas est à Deo, & rectè non scriptum est, quia nec verum est.* Potest autem voluntas resistere Deo, quoniam Deus permittit illi, vt possit, quando fecit liberam, non quia Deus impellit illam ad actum contra se: permissio enim peccati non cadit super peccatum. sed super conditionem libertatis, vt possimus agere quod volumus, nihili inopiam, vel entis copiam, sectando.

Ad secundum homo est liberæ voluntatis erga finem, sed non liberi arbitrii, quoniam non potest arbitrari eligendum quid melius optimo: nisi vbi ignorat quod est optimum: Ideo beati videntes Deum, non possunt non amare: viatores autem ignorantes summum bonum, ponunt illud in gloria, vel in lucro, vel in scientia, vel in voluptate: In quibus non est omne bonum, sed aliquod tantum: ideò errant in amore electiuo, non in naturali. Et ex hoc probatur libertas & defectus humanus. Circa media verò, & fines particulares, homo est liber, non in communi, necessario enim vult media, si vult finem. Et si non esset nisi vnum medium, necessario vellet illud, sed liber est ad capessendum hoc vel aliud medium, hic, & nunc, & sic, vel aliter, alibi, & aliàs. Et sicut intellectus erga principia & conclusiones, necessario annexas principiis, non est liber, sed necessario assentit. sic arbitrium circa finem, & media annexa fini, necessario, non est liberum, sed circa media. Nec constantia tollit libertatem: nec dubitatio: sed determinatio naturalis ad vnum: vel seruilitas, idest; ab alio duci efficaciter, etiamsi sponte, & ad multa vt mutabiliter.

Ad tertium dico de quidditate animæ, esse se ipsam mouere ad sua munia apud Plat; & sanctos patres: elicit enim suum actum per se. A Cœlo autem, & obiectis, & passionibus mouetur, non causaliter, sed occasionaliter, non ad exercitium actus, sed ad specificationem, non scilicet vt possit, cognoscat, & appetat. & operetur: sed vt possit, sciat, amet, & operetur hoc, & ita, & nunc, quando offertur, & quidem potest anima etiam aliter operari: & amare, & se conuertere ad aliud scibile non oblatum. Nam per accidens agunt in mentem, dum in corpus, & in spiritum corporeum sensitiuum, cui est mens copulata, agunt. Alia autem mouentur ad specificationem actus per se: quoniam spiritus sensitiuus est corporeus & particeps primalitatum: vnde rationalis dicitur apud Aristotelem & S. Thom. per participium, non per essentiam: quoniam supremum inferioris attingit infimum superioris: Et horum

Ratio dicitur æstimatiua. Quapropter non potest de se deliberare per iudicium elicitum, sed tantum per impressum, vel à Dei instinctu, vt D. Tho. ait. Sic horologium impressa ratione horas significat, passionibus actum ponderum & rotarum dentatarum numeris. Et reuera non potest corporea vis mota non moueri, vel abiicere motionem (sicut facit mens incorporea, vnde habet etiam quòd sit libera) nec potest finem, & rationem finis, & mediorum ad finem, pernosse. Canis autem coit, vt faciet appetitum, nec intelligit immortalitatem speciei per successionem coitu procurari, similiter manducat non considerans cibum esse propter indiuidui conseruationem, sed vt sedet passionem famis, vnde operatur rationaliter sine ratione, elicita à se; ipse enim non dissentit passionibus, sed sequitur illas, donec alia passio fortior ipsum amoueat, voluptuosa vel dolorifica. homo autem mutat per arbitrium liberum à passionibus, & ab obiectis, potens contra illam deliberare. Nunquam suadebis cani esurienti, vt ieiunet, viso cibo, neque pueris vsum rationis non habentibus. Suades tamen homini per rationem ex Medicina, aut ex Religione, petitam. Iudicium autem seu arbitrium, non est passio, nec quà patiens iudicat, vt in brutis, sed quà Rector passionum; neque quà executor, vt in brutis: quomodo autem à Deo, dicam respondendo ad quartum.

Ad quartum quod est in potentia passiua deduci opus habet ab eo, qui est actus. sed quod in potentia actiua vel actuatiua, seipso actionem vel actum edit, indiget tamen solum occasione, vt ignis calefacit, & calet semper: vt quidem caleat non indiget causa nec occasione, sicut nec graue vt grauitet. Calere enim actus est essentialis, at vt calefaciat, indiget occasione, & obiecto calefactibili Mens ergo vt possit, sciat, & amet, non indiget causa nec occasione, sed vt possit hoc, sciat hoc, amet hoc, & nunc, & hic, indiget occasione, quam offert Deus per necessitatem, fatum & harmoniam, influxus magnos primalitatum.

D. Tho. respondet, quòd anima indiget actuari à fine tantum: cum enim fine mouetur fit actu, vt calefactibile fit calidum. Et tunc ad media mouet seipsam. Et hoc verum est. 1. 2. q. 9. ar. 3. & 6.

Alibi vero ait, quod voluntas mouetur ab intellectu per consilium, consiliatio autem prima non ab alio fine fine, sed à numine exteriori, vt ait Arist. lib. de bona fortuna. sed tamen in q. disp. de Elect. docet quod Deus mouet voluntatem, non vt grauia & leuia de necessitate, sed se habentem indeterminatè ad multa in mediis. Ad finem verò de necessitate, quantum ad determinationem actus, non quantum ad exercitium. Item ver. q. 24. 1. ait arg. 7. sed contra. Omnium, quæ fiunt aliquam causam ponere oportet, sed humanorum actuum non possumus ponere causam Deum immediate: quia quæ à Deo immediatè sunt, non possunt esse nisi bona, actus autem humani sunt quandoque boni, quandoque mali. Nec necessitas potest esse causa actuum humanorum, quoniam non eodem modo semper sunt. Nec fatum stellarum cum non sint necessariò, nec natura, cum non sint ad vnum determinati, nec à casu, & fortuna: quia horum effectus sunt præter intentionem. Relinquitur ergo hominem facientem, esse proprioruin actuum principium, ac per hoc liberi arbitrii. At cum aiunt, moueri voluntatem ab intellectu finaliter, quia ostendit ei bonum cognitum: falsum est, intellectus enim non cognoscit bonum, nisi consulta voluntate, cui si placet dicitur bonum, si displicet, malum. voluntatem verò mouere intellectum, & omnes potentias actiuè, verum non est, nisi in ordine ad bonum, sed in ordine ad verum intellectus mouet actiuè, & voluntas finaliter, in ordine ad possibile, seu ad esse, potestas actiuè se habet. Voluntas propter identitatem mouet intellectum ad verum vt bonum: Et intell. voluntatem ad bonum vt verum, ordine tamen primalitatum ex potestate intellectus, ex vtroque voluntas, per intraneos actus naturales. sic & obiecta: ex ente enim verum, ex ente & vero Bonum, in electiuis omnis in omni primalitas & cum omni, vt in Metap. Sed imperium, & executio est potestatiui, vt à voluntate afficitur, & ab intellectu dirigitur. Deus mouet omnes causas physicè iuxta ipsarum naturam ad actus naturales, vel mediatè vel immediatè. Similiter & ad morales. Et hoc est applicare ad causandum, influxibus scilicet pri-

malitatum. Et intrinsecè quatenus dat esse actibus: non autem hoc, & ita: prius autem est esse, quam hoc & ita: & intrinsecum magis. Malitia autem est à non esse, nisi hoc, & ita, idest ab inopia entis, & copia nihili. Ex ente autem & nihilo, constat omne finitum ens, immo dicit S. Tho. 2. d. 25. art. 1. Deus mouet omnes causas, sed aliter naturales, aliter liberas, illis enim dat esse, formã, virtutem, & operationis determinationem: liberis esse virtutem: *at circa determinationem actuum, relinquit eos in manu consilij sui*, vt particulare ens est (intellige) non vt ens est.

Ad 5. verè peccata indicant hominem liberum à Dei coactione & seruitio: peccatum enim est directè contra Deum, eiusque præcepta, vnde non potest esse volitum à Deo per se non per accidens, ergo non cogitur à Deo ad peccandum, sed potius ad non peccandum per gratias, virtutes, inspirationes, leges, scientias, ac promissa, & disciplinas: quod si hæc non cogunt hominem ad bonum, & ad non peccandum, multò minus tentationes carnis, dæmonij, & passionum, & obiectorum, quę sunt minoris efficacitatis, cogent ad culpam: Nec in his seruit Deo: sed resistit, vt inobediens filius, & contrariatur: indicant tamen hominem esse seruum pассionum peccaminosarum innascentium, vel illatarum, sed spontaneum, non coactum, & libere se subiicientem, sicut qui vendit se ad remigandum propter escam vilem. potest tamen dum est in peccati reatu, non tamen in actu, vitare singula peccata mortalia (ait D. Thom. in parte 2.) at in q. disp. & 2. sen. etiã omnia, quoniam dum vitat vnum fit fortior ad vitandum alia. alioquin per peccatum amitteret liberum arbitrium: quod falsum est, tollit enim dona supernaturalia peccatum mortale, non autem naturalia, licet debilitet. Præterea (ait 3. cõtra gentes cap. 159.) etsi non potest à peccato resurgere nisi per gratiam Dei: Nec directè auxiliũ Dei consequi potest; potest tamen indirectè, id est, non opponendo impedimentum gratiæ; quæ prçstatur omnibus peccatoribus etiam, quoniam Deus (teste Paulo) vult omnes saluos facere: (& teste Petro) neminem perire: & propterea illuminat omnes homines (teste Ioanne.) Et in sæculum misericordia eius. vt declarat Chrysost. non aliquando & sic, Qui autem dicunt hominẽ non posse facere quod in se est, sine gratia Dei, nec non impedire: falsò de Deo, & de se sentiũt: quoniam *Deus semper dat omnibus affluenter*, ait Iacob. *nec dicas per Deum stat*, ait Eccl. Item implicat contradictionem (ait S. Tho. 2. d. 5. q. 1. 1.) dicere quod homo non facit quod in se, nisi per gratiam: si enim, in se, ergo non aliunde: vel gratiam semper Deus parat illi, & sic facit quod in se, quia dicimus posse quod per amicum indeficientem possumus. præterea gratia prodest, non vt faciamus quod in nobis est, sed vt mereamur, quod supra nos est, ait S. Tho. sufficit enim liberum arbitrium ad faciendum quod in nobis. Idem probant omnes Philosophi, sed præcipuè Aphrod. in opusc. De eo quod in nobis est, Quando autem Paulus & Isaias dicunt, quod Deus indurauit cor Pharaonis, & excæcauit Iudæos: & quod facit de nobis sicut figulus de vasis quidquid vult: Respondimus scribentes super 9. cap. ad Roma. quod dicta Apostoli sunt argumenta contra superbiam Iudæorum, & quod Deus indurat dum non castigat, sicut dicitur pater filio nete nequeum, quia indulget nimis, vel quia non dat gratiam quia ipsi nolunt. Neque Deus facit vasa in contumeliam, sed omnes homines rectos ad sui imaginem, & aureos. vt dicit S. S. & Doctores: sed ipsi per peccatum facti sunt lutei, & in contumeliam, & tamen si volunt reuerti, possunt purgari in honorem, vt dictum 2. Tim. 2. sicut Magdalena. sed de his in Theologia; nunc autẽ Philosophicè loquimur, de conuersione morum, & fortunæ, vt Horatius citatus dixit, & Valer. Max. in hoc titulo suorum exemplorum.

Ad 6. Deus est liber in his, quæ sunt ad finem, non autem erga finem quæ est sua bonitas, quam non potest non velle. Creaturas vult in ordine ad gloriam bonitatis suæ, & quoniam sua bonitas est, & repræsentatur sibi absque creaturis, idcirco non sunt creaturæ volitæ de necessitate, sicut cibus ad vitam, sed de libera voluntate, sicut viridarium ad vitam. Et quamuis volitio Dei sit æterna & necessaria, non tamen volitum æternum & necessarium, sicut nec existentia rerum est æterna & necessaria, quamuis Deo sit æternaliter nota. Liberũ arbitrium Dei excludit imperfectiones nostri Liberi arbitrij; quarum altera est discursus & inquisitio dubitatiua. Deus enim

vnico

vnico actu intuetur quidquid vult, atque non vult, non inquirendo; dicitur tamen agere ex consilio quia non temerè, non quia inquisitiuè. Altera est posse bene & male, velle, vel facere: non enim male velle, & male facere sunt de perfectione, sed de ostensione libertatis errantis, quod sumus ex nihilo. Deus autem nullum nihilitatis participium habet, ideo non potest male velle, aut male facere. Et hoc non posse, est plurimum posse; sicut non posse mori, est impotentia in vocabulo, sed in re, infinita potentia. Sic homo potest male velle sub ratione mali; sed quia apparet sibi bonum ex deceptione. Deus autem non decipitur: & propterea præsupposito quod voluit absoluta, necessario, vult non absoluta necessitate sed suppositionis. Propterea nostrum arbitrium potest nolle postquam voluit, & velle postquam noluit, quoniam accidunt quæ non cogitant mutantia voluntatem. Deus autem omnia præcogitat. Et quamuis Deus antecedēter velit omnes saluos, non tamen consequenter: hoc accidit ex nobis mutatis, non autem illo. qui vult omnes saluos conditionatè si non mutentur vltro à rectitudine, quam acceperunt. sicut Agricola vult colligere omnes fructus arboris, nisi vredine vel morbo corripiantur. Deus enim scit qui mutandi sunt, non quia facit, aut decreuit vt mutentur: sic enim periret libertas: sed quia omne futurum est præsens æternitati, & non prius causam quam effectum nouit Deus. Licet noscat causam priorem esse effectu. Vide Theolog. lib. 6. libertatem ergo à Deo liberrimo habemus, quantam participare potest Creatura.



QVÆSTIO TERTIA.

DE VIRTVTIBVS.



Irtutem in sua prima significatione vim esse naturalem cuiuscunque rei, ad sui esse tuitionem, inuenimus, vt virtus lapidis est duritiês, qua se à malis corrumpentibus defendit: virtus plantæ est robur eius, & viuacitas innata, qua vitam tuetur, & operationes suas perfectas facit. Quapropter fortitudo est virtus prima: & propriè secundum vocabulum, & ipsa sola vocatur virtus etiam in lib. Sapientiæ c.8. & apud Cesar. in comment. Deinde virtus dicta est non illa, quæ seruat subiectum suum, sed quæ ad alterius vtilitatem proficit, vt virtus Reubarbari est purgare choleram, virtus equi est ad nutum obedire equitanti: cum tamen id potius sit imbecillitas: ferox enim & potens liber est, atque seruitatem fugit. Deinde dicta est virtus, quæcunque facultas hominis, vnde actus bonos, nobis, & aliis elicimus, hinc iustitia, castitas, beneficentia dicuntur virtutes. De quibus præsens Quæstio instituitur, quodnam sint, & vnde producantur, & quis scopus earum, siquidem alij naturales illas faciunt, vt Medici, & Physici: alij acquiri assuetudine, vt legislatores. alij esse scientiam doctrina parabilem, vt Metap. alij voluntarias amoris habilitates, vt Theologi. Vnde alij potentiam, alij sapientiam, alij Amorem ad constitutionem virtutis adducunt, alii illa miscent. Quæritur ergo.

Vtrum virtus sit habitus acquisitus; an naturalis potentia; an puritas; an scientia.

QVÆSTIO TERTIA.

ART. I.

PRIMA OPINIO.



Rist. in 2. Eth. probat virtutem esse habitum electiuum consistentem in mediocritate secundum rectam rationem.

1. Inquit in cap. 5. tria sunt in nobis, potentia, affectio, & habitus. Virtus non est potentia, vt posse irasci, amare, & iustificare: neque est affectio, seu passio. non enim ira, aut amor sunt virtutes, ergo est habitus, qui est rectè irasci, & rectè amare.

2. Ex potentia, & passione non dicimur, boni, neque mali: nec laudamur, nec vituperamur: neque eligimus: sed tantum mouemur, aut moueri possumus ad actus: at secundum virtutem, & vitium laudamur, vituperamur, eligimus: sed mouemur, non omninò, sed aliquo modo certo, idest benè, vel malè: non ergo potentia, aut passio est virtus.

3. Ait in c. primo omnis virtus aut est intellectualis, aut moralis. neutra autem fit in parte naturali, vt in nutritiua, quoniam rationis non est particeps: est tamen naturalis. virtus ergo non est naturalis, sed rationalis, fit enim alia in per se rationali animæ parte: alia in rationali per participationem: namque per increpationes, & cohortationes probatur parere rationi. At quidem virtus moralis acquiritur assuetudine in parte sensitiua rationis participatiua: intellectualis verò in verè rationali per doctrinam: doctrina autem experientia, & præceptore & per multos actus: omnis ergo virtus habitus est acquisitus.

4. Virtus non inest nobis à natura: quod enim naturale, non potest assuetudine mutari: quãtum vis enim sursum mittas lapidem, aut ignem deorsum, nunquam assuescet sic ferri. At in moralibus operando sepè acquirimus habitum ad opus illud, ad quod tamen natura sumus idonei: non enim contra naturam.

5. In naturalibus prius potentias accipimus, deinde operamur, vt prius potentiam visiuam, deinde videmus: at in Moralibus prius operamur, deinde acquirimus potestatem operandi. sicut in artibus ædificando discipuli fiunt ædificatores, & cytharizando cytharedi: & iusta igitur agentes, iusti.

6. Legislatores per præmia, & pænas assuefaciunt homines ad virtutem, & præcepta: ergo, &c.

7. Virtutes corrumpuntur per operationes malas, & acquiruntur per bonas, vti Ars. Ex eo enim quod benè, vel malè pulsant cytharam, fiunt boni, vel mali cytharedi; sic milites fortitudinem acquirunt ex vsu non metuendi, & aggrediendi hostes. idem in castitate apparet: & quia ex prima consuetudine ad virtutem, & vitium, radicantur magis, sequitur vt plurimum, vel totum consuetudini detur.

8. Deinde dat signum acquisiti iam habitus, si enim operatur delectabiliter fortitudinis operationes, acquisita iam est fortitudo. sin minus, contra. idem docet de vitiis: nam qui habitum intemperantiæ iam acquisiuit, gaudet vsu eius: qui tristatur, non adeptus est.

Hinc probat omnem virtutem moralem esse circa voluptatem & tristitiam, & in horum mediocritate esse virtutem: vitia in extremitate.

9. Probat, quod sit habitus electiuus in c. 3. quoniam quatuor ad virtutis opus re-

quiruntur, primo vt ſciens, ſecundo vt eligens, tertio vt gratia virtutis, quarto vt conſtanter, & immutabiliter agat. hæc autem abſque firma electione habituationeque non fiunt: electionem autem præcedit ſcientia, & conſilium: qui enim caſu opus virtutis facit, aut nolens, aut ignorans, aut trepidanter, aut vacillando, non eſt virtuoſus.

10. Iterum in 3. Eth. c. 8. probat, quod vitium, & virtus ſint habitus electiui: quoniam ſunt in noſtra poteſtate. Nam voluntas eſt finis: Conſilium autem & electio ſunt de his, quæ propter finem, id eſt de mediis: ergo operationes de mediis, ſunt voluntariæ. quoniam ſunt ſecundum electionem, & conſilium; ſed operationes virtutum ſunt circa prædicta, ergo ſunt voluntariæ, & virtus voluntaria, & in noſtra poteſtate. Non enim conſilium eſt de neceſſariis, neque de impoſſibilibus, neque de his, quæ ſunt in aliorum poteſtate, ſimiliter & electio. igitur & vitium eſt voluntariũ, nam ſi operari eſt voluntarium, ergo & non operari, alioquin neceſſe eſſet operari, & non eligibile. vitiũ autem vel non operatur, vt non honorat parentes, vel dehonorat.

11. Ad ea, quæ non ſunt in noſtra poteſtate, non hortamur per præcepta, & pænas, & præmia. vt ne calefaciamus in æſtate, ne doleamus, ne fameſcamus. At ad virtutes hortamur per legiſlatores, & parentes, & præceptores: ergo ſunt in noſtra poteſtate. ſimiliter etiam propter vitia punimur, & propter operationes prauas, quarum ſumus cauſa electiua: quando enim per vim, aut ignorantiam, quarum non ſumus cauſa, non punimur: neque ſi ſpontè operamur, ſed non electiuè, tandem punimur, vt cum ex ira ſponte quidem verberamus prouocati, punimur etiam vbi nos ſumus cauſa ignorantiæ, vel ex incuria, vel ebrietate ſpontanea.

12. Excludit dictum Timæi. Nemo ſponte malus, ſed propter malam natiuitatem, qua inclinatur ex cælo, vel complexione ad malum, vt ad iram, vel libidinẽ: aut propter malam educationem, vt in lege barbara: ſed contra ait Ariſt. tu dicis virtutem eſſe ſpontaneam: ergo & prauitatem: vnuſquiſque ſibi finem præficit qualis ipſe eſt: virtuoſus, bonus, vitioſus, prauum: ergo ſi eſt cauſa, vt talis ipſe ſit per habitum, erit cauſa, vt talis ſibi finis appareat bonus. ſed nos ſumus cauſa habitus vtriuſque: nam operantes iuſta, & temperata, euadimus iuſti, & temperati: & operantes iniuſta, & intemperata, iniuſti, & intemperati, potui & rixis indulgentes.

13. Hoc autem nemo ignorat, & in quolibet exercitio palam eſt acquiri habitum, vt in lucta, & ludo: neque poteſt quis excuſari, ergo, &c. Item qui vult cauſam, vult effectum. qui ergo vult exercitium iniuſtum, vult fieri iniuſtus. vitium ergo voluntarium. licet poſtquam factus eſt per habitum iniuſtus non poſſit non eſſe, vt qui eſt cauſa ſibi ægrotandi, poſtea non poteſt non ægrotare, vt nec lapidem proiectum poſtea retinere. Item vitia corporalia quorum non ſumus cauſa, non increpantur, vt cæcitas naturalis: quorum verò ſumus, increpantur, vt ſi quis ex ebrietate, vel alio flagitio captus ſit oculis: ergo multò magis increpandi ſumus in vitiis animæ, ergo ſunt voluntaria.

14. Probat in 2. Eth. c. 5. quod virtus ſit mediocritas. Nam omnis virtus reddit bonum habens ipſam, & opus eius. vt virtus oculi reddit oculum bonum, & viſionem, & virtus equi equum, & curſum: ergo virtus hominis eſt habitus, quo bonus efficitur homo, & opus eius: ergo conſiſtit in medio. probatur, quoniam omnis ſcientia operatiua bene perficit opus ſuum ex hoc, quod ſecundum intentionem reſpicit ad medium, & ſecundum executionem opera ſua reducit ad medium; tunc enim perfectum eſt, cum neque addi, neque minui operi aliquid poteſt. virtus autem eſt certior, & præſtantior Arte, ſicut & natura. natura inclinat ad vnũ, vt natura, ars autem etiã ad malum. Item ars facit opus bonum, quando vult, non autem operatorem niſi ſecundum quid: virtus verò ſemper opus bonum, & operatorem. igitur virtus eſt medii coniectatrix, ſed non medium rei, quod eſt æqualitas, vt decem inter medium viginti: ſed medium quo ad nos; quod non excedit, neque deficit à proportione naturali. vt ſi decem panes excedunt, & vnus deficit ad ſaturandum hominem, non erit medium quinque, ſed duo, vel tres, vel ſex, iuxta hominis famem, & vim digeſtiuam. ſic calceus eſt medium mihi id eſt æquale, non ſibi: & labor in gymnaſtica excedens

vitiat, similiter deficiens: mediocris facit habitum bonum. Sic circa passiones virtus inuenit medium, vt non doleamus, aut metuamus, aut irascamur, aut misereamur, aut delectemur, magis, aut minus: sed medioeriter, quantum oportet, ad quos oportet, in quibus oportet, & cuius gratia oportet, & eo modo, quo oportet. similiter etiam in operationibus, vt in persecutione, fuga, iustitia, &c. & hoc est medium, & rei optimum, & ipsa virtus substantialiter.

15. Probatur idem autoritate Pythagoræ dicentis, Malum infiniti, Bonum finiti. quia multipliciter contingit peccare, & à recto, & medio secedere; vno autem solo rectè agere. vt patet in omni passione, & continuò.

16. Deinde admonet, non omnis passionis, & operationis medium esse virtutem. sunt enim passiones, & operationes statim prauæ, vt in verecundia, impudentia, inuidia, adulterium, furtum. Et horum omnis pars prauitas, sicut & vitia. non enim timiditas plus, & minus habet medium: neque audacia: sic neque virtus vt fortitudo in sui superabundantiæ, & defectus medio est, sed vitiorum.

17. In 6. Eth. c. 1. inquirit secundum quam rectam rationem sapientis ponitur mediocritas in habitu, & operationibus: & quomodo attingitur medium punctualiter. sed quidē nil videtur soluere. Dum ait, quod virtus moralis est electiua finis. & quod intellectus actiuus concordans appetitui recto, facit rectitudinem. partim, ait, quod & in 3. dixerat, finem à natura determinari, dicunt peripatetici, per synderesim cuilibet virtuti: circa ea autem quæ sunt ad finem rectam rationem esse prudentiam. Vnde in c. 15. cum dubitasset de vtilitate sapientiæ, quæ nihil præstat actibus, & finibus virtutum: & de prudentię superfluitate quando virtus omnis operatur de se ad finem electum: nec scientia exteriori indiget, nec prudentia: vel si indiget, sufficit obedire legi, & sapientibus, sicut cum volumus sani esse, consilio vtimur medicorum: Respondet quod sunt vtiles ad perficiendam rationem speculatiuam, & practicam. Item vt operemur secundum eas fœliciter. item & si virtus præstituit finem, prudentia est necessaria de his, quæ ad finem, vt probè disponantur. est enim ingeniositas quædam facilè inueniendi, & disponendi media ad quemcunque finem, quæ sine rectitudine est astutia, cum rectitudine est prudentia, quare non potest esse prudentia sine Morali virtute, sicut nec virtus naturalis potest fieri moralis sine prudentia, sunt enim alii nati ad temperantiam, alii ad fortitudinem, alii ad alias virtutes, vt patet in pueris, & in beluis. istæ autem virtutes naturales nocent aliquando sine prudentia regulatiua. cum hac autem fiunt propriæ virtutes. Vnde Socrates putat omnes virtutes esse prudentias. sed errat, quoniam sunt cum prudentia, non prudentiæ omnes, & ideò potest vnus homo omnes virtutes habere per prudentiam, morales: non autem naturales: alii enim alias natura fortiti sunt, non tamen prudentia est melior quam sapientia, licet principetur in ciuitate. sicut nec Medicina præstantior est sanitate: neque politica Deo, licet de cultu Dei præcipiat. neque melior cultu, &c.

SECVNDA OPINIO.

GAlenus autem librum scripsit vnum de hoc, *Quod mores animi corporis temperaturam sequantur.* Et Empedocles, & Democritus, & quicumque animam mortalem faciunt, idem opinantur. Horum libros nullos habeo, potest tamen sic apud eos probari.

1. Alij enim sunt mores canis, alij leporis, alij Aquilæ, nec differunt nisi ex temperamento: Ergo, & hominis mores similiter: quandoquidem ex eisdem elementis ortum habet.

2. Mulier nunquam viriles mores accipiet, nec homo muliebres propter temperiei diuersitatem, non autem animi exterioris. homo prudens natura, fortis, constans, ferox præ illa, quæ natura imprudens, mollis, fragilis, pia, auara. diffidit enim viribus propriis ad vitam tuendam, ideo in externis bonis se tutari optat.

3. Variantur mores secundum ætatem. pueri enim imprudentes, fragiles, iracundi, faciles, intemperati, auidi, inconsulti, & tales vt vix à bestiis secernantur: vnde nec illis Arist. dat virtutem, nec electionem. iuuenes autem fortes, pii, verecundi, magnanimi, confidentes, perspicaces, iucundi, libidinosi, aman-

tes voluptuosa, & honesta. senes autem timidi, crudeles naturâ, passione misericordes, inuerecundi, auari, tristes, prudentes, obliuiosi, amantes vtilia, horumque gratia amicitias colentes: & quidem Arist. in Reth. plura huiusmodi annorauit. hæc autem varietate fiunt, ætatis,& temperamenti variatione, vt in Physiologia dicebamus: ergo videtur virtus esse naturalis potentia quædam subsequens certam temperamenti formam.

4. Idem ostendunt nationum mores varij pro Cæli, & Terræ diuersitate,quod nemo ignorat. & de his diximus in Phys. quanta enim inter Scythas, & Græcos, & Egyptios, & Italos, & Germanos, sit diuersitas morum, historiæ testantur. Hoc autem stellis, & terræ climatibus tribuitur. Fatetur hoc esse verum S. Thomas in lib. de Regim. Princ. & allegat Ptolomeum pro se. & in 3. Cont. Gent. centiloq. vbi ait, *Mercurius in domo Saturni in bono esse dat intelligentiam rerum medullitus*. Item Macrobium; vbi dicit Hebræos esse Saturninos, ideo sequestrare se ab hominum cæterorum consortio. Probat Halys, & Cardanus hoc ipsum.

5. Physionomia nobis mores animi pandit, teste quoque Arist. quoniam alterato corpore alteratur anima (inquit) & è conuerso. ergo mores temperiem sequuntur naturalem.

6. Idem docent humores: nam quibus inest atra bilis multa, calida, sunt contemplatiui, solitarij, mobiles, perspicaces, tristes; Philosophi &c. sanguinei, hilares, mites, affabiles; cholerici verò iracundi, audaces, indomabiles, sagaces. At phlegmatici, pigri, insensati, stupidi, molles &c. Idem Arist. confirmat in probl. sec. 30. disputans, cur Heroes & Philosophi fuerint melancholici, & docet pro melancholiæ qualitate, calida, vel frigida, vel mediocri, fieri sagaces, poëtas, sybillas; vel stupidos, ignorantes, pauidos, vel prudentes, politicos, Philosophos, in medio horum. & exemplum affert ex effectu vini in nobis. Quapropter longè magis naturæ, quam consuetudini videntur tribuendi mores.

7. Idem probat ebrietas, & ciborum diuersitas, qui exhilarant, tollunt ingenium, vel acuunt, inducunt iram, timorem, pigritiam, audaciam vt patet in lib. 4. de sensu rerum, & magia: quod ergo faciunt cibi pro paruo tempore, faciunt natiui humores, & temperies ab initio. & qui hoc negat indoctus est & obstinatus.

Concedit Arist. inesse vitia, & virtutes à natura, sed per prudentiam fieri alias virtutes, vel easdem formari: sed ex hoc sequitur potius esse naturales virtutes, quam ex consuetudine. plus enim confert natura, quam mos: saltem vitia esse naturalia non negabis. neque enim indigent prudentia. præterea probatum est prudentiam in primis sequi temperamentum, & ideò non inesse à principio: sicut nec impudicitia in venereis. ergo naturalis est omnis virtus.

8. Infirmitates hoc maximè comprobant. nam alii mutato habitu fiunt ex iracundis mansueti, alii obliuiosi: alii perdunt prudentiam, & sapientiam: fuit enim homo quidam doctissimus, qui ex infirmitate conualescens nesciuit legere, nedum philosophari, & proprium oblitus est nomen; & hoc nos in phys. diximus, quoniam spiritus in quo motiones scientificæ erant totus exhalauit, nec adueniente cas communicauit, sed solam passionem præsentem grandem, quæ illas occultabat. Alii insaniunt ita vt nulla virtus remaneat in eis: quod si vinum & temperiei infirmitas tantam morum faciti iacturam, consuetudo autem nulla potest hos sanare, palam est plus rationis in natura quam in more habere virtutem.

9. Arist. concedit incontinentiam esse naturalem in 7. Eth. neque enim eligens peccat, sed sponte, vt brutum passione victum; intemperatus verò eligens peccat, & ideo est vitiosus. At cum in omni vitio sit incontinentia ex Arist. testimonio, licet secundũ vocabuli proprietatem sit in sola intẽperantia, vti vult: nunc autẽ quæstio non est de nomine, sed de re. est ergo impotens iræ, & lucri, & timiditatis, & omnis vitii. hęc autem est naturalis impotentia potius quam habitus, vel electio. ergo omne vitium est naturale. sed resp. Arist. vitium absque electione esse naturale, sed quæ eliguntur sunt ex habituatione: & fiunt absque pænitudine, & à volentibus, scientibus, & firmiter, & iucunde. Ego tamen id negarem cum Socrate, Quicumque enim co-

gnoſcit eſſe vitium,& malum quod agit, ſiue docente natura, ſiue lege, ſiue præceptore, peccat cum pænitudine, & ſponte, ſed non eligens omninò. Neque ego memini me vnquã aliter peccaſſe: neque puto inueniri qui aliter peccent: qui autem putant aliquem actum non eſſe peccatum,quamuis ſit, ſi eligunt, vt Macchiauelliſtæ tyrannizare, libertini luxuriari, Turcæ mancipiis abuti. ſed tunc ignorantia licet non tollat, tamen minuit rationem voluntarii peccati,non tamen peccat ſi voluntas eſt cauſa ignorantiæ. ſic qui in feria ſexta edit carnes, putans eſſe quintam, in Chriſtianitate,peccat eligens,ſed ignorãs.Hoc argumentũ videtur inſolubile in doctrina Ariſt. item ipſe docet incontinentem in propoſitione vniuerſali non errare. ſcit enim omne adulterium eſſe vitandum: in particulari autem errare, dum paſſione obrutus libidinis, dicit hoc adulterium licet nunc, ad quietandum appetitum, non eſſe vitandum. At profectò in cunctis aliis vitiis peccamus ſimiliter, vt S. Thom.concedit: ergo plus natura quam habitus habet in illis, proptereaque Socrates dixit,neminem ſponte malum, ſed propter malam natiuitatem; aut doctrinam; aut paſſionem aliam.temperies enim & paſſio hic, & nunc, doctrina falſa ſemper, & vbique nos occupat. Rationes ergo Ariſt. contra eum nullæ ſunt. Nam, & ſi praui habitus, nos cauſa ſumus, non tamen paſſionis naturalis, neque ſtupiditatis, qua multi natura cęcutiunt, neque legis falſæ ab aliis poſitæ: neque accidentalium perturbationum: in quibus omnibus peccamus non ſpontanei: in cæteris verò vt incontinentes abſque vera electione.

10. Plurimi ſunt ita ad virtutes inepti, vt nulla doctrina, aut aſſuetudine poſſint fieri virtuoſi: alii diſcunt ſine magiſtro, & ſtatim: ergo potentia naturalis eſt virtus.

11. Si virtus non ineſt à natura,ſed generatur ex actibus; quæro, virtuoſis nè, an non:ſi non,nunquam generabitur virtus,vt ipſe quoque fatetur. ſi erant virtuoſi:ergo à virtute naturali,ergo natura procedit, habitus ſequitur tanquam ipſam clarificans, non tanquam res de nouo acquiſita, ens virtus. neque enim qui non eſt grammaticus loquitur grammaticè: neque qui non eſt virtuoſus operatur virtuoſa. Ariſt.conuictus hoc argumento. Reſpondet quòd poteſt quis grammaticè loqui caſu, aut aliter, non exiſtens grammaticus. At iſta reſponſio imperita eſt: neque enim caſu facientes iuſta, aut inuiti, euademus iuſti: ſed quia volentes, eramus ergo.

Secundo reſpondet quod non eramus virtuoſi,licet operamur virtuoſa, & iuſta. Nam aliter eſt in arte, & virtute. In illa requiritur ſola ſcientia: & ideò non niſi grammaticus grammatizat. In iſta requiritur electio, ſcientia, & firmitas. quæ non inerant ante habitum. Sed fallitur Ariſt. electio enim finis eſt nobis naturalis, vt ipſe docet, & S. Thom. ex ſynderesi, ſpontaneitas ineſt etiam pueris, & brutis: firmitas autem magis eſt à natura, quam ab aſſuetudine. Vnde natura iracundus licet aſſueſcat eſſe mitis,tamen ex potioribus cauſis iraſcitur. Verum & Cytharedus, vbi artem didicit, nec facilè ſubitò cytharizat, veluti poſt aſſuetudinem, videtur ergo conſuetudo polire, & obiecta nobis obedientia præſtare, & facilitatem, non autem virtutem ipſam, qua intrinſecè boni ſumus, & operamur.

TERTIA OPINIO.

PRoptereà TELESIVS opinatur virtutem eſſe puritatem naturæ: quæ bonum facit ſubiectum, & opera eius.

1. Habitus enim eſt quaſi res extrinſecus appenſa, quæ non facit bonum ſubiectum & opus: quomodo enim poteſt ſi non eſt res actiua, ſed acta per actiuitatem potentiæ innatæ:& ſi non eſt innata,ſed addita? quis enim dicetur bonus à veſtimento, & non à virtute, quæ veſtimentum parauit?

2. Cuiuſlibet entis bonitas eſt à ſui puritate. dicimus enim bonum aurum, quod ex tali tanto gradu caloris, & materiæ ſubactæ, & pondere, & denſitate, factum eſt; quales, quantæ, & quæ requiruntur ad auri naturam: ſi quid deeſt, aut ſuperadditur: dicitur aurum vitioſum, & impurum. nam de alio metallo, aut de terra non bene conuerſa in aurum habet miſturam.idem dicimus de lapide,& planta & animali.Bona enim ſunt ſi nihil poteſt deſiderari eorum, quæ ad naturam ipſorum requiruntur, & nihil eſt ſuperadditum. virtus autem eſt, quæ facit bonum, ergo virtus eſt puritas, & perfectio rei. ergo non eſt ſuperadditus habitus.

3. Item ostenditur in spiritu animali: si enim minùs calidus fuerit quam oportet, erit piger, & crassus: ad speculandum haud idoneus. si plusquam oportet, tunc nimis tenuis, & obliuiosus, & iracundus, & impatiens. si crassus, laborabit inertia, & incuria, & indocilitate. si tenuis, flexibilitate, mollitie, & timiditate. si fuligines ei mistæ fuerint, perplexus erit in iudicando, mendax, timidus, insidiosus, cogitabundus, tristis, seuerus. fuligo enim motiones, quæ fiunt syllogizando, interturbat: lucem spiritus fœdat, & timiditatem illi adducit: & quia tenuis est particeps generositatis, vult videri bonus, & non est; ideò mentitur, & insidiatur, quia palam non cõfidit. ipsæque tenebræ fuliginum ad insidias inuitant. Quapropter planum est, omne vitium ex impuritate oriri. spiritus autem moderatus in calore, lucidus, sine fuligine, tenuis, & non tenuissimus, est quidem generosus, verax, fidelis, sapiens res prout sunt: impurus enim non prout sunt, sicuti neque oculus croceus videt res, nisi croceas. causam horum in Metaph. diximus. Quapropter puritas videtur esse virtus; facilis enim est ad sciendum, apprehendendum, & retinendum, & iudicandum, ac proinde non vincitur passionibus, sed eis ponit modum, immò habet in se modum: prout autem mensura afficitur, sic mensura operatur: Virtus autem mensura est affectionum, & operationum. Idem autem de mente à Deo nobis indita, dicendum. Nam vel aliæ puræ, aliæ impuræ, & sic aliæ vitiosæ, aliæ virtuosæ sunt natura. aut omnes puræ, at spiritui animali vnitæ, eius affectionibus afficiuntur, sicuti lux tingitur coloribus rerum, quibus miscetur: & sic ex impuritate, & puritate spiritus, fiet virtus, & vitium.

4. Idem demonstrat sanitas, vnde & Arist. sumit exemplum, quia est & ipsa virtus corporis. Nam vbi humores, & spiritus, & soliditas puri sunt, inest sanitas: vbi hæc alterius rei mistura, aut ex cibo, & aere, aut nimietate, vel paucitate caloris, ex propria puritate alienantur, statim fit infirmitas. Idem dicendum est in spiritu animali, & in mente; & omnes rationes, quas pro Galeno adduximus, fauent Telesio, & magis. Indicant enim impuritatem corporis in spiritum redundare, similiter & puritatem: ac proinde in mentem: & sic fieri virtutes, & vitia. Idem Arist. docet in 7. Eth. vbi de bestialitate, quã barbari natura, aut consuetudine habent, aut morbo, aut amentia, ex prauis humoribus. Quapropter naturam sequitur vitium: neque enim his prodest medela, & habitus. Quis enim faciet de melancholico sanguineum?

5. Patet idem in scientia: quæ naturalis est homini, sicut ignorantia, sunt autem qui statim, & per se addiscunt: sunt qui multis laboribus, nihil: inest scientia ergo à natura.

Cum verò Arist. ex artibus argumentum adducit, quæ non nisi consuetudine acquiruntur, Respondet Telesius, aliud de virtute esse iudicium, ac de arte. In ista enim requiritur notitia rerum exteriorum, & modi in operando, qui non nisi per exemplum, & imitationem operationis conquiritur. In virtute verò operamur prius ipsam habentes, non enim calefacit, qui non erat calidus: nec iusta operatur qui non erat iustus: modos tamen exercitii exterioris experiundo discit, non virtutem generat. sic qui scientiam habet, obiecta non habet, sed opus est, vt sibi ostendantur, vt in Mathematicis arguit Plato: quæ verò patent, sunt nobis nota: at doctrina ac studium, non generant scientiam, sed reuocant animam ab aliis curis ad considerationem talium obiectorum. ex hac Telesii sententia videtur cõfirmari Platonica, quam S. Aug. defendit. sed aliter: non enim omnibus inest scientia secundum Telesium, sed puris tantum spiritibus in corporibus probè affectis, & organizatis. Non possumus autem organa nos facere graciliora, & spiritus puriores: propterea non possumus generare scientiam, neque virtutem: sed tantum reuocare scientem à curis aliis ad ipsa scibilia. Docet tamen Telesius mentem spiritui, & corpori dominari, ac posse vitiis non assentiri, & virtutes ponere, & proficere, dum prauitas non est firma, vt in amentibus, & ægrotis, & natura prauissimis, & maleficiatis.

QVARTA OPINIO.

Stoici tandem virtutem non nisi scientiam esse docuerunt, inque sola mente residere, vnamque esse: distribui tamen penes materias, ita vt fortitudo sit scien-

tia pugnandi, & resistendi contra pericula: castitas scientia vtendi venereis, & sic de cæteris. horum libris careo. potest tamen sic probari.

1. Virtus non est naturalis potentia, quoniam hæc non meretur laudem, nec vituperium. neque habitus, cum generet habitum. neque passio, cum omnes passiones sint virtutibus contrariæ: totusque virtutis labor sit in reprimendis passionibus, ergo est scientia: nihil enim aliud est in nobis.

2. Videmus tunc operationem fieri virtuosam, cum fit secundum scientiam: tunc vitiosam, cum per ignorantiam, virtus ergò per scientiam.

3. Virtutis est cognoscere finem, & ordinare ea, quæ sunt ad finem. Vtrumque autem opus est solius scientiæ. Hic derident Arist. qui Morali virtuti positæ in parte irrationali dat finis intentionē: quomodo enim passio licet moderatissima, potest finē intelligere, aut proponere, cum sit stupida, & egens ductore? profecto non videtur posse dux esse rationis, quod conuenit præstituenti finem: vnde mirum quomodo Arist. virtutibus finem, Prudentiæ media committit, S. Thom. in 2.2. sequens Arist. Moralibus dat finis intentionem, prudentiæ mediorum: ac in 1.2. vtrumque dat prudentiæ. Dubitat Caietanus: quoniam cum prudentia sit nobilior, non debet esse mediorum: ars enim media tractans est serua ad Architectonicam, quæ de fine considerat. & resp. quod moralis non considerat finem auctoritatiuè, sed executiuè, ideò non est melior. At, inquam, cuius exequitur Moralis dictamen: dicunt synderesis. sed synderesis est lex nostro intellectui naturaliter insita secundum S. Basil. aut virtus inclinans ad assentiendum principiis practicis, secundum S. Thom. & hæc est in mente, non in parte irrationali, vbi Arist. ponit morales virtutes. ergo scientia siue Moralis, siue acquisita considerat finem, & media. Verum enimuerò Arist. nil de synderesi locutus simpliciter in 6. Eth. committit fortitudini negotium de fine proprio, qui est ponere medium inter audaciam, & timorem, & parari in ea mediocritate. nec Stoiorum effugit irrisionem. vult enim virtutem esse sic, et sic irasci, vitium vero magis, aut minus: quasi ira, quæ passio est fieri virtus possit: & sibi metam præscribere. At si non metam præscribit, non erit virtus ira in tali gradu, sed scientia illa rationis, quæ ponit illam in tali gradu, sicut non est virtus ferri, ex quo fit statera, æqualitas in statera: sed Artis, qui illam sic concinnauit, & ædificauit. neque virtus iustitiæ est in pecunia, sed in tractante pecuniam iustè.

4. Si virtus esset naturalis, aut passionis habitus, tunc non possent fieri virtuosi, nisi qui naturam talem habent, & passionē pro se moderatam. & hoc concedit Arist. in 10. Eth & in 6. & 7. Item nec qui in potentiā, poterit omnes virtutes possidere, sed illas tamen ad quas est inclinatus. omnis autē homo habet propriam inclinationē. At plurimi possent omnibus virtutibus. Respondet Arist. in 6. Eth. quod hoc verum est de naturalibus, non autem de propriè virtutibus, quas per prudentiam omnes vnus habere potest. Tunc, inquam, si sic est, sola prudentia erit virtus, vt dicebat Socrates, quem iniustè tu Arist. impugnasti.

5. Quod in scientia est affirmatio, in operatione est prosecutio: quod negatio ibi, hic est declinatio. In voluntate vero est amor, & odium: voluntas autem à scientia pendet. nihil enim volumus, aut odimus, nisi quod bonum, aut malum per scientiam esse cognouerimus: & tunc sequitur in operatione prosecutio, aut declinatio. igitur scientia est virtus tota in affectione, & operatione. nec potest errare in vitium, nisi ex ignorantia, & falsa æstimatione.

6. Virtus potest doceri, ergo est scientia: si enim esset passio talis, aut naturalis, potentia, non posset doceri, frustraque essent lex, & religio, & moralitas. nam quod Arist. putat per assuetudinem fieri virtuosus, cum assuetudo non sit nisi à rationali, sic dictante per scientiam veri, & boni, sequitur quod ad scientiam sit referenda. Neque enim motio, & res transiens generat virtutem tam nobilissimam, sed scientia nobilissima illam edit. nec vlla motio, sed mouens semper est causa rei per motum factæ. Neque omissio, sed omittens ex arte.

7. Omnis passio est seruilis, vt docet S. Ambrosius in lib de Iacob. 2. c. 3. virtus autem est domina dirigens operationes, & passiones: non ergo est passio talis, & tanta.

id

id enim potius est effectus passionis.

8. Hanc sententiam Stoicorum videtur amplexus Chrys. August. Amb. Hieron. & omnes ferè patres. faciunt enim virtutem rationem; vel scientiam ratione partam, eandemque dicit Ambr. & Bern. rationalem & virtuosum; nam Christus qui est summa Ratio, vocatur etiam virtus Dei.

9. Tandem Stoici plurimi eò deuenerunt, vt putarent in sapientem non cadere passionem: omnis enim passio est perturbatio rationis, & seruilis. Ratio autem pugnando eradicat passiones, & remanet regina, omniaque virtute regit, sicuti Deus in mundo ita anima in corpore, cum sit diuinæ particula auræ. Vnde Anthistenes laudauit discipulum iam ità vacuatum passionibus iuxtà suam doctrinam, vt nec mæreret, nec auxiliaretur eidem præceptori suo in foueam lapso, non credo, quia non auxiliabatur, sed quia non ex passione auxiliabatur. Officia enim Stoicis maximè commendantur.

10. Præterea. Ratio sola potest omnia bene perficere sine passionibus. passiones autem addunt prauitatem: ergo nil pertinent ad virtutem. fortitudo enim potest vincere in bello sine ira, quæ est bestiarum & mulierum & ægrotorum, ait Seneca. sic de cæteris. Item Deus habet virtutes absque passionibus: non ergo passiones possunt fieri virtutes nec prodesse virtuti, &c.

1. Sed contra hanc doctrinam scripsit Arist. 2. Eth. c. 3. ad virtutis acquisitionem, & operationem, sequitur voluptas quæ est passio: ergo non consistit virtus in remotione passionum, vt fiat homo impassibilis, sed in affectione sicuti oportet, & quomodo, & quando, &c.

2. Moralis virtus est in hoc tota, vt homo delectetur benè, & tristetur. Nam virtus corrumpitur per non rectè delectari, & tristari: & pene sunt Medicinæ contra has passiones ad virtutem reparandam: ergo virtus in his passionibus rectificatis consistit.

3. In vtili & honesto est voluptas, similiter in iucundo per se. In hoc autem peccat omnis homo, quia malè vtitur bonis his gratia voluptatis. Virtuosus autem est, quia benè ordinat voluptatem: ergo in hac virtus consistit.

4. Istæ passiones sunt insitæ nobis, & connutritæ: ergo, &c.

5. Actiones metimur dolore, & voluptate.

6. Difficilius est, ait Heraclitus, voluptati quam iræ repugnare: ergo totum negotium morale circa has passiones versatur, & in hoc est virtus, non in earum carentia.

Quod autem virtus non sit scientia scribit in 7. Eth. c. 3. contra Socratem dicentem, non posse hominem peccare vbi scit esse peccatum: scientia enim est potentissimum in homine, dictans facienda, & afficiens faciendorum, & fugiendorum amore, & odio, vbi ait.

1. Incontinens ante actum vitiosum existimat non esse faciendum sciens esse malum: attamen libidine motus facit, quod sciebat non faciendum: ergo virtus non est scientia, sed habitus passionum rectus.

2. Contra eos qui dicunt, non habuisse eum veram scientiam, quod non sit fornicandum, sed secundum opinionem, qui fornicatur. Opinio autem instabilis est, & à passione vincibilis.

3. Ait, si opinio esset ambigens, mereretur veniam, qui sic peccat, non resistens per opinionem leuem grauibus tentationibus libidinis. At verò vituperatur, nec venia dignus putatur magis quam alii scelesti: ergo, &c.

4. Incontinens opinans est prudens; prudentia enim opinabilium. At nemo potest peccare prudens, prudentia enim virtus est, & semper cum virtute. vt dictum est in 6.

5. Nihil differt opinari, & scire in peccando: multi enim opiniones falsas habent, putantes esse scientias, eisque inhærent fortiter, & tamen peccant contra opinionem. Turca opinatur fortiter peccatum esse bibere vinum, & tamen bibit.

6. Concludit, quod potest quis scire habitu, non actu, sed peccare actu: item scire in vniuersali, non in particulari, vel habitu & particulari scire, sed impedito per passionem, vt in ebrietate, & somno. sic qui est in actu peccandi passione obrutus pec-

cat ligata ſcientia. & quamuis loquatur verba ſapienter, hoc etiam accidit ebrioſis, qui Empedoclis carmina dicunt,& ſententias altas,tamen oppreſſi ſunt paſſione: & licet ore dicat non eſſe peccandum,haud tamen corde deliberataque impreſſione.ſed ſicut hiſtrio recitat poema,ſic incontinens ſcientiam contra peccatum. Item incontinens ſyllogizat ex quatuor propoſitionibus, nam ratio dicit, non eſt vlla vxor aliena violanda: concupiſcentia dicit, omne delectabile eſt amplectendum: tunc in minori ait: hoc eſt delectabile, non addit, alienum,quod dicebat ratio: ergo amplectendum, concludit. vbi concupiſcentia fortis eſt, quæ rationi contradicit, non autem opinatio. & quia ſingularis propoſitio eſt ſenſus non ſcientia, ideò ignorãtia fit in ligato habitu ſcientiæ, & vincitur non ſcientia à paſſione, ſed ſenſus qui de particulari propoſitione eſt, vel exiſtimatiua facultas. benè ergo dixit Socrates ſcientiam eſſe inuictam.

Autor. RESpondeo ad quæſtionem. videntur mihi præfati Philoſophi in multis benè ſentire,in quibuſdam malè: in aliis inſufficienter. cum enim res cunctæ ex potentia, ſapientia, & Amore eſſentientur: ſitque virtus eſſentiæ conſeruatiua, quam bonam facit. bonum enim eſt eſſe cuique ſuum, eſſe autem bonum virtus facit, quæ ſeruat eſſe, & operationem; hoc enim eſt bonum facere ſuum poſſeſſorem, & opus, vti cuncti fatentur: conſequens eſt, quod virtus ſit illa qualitas quæ ex potentia,ſapientia, & amore eſſendi in vnoquoque reſultat ente, quam alii dicunt potentiam ad operandum. ſed vbi eſt appetitus, & ſenſus,non ſufficit dicere potentiam: contingit enim poſſe, & nolle: vel velle, & neſcire. quia res cunctæ impuræ ſunt, nec iuſtè ad ſuam ideam correſpondent. ideoque virtutem perfectam exiſtimabo, cum ex his integratur. vt ſi virtutem lapidis ad motum deorſum dicam eſſe potentiam cum appetitu eundi, & cum ſenſu eundi: neque enim it, quo ignorat. aut non poteſt, aut non appetit. ſi appetit, ſcit naturali, inquam ſcientia; quam Deus effundit ſuper omnia opera ſua, vt docui in primo lib. & quia hæc tria, conſtituunt vnum eſſe, ſic etiam virtutem vnam principalem in cunctis rebus, qua ſeruantur in eſſe, & operatione. verum virtus illa diſtinguitur poſteà penes diuerſas operationes, & obiecta,cum ſit vna ſecundum ſeymius entis. At cum eſſe eſt imperfectum, aut impurum, dicitur vitioſum, vt Teleſius odoratur. vitia imperfectionis tendunt ad deficientiam: augmenti naturæ ad excellentiam, vt gradus 20. in auro faciunt illud imperfectum, gradus 21. perfectum, gradus 22. excellens & etiam 23. & 24. donec egrediatur ſpeciei ſuæ ideam. tunc enim non eſt ampliùs aurum: miſtio autem plumbi, vel æris, facit aurum impurum: & quædam impuritas deiicit virtutem,vt ſi ſit à plumbi miſtura: quædam ſublimat,ſi ſit melioris ſpeciei quam aurum. nec iſta meretur dici impuritas: quædam non deiicit,ſed alias operationes impedit, alias magnificat, vt æs auri pondus minuit, colorem tamen viuidiorem oſtendit: denſitatem, ac duritiem auget: reſiſtentiam in igne minuit, & permanentiam ſine rubigine labefactat. ſic omninò putandum eſt in anima humana. Quando enim pura eſt, omnes virtutes habet, radicaliter, ſuæ naturæ conuenientes. quando ei deeſt aliquid, deficit in vitia mollia, & defectus. quando additur aliquid nobilius, ad ſupernaturalitatẽ eleuatur, ſicuti quando Deus nobis infundit virtutes Theologicas: quando additur aliquid extraneæ entitatis fit impuritas quæ lædit aliquando ſapientiam,aliquando potentiam,aliquando voluntatem,aliquando iſtas omnes primalitates. aliquãdo vnam deprimit, alteram exaltat,& hoc ex operationibus coniiciemus,alios enim timidos:alios nimis iracundos facit, ſed tamen liberales:alios iuſtos,ſed puſillanimos,vt Veneti.Benè ergo dixit Teleſius,quod virtus eſt puritas. & idem docuit S. Chryſ.non ſemel, & S. Bern.in ſent. tribuit puritati libertatem, ſecuritatem,& charitatem,in quibus locat S. Amb.beatitatẽ. beatitas autem eſt à virtute. ſolemus & virum bonum dicere purum à vitiis. vnde Horatius ait.

Integer vitæ ſcelerisque purus,
Non eget Mauri iaculis, nec arcu.

Item Deus apud Iſaiam conqueritur quod vinum iuſtitiæ ſit miſtum aqua. & in Malach. promittit purificationem filiis Leui: purificatio autem eſt miſturæ ſegregatio vitioſæ, & redintegratio ad naturam, & quidem exiſtimare debemus, Deum omnia entia pura creaſſe, & virtuoſa; vitia autem ex aliquo accidenti

otta in rebus & in nobis: ergo in ſtatu innocentiæ omnes virtutes inerant tanquam naturales, quod non ſemel ſancti patres teſtantur: poteramus enim non peccare, & omne opus virtuoſum naturale facere ex naturalibus, vt Ricch. & Bern. docent: & S. Thom. At quoniam nullum compoſitum, quantumuis puræ ſint partes componentes, purum eſt: præſertim cum ſunt diuerſæ ſpeciei, ſicut eſt anima, & corpus, & ſpiritus ſenſualis, quorum ſunt diuerſæ propenſiones: potuit virtus ſuperior alterius propenſioni, ſibi non conuenienti, condeſcendere, & à Deo auctore puritatis, qui ſecundū idæam perfectiſſimam cuncta facit, deſciſcere; ideò ex hoc ortum eſt vitium, & peccatum. proptereaq; dicit S. Bern. in lib. de lib. arb quod accepit homo in ſua conditione quod poſſit non peccare, ſed non quod non poſſit peccare. ad hanc tamen perueniſſet per gratiam largiorem, ſi in prima conditione ſteuſſet. Poſt peccatum autem generantes filios ab idæa ſemper genus humanū deſciuit, ita quod ſubſecuta mortalitas generat ſpiritus impuros, flaccos, fuliginoſos, paſſionibus obnoxios quā multis. & hæc doctrina eſt naturalis, nè dum Theologica. Conuenit enim Deum purum creaſſe totum hominem, & non impurum: ergo & ſtatum innocentiæ fuiſſe à principio, ergo neq; mortem: quoniam paſſiones corporales & ſpiritus animales nō poterant vincere mentem, Deo inhærentem, à quo recens in ſua puritate manauit. ſi autem anima, quæ eſt vita, dominabatur, immortalis erat homo per ſe: ſed ab extrinſecis cauſis paſſibilis, à quibus protegebatur à Deo, tanquam inter illa optimus. vitia ergo omnia ſunt contra naturam, vt docebat Socrates, & Stoici, & S. Ambr. in lib. de Offic. & Chryſoſt. quaſi in omni loco: virtutes verò ſecundum naturam ſunt naturales: quoniam cum illis creatur anima, ait S. Hier. ſuper Galat. 1. neque enim decet à Deo vitioſam, nec truncam virtutibus dari. Idem S. Aug. mordicus tuetur. alii ponunt tantum ſemina virtutum, ſed ſemina ſunt Potentia, Sapientia, & Amor rectus, vt & D. Thom. docet Sp. creat. q. 3. & hæc ſunt virtutis eſſentia: ergo omnes confiremur hoc vnum. Benè ergo Teleſius virtutem vocat puritatem, & perſpicaciter Stoici euellunt paſſiones à nobis, vt appareat virtus. Vnde Deus in Deuter. prohibet concupiſcentiam, & Apoſtolus ad Rom. vocat concupiſcentiam peccatum: & Chryſtus nè concupiſcamus, neque iraſcamur, præcipit Mat. 5. vt hinc videas paſſiones has eſſe impuritates, & prohibendas, & recidendas, vt Stoici docent: Tota enim virtus in mente, vbi etiam eſt Amor boni, & hæc ſola affectio non eſt peccatum. ab hac deriuatur odium mali, triſtitia, deſiderium, & omnes paſſiones, vt docet S. Aug. Quapropter ſi proræ ſunt in mente capiantur, vitio radicaliter carent; ſi verò prorǽ in ſpiritu corporeo carnali, iam te docet Apoſtolus; ſcio, *quod non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum*. Quod exponunt de concupiſcentia. ex hoc enim naſcitur ira contra impedimenta concupiſcentiæ, & cæteræ paſſiones irrationales: non quia ſpiritus eſt irrationalis: iam enim probatum eſt ineſſe illi rationem animalem, non mētalem, & prudentiam carnalem, vt dicit Paulus, quam & ſerpenti Chriſtus tribuit, & S. Thom. cunctis brutis memoria non carentibus, vocatque extimatiuam. dicitur tamen irrationalis paſſio, quia à ratione mentis diſcordat, ad ſua obiecta rationem trahens. Vnde Apoſtolus ait, *ſentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*. vtraque eſt lex. dicit lex carnalis ſpiritus, omne delectabile carnis eſt amplectendum, hæc lex eius. Dicit Mens. omne delectabile conſeruatiuum indiuidui, & ſpeciei tantum eſt amplectendum. quæ enim deſtruunt, vt furtum, adulterium, ludus, &c. ſunt fugienda, ſpiritus autem animalis non poteſt facere aliquid abſque conſenſu mentis Dominæ, niſi fortè in ſomno, aut in paſſione furioſa, & ebrietate; vbi arma habet plura, & fortiora, quibus obruat mentem, & tunc imputatur ad culpam, vbi nos fuerimus cauſa, vt membra noſtra fiant arma iniquitatis, & paſſionis talis. In quo ergo conſiſtit meritum, & demeritum? dicam in exercitio virtutis, & vitioſitatis. Virtus ineſt nobis à natura, nemo poteſt ſeſe excuſare; ſi enim non ineſt, vt innatis dementibus, valet excuſatio: ineſt & vitioſitas in concupiſcentia: ſi illam exerces mereris: ſi hanc, peccas. Habitus autem nulli ſunt, qui ſint virtutes, & vitia, ſed ſunt effectus virtutis, & vitii, & ſtabilitas. Sed virtutis & vitii complementum eſſentiatiuum in rationali eſt decreto ſeu lege voluntatis, cuius & meritū & demeritū pro-

prium maximè est; non autem habitus, quo habitus est. huius enim proprium est firmitas & facilitas: alioquin non possemus nos generare habitum virtuosum sine præcedenti virtute, & in hoc conuincitur Arist. à Galeno & ab omnibus. Dantur tamen à Deo virtutes infusæ, vt lux in aere: ad quas natura non potest. Ad quas autem potest, ideò potest, quia habet: manifestum est enim quod nunquam lex Dei præcipit nobis habitum, sed actum virtutis, & qui operatur bonum sine habitu, ille est maioris aliquando meriti. vt calidus, natura iracundus, si faciat opus mansuetudinis, plus meretur, quam qui mansuetus est natura habituata. & hoc concedit Sotus in 4. de iust. & iur & omnes Thomistæ. circa ardua enim virtus. Quid autem ardui est si vir flegmaticus, piger, & stupidus, abstinet ab ira? Assuefactio ergo vtilis est ad facilitandam naturam virtuosam ad actus suos, & à contrariis auertendum. Maximéque ad domandum corpus, & spiritum animalem. videmus enim quod consuetus surgere ad officium matutinum in aliqua hora, aut corpus purgare aut mingere, quasi semper in eadem hora expergiscitur, etiam si nolit, & in eodem loco mingunt Asini ob consuetudinem. Hæc autem consuetudo non generat virtutem mingendi, neque vigilandi, sed assuefacit virtutem illam ad sic, & tunc operandum. & cum non potest assuefieri, remedia adsunt. S. Franciscus ponebat pudendum in niue, vt desuesceret erigi. qui autem in vulua, auget cupiditatem, vt docent experti, vnde iterum visa muliere erigitur huic, non autem illi. Ex quo scimus, quod quantumuis vitia sint naturalia, dummodo non excedant, vt amentia, & Ægritudo, possunt per rationem domari, vtendo etiam naturalibus causis, vt disciplina, verbere, niue, substractione cibi, præsertim salsi, & odoriferi, vnde benè canit Horatius.

Inuidus, iracundus, iners, vinosus, Amator,
Nemo adeò ferus est, vt non mitescere possit,
Si modo culturæ patientem commodet aurem.

Alii dicunt, non possum abstinere à Venere; tumescit enim veretrum, vitia sunt naturalia: cur Christus iubet, nè concupiscamus? *& si oculus tuus scandalizat te, eyce eum.* in quo videtur fauere Stoicis? & quomodo hæc lex lector Mosaica, quæ actus prohibebat, Christiana verò etiam affectus? Respondet Chris. immò leuius est abstinere ab affectu, quoniam diuertendo cogitationem, & exercitium, statim cessat. At si cæperis concupiscere, & tangere, aut spectare, non potes tunc amplius quasi te retinere. vnde qui solum actum prohibet, grauior est legislator. posse autem affectus diuerti, non autem actibus proximos, pluribus experimentis agnouimus; sed qui non vult experiri, ità se excusat, ex his est Lutherus. & profectò etiam à lasciuissimo Ouidio condemnantur, dicente: *principiis obsta: serò medicina paratur,* &c. & scribit libellum de Amoris remedio haud ineptum. Studia, & diuersio Amoris ad res diuinas, & altissimas cum subductione cibi libidinosi, plurimum valent: & in aliis vitiis alia. Dicam ergo ad Argumentum quod si habes vitia naturalia, habes etiam virtutes magis naturales, & cum omnis virtus sit ratio, & tu natura rationalis, non potes dicere vllo pacto, te non esse virtuosum seu rationalem; sed nolle vti virtutibus, verius dices: aut vti quidem velle; sed non deliberate deliberatione efficaci per potestatiuum. cum sic deliberabis, omnes vinces tentationes. Vnusquisque enim tentatur à propria concupiscentia vincibili vtique, vt ait S. Iacobus, & non ab inuicto Deo, vt docet Caluinus: sic enim non possemus non peccare, & iniustissimè condemnaremur: immò nec peccatum esset peccatum, cum sit à Deo, vt cõcludunt ex falso rectè falsum Libertini. Quapropter voluntas eligens ratione viuere, perficit essentiam virtutis: habitus autem effectus subsequens.

Item Chrys. super Met. hom. 24. *virtus* (ait) *est nobis secunda natura. impos. est ad ignorantiam confugere, sed ad voluntatem.* Idem probatur ex Sancto Augustino 2. de lib. arb. dicente. *Virtus est qualitas mentis, qua nemo malè vtitur, quam Deus facit in nobis sine nobis.* Ecce ergo tam virtus naturalis, quam Theologica dantur à Deo, vt Autore naturæ, & gratię. neque à natura fiunt consuetudine, sed perficiuntur tantum, & operantur. Item ponitur in mente, non in passionibus. Dico etiam omnes virtutes esse in spiritu animali; participat enim rationem: sed magis ad vitia inclina-

re:quoniam ab bonũ corruptibile: in quo etiam errat dum apparentia sequitur corporis conseruatiua, quæ ratio examinando agnoscit esse destructiua sed vtrum vitia sint in mente? Non puto, nisi participatio nihili, dũ se minori spiritui cõdescendit. si enim illa à Deo est, pura est. sic autem virtutes sunt in spiritu ad propriũ bonũ, & participatiuè etiã à mente, non enim posset aliter regulari, vt etiam Arist. docet in Ethicis: cõtrahit tamen anima labes vitiorum, quibus oportet purgari, si vult videre Deum. *Beati mundo corde*. Vitia enim aliena facit sua voluntariè. Hanc Doctrinam quoque tradit S. Amb. in lib. primo de Iacob c. 1. dicens. *Cum Deus hominem constitueret, & in eo mores sensusque plantaret, tunc motibus eius imposuit regale mentis imperium, vt omnes sensus, motusque hominis eius vigore, ac potestate regerentur*. Et S. Chrys. sup. Gen. Mentis imperium super corpus, diminutum esse ex peccato, non amissum docet, nisi vbi ipsa spontè se seruã facit, & hoc quotidiè experimur. Sed dices, spiritus impurus est vitiosus. Mens ipsi vnita fit vitiosa, quomodo potest virtutem acquirere, aut non consentire? Respondeo virtutem habet ipsa naturalem potentiorem vitio spiritus animalis: à quo trahi potest, & allici, sed non vinci. verum est quod habitus Aristotelicus non posset hic acquiri, vt probat Telesius, nisi temperies spiritus mutetur, at potest virtus mentis exerceri, licet spiritu renitente, vt patet in iracundo volente mansuescere, & tunc, si mens est affecta, vt vitium cognoscere non posset virtute sua, cognoscet aliena: vt libidinosus non putaret vnquam esse peccatum vti coitu, nisi edoceretur à lege, quæ est virtus communitatis, vt docet S. Amb. super epist. ad Rom. vbi ait. *Peccatum non cognouissem, nisi lex dixisset, non concupisces*. Et Chrys. in hom. 13. ad P. Antioch. ait. *Notitia agendorum & fugiendorum est nobis naturalis. operatio est voluntati commissa, vt possit mereri per studium, & laborem. Natura releuat partem ponderis, quia notitiam dat; item & operationum partim, nam misereri est naturale, & gaudere de proximo. Addit Deus & auxilia sua, & præceptores, & parentes, & leges, nè voluntas succumbat. Addit minas, supplicia, gehennam, &c.* Ex quo clarè constat assertio nostra, & quantum errant qui Arist. prioribus sanctis præferunt.

Virtus ergo est naturalis vigor regulatus sapiẽtia, & decreto voluntatis firmatus ad regẽdas affectiones, notiones, passiones & operationes humanas pro consequutione summi boni. Vnde ex tribus fundamẽtis primalibus, exque suo actu, & fine ipsam vndiq; enucleamus. Qui ergo ipsam vocãt potentiã, aut sapientiã, aut voluntatem, benè dicunt, sed radicaliter tantũ, ergo insufficienter. probatur tota deffinitio autoritate S. Bern. super Cant. ser. 85. *Vbi virtutem* dicit *esse vigorem exequentem quidquid sapientia præcipit, ordinat, moderatur, & eius esse laborem, & sapientiæ fruitionem, &c.* Et in lib. ad fratres de Monte Dei ait, *est virtus vis quædam a natura, filia rationis, & gratiæ*. Et iterum, *est ad eruditum rationes vsque liberæ voluntatis, &c.* sæpeque videbis apud Patres varias definitiones sumptas ex primalitatibus, quas omnes in natura contineri planum est. vitium verò non est defectus aut excellentia vigoris: tunc enim solummodo naturale esset vitium. neq; vigoris, & sapientiæ; sic enim esset animale. vnde si quis ex impotentia, aut ignorantia peccat, excusatur, quoniam vitium non est humanum, hoc est innatũ ex voluntate libera: propterea dicendum est vitium esse decretum voluntatis electiuæ deuians in affectionibus, & operationibus exequendis à vero bono, vel est ordinatio scientis, & potentis voluntatis ad malum: vt virtus est eius potentis, & scientis, ad bonum. potest autem voluntas decernere quamuis appetitus animalis sit vitiosus, & impurus, propter adminicula, quæ numerauit paulò antè Chrys. vnde assero scelestissimum hominem posse ad heroicam virtutem peruenire quamuis impurus; & omnibus virtutibus pollere. Nam vitia sunt in spiritu animali, & in affecta ab eo mente. voluntas autem potest illi repugnare, & obedire legi Dei (vnde Apost. virtutem vocat legem mentis rationalis; vitium legem carnis ei repugnantem) lex autem Dei regulat vim mentis. Lex enim præcipit omnes virtutes, & omnia vetat vitia, tunc potest ille omnium virtutum exercere actus per virtutem obedientiæ, quæ eadem est virtuosis, & vitiosis. immò vitiosi cognoscentes se ineptos ad regulandum se ipsos, regulant se per legem, & magistros, & sic non possunt errare. virtuosi autem confidunt scientiæ, & errant passionibus illecti. Vnde Xenocrates, si ritè memini,

Definitio virtutis.

corrigit carmen Hesiodi, & vbi ait,

Optimus ille quidem, qui per se sit omnia nouit
Proximus huic fuerit, qui credit recta monenti.

dicens:

Optimus ille quidem qui credit recta monenti:
Proximus huic fuerit qui per sese omnia nouit, &c.

Proptereaque S. Amb. in lib. de Iacob c. 3. in studio ponit omnia, per quod adhibetur obedientia. & vbique vocat iustitiam virtutem generalem, quod & Arist. & Chrys. & August. dixerunt: quoniam qui obedit iustitiæ legis, omnes virtutes habet. Cum verò quis omnes virtutes, non habitus Aristotelicos, sed actus obedientiales habet, & exercet, tunc ineptus est ad heroicam per se; quoniam spiritus animalis est vitiosus, & ad magna ineptum instrumentum: sed Auctor naturæ adiicit gratiam suam, immò cum velle incipis, & ante, præsto est gratia, si non repugnas: quæ eleuat ipsum super homines, & purgat vitia igne sancti Spiritus. Propterea dico virtutem heroicam esse ipsam sanctimoniam, & meliorem portionem magnanimitatis, & omnibus possibilem, & fœminis, per gratiam & studium, & non solis à natura decoratis, & natis semine diuum, vt Arist. putat, & hoc quoniam negat inter nos, & Deum amicitiam. At item sicuti naturalis est homini amor præmii, & odium pœnæ: & nemo hoc non habet: sic est naturalis obedientia erga legem, quæ proponit pœnas, & præmia. hinc omnis virtus fit illi possibilis voluntariè: vnde & sanctimonia, qua deificatur. propterea tanta laus est obedientiæ: & viri sapientes subiiciunt se in Monasteriis obedientiæ eorũ, qui secundum legem absq; passione imperant. difficilius enim est regere se ipsum propter passiones innatas, quam alios, quibus non afficeris, dixit S. Ambr. Quapropter de vitio, & virtute cum his, qui in ea exerciti sunt, non cum Aristotele, est negotiandum. Nunc ad argumenta opinionum redeamus.

AD Arist. rationes patet ex dictis Responsio. Ad 1. non est passio, nec habitus, neque potentia sed decretum potentis, & sapientis voluntatis: Sapientia propria, vel communi, vt legalis. Vnde generatur habitus.

Ad 2. dico nos laudari solum ex voluntate, & damnari, vbi potest, & scit. nec virtutem à volunrate generari, sed exerceri: & peccare vbi exercet vitium: mereri vbi virtutem. quæ naturalior est, & insuper habet speciale auxilium Dei: in actu autem vitioso solũ generale, in quantum est res Physica, non in quantum vitiosa, & Moralis.

Ad 3. omnes virtutes dico esse rationales, & non generari doctrina, & consuetudine, sed voluntatis assensu, at exerceri, & amplificari consuetudine. Alioquin omissio exercitii non esset culpabilis, si autem potes exercere, habes. vt qui potest calefacere calidus est. Saluaretur etiam homo sine virtute, qui vnico actu sine habitu in Deum fertur, ac statim moritur. At saluatur virtute, ergo non est habitus acquisitus.

Ad 4 est pro nobis: si enim non inest, non possumus secundum illam operari, vt nec lapis sursum ire. Concedit inesse solam aptitudinem, sed quæro, quomodo aptitudo potest producere actum, & vltra suum esse operari? Item meritorinsnè actus primus virtutis an non? si negas, tunc verum esset quod si cui primus fortitudinis actus occurreret in sufferendo martyrio, nam alias ad nullum se exercuit, tunc iste in illo actu non meretur, nec in primo actu iusto maximi ponderis. Nec T. Manlius in duello contra Gallum insultantem, victor, meruisset, cum prius nullum virtutis actum, sed stupiditatis ostenderit. si dicis mæreri: ergo inquam, est virtuosus, tu enim dicis meritum solius esse virtutis, ergo inest virtus cum habitum producit, & non generatur. inest seminaliter, radicaliter, vt ratio. Omnis enim virtus ratio est, ait S. Thomas: addita tamen voluntate, quidditatem virtutis habet: addito tandem habitu, facilitatem operandi virtuosè.

Ad 5. est pro nobis, vnde Amb. dixit, Deum simul mores, & sensus plantasse in nobis. exemplum ab arte nullum est. Ars enim exercitium est circa exteriora obiecta, quæ nosse prius oportet, & corpus eius tractationi aptare. Virtus autem, & scien-

tia insunt : nec requiritur nisi opus ad manifestationem immanens: vbi requiritur transiens, ibi non propter scientiam , sed propter obiectum exigitur assuefactio. Qui autem ab initio agunt iusta, iusti sunt ante habitum.

Ad 6. iubent legislatores exercitium virtutis, non virtutem. Quapropter carentes, & insanos non puniunt.

Ad 7. requiritur exercitium, non vt acquiratur virtus, sed vt corpus obediat virtuti, & à spiritus animalis vitiis abstrahatur. Nec virtutes corrumpuntur vsu malo vt habitus multis contrariis actibus; sed ligantur, & relinquuntur sine exercitio, vt sapor in glaciato vino. Nec fortitudinem, sed persuasionem quod possis vincere acquiris ex victoria, etiã Arist. testimonio: acquiritur tamen ars bellandi, quæ præstat audaciam: qui enim confidit in arte, melior est inerti. nec generat, sed perficit, & amplificat virtutem; generat tamen peritiam, & artem, quæ virtutis sunt filiæ. docemur ergo vincere, non fortes esse: differt enim multum Ars à virtute. De castitate iam diximus plura; quoniam habitus fit ab ipsa, & non à non ipsa.

Ad 8. fallitur. Nam post vnum actum virtutis , etiam gaudemus. item ante omnem actum cupimus, & gaudemus, vt veniat occasio exercendi virtutem. Et incontinentes cum vnum actũ faciunt continentiæ, etiã gaudent. cognoscit enim virtutem esse bonam. Maximè autem gaudet extensiuè, qui potest absque resistentia virtute vti: sed intensiuè qui etiam resistentem vincit libidinem, vt S. Benedictus quando se proiecit in vrticas. sed gaudium est in mente. sicut in ægroto Medicinam amaram, sed salubrem, sapiente, & in Amante pro amasia patiente. ego in tortura dolebam & lætabar.

Ad 9. concedo illa 4. inueniri in virtute exercitia: in se autem exercente à principio non est illa firmitas semper, si vitia & pericula non consueuit vincere. At vbi ista desunt: etiam firmiter operabitur. qui autem purus est, semper erit idem etiam à principio, maximè autem si amore Dei operatur Autoris virtutum, absque quo non est perfecta virtus.

Ad 10. concedo virtutes & vitia, esse decreta voluntatis: sed nego generari actibus prævuiis, immò præuios actus ab illa esse: vel à suasione naturali per innatam rationem puritatemque: vel extrinseca per legem, aut magistros, operante, & sicut naturale est nobis velle, & nolle, & tamen liberè volumus, & nolumus; sic etiam vitia, & virtutes: magis autem virtutes: quo ad velle, sed vitia quo ad ea nolle.

Ad 11. dico, nos puniri, quoniam nolumus vti virtute, quam habemus, non qua caremus, de his satis. Neque enim nos dicimus esse naturalem sicut grauitatem, sed sicut voluntatem: fundari tamen in puritate. purus enim cognoscit res prout sunt, & vult verum bonum, & odit verum malum: impurus nequaquam, nisi dirigatur à lege, & cunctis prouidit Deus. qui autem in nemore natus impurus, viueret cum bestiis, excusatur ab his actibus, quos per se nosse non potest esse bonos, & sequendos: non ab his quos nosse potest, ergò & velle.

Ad 12. Rectè dixit Timeus, neminem sponte malum, directè. Nam, & Arist. concedit aliquos barbaros natura malos, aut ægritudine, aut lege: ergo non elegerunt prauitatem: hic enim sponte, idest electione, interpretandum. Qui verò possunt esse virtuosi, & nolunt, hi nolunt passione obruti: vt qui proiicit merces in mare timore mortis perculsus: nollent enim, sed volunt alio bono persuasi. At qui bono minori, peccant, vt si propter meretricem proiiceret, & in hoc vtuntur ignorantia, non scientia mentis, sed carnis: propterea dixit S. Amb. *Nihil stultius quam peccare.* fateor quidem esse spontaneum in his peccatum, sed virtutem magis spontaneam. Propterea non valet argumentum quod si virtus, ergo & vitium; nisi aliquo pacto. Nec est verum, quod generet vitium actibus, sed exercent vitium & peccant, quoniam possent exercere magis virtutem. vitiositas est omnis concupiscentia irrationalis, teste Apostolo, & Augustino.

Ad 13. multipliciter errat, primo non sequitur, quod si virtus ponit in passionibus mediocritatem, sit passio mediocris: nam esset operatio etiam mediocris: sed potius dicendum quod sit causa moderans passiones, & operationes, sicut virtus equitis non

est mediocritas in equi artificioso gestu, sed causa illius artis quæ est in gestu. virtus ergo est Scientia ponens mensuram passioni, & operationi. Secundo accidens est virtuti mediocritatem facere: in quantum enim virtus quo major est, eo melior est, vnde in Deo non est mediocritas sapientiæ, aut voluptatis, sed infinitas. quoniam verò homo à superfluis, & à deficientibus bonis, & operationibus corrumpitur, cum sit ipse mediocris, propterea videtur Arist. virtus esse mediocritas, quamsepè virtus iubet, quoniam nesciuit quid sit virtus: Nobis autem cum virtus sit facultas ratione & voluntate ad bonum procurandum directa: bonum autem sit quod conseruat vt dictum est in quæstione præcedēti; consequens vt affectiones & operationes tales faciat, & tantas, & eo modo, quales, quantæ, & quo, conseruant. conseruant autē si mediocres pro rata subiecti. Nam Miloni bos vnus in die non erat intemperatus cibus, nec Catherinæ libra panis erat deficiens. Regula ergo virtutis est à conseruatione: & non à medio. conseruantur autem alia maiori, alia minori operatione & instrumento vitæ. Passio autem nullo pacto est virtus, sed serua virtutis, ipsam moderantis, vt benè docet Seneca contra Arist.

In 14. errat: primo quia non inuenit, vnde medium virtus potest coniicere: quod à conseruatione venandum erat. Item si finis à natura determinatur: ergo non ab habitu acquisito, vt dicit. Item si non potest acquiri habitus, nisi per actus rectos: recti autem fiunt à prudentia: ergo præcedit prudentia, ergo non ponit finem habitus, sed accepit à prudentia præeunte. Item à natura non possunt habere omnes, sed à prudentia, ergo ipsa est omnes ante habitus, vt Socrates dicebat. siquidem omnes virtutes exercet omnium virtutum actus, antequam fiant habitus: ipsa ergo est omnis virtus, habitus verò sequentes, sunt eius effectus. & hoc Socrates, & Stoici, & nos dicimus. At non distinguimus prudentiam à sapientia. Item addimus voluntatem, & potentiam, fundatas in puritate. In hoc quoque errat, quod putat scientiam legis, & præceptorum non sufficere carentibus scientia ad virtutis actus; cum videamus indoctissimos, & rudes ad literas; qualis S. Franciscus de Paula, aptissimos ad virtutes heroicas ex sola legis obseruantia, quibus Deus auxilium ex hoc præbet, vt dictum est. Arist. autem se solum fecit beatū, & virtuosum, vt video. Nam omnes reprehendit Philosophos, vt falsa opinantes: cum falsa autē opinione non est virtus, nec beatitas. solus ergo Arist. virtuosus, & beatus. Qui autem non philosophantur, non possunt beati: ergo neque Philosophi, neque non philosophi, sed solus Arist. vide filium Diaboli (ait Basil. & Naz.) quo se se extulit. Quod autem negat naturales virtutes, quoniam sunt sine prudentia, infælix est: Nam & naturalis prudentia. i. ratio inest naturali virtuti, alioquin non est virtus, sed potestas incompleta si imprudens, & nolens.

Nota quod omnis actus liber regulatus ratione, & decreto voluntatis, est virtuosus, quamuis habitus non præcessit: expedit tamen hominem in cunctis virtutibus exerceri, & habituari, nè vincatur à vitiis, & accidentibus causis. si enim non se exercuerit in bono facilè, recidit in malum: ergo exercitium patientiæ, & castitatis plurimum prosunt, vt confirment membra, & spiritum in obedientia virtutis: non vt virtutem generent, sicut dictum est.

Examen Opin. Gal. AD Galenistas dico, verissimè probari per has rationes, quod virtutes, & vitia spiritus animalis, & corporis, sint naturalia nobis, non autem ipsius mentis, quam Gal. non agnouit: quæ licet afficiatur à spiritu corporeo, potest tamen illi dissentire, vt de facto videmus. Relinquo Martyres, quia dabis gratuito auxilio resistentiam: sed reuera non sine propria virtute. Adduco Attilium, qui pro modico patriæ commodo, eligit mortem, spernit amorem natorum, & vxoris, & sui. Item Curtius proiicit se armatum in foueam: Mutius igni manum torret coram Porsenna: vbi virtus, quæ est voluntatis potentis, & scientis decretum, resistit vltimis terribilibus, ergo & mediocribus. Quod ego in tortura cognoui. Quapropter oportet concedere Galeno virtutes, & vitia spiritus materialiter, quatenus illi admixta, non autem formaliter, sed insuper mentem habere suæ puritatis virtutem, qua potest omnia vitia, & illecebras superare. Sic S. Amb. mores sicuti sensus ponit implantatos naturaliter, sed à mente regi quomodocunque voluerit per suam virtutem. Negare argumenta

Medicorum

Medicorum eſt pertinacia, & irriſio fidei Catholicæ: ſoluere autem oportet ex doctina ſanctorum non ex Ariſt. concedo vitia, ſenum, & mulierum, & puerorum; ſed omnia ſubiacere virtuti mentis humanæ, & poſſe illos viriliter agere, vt Lucretia, & Milcſiæ, & Amazones: & Scipiades ſenex; & adoleſcens Spurina, &c.

Ad 4. Mores nationum ſimiliter à Cælo variari concedo; ſed magis à lege: quæ imperat menti; mens autem temperamento. Alii erant mores in Africa ante leges Macometti, & aliæ Romæ ante Apoſtolorum prædicationem. ſimiliter in America. Sanctus Petrus contra Sym. magum id probat apud S. Clem. multis exemplis. quod religio non ſit à ſtellis, vide Metap. & Antimach. Item S. Thom. diſpoſitiuè mores tribuit temperamento in moralibus: completè in naturalibus.

Ad 5. 6. 7. Idem probant. Ariſt. tamen errat, & Gal. dum turpiſſimè atræ bili diuinationes, & carmen tribuit, & non menti, tali diſpoſitione vtente. vide 4. de ſenſu rerum.

Quod dicitur in 9. verum eſt: nam ſpiritu, cui mens inheret, mutato, mutatur ſcientia; ſed tamen ipſa non perdit ſcientiam, ſed inſtrumentum operandi, vt alibi docui. cætera argumenta benè conuincunt Ariſtotelem.

Nota quod firmitas in actibus virtutis maior eſt à natura quam ab habitu, vbi eſt puritas in natura: vbi verò impuritas, ex lege tamen regulamur, tunc magis firmamur habitu, quia, &c.

Rationes pro Teleſio, quę ante 27. annos legi, adductas veras ex parte puto; virtus enim eſt puritas fundamẽtaliter, formaliter verò eſt decretũ, & regula ſcientis, & potentis voluntatis ad bonum. Benè autem ſcite, & poſſe, & velle protſus, non niſi puro contingit. at & impuros virtute vti poſſe docuimus, aliorum virtutibus obediendo, & legi. Lex aut naturalis eſt cunctis: quoniam obedire propter premium, & pænam probatur naturale cunctis. hos quoque ad virtutem mentis valere, qua ſpiritui, & corpori dominari valemus. cætera rectè. *Examen opin. Teleſ.*

Ad Stoicos conuerſi miramur celſitudinem animi eorum. concedo illis omnem virtutem eſſe ſcientiam: ſed, non ſufficere, dicam: multa enim ſcimus mala, quæ tamen aggredimur, vt bona. Propterea requiritur decretum voluntatis, & puritas innata, quæ ſcientiam certam, & veram facit. erit ergo menſura operationum, & paſſionum ex decreto ſcientiæ volentis, potentiſque. ſed credo Stoicis ſcientiam eſſe idem cum voluntate. Nam & Chryſ. ſuper Geneſ. ponit duplicem ſcientiam. alteram ſine probatione experimentali, alteram in praxi: qua Adam ſciuit bonum, & malum. & hæc eſt cum voluntate certa. Addere debebant quomodo impuri poſſunt fieri ſapientes: ipſi verò id probant ex eo quod poteſt doceri virtus. ſed cur filii, & ſcholares ſapientum ſepè ſunt ignorantes, licet multum diſcant? Hoc in Alcibiade Socrates dubitabat; doceri tamen lege, & exemplo eos poſſe experimur, & ex ſceleſtis factos probos quamplurimos à Socrate. Nos autem etiam ad heroicam poſſe peruenire diximus & ſi non ad Phyſicas ſcientias. vide ſupra. *Examen Stoicorum.*

In hoc autem quod eradicant paſſiones, videntur impoſſibilia aggredi. Nam vt probat S. Ambr. in lib primo de Iacob c. 1. exemplo Dauid, qui concupiuit aquam irrationaliter, poſſunt reprimi, & molliri, non autem eradicari. idem docet S. Bern. ſuper Cant. ſerm. 58. *Sæpe putanda ſunt vitia: nam velis nolis in medio tui habitat Iebuſeus*, & Paulus dixit, *non quod volo bonum hoc ago: ſed quod odi malum*: Item. *Condelector legi Dei, ſed video altam legem in membris meis.* Profectò Stoici hominem in natura puriſſima conſiderantes, ſtatum innocentiæ olſaciunt, & rectè dicunt paſſiones nullas ineſſe virtuoſo perturbantes, vbi virtus, & mens prorſus regnat. at non vidimus, niſi in Chriſto, & in B. Virgine, & in Apoſtolis poſt aduentũ Spiritus ſancti: Apoſtoli tamen & venialiter peccabant. non ergo poteſt tentatio ſaltem interior eradicari, dum enim militia eſt interior & exterior, non vult Deus nos ociari. Hoc tamen magnum argum. eſt quod homo deſideratus à Stoicis, fuerit à principio. & quod nunc quæritur fruſtra extra legẽ gratiæ. Nec enim Socrates Græcus, nec Romani Catones caruere Iebuſeo. *Examen opin. Ariſt. ex rationibus ilius.*

Ad rationes Ariſt. contra Stoicos reſpondeo, quod nihil probant. deberent enim probare quod virtus ſit paſſionis mediocritas: ex dictis autem ſuis probatur quod ſit

regula passionum: nos conc edimus in mente regulante.

Negant Stoici virtutem requiri vt benè tristemur, & benè delectemur: & hunc esse finem earum. sed vt boni simus, beatique: hoc autem fit, si viuamus secundum rationem sedatis passionibus, & concedo. quod pugnet contra passiones.

At cum videamus humores efficere passiones, præsertim excrementitios, & his naturam vti ad expellenda excrementa, ad iram, ad contemplationem: item valere passiones ad multa. qui enim nihil timet, statim à malis, quæ non fugit, opprimitur. vnde videntur mihi esse quasi stimuli ad exercitandam rationē, cui repugnant, & ad excitandam naturam ad propria munera. si cuius autem ratio his non eget stimulis, neque medicina egebit in corpore ad expellenda excrementa. sed per se expellet absque stimulo Reubarbari. hoc autē impossibile est, nisi sit homo Angelicus, & anima à spiritu quandocumque vult extricabilis. Propterea cogor passiones admittere, vt stimulos, non tamen in eis virtutes pono, sed in vtente anima. Spiritus tamen omnes virtutes animæ participat ob vnionem.

Rationes Arist. contra Socratem, quod virtus non est scientia, nil concludunt. ille enim dicit scientiam puram, & certam, esse potentissimam in suo decreto: quomodo enim quod probat, & decernit esse malum, amplectetur vt bonum? exemplum Arist. de incontinente, non valet: Nam ille incontinens non vtitur scientia deliberata, de qua Socrates loquitur. Qui enim firmiter deliberat, vinci non potest passione, vt Attilius, & Mutius. Qui autem peccant, non sunt prorsus persuasi, vt docet Esdras in 4.

Ad 2. non meretur veniam, quoniam non vtitur virtute, quam habet, sed sinit se opinionibus contrariis ludificari inter rationem, & sensum; vitium, & virtutem.

Ad 3. nego prudentiam radicatam in incontinente, vtitur enim stultitia, vt ait S. Ambr.

Ad 4. Turca, qui bibit vinum, non omninò credit. nec Christianus peccans in illo actu, quem scit esse peccatum, putat esse irremediabile. sic enim peccamus, nobis suadendo quod pro illa vice est faciendum malum.

Ad 5. patet ex dictis esse duplicem legem in nobis: & vicissim hanc, & illam, vincere. in actu autem victoriæ sensualis, sumus ignorantes, & stulti, aut inaduertentes. Vnde & Angelus non ex ignorantia, sed inaduertentia dicitur peccasse. & Arist. non ineptè respondet in tribus dictis huius argumenti: sed hæc sunt Socratis dicta. errat tamen Arist. quoniam putat non esse propositionem vniuersalem in lege sensuali: cum semper sit hæc: omne delectabile est sequendum. peccans ergo ignorans est, quia anteponit inferiorem superiori legi. Item ignorans est, quoniam non habet scientiam certissimam deliberatam de omni malo, & omni tempore, sed persunctoriam (vt ait S. Amb. lib. de Paradiso) nec mala futura considerat. inconsideratio autem ignorantia est: pone tu mihi præsentia in intuitu omnia mala sequentia ad actum malum, & nunquam peccabo. dixit hoc Ecclesiasticus. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* hæc est ergo ignorantia peccantis vbique, & semper, & non sine propositione vniuersali.

Nos in Theologicis ostendimus, virtutem integrari ex primalitatibus. Non enim quia scio bonum, illud facio: nec quia volo, illud facio, cum sæpè laudemus & velimus bonum, deterioraque sequamur, vt ait Horatius. sed quia scio cognoscitiuo, & volo volitiuo, & impero potestatiuo, aggredior bonum, vt nemo non experitur. insufficientes ergo sunt Philosophi istas primalitates ignorando.

Vtrum diuisio Animæ, & virtutum in practicas, ac speculatiuas, rectè aßignetur ab Arist.

QVÆST. 4. ART. 2.

ARist. in primo Eth. c. 18. & 19. duplicem ponit virtutem, alteram moralem, alteram intellectualem.

1. Probat, quoniam triplex genus animæ experimur in nobis. vnum vegetatiuum, & in hoc nulla virtus ponenda est, quoniam inest & plantis, & in somno perficit suum opus, quando nulla operatio rationis adest; similiter in pueris, & brutis. virtus autem rationis est. Alterum genus animæ est per se rationale, vt intellectus: alterum per participationem vt sensitiuum. experimur enim in nobis repugnantiam sensitiui ad intellectiuum in boni prosecutione: & iterum obedientiam. nam propterea sunt increpationes, & cohortationes: per quas, dum rationali repugnamus, reddimur obtemperantes. qui autem obtemperat, virtutis est particeps: ergo duplex est virtus, altera Rationalis per essentiam, altera sensitiuæ animæ, rationalis per participationem.

2. Idem probatur: quoniam laudamur tanquam boni in moribus, non quia docti, sed quia mites, iusti. & iterum laudatur sapientia, & intellectus: ergo & in his est virtus. omnis enim laus virtutis est.

3. In 6. Eth. c. 4. *Quinque sunt* (ait) *virtutes cognoscitiuæ, Ars, scientia, prudentia, sapientia, & intellectus. Scientia,* ait, *est certissima: ergo eorum, quæ non possunt aliter se habere, ergo necessariorum, & sempiternorum. constat autem syllogismo, & inductione: hoc principia, illa conclusiones, cognoscimus. Ars verò est habitus cum recta ratione rerum à nobis factibilium. Quorum enim autores non sumus, non est ars, nec actionum modo transeuntium in effectum exteriorem. ideò factibilium, &c. ergo contingentium, &c. Prudentia est habitus cum ratione rerum agibilium humanarum. Nam de agibilibus est consilium, & sagacitas, & regulatio: quæ omnes sunt partes prudentiæ, ergo est in parte opinatiua, sicuti Ars: à quâ differt penes factibile, & agibile. Item volens peccans in arte melior est quam si peccat volens in prudentia: illa scientiam ostendit, hæc bona procurat. Intellectus verò est habitus principiorum, quæ non demonstrantur. & ex his procedit scientia. est ergo quidditatum, & propositionum vniuersalium, & sic differt à scientia. similiter à prudentia, quæ est opinabilium. sapientia verò est in singulis artibus id quod est excellentissimum. sed simpliciter est de primis principijs entium, & de altissimis causis, & comprehendit intellectum, & scientiam in eorum potissimis.*

4. Propterea in c. 1. partitur animam per se rationalem in duas partes, genere differentes: quoniam necessarium, & contingens, obiecta animæ speculantis, differunt genere.

5. Idem patet, quoniam de contingentibus est opinio, & prudentia; non autem sapientia. Vnde Anax. & Thales vocati sapientes ob magnarum rerum scientiam; circa inferiora vitæque vtilia imprudentes erant.

6. In 3. de An. t. 45. & seq. probat iterum hunc intellectum diuidi in speculatiuum, & practicum, quoniam speculatiuum non monet, neque iubet quæ agere debeamus: neque iubet timere, cum aliquid terribile speculatur, non iubet terreri: ergo alia est potentia appetitiua, quæ terrorem habet in corde: & alia præcipit de factibilibus vnà cum appetitu. & hic est intellectus practicus, & huius est prudentia. Item quia speculatio est vniuersalium, praxis singularium, vt appetitus.

SED contra est, quod dicitur prouerb. 10. *sapientia est viro prudentia*, ergo per Salomonem sunt idem. sed vocatur sapientia quatenus res speculatur, prudentia quatenus operatur, & imperat operandis. & quidem in omni arte præcedit speculatio, deinde sequitur operatio: illa speculatio est sapientia in omni arte, quæ simul est scientia. quod probatur insuper autoritate S. Amb. primo de off. c. 24. loquens de 4. virtutibus primis, dicit. *Prudentia in veri inuestigatione versatur, & scientiæ plenioris infundit cupiditatem.* inuestigare verè est opus scientiæ speculatiuæ: ergo prudentia non est tantum opinabilium. Idem probat c. 26. autoritate Sacræ scripturæ, & in 27. inuestigationem diuinarum, & Physicarum, & Moralium illi tribuit. In lib. de Paradiso scientiam speculatiuam vocat perfunctoriam; perfectam verò operatoriam. Origenes quoque super Luc. vocat Theologiam speculatiuam, eandemque practicam. Item Amb. epist. 7. omnes virtutes Morales, vt fortitudinem, constantiam, & iustitiam, tribuit sapientię. & sapientem solum esse virtuosum, & liberum, & Regem, vt dicunt Stoici. Omnes ergo virtutes morales sunt in mente humana, &

non in spiritu animali, nisi vt ab illa participant. Idem docet in lib. de Iacob. cap. primo & secundo; Quod mens regat omnes operationes, & passiones, & mores: & in Hex. 6. quod residet in capite, & omnibus spiritibus, & corpori per sapientiam dominatur. Quod probaui in præcedenti lib. etiam Auctoritate Chrys. & August. & quidem ratio conuincit. Quod si virtutes sunt res consilio gestæ; aut vigores, aut voluntates, aut scientię, omnes debent reponi in parte suprema, quæ per virtutes regit omnes. Vnde S. Ber. in ser. 85. super cant. virtutem exequi docet, quidquid sapientia iubet. Quod autem eadem sit scientia speculatiua, & practica, probatur per Apost. ad Colos. 4. dicentem. *In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt*. Hoc autem est actus practicæ. Item Dauid dicit. *Omnia in sapientia fecisti*. Quod intellectus sit etiam practicus probat Dauid dicendo. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*: nec loquitur ibi de potentia animę, sed de cognitione quam vocant intellectum, & alibi. *Qui fecit cælos in intellectu*, ergo eadem est intellectionis practicæ, & speculatiuę vis. Item S. Aug. in 14. de Trin. scientiam rerum humanarum esse dicit tanquam praxim. Idem Greg. primo Mor. c. 22. idem dicit de ea, quod Salomon de sapientia, quæ *ædificauit sibi domum, &c.* Quapropter palam est easdem esse virtutes intellectuales, & operatiuas, & D. Thom. in 22. concedit de his virtutibus, quatenus sunt dona Spiritus sancti. sed cum Spiritus sanctus perficiat naturales virtutes & potentias secundum ipsam naturam (relinquo quod multi Sancti dicunt idem esse virtutem, & donum) perspicuum est, quod secundum naturam eadem vis speculatur, & pręcipit de agendis. differt autem seipsa ratione, & actibus, vnde Apost. eandem fidem speculatiuam facit practicam dicens. *Fides, quæ per dilectionem operatur*. Idem autem apparet in fide naturali. si enim in amico pono fidem meam, operor secundum illam fidem erga eum. Quapropter non est immorandum in dictis Arist. neque terendum tempus ad distinctiunculas vanas, & inanes: sed docendi sumus iuxta S. Scripturam, & rerum naturam, omnes virtutes in cognitione esse intellectuales, in operatione vocari practicas. & omnes doceri posse, non autem infundi, nec generari, nisi à Deo. Et qui enim natura temperati sunt, ab auctore sunt naturę tales, & qui se ipsos castigant ad temperamentum cum sint natura libidinosi, ex hoc quod volunt se castigare, & sciunt esse bonum hoc facere, cõuincuntur etiam natura esse temperati in interiori homine, vt ait Amb. cum Apostolo, secundum quem condelectantur legi Dei: & pugnant aduersus legem concupiscentię exterioris hominis. & in his statim adest immò pręuenit gratia Dei, quo enim maiores tentationes, eò maiora auxilia. ipsi non possunt illa quoque auxilia refutare, & in hoc est peccatum, in defectu nostro, non in defectu gratiæ, quæ nulli deest, vt Chrys. super illud Psal. 117. *Quoniam in æternum misericordia eius*: Nam vbiquè semper, & cuilibet: quidquid mentiantur hæretici. Qui autem habet virtutem in interiori, & exteriori homine, & non vtitur, duplex veh illi, dicit Dominus. sed homines, vt possint luxuriare, & excusare se cum *Fato, & prædestinatione*: tribuunt suam malitiam Deo, vel defectui auxilii Dei, quod idem est, vt dicebat Ricchar. in Beniam.

Dico igitur sapientiam sumi tripliciter, primo pro primalitate, quæ omnia entia constituuntur; & de hac non est hic sermo.

2. Pro eadem primalitate respiciente ad extra contracta, per quam nobis res sapiunt pro vt sunt, sicut docui ex S. Bern. in p.p. Metap. & hæc sapientia est perceptio omnis veritatis exterioris intuitiuè.

3. Sumitur pro notitia rerum diuinarum, & magnarum, & sic solet dici Metap. & Theologia. Propriè tamen omnis intuitus abditus, est sapientia. Intellectus verò est penetratio eiusdem sapientiæ in res, quas intuetur: potius autem gustat: & potissimas veneratur: vnde Iob, ait, *Colere Deum sapientia est: scientia autem recedere à malo*. Nam ex his, quæ intuemur per sapientiam, syllogizamus ad mala fugienda, & bona capeßanda. ideo scientia est de humanis. Prudentia autem vocatur scientia, dum præcipit de operandis, & consiliatur: omnes tamen isti modi cognitionum sunt in mente à Deo infusa: participat autē spiritus sensitiuus, & habet eas pro modo suo, sed debiliores. Regulæ autem operationū, & appetitionum, quas sapientia præscribit, sunt virtu-

tes morales. sunt autem in regulante: ergo in mente. Propterea laudo Scotum, & Okam: qui in 4. lib. sentent. omnes virtutes ponunt in parte superiori. sed ait Sotus, indigent inferiores regula, & habitu, vt cum sint ad vtrumlibet potētiæ, determinentur ad vnum. Respondeo quod & si indigent, non tamen à seipsis habent, sed à mente, alioquin non indigerent. Mens autem dat regulam & deliberat. In partibus autem inferioribus assuetudo non generat virtutem, sed effectum virtuosum perficit, & morem ad executionem. Vnde etiam verberibus, & cibi subtractione assuescit corpus, & spiritus non luxuriari. Ista tamen assuetudo non est virtus, sed illa regula, quæ hanc assuetudinem indixit, & executa est. Dicam etiam inesse participatiuè proprias virtutes, vt sunt in brutis, sed veras virtutes esse in intellectu superiori, vt dictum est etiam ex Thom. Hoc autem patet, quoniam si virtuosus habituatus vult, statim peccat, vt Dauid: ergo in voluntate superiori, non in concupiscibili erat virtus, alioquin ista non concupisceret post habitum.

Ad primum ergo nego esse triplex genus Animæ, & hoc probaui rationibus in primo lib. & auctoritate S. Amb. qui eandem docet esse vegetatiuam, & sensitiuam, vti & Chrys. Præterea ipse Arist. sibi contradicit, qui in primo, & 3 de Anima negat triplicem animam subiecto distinctam, vt faciebat Plato, in capite, corde, & iecore; sed totam ponit in corde. vna ergo est subiecto, & substantia. quomodo autem sibi ipsi repugnat, vnum simplex? numquid in eadem essentia radicantur potentiæ contrariæ? An non vides in obiectis esse mistionem boni & mali, & dum ab vtrisque rapitur eadem anima videtur secum pugnare? Quod etiam August. disputando contra Faustum, ponentem in homine animam bonam & alteram malam, animaduertit, alteritatem scilicet esse in obiectis. Ego autem aliis ex causis Physicis, & ex obiectis non mistis, sed penitus oppositis, cum Apostolo inueni duplicem animam, idest mentem à Deo infusam, quæ ad diuina fertur; & spiritum animalem, qui caducis inhiat. & ista contrarietas, quam Arist. non nouit, potest duas Animas probare; non illa sua. At spiritus animalis est rationis particeps. non tamen virtus est in eo, sed in mente: alioquin nunquam posset assuescere ad bonum absque rectore. vbi tamen est purus, habet virtutem suam. sed vbi impurus, non persuadetur, sed cogitur à mente. ideò semper repugnat. *Legi enim Dei non est subiecta prudentia carnis, neq; enim potest*: dicit Apostolus. Hoc omnes Patres docent. si enim persuaderetur, non indigeret niue, & vrticis, & promissione Paradisi, & fune S. Francisci. errat etiam Arist. dum concupiscibilem facit diuersam à nutritiua. immò in 2. de Anima nutritio, generatio, & augmentum, tribuitur vegetatiuæ. Ad hanc pertinet cibus, & sitis, & fames; & Venus. ergo tota concupiscentia est in ea. & ita docuit Plato, à quo accepit hanc rationem Arist. & similiter Gal. ergo Arist. veritati, & rationi repugnat. si ergo nulla virtus ponenda est in nutritiua, ergo nec in concupiscitiua. Falsum est, quod ratio in somnis non operatur, operatur enim, sed opera vitæ, non rationis, vt docui in cap. de somno. aliquando & rationis, vt cum carmina pangimus, & syllogizamus; ex quo Lactan. arguit rationalem non dormire, sed operari tunc licet incommodè. Maximè autem rationalis inferior operatur quod suum est: neque enim absque ordine, & ratione fit nutritio, & dum reficitur, & comedit spiritus, non ratiocinatur: vt nec vigilando. vide p. lib. plantæ non habent virtutem humanam, quando carent mentis consortio, & organis aptis; habent tamen naturalem virtutem arboream, iuxta sui speciem.

Ad secundum nego omnem laudem esse tantum virtutis voluntariæ, quamuis honor sit solius virtutis: Nam & mulieres de pulchritudine laudantur, & equi de fortitudine: & honoratus est ab Alex. quasi Heros, equus Bucephalus. Item pueri ante habitum virtutis laudantur de bona indole. Nec virtus magna laudatur magis, sed quæ vtilior laudatori. honorant magis benefactorem, & liberalem in cæteris vitiosum, quam sanctum, & sapientem. immò hunc carcere, & persecutionibus vexant. Naturâ tamen sola honoratur virtus vera. sed constat potentia sapientia, voluntateq; recta omnis probitas. ideo enim laudatur rectè qui his tribus non dotatus est. Ars autem, & scientia, vt pars virtutis laudatur: tota autem virtus totis laudibus & vere. qui

enim vnam habet virtutem perfectam habet omnes, nec peccat. sed sciens, & artifex peccant, neque sunt probi, nisi secundum quid: idcirco sanctimoniæ non scientiæ & artis sunt primi honores. Sapiens autem verus, sanctus est, & iste omni laude dignus, sed non curat: neque laus prodest illis, sed nobis, vt imitemur. vide in tex. art. de Protest. quarè non rectè Arist. destribuit laudes. Nec distinguit inter laudem, cunctis vtilibus & iucundis conuenientem, & honorem, non nisi honestis.

Ad 3. benè de Arte loquitur, sed non fine scientia præcedente. Nego diffinitionem intellectus, & scientiæ. omnium enim penetrabilium mente, est intellectus, teste S. Gregorio, in speculatione, & praxi; scientia est necessariorum, & contingentium. & similiter sapientia. non enim necessitas obiecti facit scientiam, sed certitudo apprehensionis obiecti sicuti est, siuè sit contingens, siuè necessarium, siuè particulare, siuè vniuersale. opinio vero est scientia nutans siuè sit de diuinis, & æternis, siuè de contingentibus. vt probaui in PP. Metaph. & in Logica nostra. De cæteris iam diximus. Mirum quomodo Arist. non faciat consilium alteram partem, & alteram fidem, cum ista non secus ac illa distinguantur. Loquitur casu, & vt sibi placet, non vt in natura conspicatur. eadem autem vis opinatur: & cum certificatur de eodem obiecto, fit sciens, opinatiua vis ergo idem est cum scientifica.

Ad 4. mentitur vt solet, quis audiuit vnquam, quod res simplex componatur ex rebus diuersis genere? Dixisset saltem numero? Nunc componit animam, quasi ex Asino, & lapide diuersis genere, immo magis, quoniam plus illi differunt necessarium, & contingens. Modus, & ratio cognoscendi variat potentias, non obiectum, Idem enim visus numero videt contingentia inferiora, & necessaria, æternaque cælestia, non tamen saporem contingentem, & vicinum.

Ad 5. negatur assumptum potest enim de vtrisque esse prudentia, sapientia, opinioque. THALES dicebatur sapiens, & non prudens, quoniam cognitioni vacabat rerum, non operationi agibilium. Sed eadem vis animæ vtrumque operatur: at dum vni vacat, non potest alteri. sic etiam sensus dum attentè aliquid audit, visus non videt transeuntes. & dum visus aliquid spectat fixè, vocantes non audit, nec videt: & dum comedit non syllogizat facile. Si sensus sic se habet itidem & intellectus. Spectabat cælum oculis Anax. quomodo poterat simul fossam videre? Amantes rapti Amasiæ intuitu, nihil quasi vident. Assuetus speculationi: fit impar actioni. cui si applicabitur, prudentior cæteris fiet. non ergo est alia facultas sapiens, aliaque prudens, sed vna; operationes autem plures, quibus simul nemo ritè satisfaciet. si autem essent duæ, melius satisfaceret, vnde Arist. argumentum, in ipsum torquetur.

Ad 6. responsum est in 1. lib. eundem speculatiuum & practicum esse, sed dum speculatur non imperat; at vbi speculatus est. Item sæpè dum bona, aut mala grandia speculatur, statim simul imperat motum, & persecutionem, aut fugam, vt palam est. eiusdem enim est scire, & quod scitur, velle, aut odire: alioquin essent, sicut ego, & tu. profectò si practicus non specularetur, non intelligeret imperium speculatiui: & si speculatiuus non operaretur, quis indicaret practico, vt sic exequatur, aut iubeat? hęc sunt insulsa dogmata: vniuersale autem & singulare ab eodem intelligi palam est: inductio enim ex singularibus est principium omnis speculationis & scientię. si autem intellectus singularia non percipit, nihil scit. de his in lib. pręcedenti. in spiritu autem est cogitatio, appetitio, & passio omnis. hic autem menti vnitus est, ideò tam subitò communicat in omnibus. omnes executiones sunt practicę, omnes pręcognitiones speculatiuę.

Utrum

Vtrum virtutum numerus accipiendus ſit ab actibus, vel ab obiectis, vel à materia circa quam, vel à modis, & vſibus, an à ſubiectis.

ART. 3.

VIdentur Stoici à functionũ modis eas diſtinxiſſe. Nam cum virtus ſit ſcientia rectificandi actiones exteriores, & paſſiones ſecundum rationis rectitudinẽ. Rectitudo autem rationis eſt primo attẽdenda, deinde paſſionum, deinde actionum. Ad rectificandũ rationem requiritur ſcientia omnium rerum bonarũ, & malarũ, ſaltem nobis: & ſic poſuerunt primum virtutem Prudentiã, quę verum perquirit, falſum reſpuit. Ad rectificandas operationes exteriores cum aliis hominibus, & Rep. dicunt ſufficere iuſtitiam, quæ vnicuique ſuum tribuit, vt Deo religionem, parentibus pietatem, virtuoſis obſeruationem, minoribus beneficia, &c. Ad rectificandas vero paſſiones duas inuenere virtutes. aliæ enim trahunt nos ad bonum falſum, vt ſunt quæ ex amore appetituque veniunt, ſcilicet voluptas, ſpes, ira, gaudium, &c. at contra has ponitur temperantia. alia nos retrahunt à vero bono, & rectitudine per diuerſionem, vt ſunt quæ ab odio, & fuga naſcuntur mali. vt timor, triſtitia, dolor, &c. & contra has datur quarta virtus, quæ eſt fortitudo, pugnans contra omnes paſſiones dolorificas. Ita quod quatuor tantum debent eſſe virtutes, cæteræ autem reducuntur ad has veluli ſpecies ad ſua genera. Hanc ſententiam tuetur Seneca, Tullius, & S. Amb. & Plato in lib. de leg. & Philoſophi, & Patres quamplurimi, vocantque virtutes Cardinales. *Prima opinio Stoicorum.*

Ad Prudentiam ergo tanquam partes, aut ſpecies reducunt memoriam, rationem, intelligentiam, docilitatem, circunſpectionem, cautionem, conſultationem, iuditium, gnomen. Additur ſolertia, Prouidentia, regnatiua, Militaris, Politica, œconomica, Phyſica: quas S. Thom. in 2. 2. ex Cicer. Plotino, Macrobio, & ex Philoſopho Græco quodam enumerat, & ex Ariſt.

Ad iuſtitiam reducuntur, ſecundum Cicer. Religio, Pietas, obſeruantia; Gratitudo, veritas, vindicatio. Macrobius addit Innocentiam, amicitiam, concordiam, humanitatem. Andronicus adiungit liberalitatem, Benignitatem, ſanctitatem, iuſtificationem, legis poſitionem, & commutationem. Ariſt. Epiceiam, alii obedientiam, diſciplinam, æquabilitatem. S. Bern. addit cuſtodiam, auxilium, & conſilium.

Ad fortitudinem reducuntur ſecundum Tullium in Reth. Magnificentia, fiducia, patientia, & perſeuerantia: Macrobius addit, magnanimitatem, ſecuritatem, conſtantiam, tolerantiam, & firmitatem. Quibus Andronicus adiicit, virilitatem, ſtrenuitatem, animoſitatem. Ariſt. facit fortitudinem ciuilem, & militarem, & iræ, & victoriæ, & inexperientiæ. Additur Longanimitas, Alacritas.

Ad temperantiam reducit Cic. Continentiam, Clementiam, Modeſtiamque. Macrobius addit verecundiam, abſtinentiam, caſtitatem, honeſtatem, moderationem, parcitatem, ſobrietatem, pudicitiam. Andronicus, auſteritatem, humilitatem, ſimplicitatem, ornatum, bonam ordinationem, per ſe ſufficientiam.

Contra hanc doctrinam arguunt Peripatetici: prædicta quatuor, quibus quatuor virtutes conſtituuntur, reperiuntur in omni virtute: omnis enim virtus requirit Rationis rectitudinem; & paſſionum refrenationem, tam ex affectu boni, quam ex fuga mali apparentium; & firmitatem in operationibus: item rectitudinem ad alios, ergo non poſſunt per hæc ſpecies virtutum diſtingui. Sic arguebat S. Thom. ſuper 2. Eth. ſect. 8. pro Ariſt. At in Theologia 2. 2. adhæret Stoicis. ſic enim virtutes tractat, vt illi, & S.S. Patres; ſecundum ordinem, & nexum aliarum virtutum ad has, quas vocat Cardinales. At Martinus de Magiſtris arguit contra S. Thom. dum ponit fortitudinem tanquam vnam Cardinalem, eo quod ſibi vendicat vnum ex 4. cardinibus *obiect. cont.*

virtutum, qui sunt discretio, rectitudo, firmitas, & moderamen: dicens, hos cardines singulis virtutibus inesse, ergo per hos non distingui. Arist. enim dixit, quod sciens, eligens & gratia huius, & firmiter, sunt conditiones cuiuslibet virtuosi: Propterea que Caietanus recurrit ad obiecta istorum maxima.

Opinio 2. Peripat. Statuitur ergo secunda opinio Peripateticorum, quod virtutes distinguuntur ab actibus, actus autem ab obiectis. & hoc Arist. non semel docuit in Eth. verum in secundo Eth. ait, virtutes esse mediocritates passionū substantialiter. passiones autē enumerat sic: Concupiscentia, ira, timor, audacia, inuidia, gaudium, amicitia, odium, desiderium, zelus, misericordia. ad quos sequitur semper voluptas, & dolor. ille sic enumerat. Ac postea in C. 1. eiusdem libri numerat virtutes, sed iuxta has passiones omnes: nisi secundum quod respiciunt vitam corporalem, aut bona exteriora, aut humanos actus. Primo, inquit, est fortitudo, Mediocritas inter timores, & audacias. 2. Est temperantia circa voluptates, & dolores, non omnes, sed tactus, pertinentes ad cibos, & venerea. 3. Est prima inter virtutes pertinentes ad exteriora bona, vocata liberalitas, mediocritas inter Auaritiam, & prodigalitatem, in donatione pecuniarum. Quarta est magnificentia circa magnarum expensas pecuniarum, medium ponēs inter exuperantiam & paruificentiam. Quinta est Magnanimitas ponens mediocritatem inter honorem, & inhonorationem. honoris ambitio in excessu est fumositas: in defectu, pusillanimitas. hoc in magnis bonoribus. At in honoribus paruis mediocritas est innominata, fortè sit honorificentia; media inter ambitionem, & inhonorationem. 7. circa mala exteriora est mansuetudo, mediocritas inter iracundiam & signitiem idest inirascibilitatem. 8. circa humanos actus, veritas, media inter iactantiam, & dissimulationem, seu ironiam. 9. Comitas media inter scurrilitatem, & rusticitatem. 10. Est Amicitia, seu affabilitas, media inter adulationem, & litigium. 11. Verecundia laudatur, vt medium inter impudentiam, & pauorem; sed non est virtus, quoniam timor dedecoris admissi, vel admittendi, quorum nullum congruit virtuoso. 12. Indignatio medium inter inuidiam, & gaudium peruersum de alterius bonis. 13. Continentia non est virtus, quoniam non firmiter, & gaudens, nimiis passionibus abundans est, quas virtuosus non habet, refrenat enim aut extinguit. 14. Amicitia est effectus virtutis duorum conuenientium propter honestum, non autem virtus: iustitia autem virtus est ad alios ponens medium inter simul viuentes. 15. Tandem addit virtutem Heroicam, quæ homines facit semideos, oppositum vitio bestialitati; quæ semi bestias facit. & hoc ex infirmitate, aut naturæ prauitate, veluti in barbaris, amentibus, lycantrophis experimur sicuti illi è contra ex excellentia naturæ, potiusquam ex studio. Item diuina quadam sorte. excellit enim in omnibus virtutibus, sicut Priamus dicebat de Hectore, quod propter hoc videbatur diuino semine natus.

Sed contra est quod dicit Sap. 8. quod *sapientia sobrietatem, & prudentiam docet & iustitiam & virtutem; quibus inutilius nihil vitæ est hominibus*. Et S. Bern. in Cant. sapientiæ subdit *omnem virtutem*. S. Amb. in 2. de offic. c. 9. ex abusu vulgi distinctas esse virtutes declarat; esse tamen vnicam. idem in c. 14. esse vnam, vocatam prudentiam. In primo autem libro dixit, omnes esse connexas, vt qui vnam habet, omnes habeat. Quapropter S. Amb. respondet ad Argumentum S. Thomę & Martini, verum esse, quod omnes virtutes sint vna: quoniam illæ quatuor conditiones omnibus insunt. neque enim est iustus qui non est fortis contra iustitiæ impugnatores, aut non moderatus in ea exequenda, aut non prudens in reddendo vnicuique suum. neque enim reddes insano gladium. Qui autem non est liberalis est sibi iniustus, & aliis: tenetur enim dare quo abundat, & auxiliari, &c. similiter Telesius docuit omnem virtutem esse sapientiam. Sed dices; aliquis est prudens, & iustus, non tamen hilaris, & comis. Respondeo etiam hoc esse, sed non vti comitate. in quibus enim non exercemur, nostram sapientiam non manifestamus. neque semper comitas erit virtus, neque cuilibet. In sacerdote enim facetia est blasphemia, ait S. Bern.

Tripliciter autem vna virtus est omnes, aut imperatiuè, aut elicitiuè, aut effectiuè. effectiuè quidem est sapientia, ipsa enim vbicumque ponit rectitudinem, ponit virtutem,

virtutem, ergo est omnis virtus. elicitiuè est puritas, & fundamentaliter: qui enim est purus, est etiam sapiens, & volens omne bonum. Imperatiuè iustitia, ipsa enim in Rep. iubet non furandum, non mecchandum, non occidendum, colendum esse Deum, & tamen harum quædam ad fortitudinem, quædam ad sanctitatem, quædam ad castitatem spectant. Propterea S. Chryf super Mat. de iustitia S. Ioseph loquens, & S. Amb. super Lucam de Elizabeth, & Zacharia, dicunt iustitiam esse virtutem generalem: hoc Arist. non ignorauit. omnis ergo virtus imperatiuè est iustitia, sicut in præceptis decalogi patet. ordinat enim omnes ad Bonum Reip. At quatenus ordinantur ad Deum, Charitas est Imperatrix, & forma virtutum, meritumque portans. Quæ enim non facimus ex notitia, & amore primę causæ, quæ nos creauit, in Remp. collegit, & ad finem optimū destinauit, non facimus rectè, & virtuosè meritorieq; ad illum, sed ad res humanas. (Caritas naturalis dat merita naturalia, & perficit opus. Quod enim fine amore fit, non fit perfectè, nec gratum est aliis. Atque etiam est præparatio ad supernaturalem, non sufficiens de se, sed ex Dei ordinatione & promissione, vt S. Thomas docet non semel.) Humilitas quoque dicitur fundamentum virtutum, vt remouens omne prohibens, & subiiciens nos Deo. Magnanimitas verò quatenus est flos omnium. pænitentia quatenus restaurat omnes, vbi peccamus: verecundia videtur Ambrosio custos omnium. Vnde Iob, *verebar omnia opera mea*, & Salomon, *Beatus homo qui semper est pauidus*.

Arist. autem non permanet in suo dogmate. Neque enim distinguit virtutes secundum premissas passiones: neque iterum secundum obiecta; neque secundum subiecta. Immò contra omne decretum suum, & naturæ directorum obiectorum, & subiectorum, fecit aliquando virtutem vnam; vniusque obiecti eiusdem rationis, duas: patet quidem primum. Nam temperantiam circa cibos, & venerea vnam facit: constat autem cibum, & coitum diuersa esse genere obiecta, item diuersos esse actus, item in diuersis subiectis reperiri. solaque diuersitas subiecti facit Aristoteli potentias & partes animæ varias. ex eo enim quod phantasia est in homine, & non in vermi probac esse aliud à sensu, cum ergo sit castitas in Teutonico, non autem sobrietas, Itali verò sobrii, sed non casti: nequaquam in vnam virtutem coire temperantiæ poterat ista duo: aliud etiam est comedere à coire: aliud est generatio à manducatione. circa actus verò exteriores insufficiens est. cum enim principaliter fundent humanitatem, amicitias, & societates, Beneficentia, & Gratitudo, de quibus Seneca scripsit plures lib. & Apost. ait, *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci*: Arist. has inter virtutes non numerat, sed mediocritates in ludo, & quasdam pueriles virtutes, & innominatas venatur. benè quidem, sed illas prius. Rectè posuit Indignationem contra possidentes iniustè, licet D. Thom. neque hanc dignam reputauit. At multo magis ponenda erat Benignitas, quæ gaudet de bonis iustorum. Præterea in eo' errat, quod virtutes partitur, vt v. g. altera circa magnos, altera circa paruos sit sumptus. profectò de omni virtute oporteret facere duas pro paruis & magnis obiectis; si paruum, & magnum variant speciem. hoc autem ridiculum est. nec videtur Arist. philosophari, sed quasi ex ore vulgi ista transcribere. Idem peccatum peccat in magnanimitatem, & honorabilitatem diuidens: cum sint vna vnius obiecti vnius rationis in subiecto eodem. Nec videtur Arist. de virtutibus philosophari, sed sicut eas acceperat ab aliis ponere: inueniendus quidem erat scopus virtutum, & ab eo numerus indagari. hoc autem melius fecerunt Stoici in sua doctrina: quoniam saltem in sua opinione habent fundamentum illud quadruplex. Arist. autem caret alieno, ac proprio. non enim stat, vt secundum numerum passionum, aut obiectorum distinguat. Illud etiam est notandum, quod secundum fidem Catholicam assertio Arist. est heretica, v. g. quod non sit virtuosus, neque mereatur qui ex habitu non operatur virtuosè, sed ex legis scripto: aut qui se continet, passionibusque abundat. omnis enim actus bonus meretur, & quicunque pluribus passionibus vexatur, & vincit, is est virtuosior cæteris, vt patet in S. Franc. & S. Benedicto. Item falsum est quod virtuosus non pœniteat, quod verecundia non sit virtus in homine. omnes enim peccamus, *& si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, verecundari autem de peccato, virtus est, sicuti & pęnitere.

cadit in virtuosum verecundia, vt placet Zenoni, & Ambrosio: cadit & pœnitentia post peccatum, vt in Dauid, alioquin non reparatur virtus, fœlicitas est carere vitiis, & actibus vitiosis, vt in B. VIRGINE: at vbi peccas, emendatio virtus quoque est, sed de his in Theologia. Quod autem ait, de virtute heroica, friuolum est. nullus enim repertus est heros, nisi qui in virtutibus præcellet, maximeque erga Deum. Achilles, & Alex. non sunt Heroes, quoniam libidine, & ira abundarunt, & iniustitia: neque Apollo, neque Mercurius, neque Venus dii gentium, qui vitiis seruierunt: sed Habraam, Iacob, Petrus, Paulus, qui generi humano fuere benefici, & magnanimi, omnia spernentes propter Deum. fiuntque Heroes non nascendo, sed renascendo ex doctrina fidei in Deum, propterea que deificantur. & hi sunt Sancti, & magnanimitas sanctimoniæ est virtus Heroica. Nemo scit hoc, nisi qui vitiis indixerint bellum; plus est seruare castitatem, aut ab otiosis verbis abstinere, quam vincere mille mundos, probate, & videte. Rectè Salomon ait: *Melior est qui dominatur animo suo expugnatore vrbium.*

Propria sent. Nos autem non ab obiectis virtutes distinximus simpliciter, sic enim multa obiecta genere differunt, quæ pertinent ad eandem scientiam, vt albedo, & canis ad physicam: neque à subiectis, cum omnes sint in eadem anima, sed à primalitatum distinctis viis tendendi in obiecta, quæ conueniunt aut differunt in ratione ad potentias: omnia enim alba licet sint diuersi generis, vt sol, & ouum, ad visum referuntur, vt visibilia. Vnde rectius S. Thom. ex particulari ratione obiecti capienda dicit particularem rationem virtutis. cum ergo obiectum virtutis sit bonũ, Bonum autem est quod conseruat, malum quod destruit; virtutes à conseruationis viis variis venabimur: vitia à destructionibus, & sic facile iudicatur de omni peccato. conseruatur autem homo in Deo, in se ipso, in filiis, & in fama.

Virtutes, quæ nos dirigunt ad conseruationem in Deo, æternam, sunt tres, Fides, Spes, & Charitas, supernaturaliter. fide enim credimus, quæ de Deo scire nondum possumus: Spe promissam speramus vitam immortalem: Charitate illi inheremus, & omnia propter ipsum facimus. respondent autem ista tribus primalitatibus. Religio ab his imperatur. iustitia exequitur: non imperat Religionem, sed de Religione, vt serua, cui subest. Tota autem virtus erga finem vltimum naturaliter notum, dicitur sanctitas. In nobis autem seruamur cibo, potu, vestimentis, exercitio, & arte, & affectionum regulis. Ad has Probitas nos afficit benè erga nos, & principia nostra, & comprincipium, & imaginem, & instrumenta viua. Vt autem quæ prosint, atque nocent, inuestigemus, prima virtus est Studiositas: vt autem scientiis vtamur, sequitur Prudentia: vt comparemus necessaria ad vitam, est Solertia, artium omnium inuentrix. vt, dum ista paramus, aggredi operationes, vt decet ad finem, & impedimentis resistere possimus, ex prima primalitate datur virilitas, spes, fortitudo, & asseclæ. vt verò paratis bonis vtamur rectè in nobis, est securitas, liberalitas, quæ simul est parsimonia, & magnificentia, & asseclæ. Maximè autem sobrietas. Vnde aliæ ex volitiuo, aliæ ex cognoscitiuo, aliæ ex potestatiuo virtutum ordines habentur, & iterum ad operationum oportuit aliam addere. ne enim torpescamus, fiamusque animo imbelles, vel corpore fragiles, addidimus Exercitium. De qua virtute non dixit Telesius, neque Arist. sed Chrys. illam magnificit. Nosque bona illius, & vitiorum oppositorum mala, enumerauimus. pertinet autem ad virtutem moriuam, & potest reperiri seorsum ab aliis.

Pro conseruatione in filiis est virtus Castitatis: sine qua nec matrimonia, nec seminatio vlla ritè celebrentur. Pro hac non videtur alia virtus addenda. Nam quomodo erga filios, & vxorem nos gerere debeamus, iustitia œconomica, & Politica docet, in quantum sunt aliquid à nobis diuisum. In quantum verò sunt vnũ, amor naturalis erga nos ipsos, docet, & probitas, & suæ species, quid de illis agere, & curare debeamus.

Ad conseruationem nostram in fama, & opinione hominum, est virtus Magnanimitas ad honores veros nos afficiens: & ad eorundem despectum: ne nimius huius cõseruationis amor nos potius destruat. Assequetur autem qui floribus virtutum benefactis se ornatum virtutis gratia, non sui, sese ostendet. virtus autem est ratio, prima Ra-

tio, ſapientia, & verbum Dei. hac ſe ornant Sancti qui induuntur Dominum IESVM CHRISTVM, & non Acchillem, vti Alexander, nec Cyrum, vti Scipio. & hac virtute Heroica deificantur. loquor etiam ad Gentiles. per Christum enim intelligo ſapientiam Dei & virtutem, quam nemo negat, quamuis in carne apparuiſſe negent.

Pro conſeruatione vero noſtra in nobis, & in filiis, & in fama, indigemus conſortio hominum: erga quos ex tribus primalitatibus trina virtus oritur, ſc. Beneuolentia, Beneloquentia, & Beneficentia, cum ſuis ſpeciebus. quibus ad conſeruandum addendæ ſunt Æquabilitas, Manſuetudo, Proteſtatio, Gratitudo, Hilaritas, propter cauſas in textu dictas, & quoniam per ſe homines ad vitia procliues ex peccato facti ſunt: quò poſſint ſeſe ab inuicem tueri, & ab externis malis, politiam amplexi ſunt, & omnes virtutes in communi contulerunt, & ſic virtus communitatis Iuſtitia apparuit: de omnibus imperans poteſtatiuo: ordinans ex intellectiuo; conſulens ex volitiuo, eiuſque decreta Leges dicuntur In textu autem patet ex paſſionum, & motionum, & affectionum regulis, Ratio; & quod omnes in noſtro dogmate ad ſuos proprios fontes, & regulas reducuntur. ignotas Ariſtoteli, & antiquioribus.

De Verecundia & Pœnitentia etiã dixi. quoniam omnis virtus contra propriũ vitium pœnitentiam adducit, & verecundiam. vt autem ſpecialis eſt propter Deum, religione imperatur, ideò in Theologia de ipſa Pænitentia tractamus luculentius. Poſui Humilitatem pro cautela virtutum. Quas addunt Stoici, ſunt partes harum virtutum, aut actus, non autem virtutes ſpecie diſtinctæ, obiectis conſeruatiuis, aut modis conſeruationis variis. Propterea nihil vltra addendum exiſtimauimus. Vide textum. Omnia clara.

Vtrum Epikeia ſit ſolum interpretari: an etiam diſpenſare, irritare, abrogare, & permutare, quæ legis poſitiuæ ſunt.

ART. 4.

VIdetur recentioribus Epikeiæ eſſe interpetrari, quod lex non tenet in aliquo caſu particulari: & propterea eſt in Principe, & ſubdito. ſi enim iubet lex vt ad ſacra proficiſcantur omnes in die Dominico, ſi quis timet inſidias hoſtiles, poteſt non ire: quoniam interpretandum quod tunc lex non tenet ſed non dicunt, cur non tenet. Irritare autem eſt habentis poteſtatem ſuper eos, qui ſe obligat, vt pater irritat votum filiæ, & vxoris. Diſpenſare eſt, ſtante lege, dare priuilegium ob maius bonum, vt quis legem tranſiliat, vt non pergat ad Sacra, ſed ad vineam, ne vua pereat. Abrogare eſt latam legem delere, quoniam non amplius prodeſt. Permutare eſt legis pœnas, & vota in aliud conuenientius mutare, vt ſoluat pecuniam, qui debebat in militiam proficiſci Propterea Æquitas Latine nuncupatur.

Sed mihi videtur omnes iſti actus pertinere ad Epikeiam, ſeu Æquitatem; non enim iſta fiunt, niſi ex rationabili cauſa. Epikeia eſt ſuperintendens ratio, nam lex Ratio ſcripta eſt, corrigibilis à ratione viua. & ideo minor ratio non eſt ſupra maiorem. non ergo quis diſpenſat in lege Dei ſed ſua, niſi per delegationem maioris. Interpretatio autem eſt iuris naturalis immutabilis, propterea videtur pertinere ad quemcunq. habentem ius ſuæ conſeruationis, & ſcientem non eſſe de voluntate legis proprium malum, ſed bonum. Quapropter non eſt virtus multiplicanda: ſed eadem ſapientia iſtos actus omnes promit, reſpiciens ad conſeruationem, & eius naturale. ideò in ſapientioribus magis viget, & in Principe. Macchiauelliſtica autem ratio de Statu eſt vitium oppoſitum Epikeiæ, quæ pro quocunque hoc bono ad libitum quamcunque tranſgreditur legem. & tamen vocatur Ratio cum ſit iniuria contra Autorem naturæ, & gratiæ, ſicuti aſtutia vocatur Prudentia, de quo vide Aphor. Politicos. Hic non amplius immorabor. Sequentes tamen regulas vt vtiliſſimas pro Epikeia, qua ſe tyranni falsè tuentur, ſupponam.

1. Regula. Bonum diuinum, quod curat Religio, semper præferendum est bono humano, quod iustitia curat: nisi illud diuinum sit positiuum, propter bonum non Animæ sed corporis & Reip. assignatum. v. g. Deus non esse in Sabbato operandum, ordinauit. Maccabei autem necessitate compulsi, ne à gentibus opprimerentur, pugnandum esse in Sabbatho per Epikeiam dixerunt, & Christus vellere spicas & sanari infirmos in sabbato docuit, quoniam sabbatum factum est à Deo propter hominem vt quiescat, & non in ruinam hominis. At non potest dispensare quis, vt homo possit blasphemare Deum, sed moriendum potius, quoniam præceptũ hoc est propter Deum primitus, at secundariò propter homines.

2. Regula. Bonum publicum præponendum est priuato. ergo matrimonia clandestina, præsertim principum, quamuis olim haberentur pro veris matrimoniis, sunt dissoluenda: vt iubet Concil. Trid. quoniam ansa datur ex illis populo eludendi & mutandi matrimonia, & ducendi vxores in detrimentum Reip. & Sacramenti violationem, vel vilipensionem. Filii quoque principum, qui non principantur sui gratia, sed Reip. & eorum proles, pertinet ad salutem regni, quod valde periclitatur ex orbitate regiæ prolis, vel prauitate: non possunt matrimonia inire, regno contraria. ergo nec accipere ad libitum meretrices, nec steriles coniuges; nec à quibus regno detrimentum imminet. Propterea olim in Francia & Anglia Parlamentum natis regum de coniugio prouidebat.

3. Regula. Nulla lex, quæ oritur ex naturali lege ac proinde ex æterna, per modum conclusionis, qualis est lex gentium, est mutabilis aut dispensabilis, &c. stantibus cæteris paribus, ergò lex, qua *præcedit prior tempore, ergo potior est in iure.* in quocunque iure siue successionis, siue honoris, siue actus, &c. semper stat inuicta. Si autem non paria stant, quoniã mutatur ratio legis, vel res à lege custodita, potest mutari. Vnde filius factus Consul præcedit patrem: quoniam mutata est persona in melius: & secundo genitus bonus præcedit primogenitum malum, vt Iudas Rubenum, quia ascendit cubile patris sui. valet ergo ex iure naturæ, *prior præcedit*, ista conclusio, *ergo Ruben Iudam*, sed facta mutatione, qua prior redditur posterior, mutatur lex, quoniam & ratio legis.

4. Quando procedit lex positiua à naturali per modum determinationis, potest mutari facile, sicut omnis lex positiua. Ex hac enim naturali, *Mali sunt puniendi* oritur Lex gentium vt conclusio: ergo *latro* quoniam malus, *est puniendus*. Quod autem puniatur exilio vel pecunia, vel fustigatione: est illatio per modum determinationis ac ideo de iure ciuili: & pro loco & tempore & Reip. commodo potest dispensari, abrogari, irritari, &c.



ETHICA THOMÆ CAMPANELLÆ STILENS. ORD. PRÆD.

PHILOSOPHIÆ REALIS PARS SECVNDA, EPILOGISTICA; QVÆ DE MORALIBVS.

De Essentia virtutis, & Principijs eius, & passionibus, & operationibus, quarum regula est ipsa virtus.

CAP. I. ART. I.

1. ERVM Opifex potentissimus, sapientissimus, & amorosissimus hominem diuinum, liberum, religiosumque animali ineffabilibus vinculis ex Mente, spiritu, & corpore, artificiosissimè composuit.

S Ambr de dignitate hominis: & de Isaac,

2. Mentem non composuit, sed ad sui similitudinem, & imaginem ex Potestate, Sapientia, & Amore essentiauit, nullis internis, aut externis contrariis Physicis obnoxiam, puramque ab omni corpulentia; sed finitam ob participium nihilitatis; eamque infundit, non confundit corpori. Spiritum verò ex eisdem primalitatibus, aut earum potius participio, & corpore tenuissimo, lucido, mobilique composuit, ideóque dissolubilem. Corpus verò ex visceribus, & statua, & humoribus, & vasis compaginauit; vt primalitates copulent spiritum, & mentem: tenuitas spiritum, & humores, vnde nutritur: humor spiritum, & corpus solidum reficiendum eius crassitie. In quo etiam sunt primalitates obscuræ, & naturaliter, in spiritu animaliter, in mente purè, & diuinitus emanantes per creationem, aliàs non essent ab vno.

Ex S. Aug. & Ber. in lib. de dign. diuini amoris, intellectus, voluntas, & Memoria, (quæ est creantis ad intra) essentię sunt animæ, ad extra, respectus. Vide Metaph p. 2. & Theologiam nostram lib. 7.

3. Primalitates ad intrà essentiant mentem, ad extrà verò consideratæ respiciunt obiecta, & dicuntur facultates, aut potentiæ, aut principia. Et ad obiecta feruntur per operationes inchoatas, emittunt passiones, quæ in quantum sunt à Potestatiuo propriè Potestationes sunt, passiones impropriè dicuntur: inquantum à cognoscitiuo, seu sapientia, Notiones: inquantum ab Amore, Affectiones, tam in mente,

Errant qui irascibilem & concupiscibilem separant cum Galeno a rationali sensitiua, sicuti potentiam, & voluntatem ab intellectiuo.

quàm in spiritu, ex quibus subsequuntur operationes ad extrà, vel omissiones, quæ ex nihili primalitatibus sunt; videlicet ex Impotentia, Insipientia, & Disamore. At in spiritu vocantur vigor, sensus, & appetitus; seu irascibilis, sensitiua, concupiscibilis. In corpore impetus, apprehensio, & propensio, quoniam specie differunt partiali, sicut mens, spiritus, & corpus, licet componant indiuiduum vnum; & sicut sanguis, os, & caro statuam vnam. Corpus itidem quoniam mentis, & spiritus est organum, habet alia organa operationibus, & affectibus Appetitiui seruientia, vt ventriculum, iecur, cor, famis, & sitis; pudendum libidinis: anum & lienem, & fel, & vexicam, odii, & expulsionis. Alia cognoscitiui, vt oculos, aures, nares, linguam, quæ etiam expulsionibus seruiunt: Potestatiui alia organa, vt ossa, neruos, corium, vasa, pilos, vngues. sed propria executionis, musculos, & iuncturas ossium, vt dicemus in Medicina.

De obiectis facultatum primarum.

4. Obiecta Potestatiui, & suarum passionum, sunt Possibile, & Impossibile: Cognoscitiui Verum, & Falsum: Appetitiui, Bonum & Malum: idque ideò quòd ens finitum ex ente, & nihilo constituitur: Ideoque ex potentia & impotentia, sapientia, & insipientia, amore, & disamore: vndè duplex est finitarum fons passionum, notionum, & affectionum, ergo & operationum.

Primalitatũ operationes ad extra sunt indiuisæ.

5. Igitur quoniam non fertur animal ad obiecta, neque refugit ea ex solo Potestatiuo, quia potest, aut non potest; nec ex solo cognoscitiuo, quia scit, aut nescit; nec ex solo volitiuo, quia amat, aut odit: sed ex omnibus hisce, quoniam sunt vnum in radice, & essentia per identitatem essentialem, licet varientur erga obiecta propter accidentalem, additamque entitatem, necesse est operationes prodire ab amore, & odio circa prænotum, & possibile; non enim amamus, nisi quod nouimus bonum, nec nouimus nisi quod nobis est possibile nosse.

Operationes vt primalitatum sese consequuntur.

6. Et quemadmodum Amor ex sapientia, & potestate emanare intelligitur in Metaph. ex sapientia & potestate: sic & passio Amoris ex passione sapientiæ & potestatis: & passio sapientiæ ex passione potestatis: & eodem ordine omnis operatio.

Imperium ad agẽdum non est intellectus, aut volun. tatis, vt Peripatetici dicunt, sed potestatis.

7. Siquidem postquam aliquid receptum in Potestatiuo scimus esse possibile bonum per cognoscitiuum, tunc succedit amatio talis boni: at nec postquam scimus aliquid esse bonum, & amamus illud, statim aggredimur adeptionem illius, nisi accedat imperium Potestatiui. multi enim sciunt bonum esse obseruantiam legis, & amant tanquam bonam, sed tamen non obediunt: videntesque meliora, probantesque, deteriora sequuntur: post imperium verò potestatiui, & spiritus, & corporis, & mentis vires, incipit operatio: vt in omnibus potestas sit prima, sic in operationibus, sicut in affectionibus.

Distinctio operationum in affectibus & in actibus.

8. Omnis operatio vel est via ad capiendum bonum præcognitum possibile: vel fuga mali præcogniti possibilis: sic & affectio est inchoata operatio, vel eius origo, vt ex dictis sequitur. & distinguitur in principium, medium, & finem, in quibus variari solet affectio. Vndè amor in radice dicitur desiderium: in medio exultatio, in fine voluptas: sic de cæteris. & circa malum in principio est odium, in medio horror, in fine dolor, quoniam obiectum coniungitur facultati odienti.

De potestatiui extensionibus.

9. Ergo passiones potestatiui ante aggressionem, sunt ferocitas, & debilitas: Rigiditas, & flexibilitas: Promptitudo, & lentor: in prosecutione verò, velocitas, & tarditas: obstinatio, & instabilitas: Accidia & pernicitas: Diffidentia, & paruipensio: præsumptio, & desperatio. In comprehensione seu adeptione boni, impetus seu irruptio, & retrocessio. In impugnando malo, vel destruendo, ita & pauor: audacia, & timor: crudelitas, & misericordia. In tolerandis verò malis, impatientia, & insensibilitas: in aliorum culpas, iracundia, & affinitas: circa proprias pudor & impudentia; circa virtutes, & bona, tumor, & despicientia: in cunctis vigilantia, & negligentia.

De operationibus extensiones sectãtibus.

10. Operationes verò vt sunt à Potestatiuo finito, sunt facere, & deficere, imperare, & obedire: agere, & pati: laborare, & otiari. Ex his enim educuntur species actionum & defectionum omnes, vt ambulare, bellare, cadere, stare, irruere.

De extensionibus cognoscitiui.

11. Intellectiui passiones, quæ notiones penuria vocabuli dicuntur, in radice, sunt

ſcibilitas, & ignorabilitas: relatæ ad obiectum ſcientia, & ignorantia. In ſenſu ſagacitas, & ſtupiditas, memoria, & obliuio: In diſcurſu perplexitas, & reſolutio, & præuolatio. In intellectu acumen, & obtuſitas: circa imaginationes, & delirium, furor, ſomniatio, adſimilatio.

12. Operationes verò dicuntur ſentire, memorari, imaginari, ratiocinari, conſulere, credere, diſcredere: conſiderare, non aduertere, circumſpicere, intelligere, contemplari, opinari, ſuſpicari, ſcire, ſapere, deſipere: at quatenus referuntur ad alios, ſunt docere, declarare, occultare, credere, diſcredere, ſuadere, diſſuadere, fallere, admonere, ordinare, & inordinare, quærere, & inuenire, fruſtrari, decipi, & aliæ miſtæ. imitari enim ex Poteſtatiui, & Cognitiui operationibus miſcetur.

Earundem extenſionum actus.

13. Appetitiui affectiones dicuntur in radice. Amor erga bonum, & odium erga malum ſed quando tenditur ad obiecta, dicitur deſiderium, & abominatio: Cum obiectum coniungitur nobis, dicitur voluptas, & dolor: ſed quando bona ſunt diuerſi generis, plura ſortitur nomina, & affectiones appetitus, non enim eodem modo amamus filios, & canem. Igitur amor erga Deum ſanctitas. erga parentes & patriam, charitas. erga vxores, & mulieres, concupiſcentia: erga filios, dilectio: erga bona exteriora, cupiditas: erga honores, ambitio: erga cibum, fames: erga pecunias, auaritia; erga ſeipſum affectio radicalis: erga amicos, beneuolentia; erga bona aliorum, æmulatio; ſic partieris & odia.

Extenſiones Appetitiui.

14. Operationes verò ſunt amare, & odire in radice: in proſecutione anhelare, deſiderare, optare, imprecari, abominari, auerſari, recrudeſcere, æmulari, inuidere: ſunt etiam miſtæ affectiones paſſionibus. Zelotypia enim ex timore amittendi bonum amatum fit, ergo ex amore, & timore: ſi enim non amas, non zelaris.

Earumdem actus.

15. Omnes præfatæ paſſiones, notiones, & affectiones, ſunt à tribus ſimul Primalitatibus, & earum facultatibus: ſed tamen à quibus imperantur, & eliciuntur proximè denominantur: fames enim eſt affectus Appetitiui elicitiuè, ſed ſimul eſt ſenſus vacuitatis, ad quem requiritur, & eſt impotentiæ influxus, ex qua, & potentia finitum poteſtatiuum conſtituitur in Metaph.

Actus ſoot à tribus principiis, ſ[illegible] à quo eliciuntur, aut imperantur denominari.

16. Ergo quoniam non afficimur, nec operamur erga obiecta, niſi quatenus ſunt bona, aut mala; & in operationibus, & paſſionibus contingit falli, ita vt fruſtretur acquiſitio boni, fuga mali, vel propter indirectionem, & exorbitantiam paſſionis, aut notionis, aut affectionis; vel ob defectum earum, aut operationum, egredientium ex illis: neceſſe fuit dare regulas, quibus & bona aſſequamur, & mala declinemus: & has regulas virtutes vocamus à vi Poteſtatiui, quoniam ab eo incipit eſſentiatio, & paſſio, & operatio, & adeptio, & conſummantur in volitiuo.

De Regularum ratione erga extenſiones & actus.

Quòd Regula prædictorũ eſt virtus, irregularitas ſeu enormitas vitium.

17. Virtus ergo regula eſt paſſionum, notionum, & affectionum animi, & operationum ad certè acquirendum verum bonum, & fugiendum verum malum.

Definitio virtutis completa.

18. Ergo virtus non eſt habitus acquiſitus per operationem, antequam enim acquiratur habitus, oportet per virtutem regulare affectionem, & operationem, ita quod potius filius, quam genitor virtutis eſt actus, & operatio bona, quæ virtute addit habitum ideſt facilitatem, & ſplendorem, & manifeſtationem, non autem dat eſſentiam: nam bruta aſſuefactione operantur virtuoſe, non autem ſunt verè virtuoſa, quia ex ſe regulas non eliciunt: nec milites dicuntur fortes, quia ex conſuetudine vincendi, fortiter agunt, ſed quia ex regula electionis: neque Deus, aut Reſp. præmiat habitus, ſed actus etiam ante habitum editos.

Corrolariũ contra definitionem virtutis Ariſtotelicã, quòd non eſt habitus, vt dixit Ariſt. qui etiam milites ex habitu fortes etiam negat ſui oblitus.

19. Item nec virtus eſt paſſio poſita in mediocritate, non enim eſt de eſſentia virtutis mediocritas, cum neceſſe ſit aliquando plus, aliquando minus affici, & aliis aliter, atque operari: & aliquando extremum tranſire in multis virtutibus præſertim heroicis: ſed Regula potius paſſionum eſt. Quippe mediocris ira

quod virtus non eſt mediocritas vt dixit Ariſt.

non est virtus: sed Regula iræ imposita, est virtus. imponitur autem à finis relatione, vt mox dicemus.

Nec facultas vt Galenus putat, est virtus.

20. Item nec virtus est facultas, licet hæc magis sit, quam passio, & habitus: alioquin omnes homines virtuosi essent à natura absque regula: quod tamen falsum est in timidis & iracundis, & libidinosis, quibus lex quæ est virtus Reip. dat operandi regulas: sæpeque contra seipsas pugnant & vincunt vitia. Nam & flagellant sese libidinosi, & cibos subtrahunt: & quamuis habitum iucundè operandi virtuosè per totum non acquirant, tamen iucundè operantur in mente tantum. Attilius enim dum cruciatur à pœnis, & Franciscus dum niue sepelit pudenda, gaudent in doloribus, eò quod vt victores dolorum virtuosè operantur.

Nec puritas vt Telesius.

21. Nec virtus est puritas nisi fundamentaliter, facit enim bonum habentem, sicut auri puritas est virtus auri, quia constat ex tali, tantoque gradu caloris, dispositionis materialis, ponderis, caloris, quales, quantique ad auri constitutionem, relati ad ideam suam, requiruntur. Vitium verò est defectus talis gradus, aut impuritas ex mistione alterius metalli, vel terræ, vel gradus: sic puritas primalitatum in mente, in spiritu, & corpore, quæ facit bonum, idest seruat esse hominis, dici videtur virtus: & hoc verum est fundamentaliter. Sunt enim aliqui natura virtuosi ita vt nullo studio statim regulariter afficiantur, & operantur circa venerea, & amicos, & rem. Alii verò impuri ex temperamenti vi, qui non nisi admoniti sæpius & flagellati, & compulsi, & tamen semper ad vitium recurrunt. ergo licet puritas, & impuritas insint à natura, & regula, & enormitas materialiter: non tamen formaliter est virtus, vitiumque nisi scientia, & electione, & imperio primalitatum exerceantur. At plus meretur sic operans libidinosus contra libidinem, quàm castus natura: & castus natura ob malam conuersationem plus in venereis peccat plerumque. Igitur quoniam vbi est totalis impuritas, vt in furiosis, non potest virtus poni, etiam culpæ sunt immunes ob hoc ipsum. Virtus erit puritas ex toto, vel ex parte: sed tamen fundamentaliter, & qui habet ipsam in ensuram in sui puritate, peccant si non vtantur: qui vero non habent, quoniam ex parte sunt impuri, peccant si aliorum præcepta, & Reip. non assumunt sibi pro regula, quia & stellis, & temperamento dominatur maiori cum merito, quam qui facile sunt virtuosi. In omnibus enim Amor, & timor, obeditio, & inobeditio secundum naturam: & ista sufficiunt impuro etiam ad virtutem: Dixit Dominus: qui & auxilium nulli suum negat: *immò quia præcurrit auxilio, iustè instat præcepto.*

Si non esset idea, nec sciretur quæ sit puritas.

s. Leo ser. 10. de Pas

Virtus non est scientia, vt videtur Stoicis.

22. At neque virtus est scientia afficiendi, & operandi: omnes ferè scimus quid & quomodo agere oporteat, non autem operamur, sed passione scientiam obruimur.

Nec voluntas vt Iustiniano.

23. Nec voluntas, cum multi velint, & sciant meliora, deterioraque sequantur.

Conclusio quid sit virtus.

24. Sed est regula, & decretum ab intellectiuo inuentum in se vel extra se in aliis, à volitiuo acceptatum, à Potestatiuo imperatum, & executioni per omnes primalitatum facultates, prout licet, mandatum, & per operationes declaratum, & illustratum. Vitium verò est enormitas affectionum, & operationum erga malum, tanquam in bonum ferens.

Quid vitium.

De peccatis.

25. In omni enim operatione vitiosa est ignorantia, vel inaduertentia, & odium boni, & Dei, interpretatiuè: licèt enim, nolim Deo opifici rectissimo displicere, tamen ago, quod displicere scio, vel nolo examinare, an displiceat. Si enim inhærerem huic aduertentiæ, non peccarem. similiter si mala, quæ ad bonum illud vetitum sequuntur, respicerem. Est etiam impotentia ad melius, sed voluntaria: si enim inuoluntaria, non vitiosa fieret. Peccatum enim est postpositio melioris boni ad minus, & abusus boni voluntarius, & prænotus. Ignorantia enim præcedens, aut comitans excusat malum à culpa: similiter impotentia, & inuoluntarium, negatiuè sumpta, non autem priuatiuè, & contrariò: vt

Quid peccatum.

qui noluit scire, ne teneretur benè agere, aut oppugnat bonum, tamquam malum, quia sic vult, aut quia non potest, non benè facit, & sibi causa fuit voluntaria non potendi. Igitur virtus voluntario perficitur, vt vitium, moraliter. Antequam enim ad voluntatem passio, & operatio perueniant, sunt naturales probitates, & improbitates, merito, & pæna carentes: cum verò ad voluntarium accesserint, sunt morales, & non carent: multoque magis si iterum voluntas per se, & non per accidens fiet causa ignorantiæ, & impotentiæ sequentis se. Antecedentis enim esse non potest. Circularis igitur est operatio primalitatum, vt præcedant, & sequantur, sicut alibi dictum est. Igitur sicut essentiatio perficitur volitiuo, sic passio, & operatio, & virtus & vitium, natura radicaliter sic requirente, & ordinante: ergo Mens est virtutis causa, & subiectum per essentiam; spiritus participio: corpus executione: passio & operatio materia circa quam. Sic & vitiorum.

De libertate hominis & moralitate, & cetera.

ART. 2.

1 QVæritur autem, cum posse, vel scire bonum, malumque, non sit vitiositas, nec virtus moralis, sed naturalis, cur velle bonum & malum est virtus & vitium, seu horum actus, cum voluntas à potentia, & scientia manet, & velle à posse, & scire, nec possibile sit aliter velle? Item si ab obiectis mouemur ad posse, & scire, & velle: & voluntas etiam à præcedentibus origine, & potestate, & sapientia, quo pacto libera est voluntas? & si ipsa, quare non magis potestas, quæ à solo obiecto mouetur, & non à primalitate aliqua alia præcedente, sed à solo Deo, vt omne ens? & quid discrepat inter naturale & morale?

2. Morale dicitur opus, aut operans, eò quod generet in nobis morem viuendi, idest, modum & rationem pro consuetudine tenendum nobis nobiscum, & cum aliis nostris, & cum Rep. & cum Deo, & rebus, quarum indigemus: nemo enim hominum sibi soli natus est, sed Deo, & Reip. & parentibus, & natis & amicis, alioquin nec indigeret rebus externis, nec Deo, nec mundo, nec patria, quod impossibile. Resp. Vnde & cur dicitur Morale.

3. Dicitur etiam morale, quoniam non statim ac nati sumus, ita affici operarique possumus, sicut oportet erga nos, & dictas iam res: sed post multam consuetudinem cum rebus externis: & tunc sanè, quando mens incipit fabricæ corporeæ negotiatione exonerari, & spiritum, cui inuoluta est posse regere, ac discernere inter bonum verum, & non verum, quod in septemnio euenire dicitur plerumque, aliis antè, aliis post. Quidquid autem ante emersionem hanc mentis facimus, naturale reputatur, & quidquid etiam non adhibita mentis consideratione ex abrupto in nobis fit. Quapropter infantes quos etiam iam triennes, inuidulos, iracundos, & mendaces quosdam vidimus, maximè quinquennes, & qui prouecti in primo voluntatis impetu non domabili exorbitant à viuendi regula, non delinquunt moraliter, sed naturaliter quodammodo: sicut eum ignis comburit frumentum, & furiosus se se nudat, & canis ollam frangit, & mus librum sacrum corrodit, nescientes quid malum his in actibus latet: sed proprium spectantes impetum placitumque primum: natura enim determinatur ad vnum, nec ab illo suasione flectitur vlla, nisi Dei impulsu.

4. Igitur non potestas & intellectus modo peccant naturaliter, beneque operantur naturaliter, sed etiam voluntas, quando per modum naturæ fertur: eodemque modo dicimus quod peccatum morale non est in prima volitione, quando Peccatum morale ac naturale in quo differunt, & illud pænam, non illud mereri moraliter.

Voluntas aliquando se habet vt natura sicut et am D. Th. docet 1ª 2ª

voluntatis actus manat à potentia, & sapientia, sed in secunda, & illo in tempore, quo iam didicit homo malum esse bono mistum, nec proinde capessendum quidquid boni offertur, placetque; sed examinandum an lateat in eo malum: vndè Moyses infans delectatus ignis luce, carbones ori admouit: cum autem expertus est combustionem indidem destructiuam fieri, non ita ignem tractauit: si autem ita tractasset reipsa admonitus, tunc peccasset moraliter. Quapropter etiam in Potestatiuo, & intellectiuo, nedum in volitiuo est peccatum & iustum moraliter, quando impotentiæ, & ignorantiæ causa est voluntas non examinandi quid valemus, & fugiendi id, vndè impossibilitas boni operis nobis enascitur. ideoque dicebamus impotentiã, & ignorantiam sequentes voluntatem secundam, volitasque saltem interpretatiuè, non excusare, sed aggrauare delictum. Opus verò bonum augere eorum opposita. Si quidem qui propterea inebriatur, vt malefaciat, aut sciens maleficentias ex ebrietate euenire solitas, & si non earum gratia patrandatum sese inebriat, tamen peccat, & peccatũ auget: sed plus illi qui earum gratia. Sic peccant quicunque passionibus timoris, amoris, iræ, &c. sese onerari expectãt nec subito tentationi resistunt. Vndè principiis obstare, & auertere oculos ab aliena virgine admonemur, ne affectus crescens, mentem secum rapiat. Quapropter solum præcedentes ignorantiæ, & impotentiæ, hoc est, non causatæ, excusant. quoniam in his naturale est peccatum, sicut & in præcedenti voluntate non autem in sequentibus, causatisque impotestatibus, ignorantiis, volitionibusque.

Ignorantia & impotẽtia præcedens actum secundum voluntatis non imputãtur ad peccatum morale, sed subsequentes.

5. Dicimus etiam potestatem & sapientiam, & amorem essentialiter non posse ab obiectis moueri ad actum suum, sed naturaliter illum intus, & intemporaliter habent, vt procedat sapientia à potestate, & ab vtrisque Amor iuxta Primę sacrosanctæ Monatriadis imitationem, quod arcanum nuper in Metaph. expressimus. Ad actus verò exteriores egrediuntur simul vti vna res tribus respectibus exornata.

Operationes internæ essẽtiationis actus sunt naturales, & intemporales.

Operationes ad extra, tẽpus habẽt, & sunt indiuisæ, sed aliæ naturales ex tribus principiis, aliæ voluntariæ

6. Facultates ergo sunt essentiæ egressiones, respectusque ad extra: passiones & notiones, & affectiones sunt extensiones facultatum, operationes tandem sunt passionum extensiones vsque ad comprehensionem, aut declinationem obiectorum. Quapropter obiecta non mouent facultates effectiuè. nec enim possumus, quia mouemur à possibili, neque scimus, quia mouemur à scibili, neque volumus ab Appetibili: sed quia emanant tales propensiones ab essentialibus intimis; sed tamen ab obiectis specificantur, & particularizantur, ita vt hoc, & non illud posse, scire, & velle aggrediamur. neque enim lapis scientiam lapidis in nobis producit, cum ipse sit stupidus, neque docens aliquid, nec docere intendens: neque vmbra timorem in nobis facit, cum ipsa id non intendat, neque cogitare curat: sed offerunt nobis occasionem, innatam scientiam & timorem ad ipsa conuertendi, & particularizandi. similiter Præceptor docet obiecta proponendo, non autem scientias infundendo. ergo nos liberi sumus ab obiectis, cum ab eis non moueamur ad exercitium, sed ad specificationem actuum & hæc & ante alia obiecta possimus. imo & contra obiecta, & contra passiones, pugnamus & contra Deum. vnde patet quod deliberatio non est obiectis, nec compassionibus nisi suggestiuè: nec à Deo compulsiuè, sed impulsiuè tantùm ac ad bonum. & tamen vt liberrimi Deum blasphemant homines: ergo non à Deo implanantur contra Deum.

Facultas est egressio primalitatis, passiones, notiones, & affectiones sunt extensiones facultatum ad obiecta.

Operationes seu actiones sunt extentionum attinctiones obiectorum Primalitatum facultates non mouentur ad operandum exercitiũ actuum, sed ad specificandũ actus circa aliquod.

Item occasionaliter agunt in facultates, in organa verò causaliter etiam. Præceptor agit suggestiuè in primalitates.

7. Errant & qui dicunt affectiones esse ægritudines, si enim fames est ægritudo, & amor filiorum, & amicorum, sequitur & scientias omnes, & gaudia, & de Deo, & de bonis, verisque, & potestationes, esse ægritudines, quæ tamen à natura ad conseruationem data sunt, & sine eis viuere non possumus: sunt autem ægritudines, cum exorbitant, vitium enim est ægritudo animæ, Virtus sanitas: vt in corpore.

Affectiones non sunt ægritudines vt Stoici dicunt.

8. Libertas ergo non est in sola voluntate, sed in intellectu, & in potestate etiam post primos impetus: in mea enim est potestate velle ire Romam, & addiscere ire Romam & posse ire, adhibendo equum. Idcirco vocatur liberum potestatis arbitrium; licet enim ab obiectis specificetur, & inuitetur, tamen in mentis potestate est ea sectari, &

Libertas est in voluntate, nec excluditur à potestate & intellectu.

non sectari, credere, & non credere. Iterum dum plura bona proponuntur, prosequi melius, maiusque: dum verò fuerit æquè bona, secum perpendit quodnam ad melius inclinat, & tunc absque hæsitatione illud aggreditur: potest & minus sectari, eò quod ipsum tamquam maius considerat minori labore, aut citius, aut iucunditate ad præsens potiori comparatur.

9. Hinc nouimus hominem liberum in volendo, & nolendo bonum & scientiam, & potestatem boni, non autem in exequendo semper, patiendoque: quot enim sunt oppositæ res, tot ipsum exuperare possunt, & ab executione deflectere, & quot sunt potentiores, tot sunt deturbare, impedireque, quia & imbecilliores, quando & pulex vnus tollit somni bonum, & sanitatis.

Libertas innicta est in volendo & nolendo, non autē in operando, quoniam impediri potest ab externis causis. Solus ergo Deus ex toto liber & omnino.

10. Præterea naturale distinguitur contra preternaturale, estque duplex, aliud ab intrinseca essentia, vt ignis calefacere, aliud ab ordine rerum naturali, vt hominem in igne comburi: Quod etiam præternaturale similiter vtroque modo.

Mirabiles distinctiones.

11. Rursus naturale diuiditur in necessarium, & in contingens, & vtrumque ab intus: ab ordine necesse est aquam cadere ex ampulla versa deorsum: contingens tamen non cadere, cum vacui vi tenetur.

Duplex naturale.
Species naturalis duæ.

12. Rursus necessarium, & contingens aliud spontaneum, aliud coactum, spontaneum ab intus est semper propendens, vt lapidis immergi, & canis ire ad leporem, quamuis ab obiecto inuitentur. Coactum ab extra est vt hominem comburi, & lignum, & lapidem sursum pelli.

Species necessarii etiam contingētis.

13. Rursus spontaneum diuiditur in liberum & seruile: liberum à se ducitur, & sui gratia, seruile ab alio, & alterius gratia. Quaptopter serui carent ex parte liberi arbitrii vsu, quoniam ducuntur ab hero ad deliberandum sic, & non aliter; in naturalibus verò liberi sunt à seruitute, non à necessitate: liber verò ab vtroque est, qui de se ipso deliberare potest, & velle, & nolle ductu proprio, & non alieno, & elicere actum volitionis, & scientiæ per se, etiam ab obiectis non inuitatus nec passionibus actus. Quapropter canes, & infantes sic non sunt liberi, sed spontanei, quoniam ab obiectis mouentur ad passiones, & actus, à quibus sequendis, vel fugiendis non abstinent, nisi ab aliis fortioribus inuitati obiectis, vel causis actiuis adacti. Homo etiam per se elicit syllogisticè rationes prosequendi, aut desistendi: & quamuis Deo præeunte in bonis actibus ducatur, & concomitanter in malis, quatenus bonis, non tamen idcircò est seruus, cum possit non sequi, & sæpè contra Dei gratiam etiam supernaturalem nitatur, & ipsam habitam respuet, nedum oblatam. Non enim Deus desent nisi desertus prius, de quibus in Theologia. nec filius sequens ductum patris est seruus. Agimur autem à Deo vt filii; igitur egredi à regula virtutis in nobis est ex Potestatiui in excessum viribus, & ex impotentia in defectum physicè: sed moraliter vtrinque enormitas est ab impotentia, & insipientia, & voluntatio subsequentibus noluntarium naturale per moralia. Remota radix peccati est participium Nihilitatis: proxima est concupiscentia non regulata: essentialis est voluntaria regulæ omissio, liberaque. Qui enim peccatum facit, fit seruus passionis enormis, vt auaritiæ, aut iræ: & tamen liber est, quia vult, quando etiam non spontè proiicientes merces in mare, libere proiiciunt, nè submergantur: possunt etiam non proiicere, sed inutiliter: sic auarus non rapere, & vtiliter, non tamen vult, appetitui plus tribuens quàm voluntati. In super naturalibus autem non potest desistere meritoriè, nisi ex speciali auxilio Dei, sed meritoriè naturaliter ex generali sufficit; magis autem desistere demereri amplius.

Species spontanei.

De Beatitudine & summo Bono & Bonorum summorum distinctione : & de operatione virtutis., & vitij.

ART. 5.

Omnes entis Beatitudo est conseruatio in proprio esse.

ENtia cuncta propriam Beatitudinem appetunt, eamque certum est esse, cuius gratia omnes affectiones, & operationes fiunt. Fiût autem propter sui ipsorum esse conseruationem; quapropter proprium esse seu vita est vni cuique beatitas, quæ est summa possessio Boni, possibilis illis: propterea enim ad sua loca tendunt, vbi in similis, cognat que societate seruantur, terrestria ad terram, Aquæ in mare, ignes ad solem, pugnantque contra destructiua sui esse, appetuntque conseruatiua.

Omne ens beatur beatitate sua in se non in alio, licet ab alio & à Deo illam hauriat.

2. In se autem & non in alio Beatitatem haberi palam est; alioquin si in alio meliori, tunc omnia destrui & in illud melius conuerti, cuperent. Igitur tellus, & aqua, & arbores, & lapides in ignem & solem tamquam nobilius ens, seipsa necando si possent, verti contenderent. At verò non ita est, sed pugnant contra ignem, oderuntque omne destructiuum, quamuis se melius. Beata autem se reputant cum in tuto posita fuerint loco à contrarijs dissitò, & amicis rebus pleno. Esse enim diuini participatio est omne esse: Id circò amabilissimum sibi, vt omne contentum, & felix sit; & sicut Deus æternus est, sic æternari cupiunt omnia, & cum non possint remedia quærũt in prole, altero se, & tandẽ qui sui gratia non sũt propter illud cuius gratia sunt, sese conseruant. Arbores enim, & si sibi fructus ferunt, vt in eis successiuè æternentur: tamen animalibus prosunt, qui eis vescuntur. Animalia autem alia aliorum sunt; si autem homo est propter alia entia superiora, non æternabitur in se sibi, sed illis; vel morietur totus, sicuti grex pastoris gratia venundatur, occiditur, tondetur.

Quadruplex genus conseruationis, in rebus sparsa, omnia tamen vnita in homine.

3. Triplex videtur hominis conseruatio, in se, in filijs, in fama & creditur quarta post mortem in Deo: vtrum autem sit euidenter credibilis, genus humanum fluctuat: sed veritas clamat pro homine: si enim lapides in seipsis seruantur modo, quoniam duritie resistunt iniurijs; plantę in se, & in filiis, quoniam fragiliores consulerunt sibi per successionem nutu DEI. Animalia verò etiam in honore: nam & leones, & elephanti honoribus priuati sese occiderunt, & equi gloriæ cupidi videntur. Reliquum est, vt homini qui mentis ope domat animalia seipso præpotentiora, & sibi mare, ventum, pisces, & cælum ingenio subiicit, alia longè diuinior conseruatio conueniat in Deo. & si enim dum spectamus mortale corpus & organa eius, omnia facta propter conseruationẽ corporalem, vt in prima parte docuimus, videatur expers melioris spei: tamen si opera eius & mechanica & naues, horologia lucernos codices, vestes, quibus superat bruta nos in eodem ordine vt magis minus: sed tanquam, superioris ordinis: item si Mentem spectes, qua super omnia corporalia intelligendo, & appetendo in infinitum sese eleuat & cuncta cælestia & terrestria & maritima, ingenio supponit suo & ad Deum scandit, & de eius consortio, & amicitia gloriatur: quòd miraculis supra naturam, & doctrinis, & Prophetia futurorum, & Martyrio, quo spernit corpoream vitam, in diuiniore consisus, & non sicut bruta, quæ se se occidunt, diffidendo viuere benè, cum bonis quibusdam amatis priuantur: tunc euidenter intelliges hominem posse aliam vitam ęternam adipisci, turbationibus & miseriis non scatentem veluti est præsens: sicut cum lignum vides longum, potius igni, quàm bello aptũ putas, vbi ferrum in fastigio inspicis, intelliges lanceam bello aptam: sic in nobis in fastigio mortalis si mentem spectes immortalem, intelliges profectò immortalem sibi deberi conseruationem; quam vocat qui non mentitur Deus, Vitam ęternam: quam historiam negare impudentius & furiosius est: quam Cæsaris, & Liuii, historiam, & Salustii historiam, & Columbi de inuento hemisphero altero annunciationem. Quomodo autem ipsa, corpus etiam indutum immortalitatem beabit, non est hic dicendi locus: sed illud modo nouimus, aliam vitam immortalem

Probationes quòd homini conueniat quarta conseruatio perennis apud Deum.

Porphirius dubitat de corporis beatitate. vide Theol.

mortalem conuenire homini, & reuelationibus fidem euidenter deberi: neque enim oculus luce delectatur, nisi quia lucem in se habet implantatam, nec auris sonum acreum sentit, nisi quia habet aerem implantatum. sic homo ista de Deo sapit, quia habet implantatam diuinam mentem ab eo.

4. Summum Bonum, & Beatitudinem idem esse in Deo oportet, quoniam sui esse conseruatio, & æternatio, & tranquillitas, haberi non potest ab alio ente, sed à se: propterea idem est illi Esse ac Beatum esse. Rebus verò cæteris, & si conseruatio sui esse sit Beatitas, non tamen cum seipsas non conseruent, eadem conseruatio est summum bonum illis, sed illud à quo beantur, hoc est in esse tranquillo conseruantur.

In Deo est idem esse, & Beatũ esse: non autem in cæteris.

5. Propterea iterum quærentes quid est summum bonum hominis, inuenimus esse Deum, qui omnibus rebus dat, & conseruat esse; sed non cognoscitur nisi ab homine inter mortalia quod solum est religiosum animal. Aliorum autem nullum inquirit quid sit Deus, & Angeli, nec de illorum patrocinio, & societate se iactat sicuti homo, qui etiam sui beatificatione, & estasi, & prophetia, & miraculis id probat: siquidem ens nullum quod sibi non conuenit bonum quæritat, aut inuenit. Et si inuenit, non nouit, ac sicuti pullus negligit gemmam. Igitur quemadmodum cætera entia dirigunt affectiones suas ad illud bonum, à quo conseruantur immediatè, vt asinus ad pratum, & asinam, Aqua ad mare, Apis ad flores, sic homo suas affectiones, & operationes ad Deum dirigendo, conseruabitur optimè: Idcircò virtutem esse regulam diximus ad boni acquisitionem dirigentem passiones, operationesque.

Deus qui est summum bonum sui, est etiam hominis, & omnium entiũ.

6. Si ergo summum bonum est, cui nihil admiscetur mali, estque in se ipso perfectum, & nullius indigum, & finis omnium affectionum, ita vt qui illud habent, nihil optent amplius, vti dicunt omnes: & omnia dicantur bona per analogiam ad illud, quia sunt eius affectus, aut signa, aut præparationes, aut viæ; consequens est vt Deus sit summum Bonum, & non proprium esse nostrum indigum tot bonis, & administrum tot malis, cuius possessio non beat, nisi bono summo inhæreat, à quo fluit: sicut ignis ergò non se putat beatum, nisi ad solem suam originem redeat, sic nec homo, nisi ad Deum; ergo nec Deum sui gratia, sed se gratia Dei amat sicut, se ipsam pars, totius gratia. Namque cum cupit esse semper, & vbique, & omnia posse, omnia scire, & omnibus frui; tunc cupit esse Deus; quod cum non possit per essentiam, participio, & consortio Dei deificetur æquum est.

Quid est summum Bonum.

Arist. ideam boni Deum esse negat inaniter analogiã non capiens. vide qu.

Omne ens cupit esse quod Deus: ergo amat plus Deũ quam se ipsum amore innato abdito.

7. Infælices illi qui putant inter hominem & Deum non posse amicitiam conflari, cum enim negent res à Deo creatas, non intelligunt, quod sicut nos creauit, nostri non indigens, ita nobis in amicitiam condescendit, & nos ad se eleuat pro bonitate sua, nullius indiga.

Arist. & hic negat inter Deum & hominem amicitiam, & commercium.

8. Bonum dicitur tripliciter, scilicet Metaphysicè, physicè, & moraliter.

Triplex bon phys Metap. & Morale

9. Cuncta entia metaphysicè bona sunt: non ens solum malum: sunt enim sibi, & mundo & Deo, à quo participant bona physicè verò non omnia omnibus bona, sed quæ ipsum conseruant, nec mala, sed quæ destruunt: vt ignis aquæ.

10. Quapropter hominis bona physice sunt triplicia: Alia nimirum animi, vt potentia, intellectus, voluntas, & ex his ortæ virtutes, & affectus, quibus conseruatur: & dicuntur bona honesta ab honore, qui illis debetur, & quia seruant nos in fama: mala verò animi impotentia, insipientia, disamor: Vitia. Alia sunt bona corporis, vt sanitas, pulchritudo, & robur, & vita: corporis organa: Opposita his sunt mala, vt deformitas; ægritudo, debilitas, mors: Alia sunt bona exteriora his deseruientia, quæ ab vsu vtilia dicuntur, vt diuitię, serui, principatus, filii, vxor: quorum aliis in nobis, aliis in fama, aliisque in successione vtimur ad beatitatem corporalem, horum mala sunt paupertas, seruitus, orbatio.

Bona physica triplicia.

11. Bona autem iucunda nulla per se sunt, nisi quia vtilia, aut honesta: sequitur enim iucunditatis affectio sensum possessi boni. Vndè & de meretrice iucundantur, quatenus vtilitas ad generationem est in ea. In peccato verò contra naturam, alii delectantur, quatenus imaginem boni vtilis habent, licet mistam malis inhonestis,

Per se Bona iucunda non dantur nisi sint vtilia aut honesta.

vt depranatus ægroti ſenſus etiam delectatur malis ſuis, & patientes cittam carbonibus. Iucundum autem per ſe non reperitur ſeorſum ab vtili, & honeſto, vt in ludo ſpiritus dilatatio, & lætitia eſt vrilis, ideoque iucunda, licet inurilitatibus, & damnis miſta, Virtutiſque eſt ea bona eligere quæ pura ſunt, aut minus impura ideſt minus miſta malis: moraliter enim nulla ſunt bona, nec mala niſi ex vſu, & abuſu, vt mox dicemus.

Dio'i'æ non ſunt ſummum Bonum, vt Bias vult.

12. Ex his palam eſt, quòd Beatitas non hauritur ex bonis exterioribus; ſunt enim extra nos, & miſeriis ſcatent: & qui auro, atque ſeruis abundat, ſi ignorans eſt, aut æger, neſcit vti, aut nequit. Stultum eſt etiam putare hominem intellectu altiſſimo præditum, & voluntatis ſublimitate, beari rebus deterioribus ſe, carentibus ſenſu, aut ratione, aut diuiniore vi: vnumquodque enim ſeruatur faciliter à rebus melioribus ſe, non deterioribus.

Honor non eſt ſummum Bonum

13. Nec honor eſt bonum beans, cum non ſit in nobis, ſed in aliis nos honorantibus, & eis indiget, ſæpeque datur indignis; eſtque teſtimonium beatitatis, ipſam ſequens, vt effectus non præcedens vt ſcopus: ſed quandoque falſum, at nunquam Beatitas ipſa.

Dominatio non eſt ſummum Bonum.

14. Nec dominatus, vt alii putant, cum indigeat multis, ſicque ab aliis deficere poſſit, & non niſi per virtutem bonus fiat.

Nec bona corporis ſunt bonum ſummum.

15. Nec in bonis corporis eſt Beatitas, licet in his pluſquam in externis: melius eſt enim eſſe pauperem ſanum, & robuſtum, quàm diuitem ægrum. At iſta indigent ſapientia animi, vt ſint vtilia, & bonis externis, vt ſeruentur: & ſæpè obſuit pulchrum eſſe, & robuſtum: ergo non eſt bonum ſummum, nec beans.

Nec virtus eſt ſummum Bonum vt Stoici putant Boethus rectius dixit, Beatitudinem eſſe omnium bonorum ſtatum perfectum.

16. Qui autem in bonis animi beari putant, propinquiores ſunt ſcopo. Virtus enim benè vtitur omnibus corporis, & animi bonis, & eius vſu fiunt bona, ſicuti vitio mala. Attamen quoniam virtus vitam æternam in ſe non habet, ſed aliundè illam optat, clarum eſt non beare, ſed ad bonum beans nos perducere.

Attamen ſummum Bonum nó eſt ille ſtatus, ſed Deus, à quo eſt ille ſtatus.

17. Qui autem dicunt omnium bonorum corporis, animi, & fortunæ ſtatum aggregatione perfectum eſſe fælicitatem: rectiſſimè loquuntur de conſeruatione in nobis, in filiis, in fama, & in Deo ſimul loquentes. At quoniam deficiunt omnes conſeruationes præterquam in Deo, ſunt omnes ad Deum dirigendæ: ita quòd homo non ſibi viuat, ſed Deo, non generat filios niſi Deo, nec amicos & honores colat, niſi in Deo, nec ſcientias, & virtutes, niſi adipiſcatur Deum, quantum poſſibile eſt; in quo eſt eminenter ſtatus, omnium bonorum aggregatione perfectus. & huius vitæ iocunditatem non credit niſi expertus.

Ariſt. non rectè beat operatione.

Beatitudo conſiſtit in comprehenſione, & intellectione, & fruitione ſummi Boni.

18. Igitur qui dicunt in operatione conſiſtere Beatitudinem, vt ſicut cythariſtæ cytharizando benè, ſic hominis in contemplando: errant, non enim homo eſt propter operationem ſicut cythara, & ars propter cytharizare; ſed operatio propter hominem conſeruandum in Deo, vt Beatitas ſit vita æterna, & non operatio, niſi conſequens vitam, quam accipimus: communicatam per ſummi boni comprehenſionem, quæ fit per Poteſtatiuum, niſi enim prius attingas obiectum, non noſti illud; & cognitione per intellectiuum, & fruitione per voliriuum: vbi voluptas non turbat, nec prælibatur, vt in hac vita, ſed ſerenat, & perficit. Nec poteſt eſſe Beatitas, niſi totæ primalitates in obiectum ſummè bonum æquè profundentur, vt viuant altiori vita. qua de re in Theologia diximus.

Quis Beatus.

19. At nunc ſatis eſt ſcire beatum eſſe, qui omnia habet, omnia nouit, & omnibus fruitur ſimul: quod non poteſt eſſe niſi in Deo per eſſentiam noto, nobiſque copulato, id quod ſupernaturali fit in Beatitudine: At in naturali erit in mundo immutato, & Deum, & omnia repræſentante, ſinè malorum miſtura. Expelle malum à mundo, & omnes erimus beati naturaliter. Item etiam ſi aliam Beatitudinem non ſimus ſortituri, Deus eſt habendus pro ſummo Bono, bonorum omnium largitore.

Ex ſancto Chryſ. & omnibus Patribus qui mala to-

20. Tandem noſſe oportet, quòd moraliter loquendo, nulla res eſt bona, nec mala nobis; ſed ſola virtus, bona: & eius opera, ſolum vitium malum, & eius opera, cæte-

ra indifferentia sunt, prout vtimur benè virtuoséque; aut malè, vitioséque.

naq; nulla faciunt, sed omnia indifferentia cum Stoicis, sed moraliter. quod non perpendunt quicunque bona physicè tractant cum Peripateticis.

21. Non autem virtute malè, nec vitio benè vti possumus, cum sint ipse bonus, & malus vsus, ergò honor potest esse malus malè vtentibus, & filii mali, & diuitiæ in malum Domini sui congregari: & vita etiam mala, & sanitas, & pulchritudo, si vitiosè vtantur. E contra verò paupertas, infamia, & mors, & infirmitas bona fieri possunt, si virtuosè tractētur, & capessantur: non ne melior Regulus in cruciatu, quàm Sardanapalus in opifera mensa? Nonne beatior Sceuolæ combustio, quam Thaidis voluptas?

Contra Epicurum, & Mahometū ponentes in voluptate corporaliū beatitatem.

22. Pudet equidem nos arguere eos, qui in corporis voluptate humanam fælicitatem etiam bestiis communem, ponunt; & virtutes viam ad ipsam, quasi comedamus, vt voluptatem capiamus, & non potius vt viuamus; & bella martyria scientiæ propter ventris, & pudendi titillationem adipiscendam, sint in pretio, & honore. Voluptas est sensus boni affectio; & summa, veraque & stabilis in summo Bono beante: sed quæ in ventre, & in veretro est boni non beantis, sed medicantis indiuidui, & speciei ægritudini. Propterea in tristitiam etiam subito sæpè desinit, si autem fælicitas desinit, & malè, non est fælicitas vera. Ecquis non fæliciorem Laurentium in tormentis, immò & Alexandrum in prælio, quàm Neronem in amplexu Poppeæ existimaret? Abutimur etiam voluptate. Bonum autem est, quo non possumus malè vti, & omnia bona reddit sui adhibitione: & sic sola virtus bona, quia est bonus vsus rerum, & vitium malum, quia malus vsus. Deus quoque si eo exterius abutamur, nam interius non possumus, fit nobis malus. Ad ipsum enim dixit Propheta eius, *Cum Sancto Sanctus eris, & cum peruerso peruerteris*: & alius bonus vir; *Deus est non magis gloria bonorum, quàm pæna scelestorum*. Non enim eius rectitudo diuina in nostram incurrens malitiam patitur eam, quin puniat: pæna tamen non omnis mala, nam quæ est medicina, bona. quæ punitio perennis, mala.

David Ps. 9.

Bern. in 5. de Consid.

Origenes opinatiuè.

Marcionistæ.

23. Deo conuenire solas purgatiuas pænas dixere, ne Deus sit nobis saltem secundum quid malus: sed reclamat Deus ipse, supplicium minitans æternum. Attamen Deus non potest esse malus moraliter nobis, ex eo quòd iustus, vt dixere infelices homines quidam, sed bonus: iustitia enim bona est, & virtus quæ ab eo est, & in eum nos dirigit: Igitur ab eo est bona. pudeat regulam dicere meliorem regulante.

Regula operationum & effectuum est virtus à Deo regulante.

24. At si virtus est regula vndè menti innotescit? à Deo interius regulante, & à fine exterius ostendente: quando enim operationes, & passiones fini congruentes feceris, virtuosè deges: vt in conseruatione nostri, quando manducabis tales, & tantas res, quales, & quantæ sufficiunt appetitui sano, ad seruandum vitam, es sobrius: si plus, gulosus: & natura te punit indigestione, somnolentia, pigritia, & cæteris malis ex gula natis. quando minus, macie, hectica, famis cruciatu. Igitur quoniam natura pænas affert vitiosæ operationi, & præmium virtuosæ, ita & Deum eius autorem facere existimandum est, quando nobis dat leges, regulasque.

25. Operatio & affectio bona, dicitur iustitia, hoc est æquitas, quia æquatur fini: & vulgò iustum dicimus quidquid æquatur rei illi, cuius gratia adhibetur: vitiosa verò iniustitia, & iniquitas, & erratum: quia extra regulam tendit.

Aliundè oratores accipiunt circumstantias actus, nec omnes vti nos. Quidam Theologi sequuntur eos.

26. Vtque sit virtuosa, requiruntur omnes causæ essentiæ, & existentiæ ipsius actus: siue sit affectio, siue sit operatio, videlicet causa agens, patiens, finalis, formalis, & idealis, & perfectionalis. Item tempus, & locus prout decet: & id decorum dicimus: vt coitus cum non marito deficit in agente, cum non vxore in patiente: cum non generandi gratia, ob quam opifex rerum ipsum instituit, deficit in fine: cum extra vas, in forma actus: cum bestiarum more, in ideali similitudine; cum non completur, in perfectionali: cum in platea, locus damnatur; cum statim à prandio, tempus; de cęteris idem iudica. ergo vitiosus erit ab alicuius harum defectu, vel exorbitantia. Ad bonum enim omnia requiruntur bona, ad malum, sufficit vnum.

27. Nosces autem malitiam causæ sextuplicis in essentia actus, & duplicis in existentia: eò quòd est contra rationem actus eiusdem virtutis, aut contra alteram virtutem, vel finem eius impedit, aut in vitium torquet. In platea enim coitus est

contra modeſtiam; à prandio contra ſanitatem, & generationem: cum aliena contra ius, & pacem. ſic de cæteris.

28. Diſtinguendum à qua virtute elicitur actus, ſeu vitio: & à qua imperatur.

De Virtutum diſtinctione & numero.

ART. 4.

Diſtinctio virtutũ ex primalitate ſimplici; & primò de his quæ ex Poteſtatiuo.

1. Virtutes diſtinguuntur primo ex ſuis fontibus: nam aliæ à Poteſtatiuo eliciuntur regulæ paſſionum, & operationum eiuſdem: vt fortitudo eſt regula timoris, & audaciæ, & operationum ex eis manantium. ſtrenuitas debilitatis, & ferocitatis: Conſtantia rigiditatis, & flexibilitatis: alacritas promptitudinis, & lentoris: opportunitas velocitatis, & tarditatis, perſeuerantia obſtinationis & inſtabilitatis; longanimitas, acædiæ & pernicitatis: Confidentia ſeu fiducia diffidentiæ, & paruipenſionis: ſpes præſumptionis & deſperationis: Comprehenſio exultabundæ irruptionis, & receſſionis: Imperioſitas iræ, & pauoris: Clementia crudelitatis, & miſericordiæ: tolerantia impatientiæ, & inſenſibilitatis: Manſuetudo iracundiæ, & aſinitatis: Verecundia impudentiæ, & erubeſcentiæ. Celſitudo tumoris, & deſpicientiæ; Diligentia negligentiæ, & ſollicitudinis: æqualitas arrogantiæ, & abiectionis.

De virtutibus ex intellectiuo.

2. Aliæ dicuntur ab intellectiuo regulæ notionum, & operationum eius: vt prudentia eſt regula ſcientiæ, & ignorantiæ: & per philoſophiam realem prouidet, ne erretur circa obiecta mediorum ad finem: per diuinam circa finem; per communem, inueſtigatione, per medicinam conſeruationi ſui in ſe, per œconomicam in familia: per Politicam in Rep. Fides verò ſeu credibilitas incredulitatis, & credulitatis eſt regula. Ars memorandi memoriæ, & obliuionis: Conſilium & Logica perplexitatis, & præcipitationis: Grammatica, Rhetorica, & Poetica occultationis, & declarationis, ſuaſionis, & diſſuaſionis: Vigilantia animaduertentiæ, & inaduertentiæ: Studioſitas curioſitatis, & incurię: Veritas mendacii, & ironiæ: Prophetia diuinationis, & improuidentiæ: Solertia inertiæ & anxietatis. Beneuolentia manifeſtationis, & obmuteſcentiæ; Diſciplinabilitas Ruditatis, & Sciolorum vitii, &c.

De virtutibus ex Volitiuo.

3. Aliæ ſunt volitiui regulæ, ortæ in eius affectus, & operationes: vt circa finis amorem, & impetum eſt ſanctitas: erga parentes, & patriam charitas: erga vxorem caſtitas: erga filios dilectio, erga amicos beneuolentia: cupiditatis temperantia: auaritiæ, & prodigitatis regulæ ſunt liberalitas, & parſimonia: luxuriæ in domo, veſte, cibis, moderatio: ambitionis, & vilitatis, Honorificentia. Malignitatis & amoris Benignitas. Voluptatis & doloris Attemperatio: inuidiæ & applauſus æmulatio, de quibus ſingillatim.

Diſtinctio virtutũ ex modis conſeruationis.

4. Secundo partiuntur circa modos conſeruandi, qui eſt finis: nam aliæ nos in nobis, vt fortitudo, exercitium, ſolertia, prudentia, probitas, liberalitas: Alię in filiis, vt caſtitas, Aliæ in amicis, vt beneficentia, Benedicentia: Aliæ in Rep. vt iuſtitia. Aliæ in Deo vt ſublimitas.

Diſtinctio virtutum ab obiectis.

5. Diſtinguuntur ab obiectis, quando ſpecialem afficiendi, & operandi modum requirunt. Alius enim eſt affectus ad venerea, qui per caſtitatem. Alius ad cibum, qui per ſobrietatem regulatur: Vndè non licet ex vtriſque vnam temperantiæ virtutem facere, præſertim quando etiam ſubiecto diſtingui contingit, vt in Germanis ebrietas: in Lombardis ingluuies: illa potus, iſta cibi, forſan reperiuntur, de quibus ſuo in loco.

6. Diſtinguuntur etiam ex Principatu: nam per ſe ex fortitudine, prudentia, & ſanctitate omnes ſuboriuntur: Ad alios verò ex Beneuolentia, benedicentia, & beneficentia.

De Sanctitate & vitio opposito.

CAP. 2. ART. 1.

1. QVemadmodum in physicis virtutibus prima est vis, seu robur, aut fortitudo, quia prima seruat ante vsum liberi arbitrij, & primalitatis, origine primæ est soboles; ita è contra in moralibus, prima est quæ volitiuum roborat, in quo perficitur essentiatio, & operationum exordium: & vndè regressus ad priores primalitates detegit Moralitatem: Non enim est malum Morale, falsum pro vero accipere in intellectiuo, sed physicum, nisi sit voluntarium, cuius voluntarii obiectum est Bonum: quod à se ordinat possibile, & verum in conseruatione. nec fragilitas est moraliter mala, sed physicè, nisi vbi causatur à voluntate saltem interpretatiuè. Ast voluntas & moraliter mala, præterquam vbi intellectus distinguere neque scit neque possit, nec enim physicè est mala: ergo in tribus est moralitas, & in volitiuo reincipit post physicas operationes.

Omnis malitia & bonitas est physica ante voluntatis actum.

2. Et quoniam Virtus facit res bonas de indifferentibus, quatenus fini vero, summoque eos adaptat, illa prima est virtus, quæ finem præstituit nobis sequendum ad quem omnes alii fines sunt media, & boni, quatenus ad ipsum media, alias mali, inquam, moraliter. Sanctitas ergo est prima virtus, quæ Deum patrem nobis esse sancit, & ad eum omnia dirigit, à quo sunt: natura docente, omnia ad sua principia, vt ab eis seruentur, reuerti: aqua ad mare, ignes ad solem &c. vt in cæteris systematibus existimare licet. cum enim sint tot de summo Bono, & fine sententiæ, sanciendum est homini, quid sequendum. Nosque diu ratiocinati non inuenimus aliud, quod dignè statuamus finem optimum, nisi Deum, à quo, & ad quem sunt omnia: & ad quem cuncta bona dicuntur per analogiam, sicut paulo antè memorabamus.

Sanctitas est virtus finem moralium statuēs, ignota Arist. Posita Platoni, nō tamen ante omnes & in vero sensu.

3. Dicitur sanctus, quoniam sancit de fine, & sanctificat nos, idest puros facit, mundosque à contaminatione finium prauorum, & affectibus eorum, & prauis operibus: ita enim operatur omnis homo, prout est affectus. Qui afficitur Philosophia Philosophicè: qui mulieribus, muliebriter: qui ludis, ludo vitam agit: qui diuitiis, auariter: qui dominio superbe: qui autem Deo, diuinam vitam operationesque diuinas, & longe magis. Exuperat enim veri Boni amor falsorum amorem, effectusque si ex toto corde, ex tota mente, ex totis viribus vt oportet, ametur: hęc enim ab eo habemus, ergo eius gratia.

Vnde dicitur sanctitas.

4. Et quamuis ad sui conseruationem in se in specie, & in Rep & in fama, sanctus multa operetur, hæc tamen omnia ad eum dirigit, ita vt Deo vitæ viuat, Deo Patri omnium filios procreet: Deo Regi Regum Remp. administret: Deo fortissimo honores suos acquirat, à quo habet dona, & virtutes, & commoditatem, & fortunam ad acquirendum: & sic sanctificat fines medios relatione ad vltimum, sine quo vanissime ab aliis, tanquam vltimis, tam instabiles res sanciuntur, sanctificanturque.

Sanctus sanctificat media per directionem ad finem.

5. Insuper nostra fragilitas id nos admonet, cum enim boni aliquid accidit, nobis naturale est ad cælum manus tendere, in gratiarum actione: cum quid mali, ad auxilium implorãdum. cumq; nihil à nobis, nec nos ipsos habeamus, vnde cuncta & esse habemus eò referre acceptũ debemus. Animus etiã infinitus fere in potendo: intelligendo, & desiderando, se vt scintillam quasi infiniti agnoscit, & ad ipsum contendit.

Probatio quod Deus sit finis naturalis nobis, nedum supernaturalis.

6. Tenetur igitur homo simulac mens compos fuerit sui vsumque libertatis acceperit de fine, ad quem omnes dirigat affectus & operationes, sancire, longe magis, quàm de arte quæ vitam sustentet: & quamuis nasceretur homo in syluis, nec de Deo aliquid sciret, si seipsum considerat, & cætera animalia, à quo formata sint, & vnde sensum, & virtutem hauriunt, & diem & cælum, vnde tot bona, quasi in publica legendo scriptura, statim intelliget conditorem suum, cui se se dedicet, commendetque.

Homo tenetur cũ sui sit compos dirigere se, omniaque sua ad finem optimum.

Ratio 1.

Si enim tanta arte Deus fabricatur animalia, tantam bonitatem dignatus ostendere: eadem arte, & bonitate in eorum gubernatu non desit, oportet. Frustrà enim facimus quod esse nolumus. Vndè apibus vim à longè flores cognoscendi dedit, mellificandi, & cellas fabricandi, non autem nobis: formicis prouidentiam congregandi, leonibus venandi, vndè viuant. Immò hedus recens fœtus ex vtero matris solus statim ambulare nouit, & vasorum plenorum liquoribus, non nisi vnum lacte plenum, ceteris spretis, & non gustatis, gustare, teste experientia. Immò araneæ mox natę texere muscis insidias norunt; multò magis homini ea quę suo fini conueniunt, ipsumque finem cognoscendi vim contulit, cum à Deo immediatè fit Mens humana. At ne excusatio capiat hominem, fecit eum gregale animal, aptumque disciplinæ, nec potentem à principio, nisi sub parentum cura viuere, à quibus virtutes etiam docentur. alioquin qui dat coruorum pullis à parentibus neglectis escam, aleret, & hominem: tota ergo rerum natura, & parentes, & lex de tali fine sanciendum nos monent à principio.

Ratio 2.

Ratio 3.

Religio oritur ex sanctitate.

7. Ex hac virtute orta est Religio exterior, preces, sacrificia, vota, oracula, iuramentum, consecratio, vnde etiam mœnia ciuitatis Romani sancta dixerunt, eò quod per ipsa defendatur ciuitas à Deo, vel sub Dei sit tutela.

8. Ambulabit ergo vir sanctus intra mundum, quasi intra palatium Dei, & in cunctis Authorem honorabit, & ab eo tutelam, & bona animi, corporis, & externa agnoscet: & Deum in suis laudabit operibus, credetque Deo, Deum, & in Deum.

De peruersitate.

9. Qui autem alium finem sibi præstituit, vitio laborat, quod dicitur Peruersitas, & quidem pessimo, quantò peius est in finem, quàm in media peccare. vnde mortale crimen hoc appellatur: nec rectè quidam peccata faciunt paria, cum obiecta, & operationes, & affectus, & fontes sint impares. Igitur sicut qui ambulans, turrim præ oculis habet, aut lucem in portu, ad quem iturus est: & si erret in via, tamen semper oculos in turrim habens per quamcumque viam tādem ad ipsam peruenit, licet laboriose: qui autem aspectum turris amittit, fluctuat, cæcuit, errat, nec scit quò vadat, & casu quodam viuit, nec ad finem optatum peruenit: sic qui Deum præ oculis habet, licet erret, non ad mortem errat, sed resipiscit, omnia sua, actus, & affectus coram Deo esse intelligens, pudet & corrigit se: sicuti qui coram Rege est, non peccat nisi in minimis, & statim eius ne offendat aspectum, se corrigit.

Contra Stoicos paria facientes peccata.

Atheismus.

10. At qui Deum esse negat, aut humana non curare, is omnibus se sceleribus irretit, & in mala cadit innumera: quare vel ob hoc ipsum credere Deo, & in Deum est vtilissima virtus.

Idolatria.

11. Qui etiam Deo falso tamquam fini inhærent, miseri sunt, illique præsertim, qui Deum faciunt aliquid peius se, vt arbores, fluuios, vitulum. Qui autem solem, minus mali; sed cum se puniri non videant à sole, despiciunt ipsum.

Hæresis.

Plutarchus superstitionem nil aliud esse ducet, quam putare Deum causam mali vt Machometus, & alii.

12. Peruersi sunt & illi, qui Deum mali causam, malumque arbitrati, illum imitari gestiunt, vt qui scortatorem Iouem, & prędestinatorem ad malum introducunt Tyramnumque. Sanctus de Deo sentit in sanctitate, & bonitate, alioquin quomodò se commendabit illi?

13. Qui autem verum Deum norunt, & tamen non tamquam Deum honorant, sed diis patriæ se commendant, duplici pœna digni sunt.

Derisio in coltu Dei.

Aduersus Plat. in lib. de sanct non verè sed officiose queritantem & Arist. in eth c.

14. Stulte qui sanctitatem dixit esse amicitiam Dei, & dubitat cuius Dei, cum Dij contrarii sint: si sic, inquam, dubitat, quomodo Dii? Alius verò amicitiam hanc ideo negat quia impares sumus Deo, quoniam nec amorem diuinum erga opera propria, nec prouidentiam scire optauit.

Peruersitas solius voluntatis.

15. Qui tandem norunt verum Deum, & prouidentiam, & charitatem erga nos, nec tamen propriis anteponunt affectibus, & rebus, hi sponte peruersi, miserique, vt vel ob ipsorum punitionem liceat dogma de paradiso, & gehenna fortius credere.

Innominata peruersitas in excessu est non erga obie-

16. Vitium in excessu, Sanctitas non habet: non enim possumus excedere in amorem, laudem, & gratiarum actionem & commendationem nostri Deo. nec in

sanctiore, sic perpetuo operandi. nisi errans in credibilitate, sentiat nec comedendum, nec operandum quicquam, nisi prædictas res. nesciens quod Deus vitam, & natos, & Rem vt tueamur illam, donec sibi placuerit, nobis concessit: quibus operam dare tanquam Deo ministrantes debeamus: caueamus tamen, ne finem tamquam media, nec media tanquam finem habeamus, vtentes fruendis, fruentesque vtendis, & seruientes nobis de Deo, non seruientes Deo. dum sed erga media.

De Probitate, & suis oppositis: & ramis.

ART. 1.

1 POsita regula affectus erga finem, sequitur secunda erga nos ipsos, & licet enim Amor sui sit prior amore Dei in notitia illata, & physica, quoniam Mens in corpus immissa, Deum non nouit, sed corporis fabricam curat. tamen ex innata est prior Amor Dei ordine naturæ, & tēporis. In reflexa quoq; vbi cœperit vsum arbitrii, & bonum à malo segregat, & maius à minori, est prior moraliter Amor Dei: subsequitur ergo sui: cuius regula innominata veteribus vocetur Probitas, vel Bonitas, vel Rectitudo; facit enim proximè hominem bonum sibi & aliis: ex Amore enim recto sui vel prauo, sequitur circa res alias Amor rectus, vel prauus. *Qui enim sibi nequam, cui bonus erit?* Amor proprius prior ex notitia illata. Amor Dei prior ex innata.

2. Ordinem ponit Probitas, vt magis amet homo Deum quam se, sicuti magis totum, & optimum, quam partes, & deterius. si autem homo non esset homo ex participatione diuini esse, sed aliundè, quod est impossibile, non teneretur amare Deum plusquàm se, nisi appretiare tanquam melius, quemadmodum si manus non esset pars corporis, & quidquid habet, aliundeque à suo toto haberet, tunc non se se exponeret morti pro capite, & corpore, sicut facit: sed cum conseruatio sui consistat in totius conseruatione, rectè præfert totum sibi. sic rectitudo homini Deum, à quo, & in quo, cuiusque gratia est plusquàm pars totius, & in toto. Secundò plus amabit sui animum quàm corpus, & bona animi, quàm corporis. Deinde plus corpus, quàm bona exteriora: quibus & amicos præfert, tamquam partes suæ speciei, nedum parentes, vxorem, natosque partes etiam sui. Non tamen bona amicorum, nisi lucrum suum paruum lucro decuplo, aut suprà quintucuplum amicorum post habeat, patiar enim perdere vnum, si amicus lucratur quinque tam in bonis corporis, quam animi: nam lucror in charitate, & sanctitate erga Deum, si ex eius respectu sic facio. Item in beneficentia, & aliis. Nunquam homo perdit, si in virtute lucratur: si autem in ipsa perdit, nunquam lucratur, etiam si mundi Dominus fiat. Ordo amoris vt est probitas.

3. Probitas distinguitur in plures virtutes, quoniam cum sit amor sui, ramificatur in parentes, qui sunt principium sui: in vxorem compartem sui: in filios imaginem sui: & in patriam totum sui. Hinc pietas, charitas, dilectio: nam pietas erga parentes, & patriam est, quia sunt ambo principium nostri, & vocabulis caremus. Probitas distinguitur in pietatem, charitatem, & dilectionem.

4. Pietas reuerentiam, & obedientiam præstat, & cultum, alium augustiorem ob principii dignitatem: tenemur etiam in necessitatibus parentum, & patriæ præstò esse, & pugnare pro illis, vsque ad mortem: & cum iniustè aliquid perpetrant, eos pro reuerentia admonere, & satagere vt dignè viuant, & honestare eos etiam post mortem: Virtutes in patria serere: & pudere nos ipsius vitiositatis, templa, plateas, pontem, & omnia patriæ vtilia tractare sicut domum propriam, & conari eam relinquere meliorem ac inuenimus: præferemus patriam parentibus, tamquam totum parti in vitæ vtrorumque discrimine, & honore: in paruis vtilitatibus, parentes. De pietate in parentes & patriam.

5. Dilectio erga vxorem erit tamquam erga tui partem, non ergo verberabis vt seruam, nec vituperabis, sed honestabis in omnibus, & vbi peccat, blandè corriges, nisi bestialis fiat, & in honesta, vt baculo indigeat. Non eris coniugio perfidus, do- De dilectione vxoris.

micuram componendo, illi conferuationem, tibi acquifitionem commendabis, cetera in œconomicis diximus.

De charitate in liberos.

6. Similiter amor filiorum charitas fortè vocatur, quia amor Dei erga nos filios, etiam charitas vocatur: quærit vt cuftodiam & difciplinam eis adhibeamus: & curam animi, & corporis, & fortunæ ipforum eo ordine, quo noftram: fic in patria, & in vxore de ipforum educatione diximus in Pol. & œc.

De improbitate oppofita probitati multipliciter.

7. Opponitur Probitati Imprôbitas, quæ excedit in modo & ordine amoris in fe & in fuos: fiquidem amat plus fe quam Deum: vnde eius auxilio deftitutus, in mala cadit plurima, aliquando etiam fe Deum facit, vultq; adorari: ficut Alexander, & Nabucodonofor, & Salmon fuæ fragilitatis obliti, & pœna redarguti tandē Deo reftituunt Diuinitatem, ficuti fceleftus Antiocus. Improbi funt, & qui Deum verbis fupra fe efferunt, & dicunt illi, *Fiat voluntas tua*: & tamen factis propriam voluntatem diuinæ anteponunt improbè fui amore obcæcati. Item qui plus corpus quam animam amant: fiunt ignorantes, imbecillefque dum parcunt labori corporis, negligendo virtutes acquirere. Alii pulchritudini, & fanitati ftudentes, & in cute curanda operofi, funt fibi graues, aliis ludibrio, & dum faginant corpus, depauperantur, & Mentem fepeliunt, vt nihil cœlefte, nihil honefti fapiant. Improbi funt etiam qui bona externa, corporis ferua, Domini loco habent, & dum parcunt illis, iftud deftruũt: fimiliter qui ea amicis, parentibus, & patriæ anteponunt, & filiis, & vxori: quanta enim ex his mala, palam eft, nam patriam tyramnide opprimunt, & furtis coinquinant. parentes pauperie, vxorem impudicitia, filios afficiunt turpitudine.

8. Impietas autem ex hoc oritur, quæ reuerentiam & obedientiam & cultum vel negat, vel, quod peius, ipforum loco vituperium, & oppreffionem, & iniuriam reddit. Oppofita charitati, & dilectioni, vocabula non habemus, nifi odium, generale vocabulum: fed manifefta eft ipforum malitia, quoniam illa vxorem tamquam ancillam, aut meretricem tractat, fepeque vendit, & repudiat fine caufa, filios vitiis ornat, proftituit, exponit, vnde tot mala in fe & in Rep.

9. Qui autem plus amant filios, & vxorem, & patriam, quam decet, ita vt pro leui ipforum caufa quacunque vitam effundant, nec tempus, aut locum feruent, nec modum: hi minus peccant, & zelus poteft ipforum vitium vocari: errant autem magis fi non amant illi vera bona, fed delectationes, & apparentia: & hoc ex ignorantia procedit.

10. Itaque qui amet fe minus quam decet, non inuenitur per fe, fed per accidens, & interpretatiuè: idem minora fibi bona cupit, quæritatque, perdit feipfum, ficuti pueri, qui pro pomo fpernunt aurum.

Omnis culpa eft in præferendo minus bonum maiori.

11. Et omnis culpa hominum in hoc eft, quod minora bona maioribus præoptant ob maiorem facilitatem, aut delectationem; qua ficuti pifces hamo capiuntur: & vndè feruare ftudent, indè perdũt fe fe, vocaturque hoc vitium Indignitas: pars profectò perniciofæ improbitatis, etenim feruituti fe mancipat, & remigio pro paruo prætio: & profundunt in prælio vitam pro diurno denario, non pro patria, & virtute: & Diis fe peioribus incuruantur indignè, magno cum dedecore generis humani: & hoc quando non ex auaritia, fed fui parua affectione, & parui penfione præ aliis. Nam & pro Dominorum falute feipfos fepeliunt, & occidunt coram populo, quafi amantes Dominorum Barbari quidam, vbi & quando non opottet, nifi ad oftentationem proprię indignitatis, & amoris maioris erga heri ambitionem, & vitia, quam erga fe.

De Acquifitionis

De Acquisitionis mediorum finium ad vltimum finem notitia adipiscenda.

CAP. 3.

1. *Postquam firmauimus hominem in fine optimo, & amorem sui erga finem regulanimus, æquum est, vt ea quæ ad finem spectant acquiramus: hoc autem non potest absque scientia. Quapropter bonum scientiæ vsum idest regulatum ad finem nunc capessere oportet, & quia prius commendauit opifex, ac finis noster Deus, nobis nostri conseruationem, donec ipse velit in alium nos transferre vitæ statum, ea quæ ad hanc conseruationem spectant, prænoscamus oportet: Igitur quidquid prodest, & quidquid nocet, inquirendum fuit.*

De Studiositate & suis oppositis.

ART. I.

1. Regula huius inquisitionis vocetur Studiositas, quæ docet non quascunq; res à principio inquirere, sed eas, quæ ad nostri spectant salutẽ, vt quòd Deus est author bonorũ omnium, & index præmiorum, & pænarũ, quòd dederit nobis legem, & vbi nequimus per nos ista scire, doctos, & parentes consulamus. Præterea qui cibi, & quæ vestes, & quis aer vtilis est vitæ corporali, & quibus imitationibus, & actibus viuendum est in Rep. & quid debemus nobis, parentibus & amicis, aliaque huiusmodi. Deindè verò occulta, & quæ longè distant, & indirectè ad nos spectant. Studiositas artes inquiret, scientiasque à causis, vel effectibus propriis, vel signis datis à Deo, vel à natura: alias vt superstitiosas omittet.

2. Huic virtuti opponitur vitium, quod Curiositas appellatur, quando videlicet inquirimus, ea quæ ad nos minus pertinent, relictis pertinentibus: vt quomodo pisces ambulant sub aquis: quid Deus faciebat ante mundi creationem, quomodo aranea texit telas, quomodo muscæ visco capiuntur, vt Domitianus faciebat: & qui officio suo neglecto, & arte, in aliena curam vertunt, vt quid faciunt in nocte capræ, stelliones, & monachi, & caupones, aliaque huiuscemodi: & in sophismata ex [illegible] tia transeunt. & licet Philosophi sit omnia inuestigare, quoniam non intell[illegible] totum, nisi partes omnes: & in Conditoris laudem resultat inuestigatio; tamen [illegible] non faciet, nisi vbi vtilia, propinqua, & necessaria prænouerit. Admiratio est p[illegible] cipium inuestigationis, & Studiositate regenda: omnis tamen ars, quę non ex ca[illegible] nec ex affectibus, nec ex signis positis à natura, aut à Deo, sed ab homine, est Curiositatis super, stitiosę inuentum. — *De Curiositate.*

3. Qui verò nec vtilia inquirit quasi nullius rei cognitio ad se spectet, hic in vitium incuriæ cadit: vilis inertisque animi indicium, spiritusque crassi, obscuri: quemadmodum curiositas est spiritus nimis tenuis, vanique, instabilis, & vndique mobilis, & sophistici. — *De In[illegible] Ergo G[illegible] Pyromantia [illegible] gurium, [illegible] cium, &c.*

4. Qui putat se reperisse facilè quod vix attingi potest infinito labore, insipiens est; vt qui Deum videre, & qui Angelos quidditatiuè, se se cognoscere iactat. Alii ex hydrargirio efficere aurum, Alii per Necromantiam, & curiosas opiniones, mirifica tamquam per veras scientias pollicentur. Vanitas fit eorum vitium curiositati annexum. — *Huiusmodi sunt à curiositate, & superstitione. De insipientia & vanitate.*

5. Alii scire volunt, vt sciant, & hi curiosi; Alii vt sciantur, & hi ambitiosi; Alii vt lucrentur, & hi auari: Alii vt meliorentur, & hi studiosi.

De Prudentia & vitiis oppositis.

ART. 2.

Prudentia est recta ratio agibiliũ erga vsus scientiarum, vt Ambrosio etiam videtur. licet Aug. & alii à scientia, & sapientia distinguant quoniã virtutes putat scientias, & sapientias, cum sint solum effectus primalitatis secundæ erga obiecta

Qui sunt apti, & qui inepti ad scientias secundum naturam.

1. SVccedit Prudentia, quæ scientiarum vsum per Studiositatem, & Curiositatem inuentarum, expendit ad vtilitatem: & quis cui scientiæ sit aptus experta, quemque etiam suo addicit studio: & difficultati medetur; Siquidem obtusitas, & acumen sensus, & mentis non sunt vitia, virtutesque morales, sed naturales: sic obliuio, & memoria, perplexitas, & præuolatio, furor, & delirium.

2. Ad scientias autem apti non sunt qui spiritus habent obtusos ex crassitie; perplexum discursum ex fuligine interuolante, præcipitem ex subtilitate nimia, inhabilemque in discursu: obliuiosum ex flexibilitate multa: eos igitur applicabit scientiis, qui lucidum, purum, moderatum in calore & tenuitate sortiti sunt, quod facile ex physionomia, & motu, & loquela, & oculorum luce, & modis istorum, & actibus agnoscitur. Artibus Mechanicis eos qui spiritu crasso, & multo abundant: curam Reip. mediis inter istos. Neque enim tenuissimi spiritu, neque crassi, sunt apti administrationi: illi quia mutant omnia, vt meliorent, & speculationi praxis non respondet: isti quia inepti ad multarum rerum circumspectionem.

Medela Prudentiæ erga ineptos, ad scientias.

3. Verùm & per artem memorandi subuenit obliuiosis: praue discurrentibus, per Logicam, & Mathematicam: obtusis per exercitium, & compendia scientiarum. furiosos medicina corporali sanat, omnibus autem per libros scriptos, typographiam, & historiam naturalem, & politicam, vt ex præteritis sciat in futurum operari.

Discrepantia Prudentiæ Brutorum & humanæ.

4. Vnde ex Prudentia animalia congregant in æstate pro hyeme, & pluuiam imminentem præuident in nubibus, & frigore; ideoque plus, auidiusque edunt, vt ventri prouideant, cum ad pastum egredi non poterunt. Homo autem diuiniorem sortitus in mente Prudentiam, & ex passionibus aeris, & ex cælestibus causis futura per syllogismum prænoscit, non ex passione sui sola, vti bruta: & vbi deest ratio, ad Authorem rerum recurrit, prophetiam accepturus: cumque sit inter cælum & terram contraria genitus entia, & ab omnibus aliquid mali, aut boni pati possit, cuncta experiri sensu, vel in seipsis, vel in similibus decreuit Prudentia, & Studiositate adimpleuit: nullis enim rebus non vtitur homo.

Physiolog.

Quas scĕtias quibus vsibus Prudentia præcipit per studiositatem inquiri.

Mathem.

5. Igitur Physiologiam congregauit, vt sciret herbarum vires, vtiles sibi, inimicasque: & ventorum naturas; & lapidum & metallorum; siderum influxus, & motus, anni tempora, elementa, differentias, & vices ipsarum; & climatum, & animalium, & temperamentorum, vt saluti consulat, infirmitatibus occurrat, & commoditatibus augeatur. Mathematicam deinde adinuenit, vt domicilia arte, & facilè construeret, & ciuitates: Exercitum ordinaret, metiretur motus cælestes, tempora distingueret, & quidquid in ipsis fit, sciret, numeraret, ponderaret, mensuraret. harum scientiarum bruta parum participant, quoniam mente carent, sed participium primalitatum, & instinctu etiam cellas fabricant, & nidos summa arte apes, ordinant exercitum. & in medicina Hypotamus flebotomiam, Ibix clisteres, canis purgationem per vomitum: serpentes & hirundo oculorum medicamen inuenere. Attamen vti inuentis eorum nos nouimus, non autem ipsa nostris. Prudentia item studiositatem rebus diuinis applicuit, quorum gratia corpus, vires, sanitas, ipsaque vita floccipenditur, vt quid sit Deus intelligamus, eiusq; adeptionem, & cultum prosequamur, & omnia tanquam in fine optimo, in Deo collocemus; idque proprium hominis est mente præditi, religiosique animalis, cęteris denegatum: & propterea vera differentia in sua definitione est *religiosum*. licet naturali instinctu entia donata sint Conditorem reuerendi, quædam magis, quædam minus, eo quòd potest maximè, scit maximè, & vult maximè nobis benefacere, & ab ipso, & in ipso sumus. Addidit Prudentia Moralem scientiam hominis, qua seipsum nosset, & quomodo agendũ sibi esset ad finis consecutionem: & hanc physicæ adiunxit, quoniã in naturalibus mores fundantur. Item Politicã,

Theologia.

Moralis.

Politica.

qua multitudo regitur, quæ tamen in apibus, formicis, & gruibus sic relucet, vt nostræ pudeat nos; nisi nos Deus diuina legislatura decorasset, quod Prudentia non respuit tanquam falsam arrogantiam, vt astuti Politici reclamant. Negari enim non potest, quod Deus totius rerum vniuersitatis curam gerat. Res enim omnes arte reguntur & propter finem operantur sapienter: Magis politia animalium, maximéque hominum; quod si partibus conuenit: toti autem magis conueniat oportet. Omnisque sapientia non ex nihilo ortum ducat, sed à Prima sapientia, quæ supereminet mundo. Abstracta tamen vt possit dominari. Ipsa ergo legem tulit, non modo cunctis rebus natura inditam, sed hominibus humano more. Qui quidem signis, miraculis, prophetia, martyrio, eius, de quo gloriantur, legationem comprobarunt. Est enim nobis intimus: quamuis nos alienatione nostra nobis distantissimi videamur: nam nec quid sit anima, ipsa anima post multas disputationes benè agnoscit. Vtque notitiam sibi inuicem communicarent homines Prudentia adinuenit Grammaticam, locutricem artem, quæ vsui conuenientiam vocum, & connexionis copulat: Rhetoricam, quæ suadet bona, dissuadetque artificiosè mala, agenda, & non agenda. Poeticam, quæ vocem similitudinibus figurat, & sensus fabulis, & sermonem numero sonoro, vt latenter, & suauiter suadeat. Brutis inesse sermonem imperfectum, & suæ congruentem necessitati, palam est; cum voces forment, obtundant, acuant, varientque vti nos, non tamen organis instar nostrorum, idcircò eas non intelligimus, sicut nec Scytharum voces hominum.

Legislatura.

Comprobatio legis latæ à Deo.

Grammatica.

Rhetorica.

Poetica.

6. Alias scientias cognoscendi propensiones humanas acceptat Prudentia, vt Physionomiam, & nostram cum cælestibus conuenientiam: omnesque eas, quæ ex causis aut generalibus, aut peculiaribus, aut ex effectibus, coeffectibusque, aut ex signis positis à Deo, & à natura. Quæ verò ex signis ab homine positis, aut imaginatis, refutat tamquam à curiositate inuentas, deceptionisq; plenas, sæpeque superstitionis.

De diuinatric. scientiis.

7. Prudentia tandem scientias regendæ familiæ, & militiæ, & Reip. vbi sapientia inuenitur laudat: non autem sophisticas, Macchiauellisticas artes: est enim ipsa bonus scientiarum vsus, siuè regula vtendi scientiis ad bona vera acquirenda, mala fugienda, & sophistica detegenda. Scientia enim virtus non est, sed vnius principiorum eius opus; & possumus ea malè vti, vt medicus in perniciem ægri, medicina, non tamen Prudentia.

Indoctè Arist. scientias facit virtutes.

8. Ad ipsam prærequiritur consilium, scientia, & praxis, vt possit electio regulæ ad reprobandum mala, & eligendum bona, & sophistica ad redarguendum, concludi. Hæc per scientias omnes affectus illuminat, operationibus finem per media vera confert: & sapientia dicitur à sua Primalitate, non tamen est, nisi Moraliter, & Analogicè; cui Metaphysica in speculatiuis maximè respondet, quæ ipsa est Prudentia scientiarum, sicuti Prudentia est Metaphysica affectuum, & operationum, & notionum.

Quæ requiruntur ad Prudentiam.

De Vitiis oppositis Prudentiæ.

9. Opponuntur Prudentiæ Imprudentia, & Astutia, illa in defectu, quoniam vsum scientiarum non callet, nec seligit bona apparentia à veris, nec circumspicit annexa bona, malaque & deceptioni patet: non præuidet futura per scientias, nec per similitudines præteritorum: estque signum spiritus crassi, fuliginosique.

De Imprudentia.

10. Astutia verò putat se se omnia suo ingenio metiri, diuinis hominibus non credit, tanquam ipsa diuinior, nec sinens se se decipi: propriam ignorantiam ignorat, quam Prudentia maximè nouit: se cunctos decipere posse putat in agibilibus: scientias sophisticas, & occultas carentes fundamento, perscrutatur, applicatque suæ laudi: vani spiritus tenuisque fuliginosi, minima circumspicientis, magna non capientis, aut negligentis, indicium.

De Astutia.

11. Consilium est Prudentiæ comes: præcipitatio, imprudentiæ: suspicacitas Astutiæ. Iudicare autem, & deliberare ex scientia, & peritia prudentis: temerè, Astutiæ. Irresolutio imprudentiæ, & Stoliditatis etiam.

De Consilio & oppositis.

De Vigilantia.

ART 3.

Vigilantia dicitur metaphoricè de hac virtute, quam & in Euangelio habemus.

1. VIgilantia in actionibus circumspicit omnia, ne subrepat quid eas infestans, frustransque fine, & ne passio pro ratione accipiatur.

2. Inaduertentia è contra passione, affectuque tracta, eligit quod bonum putat, aut alias experta est; nec latentia, & occursantia considerat. Aduertentia est Vigilantia ipsa, sed Prudentiæ annectuntur, & sunt in prosecutione negotiorum.

De Disciplinabilitate.

ART. 4.

1. DIsciplinabilitas est eorum, qui volunt benè addiscere, quæ facienda sunt, vt probè exequantur, sic & quæ scienda.

2. Indisciplinabilitas, seu Ruditas est discendi impotentia physicè, sed moraliter decretum fugiendi scientias faciendorum & sciendorum. Vitium sciolorum est, cum salutauerint scientias, putare se cuncta pernosse, & emendare doctissimos non verentur, non ex astutia, sed quia putant se scire. Hi Socrati aduersati sunt: & Pedagogorum est vitiũ. Item qui vnam scientiam discentes, putant se de omnibus per illam posse iudicare; & vno ex libro de omnibus, auctoritate acti, turgidique, & non ex ratione, & experientia: & quæ ignorant, putant inania, vel se si studuissent, potuisse super mortales cunctos in illis excellere, & de hoc se iactant: & quidquid dicunt, ipsimet admirantur, & ab aliis admirari volunt; & derisi, etiam derisionem pro vera laude suscipiunt, propria obruti stultitia. Disciplinabilis autem quò plura, & plus scit, eò plura, & plus se ignorare intelligit; nec ad sophismata declinabit, nec ab inquisitione cessabit, nec derisoriè decipietur. Iudex sui, & aliorum rectus, spiritu lucido, tenui, puroque præditus.

De Solertia & Oppositis. De arte & Natura.

ART. 5.

1. QVoniam homo non seruatur nec beatur seipso sicut Deus absque vlla contrarietatis externæ oppugnatione, aut voluptatum, allicientium illum extrà se ipsum; oportuit ex aliis rebus nos conseruari, eas in potum, tegumentum, & alios in vsus aptando; & quidquid per scientias inuenimus, per opus & laborem nostris necessitatibus accommodare; semperque acquirere, ne dum acquisita consumuntur, desint quæ nos conseruent. Hoc autem assequimur per Mechanicas artes, quarum inuentrix facultas, & benè vtens virtus vocatur Solertia; spiritus crassiusculi, purique

Solertiæ officia.

naturam corpoream bene tractare, atque imitari apti indicium, sine qua genus humanum incommode viueret. Bruta enim delicata minus, & quibus natura dedit cornua pro armis, & dentes exertos, & vngues, & rostrum contrà inimica entia: corium verò, pilos, lanam, plumas & squamas, contra frigus, & calorem, duritiem, & puncturas: item crassos spiritus, & viscera calida, vt possint etiam cunctis rebus humi nascentibus, & carnibus ali: paucissimis, aut nullis indiguere artibus. nudus autem & inermis homo defensiuis, offensiuisque, delicatusque, cui cibi non mundati, coctique difficile digeruntur; artibus indiguit innumeris: quas naturam, artem diuinam, imitando, solerter adinuenit.

quid est Ars.

2. Est enim Ars natura extrinseca, imprimens materiei eas ideas, quas mens humana excogitat, in naturalibus idæatis à Deo rebus inspectando, ita vt naturæ filia,

& nepos Conditoris videri poſſit: Natura vero intrinſeca Ars exprimens diuinas ideas, quas Miniſterio ideantium ſuſcipit, & ab exordio mundi accepit, ſicut in Metaph. diximus. Omnis natura vnam tantum artem exercet, vt in ficulnea eſt Ars faciendi ficus, & non pira: caſtanea, caſtaneas, &c. At vnus homo plures Artes addiſcit, exercetque, quoniam ad imaginem conditoris omnium naturarum, creata eſt humana Mens.

3. Aliæ Artes ex Poteſtatiuo eius proximius deriuantur, eidemque deſeruiunt. Aliæ ab appetitiuo. Aliæ à cognoſcitiuo. *Artium ex fraſibus diſtinctio.*

4. Poteſtatiui eſt Militaris Ars, imitans elementa & bruta in ſuis prælijs: cui ſubſeruiunt Ars gladios faciendi, & lanceas, imitans cornua, & dentes. Item loricas ſquamarum inſtar: & equeſtris; qua imitatur anima ſeipſam in corporis regimine, equum regendo, calcaria addens, vt iram & concupiſcentiã ſimulent: frænum vt timorem. Item Nauigatoria imitans piſces, & aues: cui ſubſeruit nauifactiua, imitans auem: remigio alas, temone caudam: prora roſtrum. Item Metallica, vt tamquam elementum omnium ſit Artium materia: nulla enim ferè abſque metallo fit. Hæc follibus pulmonem refert, officinam ſpirituum in corde accendentem. Ferraria omnibus deſeruit Artibus: dat vomerem inſtar porcini muſſi, aratori: ligonem foſſori, inſtar dentis: falcem meſſori, dentaturam totam imitantem: Serram lignario fabro inſtar piſcium dentaturæ: ſcalpellum, & aſciam inſtar aliorum. Ipſe verò vtens igne, & ferro, ſicut Angelus ſole & terra, omnia fabricatur arma, & inſtrumenta artium. Mira res: Item fabrefactoria, domum inſtar humani corporis Nani ædificans: ciuitatem inſtar corporis gigantei: arcem pro capite: feneſtras pro ſenſorijs: de quibus alibi. Item Ars bombardarum, quibus tonitruum imitatur, melius ac funambulus volatum. eſt lapidicina inſtar naturæ, oſſa pro ædificio corporis præparantis: & figulus vaſa, qualia viſcera humana, cui Vitrarius, & conſimiles adduntur. *Militaris.* *Nauigatoria.* *Metallica.* *Ferraria* *fabrilis.* *Bombardaria.* *Lapidicina.*

5. Cognoſcitiui & Manifeſtatiui ſunt Scriptura imitans mundum ex paucis elementis omnes ideas diuinas exprimentem, ipſumque Deum ſcriptorem: eſt Typographia idem faciens Angelica imitatione. Item Pictura imitans omnes figuras coloreſque naturarum corporearum: ſculptoria, & fuſoria, moles figuratas à Deo, diuturnitate & ipſa donans notitiæ futurorum & abſentium. Item Horologiorũ Ars, cælum imitans, & horas ſignificans diuina quadam ratione fatum ſimulans. Item Campanarum Ars vocans in templum, & res ad multas, vocem imitans animalis. ſic Tubicina clangorem obſtreperum excitantem ad arma. Tympanum quaſi expergefactorium. Imitantur ſoni muſicales harmoniam ſpiritus, & cantus ſyrenarum, & auium: oblectant, mouentque ſpiritum ad operationem ſui conſeruatiuam. Alij cęli imitantur perſcrutanturque harmoniam. Item vocibus ſignificatiuis notionum, res notas pandimus ita imitatas. Ocularium Ars oculis ſeruit: additque virtutem, quos imitatur. Datur Ars Auricularium aurium inſtar. ſpecularia ſpecula inſtar aquæ terra terminatæ, in qua noſmet ſpectamus, inuenit: vel chryſtallinum oculi refert. *De artib. Cognoſcitiui: ſcriptura.* *Typographia.* *Pictura.* *Sculptura.* *Horologiaria.* *Muſica.*

6. Appetitiui Artes ſunt Agricultura, parans ciborum materiam, imitans Deum ſeminales virtutes elementis inſerentem. Olitoria plantantem. Molendinaria os animalis macerantis cibum molaribus: coquinaria, ventriculum coquentem: olla, cui iecur aſtat, ignis diſpenſator: laniaria lupos partientes natis æmulatur. Paſtoralis Angelos cuſtodientes: lacticinaria Matrem lac præbentem. Alembiccatoria inteſtinorum vſum refert, & caput, in quod vapores aſcendunt, & condenſantur. Pharmacopea ſolem creantem herbas in medicinas mortalium. Medicus Deum ſic iubentem fieri, & docentem applicationes, in multis bruta æmulatur, vt diximus paulò antè. Sunt multę artes gulæ ſeruientes, quia imitari viſcera certum eſt, varijs modis cibum tranſmutantia, vt in corporis perueniat alimentũ. Veſtiaria camiſcias, diploides, talarim, veſtem, & pallium, inſtar cortices plantarum: quarum intima tenuis camiſia: Reliquæ ordine ſuo craſſiores, prę ſatas referunt veſtes. lectus & puluinar inſtar cerebri. Menſa inſtar retiformis. Hiſtrionia mores hominum imitantem. Sed hoc mirificum quod lucerna ſolem imitamur, faciendo de nocte diem: quod an ſol alatur *Artes Appetitiui.* *Agricultura.* *Olitoria.* *Molendinaria.* *Coquinaria.* *Laniaria.* *Paſtoralis.* *Lacticinaria.* *Alambiccatoria.* *Pharmacopea.* *Medicina.* *Veſtiaria.* *Hiſtrionia.*

dubitare facit, vt maculæ nubecularum circumdantium, nuper repertę, ostendunt. Alias recensere Artes operosum.

Denobilitate & vilitate Artium & comparatione ad inuicem.

7. At quænam nobilior, & quæ ignobilior? Artes purgatiuæ ignobiles: quoniam circa sordes versantur, vt fullonica Ars, & quę coria expilat. Item carnificis Ars, quæ ciuitatem ciuibus fædis, vitiosisque, iubente iudice, expurgat. Non ergo est ei similis militaris, quæ contra exteros pugnat. Lictorum Ars etiam in expurgatione eiusmodi est pręparatoria, ideoque vilis, quia contra fęda marcescentia Reip. membra exercetur: militaris merceneria non absimilis est, dum contra hostes pretio pugnat: Nobilior auxiliaris: nobilior propria, quę pro defensione Reip. non pro pecunia.

Arist. viliores eas dicit quæ corpus fœdant.

8. Artes, quæ fœdant corpus viliores quibusdam existimantur, vt coriaria: sed fallaciter. nam pictura fędat ex parte, & tamen excedit multas non fędentes. Quæ fœdant animum vilissimæ sunt, vt Mimularia, Negotiatoria, Teleonearia, Lenocinatoria, Meretricia: si tamen Artes dici merentur. Non enim exercitium ex quo viuimus, est Ars, sed illud propriè, quod in materia imprimit aliquam formam, imitando naturam. & tunc imitabitur, negotiator si emit, vt meliorata reuendat, sicut iecur chilum emit, & in sanguinē vertit, reuenditque: at chorearum Ars non imprimit: Imprimit quidem saltationes numerosas, cęlestem chorum imitantes, & sic non in materia. [Sic soni in aere] sed formas transeuntes, quales colores iridis, & tonitrui bombus: in fieri enim habent vsum, non in effectu permanente: nisi animali forsan spiritu.

9. Item illæ aliis videntur nobiliores, vbi plus ingenii, quàm laboris inest. Sed in Militari plus laboris, & minus ingenii inest, nec tamen cedit picturæ, vbi ingenium commendatur, nec cytharedo. est vera plerumque assertio, non semper.

10. Item videri posset quæ vtilior nobilior. At vtilissimæ omnium sunt Pastoralis, Agricultura, & Medicina, illæ tamen duæ viles habentur in Rep.

11. An melior quę nobilius naturæ artificium imitatur: At ferraria, quæ imitatur Angelos opifices, non est nobilior nauifactiua, quę aues.

12. Porrò ad nobilitatem Artis, materiæ nobilitas, & formę, & ingeniositas, & vtilitas videntur concurrere: & vbi plura istorum, ibi nobilitas maior. Adde & imperium. Nauifactiua enim nobilior dolatiua lignorum: & Dolatiua, cæsoria: & nauigatoria, quàm nauifactoria, sicut equestris melior quàm fręnifactiua, quia isti imperat, vt sic frænum faciat, & seruit ista. Hoc tamen est verum, vbi ars cui seruit, est nobilis, alioquin pręparatiua melior. Agricola enim frumentum faciens molendinario, non est deterior illo: & Molendinarius farinam panifico, non est melior isto: & ferrarius non est deterior fossore, cui ligonem præparat. De his satis. Animalia quoque alia potestatiuo, vt equus: alia intellectiuo, vt Gallus, & cornix: alia appetitiuo, vt Agnus deseruiunt.

De oppositis Vitijs Solertiæ.

Vitia solertiæ opposita sunt Inertia.

13. Contraria vitia sunt Anxietas, & Inertia, hæc bona acquirere, & Artes, vnde viuat, nihil curat, nec ad inueniendum cui bona sit exercitio, habilis est: signum sanè spiritus crassi, fuliginosi, in vasis angustiati, vel modici, facileque patibilis, ad nullas industrias applicabilis: quo mens parum vti potest in operibus internis, externisque. Anxietas verò est spiritus vilis, inconfidentis, copiosi, habitantis in vasis laxis, vndè crebrò exhalet. Proptereà plus industriis, quàm prosit, insudat, vndique conquirens, laborat multum, seseque consumit: media semper excogitando ad acquirendum vndequaque, & quomodocunque: ferias festas, & loca, & modum vix distinguendo nisi coactus. Malus hic: sed iners deterior: quia vel seruus, vel Reip. excrementum otiosumque membrum, si habet vnde viuat, impediens cetera: vt qui falsò nobiles vocantur. Artem imperatoriam, & iudicum, & sacerdotum, non tetigi, quoniam spectant ad altiorem gradum, quàm Mechanicæ non tenent Artes. vide sequentem partem 3.

Et Anxietas.

14. Artes mechanicæ requirunt aptitudinem, & exercitium: acquiruntur enim, quoniam tractant obiecta, experiendo illa, & se in illis: scientiæ verò insunt à natura, & per scibilia specificantur: & reuocatur Mens ad scibilium considerationem, non autem ad scientiam acquirendam ab externis nesciisque rebus, vt dictum est prius. Sed nec ad Artem quatenus est scientia, subitò enim eius Theoricapercipitur: praxis verò assuetudine, & tempore. Perperam Arist. putat virtutes, & scientias esse habitus ex hoc, quod artes sunt habitus, & quate.

De Moderatione vel Sufficientia.

ART. 6.

ANxietatis vitio affinis est Cupiditas, similiter in acquirendo appetitus exorbitans, propriumque mulierum. nullis vnquam satiatur diuitiis, & rapinis & preda: nec est idem cum auaritia, cum qua sæpè confunditur, quæ est vitium in possessione, & expensione rerum acquisitarum, opposita prodigalitati, quæ etiam solet esse cupida in acquisitione, & rapax. Virtus cupiditati opposita est Moderatio animi contenta paucis: vnde & Sufficientia dicitur ab eo *qui abundare scit, & penuriam pati,* ab aliis Paupertas voluntaria. licet extremum sit vocabulum. Nobilis sanè virtus Philosophorum propria, qui sui probitate contenti, non in re externa ponunt fælicitatem, sed in se ipsis coram Deo. Vitium deficientiæ innominatum est. Sed Exiguitas dici queat, necessariorum vix appetens: vndè pluribus patet malis, nam inertes comitantur. Auaritia opponitur Prodigalitatis sed capiditas moderationi, seu sufficientiæ, & exiguitati. Paul. Apost.

De Parsimonia & Magnificentia & Munditia & Oppositis.

CAP. 4. ART. 1.

FRustra solertia circa veri acquisitionem acuit ingenium, affectus & labores moderata est, nisi vsui earum posteà Parsimonia modum poneret, & conseruaret, non ex cupiditate. Sunt enim qui in omni materia conseruationis excedunt: vestes caudatas volunt, plus vini, plus olei, in vsu insumunt, quàm decet, & in solum proiiciunt dum vtuntur. Ollas grandiores, quam sufficiunt epulis, & seruos plures, quam ministerio: & commoditates duplicant, & consumunt, tractantque quasi numquam defuturas: horum vitium est Luxuria, & Superfluitas, quando fit ex consideratione. Parsimonia in vsu acquisitorum per solertiam ponit modum. opponitur luxuriæ.

2. Quando verò ex ostentatione, est Iactātia, & Ventositas: cui medetur Magnificētia: videas ventosos mundos, ambitiosos in vestibus, cibis, domo, vt sint lautæ, pictæ, deliciosæ: Luxuriosos verò sordidos, malè accinctos, & cōmoditatibus onerosis potiusquā delitiosis vtentes. Parsimonia his medetur malis, prouida ne quid desit. etiam obolum vnum, & minimam aceti partem non patitur perire: non ex auaritia, sed odio superfluitatis, quam natura in cunctis effugit, sicuti in necessariis non deficit. Negligit tamen minima propter magna. Modicitas vitium in defectu, ex eo quod regulam non tenet, non ex auaritia dicitur, vtens rebus modice, & insufficienter, paruificentiæ amica, quæ ex animi paruitate sumptus facit paruos, casas paruas, vestes curtas, & theatrum incapax. Magnificentia autem grandis animi omnia magna, si vtilia: si inutilia, vt pyramides, & sepulchra, quæ ad rem parum spectat, Ventositas erit. Magnificentia opponitur ventositati, & modicitati.

3. Nimia quoque munditiæ affectatio in vestibus non extrinsecatantum quam facit facit ictantia, sed quomodocunque, vitium est fastidiosum sibi, & aliis, negligens meliora propter minus. similiter tot ceremoniæ in vasis, sellis, verriculo, & aliis nec nomen habet, sed seruilis est animi: Sorditas impuri, & nauseam prouocantis. Mundicia virtus est puri, sibi, & aliis delectabilis. Munditiæ Virtus opponitur sordiditati, & affectationi innominatæ.

De Liberalitate, ſuiſque contrariis.

ART. 2.

Vis liberalitatis eſt in bono vſu pecuniarum pro ſe & aliis.

1 Eiuſdem conſeruationes noſtræ in nobis gratia, alia virtus ſequitur dicta Liberalitas, quoniam liberi ſpiritus eſt ſignum, in amplis ædibus habitantis, puri, compoſitique, & confidentis: Hæc pendit bona quæ Solertia comparauit, & largè vtitur ad ſui vtilitatem, & amicorum, quibuſcum viuit, vt ſeruetur. Nec enim prodeſt ſcire acquirere, niſi ſcias & acquiſitis vti. hæc ergo ſapientiæ portio, cum omnis virtus ſit ipſa ſapientia, benè vti nouit rebus humanis externis.

quid Auaritia & Illiberalitas.

2. Quando vero homo acquirendis modò bonis intendit, illiſque ad ſui vſum vti, timet, ſollicitus ne fortè deſint, ac propriam mentem, corpuſque conſumit: & quocunque ſiuè honeſto, ſiuè in honeſto negotio, augendo rem familiarem, quæ nec ſibi, nec amicis ſat profit, illamque ſeruat, at non ſe: hic vitium habet, quod dicunt Auaritiam, ſeu Illiberalitatem, ſignum ſpiritus vilis, ſuliginoſi, exigui, inualidi, propriæ ignauiæ conſcii, vt in mulieribus & ſenibus videmus, paruæ confidentiæ, auariſque, ponentium extra fiduciam ſui. Verum Auaritia acquiſitionem, conſeruationem & expenſas fœdat. Illiberalitas propriè expenſas.

De Prodigalitate.

3. Qui quidquid acquirit, expendit, dilapidatque temere ad libitum vanum ſui amicorumue, merentium, immerentiumuè, præter neceſſitatem, & diſcretionem: Prodigalitate laborat, & ignarus eſt, neſcius cogitare quod dilapidat propriæ neceſſitati, & amicorum, defuturum eſſe: ac mali cauſam eius defectum fore. Magnum eſt hoc vitium: ſed Auaritia minus, nam ſaltem amicos comparat, licet parum vtiles: Cum enim probi, ac mali æque tractari ſe norint, gratiam illi non ſeruant. Qui Principes nati ſunt plus nocumenti à Prodigalitate nanciſcuntur. nam in neceſſitatem redacti, fiunt mox rapaces & exoſi populo, à quibus tributa accipiunt, ſicuti Caligula, & Nero: ſed acquirentibus Principatum, plus prodeſt, vt Cæſari, ac Ciro, ad conciliandum milites ſibi: vnde Principatus pendet totus.

De Sobrietate vitiiſque oppoſitiis.

ART. 3.

Sobrietas & caſtitas ab Ariſt. vnica virtus ponũtur, dicta Tẽperãtia: ſed perperam nam ſeparatę inueniuntur Boreales enim laborant ebrietate & non at vere. è contra meridionales.

Item diuerſæ viæ ſunt acquirendi boni. Altera enim in filiis. Altera in nobis nos ſeruat.

De Gula.

1 Qvoniam cibo ac potu tanquam naturalibus remediis contra mortem vità humana ſtat primum, non eorum fruitio, ſed vſus medicinalis requiritur. Qui enim comedit morbis laborat innumeris, ex cruditate ortis: qui verò parum edit, perpetuoque ieiunio affligitur patitur debilitatem, extenuationemque, & à quouis frigore, caloreue, & iniuria quauis læditur valde. illa ſcientia, quæ præſcribit voluntatis imperio cibum, potumque prout ſatis eſt ad neceſſitatem, virtus eſt, vocata Sobrietas, ſcientiæ medicinalis pars magna, & dux, quæ tempus manducandi docet, quando adeſt famis in corpore ſano, & conſeruationis gratia, non voluptatis, quæ ad iſtam nos inuitat, non ad ſe. In ægro verò quando vis natiua cum morbo non pugnat, ob idem cibos præſcribit ſolidiores illis, qui corpus exercent, tenuiores iis, qui ingenium: Ac ſemper plus cibi intromittit, quàm fit deperditio: & in ęſtate, & in infantia, in ſenectute cibos paucos, crebros, molleſque iubet. in hyeme, in iuuentute plures, ſolidos, & raró: In mediocribus temporibus ętatibuſque mediocriter.

2. Oppoſitum vitium in exceſſu eſt Gula, & Ingluuies in cibo, & Ebritas in potu, quæ prębent plurimum cibi, aut potus, & non obſeruato tempore, & neceſſitate finis, vt viuamus, ſed quaſi viuamus, vt edamus: ſequitur ergo, & cruditas alimenti; quæ fit ob impotentiam caloris natiui, non ſeparantis fęces a bonis ſuccis, cum ſint copioſi

copiosi valdè: nec potentem ab eisdem succis in sanguinem redactis, sequestrare spumam, cinerem, fuligines, ac fæces. Quapropter delatus sanguis ad partes nutribiles, ipsarum meatus excrementis replet, & calorem natiuum earumdem suffocat: omnes nutrit proindè morbos, qui in iuncturis, debilibusque fiunt partibus. ex hoc vitio orta est antropophagia, & indifferens vsus ciborum, cum natura nulla in similem prorsus agat, vt nec calor in calorem, nec ex dissimilibus nutriatur: ergo animalium mobilium & immobilium partes meliores sunt nobis esca. Non tellus & fimus, nec opposita naturæ plantæ & bestiæ quæ propterea, vel veneno, vel difficultate & deprauatione nos afficiunt, vt in medicina docebimus. De Antropophagia.

3. Ebrietas quoque non minus malum accessit, quæ ex immodico vini vsu, corpore vitioso reddito, (sicut citta fit ex fæcibus, & spurcitiis ventriculo adhærentibus, impactisque similiter fœdus appetitus) auiditatem diram vini ingenerat: & quod à Deo datum fuit ad robur stomachi, & ingenii, & corporis vires fœcundandas, & mæstis hilaritatem conciliandam, temperatum sumptum, in contrarium prorsus conuertitur vsum in bibacibus, obnubilat enim plus spiritus animales: ingenium hebetat: vires grauitate, & calore vincit, ita vt alienum sapiant, operenturque: somnolentias, rixas, planctus, paralisim, immobilitatem, vomitum, spasmum, aliaque addit mala, vt non modò brutis, sed cadaueribus hominem reddat similem. Quomodo autem vino, & quibus, & qua ætate vtendum in Med. 2. lib. diximus, vbi & instar pharmaci ebrietatem vomitoriam aliquandò concedimus. De Ebrietate. Ad quid vini vsus.

4. Oppositum verò in defectu vitium non manducantium vti opus est, & proficua, vocatur Inedia: quæ consumit paulatim spiritus, ac nutrimentalem humiditatem: vndè corpus hecticum fit, spiritusque vanus, phantasma plurima videns ob sui tenuitatem, aptam quacumque ab apparentia pati, tamquam ab existentia: sæpe exiccantur nerui & contrahuntur, & fit spasmus siccus: dulcibus curandus, balneis, & cibo multo, humidoque. De Inedia.

5. Qui verò Dei veneratione abstinent à carnibus, ieiunantque, non vitio sed sanctitate pollent, quæ quidem à Religione deriuatur, ex qua etiam virtus omnis in superiorem animam emanat: & quidquid ipsa imperat sapienter rationabili obsequio Dei, virtus fit. cum virtus ratio sit, consiliumque. Ratio autem summa Deus est: vnde omnes pendent rationes: per ieiunium enim cessant turbationes vaporum in mente, fitque aptior contemplationi, & titillationes in carne, & cruditates in visceribus, & morbi corporis, & animi, & animositas ad malum. Qui ieiunat alia ratione, causaque, peccat. De Ieiunio & Abstinentia.

De Virtutibus comitantibus operationes actus & affectus.

CAP. V.

1. *Postquam correximus Affectiones, & Notiones, nunc ad Passiones transgredi oportet, quæ in executionibus contingunt arduis, in quibus relucet Virtus: nam licet in cunctis se exerceat, etiam facilibus, vbi non indifferenter fiunt, vel à nolente, aut non aduertente, nescienteque & in omnibus à non potente: in arduis tamen elucescit.* Virtus non modò in arduis est, vt putat Arist.

2. *Sunt autem executiones, aliæ ad bonum acquirendum, vt discere artes, matrimonium concludere, nauigare opum causa, &c.*

3. *Aliæ ad malum propulsandum, vt bellicæ expeditiones, duella, repulsio latronum, &c. Primò ergo de inquisitiuis sit sermo.*

De Virilitate.

ARTIC. I.

Quid virilitas, Quid ferocia. quid flacc.tas.

GEneraliter quidem in cunctis virtus Prima est Virilitas, quæ Ferocitati bestiarum,& Flaccitati idest debilitati mulierum est media; Vir enim ab vtroque declinat. Scythæ feroces, Lydii effeminati: isti prædæ fortium, illi prædæ sophistarum, & hæresiarcharum patent. Debilitas & ferocia, naturales, sunt vitia naturalia, vt in multis experimur; quæ autem ex vitæ institutione, & electione reperiuntur sunt moralia. Ferox enim fertur impetuosè in id quod vult: & crudeliter temereque in id, quod non placet. Debilitas vtrumque segniter. Curantur virilitate, & exercitio, & conuersatione virorum magnorum; sed feroces Religione magis: effæminati bellico exercitio.

De Spe & Fiducia.

ART. 2.

Quid est spes eiusque opus.

1. IN executionis exordio Spes assequendi præcedat oportet. Spes non aggreditur bonum impossibile, sed possibile, difficile, vel facile. Euasio mali quoque, & victoria speratur, quatenus bonum est carere malis. Sed contra malum propriè est Fortitudo: Audaciæ & Timoris, moderatrix. Spes in spiritu celso recipitur, confidente, multoque, vnde iuuenes,& fælices sperant: senes & miseri desperant. Est ergò mentis iter in spiritu celso ad bonum arduum. hæc prius pependit, an aggredi queat, & difficultates occurrentes, & quid ferre recusent, quid valeant humeri: hinc se mouet; quamuis in quo confidat, confusè intelligat. Cum autem affulserit, quod viribus propriis, aut amicorum, aut Dei, quando opus pium est, assequi queat, tunc nascitur

Quid est fiducia.

affecla virtus, quæ vocatur Confidentia (quia simul fidem in alio habet) Bonum sanè; neque enim de Deo confidimus, nisi amemus, promissaque habeamus, & exempla amicorum Dei, qui peruenerunt optatam ad rem.

Commendatio, & clarificatio spei, & fiduciæ.

2. Nobiles virtutes istæ, nec in carcere, nec in profundo mari, nec in morte relinquunt hominem: quamuis Spes sit, quasi somnium vigilantis: Confidentia verò, seu fiducia visio expergiscentis.

Opponuntur spei Præsumptio & Desperatio.

3. Vitia contraria sunt Desperatio, & Præsumptio; illa vilis animi, & parum in Deum credentis: nam si opus est prauum, virtuosè desperat, & virtuosè sperat in Bonum. Est aliquando salus, nullam sperare salutem; vbi videlicet te non posse euadere malum, putas, irruisque vlturus, in malum, & moriturus. Sic enim potius euadere contingit, quàm cunctabundo. Præsumptio multi spiritus impuri, calidique pericula non perpendentis, in sua ferocia confidentis est: aut vani, tenuis, quouis auxilio tamquam sufficiente vtentis.

Diffidentia & Temeritas

4. Diffidentia desperationi; Temeritas Præsumptioni conueniunt: plurima adducunt mala: tentant Deum: in periculis ruinam certam inferunt.

De Alacritate.

ART. 3.

Alacritas Præproperatio, Segnities.

IN prosecutione operis accidit statim, aut Præproperatio, aut Segnities, & Lentor: quas passiones ex Temeritate, & Diffidentia suborientes curat Alacritas, non frustrà confidentis animi vis. Sunt enim quidam præproperi, vt Galli: quidam lenti, vt Hispani à principio: quorum vtrumque vitiosum, nisi res & tempus aliter exigat.

De Strenuitate.

ART. 4.

HVic ſuccedit Rigiditas, & Flexibilitas, quorum vtrumque barbarum; nam cedere loco, vbi oportet ſtare; & inconcuſsè ſtare vbi oportet cedere, peſſundant proſecutionem actionis: quam regit magna virtus Strenuitas, magnis digna viris.

Strenuitas corrigit rigiditatem & flexibilitatem in actionibus.

De Longanimitate.

ART. 5.

SEquitur longanimitas, quæ ſuccurrit poſitis in opere, dum præ tædio non perficiunt, aut pernicitate euertunt opus, & ſe ineptos reddunt ad conſequentia: Non proficere autem in bono, eſt deficere: & tranſilire interdum eſt euertere. Idcircò Longanimitate eſt opus, vt huic non diſpliceat mora vtilis, quæ in Fabio maximo probatur: & illum non tædeat proſecutio longa, ſed elonget animum vnà cum operatione.

Longanimitas inter tædium, & pernicitatem ponit regulam.

De Cunctatione.

ART. 6.

EAdem ferè virtus videtur Cunctatio, media inter Accelerationem, & Tarditatem, quatenus ſunt temporis qualitates, non quatenus indiuidui. Sic enim pertinent ad circumſtantias, in operationibus. In omnibus tamen finis ratio metietur opus: non enim mediocritas eſt virtus, ſed menſura æquans operationem aſſecutioni rei, ad quam tendimus.

Cunctatio inter Accelesitatem, & Tarditatem operis ex parte temporis.

De Perſeuerantia.

ART. 7.

PErſeuerantia in opere, inſtabilitati, & obſtinationi opponitur, quæ potius Conſtantia dici queat. Omnis enim virtus perſeuerat in opere ſuo: ſed Perſeuerantia in operibus virtutum omnium ſucceſſiuè vſque ad finem vitæ ſine otioſitatis intercapedine, eſt Donum Dei. Quis enim queat nunquam vel leuiter non errare, licet poſſit in ſingulis momentis ſeorſum non errare? Conſtantia parum à Longanimitate differt, aut nihil.

Perſeuerantia regulat inſtabilitatem, & obſtinationem in opere incepto moraliter. Sed in tota vita non reperitur niſi à Deo detur; & propterea ſæpè indigemus virtute Pænitentiam faciente, vt infra docebimus.

De Diligentia.

ART. 8.

DIligentia & ſedulitate opus eſt etiam, cui contrariatur Negligentia, & Suſpicacitas, ne quid contingat laborem euertens totum, fruſtranſque: ſi minima neglexerimus, paulatim defluemus; ſi omnia timuerimus ſuſpicioſè, non ſeminabimus, nec metemus. Eſt tamen diligens negligentia minima negligere, vt maiora, & neceſſaria non omittamus.

Diligentia corrigit negligentiam, & ſuſpicacitatem in opere.

De Comprehensione.

ART. 9.

Comprehensio inter regressum, & transilitionem.

1. CVm autem ad rem cupitam perueneris, caue ne præ lætitia effundas te quasi in summum bonum; neù retrocedas, quasi venerans aut non amplius laboraturus, vt Annibal: sed perfice per Cōprehensionis virtutem cum modestia. Sic currite, vt comprehendatis. Vidi canem, cum leporem currendo attigerit, regredientem; & alium præ exultatione transilientem, & leporem effugisse. Comprehensio autem est Potestatiui in Beatitate, vt dictum est prius. Qui nimis gestiunt in assecutione rerum, suam ab illis beatitudinem pendere, non à seipsis, significant; & hoc infælicitas.

De Zelo & Securitate.

ART. 10.

Securitas regulat zelum, & cornuteriam sic dictum à cornutis animalibus, quæ pro vxoribus non zelātur.

Timor Zelotypi est ex parte suo duplex, ex parte obiecti duplex, ex parte Riualis etiam duplex.

1. POst adeptionem vel propè, subsequitur zelus, ne res amata amittatur: infelix passio, & timoris filia amore imprægnati, in venereis altera gehenna.

2. Timor autem accidit, quia bonum illud est alteri obligatum magis, vel riualis est alter melior te; vel tu indignus eo; vel illud vitiosum, & insufficiens vtrisque, vnde Amor Dei sufficientissimi in omnibus est sine zelo. Qui autem zelat pro Dei aut amici honore, ne perdatur in nobis, virtuosus est; amat enim bonum Dei, & amici, oditque malum. Qui etiam ne rem, aut sanitatem, aut virtutem amittat, bonus est: sed qui ne voluptatem prohibitam, ille malus. Pro vxore quoque zelari bonum: sed non multum: neque nihil: multum enim est vitium Zelotipiæ: nihil verò est vitium innominatum, Cornuteria vulgò dictum. Securitas hos morbos curet, & veri boni amor, vide œconomica.

De Tolerantia.

ART. 11.

Tolerantia fortitudini in resistendo malis corporis, animique succedit.

1. COntingit in sequela boni & fuga mali turbatio sæpissimè, dolores, persecutiones, fames, & ineuitabilia pericula: contra quæ per fortitudinem pugnare non valemus. Tunc Tolerantia soror eius gemella, succurrit: quæ vsque ad mortem pro Deo & virtute resistendum docet, & hilariter mala ferenda, tamquam probationes virtutis, quæ in infirmitate perficitur, & in tentatione. Ideoque infortunium potius reputat carere infortuniis, quàm abundare: & omne gaudium existimat, cum in malis exercetur; Virtus hæc Apostolorum Duce Deo vicit mundum vniuersum. Dicitur etiam Patientia, quatenus passionibus resistit, non quatenus patitur: nulla enim virtus est passio.

De impatientia duplici priuatiua, & contraria, & de Patibilitate.

2. Contrarium vitium Impatientia cedit malis, tyramnis, & laboribus, & pro tutanda vita, nihil sceleris non admittit: & si cogitur mori sui impos vix Dei meminit, in quo spreto per vitium, non potest confidere, & delectari. Hæc Impatientia priuatiua non tolerat. Est altera contraria, quæ blasphemat, ferit, furit, riget; bestialis sanè, nesciens malis benè vti, nec Dei promissis inhærere. Quæ autem debet, & potest effugere, & non audet velle, nec scire, cibus ignarorum est: Patibilitas dici queat.

De Fortitudine & Clementia.

ART 12.

IN executionibus è contra propulsantibus, fugientibusq; malum, magna subinde virtus requiritur: Dum enim bona vitæ nobis cōparamus, eisq: vtimur, labores molestiæq; eueni[r]e solent à prauis hominibus, ab inimicis animalibus: ab ipsis laboribus, à nostrum conditione, inter cælum terramque contraria positorum: quibus omnibus si obniti velimus, perire, & non seruari continget. sin verò nullis, obrui, prædamque aliorum fieri. Item ex acquisitis bonis voluptates tantæ abundare possent, quæ consilium suffocent, efficiantque nos contra eas virtutes, quarum est illis vti rectè, praue operari. Illa igitur regula, quę docet quantum, quomodo, & quibus malis resistendum: qui labores vincendi, quę voluptates reprimendæ, Fortitudo dicitur, à corporis robore mutuata nomen: quod Brutis etiam, & magis inest Physicè, non autem moraliter. Militibus vero ex consuetudine vincendi, non ex regula rationis: Hæc virtus arma tractat, subingat hostes, imperia parat, vlciscitur iniurias ex contemptu modo illatas, non autem omnes infestantes, illatas, casu, aut correctione, qualiter brutorum facit fortitudo. Immò clemens est in subiectos, debellat superbos, & sufficit ei vicisse: nihil enim odit magis, quàm despectui haberi: hoc est honore, timore, & amore indignus videri. Fit despicientia quando spiritus dilatatur præsertim in risum, vnde & Irrisio, dicitur, eo quod nolit colligi ad considerandum, admirandumque rem aliquam, tamquam si ab illa nec bonum nec malum sperari queat: ideoque indigna quæ ametur, & metuatur, appareat. Reputatio existimatioque è contra fit, cum spiritus colligitur ad aliquid admirandum, quando visui offertur, aut menti tamquam potens benè, & male facere. ergo isthæc virtus acutè cognoscitiua est: residetque in spiritu animali, quod declaratur ex neruorum motu, & accensione oculorum, dum quid exequitur per iram: quæ est impetus ad vltionem: porro & ab appetitu dominandi, vt in pretio sit: Item pugnat pro libertate, pro honore, ac pro Deo bonorum omnium auctore vsque ad mortem, cum ne vilis fiat, viles operando operationes in seruitute, quod est mori in generoso, esse, ac viuere in pecorino: tum quia commutat paucos corporalis abiectæque vitæ annos, cum plurimis gloriosis in memoria futurorum hominum, aut æternis in Deo: laboribus autem pro æternis bonis, & periculis non succumbit: sed fortiter vincit. Fugit autem eos labores, eaque pericula, in quibus fugiendis virtus non minuitur, nec vilitatis specimen verum habet: nec enim contra multos, vt videatur impauidus, nisi effugiendi viæ omnes occlusæ forent, resistet: nec pro leuibus pugnabit ad mortem causis, & timendi, & audendi gnarus, non, quasi timens, sed seruans vitam: nec quasi audens, sed propugnans malum, in his videbitur.

Errat Arist. ponens fortitudinem in parte irrationali. cū de spectus posse, imperia tractare, sit rationis actus.

Errat & Plato secus in irascibili, quæ in corde est, illam reponens: nam per neruos exequuturitam, & in oculis capitis organis apparet, & ratione fit: nō enim in eos irascimur, qui casu, aut propter bonum, nobis dolorem inferunt, sicut Medicus & Pater, licet multū: ac benè cōtra eos, qui vel parum nos lædunt Vnde Stoicis videri non debuit rescanda à ratione. At si quādo preter rationem in medicum irascimur, tunc id modo accidit, cum spiritus nil considerans nonum accidens speciale, rationem sectatur vniuersalem, quæ dicit contra omne malum, & doloris ministros insurgendū: & sic ratio ipsa secū pugnat, dū à duobus æquè bonis innitatur, quod nam sectari priùs debeat, & sæpè vniuersalem regulam sectando in particularibus decipitur.

De Temeritate.

1. Illa vero vis quæ omni opponitur periculo quauis ex leui causa, & contra multos simul, impossibilia, nec coactus sed sponte aggrediens, non quidem deceptus, vel despectus, vnde vilis declarari non potest: verbi gracia, à pueris, ab ebriosis iniuriantibus, & ab asino calcitrante, ab indoctis, stultisque lacessitus, sed ex dolore, aut superbia, aut iactantia pugnat, dicitur Temeritas, & Audacia, estque destructiuum vitium, spiritus vilis signum, copiosi, impurique, volentis apparere generosi. Ad quam sequitur Crudelitas fera, vocata Immanitas, quæ vincens non parcit, supplicesque manus dantes etiam perdit.

Similiter concupiscentia ratione sit, nam vt reficiat quod corpore deperditur, & generet similes, in quibus seruetur, dat operam. Item non omnes cibos nisi vtiles procurat, nec omnes mulieres, nisi pulchras, & artificiosè coit, coquit, & sequestrat sanguinem. Repugnat rationi sequendo decretum vetus, antequam perpendat imminens, malum, & duobus simul accurrere volens amat odit simul: vnde febricitans optat aquam vnde ariditatem amoliatur, & odit, ne morbum augeat; Tandem a superiori ratione, vt sapiens se suaderi sinit, & non amplius pugnat.
At quomodo concupiscibilis, & irascibilis fieret sibi, suaderi quod contra se est, si ipsa capax rationis non esset. Galenus errat cum

Plat. afferens tres animas, concupiscibilem, irascibilem & rationalem, quod in quæstionibus, & Apologismo pro Telesio impugnauimus. Arist. autem non debuisset virtutes irrationales ponere in irascibili, nec in concupiscibili, sed rationales omnes, cum ponat vnicam animam. At quia Platonis argumenta soluere nesciuit, à quo virtutes mutuatur, contradicit sibi, ponens ipsam triplicem in ethicis cum Platone, à se in primo de Anima reprobatam. Scotus doctior omnes virtutes facit rationales.

De Duello.

3. Hinc patet, quod nec ciuitas, nec singularis homo ad duellum prouocatus non nisi ostentandi causa, quis nam fortior, tenetur ex fortitudinis regula prodire ad pugnam: sufficiet ei si defendet se cum moderamine inculpatæ tutelę, vim vi repellendo: non tamen occidet, nisi non potens euadere mortem, mortem non inferendo, quemadmodum & cum brutis pugnantes nos habemus. Nulla enim virtus est ostentare vires absque causa. Immò etiam fugiendũ vbi plures homines te inuadunt, sicuti & vbi plures bestiæ: non enim virtute vtuntur, sed bestiali robore: nec Hercules contra duos, vt in prouerbio est. At si quis pugnans effugere citrà mortem non valet, tunc etiam cum mille pugnandum, & insidiis prudenter vtendum, non autem cum vno sine dolo pugnanre. Iniuriam passus, iniuriarum iudici defert: neque enim homo vindictam propriam, æquam sumit, quin excedat. Et sæpè duellum promit iudicium falsum, si mactatur qui pro iustitia pugnat. Propterea que sunt Tribunalia iustitiæ in Rep. Dum autem iniuria infertur, pugnabis, post illatam non resumes arma, & præcipuè accersitis defensoribus. At inquis, despectui ero. Profectò si iustè percussus es ob crimen commissum in percutientem, si velis vindictam sumere, duplicabis culpam, & dedecus. si iniustè, ad ius voca: sed ais, despiciar: profectò si ex metu, non autem si ex virtute sic te habes, verecundetur qui iniuriam fecit. Declarauit enim se maleficum: at qui passus est, declarat se tolerantem, & fortem, & gloria est ei sicuti Paulo colaphis, & lapidibus petito. Operare fortiter in bello pro patria, alisque in gestis iustis: Ad hoc iniuriantem lacesse. vt dicant omnes, non metu, sed virtute te ignouisse: Quod debes quidem præsertim veniam petenti, aut declaranti, non ob contemptum malefecisse, sed quia sui ex vitio impos erat. Ciuitas vero duella prohibeat. & iniurianti dedecus, non passo iniuriam, decernat. Tot milites adhibeat contra suos hostes, quot victoriam reportare satis superque sunt, non enim iustitia periculo virium est exponenda, sed supra sufficientiam est defendenda.

Quando Duellum non vetari solet.

3. Quod si non potest, & periclitatur salus, non ab re erit Duellum vt æquentur vires, & sanguini ciuium parcatur, si alia via terminari lis nequit: quemadmodum tres Horatij cum tribus Curiatiis de imperio inter Romam & Albam definierunt. Forsan castigabit vir fortis post illatas iniurias peruersum maleficum, non tamquam vltor, sed tamquam medicus, & Magister, vt vel metu à malefaciendo desistat, sicuti & equos, & furiosos, & pueros corrigere solemus non vt meliores videamur, sed simus.

De Timiditate.

4. Quæ vero nullis opponitur, non defectu virium, sed electione, quia vitę aut rei timet, vitium est Timiditas dictum, humillima in superiores, crudelissima in subditos, nunquam se tutam credens: ob hoc in principum animis perniciosissima. non enim victis parcunt, sed extingunt etiam supplices, item subiectos suos Tyranni minuunt, optimum quemque per calumnias, & insidias perimunt. Ab his enim, non à plebeis timent. Timet quidem Fortitudo cum audendi, timendique sit regula, nihil propterea negligens, vt audacia, sed vnde malum pati queat; ibi timet. Igitur à vitio, non à virtute: à diabolo timet, non à Deo, quem amat, colitque; & hic cultus, timor aliquãdo vocatur, sed filialis: seruilis enim propter metum pænæ peccantibus conuenit, qui & sic timent Deum: Cui similis est timor amittendi parua bona exteriora, gratiam principum, honores vanos potius quam virtutem & Deum. pulchrè dictum; ***Nemo læditur, nisi à seipso.*** Dum virtutem formidini, aut delectationi posthabet: cætera enim mala non sunt moraliter mala, nec obsunt, nisi exteriori homini, cuius lucrum per virtutem in interiori duplicamus: ex his patet quid sit Clementia fortis, & quæ timidi: & quæ audacis, & timidi Crudelitas: illa insaniens, ista insidians.

De exercitio ſuiſque oppoſitis.

CAP. 6. ART. 1.

1 PRo corporis valetudine & virtutum perfectione, illuſtratione, & vtriuſque ſalute, neceſſe eſt dicere de regula operationum, atque omiſſionum motiuæ vis. Hæc enim à voluntate imperantur, à poteſtate executioni mandantur, & à ſapientia ordinantur. hic autem ordo virtus eſt.

2. Quoniam quidem ſi nimis mouetur, affligitur, deſtruiturque compoſitio: ſi nihil marceſcit, perditurque: Menſura ergo in operatione vis motiuæ virtus eſt, data profectò gratia ventilandi ſpiritus, attenuandique vt fit aptior ad motum, & ſcientiam: & attenuandi ſanguinem, ex quo nutriatur ſpiritus, augeaturque, & expurgandi ſpirituum fuligines. Item mundificandi ſanguinem, diſtribuendique facilius ibi in omnes corporis portiones: haſque omnes ſuperfluitatibus mundandi, ipſaſque vertendi in ſudorem, pilos, & fumoſitatem, & vias nutritionis facilitandi, & omnia cauteria, quibus animal expurgatur, apertiora ſeruandi, vt culum, nares, os, & poros, quibus totum corpus conſperſum eſt à calore continuo exhalante, educenteque fumum. & excrementa, quæ veſtibus adhærent. Item & pulchrum reddendi gratia corpus, ſanum, agile, procerum, benè coloratum, robuſtum, ſufficiens, aptum ad vindictas, victoriaſque, ne præda fit robuſtiorum. Idcircò æquè totum (ait ſapientia) exerceri debet: qui enim crura tantum exercet, illa modo roborat, reliquum verò corpus flacceſcit, vel minus robuſtum fit, diffidetque ſecum: quod periculo non vacat. Qui brachia modo exercet, ſimiliter peccat: membrum enim non exercitatum attrahit ad ſe malos humores, nec benè coquere, expurgareque valet: morbuſque ceterorum ad aliud confluit, ac ſpaſmos efficit, apoſtemata, & iuncturarum dolores. Qui autem totum ſimul æquè corpus exercet, vt crura brachia, collum, ſpinam, longè melius eque, roboratur. Hanc ob rem inuenta eſt gymnaſtica, & ludus pilæ, & armorum. Nec corpus modo exercendum motionibus, ſed ingenium ſapientiæ ſtudio, ne ſimus præda ſophiſtarum, ac Pſeudoprophetarum, ſicuti neque ingenium ſine corpore, ne ſimus præda armigerorum.

Mirabiles exercitii vtilitates, quo Virtus, & non quo actio, ſed quia ſapienter reditur ad iſtius modi vſus. Miror Ariſt. Tel. ac Plat. alioſque hanc Virtutem prætermiſiſſe.

3. Vitium in exceſſu dicitur Afflictio ſui deſtructiua, quod ſpiritus exhalare facit plurimos, corpuſque remanere ſiccum, hæcticum, & tremens, exiccat vaſa nutritionis, ac neruos, ita vt contrahantur, ſæpe ſpinam frangit, oſſa laxat, carnes contundit, panniculos ventris interioris diſrumpit, flatuque exeunte indidem, fit ernia: quin inteſtinis interdum prolapſis. ergo quietem crebram corpulentæ parti concedere neceſſe eſt, ne diſſoluantur.

4. Nimia vero quies vitium eſt in defectu, ocium, pigritiaue vocatur. Ocium ſuperfluos generat appetitus, naturales tollit, varioſque morbos inducit. Hi etenim fere omnes oriri ſolent à diſtillatione, ab inflatione, à putredine, à cruditate, ab obſtructione, ab inflammatione, quæ ab ocio maxime fiunt vel fouentur. Mala Ocij.

Quæ morborum ſpecies ex his ſubſecuntur & febres & etſymptomata: & ipſorum curas, hoc in loco compendioſe ſcripſeramus, at in hac editione abſcindimus, quoniam Medicinalium noſtrorum libri 7. edíti ſunt: in quibus ea, quæ hic ſcripſeramus tractantur luculenter, preſertim in 4. & 7. Medic.

De Secunda Conseruationis Virtute. 1. de Castitate & oppositis.

CAP. 7. ART. 1.

Coniugii ratio.

Decreta Castitatis, & vtilitas.

Vitia opposita libido, & sterilitas, ipsarumque morbi.

1 SEcundæ conseruationis, quam in filiis sortimur, nostrûm viuis imaginibus, per Castitatem consulitur: quę docet generationem esse ad Dei creantis imitationem Sanctam, cuius ministri sumus ignari effectus, & Architecturæ illius, eiusq; actum Sacramentum naturale. Vult enim natura Deusque vt veluti alij fecere, vt nos simus: ita & nos alios ad existentiam producamus, & sic mortalitati speciei medemur: nec naturæ cursus truncetur, & nos esse penitus desinemus. Iubet etiam ne nimis veneris subdolæ, non natorum, quos emungit, minuitque, sed nasciturorum amantis prouidentisque, nos voluptatibus hamatis credamus, indulgeamusque: ne multis spiritibus effluentibus, debile remaneat corpus, & ęgrotet, dum nutriri nequit, cibusque exilem relictum calorem innatum suffocat. Vnde fit spasmus, & hectica, &c. huiusmodi vitium Libido, & Impudicitia dicitur, & Incontinentia: quæ fælicitatem promittit, & infælicitatem parat incautis. Nec etiam paucissimis vicibus coitui vacemus, nullisue, ne retentum semen amplius concoctum, acriusque redditum, generet satyrismos, priapismos, vteri strangulationem, insanias, aliaque huiusmodi, dum calefactum in acres, venenososque vertitur humores. qui per corpus discurrentes, variis ipsum oppugnant modis, & in caput ascendentes, horribiles visiones patiunt nocturnas, nisi sponte semen egrediatur dum prurit, ac spiritus titillatione inuitatus accurrit, effertur que foras ad apprehensam imaginem fallacem, aut per vrinam excernatur, vt Religiosis contingit.

Virginitas cur non est vitium sicut sterilitas voluntaria.

2. Qui non quia mala sit generatio, Virginitati student & continentię: sed quia huiusmodi carnalem generationem cum spirituali commutarunt, & Mentis ministerio mancipati, carni renunciauerunt: humanaque bona despiciunt, vt æternis potiantur. Naturale est hominibus negotio non addictis, strenuisque corpore, generare. At sacerdotes, Philosophique ingenio præualentes, contemplatione flaccescunt, nec proindè ad venerem idonei sunt: At frequenter si genuerint, filios suscipiunt ignaros, rudesque. Paucos enim transfundunt spiritus, quia paucos habent, & pars ipsorum magna à capite contemplationi dedita, non decurrit in coitum. Quapropter pręstat ipsis parare in animis iuuentutis formosę virtutes suas, quas illa, diuturnioribus propaget temporibus, amplificetque; quàm filii solent à Patribus sæpè degenerantes.

Castitas quid decernat in Politica.

Patriarchæ plures vxor. duxere, nec est contra naturã generationis & educationis, sed [illegible], vide Theol.

3. In Politica virtus isthæc prohibet seminationes, & copulas, generationem, & pacem inter ciues destruentes, & honestatem naturæ: non enim filius in matrem suum principium ascendit. Item coniungit mares, fæminasque secundum proceritatem, strenuitatem, sanitatem virtutemque illis ęquam, & non secundum dotem, & diuitiarum æqualitatem. Ac vnum vni. Si enim omnibus copulari possemus, pulchras tantummodo aggrederemur, quæ non conciperent, quoniam actio prioris feminis, aliorum feminum actionibus deturbaretur, vt in meretricibus: nec certus prolis, qua seruaretur, esset quisquam. Non tamen plurium, & in alio gradu est prorsus naturæ aduersa copula. Lex à Deo lata, quæ virtus est communitatis, & non vnius modo indiuidui, huiusmodi actus sit regula. Natura animalibus cum matribus coitum negat, vt in equis interdum experimur. Natura rationalis etiam cum sororibus. Columbi enim sororibus, & omnia bruta miscentur: & filii Adæ in principio Natura legalis propter honestam cohabitationem, & propagandam concordiam inter familias alios vetuit gradus coniugiorum.

4 Sterilitas non voluntaria defectus naturæ est, non vitium electionis: cum deficientia caloris in genitalibus, aliaue passio fit: qui autem sponte, vbi, & quando non

non generet, seminat, contra Opificem naturæ operatur. Qui cum bestiis affinibus vt cum simia & simio, ex quo mulier Lusitana pridem genuit duos, deprauant naturam adulterio naturali, deteriorique legale maculantes.

5. Sequitur virtus educatiua prolis, sed supra de ipsa diximus, & in Oeconom. & Polit. & in Ciuitate solis.

De Tertiæ Conseruationis Virtutibus, quæ est in fama.

CAP. VIII.

Non modo à filiis, & in filiis conseruatur homo postquam in se: sed etiam ab amicis hominibus per mutua auxilia, & inimicis per famam: Immò quot amicos sibi facit, tot homines ipse fit, & qui viginti amicos habet, etiam viginti vnum capita habet, & quadraginta duas manus, totidemque oculos, totidem pedes: & in tot locis est, in quot ipse, & illi: & tanto tempore viuit, quanto omnes illi: & illis in alios multiplicatur successores nomen eius, vt palam est de his, qui olim virtute claruerunt, nunc in fama viuentibus. Propterea illos sibi, & se aliis natum intelligens, expressit virtutes tres à tribus primalitatibus, quibus amicitiæ constantur, & retinentur, postquam cœperunt ex filiis primi hominis aliæ multiplicari familiæ. Sunt autem istæ Beneuolentia, Beneloquentia, & Beneficentia: *quæ epilogum, & exemplar habent in amore proprio, proboque ad se, his in præceptis.* Quod tibi rectè vis fieri, velis, faciasque aliis. Quod tibi non vis, alteri ne feceris.

Tres virtutes erga amicos in duobus præceptis affirmatiuo, & negatiuo omnia officia explantur.

De Beneuolentia & suis partibus, & oppositis.

ART. 1.

1. Beneuolentia est regula bonum aliorum optandi eis, non quatenus tibi principaliter, sed quatenus eis est bonum. Sic enim facit amicum. Si enim amas tui gratia illum tibi, non discernis eum à seruo, & caballo, & boue, quibus bonum sanitatis, vt nobis, prosint, volumus: & vino bonum colorem, & saporem, sed nostri gratia. Verum est quòd ab amore proprio incipit omnis amor; sicut enim res alias cognoscit anima, quia se ab illis mutatam cognoscit, sic res alias amat, quia se ab illis benè affectam amat. Amo calorem blandum, quia benè affectum à blando me sentio; odi robustum, quia malè affectum, & crematum ab illo me sentio.

Beneuolentia est amor amicitiæ propter amicum & non propter se, modò, vt amor partis, & serui.

2. At quomodo gratia sui quis possit amari, non omnes intelligunt, licet exemplum matris, quæ adulterinum filium expositum amat, eique bona vult; quamuis nunquam bonum sibi ab eo speret, adducant. Haud tamen vident, quòd mater ex eo, & in eo sui imaginem, ac substantiam amat, quæ in aliis non inest. Propterea dicendum, quod quoniam omnes humanæ speciei sumus partes, & vnius Dei filii: alter alteri debemus bonum velle, licèt nec speremus: vndè ægros, claudosque videre abominamur, quoniam nostræ speciei nobis miseriam, ac proinde propriam repræsentant. Impius ingratusque proprio generi est homo ille, qui alteri malè vult homini; quamuis læsus ab illo.

Exemplum ab Aust. perperam intellectum.

3. Est Amicitia reciprocus amor, mutuisque officiis confirmatus, propter vtriusque vtilitatem, honorem, & iucunditatem. vndè amor fœminæ impudicus non est Amicitia, quia tibi vis ab ea voluptatem, & non bona alia ab ea, nec tua illi, nisi per modum emptionis, licèt multa profundat deceptus voluptate quis in eas; Sicut & febricitans sua passione victus seipsum perdit. Amicus Alter ego. Qui non potest esse ego, nec amicus erit. Ideo Deus nos deificat, vt faciat sibi amicos. Volumus amico bona animi in primis, deinde corporis, deinde fortunæ, sicut & nobis & filiis nostris, Mala opposita eodem ordine nolumus.

Quid est Amicitia.

E

Diuisio Beneuolentiæ in species. 4. Propterea partitur Beneuolentia in Benignitatem, & Misericordiam, & Indignationem.

Benignitatis actus & perpensio. 5. Benignitas non modo perpendit, quod quoniam eiusdem sumus familiæ, aut Reip. membra, prosunt aliorum bona nobis directè, vel indirectè per permutationes, & exemplum, imitationemque: Item quia quibus desunt bona sua, indigent nostris, ideoque furto vel sponte oportet eis communicari: & qui bonis corporis, & animi carent, aliis prodesse nequeunt: possunt autem incommodare, sicut manus arida est oneri reliquo corpori, non auxilio: sed etiam quod genus vilescit humanum, & nos in eis, propterea gratulatur aliorum bonis.

Misericordia. 6. Et eadem quandò aliorum miseriis condolet, cum desiderio auxiliandi, vocatur Misericordia, non quà dolet, sed quà vult auxiliari.

Indignatio. 7. Quando molestè fert sceleratorum bona, quibus in aliorum virtuosorum perniciem abutuntur, dicitur Indignatio.

Vitia Opposita.

Maleuolentia. 8. Maleuolentia oppositum vitium inimicos facit, aliis maleuolens, & se ipsum angustiat annihilatque, diciturque malignitas, quatenus aliorum bonis tristatur, reputans illos quasi testes propriæ ignauiæ, aut ignorantiæ, aut imbecillitatis, cuius causa timeat. Non condolet malis amicorum, nec hominum, & tunc vocatur Immisericordia, & cum sceleratorum bonis gaudet, Nequitia.

Immisericordia. Nequitia.

Mollities. 9. E contra qui aliorum quantumuis nimis condolet malis, & quocumque aliorum bono pro modico congratulatur, & lætitia, prolixè gestit: ille vitiosus est, eiusque morbus vocari Mollities potest, spiritus tenuis, timidi, mollis, flexibilis, sponteque miseri, qui consilium his passionibus obruit, seque cum aliis commutat & postponit.

De Æmulatione, & oppositis.

ART. 2.

Æmulationis necessitas, & laus. 1. INuidia Malignitati proxima nos admonet, vt de Æmulatione adnectatur sermo; vt ergò mutuò ad bonorum omnium acquisitionem nos concertatione inuitaremus, lata est in animo virtus quam Æmulationem dicunt, quæ aliorum diuitias, & valetudinem, & virtutes conspiciens, animaduertit sibi quoque ea bona conuenire, non quatenus illa sibi vtilia sunt, sed quatenus seipsum in sui similibus speculatur, & veluti hi possident bona, sic & ipse possidere debeat; imitaturque rationes quibus illi locupletes facti sunt, vt & ipse fiat. Et quidem cum homo se se bonis superari videat, cótristatur, contorquetur, destruiturque, & nisi potentiores, ac sapientiores imitetur, non conseruatur. Necessaria fuit hæc virtus, quod huiusmodi passiones moderetur, ne cupiat præstantiorum exitium, sed persimilem illis euadere: est ergo signum strenui, nobilisque spiritus, qui nihil maceretur, nisi propria culpa, non si aliena, aut fortunæ conspiciat se talem non esse, quales sunt, quos probos opulentos, & virtuosos admiratur, hosce colit, tanquam quorum exemplo discit excellere, & quibus cupiat, sperétque similis fieri.

De Inuidia. 2. At inuidia oppositum vitium est superbi, copiosi spiritus, impurique, cupientis videre eos extinctos, quos se præstantiores nouit, ne sint tanquam testes suæ ignorantiæ tumidæ crudelisque.

De Abiectione. 3. Qui verò aliorum bona sibi deberi non agnoscit, nec æmulatur, vilitatis laborat vitio, Abiectionisue.

De Beneloquentia & suis partibus.

CAP. IX. ART. I.

1 BEneloquentia est virtus regulans sermonem, vt sit nobis, & aliis proficuus, amicitiasque retineat, & bona nostræ mentis communicet: pandit amorem, salutat, laudat, bona imprecatur, doctrinas facit communes, suadet bona, vituperat vitia. *Beneloquentiæ functiones.*

2. Secatur in quatuor partes, videlicet in Affabilitatem ex parte loquentis: in Eloquentiam, ex modo loquendi; in Benedicentiam ex parte eorum, ad quos loquimur; & Veracitatem ex obiecto locutionis. *Distinctio in quatuor species.*

3. Affabilitas est regula exhibendi se ad colloquium aliorum; si enim non respondeas, nec facilè loqueris, tanquam rusticus etis despectus, & alii contristantur, & abs te recedunt: si semper, & cuilibet, & vbique loquaris, tanquam onerosus, & vilis eris. Igitur Affabilitas datur, vt faciles simus ad respondendum, & humanis verbis, quibus alliciantur Auditores, cum hilaritate, condescendendo etiam agasonibus, & fullonibus, amorosum se præbendo, salutando, bona imprecando; sic enim tenetur mutua Benedicentia, & virtus. *Affabilitatis quidditas & actus.*

4. Obmutescentia est Austeritas, & Abstinentia quædam à sermone, vt vix dignetur amicissimis, & paucis responsum date, salutare, & officia sermonis præstare: Vitium naturale melancholicorum fuliginosorum, qui pugnant intus cum sua fuligine, nec valent dignari ad alios spiritum effundere, intus occupatum, quod infirmis accidit multis. *Obmutescentia voluntaria vitium, inuoluntaria infirmitas.*

5. At quando fit ex electione, vitium est grande, præsertim Magnatum & Principum, aut quia non dignantur se miscere aliis hominibus tamquam ipsi Dii, alii verò bestię; aut quia ignorantes sunt, & simulant sapientiam taciturnitate, cauentque testes habere indocti sermonis, Immò cohibent se à risu cum maximè ridere cuperent, vt videantur graues, & quidem sunt quale plumbum, non quale aurum. *De Taciturnitate.*

6. Qui tacent quoniam responsum bonum reddere non habent, nec vellent malum, prudentes sunt, & dicuntur Taciturni.

7. Qui silentium obseruant, ne alios infestent ab orationibus, & studiis; Beneuoli sunt. *De silentio.*

8. Qui secreta cælant, discreti, non autem qui verba negant vbi oportet.

9. Qui cum quolibet, & vbilibet inutiliter loquuntur, non affabiles, sed Futiles dicendi sunt. *De vitio futilitatis.*

De Eloquentia.

ART. 2.

1. ELoquentia est regula modi loquendi, vt sermo sit clarus, & iuxta vsum eorum cum quibus loqueris, si linguam calles: nec peregrinam, & grammaticales voces vsurpes: Breuis, & quantus sufficiat expressisse quod cupis, sicut in Rhetorica declarauimus. *Eloquentiæ actus, & vis.*

2. Eloquentiæ opponuntur Rusticitas, vel solecismus, & Dicacitas: illa quasi Rusticorum nescit loqui, perplexum texit sermonem, nunquam quod vult bene exprimit: vocabula, quæ exotica & ruralia, profert, quamuis sciat minus audiri. Idcircò nec impetrant quæ cupiunt, nec sibi, nec aliis satisfaciunt, & cætibus inuisi, & derisi habentur. *De solecismo & Rusticitate.*

3. Loquaces verò sunt qui affectant verborum circulationem vbi non habent vocabulum selectum, peregrina, & grammaticalia attexunt: allegant semper Authores, vt docti appareant. Vitium Pedagogorum, & indoctorum hominum, volentium videri sapientes, & hi ridiculi, & iactabundi videntur, & vel ob hoc nec *De loquacitate.*

in senatu, neque in cœtibus aliis impetrant quod cupiunt; & posthabentur Rusticis, vt Metellus Mario. Quomodo autem in Poesi, & orationibus, & Philosophia sit loquendum, alibi dictum est.

Vide Philosophiā rationalem.

De Benedicentia.

ART. 3.

Benedicentiæ actus.

1. Benedicentia seu Benedictio est regula verborum ad Auditores circa sensum eorum, quatenus in ipsorum animis producit affectus. Itaque plures producit exindè effectus, salutat, precatur, laudat virtutes, vituperat vitia, corrigit peccatores, mitigat iras, solatur tristes, absentes, præsentesque, honorat, peccata aliena tegit, vbi non illorum, & Reip. detegere refert; bonum præbet exemplum; pandit doctrinam, & proficuas res.

Maledicentiæ species. Imprecatio.

2. Propterea huic virtuti opponitur Maledicentia, quę diuiditur in imprecationem malam, cum à Deo petimus malum Auditoribus, & aliis.

Turpiloquium.

In Turpiloquium, cum de obscœnis rebus tractatur.

Vaniloquium.

In Vaniloquium, cum non seria, & quæ spectant ad rem.

Contumelia.

In Contumeliam, quando tumentibus labiis iniuriam facimus.

Conuicium.

Et Conuicium, cum de peccato iniuriosè lædimus.

Detractio. Susurratio.

Et Detractionem, cum famam aliorum in secreto diminuimus.

Et Susurrationem, quæ dissidia inter amicos facit, dum interserit mutuas offensiones, & vitia.

Murmuratio.

3. Et Murmurationem, cum de aliorum factis, & dictis praua interpretatione tanquam nocentibus, aut minus bonis, obloquimur, & nil patienter absque murmure, ab eis toleramus.

Calumnia.

Et Calumniam, quæ culpas alienas, quas probare non potest, vel non sunt, Iudici defert. Itemque falsum testimonium.

Blasphemia.

Aliaque mala producit lingua maledica, exosa etiam Deo, cum eius nomen blasphemat, & cum pro gratiarum actione murmurat de Prouidentia, & Gubernatione Dei; & tribuit Deo quæ non habet, aufertque quæ habet: Quæ omnia quatenus prauos effectus producunt, & faciunt homines malos, aut nobis infestos; à Maledicentia sunt. Nam ex obiecto sunt impietates in Deum, & Maledicentiæ in proximum.

Similiter de responsis iudicato, quæ mollia frangunt iram, dura excitant furorem.

Linguæ virtus ad bonum & malum.

4. Et Mors, & vita in manu linguæ: Quot regna & familiæ corruerunt propter eam? Ipsa est etiam instrumentum Imperii, & Religionis, & sapientiæ; euellit, & plantat; destruit, & ædificat. Propterea summopere colenda virtus hæc, exterminandumque oppositum.

De Adulatione.

5. Cui in defectu opponitur Adulatio, quæ laudat quæcunque aliorum facta, & dicta, præsertim Potentium, bona & mala; redditque ignorantes, & sceleſtos eos, qui sunt probi; confirmatque prauos in sua prauitate: obcæcat mentes hominum, laudis immensæ cupidorum, & in bestias, sicut Circes, reddit; Vitium meretricium, scurrarum, pseudoprophetarum, qui dicunt Pax vbi non est, & bonum vbi malum, vt à populis & principibus extorqueant pecunias, & honores. Nescio an peior sit Adulatio, quàm Maledicentia, si posset in Deum, vt hæc, grassari; non enim potes ita laudare Deum, vt excedas, quia maior est omni laude. At qui falsa miracula eius prædicant, si eius gratiam aucupari se putant, peiores sunt diabolis, quoniam Deum similem bestialibus hominibus faciunt.

De Veracitate & suis partibus & oppositis.

ART 4.

1 Veritas rei est entitas, vt correspondet ideę factoris sui, sicut verus ensis est, qui ideæ fabricantis ensem correspondet: sicuti autem in seipsis sunt res, homo non nouit, quia non fecit eas, nisi ex parte, & confusè: non ergo verus est omninò nisi Deus, qui veritas ipsa est, mensuraque rerum. Attamen verax homo est, dicendo res prout eas nouit, creditque esse, & faciendo, vt sit quod futurum promittit, & negando prout non nouit, & non faciendo quod non facturum pollicetur. Potest enim & verax esse dicendo falsum, quod putat esse falsum, licet sit verum. *Veritas in Entitate.* *Veracitas in dictis & factis.*

2. Munere testificandi sensus primo gaudet spiritui annunciando, prout afficitur: spiritus vero Menti testimonium reddit, & possunt fallere absque veritate annunciando rem, non sicut est, sed non absque veracitate: quoniam prout afficiuntur à re, ipsam testantur. Et hoc sufficiebat viuentibus seorsum singulis hominibus: At inter se & alios, & in corpore communi oportet, alterum alteri homines verum dicere: alioquin filii non crederent Patri, nec vxor marito, nec mercator agricolæ, nec discipulus Magistro, nec Dux militibus: itaque commercium, Amicitia, & Politica destrueretur. *Testis primus est sensus, qui fallendo potest esse verax, sed non verus.* *Species Veracitatis.*

3. Diuiditur autem Veracitas in plures Virtutes, vocatur enim veracitas in assertionibus, cum verbis quod latet in animo, exprimit. *Veracitas in sermone.* *Fides in promissis.*

Fides in promissionibus, quando fit quod dicitur, vt vocabulum monet.

Fidelitas in commissionibus, vt, cum quis se mihi committit saluandum, aut secretum credit non dicendum absque pernicie, etiam si mihi sit inimicus: nec promitto illud seruare, teneor ex hoc, quod me pro fideli habens, se mihi credidit: non autem si dolosè. *Fidelitas in commissis.*

Simplicitas in ostensionibus: qualis enim est homo, debet se ostendere, aut si tegit propria vitia, non debet se venditare pro sancto, & virtuoso, verbis, vel factis. *Simplicitas in ostensis.*

Claritas in contentionibus: quando enim tenetur homo pugnare paribus armis, & quando ostensio strenuitatis fit, non debet ex occulto adoriri, nec armis non visis. Victoria enim fortitudinis propria, non prudentię aut astutiæ. *Claritas in duellis.*

Sinceritas in contractibus, & commerciis. *Sinceritas in contractibus.*

Ingenuitas in conuersationibus. *Ingenuitas in conuersando.*

De Vitiis Oppositis.

4. Opposita his vitia sunt, Mendacium veracitati, quo contra mentem itur, dicendo quod non est in animo, & negando quod est, sciens, volensque causa fallendi. Signum infælicissimi spiritus, impuri, fuliginosi, qui nec prout sunt sapit res, nec prout sapit enunciat; nec ad veritatem sui esse, & diuinam, cuius exemplari conformari debet, inspicit; sed breue, falsumque vtile, extraneum sibi: vnde seipsum annihilat, dicendo quod non est in mente, & sic reducendo suum esse ad suum non esse. *Vitia opposita Mendacium, eiusque malitia.*

5. Fidei Perfidia opponitur, fallens spem alienam, & propriam frangens entitatem, pessundans commercia: humanum genus dissoluens: læthale crimen, & vbi promissio iusta, & à non mente capto. heu pestem fæculi! *Perfidia.*

6. Fidelitati Proditio: dicimus enim proditorem, & traditorem qui amicum, & rem commissam hostibus, aut vbi in malum incidit, prodit, traditque. Ignobilis animi vitium, quod occasionem etiam se pro nobili ostentandi, vertit in sui dedecus. Alij produnt arcana, Alii patriam hostibus, alii scripturas & doctrinas amicorum sibi commissas, tanquam proprias vendicant, eduntque in lucem, quod deterius est, ac si victimares filium in conspectu patris. Simplices animo sunt proditorum Magnes. *Infidelitas & Proditio.*

De Hypocrisi.

7. Simplicitati Hypocrisis, quæ simulat sanctitatem habitu aut verbis, animo fallendi, non autem si est suæ professionis habitus sanctus: nemo enim tenetur vitia propria, & infælicitates detegere, nisi maximè opus sit. Qui autem pro Ironia simulant se malos, cum sint boni, etiam peccant, si aliis scandalo fuerint, & inanis gloriæ causa. Non autem si proprias agnoscendo imperfectiones, sic humiliantur: Bona enim sunt à Deo, de quibus gloriari non licet, quasi ex nobis, sicut de malo se accusare. Qui autem falso se se laudant ex Iactantiæ nota, quæ est Arrogantia in verbo, sicut Arrogantia est iactantia in facto: ex vtroque Mendacium: hi superbi nebulones sunt, nec fidem inueniunt vspiam.

Quid iactantia, & Arrogantia.

De Insidiis.

8. Claritati quæ vocabulo caret proprio, opponitur Insidia, quæ conceditur contra hostes Reip. & vbi digni sunt deceptione, & inter militaria stratagemata computantur: At vbi ex æquo concurritur ex pacto, Insidiæ turpescunt. Qui detrahunt famæ in occulto, insidiosi sunt, minus tamen mali eis, qui in aperto, & qui irrisionis actum addunt.

De Circumuentione & fraude.

9. Sinceritati Circumuentio, & Fraus, in prætio defraudans, in negotiis decipiens. labores in socium, in se lucra, reiiciens.

De dolo.

10. Ingenuitati Duplicitas, Dolus, Fallacia, quæ in cunctis ob propriam vtilitatem facto dictoque decipit conuiuentes. mulierum mentita statura, pulchritudoque ad dolum, & fraudem simul pertinent: quarum mala in œconomicis declarauimus.

De vericidio.

11. Qui vero è contra in omnibus veritatem dicere subitò vult, apertus esse, etiam si mala sequantur, ne ipse mendax sit: laborat ignoti vocabuli vitio, sed Vericidium dici queat: occidit enim; proditque veritatem: cur enim interrogatus de proprio enormi peccato à quocunque fateatur illud? fateatur Deo, & Ministro Dei, sicut oportet. Si Dauid, Solon, Brutusque insaniam non simulassent, laude miræ Prudentiæ caruissent. Hoc autem est facto, non voce mentiri vbi oportet, nec est mentiri, sed per prudentiam vti mendatio. Item cur Medicus puero medicinam amaram porrigens, si dixerit esse dulcem, peccat? Quapropter mendacium officiosum Alii concedunt, quoniam non fit animo fallendi eum, qui meretur falli, sed iuuandi. immò etiam si fallendi eum, qui meretur falli, vt Iudith Holofernem, & Machabea sic Antiocho illusit, & Heliseus ad Benadab, inquit, *Non morieris*, quem moriturum nouerat, & Iacob mentitur in fratris damnum coram patre: & licet figuratiuè sit veritas, historicè verò est mendaciũ sermo eius, historia autẽ fundat dogma. Nec enim adulterium Dauid non est adulterium, quia significat pro gentium Ecclesia mirifica, sancto Greg. teste. Veræ quidem fabulæ & parabolæ nisi perniciosæ sint, mendatia non sunt, nec mala: non enim quod verba sonant, sed quod res per verba significatæ iterum significant, sensum habent. At historia non comedia est, quod dicimus. Quapropter saluo meliorum iudicio cum Chrysostomo, & Hieron. Officiosa falsitas conceditur, quoniam pro mendacio non computatur, sed pro stratagemate prudentiæ: si enim licet interficere inuasorum nocturnum, ne me occidat, cur interrogatus nomen mei, quem ipse quæritat ad mortem, non possum dicere inuasori, me non esse, de quo rogat, consulens meę vitæ atque simul suę? & cur minus malum immò bonum esse occidere inuasorem quidem arbitrantur? Præter iuris ordinem, & vtilitatem: nemo tenetur fateri verum. De iocoso mendacio leuiter dubitatur.

D Hieronymus & Crysost. & Plat. & Orig. cōcedunt mendacium Officiosum.

De iuramento & Periurio.

12. Iuramentum huic virtuti ex diuino testimonio additum est, quod iudicium, iustitiam, & veritatem requirit, sicuti promissio, & votum. his non stantibus, aut in malum exitum verso iuramento, non est seruandum: sed culpa fuit iurare, & crimen obseruare, quod iurasti, sicut Herodes, Agamemnon: Deus enim in malis non contestatur.

Quis quando tenetur seruare proprium sensum, an audientium, cum Gregorius & Isidorus in hoc dissudent.

13. Promissiones, assertiones, iuramenta, & ostensiones aliquandò sunt arripiendæ secundum dicentis sensum, cum loquitur obscure, amphibologicè, æquiuocè, vbi non tenetur dicere verum, & seruare: vbi vero tenetur, ad sensum audientis.

De Credibilitate & oppositis.

ART. 5.

1 PArum ſtat veracitas in Rep. & inter amicos niſi ei credatur: nec credendum omnibus dictis omnium hominum, nec nullis, cum mendacia tot, & falſitates experti ſumus. Regula ergo credendi vocetur Credibilitas, cuius obiectum eſt Fides in promittentibus, Veracitas in aſſertionibus, & propterea capitur aliquandò pro credibilitate.

2. Hi quibus credimus non ſint decepti, nec deceptores: ergo debent ſcire id quod dicunt, & poſſe abſque timore dicere: & velle dicere. Quaproper his ſapientibus, & non timentibus, & recte volentibus credendum eſt omninò, quando loquuntur tanquam teſtes: At quando tanquam opinantes, opinare & tu. Ideo plus credam Columbo teſtificanti de altero hemiſpherio affirmatiuè, quàm ſancto Auguſtino opinanti negatiuè. Verbis Dei credamus, vt intelligamus, verbis hominum intellectum, & experientiam adhibeamus, vt credamus, vbi teſtes oculati non ſunt.

3. In ſermonibus vulgaribus Vrbanitas eſt credere, & voluntaria: vbi nihil refert credas ne an non: vbi refert, perpende.

Fides dicitur à fio & dico quia fit quod dicitur. ideo propria eſt promittentium.

Credibilitas ergo eſt eorum quibus promittitur, aut dicitur aliquid, & hæc vocatur fides ab obiecto vnde fides catholica dicitur quæ Deo dicenti, & promittenti credit.

Non eſt credendum niſi homini, qui non eſt deceptor, nec deceptus, & coget tribus primalitatibus vide Metaph.

Vrbanitas eſt credere vbi non refert veritas dicentis.

De credulitate & incredulitate,

De Oppoſitis.

4. Opponuntur credibilitati Credulitas & Incredulitas: illa leuis animi eſt cuicumque opinanti fidem adhibentis: ſpiritus enim tenuis facilè mouetur omni vento doctrinæ, & loquacitatis. ſtulti qui nouis hæreſiarchis abſque miraculis, & ſanguine, & Deificatione credunt, quoniam nolunt ſcire examinare accuſationes eorum in veterem Religionem. Puerorum & Anicularum, & commodum capientium ex credulitate, eſt hoc virium.

5. Incredulitas duræ ceruicis, neſcit examinare veritatem, & teſtimonium. Quod ſemel hauſit, obſtinate tenet, quidquid ſyllogizabis, pro falſo habet. Aliquando non credunt Prophetis, & credunt inanibus ſcientiis: Indigent baculo, & decipi volunt. At non ſic in foro, vbi emptores, & venditores tot mendaciis conuerſantur, quæ & norunt: ſed viuat victor per credulitatem, & incredulitatem: Bone Deus, quis tanta corriget mala? ſcribe: operam perdis. Quid mirum? Incredulitas, & credulitas mundum volentem decipi, ſubiugatum omninò calcant: Illa ſectariorum, iſta ſectantium eſt.

De Rogatione & ſuis Oppoſitis.

ART. 6.

1 PRæterea quoniam nemo ita ſibi ſufficiens eſt, quin aliorum ope indigeat, nec ſi Rex ſit: Immò quo maior eſt in Politica, eo indigentior. Hinc militum, & ſeruorum, aſſiſtentium, & miniſtrantium copia: Voluit enim ſapientia, vt omnes aliorum operam mutua indigeant, quo alter alteri beneficus fiat, nulluſque iners, diffidens, officiis vacuus. At quidem quoniam indigentias noſtras non omnes ſciunt, percipiuntque; quas ſi taceamus, pereundum eſt, vel incommodiſſimè viuendum, & ſunt qui ſcientes niſi rogati non auxiliantur. Sin vero quacunque pro re à quocunque petamus auxilium, victum, veſtitum, defenſionem, aliaque neceſſaria mendicando: tunc & nos odioſi erimus, tanquam fuci iurtes, aliorum viuentes labore: & Politica peribit: ſi omnes, nullo laborante mendicabunt: Nec enim erit, qui nobis bo-

Neceſſitas virtutis quæ dicitur Rogatio, quæ licet ſecundum vocem ſit actus, & actio, ſecundum rem, virtus eſt, vnde actus.

Plat. afferens tres animas, concupiscibilem, irascibilem & rationalem, quod in quæstionibus, & Apologismo pro Telesio impugnauimus. Arist. autem non debuisset virtutes irrationales ponere in irascibili, nec in concupiscibili, sed rationales omnes, cum ponat vnicam animam. At quia Platonis argumenta soluere nesciuit, à quo virtutes mutuatur, contradicit sibi, ponens ipsam triplicem in ethicis cum Platone, à se in primo de Anima reprobato. Scotus doctior omnes virtutes facit rationales.

De Duello.

3. Hinc patet, quod nec ciuitas, nec singularis homo ad duellum prouocatus non nisi ostentandi causa, quis nam fortior, tenetur ex fortitudinis regula prodire ad pugnam: sufficiet ei si defendet se cum moderamine inculpatæ tutelę, vim vi repellendo: non tamen occidet, nisi non potens euadere mortem, mortem non inferendo, quemadmodum & cum brutis pugnantes nos habemus. Nulla enim virtus est ostentare vires absque causa. Immò etiam fugiendū vbi plures homines te inuadunt, sicuti & vbi plures bestiæ: non enim virtute vtuntur, sed bestiali robore: nec Hercules contra duos, vt in prouerbio est. At si quis pugnans effugere citrà mortem non valet, tunc etiam cum mille pugnandum, & insidiis prudenter vtendum, non autem cum vno sine dolo pugnante. Iniuriam passus, iniuriarum iudici defert: neque enim homo vindictam propriam, æquam sumit, quin excedat. Et sæpè duellum promit iudicium falsum, si mactatur qui pro iustitia pugnat. Propterea que sunt Tribunalia iustitiæ in Rep. Dum autem iniuria infertur, pugnabis, post illatam non resumes arma, & præcipuè accersitis defensoribus. At inquis, despectui ero. Profectò si iustè percussus es ob crimen commissum in percutientem, si velis vindictam sumere, duplicabis culpam, & dedecus. si iniustè, ad ius voca: sed ais, despiciar: profectò si ex metu, non autem si ex virtute sic te habes, verecundetur qui iniuriam fecit. Declarauit enim se maleficum: at qui passus est, declarat se tolerantem, & fortem, & gloria est ei sicuti Paulo colaphis, & lapidibus petito. Operare fortiter in bello pro patria, aliisque in gestis iustis: Ad hoc iniuriantem lacesse. vt dicant omnes, non metu, sed virtute te ignouisse: Quod debes quidem præsertim veniam petenti, aut declaranti, non ob contemptum malefecisse, sed quia sui ex vitio impos erat. Ciuitas vero duella prohibeat. & iniurianti dedecus, non passo iniuriam, decernat. Tot milites adhibeat contra suos hostes, quot victoriam reportare satis superque sunt, non enim iustitia periculo virium est exponenda, sed supra sufficientiam est defendenda.

Quando Duellum non vetari solet.

3. Quod si non potest, & periclitatur salus, non ab re erit Duellum vt æquentur vires, & sanguini ciuium parcatur, si alia via terminari lis nequit: quemadmodum tres Horatij cum tribus Curiatiis de imperio inter Romam & Albam definierunt. Forsan castigabit vir fortis post illatas iniurias peruersum maleficum, non tamquam vltor, sed tamquam medicus, & Magister, vt vel metu à malefaciendo desistat, sicuti & equos, & furiosos, & pueros corrigere solemus non vt meliores videamur, sed simus.

De Timiditate.

4. Quæ vero nullis opponitur, non defectu virium, sed electione, quia vitę aut rei timet, vitium est Timiditas dictum, humillima in superiores, crudelissima in subditos, nunquam se tutam credens: ob hoc in principum animis perniciosissima. non enim victis parcunt, sed extingunt etiam supplices, item subiectos suos Tyranni minuunt, optimum quemque per calumnias, & insidias perimunt. Ab his enim, non à plebeis timent. Timet quidem Fortitudo cum audendi, timendique sit regula, nihil propterea negligens, vt audacia, sed vnde malum pati queat; ibi timet. Igitur à vitio, non à virtute: à diabolo timet, non à Deo, quem amat, colitque; & hic cultus, timor aliquādo vocatur, sed filialis: seruilis enim propter metum penæ peccantibus conuenit, qui & sic timent Deum: Cui similis est timor amittendi parua bona exteriora, gratiam principum, honores vanos potius quam virtutem & Deum. pulchrè dictum; *Nemo læditur, nisi à seipso.* Dum virtutem formidini, aut delectationi posthabet: cætera enim mala non sunt moraliter mala, nec obsunt, nisi exteriori homini, cuius lucrum per virtutem in interiori duplicamus: ex his patet quid sit Clementia fortis, & quæ timidi: & quæ audacis, & timidi Crudelitas: illa insaniens, ista insidians.

De exercitio suisque oppositis.

CAP. 6. ART. 1.

1 PRo corporis valetudine & virtutum perfectione, illustratione, & vtriusque salute, necesse est dicere de regula operationum, atque omissionum motiuæ vis. Hæc enim à voluntate imperantur, à potestate executioni mandantur, & à sapientia ordinantur. hic autem ordo virtus est.

2. Quoniam quidem si nimis mouetur, affligitur, destruiturque compositio: si nihil marcescit, perditurque: Mensura ergo in operatione vis motiuæ virtus est, data profectò gratia ventilandi spiritus, attenuandique vt sit aptior ad motum, & scientiam: & attenuandi sanguinem, ex quo nutriatur spiritus, augeaturque, & expurgandi spirituum fuligines. Item mundificandi sanguinem, distribuendique facilius ibi in omnes corporis portiones: hasque omnes superfluitatibus mundandi, ipsasque vertendi in sudorem, pilos, & fumositatem, & vias nutritionis facilitandi, & omnia cauteria, quibus animal expurgatur, apertiora seruandi, vt culum, nares, os, & poros, quibus totum corpus conspersum est à calore continuo exhalante, educenteque fumum. & excrementa, quæ vestibus adhærent. Item & pulchrum reddendi gratia corpus, sanum, agile, procerum, benècoloratum, robustum, sufficiens, aptum ad vindictas, victoriasque, ne præda sit robustiorum. Idcircò æquè totum (ait sapientia) exerceri debet: qui enim crura tantum exercet, illa modo roborat, reliquum verò corpus flaccescit, vel minus robustum fit, dissidetque secum: quod periculo non vacat. Qui brachia modo exercet, similiter peccat: membrum enim non exercitatum attrahit ad se malos humores, nec benè coquere, expurgareque valet: morbusque ceterorum ad aliud confluit, ac spasmos efficit, apostemata, & iuncturarum dolores. Qui autem totum simul æquè corpus exercet, vt crura brachia, collum, spinam, longè melius eque, roboratur. Hanc ob rem inuenta est gymnastica, & ludus pilæ, & armorum. Nec corpus modo exercendum motionibus, sed ingenium sapientiæ studio, ne simus præda sophistarum, ac Pseudoprophetarum, sicuti neque ingenium sine corpore, ne simus præda armigerorum.

Mirabiles exercitii vtilitates, quo Virtus, & non quo actio, sed quia sapienter redditur ad istius modi vsus. Miror Arist. Tel. ac Plat. aliosque hanc Virtutem prætermisisse.

3. Vitium in excessu dicitur Afflictio sui destructiua, quod spiritus exhalare facit plurimos, corpusque remanere siccum, hæcticum, & tremens, exiccat vasa nutritionis, ac neruos, ita vt contrahantur, sæpe spinam frangit, ossa laxat, carnes contundit, panniculos ventris interioris distumpit, flatuque exeunte indidem, fit ernia: quin intestinis interdum prolapsis. ergo quietem crebram corpulentæ parti concedere necesse est, ne dissoluantur.

4. Nimia vero quies vitium est in defectu, ocium, pigritiaue vocatur. Ocium superfluos generat appetitus, naturales tollit, variosque morbos inducit. Hi etenim fere omnes oriri solent à distillatione, ab inflatione, à putredine, à cruditate, ab obstructione, ab inflammatione. quæ ab ocio maxime fiunt vel fouentur. *Mala Ocij.*

Quæ morborum species ex his subsecuntur & febres & etsymptomata: & ipsorum curas, hoc in loco compendiose scripseramus, at in hac editione abscindimus, quoniam Medicinalium nostrorum libri 7. ed iti sunt: in quibus ea, quæ hic scripseramus tractantur luculenter, presertim in 4. & 7. Medic.

De Secunda Conseruationis Virtute. 1. de Castitate & oppositis.

CAP. 7. ART. 1.

Coniugii ratio.

Decreta Castitatis, & vtilitas.

Vitia opposita libido, & sterilitas, ipsarumque morbi.

1 SEcundæ conseruationis, quam in filiis sortimur, nostri ſum viuis imaginibus, per Castitatem consulitur: quę docet generationem esse ad Dei creantis imitationem Sanctam, cuius ministri sumus ignari effectus, & Architecturæ illius, eiusq; actum Sacramentum naturale. Vult enim natura Deusque vt veluti alij fecere, vt nos simus: ita & nos alios ad existentiam producamus, & sic mortalitati speciei medemur: nec naturæ cursus truncetur, & nos esse penitus desinemus. Iubet etiam ne nimis veneris subdolæ, non natorum, quos emungit, minuitque, sed nasciturorum amantis prouidentisque, nos voluptatibus hamatis credamus, indulgeamusque: ne multis spiritibus effluentibus, debile remaneat corpus, & ęgrotet, dum nutriri nequit, cibusque exilem relictum calorem innatum suffocat. Vnde fit spasmus, & hectica, &c. huiusmodi vitium Libido, & Impudicitia dicitur, & Incontinentia: quæ fælicitatem promittit, & infælicitatem parat incautis. Nec etiam paucissimis vicibus coitui vacemus, nullisue, ne retentum semen amplius concoctum, acriusque redditum, generet satyrismos, priapismos, vteri strangulationem, insanias, aliaque huiusmodi, dum calefactum in acres, venenososque vertitur humores. qui per corpus discurrentes, variis ipsum oppugnant modis, & in caput ascendentes, horribiles visiones pariunt nocturnas, nisi sponte semen egrediatur dum prurit, ac spiritus titillatione inuitatus accurrit, effertur que foras ad apprehensam imaginem fallacem, aut per vrinam excernatur, vt Religiosis contingit.

Virginitas cur non est vitium sicut sterilitas voluntaria.

2. Qui non quia mala sit generatio, Virginitati student & continentię: sed quia huiusmodi carnalem generationem cum spirituali commutarunt, & Mentis ministerio mancipati, carni renunciauerunt: humanaque bona despiciunt, vt æternis potiantur. Naturale est hominibus negotio non addictis, strenuisque corpore, generare. At sacerdotes, Philosophique ingenio præualentes, contemplatione flaccescunt, nec proindè ad venerem idonei sunt: At frequenter si genuerint, filios suscipiunt ignaros, rudesque. Paucos enim transfundunt spiritus, quia paucos habent, & pars ipsorum magna à capite contemplationi dedita, non decurrit in coitum. Quapropter prę̄stat ipsis parare in animis iuuentutis formosę virtutes suas, quas illa, diuturnioribus propaget temporibus, amplificetque; quàm filii solent à Patribus sæpè degenerantes.

Castitas quid decernat in Politica.

3. In Politica virtus isthæc prohibet seminationes, & copulas, generationem, & pacem inter ciues destruentes, & honestatem naturæ: non enim filius in matrem suum principium ascendit. Item coniungit mares, fæminasque secundum proceritatem, strenuitatem, sanitatem virtutemque illis ęquam, & non secundum dotem, & diuitiarum æqualitatem. Ac vnum vni. Si enim omnibus copulari possemus, pulchras tantummodo aggrederemur, quæ non conciperent, quoniam actio prioris feminis, aliorum seminum actionibus deturbaretur, vt in meretricibus: nec certus prolis, qua seruaretur, esset quisquam. Non tamen plurium, & in alio gradu est prorsus naturæ aduersa copula. Lex à Deo lata, quæ virtus est communitatis, & non vnius modo indiuidui, huiusmodi actus sit regula. Natura animalibus cum matribus coitum negat, vt in equis interdum experimur. Natura rationalis etiam cum sororibus. Columbi enim sororibus, & omnia bruta miscentur: & filii Adæ in principio Natura legalis propter honestam cohabitationem, & propagandam concordiam inter familias alios vetuit gradus coniugiorum.

Patriarchæ plures vxores duxere, nec est contra naturā generationis & educationis, sed [illegible], vide Theol.

4 Sterilitas non voluntaria defectus naturæ est, non vitium electionis: cum deficientia caloris in genitalibus, aliaue passio fit: qui autem spontè, vbi, & quando non

non generet, seminat, contra Opificem naturæ operatur. Qui cum bestiis affinibus vt cum simia & simio, ex quo mulier Lusitana pridem genuit duos, deprauant naturam adulterio naturali, deteriorique legale maculantes.

5. Sequitur virtus educatiua prolis, sed supra de ipsa diximus, & in Oeconom. & Polit. & in Ciuitate solis.

De Tertiæ Conseruationis Virtutibus, quæ est in fama.

CAP. VIII.

Non modo à filiis, & in filiis conseruatur homo postquam in se: sed etiam ab amicis hominibus per mutua auxilia, & inimicis per famam: Immò quot amicos sibi facit, tot homines ipse fit, & qui viginti amicos habet, etiam viginti vnum capita habet, & quadraginta duas manus, totidemque oculos, totidem pedes: & in tot locis est, in quot ipse, & illi: & tanto tempore viuit, quanto omnes illi: & illis in alios multiplicatur successores nomen eius, vt palam est de his, qui olim virtute claruerunt, nunc in fama viuentibus. Propterea illos sibi, & se aliis natum intelligens, expressit virtutes tres à tribus primalitatibus, quibus amicitiæ constantur, & retinentur, postquam cæperunt ex filiis primi hominis aliæ multiplicari familiæ. sunt autem istæ Beneuolentia, Beneloquentia, & Beneficentia: *quæ epilogum, & exemplar habent in amore proprio, proboque ad se, his in præceptis.* Quod tibi rectè vis fieri, velis, faciasque aliis. Quod tibi non vis, alteri ne feceris.

Tres virtutes erga amicos in duobus præceptis affirmatiuo, & negatiuo omnia officia explantur.

De Beneuolentia & suis partibus, & oppositis.

ART. 1.

1. Beneuolentia est regula bonum aliorum optandi eis, non quatenus tibi principaliter, sed quatenus eis est bonum. Sic enim facit amicum. Si enim amas tui gratia illum tibi, non discernis eum à seruo, & caballo, & boue, quibus bonum sanitatis, vt nobis, prosint, volumus: & vino bonum colorem, & saporem, sed nostri gratia. Verum est quòd ab amore proprio incipit omnis amor; sicut enim res alias cognoscit anima, quia se ab illis mutatam cognoscit, sic res alias amat, quia se ab illis benè affectam amat. Amo calorem blandum, quia benè affectum à blando me sentio; odi robustum, quia malè affectum, & crematum ab illo me sentio.

Beneuolentia est amor amicitiæ propter amicum & non propter se, modò, vt amor partis; & serui.

2. At quomodo gratia sui quis possit amari, non omnes intelligunt, licet exemplum matris, quæ adulterinum filium expositum amat, eique bona vult; quamuis nunquam bonum sibi ab eo speret, adducant. Haud tamen vident, quòd mater ex eo, & in eo sui imaginem, ac substantiam amat, quæ in aliis non inest. Propterea dicendum, quod quoniam omnes humanæ speciei sumus partes, & vnius Dei filii: alter alteri debemus bonum velle, licèt nec speremus: vndè ægros, claudosque videre abominamur, quoniam nostræ speciei nobis miseriam, ac proinde propriam repræsentant. Impius ingratusque proprio generi est homo ille, qui alteri malè vult homini; quamuis læsus ab illo.

Exemplum ab Arist. perperam intellectum.

3. Est Amicitia reciprocus amor, mutuisque officiis confirmatus, propter vtriusque vtilitatem, honorem, & iucunditatem. vndè amor fœminæ impudicus non est Amicitia, quia tibi vis ab ea voluptatem, & non bona alia ab ea, nec tua illi, nisi per modum emptionis, licèt multa profundat deceptus voluptate quis in eas; Sicut & febricitans sua passione victus seipsum perdit. Amicus Alter ego. Qui non potest esse ego, nec amicus erit. Ideo Deus nos deificat, vt faciat sibi amicos. Volumus amico bona animi in primis, deinde corporis, deinde fortunæ, sicut & nobis & filiis nostris, Mala opposita eodem ordine nolumus.

Quid est Amicitia.

Diuiſio Beneuolentiæ in ſpecies. 4. Proptereà partitur Beneuolentia in Benignitatem, & Miſericordiam, & Indignationem.

Benignitatis actus & perpenſio. 5. Benignitas non modo perpendit, quod quoniam eiuſdem ſumus familiæ, aut Reip. membra, proſunt aliorum bona nobis directè, vel indirectè per permutationes, & exemplum, imitationemque: Item quia quibus deſunt bona ſua, indigent noſtris, ideoque furto vel ſponte oportet eis communicari: & qui bonis corporis, & animi carent, aliis prodeſſe nequeunt: poſſunt autem incommodare, ſicut manus arida eſt oneri reliquo corpori, non auxilio: ſed etiam quod genus vileſcit humanum, & nos in eis, proptereà gratulatur aliorum bonis.

Miſericordia. 6. Et eadem quandò aliorum miſeriis condolet, cum deſiderio auxiliandi, vocatur Miſericordia, non quà dolet, ſed quà vult auxiliari.

Indignatio. 7. Quando moleſtè fert ſceleratorum bona, quibus in aliorum virtuoſorum perniciem abutuntur, dicitur Indignatio.

Vitia Oppoſita.

Maleuolentia. 8. Maleuolentia oppoſitum vitium inimicos facit, aliis maleuolens, & ſe ipſum anguſtiat annihilatque, diciturque malignitas, quatenus aliorum bonis triſtatur, reputans illos quaſi teſtes propriæ ignauiæ, aut ignorantiæ, aut imbecillitatis, cuius cauſa timeat. Non condolet malis amicorum, nec hominum, & tunc vocatur Immiſericordia, & cum ſceleratorum bonis gaudet, Nequitia.

Immiſericordia. Nequitia.

9. E contra qui aliorum quantumuis nimis condolet malis, & quocumque aliorum bono pro modico congratulatur, & lætitia, prolixè geſtit: ille vitioſus eſt, eiuſque morbus vocari Mollities poteſt, ſpiritus tenuis, timidi, mollis, flexibilis, ſponteque miſeri, qui conſilium his paſſionibus obruit, ſeque cum aliis commutat & poſtponit.

Mollities.

De Æmulatione, & oppoſitis.

ART. 2.

Æmulationis neceſſitas, & laus. 1. INuidia Malignitati proxima nos admonet, vt de Æmulatione adnectatur ſermo; vt ergò mutuò ad bonorum omnium acquiſitionem nos concertatione inuitatemus, lata eſt in animo virtus quam Æmulationem dicunt, quæ aliorum diuitias, & valetudinem, & virtutes conſpiciens, animaduertit ſibi quoque ea bona conuenire, non quatenus illa ſibi vtilia ſunt, ſed quatenus ſeipſum in ſui ſimilibus ſpeculatur, & veluti hi poſſident bona, ſic & ipſe poſſidere debeat; imitaturque rationes quibus illi locupletes facti ſunt, vt & ipſe fiat. Et quidem cum homo ſe ſe bonis ſuperari videat, cõtriſtatur, contorquetur, deſtruiturque, & niſi potentiorès, ac ſapientiores imitetur, non conſeruatur. Neceſſaria fuit hæc virtus, quod huiuſmodi paſſiones moderetur, ne cupiat præſtantiorum exitium, ſed perſimilem illis euadere: eſt ergo ſignum ſtrenui, nobiliſque ſpiritus, qui nihil maceretur, niſi propria culpa, non ſi aliena, aut fortunæ conſpiciat ſe talem non eſſe, quales ſunt, quos probos opulentos, & virtuoſos admiratur, hoſce colit, tanquam quorum exemplo diſcit excellere, & quibus cupiat, ſperétque ſimilis fieri.

De Inuidia. 2. At inuidia oppoſitum vitium eſt ſuperbi, copioſi ſpiritus, impurique, cupientis videre eos extinctos, quos ſe præſtantiores nouit, ne ſint tanquam teſtes ſuæ ignorantiæ tumidæ crudeliſque.

De Abiectione. 3. Qui verò aliorum bona ſibi deberi non agnoſcit, nec æmulatur, vilitatis laborat vitio, Abiectioniſue.

De Beneloquentia & suis partibus.

CAP. IX. ART. I.

1. Beneloquentia est virtus regulans sermonem, vt sit nobis, & aliis proficuus, amicitiasque retineat, & bona nostræ mentis communicet: pandit amorem, salutat, laudat, bona imprecatur, doctrinas facit communes, suadet bona, vituperat vitia.
Beneloquentiæ functiones.

2. Secatur in quatuor partes, videlicet in Affabilitatem ex parte loquentis: in Eloquentiam, ex modo loquendi; in Benedicentiam ex parte eorum, ad quos loquimur; & Veracitatem ex obiecto locutionis.
Distinctio in quatuor species.

3. Affabilitas est regula exhibendi se ad colloquium aliorum; si enim non respondeas, nec facilè loqueris, tanquam rusticus eris despectus, & alii contristantur, & abs te recedunt: si semper, & cuilibet, & vbique loquaris, tanquam onerosus, & vilis eris. Igitur Affabilitas datur, vt faciles simus ad respondendum, & humanis verbis, quibus alliciantur Auditores, cum hilaritate, condescendendo etiam agasonibus, & fullonibus, amorosum se præbendo, salutando, bona imprecando; sic enim tenetur mutua Benedicentia, & virtus.
Affabilitatis quidditas & actus.

4. Obmutescentia est Austeritas, & Abstinentia quædam à sermone, vt vix dignetur amicissimis, & paucis responsum dare, salutare, & officia sermonis præstare: Vitium naturale melancholicorum fuliginosorum, qui pugnant intus cum sua fuligine, nec valent dignari ad alios spiritum effundere, intus occupatum, quod infirmis accidit multis.
Obmutescentia voluntaria vitium, inuoluntaria infirmitas.

5. At quando fit ex electione, vitium est grande, præsertim Magnatum & Principum, aut quia non dignantur se miscere aliis hominibus tamquam ipsi Dii, alii verò bestię; aut quia ignorantes sunt, & simulant sapientiam taciturnitate, cauentque testes habere indocti sermonis, Immò cohibent se à risu cum maximè ridere cuperent, vt videantur graues, & quidem sunt quale plumbum, non quale aurum.
De Taciturnitate.

6. Qui tacent quoniam responsum bonum reddere non habent, nec vellent malum, prudentes sunt, & dicuntur Taciturni.

7. Qui silentium obseruant, ne alios infestent ab orationibus, & studiis; Beneuoli sunt.
De silentio.

8. Qui secreta cælant, discreti, non autem qui verba negant vbi oportet.

9. Qui cum quolibet, & vbilibet inutiliter loquuntur, non affabiles, sed Futiles dicendi sunt.
De vitio futilitatis.

De Eloquentia.

ART. 2.

1. Eloquentia est regula modi loquendi, vt sermo sit clarus, & iuxta vsum eorum cum quibus loqueris, si linguam calles: nec peregrinam, & grammaticales voces vsurpes: Breuis, & quantus sufficiat expressisse quod cupis, sicut in Rhetorica declarauimus.
Eloquentiæ actus, & vis.

2. Eloquentiæ opponuntur Rusticitas, vel solecismus, & Dicacitas: illa quasi Rusticorum nescit loqui, perplexum texit sermonem, nunquam quod vult bene exprimit: vocabula, quæ exotica & ruralia, profert, quamuis sciat minus audiri. Idcircò nec impetrant quæ cupiunt, nec sibi, nec aliis satisfaciunt, & cætibus inuisi, & derisi habentur.
De solecismo & Rusticitate.

3. Loquaces verò sunt qui affectant verborum circulationem vbi non habent vocabulum selectum, peregrina, & grammaticalia attexunt: allegant semper Authores, vt docti appareant. Vitium Pedagogorum, & indoctorum hominum, volentium videri sapientes, & hi ridiculi, & iactabundi videntur, & vel ob hoc nec
De loquacitate.

in senatu, neque in cætibus aliis impetrant quod cupiunt; & posthabentur Rusticis, vt Metellus Mario. Quomodo autem in Poesi, & orationibus, & Philosophia sit loquendum, alibi dictum est.

Vide Philosophiã rationalem.

De Benedicentia.

ART. 3.

Benedicentiæ actus.

1. Benedicentia seu Benedictio est regula verborum ad Auditores circa sensum eorum, quatenus in ipsorum animis producit affectus. Itaque plures producit exindè effectus, salutat, precatur, laudat virtutes, vituperat vitia, corrigit peccatores, mitigat iras, solatur tristes, absentes, præsentesque, honorat, peccata aliena tegit, vbi non illorum, & Reip. detegere refert; bonum præbet exemplum; pandit doctrinam, & proficuas res.

Maledicentiæ species. Imprecatio.

2. Propterea huic virtuti opponitur Maledicentia, quę diuiditur in imprecationem malam, cum à Deo petimus malum Auditoribus, & aliis.

Turpiloquium. In Turpiloquium, cum de obscænis rebus tractatur.

Vaniloquium. In Vaniloquium, cum non seria, & quæ spectant ad rem.

Contumelia. In Contumeliam, quando tumentibus labiis iniuriam facimus.

Conuicium. Et Conuicium, cum de peccato iniuriosè lædimus.

Detractio. Et Detractionem, cum famam aliorum in secreto diminuimus.

Susurratio. Et Susurrationem, quæ dissidia inter amicos facit, dum interserit mutuas offensiones, & vitia.

Murmuratio. 3. Et Murmurationem, cum de aliorum factis, & dictis praua interpretatione tanquam nocentibus, aut minus bonis, obloquimur, & nil patienter absque murmure, ab eis toleramus.

Calumnia. Et Calumniam, quæ culpas alienas, quas probare non potest, vel non sunt, Iudici defert. Itemque falsum testimonium.

Blasphemia. Aliaque mala producit lingua maledica, exosa etiam Deo, cum eius nomen blasphemat, & cum pro gratiarum actione murmurat de Prouidentia, & Gubernatione Dei; & tribuit Deo quæ non habet, aufertque quæ habet: Quæ omnia quatenus prauos effectus producunt, & faciunt homines malos, aut nobis infestos; à Maledicentia sunt. Nam ex obiecto sunt impietates in Deum, & Maledicentiæ in proximum.

Similiter de responsis iudicato, quæ mollia frangunt iram, dura excitant furorem.

Linguæ virtus ad bonum & malum.

4. Et Mors, & vita in manu linguæ: Quot regna & familiæ corruerunt propter eam? Ipsa est etiam instrumentum Imperii, & Religionis, & sapientiæ; euellit, & plantat; destruit, & ædificat. Propterea summopere colenda virtus hæc, exterminandumque oppositum.

De Adulatione.

5. Cui in defectu opponitur Adulatio, quæ laudat quæcunque aliorum facta, & dicta, præsertim Potentium, bona & mala; redditque ignorantes, & sceleftos eos, qui sunt probi; confirmatque prauos in sua prauitate: obcæcat mentes hominum, laudis immensæ cupidorum, & in bestias, sicut Circes, reddit; Vitium meretricum, scurrarum, pseudoprophetarum, qui dicunt Pax vbi non est, & bonum vbi malum, vt à populis & principibus extorqueant pecunias, & honores. Nescio an peior sit Adulatio, quàm Maledicentia, si posset in Deum, vt hæc, grassari; non enim potes ita laudare Deum, vt excedas, quia maior est omni laude. At qui falsa miracula eius prædicant, si eius gratiam aucupari se putant, peiores sunt diabolis, quoniam Deum similem bestialibus hominibus faciunt.

De Veracitate & suis partibus & oppositis.

ART 4.

1 VEritas rei est entitas, vt correspondet ideę factoris sui, sicut verus ensis est, qui ideæ fabricantis ensem correspondet: sicuti autem in seipsis sunt res, homo non nouit, quia non fecit eas, nisi ex parte, & confusè: non ergo verus est omninò nisi Deus, qui veritas ipsa est, mensuraque rerum. Attamen verax homo est, dicendo res prout eas nouit, creditque esse, & faciendo, vt sit quod futurum promittit, & negando prout non nouit, & non faciendo quod non facturum pollicetur. Potest enim & verax esse dicendo falsum, quod putat esse falsum, licet sit verum.

Veritas in Entitate.

Veracitas in dictis & factis.

2. Munere testificandi sensus primo gaudet spiritui annunciando, prout afficitur: spiritus vero Menti testimonium reddit, & possunt fallere absque veritate annunciando rem, non sicut est, sed non absque veracitate: quoniam prout afficiuntur à re, ipsam testantur. Et hoc sufficiebat viuentibus seorsum singulis hominibus: At inter se & alios, & in corpore communi oportet, alterum alteri homines verum dicere: alioquin filii non crederent Patri, nec vxor marito, nec mercator agricolæ, nec discipulus Magistro, nec Dux militibus: itaque commercium, Amicitia, & Politica destrueretur.

Testis primus est sensus, qui fallendo potest esse verax, sed non verus.

Species Veracitatis.

3. Diuiditur autem Veracitas in plures Virtutes, vocatur enim veracitas in assertionibus, cum verbis quod latet in animo, exprimit.

Veracitas in sermone.

Fides in promissionibus, quando fit quod dicitur, vt vocabulum monet.

Fides in promissis.

Fidelitas in commissionibus, vt, cum quis se mihi committit saluandum, aut secretum credit non dicendum absque pernicie, etiam si mihi sit inimicus: nec promitto illud seruare, teneor ex hoc, quod me pro fideli habens, se mihi credidit: non autem si dolosè.

Fidelitas in commissis.

Simplicitas in ostensionibus: qualis enim est homo, debet se ostendere, aut si tegit propria vitia, non debet se venditare pro sancto, & virtuoso, verbis, vel factis.

Simplicitas in ostensis.

Claritas in contentionibus: quando enim tenetur homo pugnare paribus armis, & quando ostensio strenuitatis fit, non debet ex occulto adoriri, nec armis non visis. Victoria enim fortitudinis propria, non prudentię aut astutiæ.

Claritas in duellis.

Sinceritas in contractibus, & commerciis.

Sinceritas in contractibus.

Ingenuitas in conuersationibus.

Ingenuitas in conuersando.

De Vitiis Oppositis.

4. Opposita his vitia sunt, Mendacium veracitati, quo contra mentem itur, dicendo quod non est in animo, & negando quod est, sciens, volensque causa fallendi. Signum infælicissimi spiritus, impuri, fuliginosi, qui nec prout sunt sapit res, nec prout sapit enunciat; nec ad veritatem sui esse, & diuinam, cuius exemplari conformari debet, inspicit; sed breue, falsumque vtile, extraneum sibi: vnde seipsum annihilat, dicendo quod non est in mente, & sic reducendo suum esse ad suum non esse.

Vitia opposita Mendacium, eiusque malitia.

5. Fidei Perfidia opponitur, fallens spem alienam, & propriam frangens entitatem, pessundans commercia: humanum genus dissoluens: læthale crimen, & vbi promissio iusta, & à non mente capto. heu pestem sæculi!

Perfidia.

6. Fidelitati Proditio: dicimus enim proditorem, & traditorem qui amicum, & rem commissam hostibus, aut vbi in malum incidit, prodit, traditque. Ignobilis animi vitium, quod occasionem etiam se pro nobili ostentandi, vertit in sui dedecus. Alij produnt arcana, Alii patriam hostibus, alii scripturas & doctrinas amicorum sibi commissas, tanquam proprias vendicant, eduntque in lucem, quod deterius est, ac si victimares filium in conspectu patris. Simplices animo sunt proditorum Magnes.

Infidelitas & Proditio.

De Credibilitate & oppositis.

ART. 5.

1 PArum stat veracitas in Rep. & inter amicos nisi ei credatur: nec credendum omnibus dictis omnium hominum, nec nullis, eum mendacia tot, & falsitates experti sumus. Regula ergo credendi vocetur Credibilitas, cuius obiectum est Fides in promittentibus, Veracitas in assertionibus, & propterea capitur aliquando pro credibilitate.

2. Hi quibus credimus non sint decepti, nec deceptores: ergo debent scire id quod dicunt, & posse absque timore dicere: & velle dicere. Quaproper his sapientibus, & non timentibus, & recte volentibus credendum est omninò, quando loquuntur tanquam testes: At quando tanquam opinantes, opinare & tu. Ideo plus credam Columbo testificanti de altero hemisphærio affirmatiuè, quàm sancto Augustino opinanti negatiuè. Verbis Dei credamus, vt intelligamus, verbis hominum intellectum, & experientiam adhibeamus, vt credamus, vbi testes oculati non sunt.

3. In sermonibus vulgaribus Vrbanitas est credere, & voluntaria: vbi nihil refert credas ne an non: vbi refert, perpende.

Fides dicitur à fio & dico quia fit quod dicitur. ideo propria est promittentium.

Credibilitas ergo est eorum quibus promittitur, aut dicitur aliquid, & hæc vocatur fides ab obiecto vnde fides catholica dicitur quæ Deo dicenti, & promittenti credit.

Non est credendum nisi homini, qui non est deceptor, nec deceptus, & coget tribus primalitatibus vide Metaph.

Vrbanitas est credere vbi non refert veritas dicentis.

De Oppositis.

4. Opponuntur credibilitati Credulitas & Incredulitas: illa leuis animi est cuicumque opinanti fidem adhibentis: spiritus enim tenuis facilè mouetur omni vento doctrinæ, & loquacitatis. stulti qui nouis hæresiarchis absque miraculis, & sanguine, & Deificatione credunt, quoniam nolunt scire examinare accusationes eorum in veterem Religionem. Puerorum & Anicularum, & commodum capientium ex credulitate, est hoc vitium.

De credulitate & incredulitate,

5. Incredulitas duræ ceruicis, nescit examinare veritatem, & testimonium. Quod semel hausit, obstinate tenet, quidquid syllogizabis, pro falso habet. Aliquando non credunt Prophetis, & credunt inanibus scientiis: Indigent baculo, & decipi volunt. At non sic in foro, vbi emptores, & venditores tot mendaciis conuersantur, quæ & norunt: sed viuat victor per credulitatem, & incredulitatem: Bone Deus, quis tanta corriget mala? scribe: operam perdis. Quid mirum? Incredulitas, & credulitas mundum volentem decipi, subiugatum omninò calcant: Illa sectariorum, ista sectantium est.

De Rogatione & suis Oppositis.

ART. 6.

1 PRætereà quoniam nemo ita sibi sufficiens est, quin aliorum ope indigeat, nec si Rex sit: Immò quo maior est in Politica, eo indigentior. Hinc militum, & seruorum, assistentium, & ministrantium copia: Voluit enim sapientia, vt omnes aliorum operam mutua indigeant, quo alter alteri beneficus fiat, nullusque iners, diffidens, officiis vacuus. At quidem quoniam indigentias nostras non omnes sciunt, percipiuntque; quas si taceamus, pereundum est, vel incommodissimè viuendum, & sunt qui scientes nisi rogati non auxiliantur. Sin vero quacunque pro re à quocunque petamus auxilium, victum, vestitum, defensionem, aliaque necessaria mendicando: tunc & nos odiosi erimus, tanquam fuci iurtes, aliorum viuentes labore: & Politica peribit: si omnes, nullo laborante mendicabunt: Nec enim erit, qui nobis bo-

Necessitas virtutis quæ dicitur Rogatio, quæ licet secundum vocem sit actus, & actio, secundum rem virtus est, vnde actus.

na exteriora, nec corporris, nec animi nobis det, omnibus mendicantibus, & nullo laborente: neceſſaria ergo eſt regula petendi quæ oportet: & quando oportet, & à quibus obtinere poſſimus, innominata Priſcis, ſed quam ſapientia commendauit. Petite (inquit) & accipietis, pulſate, & aperietur vobis etiam in media nocte: nam ſaltē propter importunitatē dabunt vobis. Eſt virtus hæc Beneloquētię ſpecies quatenus ſibi prodeſt, non quia aliis vtſpeciesiam dictę: vocatur ergo Rogatio, quæ quid petamus, à quo & quomodo, & vbi & quando admonet.

quid, quando, quantum & quibus petendum.

Profectò cum petitio declaret indigentiam, quæ vel culpa, vel forte nobis accidit, verecunda eſt. Quilibet enim ſuia infortunia, & culpas declarare exhorreſcit, niſi vbi neceſſitas cogit, & culpæ excuſatio, vel ficta adeſt: Quapropter non quamcunque petemus rem, nec quandolibet: ſed qua egemus, & vbi egemus: impudens enim in Maio petet panem pro in Menſe Augusti futura indigentia: & quando qui dare vult, non habet: Item quando in vrgentiori negotio eſt occupatus, quam tua neceſſitas eſt: nunquid rectè petes ab eo vt tibi narret hiſtoriam Romanam, aut viam ambulet longam tecum? Nec panem à famelico petes, nec à Rege, vt tuam de luto ſubleuet aſinam, nec à medico calceos, ſed medicinam, & à quolibet id, quo abundat. Cùm autem nemo habet, pete à quocunque, quia forſan aliquis habet, ſiuè notus, ſiuè ignotus. Petes autem bona animi audenter, nunquam tamen non humiliter, vt conſilium, doctrinam, legis explicationem. Nec quia ſenex verere, peius enim & turpius eſt ignorare quàm addiſcere. Petes corporis bona, audentior, quando ægrorus, aut cecidiſti, vt ſaneris, ſubleueris. Bona exteriora pariter in egeſtate, vt victum, & veſtitū ſi non ex ignauia, & inertia leges, ſed quia ſpoliatus à latronibus, afflictus in carcere &c. Ab his qui tibi debent, liberius, ſed non tam quam debitum poſcens, ne pudefiant: ſed tanquam beneficium, vt generoſius, & hilariter dent. Eris etiam importunus vbi durus eſt benefactor, & poteſt, & tua vrget neceſſitas: maximè autem ſi debet, vt amicus ratione amicitiæ; iudex quia ad faciendum iuſticiam eſt ſtipendiatus: à Magiſtro, quia ſcit docere, & debet: omnis enim homo omni homini amorem debet, & beneficiū: maximè autē coniunctiores, & qui ad hoc ſunt electi munus, & qui abs te acceperunt, & qui pollicentur vltrò: Et quidem hi non ſolum malefici ſunt, ſi non præſtant, quod petis: ſed inſuper ingrati, & fidei, & ſpei proditores, præcipuè qui bona animi abs te acceperunt. ſi enim vobis ſeminamus ſpiritualia, quid magnum eſt, ſi veſtra beneficia carnalia metamus? Propterea etiam licet Monachis petere neceſſaria à populo, pro quibus in ſpiritualibus laborant, vt omnium gentium facere ſecerdotes. Nec inertes ſunt, quando per ſapientiam, & orationes, & bonum exemplum ædificant, & deificant genus humanum: ſi quis rectè contemplatur, proptereaque ſe obligant etiam non petentibus ſpiritualia miniſtrare: quæ mechanicis artibus miſcere, minuere eſt. Non petes autem ſuperflua, ſed neceſſaria, & quæ cum virtute non pugnant: nec enim à muliere ſtuprum, quamuis parata, nec à latrone vt furetur, detque altari. Denique quidquid aliquo iure, ſiuè diuino, ſiue naturali, ſiuè humano nondum cadauetoſo negari poteſt, nec à dare parato petendum eſt.

Quid & quomodo petendum ab inferioribus.

3. Dicitur petitio hæc Rogatio, quoniam & preces, & reuerentiam, & ſubmiſſionem habet: qui enim alterius ope indiget, ſubmittitur illi in eo quod indiget. At Princeps, & Dominus petit à ſeruis tanquam debitum ſine precibus id, quod tanquam publico capiti debetur ei, aut tanquam Domino, ſicuti caput membris ſtatim imperat, ſed non abſque cauſa. At in quibus Dominus eſt ſeruo æqualis, non poteſt imperioſè, ſed humiliter: nec enim à piſcatore piſcem niſi denario petet, & cum non habet rogitet, nec à populo tributa noua, & ſuperflua, præter indigentiam hoc enim indignum, & contrà virturem, ſicut ſi caput petat ad manum vt fronti lucoſam laminam, aut cornu impingat, vnde fædatur caput, & manus.

Rogatori quid cauendum, & rogato cur differēdum.

4. In petitione caue importunitatem, & arrogantiam: fatere neceſſitatem, ſicut & cæteri homines, te perpeti, & ius petendi, atque impetrandi propterea habere. & vrge ſi habens negat, quo modo tuam patientiam experiatur, & an verè indigeas, an velis dato malè vti, vel quia obligationem non agnoſcis mutuam, ſi citò dat, beneficij

ficii magnitudinem ignoras, & pro nihilo habes: his enim de causis licet prorogare largitionem, & cum illi commodius quàm tibi est, quod petis.

5. Merita propria debitum illius necessitas, & honestas causæ precibus importunitatem addere possunt debentibus, præcipuè autem si in illius cedit bonum: tunc enim arguere, obsecrare, increpare opportunè & inportunè licebit: si non dederint, insuper ingrati sunt: quia preces sunt quædam prætia, quibus acceptis, nec dant: dolendum illis potius ergò quàm nobis. Quæ possunt rogantem animare.

6. A Deo autem quæ Deo digna sunt petere debemus, & nobis bona; & quoniam ignoramus, an proles, vxor, res, diuitiæ, sanitas, & cætera bona corporis, & fortunæ, & scientia etiam animi nobis profutura sit; Propterea Socrates à Deo non nisi vt det nobis bona, vti sibi placet, petendum duxit, nec vt voluntas nostra consequatur quod petit, sed vt appetat quod bonum verè est. Rectè sane: sed tamen & virtutes, & bona corporis, & exteriora, quoniam sine ipso factum est nihil, quatenus ordinantur ad virtutem, & ad vitam æternam, quam solam à tanto datore petimus, petere licet. Atque ne det, si in malum exitum erit, vt vergant; aut vt bene, & ista vertat: & si non dat, etiamus salubriter importuni. Neque enim caput obtundimus ei, cum petimus, immò importunos nos existimat, quandò importuni non sumus. Sicut Pater si non instanter, & semper quæ virtuti conferunt ipsum rogamus, nos pro degenerantibus habet: Gaudet enim nostro amore ergà bonum, ex hoc plusquàm tristatur erga malum. Nullus enim Artifex in suo artificio culpam non odit, quasi in causam videatur redundare sui culpa effectus, propterea sic nos sibi deuincit, assuefacitque suo in amore, & consortio. Differt etiam Deus ob hoc ipsum, quod vult dare, obque prædictas paulò ante causas. Prætereà cum petimus temporalia à Deo, recognoscimus ipsum Auctorem visibilium, & inuisibilium, contra hæresim, quæ sola inuisibilia à Deo bona credit. ita tamen vt cùm nos petimus, quæ per nos possumus acquirere, simul laboremus, & petamus. Qui enim expectat, vt Deus mittat sibi necessaria ociosus de se, non de præcepto Dei, vt Helias: is tentat Deum, vel de potentia, vt videat num possit sibi parare mensam in deserto; vel de sapientia, cùm petit eam scientiam, quam ipse de se potest adipisci; vel futurorum, quandò nihil ad ipsum pertineant, vel de amore erga nos, cùm signum salutis ab eo neglecta poscit medicina. Quæ facienda non sunt, sed supponendum Deum esse omnipotentem, omniscium, & omnivolum; & cum per nos, & per humana media non possumus, tunc rogandus est, vt miraculosè auxilietur: cum verò possumus, operemur rogantes vt nostrum adiuuet laborem, quoniam sine ipso nihil facere possumus. homines autem tentare possumus, an diligant, an sciant, an valeant, vbi nostrum, vel ipsorum, vel Reip. experiri interest. Quid à Deo petendum.

7. Qui autem petere non vult ea, quibus indiget, & videatur contemptibilis, is superbiæ, & iactantiæ vitio laborat, sic nec Deum rogauerunt Gigantes in sua robustitate confisi. si verò quia se indignum reputat, vel ex hoc se dignum faciet, quià proprias miserias confitetur: si verò non petit, quià non intelligit viuendi rationem, exiguitas est vitium eius, inertiæ soror; cùm enim nullus sibi sufficiens sit, attibus, & exercitiis se se dedicat, vt benefaciendo beneficia recipiat, & cùm non potest, petit, & accipit, immò & furabitur, quoniam communia sunt omnia ante Politiæ institutionem in natura: postea verò in necessitatis tempore. De Iactantia & exiguitate.

8. Qui autem omnia ab omnibus petit, ociosè viuens, is petulantiæ vitio tenetur, quod ex ocio, & inuerecundia nascitur; non enim vult laborare, & non pudet se indigentem earum rerum declarare, quæ vel in vilibus opificibus abundanter admiratur. De Petulantia.

Prætereà petens à quo non debeat, à non habentibus extrà tempus, & locum, & quæ sibi parum prosunt, & quæ vitiositati deseruiunt, deterior fuco, quem apum ex Rep. expellimus. Idcirco illi nebulones, qui se infirmos fingunt; immò crustas, & vlcera sibi affigunt, ac interdum brachia sibi truncant, vt extorqueant eleemosinam, ferendi non sunt: At neque illi, qui in aulis Principum nugantur, parasitantur, & petitionibus ita inhiant ex consuetudine, vt pudefiant, qui non dant tanquam illiberales; & profectò liberales essent, si eos sui vitii admonitos, vacuos ad verecundiam

dimitterent. Quid dicam de Ergastulariis, immò de Præfectis, & Magistratibus, qui ex pauperibus munera petunt, & extorquent per secretam vim: & si quandò rogant, rogatio eorum, præceptum est miseris.

De Beneficentia & oppositis.

CAP. X. ART. 1.

Beneficentiæ regula ad omnes.

1. Beneficentia generosa Virtus, non ex coactione præcepti, & Iustitię, nec ex spe vtilitatis, diuinum, præclarumque existimat benefacere, bonumque suum in aliorum effundere vtilitatem, non tanquam escam in hamo, sed sicut fructum exuberantis naturæ, de sua excellentia confidentis, & sibi, & aliis vbi bonum illius, cui fit, nostrum exuperat damnum. Itaque benefacere non indigentibus, sibique subtrahere, aut egenis, negat ratio, omnis autem virtus ratio est.

2. Mori pro inferiori, ac viliori, non est Beneficentiæ opus; at pro Patria, & pro multis, bonis præsertim, maximè est.

Regula infallibilis.

3. Et regulariter qui præfert totum parti, & communitatem particularibus, & coniunctiores minus coniunctis, & præclariores deterioribus, non fallitur; imitatur enim Deum, gratia totius partes curantem, & herbas pro bestiis, & bestias pro homine, & deteriora pro melioribus facientem. Interdum pro deterioribus beneficus moriens, non pro illis, sed pro virtute, & Dei amore, cuius sunt factura, mori arbitratur. Item seruatur in seruatis, viuitque moriens in honore; quod est breuem, & angustam cum longa & ampla vitam commutare.

Itaque beneficiendum est illis, à quibus bona non speramus nec maleficia, immò etiam si maleficia; sic enim operationes edimus generosi, & puri, & confidentis spiritùs, qui propterea benefacit, quia melior est, diuiniorque aliis per virtutem, sicut Deus omnibus benefacit, quia optimus, solemque suum oriri facit super bonos & malos, non quia à nobis aliquid concupiscat, cum nullis indigeat, sed quia suæ Bonitatis exuberantia iubilat: vnde Papa, & Rex præcipuè huic virtuti tenentur.

Mensura beneficiorum.

4. Beneficia mensurabis indigentia recipientium, oppressis defensionem, famelicis cibum, aduenis hospitium, nudis vestem, mestis consolationem, perplexis consilium, ignorantibus scientiam, peccantibus correctionem, & passis vim iustitiam, liberationem captiuis præstando: oculo eris cæco, & pes claudo; non autem oculus claudo, & pes cæco: nec omnia vni, nec multum aut parum, sed vti potueris ita esto misericors id est in facto, id est beneficus. Misericordia enim in facto est Beneficentia. Hæc virtus lapis Lydius est in quo homo propriam, & alienam beneuolentiam, & beneloquentiam probat: ô quot dixerunt, & ità se facturos voluerunt, & crediderunt se fore paratos mecum, & in carcerem, & in mortem, factis autem retrocesserunt, aut contrarium præstiterunt; & sic tandem intellexerunt, quòd verbo, non voluntate stabili, sed affectione quadam bona, præsentibus ex rebus excitata, non fulcita Potestatiui Imperio, & futurorum præuisione, sed decepta suasione tantum; amauerint facilè, & beneuelle, & benè loqui amicis; sed cum ad benefacere, prout oportet venimus, hic opus, hic labor, vacillatio, metus amissionis fortunarum, vitæ, famæ, deliciarum, commoditatum, omnia turbat: cum facta exigis, reddunt verba, & consultationes, & ad aliorum auxilium quasi oportunius te remittunt. Omnia facere paratos pro te aiunt præter id quod postulas, & in hoc mentiuntur, & malefici sunt.

Maleficentia est etiam omissio beneficentiæ, & cõmissio maleficii.

5. Est enim Maleficentia oppositum vitium in omissione & commissione prauum; siquidē non succurrere indigenti, cùm possis, & non satagere omnibus viis, vt possis quod non potes, malefici animi præposterè est; nec quia putant se velle, & non posse, excusantur, cum facta diligentia, possibilitatem nancisci contingat: Vndè & Deus quasi contrà se factā præuaricationē, pœnis adiudicat æternis eos, qui non cibarunt famelicum, non liberarunt captiuū, tanquam ad se nihil pertinentē, aut quasi impotētes;

quantò magis puniet eos, qui captiuos nec visitant, & impedientes opera beneficentiæ: sed maleficentiores amici, qui se nobis pollicentur, cum opus fuerit præsto esse, deinceps vocati, excusant se, spem frustrantur, & proditotum iudicio puniendos se ostendunt; forsan etiam deteriores sunt, qui etiam malefaciunt absque dubio, si amicis, aut ignotis: sed qui delectantur maleficentia, diri sunt humano generi, pestis, & flagellum, sæpè cum diabolis conuersantur, vt discant maleficia, & nihil non audent, cum sint timidæ sæpè mulieres, & viles homines, quia vilitas crudelitatis est mater, vbi spiritus est impurus. Bonos semper extinctos volunt, quoniam anthipatiam secum habent: tyramni verò maleficentissimi omnium, prodentes iustitiam sibi commissam, quia viles prauique: Philosophos & Prophetas, & Dei amicos interficiunt, retinent abiectos homines, illis ab Aula eliminatis: quoniam conscii sibi sunt se se indignos esse qui imperent præstantioribus se, aut vbi testes adsunt sapientiores suæ ipsorum vitiositatis, aut ignorantiæ hostes. quos sanè haud expellere, neque occidere, sed cedere illis dominium deberent, aut in partem regiminis aduocare, ipsorum consilio, sicut Pharao Iosephi, viuendo.

6. Qui autem è contra nulla habita discretione, & electione cunctis beneficia confert, & vilibus, & indignis, & quæ opus non sunt recipientibus; vel cum locus & tempus importuna sunt; vel quæ sibi opportuna magis: itaque tollit verè mærentibus, veréque indigentibus benefaciendi facultatem: hic non maleficus est, sed ignarus, aut pusillanimis ab omnibus emens securitatem, aut gloriolam inanem Eius vitium innominatum est, possetque dici Incommodatio. Is enim & sibi & aliis incommodus est: sed qui dat munera, & qui accipit ad peruertendum iustitiam, & malefaciendum, vterque maleficus elicitiuè, sed auarus & mendax aut, &c. imperatiuè. *De Benefactore ignato, & incommodo.*

7. Hic problema est, quisnam magis diligat benefactor, an qui accipit beneficium, & quidem benefactor, quia suam bonitatem in alium diffusam amat: qui autem accipit, nihil sui diffundit, sed obligatus remanet, vnde *Beatius dare, quàm accipere*; *Chrys.* quoniam exuberantis est illud, hoc indigentis, vt sapientia docuit: vnde vir sanctus etiam plus debere benefactorem beneficum accipienti, quàm è contrà, paradoxum dixit: nam lucratur famam, & amorem ab omnibus, & à Deo præmium. Beneficiatus verò non nisi id parum, quod accepit, & pro quo obligatur: ergò, inquã Pater plus debet quàm filius? Problema verum est quo ad circumstantias, non quo ad essentiã actus.

De Gratitudine, suisque contrariis.

ART. 2.

1. IN generosis qui requirunt fructum boni operis sui, non donum, ex diffusa in alios bonitate, non erit tranquilla beneficentia (Dixit Deus) in vulgaribus autem extinguetur: propterea addidit filiam illi Gratitudinem. Hæc reddit benefactoribus beneficium quando potest, & quando illis prodest; ac plusquàm accepit, reddit vbi potest, & sic prodest; saltemque verbis gratias agens, ostendet se obligatum, memoremque: & hoc quasi principium fructus, non præmii, & vsuræ; non autem animo rehabendi excedat nimis: esset enim vilitas beneficia beneficiis emere. Nam propriæ confisus virtuti, beneficia donat sine cambio. *Ingratitudo extinguit Beneficentiam inculpantibus, contra [illegible] in generosis Benefactoribus.*

2. Similiter qui reddit non indigenti indigens, vt subitò, & intempestiuè; huius vitium innominatum Exgratitudo dici potest, quia extrà Gratitudinem fertur. Deo, & parentibus, & Magistris scientiarum non venditarum, vt indocti sophistæ faciunt, par reddere non possumus, vt inquirunt; sed hoc de Deo verum: si enim factus es melior, & doctior, patrem à morte liberas, & magistrum ab ignorantia: reddes illi vitam, quam dedit, & huic doctrinam: immo & suprà par huic aliquando. Deo autem non modo de prosperitatibus, sed etiam de infortuniis gratiæ habendæ sunt, longe magis ac parentibus, medicis, & magistris de plagis, nedum de blanditiis, nosterque in his abusus incusandus modo est. *Quid exgratitudo.*

3. Qui verò statim reddit beneficium, quasi nolens remanere obligatus reddere, *Benefactor obligans, Beneficiatus-*

quæ se soluens in-quàm beneficiorum huiusmodi vitiosi sunt.

cum alius habuerit opus, aut indignatus debitum, Ingratus est, sicut & benefactor conferens aliqua beneficia, vt possit exigere maiora, aut tenere obligatum eum, cui confert. & cum euenerit tempus conferendi alia, negat, existimans pro prioribus se renere amicum hamo, nec plura debere, vt quidam discipulus noster: is non beneficus est, sed malefactor, & vsurarius; vsura enim est in quacunque beneficii mutuatione, nedum pecuniæ, immò durior in multis, propriaque illiberalium hominum asturorum, & auarorum, qui non benefaciunt, quia bonum est, diuinumque opus beneficium, sed expandunt ipsum sicut rete in capturam piscium, pariterque ingratus, dum reddit, vt plus rehabeat. Itaque qui preces expectat, vt recompenset beneficium, duplicat prætium. Nulla enim honesto homini maior merces precibus, & quod præcibus impetratur, maximo pretio emitur.

Vsura est in omni beneficio, & non in pecunia tantù.

Ingratus etiam contrariè.

4. Item qui non reddit quantum, & quando potest benefactoribus, præsertim indigentibus, impurus, vilis, superbusque videtur. Hic extinctum optaret benefactorem aliquando, cui par reddere nequit, aut non vult ex auaritia, aut voluntate benefaciendi alteri, aut socordia pigritiaque: sæpè etiam odit vitam illius, cui se obligatum nouit, & hoc superbiæ est. Inuider aliquando, ô scelus execrabile. neque enim dolendum est, si quis diuitiis nos exuperet, & facultate benefaciendi, sed puritate, & voluntate, quam æmulari, non inuidere, debemus. Beneficium maximum quo beneficiatus suprà benefactorem exaltatur, maleficiis rependitur semper ab immeritis, & vilibus: cauè ne exaltes istos ad tui paritatem, multoque magis ne ad superioritatem.

De Æquabilitate, suisque contrariis.

CAP. XI. ART. 1.

Æquabilis esse etiam superior & subditus.

1. DAta est Æquabilitas, vt qui honoratur honoret honorantem, propria excellentia & virtute gloriosus, non autem honoribus, qui illius sunt signa. hic electus in Regem, aut Papam, tractabit se quasi vnum ex subditis, quos colit tanquam minores fratres, qui ipsum sibi quasi maiorem præfecerunt, vt illorum bona animi, & corporis, & fortunæ curet, doceatque omnes benè viuere exemplo suo. Doctrina & lege: pascat prouidendo necessaria, defendat armorum vi ab hostibus, & lites, & iniurias iustificet. In hos seruet Imperii potestatem, non subditi humilitatem: Non enim excedit ex arrogantia, sed in suorum vtilitatem, sicuti caput iubet, & imperat in beneficium membrorum, non superbè, sed quasi vnum ex membris: superfluitates, & delicias, & res quæ ab hoc proposito illum diuertunt, amputabis. Si verò subditus fueris, obediens maioribus, non ex timiditate, neque ex adulatione, sed quia tanquam membro Communitatis conuenit, sic in bonum totius viuere: nec te minorem ob hoc reputabis, sed optimum in loco tuu, si virtute illum seruabis.

Arrogantiæ actus.

2. Arrogantia vitium est contrarium, non reddit responsum, & salutationem, insitata appetit, vt facientem quod nemo, admirentur omnes, omnem sibi gloriam vsurpat, in vestibus, in confessu, in conuictu, supereminere cupit; alios spernit, tanquam non homines: si ipse in dignitatem ascenderit, non pascet populum, sed seipsum, curamque aliorum vertit in se, & non suam in alios, nec loqui, nec videre dignatur: quasi statua Dei, & Idolum comparet. Signum superbi, vilisque animi, qui se carere excellentia conscius, excellentem se saltem ostendere cupit in præreptis honoribus, quibus nec dignatur alios: & dum illis caret, anxius est, infælicemque se reputat obedire nesciens, nisi ex timore, & aucupio gloriolæ. Nam quando extorquent vile ministerium, aut verbum blandum à suo Rege, iactant se, tanquam potitos cælestis eminentiæ. Instrumenta Ministerii quasi claues paradisi inaurant: lictorum insignia, quasi Imperii fasces.

De Adulatore arrogante.

3. Qui verò plus honoris reddit, quàm accipit, & blanditur honorantibus, tribuitque illis plus gloriæ, quàm mereantur, ex hoc Adulator dici potest; abiecti, timidi, ignauique animi, mendicantis excellentiam, qua caret, illam cæteris largiendo ca-

rentibus, vt sibi reddant, restituantque abundantius: aut non noceant: verùm potius adulatio ista ex arrogantia imbecilla nascitur.

4. Abiectus ergo qui omnibus se subiicit, non ex humilitatis virtute, sed vilitatis conscientia.

De Protestatione, suisque speciebus, Landatione, Honorificentia, Cultu, Fama, Gloria &c. & Oppositis.

ART 2.

1 PRotestatio vt nomen sonat, est testimonium arbitrarium de rerum bonitate, & malitia decentes prout se habet ad finem. De Abiectione.

2. Quidquid indicat aliquid quomodolibet, testimonium illius est, vt fumus ignem à longè declarat, & omnes effectus causas, & è contra, testatur: & tota rerum natura auctoris est testimonium: diximus arbitrarium, quoniam virtus moralis, de qua est sermo, non est testimonium physicum: & quando sapienter disputamus de Deo, qui est summum Bonum & primum ens, illud est testimonium sapientiæ, non arbitrii, & pertinet ad quidditatis enucleationem, non ad moralem intentionem. Dicitur Bonitatis, & malitiæ, siue Metaph. siue Physicæ, siue Moralis ad differentiam testimonii veritatis, & falsitatis, non inquãtum bona vel mala. Item quia hoc testimonium regulat Protestatio, illud sapientia, cui res sapiunt prout sunt. Non enim Moralis laudat pulchritudinem & vinum prout sunt: ideoque additur prout se habent ad *finem*. Non enim Moralis laudat pulchritudinem & vinum, *prout se habent ad* mata, & delineata, sed prout se habent illa ad delectandum, istud ad potum. est autem finis rerum perfectio ipsarum, & vsus ipsorum ad ea, quæ vsu bona conquiruntur, siue sibi, siue nobis. Nam vtrosque fines Moralis Protestatio respicit: Vnde Deum laudamus tanquam bonum summum sibi, & tanquam nobis, laudamus, honoramus, & colimus. Diximus *decenter*, vt virtutis rationem constituamus: cum enim non dixissemus esse regulam testimonii, sed testimonium, nequaquam virtutis rationem habet, nisi decorum addidissemus, & consulto factum est: quoniam etsi in omni virtute decorum sit necessarium & omnes causæ actus virtuosi, prout decent, tam essentiç, quam existentiæ adsint: tamen in Protestatione expressius, & luculentius innotescunt. Non enim pinguissimus *decenter* absque sui accusatione commendat ieiunium, nec Veneris forma vituperatur, sed impudicus abusus, decenter. Nec decenter idolo Peruini Deo suo pro reuerentia ostentant nates, cum non nisi in honoratio sit, turpes partes offerre: peccant in re, & in modo. Aiax decenter accipit in testimonium fortitudinis ab Agamemnone cornua bouis: indecenter accepisset pedes, qui potius cursori conuenissent: non quidem pigri bouis, sed Tigris, aut Aquilę ala: sic in insignibus Gentilitiis, quæ professionis, aut rectè gestorum protestationes sunt valdè decor symboli obseruandus &c. Nec decenter Diogenes in platea se miscet vxori, cum bestiæ similitudo in medicanda mortalitate speciei, sit verecunda: & insuper vbi aliorum aspectibus non impediatur, nec officiat, sit operanda: & in quo putat honorare naturam, ipsam prophanat Finis eius erat hoc tali actu testificari naturam in cunctis honorabilem, sic de cæteris Indecens enim est quidquid virtutis fini, aut aliarum virtutum rationi repugnat. Hanc mirabilem virtutem veteres non considerarunt in sua ratione, & speciebus.

3. Diuiditur Protestatio in laudem, honorem, cultum, famam, gloriam, & in horum opposita. Distinctio protestationis.

4. Laus latissimè patet, est enim testificatio decens cuiuscumque boni Metaphysici, Physici, & Moralis cum commendatione: laudari ergo possunt mundus, sidera, tellus, calor, linea, cunctaque entia, cum nullum sit non bonum, aut sibi, aut suæ cognationi, & mundo toti, & Deo, vtilitatis expers, vt in Metaph. probatum est im- Quid laus.

Obiectum laudationis amplissimum.

mò mors, claudicatio, defectus, culpa, quatenus fæliciter à Deo in bonum fiunt, aut permittuntur, laudabilia sunt aliqua ex causa, saltem finali, proxima aut remota: vel quoniam opificii & ordinationis auctor in eis commendatur, qui supremus rerum est simul Auctor, & finis: Nullum enim ens, aut non entis vsus est, qui Dei omnipotentiam, & sapientiam, & bonitatem simul, vel seorsum, non manifestet, sicuti omne opificium suum opificem declarat. Diximus *decentem*, sicuti in priori definitione, non enim mortis substantiam, sed vsum, quia propter libertatem, & quia est alterius generatio, & quia fortiter: laudamus, & congruentibus signis, vt in Rhet. & Poet. diximus. Omnis laus est insuper periucunda, quoniam omnis boni memoria iucunditatem etiam inter lachrymas miscet: vituperabile nihilum modò, si expers vsus, inuenio. Physicè autem nobis non omnia, sed quæ nostræ conseruationi, vsuique bona sunt, quoniam non simpliciter, & ad totum ens talis consideratio, in vsus refertur, sed secundum nos, nostroque modo: sic fortitudo equi ad bellum: asini ad onera, panis ad cibum, vinum ad potum, pulchritudo ad delectandum, considerant, laudanturque: eadem res laudatur vt bona, & damnatur vt mala, nobis, vt puta sol blandus in Maio laudatur, in Iulio ardens damnatur & equus ferox, & mansuetus pariter.

5. Igitur vituperium quod est mali contra nos testificatio cum commendatione, fertur in mortem, in serpentem, in claudicantem & cætera superius enumerata mala animi, corporis, & fortunæ. Et omnis homo laudatur ab omni quò sibi, Reip. vtilis ad aliquam functionem, ad quam eligi debet, secundum naturæ testimonium in Politica: sed quò hostilis, damnatur. Iniquitas autem, & turpitudo aliquando laudantur, non quò mala, sed quò apparent bona, ex mistura boni stultis, vel scelestis. Malum enim quò malum laudari nequit omninò.

De Honore & decore.

6. Honor verò est protestatio decens, veraxque virtutis tantum moralis, siuè regula testificandi de moraliter bono. ergo quid pressius laude. hinc iuuenes laudabiliores, senes honorabiliores, illi enim physicis, hi moralibus præstant bonis. Honor ergo statuis, & memoriis, Magistratui, Cathedris, inclinationibus, salutationibus, titulis, aliisque fit signis: quæ aliquando pura sunt, & cum Aiaci victori cornua, & in olimpo oleagina; in Capitolio laurea etiam Poetis, triumphus heroibus exhibentur, & hęc optabiliora magnanimis. Aliquando miscetur premio aliquo, vt cum catenam auream, & munera simul accipiunt, & hæc optabilia minus: indicant enim honorem & indigentiam simul, sed non de Torquato. De indigentia autem verecundamur.

Triplex laus & Honor.

Et quidem tam laus, quàm honor, vel simplex commendatio, quæ omnibus datur, particulam virtutis habentibus, etiam Coquo, & ab omnibus: vel Magnificatio, quę egregiis, & à maioribus: vel mirificatio, quæ virtute præstantissimis, Heroibusque à sui similibus, à tota Rep. & à Deo. est enim fastigium honorationis, & laudationis. Dixi *verax*, nam falsa testificatio est derisio; Quapropter laudari à mendacibus, scelerosis, impurisque non honor, sed vituperium, vel ob symbolum cum eis, vel ob mendacium reputatur. Ab illustribus vero ambitur, vnde qui à Regibus honorantur, in pretio sunt, quasi Reges non mentiantur, quod sint honore digni: quod ex debito verum. At cum facto plerumque exaltent prauos, eorum testimonium non recipitur; idcirco pluris facimus à viris Philosophis Poetisque diuinis exhibitum honorem. sed cum contingat & hos falli: interdumque adulari, præsertim Poetas, furca sane dignos: nedum exilio, tanquam sui muneris peruersores, virtutique iniuriosos. Propterea viri meliores sua probitate contenti testimonio conscientiæ operationumque perpetuo bonarum gloriantur, & si secus vulgo videantur. Testimonium solius Dei, qui solus est verax, præstolanti: & quoniam verum in se honorē habent, idcirco illum ab hominibus minime mendicant. gaudent tamen vbi sponte, non falso exhibentur, quatenus sic vtiles, & imitabiles aliis. Inseruire autem honori aliunde mendicato, dira seruitus est: gaudiorum, & tranquillitatis Saga necatrix. At quidem nec seipsos laudant, & si conscientiæ testimonio certi humanitus, & diuinitus aliquando, nisi vbi vtilitas, vel necessitas cogit, vt coram discipulis Paulus, & Ber-

Verum Virtuosus se aliquando laudabit.

nardus interdum est vbi propria defensio coram iudice cum patimur calumniam, hoc exigit. Item apud Principes, & ignotos, ne virtutem ignotam sub pannoso habitu despiciant, & hoc verecundè, & vbi paratus est homo, illic ea de quibus se se iactat, præstare: atque aliis nota sunt, probataque. Vir eminens falsitatis nescius, nec sui amore deceptus (quod timentes nec seipsos laudare, nec medicari audent homines) sua præclara gesta narrabit, sicut Moyses propria, & Iulius Cæsar propria scripserunt. In mediocrium ore laus sordescit propria: propterea ambitiosiores præposterè laudari volentes, se se deturpant, tanquam iustissimi, & humiles, & veracissimi videri affectantes, contra semetipsos, & parentes, & vxores inanis honoris misera cupidine tumidi, ac simul duplicatis vituperiis se se commaculant; extra casum necessitatis, & summæ vtilitatis hæc testimonia, scandala, indecentiaque prorsus sunt. Vir autem Philosophus in hoc à vulgaribus differt, quod affectibus, & si titillatur, non tamen sicut illi superatur.

7. Debetur quidem omnibus hominibus, non quidem modo laus, quoniam sunt vtiles alter alteri, & Reip. vnde muliones & lictores laudamus, quasi benefungentes officio suo, vituperamusque si male: non autem si non bene scripserint; at etiam particula honoris. nullus enim virtutis prorsus expers: ex toto enim malus, nec ad momentum, quin per se, vel per alios per datur, viuere queat: virtute enim seruamur, & viuimus. Igitur iure aliquo honorantur laude, salutatione, conuictu, sacrorum participio, maxime autem cum proprio funguntur exercitio: tunc enim & Rex est omnis homo: & seruitur ei, & obeditur etiam à præstantioribus, quia est in fine, gratia cuius est Ars: Barbitonsor cum radit barbam aliis, vel Regi, imperat illis & Regi, vt sic voluant caput, vt ferant calidam: vt speculum &c. Medicus longe magis, Fabricator manipulorum seruitio portantium lapides, & calcem, & Domini spectatione in fabricando fit conspicuus: Coquus etiam laudatur: & rogatur à Domino suo, & à pueris, ministrisque, & tandem omni Artifici sic seruitur, præsertim si naturalem honestatem habet ad functionem suam: profecto hoc natura decreuit: nam cum manus aliquid est prensatura, pedum ministerio eo transfertur, oculisque iuuatur, & omnia membra quasi famulantur; & cum oculus attente quid spectat, omnia membra quiescunt, ei suas vires ministrando. Immò cum anus purgat aluum, pedes ferunt, manus abstergunt, oculus locum ei obseruat. Recte igitur dictum honorem cuilibet homini, vti cuilibet membro, deberi: quod in sui muneris actu manifestius comprobatur, vbi solertia, vel alia virtus panditur.

Quomodo cuilibet homini præsertim in actu suæ virtutis vel minimo debetur pars honoris.

Omnis artifex est Rex in Actis suæ actu.

Reges cum alea ludunt, aut venationi operam dant, minus conspicui, & minus honoris habent: In throno autem, vbi ius dicunt, Dij apparent, præsertim si idonei: sic omnis homo in suo opificio ius dicit, & facit: Videmus etiam cunctos de proprio honore loqui, contendereque sartores, latrones, cupedinarios, remiges &c. quę sane honoris professio in Rep. fouenda est erga omnes: est enim participii diuinitatis latentis in nobis testimonium: ac simul frenum ab indignis passionibus prauisque operationibus cohibens, custosque legum oculatissimus: nec indignis impertiendus, ne & digni à benefaciendo tepescant: nec honore vacuis, nec habere non prætendentibus, ne sceleribus, & obscænitatibus, mendaciis, rapinis se ac Remp. fædent: è contra omnis Rex, & homo, est bestia in exercitio vitii. Idem in crimine deprehensus est mancipium, & à cunctis blasphematur.

8. Propterea opponitur Honori Contemptus, & Dedecus, ille testimonium vacuitatis virtutis: contemnimus enim eos qui inertia, & imprudentia, & timiditate, & aliis vitiis defectum regulæ indicantibus abundant: & titulis suorum vitiorum insignimus, & in consessu, & conuictu, & cætibus loca vltima, & vilissimas functiones eis mandamus, & seruitio meliorum dedicamus, vt regulam quam in se non habent, in aliis sectentur. Quod si non egerint, tanquam insani, & stulti, per misericordiam aluntur, qui per iustitiam à cætibus eiiciendi essent. quæ enim non habet functionem in corpore pars, vt non membrum, virtuose separatur, & quasi pediculus.

9. Dedecus vero est regula dehonestandi vitiosos in excessu, vt astutos fraudu-

lentos, maleficos, maledicos &c. Et si ad medelam notantur, est reprehensio, & detestatio, & à proprio crimine nomen habent. vndè latrones, adulteri, Hæretici, proditores vocantur, & in cætibus corripiuntur, vilipenduntur, & ignominia, vt resipiscant, replentur: & hic gradus opponitur magnificationi, sicut prior simplici commendationi.

De Accusatione & Castigatione.

Postremus gradus est Accusatio, & castigatio, & hoc propriè dedecus, vnde mutilantur, captiuantur remigiis, & vestibus vilibus, & functionibus per vim dedecorantur, vt mirificè abiecti fiant fructuosa dedecoratio, vt cæteri eorum exemplo scandalizati, hoc est à via recta per offendiculum commoti, non similiter peccent, nec ipsi redeant ad vomitum: Atquidem non modò dedecorandi qui malefaciunt, sed etiam qui benefacere cum possint, omittunt, aut non satagunt, vt possint: Maius enim malum est non succurrere amico, quàm in leuioribus lædere; est & vbi peius in magnis: sicuti non modò pes malus, & inhonorabilis, si malè ambulat, sed etiam si non ambulat, & si præter caput, se præstantius, extremis non se opponit periculis. Res quidem omnes plenę sunt facultatibus, quæ & cum deprauantur, & cum oriantur, à fine præscripto defraudant totum, & partes, & semetipsas dignas vituperio, & exitio indicant.

Honor, & Dedecus laus, & vituperium sunt testimonia ex parte nostri, sed operatio, & res gesta ex parte rei.

10. Ex his palam fit quod honor, & dedecus, quę virtuosis, vitiosisque præstamus, non sunt testimonia virtutis & vitii ex parte sui, sed testimonia approbationis, & reprobationis ex parte nostri: operationes bonæ sunt virtutis, & vitii testimonia secundum ipsorum essentiam: sed secundum nostram arbitrariam moralitatem, sunt ea, quæ nos præstamus: illorum respectu dicuntur ornamenta. Nostri autem testimonia. Nam cum homines titulis, magistratibusque dignamur, dicimur decorare.

Quid est Ornamentum.

Decorare autem est dare quod decet ornamentum: Ornamentum est notabile quid additum bono: & pulchro, vt magis elucescat. Vndè sicuti domum bonam picturis, ita magistratu, throno, purpura, cathedra, & titulis, virtute fulgentes ornamus, quæ indignis sunt derisio: sicuti laruatis Regibus corona in comedia, & vestis aurea, pictaque vetulæ mulieri, quæ derisio est ex parte ipsorum, sed non ex parte nostri: siquidem vtiliter coluntur ad legum obseruantiam: quoniam non id quod est indiuiduum, sed quod debet esse in eis, sic commendatur, & dignitas: supponimus enim neminem honorari magistratu, doctoratu, &c. nisi virtute, sibi & aliorum vtilitati sufficiente, ad tales requisita functiones, cæteros antecellat. Aliquandò derisio est ex parte nostri, non ipsorum: vt cum Dominum Iesum verum Regem non laruatum, purpura, & sceptro, & corona deridentes non derisum Iudæi decorant: sic in alearum ludo lapilli pro scutatis aureis à nobis, & scutati aurei pro lapillis à gallinis vsurpantur.

De Cultu, & obseruantia, & quibus defertur.

11. Hinc elucescit quid sit cultus, & Obseruantia: est enim regula protestandi non de virtute tantum, sed de excellentiori virtute, & natura: vnde differt ab honore, quoniam honor à quocunque & magis à superiore erga minores adhibetur: cultus autem non nisi à Minoribus erga præstantiores, & sicut in Physi. Mos, & in more lex: sic & in laude honor, & in honore cultus & gloria pręiaciuntur: & priora à posterioribus, non posteriora à prioribus separantur. siquidem eminentior natura ab inferiori iure colenda est, vt sol ab heliotropio, & luna ab elephante: haud tamen proptereà colitur moraliter, nisi etiā possit honorari, id est habeat virtutē excellentem mistam excellenti naturæ: propterea enim & si diabolus laudari, & coli possit, tāquam sapientia, & potentia magna præditus, tamen quia non benè vtitur eis per virtutem, sed malè per vitium, laudari potest, quia laus in Deum Authorem suæ naturæ refertur, non autem coli, quoniam non potest honorari: solius enim virtutis est honor. Alexander autem equum Bucefalum titulo Ciuitatis Bucephalæ honorauit, quem solummodo in bello bonum laudare poterat, quoniam non equum, sed seipsum in equo honorat, tanquam à Deo ad actiones virtuosas tali instrumento animato decoratum. Imagines quoque Cęsaris honorantur, quoniam non res, sed in re repræsentatus Cæsar honestatur. Vidi etiam qui mænia & theatrum Romanum & ruinas marmoreas tropheorum, honorant. & osculantur tanquam Romanæ vir-

tutis

tutis honorabiles memorias. Alii parentum mortuorum, Alii Heroum reliquias, & amasiæ, Alii imaginem venerantur: omnia tamen rectè fiunt, si ad virtutis honorem, & eius auctoris feruntur. Tanta enim res est virtus, vt etiam relationis suæ terminos suo honore decoret, & in bonum mala conuertat, & naturas inferiores sublimioribus, colendisque meliores, eisque colendas faciat; sic inferiores Hierarchiæ Angeli virtuosi, superioris Hierarchiæ vitiosis præferuntur.

12. Gradus, Cultus, & obseruantiæ multi sunt: Diuites enim coluntur tanquam excedentes solertes (Solertia enim per se diuitiæ comparantur, per accidens aliis virtutibus vitiisque) & non tamquam diuites, nisi à stultis. Alioquin asinus auro onustus suprà multos esset diuites colendus. Reges tanquam eminenter iusti & Benefici, Deique participes propriâ in gubernatione, non quia possunt plurimum, & suprà multos. Sic enim leo esset magis colendus, immò & diabolus, qui est Rex super omnes filios superbiæ, nec est potestas, quæ comparetur ei apud nos, colenda esset & Regina auaritia, quæ innumerabilibus imperat, legesque ponit auaris: hinc libidinosi libidinem tanquam Deum, quem Cupidinem dixere, adorauêre. Alii Febrem, Alii Pallorem, templis coluerunt: stulti quoniam cultum ab honore sequestrarunt. Seniores coluntur tanquam prudentiores, & imitatione sua nostram vitam instruentes, non tanquam senes, sic enim omnia, quæ nos tempore præcedunt, adoranda essent etiam lapides. Parentes cultu pietatis coluntur tanquam beneuoli, & benefici, principiaq; nostri, & Dei vicarii ad nostrum esse producendum, alendumque: vndè à non filiis, quibus non fuere excellenter benefici, non coluntur: nec à filiis, vbi à Dei vicariatu, contraria Deo docentes exorbitant, sed tantùm in naturalibus. Amici ex hoc videntur colẽdi, sed solis amicis tanquam excellenter eis beneuoli, & hic cultus periculosus, quoniam ad quoscunque amatos valdè, valdeque amantes transfertur, itaut sæpè vitiosi, & nobis deteriores, & meretrices colantur à præstantioribus: Vndè Chinenses dicunt amicos tanquam Deos plerumque adorare, & Alexander Ephestionem pro Deo coli, quia sibi amicissimus, præcepit; & Adrianus Imperator Antinoum pathicum etiam inter sidera collocari, Amoris abusus talem in cultu abusum parit. Propterea arbitror amicos honorandos esse, non colendos, nisi vbi virtute præcesserint, non modo proprio, sed aliorum iudicio: non enim amor, sed regula amoris virtus est. Philosophi & literati rationabilius obseruantur, tanquam eminenter studiosi, prudentes, & disciplinabiles, & principia, Dei vicaria, in nos docendo, gubernandoque, at non tanquam sapientes; alioquin diabolus tanquam sapientior colendus esset magis: sapientia laudatur, non colitur, nisi adiuncta virtute morali, quæ eius bonus est vsus. Accedunt tamen ad cultum Potestas, Sapientia, & Amor, quoniam primalitates virtutum sunt; & qui has perfectas habet, melior ad virtutes est, quàm virtuosus carens perfectione, & aliena vtens regula. *Optimus enim qui per sese omnia nouit*, ait Hesiodus, *Proximus huic erit qui credit recta monenti.* De Gradibus cultus.

At stulta facit Deus bona principia, nisi benè progrediantur ad finem optimum: viri fortissimi suprà cunctos in bello laudantur; Sapientissimi in rerum inuentione, & declaratione arcanorum, & Amorosissimi, fidelissimi Amici; sed non coluntur nisi virtute honestati: Honestas ergo est ipsa virtuositas sic dicta, quia honore digna; Vndè cum virtuosè aliquid fieri præcipimus, prout fieri congruit, honestè fieri iubemus. Tandem Religiosi coluntur tanquam eminenter sancti, & propterea mediantes inter nos & Deum, Deificatoresq; humani generis. At si Reges, Patres, Senes, Milites, Philosophi Amici, & Religiosi, à sua professione ergà nos facto exorbitant, quæcunque dixerint seruabimus: si autem & dicto, contrà virtutem, & Deum docentes, tunc excidunt ab honore, & à cultu, & tanquam sal infatuatum conculcandi: Sunt enim lapilli in ludo, qui nec aurei scuti sunt, nec scutos aureos significant, hinc contra hæreses, & sophismata, & facinorosa principia nostræ vitæ, maior indignatio, quàm contrà vulgares peccatores inflammatur. Hinc Chinensium, aliorumque Gentilium detestabilis ignorantia, qui diabolos colunt, quos malos esse norunt, & virtutis inimicos, ne mala ab eis patiantur; & propterea deteriora patiuntur. Malus enim sibi, est aliis deterior. Contraria contrariis pellenda docet natura: ergo malos genios per

bonos: vt hinc videas cultores potentiæ, & sapientiæ, & amoris, virtuti non annexorum, errare supra mundum.

De Religione. 13. Tandem supremo cultu Deus obseruatur, qui dicitur Religio, tanquam supereminentissimus natura, atque virtute, naturarum, & virtutum auctor & Rex, qui in omni creatura laudatur, & in virtuosa honoratur; in heroica glorificatur; in seipso colitur per cultum latriæ nullis exhibendum creaturis, à quibus esse, & bonitas non influitur ex toto, & propriè; Sed tamen ex parte, & analogicè diuinis hominibus; qui instar Dei per naturam, ipsi per virtutem omnia mala in bonum conuertere satagerunt, & ex dolorificis rebus nedum ex voluptuosis, (vt faciunt bruta, & vulgares, mirificè voluptatem elicere nouerunt, in pressura, in morte, in tortura gaudentes, & animi diuini celsitudine cuncta mala conculcantes, & nobis merito & exemplo bonitates participantes, propagarunt à Deo: & hoc cum Dei pro illis testimonium habemus. Si Deus esset mundi anima, rectè concludebat Varro Theologiæ Gentilium coriphæus, omnes creaturas adorari, tanquam Dei membra, Romanis tutò posse. Sed cum sit abstractus, vt mundi passionum expers, possit dominari, & rectissimè iudicare, & vt opifex præcedere; falluntur nisere, eius cultum communicantes brutis, & elementis, & sideribus: Item adorare Dei vestigia, & imaginem, quæ in diabolis est deturpata, & in Angelis perpolita, Idolatriam parit: licet Socrates in viro bono potius quàm in Idolo Deum adoret. At nec imago, sed ad imaginem est anima, de his in Theol. & Metaph. diximus satis.

Cultus intrinsecus, & extrinsecus, signum illius. 14. Modus autem colendi alius intrinsecus, quo animam præstantiori naturæ, ac virtuti, subiicimus, quoniam natura hoc docet & vtilitas: Esse enim inferius superioris se se subiiciens, melioratur abeo. Si enim deterioratur, non est superius virtute, naturaque. Alius exterior, vt per titulos, thronos sublimiores, per oblationes, obedientiam, inclinationem, imitationem, & alia, quæ ipsorum superioritatem supra nos declarant: Vocantur enim Nobiles quasi Notabiles, vndè sanctissimi, Illustrissimi, Clarissimi, Patres patriæ, obseruandissimi, &c. nominantur, nec quidem ex natura rei semper, sed secundum vsum. Illustrissimus enim ad instar solis, melius est quàm serenissimus instar puri aeris: & tamen hic Regum, ille Regulorum titulus est. sic in obseruantia, alii nudant caput, vt Christiani, alii pedes vt Machometani, alii inclinant se, alii genuflectunt, alii tangunt barbam, alii osculantur manus, vel pedes. Deo etiam prosternimur, & sacrificamus, quod nulli fieri potest creaturæ, & hic cultus debet esse interior simul: tales enim inclinationes, & oblationes derisoriæ sunt, nisi & animus ei inclinetur, & offeratur. Cultus ergò exterior est interioris protestatio, quæ sæpe animum in ecstasim admiratoriam, & in amatoriam rapit tantum, vt & corpus secum in aerem rapiat. Qui hoc negat, sensum & historias innumeras, & experientias negat: sed profectò Cultus melior nullus obedientia & imitatione. Propterea & obseruantia dicitur; si vero reuera profiteris esse meliorem te eum, quem colis, vtique meliorari ab eo cupis, hoc enim facis si obedis præceptis, & facta imitaris: Non ergò qui dicunt Domine Domine. Tituli & inclinationes, & genuflexiones sunt inanes coram Deo, cor spectante, nisi interior animus ei humilietur ad recipiendum ab eo, cui humiliatur, gratiam, & influxum: sic Philosophi, & Reges, & parentes tunc se coli satis autumant, cum ipsorum præcepta obseruantur, quia ex hoc eis declaratur animus; cerimoniosi actus boni sunt ad præparandum animum, ostendendumque corpore, quod fit animo, non modo in aliorum exemplum, sed in tuum profectum. Alterata enim anima, alteratur similiter & corpus, & quo ipsa fert, fertur. hinc physionomica scientia ex corporis habitu animæ habitum rimatur, cum ergo corpus non subsequitur, anima non præcessit; vel si subsequitur nullo affectu, sed simulatione ferente, inaniter ad finem habet se.

Significationes Cerimoniarum. 15. Operosum esset docere, quomodo barbam tangere, & osculum, & alia signa, inferioritatē declarant sic agentiū, qui tangūt, tanquam bonū influxum accipere à tactu melioris profitentur. Qui osculātur iucunditatē; siquidem bona voluptuosa beantia osculo prælibamus, quasi aliquid fructuosi beantis, & spiritum excerpentes, & exugētes. Vnde Adoratio dicitur, quasi ad os manum ponere osculandam, & quod ore non

at: ngimus, manu tangimus; ad os deinde osculandum retrahimus idem profitentes: sed hoc tempore etiam dum quis porrigit aliquid amico, vel Domino suo, osculatur illud, analogiam ad Cultum ostendens: non tamen satis aptè.

16. Cultui contrariatur Execratio, & Abominatio, & Blasphemia, & huiusmodi, & tandem pœna & destructio, quam vitiositati enormissimè infligimus, aut aptamus. Est enim regula protestandi de aliorum vitio ingenti, peruersaque natura, pessimè se se ad suum, & nostrum finem habente, & sicuti colendos dicebamus ob virtutis excellentiam Diuites, Reges, Parentes, amicos, Philosophos, Religiosos, & Deum: sic è contra pauperrimos non sorte, aut electione, sed vitiosè factos, per aleas, meretrices, tabernam, maleficiaque famosa, detestamur, & execramur, & abominamur, magis autem Tyrannos, qui vitiis in Regno dediti sunt quasi lupi inter pecudes, & fornicatores in lupanari: occidendi prorsus, si spes meliorandi affulget. Non sic mali parentes, sed alendi, non tamen audiendi: Natura enim negari nequit, sed mores vbi Deo repugnant; Inimici quoque etiam virtutis pariter detestandi, accusandi, præsertim hostes Patriæ, & boni Regis. Insipientissimi quoque, & qui praua docent dogmata, cum diabolo despiciendi, & ablegandi: veh illis, qui non flocci pendunt malignos, & peruersos, & sophistas, Pseudoprophetas, circulatores, Ariolos, Hæresiarchas, & huiusmodi farinæ viros secundum legem dehonestabis, nec Aue dixeris Tandem Deos, & malos genios, qui diuinum cultum ambiunt exterminabis, & annihilabis, si poteris, in protestationem summæ ipsorum malitiæ.

De Cultui oppositis virtuosè habitis.

17. Ex his plane Natura monstrat honorem appeti, non tanquam virtutis præmiũ, quæ melior est honore, ergò sibi ipsa potius præmium; nec quid expectat, nisi à rectissimo iudice: neque enim honor est finis virtutis, sed id potius, ad quod virtus est: sicut neque laus est finis bonitatis equi, sed bellum, in quo ipsa bonitas comprobatur, & id quod ex bello subsequitur bonum. Imperite ergo quidam virtutis præmiũ faciunt honorem, cum non nisi ad quid valeat virtus testis sit, productus à melioribus, & deterioribus suis. Cultus ergò minus: cum à solis deterioribus, quamuis augustior. Quid stultius quàm dicere, Deum religione nostra beari? finis enim beat. Igitur virtute præstãtibus magistratus, & functiones vt ornamenta ad præmii similitudinem, ex parte, non ad veritatem, & plenitudinem cõferuntur, & potius in nostrum, quàm ipsorum bonũ: Scelerosis verò bona quæ habebant, auferuntur ad pœnę similitudinem pariter ex parte: carcer enim, exilium, rei iactura, excommunicatio, verbera, & corporis mors, non adæquant id, quod anima seipsam Dei imaginem deturpãs, & vilibus subiiciens affectibus, meretur: cum præsertim potius organi peccantis, quàm peccantis animæ sint mala: & potior pœna sit sibi malitia sua, sicut nec Imperiũ est id, quod meretur virtus: sed vtraque, Imperium scilicet & pęna, meritorum sunt testimonia, & ornatus: Nã & malum pœna ornari, vt bonũ premio, suo in genere, dixit Socrates: & pulchra pati qui iusta patitur. Hinc cõuincitur ex eo, quod in honorũ collatione sępius decipimur post mortem, pęnas, pręmiaque vera manere: quarum pręludia, & testimonia nunc habemus, & peccata sanabilia purgari, vt Plato, Pythagoras, Socrates, & excellentiores Philosophi, nedum legislatores docuere, & deteriores negauere: insanabilia verò longis sęculis detineri, nam quod etiam æternis, sola fides reuelat.

Honor, laus, & Cultus non sunt præmia, sed instar præmiorum, & quid.

Arist. fatetur honorem præmium non tamen sufficiens, sed post mortẽ negat aliud relinqui, ergò negat Iustitiam.

18. Fama est diuulgata cum laude cuiuscunque insignis bonitatis clara notitia, seu Protestatio. Infamia est eadem notitia, sed cum vituperio cuiuscunq; mali, & de Physicis & Moralibus est sermo: nulla enim infamia in Metaphysica consideratione, alioquin in entis fontem redundaret. de diuulgatione humana arbitraria est sermo, non de naturali, qua sol vbique notus: nec de Angelica, qua notificantur plurima nobis ignota: est etiam fama triplex vt laus, & aliquando pro infamia accipitur.

De fama & infamia.

19. Tandem Gloriam dicimus pręclarissimis bene gestis rebus cumulatam famam & honorem: Porrò licet bono suo tam naturali quàm morali possit gloriari homo, & quilibet particulam honoris, præstantiores vero etiã obseruantiæ habent: haud tamen nisi facinoribus splendentissimis, laboribusque mirificis exantlatis pro interni valoris probatione, ad gloriã perueniet: vnde nec ad gloriã omnis, & si ad honorẽ infãtes, bonique viri admittũtur æquè omnes, vel aliter Deus de gloria iudicat, atq; nos: ipse enim a.

Quid Gloria.

plutis facit victoriam virtutis contrà vitium, quàm totius mundi acquisitionem, monstrorum peremptionem, Barbarorum subiectionem. Et profectò quanti sit vincere cogitationes superfluas, temerarias, prauasque titillantes appetitus, laudis, carnisque illecebras, timores amittendi bona exteriora; hæc & alia, nedum vitam, & cum vicerit, si potis est nouum, & multiceps superbiæ vel præposteræ monstrum, omnes fædans victorias postremò semper, vel latenter insurgens: Nemo nouit nisi qui vitiis bellum seriò prorsus indixerit, & benè pugnare perrexerit: Heu me nil difficilius, immò nil impossibilius inuenio, nisi adiuuante Deo; qui tamen iustè instat præcepto, quoniam præcurrit auxilio. Hanc gloriam interiorem, & voluptatem mirificam nemo nouit, nisi qui contrà se ipsum legitimè certauerit. Nebulones, & rerum cortices modò spectantes, admirantur, Cæsarem, Orlandum, Alexandrum, qui victores hominum victi à vino, & à vitiis sæpè fuerunt: ac mille in vna hora homines occidere potuerunt; vnum autem in mille annis suscitare à mortuis hominem non potuerunt; nec febrem abigere, nec pilum mutare præcepto, quoniam ipsorum victoria, nequaquam ità probatur coram Deo, veluti istorum, qui seipsos vicerunt. Idcircò miraculis in testimonium virtutis non homicidii, Deus solus verax hos honorauit, illustrissimauitque. Quapropter fastigium honoris hoc habemus in hac vita, quo non solum commendamur, & magnificamur, sed insuper mirificamur. Præmium autem ex hoc, & ex diuina prouidentia, & amore erga nos omnipotente, post mortem contrà Peripatum insipientem, fabulas reputantem, id quod ratio, experientiaque monstrat, restare audaciter, & securè pronunciabimus: quod & superioribus patefactum est argumentis: è contrà parma inglorius alba dicitur negatiuè, qui nihil adhuc præclari gessit, quod pingeret vt Eurialus; vel contrariè, qui sceleratissima, vsque ad punitionem, vt Caius, Nero, Iudas proditor.

Veram gloriam quo modo agnosces.

20. Morali protestationi, suisque speciebus opponitur in excessu Derisio, sic ab eo dicta, quòd in Comediis fictas personas ridemus; sic fictos honores, vituperamus. Estque duplex, nam vel excedit plus laudis, cultus, honoris, famæ, & gloriæ, exhibendo, seu vituperii, dedecoris, execrationis, infamiæ, & denigrationis, quàm merentur hi, quibus dantur: vel bonis turpitudo, malis decor affigitur, bonum, malum, & è contra ponendo.

Protestationis oppositis vitiis in excessu primus Gradus derisionis.

Primo Derisionis gradus primus est, cum ignotis titulos, & ornatus alios honorificos, vel turpes tribuimus, vt filios diuitum excellentissimos, pauperum vilissimos, & hospites, ignotosque cum honore, vel ignominia accipimus. Honor quidem nostrum testimonium est, sed non nisi honorandorum testimonio, vt ornatus, affixum. Qui ergò se prius honorabilem non ostendit operibus bonis, & vituperabilem malis, non est à nobis ornandus. Nec enim pictor ignotæ formæ affigit inaurationem, & spurcitias: Romani ab operibus titulabant, Africanum deuicta Africa: excusantur tamen generis testimonio, sed sæpè falso, non tamen adeò apud Chinenses, vbi filii non nisi parentum artem, & exercitium capessere possunt: nec rectè, cum probitas raro propagetur.

Secundus gradus derisionis est cum commendabilem magnificamus, & magnificabilem mirificamus in decore, & dedecore, vt si diligentem mulionem illustrem dicas, & Prætorem serenissimum, & formosam mulierem, vocas solem, & Deam: & ponas bonum virum in Magistratu egregiorũ, & egregios in throno Heroum: Hiperboles sanè tolerandæ, nisi damnum statim, aut paulatim producant: ex hoc enim orta est Idolatria, quod excellentes viros Deos vocitauerunt, & potestas, & sapientia, & amicitia pro virtute coluntur. Item & Doctores & Medici, & Philosophi sic mirificati à stultis, & præcipuè veteres culti, quasi nunquam errauerint: mordicus defer si à suis asseclis, pessundant salutem hominum, & ingenia libera diræ seruituti subiiciunt: & cum verum sit, quod in sapientia rerum præsertim diuinarum, qui se peruenisse ad id quod quærit, existimat, non quæsita reperit, sed in inquisitione deficit: Isti è contra tunc ad totam diuinitatem se se ascendisse gloriantur: cum Philosophi suæ sectæ doctrinam, & expositiunculas hauserint. è contrà nec tolerandi sunt, cum aliorum sapientum dogma tanquam fullonis dicta derident: & quidquid de nouo inuesti-

gamus, damnāt, adeò vt quidam pro hæretico Episcopū Saliburgensem, & Christophorum Columbum haberent, Antipodas, à quibusdā Theologis opinanter negatos, extare, & adire profitentem. Ex hoc in secundam derisionem itur perniciosiorem, quæ viros sanctos, Philosop. doctissimos, & Proph. diuinos, tanquā misellos aut hipocritas, & insipientes, & fanaticos, & rebelles Maiestati Diuinę: & humanæ, execrauit, & condemnauit, & dedecorauit: vtque hipocritas, & Sophistas, Pseudo Prophetas, Tyrannos in thronis, Magistratibus, & cathedris collocaret, aut collocati tutè starent. Derisione perniciosissima diabolus Dei loco colitur apud multas nationes, dum quācunq; eius potentiā mirificant insipiēter sine virtute. Alii rebus deterioribus, nec sapiētibus nec potentibus se se incuruūt, Idolis, fluuiis, serpentibus. Quid ridiculosius, quàm sacrificio & adoratione, quibus Dei dominationem protestamur super omnia: voto, & rogatione quibus Omnipotentiam: iuramento & consultatione, quibus de futuris contingentibus, & mysteriis diuinis, & cordium arcanis, soli Deo notis, omnisapientiam; gratiarum actione, & laudatione, quibus bonitatem, & amorem erga nostrum genus, protestamur: colere, stellionem, simium, Vitulum? in hac comedia spectatores Angeli cum indignatione rident: sic viri boni. Derisio quorum fiat.

21. Est autem derisio aliquando ex parte colentis, & culti: vt cum Diogenes Diis falsis, quos non credit Deos, sacrificat, & deformem Gabrinam Marfisa vocat pulcherrimam: aliquando ex parte colentis, vt cum iudex Iesum & purpura, & corona tanquam Regem ironice ornat. Aliquandò ex parte culti, vt cum in Magistratum virum imprudentem, quem putamus prudentem, dignumque, erigimus: Aliquandò ex modo colendi, & laudandi &c. Vt si coronam ferream Poetę, lauream, aut mirteam militi dares, & Papam serenissimum, & Regem reuerendissimum vocares. In insignibus peccatur, si martyri lilium, Virgini rosam adscribas: sic in cultu, & in ceremoniis sedulo spectandum an declarent quod protestari profitentur. In Moysi lege mirificentissime decor iste seruatur, in vestibus, sacello, sacrificiis, gestibus, ritibus, ceremoniisque aliis. De oppositionis defectu.

Opponitur in defectu vitium aliud innominatum, quod Intestatio dici potest, quia non laudat, non honorat, &c. & ad Deum, & viros probos, id perniciosum nobis, non enim illorum gratiam, & auxilium, & regimen nanciscimur: omnis enim honor, & cultus plus prodest danti quam recipienti. Ex hoc orta est imitatio bonorum, & obedientia præceptorum, quo nihil vtilius. Siccantur etiam nobis fontes gratiarum, si non coluntur: vnde terra ex qua fructus accipimus coli dicitur, & sine cultu hoc analogico non fructificat. Alia intestatio est, quando minus testamur, quam res est, vt si vinum optimum dicas bonum, & Reuerendissimum Episcopum Reuerendum: & hoc pariter obest, indignationem prouocat, & duella. Peccānt valde Principes, cum non honorant functionibus optimos, sed mediocres: similiter in electionibus. passim enim deterioratur sic Mos, & natura: ingenia grandia spernunt honores modicos. Tertia est cum testamur exteriùs, & non interius, vt cum dicimus Deo, & Principi, *fiat voluntas tua*: cogitantes facere nostram; & hi derisores potius sunt, & simul Intestatores, qui plus ostendunt, quam veri cultores, sicuti conducti mercede ad plorandum defunctos, plus doloris eiulando ostendunt, quam vxor, & filii, qui vere dolent. In his vitiis implicatur Mendacium, Adulatio, Maledictio, materialiter: sed formaliter separantur, vt ex dictis patet, & in modo & in obiecto, & fine, & vtilitate. Hoc vitium quando non testatur contra malos, vbi nocent etiam in iudicio, mirifice officit. sic Philosophi contra falsitatem Deorum, ipsis notorum non clamarunt: & contra sophistas regnantes, & pseudoprophetas non latrant custodes hominum: Væ illis, ne incommodum patiantur, ruere permittunt Remp. Alii non accusant vitiosos, quod semper faciendum, vbi in Remp. & probos ciues machinantur: in ceteris dissimulanda prauitas, non noxia aliis, & in secreto corrigenda, vt aliæ virtutes docent.

De Mansuetudine & Oppositis.

ART 3.

Mansuetudinis actus.

1. SEquitur Mansuetudo, quæ aliorum erratis contra se non torquetur, cum sua puritas illorum maculis inspergi nequeat, seipsa gaudet, ac libenter ignoscit: cum præsertim peccantium impuritatem, & miserabilem naturam, & temperiem intelligit: peccata contra Deum, & proximum ex iustitia redarguit, tranquillo animo semper: in se vero parcit, nisi in Reip. & honoris diuini damnum vergant. Moyses, & Dauid hac virtute claruerunt.

De opposito vi io in excessu.

2. Vitium non parcentis dicitur Iracundia, impuri sanè spiritus puritatem appetentis, ac nobilitatem, qua caret, ostendentis in eo quod vlciscitur contrà suam nobilitatem falsam peccantes.

In defectu.

3. Stupiditatis vitio afficitur qui quibuscunque parcit erratis, non quia se ipso modo gaudet, sed quia non considerat, nec sentit peccata contra se commissa, & contra suam nobilitatem, qua ipse caret: est enim nobilitas innatæ Virtutis lux, ad Morales ducens, quibus seipsam declarat.

De Hilaritate & Oppositis.

CAP. XII.

Vtilitas Hilaritatis.

1. SPiritus tristis introrsus reductus exiccat humores, & vitam dissipat, & cum aliis, ad quos, non se effundit, viuere nequit, planctu delectatur, & solitudine. Amicitia, & conuictus his contrariatur, gaudium & iucunditatem appetens, & ludos, quibus spiritus dilatatur, amplificatur, crescit, seruatur: Propterea & lętitias, risusque & tristitias luctumque Virtus Hilaritatis temperat: quæ præsentibus contenta est bonis, futurorumque spe nihil sollicita. In aduersitatibus meliora præuidet, ex vicissitudine rerum, & bonitate omnia gubernantis. Signum lucidi spiritus, purique non desperantis propter mala, sed effundentis se, & cum propria luce iocantis. Vnde fit amabilis sibi, & aliis, quos suo mulcet aspectu, exemplo, & ad meliora sperandum inuitat: ludos illiberales auersatur: qui vires, & ingenium fouent amplectitur.

De Opposito vitio in defectu, & contrarietate.

2. Oppositum vitium est Tristitia, siuè Austeritas non contenta præsentibus, futurorum solicita nimis, propria semper pensiculans, ideoque sibi & aliis semper infesta, cætibus non arridens iucundis. Signum spiritus impuri, fuliginosi, & propriis perpetuo cum fuliginibus pugnantis, ideoque introrsum se crebro colligentis, aliorumque festiuas effusiones ob idem auersantis, vnde odiosus cunctis: mala annunciat semper, amicitias disiungit facilè, infortuniis succumbit, eiulatu vitam nutrit, & querimoniis.

De opposito in excessu.

3. Qui autem nimis hylariter in cunctis se habet, nullum malorum perpendit, ridet quacunque ex causa, iocaturque semper: & occasiones iocandi, & lætandi captat perpetuo: vitio scurrilitatis afficitur, pætasitorum proprio. signum spiritus valde tenuis, mollissimique & fuliginosi impurique qui contra proprias diffidens posse pugnare fuligines, intro se se colligere timet: ideoque foras effunditur cum sui tenuitate ad iucunditates exteriores, quia in interioribus caret: nec sciunt absque mærore in solitudine viuere. Iisdem similes sunt Principes multi, qui negotiorum molem sustinere non audentes, nescientesque, ad iocos se se effundunt, amantque parasitos, quibus cum cognationem habent. Neque enim oculus luce delectatur, nisi quia lucidus in se est: nec auris aeris sonis: nisi quia aerem implantatum habet facilè sentit. Philosophicus animus abominatur eos.

An sint aliæ Virtutes & de Modestia.

CAP. XIII.

1 Vtitur virtuose amplius homo opportunitate in loquendo, in vestiendo, in negotiando, in respondendo, & in motu, incessu, in statu, in execrationibus, nutibus, positu, quibus alii non læduntur, sed gaudeant, tametsi non virtutes, sed virtutis actus sint hi.

2. Opponitur his importunitas, & immodestia, aliorum diffidens vsui, infesta studiis, scandalizans, inuidiam, malosque affectus, & nauseam producens, & displicens aspectibus: & quidem virtus est facultas omnis ratione condita, nos, aliosque conseruans: vitium vero destruit &c. totque videntur esse virtutes, earumque actus, quot Angeli in cælo: vitia verò, vitiosique actus quot dæmones in gehenna: ideoq; illi virtutum, isti vitiorum nominibus à priscis sanctis sapienter notati sunt: sunt & virtutes in Angelis, alię perfectiuæ magis, sed pauciores numero, quoniam corporum incommoditatibus, quas regulare habeant, & impuritatibus non tenentur. In nobis vero purgatiuæ sunt magis, pluresque ob oppositas causas: vnde quas Deus infundit, pauciores sunt numero, & efficatiores, omnesque sunt ad tres reducibiles Primalitates, & omnes, vt qui perfectus sit in vna, in omnibus sit perfectus.

De Correctione seu Verecundia, & oppositis.

CAP. XIIII. ART. 1.

Dari oportere virtutem quæ corrigat omnes, & instanter. nec Arist. rectè negasse verecundiam.

1 Siquidem in primæua puritate spiritus animalis, commoda Menti ad virtutes paucas, plurimas tamen eminenter continentes, homo perseuerasset, virtus errata corrigens, puniensque nulla foret: videmus autem in omni sęculo homines exorbitasse à regulis virtutum, alios omnium, alios quarundum, nec posse quempiam perpetuo perseuerare absque offensione, necessariū ergo est (dicit sapientia Dei) virtutem aliquam esse, peccatorum emendatricem, & punitricem. Neque enim emendatur homo, qui peccati actum commisit, & ad virtutem, quam eliminauerat, redit, nisi castigetur, flectatur partem in alteram, itaut meminerit amplius non delinquere, sicuti totam virgam in oppositam flectimus, cum suo dolore (si dolet) partem, vt recta in medio maneat. Idcirco qui illicita commisit, etiam à licitis abstineat oportet. sentit & in se quandam irregularitatis maculam conscius sceleris animus culpa plenus, & semet timens: & cum tutus sit, haud tamen securus. Punit & natura ebriosum furia, & podagra: libidinosum Zelotypia, & debilitate: Auarum anxietate, iracundum turbatione: ergo naturalis est punitio culpæ. & quidem cum illam non virtus iam profligata infligit: vbi enim est Castitas in lupanari, & mansuetudo in furiis iræ exagitato? Consequens est, vt virtus aliqua sit regulatrix penæ, & impenitentię, & qui negant eam, negant hominem virtuosum posse peccare, quod stultum est: cum perseuerantia in actibus virtutis perpetua, visa sit impossibilis in omni sæculo absque Dei speciali auxilio, & priuilegio: At passio Verecundiæ, quæ non est castitatis, nec sanctitatis, nec alterius virtutis propria, offert nobis ipsam penitentiam: non enim B verecundia timor est, vt quidam autumant, aut compositum ex timore, & audacia, sed proprie est ira puniens, nòn alios, sed seipsum hominem. Quidquid enim malifaciat præsertim coram aliis statim erubescit, & verecundatur, sed in timore pallescit, fugiente intra spiritu cum sanguine à læsiuo. Erubescimus autem cum irascimur contra aliquem: spiritus enim intendit neruos foras exiens, & sanguinem extra secum rapit ad vindictam lædentis: sic ad sui vindictam in verecundia operatur. At confestim contra se motus parcit sibi, sui victus amore, & ne alii intelligant pænam. Ete-

Conclusio ex quarum rationibus orta pro verecundia.

Arist. ethic.

Arist B.

Galenus. C.

nim nos pæna dignos ostendere veremur natura omnes, & dum castigamur à Magistro, aut patre, aspectum fugimus aliorum. Hinc patet cur mulieres, & pueri illicò verecundantur comparentes in conspectu aliorum, quia nimirum se virtutis expertes intelligunt: vel quippiam committere posse, vndè alii lędantur, & malam spem futuræ vitæ præbeant. Carere autem virtute, & committere vnde læduntur, culpa est, quam statim punire vellent. Meretrices autem, quæ culpas pro non culpis habent, carent verecundia. senesquia didicerunt non esse culpam punibilem, ex assuetudine, & vitam transegerunt, sunt inuerecundi. Virgines valdè verecundæ, timentes ne quid in eis malum sit, vnde non placeant viris, & futuris maritis. Itaque cum animaduertunt se amari à conspicientibus, quasi causam amoris & delicti dantes, verecundantur, & puniunt, presertim si oculos iniecerunt in contuentes, vt radii radiis opponantur: Tunc enim fit læsio mutua realis, vt alibi docuimus: & huius læsionis, & commotionis reas se intelligunt. Verecundamur de paupertate & ignobilitate tanquam de culpę alicuius apparentia. Item de natura malis & turpitudine, proptereà in occulto coimus, manducamus & excrementa emittimus: suæ enim excellentiæ conscia anima, habitare in corpore mortali, quod medicari indiuiduo & speciei opus habeat, dolet & verecundatur, mira res. Quas ob res si verecundia est semipunitio, & ira in nos ipsos: ergo seipsum punire homini est naturale: quemadmodum in se peccantes, & alios: nam & cum verbum malum coram magnatibus dicimus, confestim mordemus labia nostra peccantia, & numquam magis erubescimus, quàm cum honore priuamur ex culpa: vndè palam est, & quid sit culpę agnitio, & punitio: sine culpa enim non fit: ergo verecundia est imperfecta penitentia, seu correctio, & vltio: & penitentia est perfecta verecundia, & ieiunia, & disciplinæ, & abstinentia à licitis rebus, non inaniter introductę sunt per Religionem, quemadmodum inuerecundi, imprudentesque garriunt: sed rerum & naturæ Conditore Duce.

Quid est verecundia.

2 Verecundia igitur, quæ & honestas, est regula inter pudorem, & impudentiam in imperfecta correctione: Dico autē non quę naturaliter fit, sed quæ electione: duce conscientia, etiam si facies non erubescat. Regula cuius est non ita verecundari, vt spiritum despondeat, & confusione suffusus, loqui non possis: sed statuere pænam conuenientem culpis, & propositum de cætero non peccandi, & virtutes amplectandi, quarum carentia verecundamur.

De inuerecundia.

3. Inuerecundia & impudentia est meretricum, quæ assiduis probris, & scelestis actibus pudere dedidicerūt: vndè Deus meretricis, & perfrictæ frontis vocat populos in peccato obstinatos. Magnum scelus, quoniam & peccatum suum quasi sodoma prędicauerunt & non erubuerunt ad penitentiam, sed quasi liceat quidquid libet pro regula habentes, gloriantur cum malefecerint, nec amplius in occulto peccant, sed palam. Principes terræ impudentes in conspectu totius mundi contra speciem humanam grassantur, & pro cupiditate nimia excitant bella, & mactant & mactantur tot millia ad libitum: impudentissimi omnium.

4. Opponitur pudor, & erubescentia nimia quorundam, qui se ipsos etiam occiderunt ex ea. Quidam Spartanus pudore suffusus: quod de libero seruus factus esset, quandò iussus est matulam ad mingendum hero porrigere, seipsum præcipitauit. fuit qui in Martyrio defecit iussus in fenio à mancipio nigro venerem pati: & stuprata Lucretia se se interimit; & Cato & alii. Visum enim est illis indignum viliter viuere: culpa sanè grandis, neque enim quæ per vim patimur, peccata sunt nobis: sed & vim pati malum reputat Celsus, honestusque animus dedecoris plenum: sed hæc celsitudo aliquam habet impuritatem. purior enim, quod sua culpa commissum non est, non verecundatur: scit enim discernere culpam à non culpa: & animus celsus licet corpus substernatur, superior est tortore, & carnifice, & vituperatore, & Domino. tanta est falsa celsitudinis vis, vt diabolus etiam verecundetur à Deo misericordiam petere, potiusque in mortem viuere elegit, quam subiacere vitæ auctori, quamuis & hoc malum ipse pernoscat: hinc perpende quàm diuina sit Mens humana, eius essentiæ celsitudinem. Elephas Antiochi se se interimit priuatus honore in transitu Nili: quoniam

niam Primalitatum est particeps & ipse, licet non essentialiter possideat eas, vt homo, nec anima eius est vita, sed vitæ participium, ideòque mortalis.

De Pænitentia perfecta, seu Correctione.

ART. 2.

1. PErfectæ Penitentiæ virtus vocetur Emendatio, aut Correctio, quæ regulam ponit consimilem naturæ: per ea quæ peccas, te corrigas; si multum comedens te aggrauasti, macera te ieiunio: si libidine raptus cum meretricibus bona dissipasti, abstine à mulieribus, & spinis castiga membra tua, sicut sancti fecerunt: aut substrahe Bacchum, & Cererem, sine quibus friget Venus; longè abesto à fœminis: si læsisti amicum rapina, ac furto, restitue quantum rapuisti, & in pœnam insuper quadruplum, vt non iteres malum. At si occidisti, vel mutilasti, occides te ipsum? & quidem Iustitia legalis te occideret: virtus autem vult vt sponte non coactus pœnam subeas, & te ipsum accuses coram iudice, ab aliis non accusatus, quemadmodum Socrati videtur. Hac ratione Torquatus occidit filium, & Brutus suos, & Oepidus se cæcat, & Seleucus sibi vnum, alterum filio, cui duos lex damnauit, eruit oculum: & quidam vxorem à se occisam, vt ream, insontem deprehendens, seipsum occidit. Fluctuarem sanè, nisi diuinitus reuelata Religio me admoneret, hominem non esse sui Dominum, sed Conditoris sui, cuius oues sumus omnes, itaquè non habere in se tantam potestatem, vt seipsum occidere queat, quanta Reip. concessa est à Deo: quę propterea interficit hominem, quod ignorat an ex animo sit emendatus, vt non amplius peccet ipse vel alius exemplo illius; non peccata ob præterita, quæ non possunt non fuisse. Si ergò homo statuit in corde suo non amplius peccare, & satisfacit eis, quos læsit in bonis corporis, in aliis bonis, seque macerabit sine morte perseuerare poterit. Agere enim cōtra vitam suā inditus amor negat: pati solum permittit: sed profectò pessimum scelus hoc homicidii vix recompensam inueniet, sicut famæ, & rei læsio. At Resp. peccans, se totam non occidit, sic homo nec se totum; submittat se sapientis arbitrio ad pœnam. Vndè Religio naturæ concors, tribunal secretum sacerdotum, quibus fateare (quod mirificè Socrati placuisset,) & à quo pęnam, & consiliū discas, satisfaciasque, cōstituit. Quid est Pænitentia volūtaria, quomodo recompensat virtutes mentis.

2. In alios verò Correctionem, & Vltionem secundum legem exercebimus; Ante verò legem natura dictauit talionis pœnam, vbi ex æquo concurrunt. lædens, læsusq; sed verecundia admonet vt ex parte parcas, quæ regula naturæ est, vt aliis, sicuti tibi, sic & filiis & vxori, qui tui pars sunt, vide Oecon. Correctio non destructio, nec licentiositas est huius virtutis finis. sed cum quis te impetit, quid pœnæ exiges? defende te, & defensores adhibe cum verecundia absque superfluitate: at post factam rixam, non quæritabis vindictam, parce aliis sicut tibi.

De Humilitate & Obedientia.

ART. 3.

1. EX verecundia suboritur alia virtus non nisi Christianis nota Philosophis, videlicet Humilitas, opposita non statim Superbiæ, sed Elationi, quæ ad superbiam est iter, incipitque ab amore proprii esse, non quatenus essentiatur ex potentia, sapientia, & amore: sed quatenus ex nihili etiam Primalitatibus, Impotentia, Insipientia, & Disamore, ex quibus habet, vt amet se homo, non propter Deum, à quo est, & cuius gratia est; sed propter se, qui de se nihil est. & dum propter se amat se, subiugat se libidini, auaritię, inani glorię, & cęteris vitiis, ex nihili Primalitatibus ortis, ad nihilum nos trahentibus; non autem Deo per virtutes ex Primalitatibus entis, & à primo ente Deo emanantibus ortas; ita quod facit quidquid iubet auaritia, & libido, non autem quod Deus. Amor sui quando bonus, & quando malus.

Sapientissima Humilitas in quo.

2. Humilitas ergò sapientissima subdit hominem Deo, vt non nisi propter Deum amet se, ne annihiletur, sed seruetur in vitam æternam; & hoc seruire regnare est; proptereaque nonmodò Deo, sed omni humanæ creaturæ propter Deum se subiicit, etiam inferioribus se, quoniam non subiicit bona sua magna bonis inferiorum paruis: hoc enim est contra naturam; sed subiicit mala sua, quæ ex nihilo, & vanitate habet, bonis aliorum, quæ à Deo habent. Itaque appetitus vanos sic vincit, & ex verecundia, quæ in cunctis nos arguit, didicit humiliari; ne dum vult exaltari, & non à Deo, versus suum finem Deum: sed quidquid libet facit tamquam si à se esset, & non quod iubet Deus, tamquam si à Deo non esset (quæ elatio facit auersionem à summo Bono ad bona deficientia, quatenus deficientia, & ex nihilo constituta, & non quatenus entia, & à Deo ente summo constituta: sic enim licet rebus vti omnibus propter Deum, à quo, & ad quem sunt) cadat in mortem, & annihilationem, & pœnas æternas, dum annihilari non potest: Humilis hæc in animo gerens, non potest eleuari animo supra præcepta Dei, nec suprà Creaturas Dei, quarum ignorat finem à Deo præscriptum, & conscientiã; sed propriis defectibus verecundatus omnibus ignoscit, compatitur, humiliatur. Vndè sacer Doctor virginibus non agnoscentibus suos defectus, de Virginitate iactanter confidentibus, expedire ait, vt cadant, quatenus ex culpa hac etiam alios suos defectus agnoscant simul, & humilientur. Præterea humilitas est magnes virtutum, dum enim non præsumit se scire, homo addiscit; & quanto plus addiscit, & plura, tantò magis, & plura intelligit se ignorare, vt probatum est in Metaph. & sic nihil se perfectè scire, sed pauca, & imperfectè intelligens, plus se Deo, à quo sciat, subiicit: & à cunctis, humiliando se illis, lucratur scientiam; existimatque lucrosius vinci, quàm vincere in disputationibus; & sic est: quod scioli non aduertunt. Item in via virtutum dum se humiliat, quasi parum profecerit, semper proficit, & quærit, & inuenit.

S. August.

Qui autem elatus putat se doctum, & sanctum, non amplius proficit, & sic deficit in via, & ad Deum non peruenit. Sic qui dicit se plenum, non accipit cibum: qui ieiunum, accipit: ideò humilibus dat gratiam Deus, superbisque resistit, tanquam minus indigere se putantibus. Item quia nihil habes quod non accepisti pudeat gloriari quasi non accipiens mendaciter: si accepisti, & in puritate accepta non perstitisti, pudeat magis. A nobis non nisi nihilitas & culpa est, ideo humilitas necessaria est id agnoscens.

De Obedientia.

3. Ex Humilitate nascitur Obedientia spontanea. humilis enim subesse vult, quoniam seipsum regere difficile est; alios verò facilius: nisi sint aliquid tui, vt filii. Affectio enim decipit in tuos: in alios autem rationem exerces solam. Ideò Resp. hinc admonita, Dominium super filios, & super seipsam transferri n Regem; & sæpè externum Prætorem, vt Florentinis mos fuit: & doctissimi Religiosi minus doctis fratribus parent: humiliari ergò inferioribus est, suas passiones aliorum rationi subdere: Proptereà nec humilitatis nec obedientiæ est, tuam rationabilitatem aliorum affectibus subiicere: sed culpa maior, quàm cum propriis. Idcircò cum iubet mala, non est parendum; sed si bona, aut indifferentia ad bonum ordinata.

4. Contrariatur Humilitati elatio: ex inuerecundia & sui amore impregnata, deficientiæ & falsitatis larua, nascens. ex qua iactantia, superbia, arrogantia, sophisma, hypocrisis, & alia affinia pululant vitia.

De Inobedientia.

5. Obedientiæ verò Inobedientia in bonis, & indifferentibus ad bonum ordinatis: nam in malis, & ad malum, fortitudinis est, & sublimitatis non obedire.

Opponitur relatiuè non contrariè imperium obedientiæ.

Humilitas quid ad Imperium.

6. Imperium non nascitur ex humilitate nisi occasionaliter. Nec ex dominatu, licet sit cum illo: Sed sicut refertur obedientia ad præceptum & regimen, ita imperium Regis est, & indiget in regendo humilitate: putabit enim eos, quibus imperat, esse meliores se, & sic non extolletur: corriget peccata cum dilectione hominum, & odio vitiorum, misericorditer considerans, ne & ipse tentetur. Indiget etiam fortitudine, vt defendat suos ab internis, externisque malis: & omnibus virtu-

tibus, vt doceat, pascat, iustificet, & defendat: quibus iustitia vtitur, eisque in gradu heroico, quoniam virtutes in Principe excelsiores, vt sit non bonus modò ciuis, sed simpliciter bonus, & in gradu summo, vt excellat sicut caput in corpore, & alios bonos efficiat. Propterea propria virtus Imperatoria est Magnanimitas, virtutum fastigium, & epilogus, de qua mox erit sermo.

De Conseruatione Politica, & Iustitia eius virtute.

CAPVT XV.

1. SI in naturalium puritate, in qua creati sunt ab Opifice summo homines, perseuerassent non indiguissent, vltra iam declaratas, virtutibus aliis, per quas sufficienter, & in se conseruantur, & in filiis, & in fama, directis per sanctitatem ad æternam in Deo vitam. Alia enim conseruatio non datur; ergò iustitia superfluit, de qua dicturi sumus: nec enim posita est iustis, purisque, sed iniustis, hoc est iustitias transgredientibus morales iam dictas: Omnis enim virtus iustitia est, quia iustum & æqualitatem ponit inter passiones, operationesque ad obiectum bonum conseruationis quadruplicis, de quibus locuti sumus: quæ verò exorbitant iniustitiæ sunt, hoc est vitia; vnde virtuosus idem est quod iustus in tota scriptura Dei, vitiosus idem quod iniustus. *Iustitia Politica indigemus cum priuatas virtutes, iustitias scilicet morales non obseruamus.*

2. Qui autem putant dari Iustitiam specialem, distinctam à virtutibus, quæ reddat vnicuique suum: Multivocatione capiuntur. Reddere enim suum Benefactori est opus Gratitudinis, & Beneuolentiæ; ei verò cuius rem habemus est Fidelitatis: punire peccantem est Beneficentiæ, & verecundiæ; neminem lædere Beneuolentiæ: Denique quidquid legalis iustitia, de qua dicturi sumus, imperat, prius naturalibus virtutibus obseruatum est; nam & quæ sunt temperantiæ, & fortitudinis, & æqualitatis, & aliarum virtutum, imperat. Imperate autem, & obedire, ex Primalitate prima per passiones fluit ad operationes: & relucet primò in patre, & filiis, vndè Iustitia legalis hoc accepit: tolummodò ergo addidit coercitiuam vim nouam, quam & à verecundia accepit: cum enim homines transilitent regulas iam datas, nec amplius erubescerent, cogendi fuerunt, vt pænas darent, & discerent erubescere, sicut natura facit puniendo intemperatos podagra, &c. Et propter hoc additum est dominium coerciuum iustitiæ. *Multiuocum nomen est iustitia, nec reperitur iustitiæ actus qui nõ sit alcuius virtutis moralis actus.*

Differunt dominium & ius. Dominium enim est superioris ad inferiores. Ius est inter æquales, in quo æquales. ***Dominium est potestatiui actiui extensio super rem sibi subiectam, siue iure, siue iniuria.*** Dixi, *extensio*, quoniam nec sol dominatur in subiectam rem, in quam sua non peruenit vis: nec calor in materiam, in quam non extenditur. Nec Rex Gallorum in Gallos, qui sunt in Hispania. Dixi *potestatiui*, quoniam sapientia non dominatur in suum subiectum, sed cognoscit tantum: Nec voluntas in suum, sed solum appetit, nisi vt sunt vnum cum potestatiuo. opera enim primalitatum ad extra sunt indiuisa. Dixi *actiui*, quoniam passiuæ potentiæ est obedire: vt materiæ potentia est, suscipere dominantes vires, calorem & frigus & formas. Dixi *in subiectam rem*: hoc est, viribus & forte inferiorem Non enim Luna etsi actiua dominatur in Solem potentiorem, sed in terram: nec Episcopus in Papam, sed in Clericos suos. Dixi *aliquo Iure*, quando ad aliquam finem vtiliter, vtriusque: sic calor vt tria in calorem vt duo cum vtriusque gaudio & augmento, & Pater in filios: vel alterius tantum, vt cum Leo occidit Capram vt manducet, & Olitor olera. Dixi *vel iniuria*, quando ad libitum nullum ob finem rationabilem.

Ius enim est rationis regula iustificans idest æquans extensiones & operationes vt sint aptæ acquirendo fini, posito à Deo, vel à natura vel ab arte, si ut æquat hominem homini quatenus mutuo alter alterius est gratia & finis. Propterea triplex Ius, diuinum, natu-

rale, & artificiale, quod positiuum dicunt, idest triplex virtus, idest triplex lex. Ius diuinum omnia diuinæ ideæ & fini bonitatis eius, adæquat. Ius naturale naturales res æquat finibus naturalibus: hoc iure regitur Cælum, Elementa & elementata: sol enim oritur naturali iure vt omnia illustret & generet. vide anatomen, & regimen partium corporis, & quo iure manducamus & generamus, & mox etiam intelliges, quo pacto ex iure diuino ortum est naturale.

Ex naturali humanum duplex aliud per modum conclusionis, quod dicitur Ius gentium: quarum natura communis est. Vt ex hoc principio naturali quod similia se mutuo iuuare & conseruare habent, ortus est contractus, agrorum vt colendorum diuisio, connubium, punitio malefactorum. Aliud per modum determinationis & specificationis: & dicitur Ius Ciuile: quod sibi omnis Ciuitas vel Natio, moribus & vsibus suis congruenter statuit ex arbitrio sapientum, vel Dei iussu; vnde apparuit secundum ius diuinum temporale; cuiusmodi delectus ciborum, certi ritus in sacris, in contractibus & iudiciis, vt in lege Moys. verbi gratia. Ius naturale est *omne malum est tollendum*.

Ius Gentium est: ergo *omnis latro quia malus est puniendus*. Ius Ciuile est, *puniendus est carcere, vel pecunia, vel flagro*. Ergo positiuum repugnans naturali non est ius, quoniam non est eius proles.

Ius adæquat fini omnia & res rebus; non ergo est, nisi inter æquales, vel natura vt homo homini, vel concessione gratuita vt inter hominem & Deum. Homo enim (ait Ambrosius) ius petendi à Deo & impetrandi habet, vt seruus à Domino, & filius à Patre alimenta. Hoc autem ius fundatur super illius beneficentia; ex qua quia dedit homini intellectum liberaliter, debet ex iustitia dare manum: ex quo vitam, cibum; magis autem si expressè promisit: maximè si sub conditione quam seruasti: vt si vis gratiam, pete. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Propterea omnia iura Dei vocantur fœdera, & pacta: fac & faciam: liberaliter enim se fecit aliqualiter æqualem nobis, sicut & hominem, & iustè instat præcepto, quia præuenit auxilio. Similiter seruus vendit Regi olea, quanto suis conseruis, quoniam Rex in commutatiuis fit vassallo æqualis. Ius etiam habet non obediendi quando præcipit extra ius suum, vt, *ne mingas* contra ius naturale, *ne accipias Sacramentum* contra ius Diuinum; in quibus duobus omnis homo omni homini est æqualis.

Occasio inferendi iustitiam post virtutes inter mortales ex peccato.

3. Quapropter (dicebat sapientia) plurimi nascentur filii, ac alii aliis non concordabunt per Beneuolentiam: multa enim varietas fiet spirituum ex gradibus caliditatum variarum, ac materiarum diuersarum, ex quibus oriuntur: Menti verò, quam sicut Ducem illis immitto, non omnes obedient, immò & ipsa seruiet illis cum à Dei obedientia discesserit, & animalia, sicut à Tyrannis populi, discifcent; nec homines ex se victum procurare valebunt, aliaque commoda, sed alter alterius labores vsurpabit per maleficentiam. Ingratitudo quoque pessundabit beneficentiam, ita vt nullus alteri benefaciat, nec gratus proinde sit; multique ignorabunt ad quid nati sunt, & quanta debeat esse mensura, seu iustitia passionis, & operationis ad bonum acquirendum. Alii namque nascentur robusti corpore, & non animo, & hi boni ad colendam terram, & custodiam animalium: qui robusti & animosi ad defensionem & militiam. Qui mente & corpore, vtiles, ad regnandum idonei erunt. Alii flacci corpore, & potentes animo, ad inuestigandas scientias, & Religionem tractandam: Alii flacci in vtroque ad seruiendum. Propterea oportebit eos in vnum colligere, quasi corpus, in quo quasi membra conuiuant, & in mutuis officiis se se iuuent, & à fame, frigore, æstu, feris, mutuisque ab iniuriis se se tuentur, & perditum dominium in animalia resumant, vel ex parte, & quilibet in exercitio, ad quod natus est aptior, occupetur; sic enim fiet, vt perditæ virtutes, vel per vim in eis, qui amore non ducuntur, recuperentur, aut saltem in actibus cum non in animo. Regula ista curans, vocabitur Iusticia, eo quod sit virtus communis: propterea omnium virtutum nomen habet, quarum est instauratrix: curabit autem in primis verecundiam ad vitam reuocare, tanquam virtutum custodem; & si non sufficit, perficiet eam vsque ad vltionem. Et sicut omnis virtus

Occasio Politiæ.

pœnam exorbitantibus à se statuit, & præmium obseruantibus, non secus ac natura corporis, cuius instar erit Politia, & corpus commune membra cum à suo officio recesserint, punit morbo, cum permanserint, præmiat sanitate: stimulosque adhibet dolorum, & voluptatum. ad hoc ipsum, sic faciet & Iustitia in communi corpore Reip. Vtque à vilibus, caducisque bonis, pro quibus ad internecionem prælia̅tur, illos reuocet, æternum bonum in memoriam reuocabit per Religionem, sanctitatis germen, & custodiam. Quod si nec iustitia bonos faciet: statui diem magnum, in quo benè, maleque facta ipse iudicabo, & cælum, & terram renouabo, & quam ab exordio capi viam perficiam, purosque reddam eos, sicut à creatione, & meliores, & gloriosos, qui ex tanta malorum pugna purgati euaserunt, à mea in finem amicitia non distracti. Porro & hanc subdidit orationem animæ auribus secretis perpetuò insonantem.

4. O Animæ, quas humanis in corporibus ipse semino, cum in mala præfata eccideritis, mementote vobis Remp. condere ad huius exemplar, quam ipse in cœlorum cælo cum meis ministris in summa iusticia rego. At si huiusmodi ideam, cum spiritibus animalibus sius inuolutæ, minimè agnoscitis; inspicite regimen in rerum vniuersitate à mea vniuersali sapientia conditum, summa temperante arte calorem, ac frigus, nullam illis inferendo vim, sed sponte vagant in bonum commune, dum proprium procurant conferendo, ac cuilibet inferendo portioni semen illud, ad quod idonea est: atque vtendo vilibus ad nobiliorum vtilitatem. Herbas enim animalibus producit: hęc verò hominibus: homines cælicolis: cælum verò meam virtutem in variis systematibus, eam sibi inuicem communicantibus, tantum administrat ad finem, vt omnia tandem ad vnitatem primi Entis referantur. Facite vobis Ducem vnum sicut Deus vnus, sol vnus. Aut si minus concordes estis duos, vt calor, & frigus, temperando vos ipsorum instar: consules duos, sed senatum vnum: vbi optimus defuerit, vnus pater, vnus Magister, Pastor, sacerdosque idem cum iam à vestro degeneraueritis principio: At si istud minus capitis inspicitote vestrũ, quo pacto capiti singula membra seruiant non ad ipsius modo capitis vtilitatem, sed sui ipsorum singulorum, & omnium simul, caputque omnibus non dominatur, sed principatur, imperat, auxiliaturque non modo ad sui, sed ipsorum quoque vtilitatem, & quasi vnum ex eis, præstatque illis motum, & sapientiam, qua antecellit ea, quantum pecudes pastor suas. Vt autem simul compaginemini sicut caput ac membra, Religionem ex sanctitate erga me vnum vnissimum amplectamini, quæ in vnum vos colligat, distinguatque in officia vestra, ita vt quilibet agendo quod sibi bene faciat, aliis quoque benefaciat vno consensu, communi vita contentis. Væ autem vbi diuersi consensus diuersis e Religionibus, & Diis: Religio mens sit corporis mystici, quæ in meam vos copulat vnitatem. Tota in toto, & in qualibet parte Tota: alioquin vnitas dissoluitur. Lex iustitiæ sit spiritus; homines corpus; Agricolæ & milites, manus: sapientes oculi: ignorantes venter & intestina, & vasa purgationum: hoc est artifices cupedinarii, coqui &c. solertiores Iecur, & cor, huc est conseruatores, & horreorum curatores, Mercatores, & nautæ pedes: oratores aures &c. Et cauere ne quando qui Agricola est à natura, fiat à vobis Rex nec Artifex, &c. Omnia enim turbabuntur: tunc enim non sapientia, sed fortuna gubernabit, quę ignorat harmoniam, & inexorabilis est, quoniam nec ens ipsa est, sed inordinario: & erit sicut si quis ambulet manibus, non pedibus, aut lupus pecoris, & caper hominum fiat Rex. Videbitis ergo quod ego Regem Neronem non faciam, sed ignorantia vestra, quæ est fortuna: nec Socratem subditum, nec Caipham Pontificem, sed barbitonsorem: ipse autem sapientiæ Pontificatum laruatus occupabit, & cum ipse ad vos manifestabor Emmanuel, verus Rex, omnes spurii Reges, casuque creati contra me insurgent, ita & contra alios natura Reges, isti casu Reges, veluti in comedia laruas regias induti, conspirabunt, & interficient, & fugabunt, & opprimentur eos. At ego in fine dierum cuncta iudicabo in comediæ vniuersalis agnitione, redditis terrę laruis, euacuatisque scenis. Ita dicebat, quando legalem Iustitiam ex diuina, ac naturali expromebat, & pœnam populis minabatur, qui neglecta sapientia fortunam, fauorem, diuitiasque prę ocu-

Oratio secreta continuò sonans à Deo in mentibus hominum.

lis habentes instituent leges, Reges, Magistratus, & artes, & laboraaibus membris rependent damnum, & dolis inuicem conuet sabuntur, neglecta veritate, atque amore, quibus compaginati conuixere.

De Iniustitia. 5. Iustitiæ transgressores Iniusti vocati sunt, qui bonis animi, aut corporis, aut exterioribus, singulares homines, & Remp. prauè operando, & bonas omittendo operationes defraudant. Qui autem nimis temporales obseruant leges, vt Hebręi sabbatizantes, quando bello impetuntur, & Torquatus victorem filium necans ex apparenti culpa, non iniusti, sed rigidi dicuntur Rigiditas nascitur ex eo quod legis rationem ignorant, & fontē eius æternam legem, quæ ratio prima est, primaque sapientia, vtilitatis & conseruationis, & non ruinæ magistra: non autem positæ ad tempus leges propter instantia mala, quibus transactis, cessat legis anima, ratio: ergo & lex cadauer tunc est: & quibus Deus suam infundit lucem, habent mutandi potestatem suadendo. At cum publicam nacti fuerint authoritatem, etiam coercendo.

De Rigore.

De Æquitate. 6. Iustitia omnis æquitas est, æquitas passionum, & operationum bonum ad finem: qui scientiam boni, & equi habet. idest finis. & mediorum, hic solus leges condere, & abrogare, irritare, interpretari, & dispensare vtiliter nouit. Æquitas naturalis lex est, vnde Moralis oritur. Æquitatis vero regula æterna lex sapientia est Dei, & durat absque mutatione: Positas autem leges propter pręsentes non duraturas causas, mutare potest qui posuit, Deus diuinas, homo humanas regulas, Pontifex Pontificias, ea tamen in parte, in qua nec naturales, nec diuinę sunt: nemo enim potest in sibi superiorem.

Definitio iustitiæ legalis. 7. Ex iam dictis intelligere licet iustitiam legalem esse virtutem communitatis, regulantem passiones, notiones, & affectiones, & operationes communitatis, & singulorum ad conseruationem ipsorum in se, & in filiis, & in fama, & in Deo: inspirata à rerum auctore, vt quę per virtutes naturales nolumus exequi: aut ignoramus, per legalem acti, rectique exequamur: Idcirco non esse aliud ab ipsis virtutibus in communitatem redactis, neque enim pręcipit aliud, & cum de indifferentibus determinat, ut ne quis æquitet malum, aut ne sericis induantur, aut vt strata viarum purgent, ad aliquam virtutem reducit exercendam, & commoditatem dat virtutibus & aufert vitiis, & maleficentiæ: vbi enim sunt mulæ necessariæ vectioni frugum, quibus vtitur sobrietas, prohibet, ne alteri mancipentur ministerio: vbi sericum in luxum, & prodigalitatem, trahit affectum, vt conseruet parsimoniā, & liberalitatem, interdicitur. Omnes ergo leges sunt virtutum regulæ vt conseruetur corpus commune: quæ ita non sunt, vitiorum sunt exorbitantiæ. Et quidem lex positiua diuina omnes virtutes, & actus omnes vbi oportet, pręcipit, vetatque omnia vitia, vitiososque actus omnes. At humana non nisi ea, quæ corpus Reip. cōtinent in vnum, præcipit, & quæ destruunt, vetat, cætera pro indifferentibus habet, nam & lupanaria, & meretrices permittit, & mendacia, quæ nulli obsunt; non autem adulteria, & fraudes & mendacia in emptionibus, & contractibus firmatis ex pacto, quoniam in aliorum iniuriam, & discordiam vergunt: sed in benè moratis Repub. plura: in ceteris pauciora vitia vetantur: & nullibi omnes ingratitudines, nisi quæ ex pacto, Voluit enim vt quoniam quantum rependant pro beneficio dissimulabant scire post pudoris iacturam, & alii minus reddebant, aut nihil, vt contractus fierent. Igitur beneficia in Rep. sunt venditiones, gratitudines sunt pretia: potestatem summam patribus in filios, non cedit: quoniam passione vincuntur: Igitur in vnum iudicem, & patrem omnia confert iudicia.

8. Igitur aliæ leges sunt de sanctitate erga Deum, aliæ de parentum in filios, & filiorum ad parentes habitudine, & de coniugiis spectantes ad probitatem & castitatem: aliæ de ciuium conuictu, & pace inter se, spectantes ad Beneuolentiam, Beneloquentiam, & Beneficentiam, & suas asseclas, aliæ de æquabilitate æquali: Item in æquali idest de Imperio, & obedientia: aliç de penis, & præmiis spectantes ad Verecundiam, & correctionem, & honorificentiam: aliæ de Reip. defensione, spectantes ad fortitudinem, cetera ex his.

9. Et quoniam omnes homines sunt æquales in naturalibus, iustitiæ pars quæ, di-

citur commutatiua hoc curat, vt quantum das, tantũ recipias in his quæ seruant hominem in seipso: Non tamen vetat, quin possit omnis homo bene facere, etiam si non recipiat, iuxta moralem, non legalem. Idcircò inuenit hosce contractus, videlicet donationem, permutationem bonorum. Item venditionem, & emptionem, & commodationem, & mutuationem eius, quod non redditur idem numero: Quibus depositionem addes, & pignorationem. Item locationem fructificantium rerum, & conductionem personæ operantis. Item cambia societates in lucris, confœderationes, assecurationes, & arbitramenta, & alia pacta. Quę omnia ad Beneficentiam, & Gratitudinem, & Æquabilitatem simul spectant, & alunt Beneuolentiam & Beneloquentiam: & in his quantum das, tantum recipis, & sicut ex pacto: Idcirco vsuræ tolluntur, vt beneficiis contrariæ. præterquam vbi damnum emerserit benefactori, qui tamen ex generositate potest non exigere.

10. Quoniam vero in donis diuinis, & in virtutibus sunt homines inæquales, sicut & membra in corpore, & alii aliis apti functionibus: eis qui præcellunt decernit plus honoris, qui est cultus in signum virtutis, & sic nos in fama conseruat lex, & conuertit virtutes priuatas in bonum commune: idcirco senioribus tanquam prudentia præcellentibus, & præclaris hominibus, ingenio, & virtutibus honorem, seu reuerentiam tribuit. Omnibus quidem membris, quo membra, honorem aliquem, sed potiorem melioribus; sic enim honorati benefacient aliis. At præcellentibus virtute, & dignitate, quales sunt Magistratus, qui non nisi virtuosi esse possunt, datur & honor seu obseruantia: & obedientia in his quæ ad bonum publicũ imperant. In priuato enim sunt ęquales ceteris. Parentibus vero adhuc obseruantiam, obedientiam, & pietatem: quoniam sunt nobis etiam principium, & instrumenta essendi: similiter & patriæ, quoniã genus est, & principiũ totale, cuius pars est pater: Propterea in publicis, & arduis præferes patriam, vbi bonum cõmune agitur. Nec patri, sed melioribus committes Magistratum: & a ruina patriam potius quàm patrem seruabis. In cibo autem & vestibus &c. patrem pręfer tanquam membrum patriæ tibi augustius, licet non aliis. In reuerentia patrem, in solatio filios, in charitate vxorem, facies anteriores, & iuxta leges. Deo tandem obseruantia, obedientia, pietas, & insuper Religio debetur, quæ est perfecta seruitus, & cultus: Nemini autem hominum sic seruies vt Domino, cum sint membra tua, & conserui erga Deum: & Principes potius sunt Reges, quam Domini: principantur vt membra potiora, non dominantur, vt leo in bestias alterius speciei, sed in propria specie, vt caput in membra. Dicuntur autem Domini, & Dii, sed analogia, & participio: & cum peccat homo, meretur tanquam bestia factus hominem habere Dominum: qui homo perseuerans, iubetur vt Deo soli seruiat: vndè benefici sunt, qui antropophagos, & idolatras armis subiugant, tanquam qui furiosos ligant, vt medeantur, si hic est ipsorum finis.

De distributiua distincta in honorem, in obseruantiam, obedientiam, Pietatem, & Religionem.

11. Religio autem constat sacrificio, & voto, Deo debitis in signum omnipotentiæ, quæ nulli possunt communicari creaturæ. Iuramentum illi inest, & consultatio in dubiis, & futuris, quæ non nisi ab eo sciri possunt, in signum sapientiæ, & veracitatis. Laudatio, Gratiarum actio, & Petitio, quæ sunt partes orationis in signum amoris summi, quo nos diligit, & tuetur, & prouidet: Consecrationes, & Benedictiones ad ista referuntur. Idcirco iustitia legalis eligit sacerdotes puros, quasi mentem Reip. qui curent iam dictas res erga Deum, & contraria puniant seuissimè.

De Religione eius partes, sunt sacrificium, votum iuramentum, consultatio, laudatio, gratiarum actio Petitio, Consecratio & Benedictio.

12. Superstitionis enim partes Religioni contrariæ sunt. Omissiones dictorum, & cum creaturis applicantur, vt idolatria, & cultus dæmonum, & elementorum, per sacrificia, diuinationem, vota, iuramenta &c. Irreligiositas autem est vitium, quo omnia ista impugnantur, vt vana, cum à Deo ordinata sint, & tota natura reclamet, nec vlla vnquam Politia institui possit absque Religione, nec ab Atheistis, & Epicureis, quoniam nullum corpus humanum potest esse humanum absque mente. Stulti Philosophi quidam, qui hęc ad multitudinem illudendam inuenta putant, quæ tot miraculis, & necessitate viuendi à Deo, & natura stabilita sunt: de quibus in Theolog. & Metaph. & paulo antea iam diximus.

De oppositis Religioni.

Contr. Auerr. & Arist. & Pompon.

13. Quæcunque opponuntur pietati, obedientiæ, obseruantiæ, ad maleficentiam

& ingratitudinem ſpectant, & inæquabilitatem ſeu arrogantiam: & ſunt partes iniuſtitiæ, læſiones omnes, famæ, corporis, & fortunæ, vt in cunctis videas nil eſſe iuſticiam, niſi virtutes in debito, & declaratione poſitas: Ex horū obſeruatione pax, quę eſt Beneuolentiæ effectus compaginantis Remp. reſultat inter meliores, & deteriores, & Deum, & homines: etenim meliores rependunt doctrinam, defenſionem, & bonum exemplum. Magiſtratus eadem, & inſuper præſunt, & cogunt rependi inter membra. Pater eadem, & hæreditatem, & bona ſua ſupra natiuitatem, & educationem. Patria inſuper hæc, & tutamen ab internis, & externis malis, & hoſtibus: & correctionem in vitiis, & prēmia, & dignitates, & ordines ſenatorum, vel qualemcunque largitur. Deus verò hæc omnia, & inſuper eſſe, viuere, virtutes, defenſionem à diabolis, auxilium in bonis operibus, & vitam æternam. Addit Reſp. modum colendi Deum, & homines lege, vt nemo excuſetur, & conueniamus in vnum, & quod in virtutibus latebat exprimit, & plura addit ex indifferentibus, vt dictum eſt.

14. Tandem Reſp. accipit ex fortitudinis virtute militiam, & bellum tam contrà hoſtes externos, quam contra praua Reip. membra: quæ reſecat vbi deſperat poſſe vtilia fieri, & in exemplum aliorum hoc accipit à virtute vltionis. & ſicut non occidit ſe homo, ſed punit, & meliorum arbitrio ſubiicit: ſic Reſp. ſe totam non interficit, ſed veniam à Deo petit, & in aliorum malum aliquando ſe victam tradit ſuo crimine. eſt & vbi ſerua fit, ſicut homo bello captus vt in omnibus totum & pars correſpondeant.

Addit ſibi Gymnaſia, & ſcientias, & præceptores publicos, vt benè vtatur ſcientiis: ſicuti Studioſitas, & Prudentia, paulo ante docuerunt. Artes ex ſolertia diſtribuit, & ab exercitii virtute omnia exercitia prębet: vt vanitatis, & ignorantiæ eos arguas, qui non ex virtute legem tulerint. Comedias moratas ab hilaritate accepit, vtileſque ludos. Tribunalia iuſtitiæ erexit cum accuſatoribus, & teſtibus, inſtar conſcientiæ interioris, quæ nos accuſat, damnat, & defendit, & tuetur: quo theatro nullum maius: Omnis animus inordinatus eſt ſibi pæna: culpa aliqua tutum nulla ſecurum ſinit, nec impudentes. hinc Sapientia in fine ſæculorum condemnabit eos, qui nec à Rep. coerciti, nec à natura, peccare in finem deſtiterunt, & ego credo, & ſic benè intelligo.

De ſublimitate Virtutum, Apice, & epilogo.

CAP. 16.

Ex peccato originali dicunt Theologi exoriri tot mala: ideo erubeſcimus.

1 TAntam celſitudinem in animo experimur humano, quòd & ſi virtutem, & bonitatem in ſe non habet, fingit tamen ſe habere, quaſi docens illius priuationem ſibi non conuenire, ſed quaſi ex accidenti, & culpa occulta, de qua verecundatur, oriri: prauitates ſuas occultat quantum poteſt, & cum nequit, defendit, tanquam virtutes: parentum, & patrię, & amicorum ignobilitatem, & conſanguineorum tegit quantū, & vbi poteſt: & cū non poteſt, miris modis de illa ſeſe excuſat. ſubeſſe ita abominatur, ac mortem: & cum ſeruit, nihil ita exhorreſcit, ac dici ſeruus, mancipiumque: Miniſteria etiam viliſſima, quibus coactus addicitur, laudat, ſimulatque honeſta quoad poteſt, & cum non poteſt, ſe eis indignè, non culpa: ſed fortuna grauatum. Verecundia etiam quę tam ſubito vultum rubore ſuffundit humanum, belle declarat non modo vitia, & prauas operationes, ſed etiam ineptitudinem ad virtutes, & virtutum carentiam & bonorum externorum & diuinorum, & ignobilitatem originis, & omnem moralem apparentiam, nedum exiſtentiam, immo ſolam reputationem aliquando de malo, quod nobis non ineſt, vndè ſuſpitionem ne ſic ſuſpicentur exoſam eſſe homini, ac ſe carentem velle punire. Mira res. Quam multi etiam ſe ſe occidere ob idem. Quando & niger ſeruus ſe in ſpeculo tam deformen inter albos videns, de feneſtra ſeſe pręcipitauit: Et quanta ſit laudis immenſa cupido, etiam in vitioſis,

tiosis, ij ostendunt, qui natos, & parentem, & patriam honoris gratia pessundederunt. Nec pati post diuinas tot Religiones aliter suadentes potest genus humanum, credere se lacessitum, ac spretum vel læsum, non teneri ad mortem adigere læsorem. Nec verbum qui ventus est, aut sputum, si despicientiæ signum est, patitur absque vltione, si posset. At de superbia, & inuidia, quæ grandia sunt mala non verecundatur, quia vel falsam habent celsitudinem, sicut de Venereo actu, & de manducatione leuioribus, quoniam hæc habent specimen contemptibile, quia sunt medicinæ mortalitatis, & nobis cum vilibus bestiis communes. Quid tam præclarum latet in nobis ô homines, quod tanta dignum veneratione reputamus, vt nullum malum illi conuenire, nec naturale, nec fortuitum, nec morale, nec à Deo inflictum, fas ducamus, aut credi quod conueniat, etiam si totius naturæ ordo, & Deus ipse ità ferant? Tantum ne thesaurum in vasis fictilibus? Diabolus ipse ne se sic hoc excusat thesauro, ne forte vilescat, si à Deo quasi subiectus veniam petat? ergò ne suprà Deum aliquid in nobis? Et cur, quæso, homines Dii appellari, & credi voluerunt, quamuis mortales, & morientes se se agnoscerent, ipsa quoque in morte se Deos immortales esse dixerunt, & mortalitatem iam exuere? sic Hercules, Bacchus, Iuppiter, Alexander.

2. Absque dubio Diuina Imago nostra in mente id suggerit suæ diuinitatis conscia; errat tamen, quoniam ei à quo datur, commendanda est, qui si nos inter tot procellas, & pericula elementorum, & spiritus animalis inuolucris, & vinculis colligauit, procul dubio non absque causa, summaque ratione is, vt emergamus, etiam dabit. Interim falsæ laudis, & famæ & gloriæ frænanda cupido; donec lux oriatur in tenebris, & nos ad se perducat, qui sui gratia nos in exilio creauit; Nec extrà patriam quies, nec extra Deum deificatio quærenda. Itaque aliqui propterea imperant, honoranturque quòd tanta bonitate ex virtutibus abundant, quanta propriæ, aliorumque sufficiunt conseruationi; tanta autem bonitas in mente relucet, cum à spiritu, quem informat, consimilis possidetur absque turbatione.

3. Puritas igitur lucida spiritus animalis cælo persimilis, fundamentumque virtutis inferiorum Moralium; Naturalium verò essentialitas, & mentis, superiorumque ministra: est Nobilitas vera, ac proinde intrinseca conseruatio, cuius opera sunt virtutes, quibus externa parantur bona, videlicet, diuitiæ, honores, amicitia, imperia, gloria, sanitas, res priuata, publicaque quæ conseruationis internæ gratia sunt, quam æternare cupimus: non autem fines, quorum gratia tot interna bona sint. Igitur quoniam tanti facimus huius nobilitatis indicium, hoc est, honorem, nedum vt commode viuamus, cum sepè absque illo melius viuamus, & pro illo vitam perdamus, & Patriam, & rem; & Dii quamuis falsi haberi velimus. Sunt è contrà & qui testes tanti decoris sui absconditi videlicet, famam non curant, exuti verecundiam, vt possint frui obiectis suarum affectionum: vnde maledicti sunt, qui honorem negligunt à Deo: Alii nec noscunt quid Natura velit in ipsa verecundia. *Quid sit vera Nobilitas.*

Propterea opus fuit heroica virtute, quæ Sublimitas, aut Magnanimitas, aut Generositas dici potest: quæ tantam gloriæ cupiditatem, & negligentiam insuper corrigat, moderetur que: hæc docet non esse pugnandum cum eis, qui nobis honores negant: nam per se boni non sunt, sed testes bonitatis internę, ac persæpè falsi: cum & vitiosi sint Reges, & Imperatores, adorenturque, etiam nefandi. Nec diuitiarum dolet vacuitate, quando & improbis hæ adsint, sintque falsi quoque virtutis testes. Cum & si aliquandò virtute, non tarò tamen vitio & hæreditate acquirantur. Nec generis & Patriæ ignobilitas ipsum cruciat, cum ex præclara patria, & generosis viris praui nascantur homines, falsò teste nobilitatis, sanguine gloriantes. Curat igitur, colitque tantum propriam excellentiam, gaudens illa, quam intus possidet puritate: vultque honoratam ab aliis ipsam videre tanquam resplendentem Dei imaginem, cuius testes veros exhibebit operationes perpetuò bonas sibi, ac toti hominum generi. At si minimè honoretur, aliorum inuidia omnia in contrarium interpretante, aut inscitia actiones magnas, studiaque mirifica pro vanis habente, non mæret generosus sibi, sed illis, cum conscius sit, se dignum honore esse. Hacque sui *Quare opus fuit homini Virtus heroica, supremaque.*

beatitudine contentatur Deo nota, probataque & cælicolis, quos longè melius iudicare nouit; immò etiam si vilipendatur, & iniuriis afficiatur, non vlciscitur illatas iniurias, sed cauet tantum dum inferuntur, ac posteà vindictam non exigit, sicut nec à lædente asino, aut ebrio, aut puero; tum quia suos malefactores indignos reputat qui secum contendant; etiam si fortitudo generositatis soror illatas per despicientiam modò vlciscatur, non autem casu, aut ab ebrio, aut à patre olim & præceptore, & medico vulnus secante, tum quia in se iniurias cadere non intelligit, nisi à semetipso lædatur per vitium, cum eius iniuriatores probitatem ignorant, & quasi in alium, quem mente alium concipiunt, insanire sibi videantur, æstimatque se ab eis legem accipere, similemque illis fieri, si dum sibi malefaciunt verbo, vel facto eos malefacientes imitatur, malum reddendo pro malo. At omnibus etiam pro malo bonum reddit, non quia timet, sed quia sic legem benefaciendi, seseque imitandi, vult, cęteri accipiant. & quia se dignum nouit, qui cunctis benefaciat, vincatque ferinos animos humanitate, efficiatque humanos; Quod & Dei proprium est; quod si nequit, à Deo petit vt reddat probos, non vt puniat, nisi ad salutem. Nec tandem mori timet, nisi propriam ob culpam, & ità clam, sicut palam contrà vitia, & infortunia pugnat, ne à se ipso degeneret; non ergo tantum ne appareat degenerare: & nullius pudore afficitur magis quàm sui, si quandò quid perperam operatur, quia coram se tanquam coram præstantissimo delinquere nefas ducit; ergò in tenebris secum micantem non decipiet, nec Gigis anulo munitus, indigna admittet, & in naufragio tabulam se meliori, Reipublicæque vtiliori, cedet, & consiliis præcepta, vel desiderio superabit, maximè autem coram Deo. Attamen omnes homines ipse amat, colitque tanquam partes sui generis, nec sibi sed toti natum se credet mundo: Et hic est cultus suæ quem præstat menti, Diuinitatis ad imaginem creatæ: vt sicut Deus omnium Creator nihil odit eorum, quæ facit, non enim coactus, sed amore cuncta creauit bona, & amabilia sibi, non quæ odio habeat: sic generosus particeps Diuinitatis per mentem, quam spiritus animalis purus nil turbet, sed sua in serenitate permittit, omnia amet, præcipuè autem præstantiora, sibique coniunctiora, ergò magis homines, qui cunctis corporalibus antecellunt rebus.

Igitur colit inferiores, minimosque tanquam suę speciei partes, & quos sibi in virtute similes fieri cupit & satagit: æquales verò tanquam sui similes; præstantiores verò tanquam quibus similis fieri optet, curetque: obeditque legibus sanctis, tanquam à sui similibus editis: magis autem si à Deo, quem supra seipsum vnum colendum pernoscit. Conferentes sibi honorem, beneficiaque honorat, quamuis inferiores virtute, quoniam id in his honorat, cuius participem fieri dignum se nouit, & tanquam testes suę admiratoresque virtutis. Inimicis verò benefacit, & pro eis cogitat, misertus impuritatis eorum, tanquam sui corporis membra distorta, & ægra, quibus & sanitatem procurat. Item tantam ob animi celsitudinem, quidquid admirabile dicitur de Deo, de prouidentia eius circà nos, de descensu eius ad homines in carne, de glorificatione hominis post mortem, omnia credit, tanquam non maiora, quàm suę celsitudinis credulitas fert, dignum Deo amorem tantum, tantamque curam probat.

4. Vt autem Deum imitetur, omnia posse cupit, omnia scire, omniaque velle, nihilque sibi aduersari; vndè optimus serenitate ingenii omnem artium mechanicarum addiscit facilè Theoricam, & nulla in re fit indoctus, omnia quæ sunt in mundo per physiologiam rimatur, Mathematicam colit, vt sidera, & systemata extra mundum quacunque possit via experiatur. In Prophetis vacabit, vt diuinitatem animi in futurorum notitia confirmet, & à brutorum segreget prophetia; siderum colores, motus, vias, exorbitantias perfectè perscrutabitur, admiratione Dei solius plenus: qui tot mirificas suæ potentiæ, & sapientię diuitias in eis ostendit. Medicinam non aspernabitur, vt suę prospiciat, aliorumque saluti: nec medicorum arbitrio imperitorum subiicit: & in Ethicis propter sui regimen, & in Politicis, & Oeconomicis propter aliorum, mirificè proficiet, & supra cunctos mortales: quippe qui & naturæ, & Dei exemplar attigerit. Rationalem Philosophiam, id est Logicam, Rhetoricam,

Poeticam probè callebit, & ipsorum parabolas, fallacias, prudentias, stratagemata intelliget, & illustrabit. Metaphysicam diliget, tanquam in qua omnes artes, sicuti omnia poemata in poetica arte continentur; & res prout sunt, non prout apparent in aliis scientiis, in Metaphysica rimabitur: ideóque & nouam condet, veteri, id non sapiente, neglecta. Theologiam maximè colet, tanquam vbi digna nostris mentibus inueniat; & quidem omnium antiquorum doctrinas exquiret, & scientias. Nec contentus erit scire quod scriptum est ab aliis, nisi & ipse experiatur an in mundo, quem vnum perscrutatur tanquam Dei codicem, in quo omnia sua arcana scripsit, depinxitque, rerum opifex, scriptum idem eodem reperiat modo, emendatorque scriptorum fit ex originali ad copias collato, examinans omnes sectas, & solius Dei prorsus admirator euadit. Laudabit tamen ipsorum consilium, nec ad sui gloriolam eos torquebit: dedignabiturque exscribere, aut furari quidpiam eorum, quæ rectè scripserunt. Diuinas literas non emendatione, sed declaratione dignas intelliget, quas nec qui spiritu scriptoris non afflatur, pernoscat: sicut nec poemata nisi poeta scit. Idcircò quàm maximè viris sanctis, doctisque assimilari cupiet, quos etiam vnicè diliget, coletque.

5. Prætereà quidquid in mundo stupendum, & admirabile inuenitur, se inuentorem eorum cuperet, nec tamen inuidet, sed laudat, admiraturque eos, qui tantum valuerunt; nec nimis, cum & sibi possibilia eadem intelligat. Inter omnes Columbum in inuentione noui orbis, & Galileum in nouarum stellarum per mirificas vias laudabit, Originemque in Theologia, quoniam ausus est de mirabilibus suprà reuelationem saltem opinari, quamuis errasset: in hoc enim animi excelsa auiditas, non error laudatur: Ambrosium, & Chrysostomum in zelo virtutis admiratur: sed Gregorium Taumaturgum, & Heliam, & Moysen generis humani splendores altissimos, ô quàm diligendos putat. Petrum & Paulum mundi, & Imperii victores, & Ioannem de Diuinitate loquentem, supra homines esse clamitat. Laudat quidē magnanimus maiores, non inuidet; Æmulatur tamen, optatque si posset supra cælum penetrare, & entia ibi recondita nosse, & in stellas singulas intrare, & quid Deus in tot systematis, scenis, & armariis, faciat, repræsentet, seruetque pernoscere: Proptereà nihil non tentat, vt intelligat; & defessus à Deo quærit scientiam, veniam postulans, quod in suis operibus non plus delectatur, quia plus non videt, sed à longè quasi olfacit; Prætereà omnes historias à mundi exordio vsque ad nos naturales, & ciuiles, & totius humani generis transleget. Diuinam enim quasi subitam intelligentiam, atque memoriam spiritus puritas, & mentis serenitas gerunt. Et in illis tanquam præsens delectatur, laudans benefacta, dolens quæ mali egerunt: videturque sibi non triginta annos habere, sed tot myriadas, quot mundus habet, tanquam tot sæculis, & rebus præsens fuerit, nec transactas vna in regione, sed in toto mundo, ità vt totius mundi accola ab initio vsque ad nos dici queat. Hinc plurima nouit, confert, & iudicat, docetque suprà cæteros; & cælestes mutationes cum terrestribus, & physicas res cum Astronomicis, Astronomicas cum ciuilibus, & moralibus, morales cum diuinis disputationibus in quolibet sæculo sibi correspondentes inuestigat; & de futuris per præterita coniecturat, & ex Prophetis inquirit: & cum nouam opinionem, aut veterem admirationis plenam, etiam si impossibilem reputatam, audit, non subitò auctorem damnat, immò damnatoribus indignatur; sed eam in libro Dei, qui est mundus examinat, & in diuinis reuelationibus, & an ex causis, effectibusque aut signis, positis à Deo, vel à natura procedat, an nugaciter non ex his, sed ex suis considerat, & tunc fert sententiam cum sobrietate. Scientias occultas etiam prohibitas omnes percurrit, & examinatas separat veras à falsis: bona, & mala omnia tentabit, & cum humilitate ob Conditoris sapientissimi gloriam in sua anima splendescentem, quem amabit, non ob gehennæ metum, non ob paradisi ambitionem, sed quia summum Bonum, & parens omni dignus amore, etiam si sciret se ad inferni pænas ab eo destinatum; quod tamen impossibile reputat, semper de Deo sentiens in bonitate, itaut prædestinatores ad malum, & prouidentię Dei, & libertatis humanæ exterminatores, miseros, spontéque scelestissimos putet. Propterea scientias de nouo

cudet, & ad omnes mundi regiones de salute eorum, & generis Humani curanda, & de Religione instauranda, diuinas mittit epistolas. Paulini amantissimus zeli, studiique. Item si poterit per totum mundum peregrinabitur, cuncta tentaturus.

6. Honores non amabit, nisi vt benefaciat, propria contentus puritate, & nobilitate; & minimos non acceptat, vndè plus esse non potest; cuperet autem omnium hominum esse Iudex, & legislator, vt posset tot ignominias falsarum religionum, & Deorum, & adorationes rerum nobis vilissimarum, & Tyrannos exterminare, patriamque vniuersi dominio decorare, quam & meliorum atque accepit relinquat, posteris, curabit, de cuius malis & seruitute dolebit, multaque tentabit ad hoc ipsum. Dei tandem Prouidentiæ cuncta committet, cum fecerit cuncta quæ potest. In tribulationibus, & in carcere gaudebit, diuina opera, & artes meditando, & se dignum magis imperio tunc quàm libertate fruens, extimabit: quoniam exosæ, inuisęque magnæ virtutis, à qua impuri, & laruati timent principes, hominesque vitiosi, tunc persecutio eorum, & patientia sua probationem, ostentationemque faciunt, quam prius occultam vix mundus agnoscebat. Deus quoque suis in erumnis præsto esse etiam sibi probatur: Quid autem diuina augustius visitatione? In tormentis inuictus, atrocitate, & diuturnitate non frangitur, nec confitebitur quòd tortoribus satisfaciat, inmò illudet, & sola virtute vincitur. Diabolorum expertus superbiam, & inuidiam in genus humanum ab eorum consortio abhorrebit, nihil tamen non experietur, immò libenter eorum historiam qui per aera dæmonum arte feruntur, & mirabilia faciunt, libenter audit, non scelus & apostasiam ipsorum admirans, sed audacem vim humanam: signum celsitudinis egregiæ ostendens etiam cum separatis à corpore mentibus nobis esse posse commercium, & fore eum Angelis, si cum diabolis.

Hinc spem & Religionem firmat, in malis etiam boni specimen amat, in bonisque specimen mali odit, immò in cunctis virtutibus, quod est admirandum seligit sibi. De fortitudine martyrium; De Castitate Virginitatem; de liberalitate magnificentiam; de Artibus Dedali volatum, & machinas Archimedis libenter contuebitur; est enim epilogus virtutum; voluptatis, & doloris se prædam non faciet. Syrenas audiet, sed ligatus nauigii malo; suis autem aures obstruet: factus forte seruus, nil seruiliter aget, sed quasi Dominus Dominorum suorum, quibus & gratissimus erit. mortem sibi nunquam consciscet, vt erumnas fugiens, ad Dei delicias perueniat, sciens Deum non sine causa corpori mentem alligasse, donec ipse voluerit absoluere. & contra sui compositionem non agere, sed pati vbi opus est, à Natura cuilibet dictatum esse. Vbi potest euadere, Dauidem simulantem insaniam, & Solonem, & Brutum, haud ægrè imitabitur: iniustosque persecutores ipse deludet: nil tamen illi mendatio exosius, præcipuéque proditione. vtetur solum officiosis stratagematis, & amphybologiis in dicto & facto contrà pueriles animos; probitatis, eis vtilissimæ, persequentes, non secus ac puer medicum eò quod amâram offert sibi medicinam, perditum vult. & si contigerit bella tractare, nihil illo fortius, aut in militari arte prudentius. Temones actionum, non carinas tangit: scit enim totum mundum in vacuo positum vno capillo posse trahi, sic nauem in mari vbi resistentia non est, & res omnes difficilè moueri, quia ad suas protendunt vniuersitates: Terrestria ad terram: solaria ad solem: & partes Lunæ intra suum gyrum ad centrum Lunę, extrà verò quorsumuis, & ad suas propensiones, sicut vis. Hinc magiæ naturalis sapientissimus, & virium herbarum, & Anthypatiæ, & sympathiæ cęlestium cum terrestribus, & hominum cum hominibus, & rebus aliis, nil difficilè reputat, si commoditas operandi affuerit. Attamen talis, tantusque humilis erit, quasi à Deo cuncta agnoscens, cuius comporatione ipse est nihil, nihil scire se arbitratur, nisi aliis comparatus: quos in gradu suo colet: cum præsertim perfectè aliquid sciri per Metaph. nisi aliquas existentias, [illegible]m probarit, non posse.

6. Opponitur Sublimitati Vilitas, seu Pusillanimitas, seu superbia, ambitio: illa non amat honores, & imperium, non quia spernat, sicuti generosus, sed quia ipsorum splendorem non intelligit: aut timet mala, & pericula: nec confidit eos viribus, &

ingenio, quorum est vacuus, sustinere: & suæ voluptati seruiens, aliorum negligit curam; honorat submissiuè potentiores, & opulentiores, non tanquam præstantiores, & beneficos humano generi, & sibi, sed tanquam potentes mala facere. In ęrumnis succumbet exanimis absque voce; seque illicò extinctum putat: interrogatus in tormentis, quidquid volunt tortores, vomit, siuè verum, siuè falsum; non sibi, sed aliorum pudore afficitur: Magna non tentabit, conspectum principum effugiet, & sapientium, non quia despicit, sed timet, seque indignum consortio ipsorum noscit.

7. Superbia inordinatus excellentię amor honores ambit, quibus per virtutes non est dignus, non vt ditescat; hoc enim esset auaritiæ, sed quia eos tanquam bonum summum agnoscit: non autem tanquam virtutis testes, vt boni, summi, verique, nec vt aliis benefaciat, sed ipse conspiciatur in excelso. Deitatem quoque affectabit, & diliget admiratores suos etiam Parasitos valdè. Grandia capesset, vt videatur grandis, & non quia sit, & vt sit. Priuatus honoribus, viuere amplius non confidit, aut vix: Pecunia redimet, & omni scelere, quod affectat: Positus in carcere, & ęrumnis, se indignum honoribus tunc reputat, contra id, quod magnanimus semper sibi similis, tunc etiam magis se dignum extimat, vitamque pecunia non redimet, si mori ob virtutem oportebit præsertim à Rep. cui benefecit: immò euadit persequentium se Dominus, dum innocens propter Iustitiam occiditur, & per mortem primæ veritatis, sapientiæque sigillat defensionem, seque tunc secundum naturam esse declarat Principem oppressum à personatis secundum fortunam Principibus. Ita Petrus, Paulusque hodiè Domini interfectoris sui Neronis sunt, cuius leges, statuæ, ac memoriæ prostratæ sunt in maledictione. Petri autem & Pauli erectæ in templis, altaribusque terræ, & cæli. Laudatissimus Socrates, suique persecutores vituperatissimi. etenim ille legem tulir in vita & morte verbis sanctis semper duraturis, vt quilibet fieri cupiat, qualis ipse fuit: hi verò ita exosi, inuisique, vt nemo eis similis esse velit, ille sanitas mundi, hi exitium sunt. De Superbia.

8. Caput omnium vitiorum est superbia, nullum enim crimen committimus, nisi quo nostram voluntatem voluntati diuinæ anteponimus: quod est suprà Deum monstruosè erigi: cum nec pes supra caput velit ambulare. ergò auertit nos à summo bono, & conuertit in nos ipsos, vt reputemus nos pro summo bono, omni honore, cultuque dignos, & sufficientes nobis, quasi ex nobis, & propter nos existimemus, & verecundantes, quod etiam à Deo dependamus. Quid non superbiret homo si sole, terra, cibo, potu, somno, & vilissimis præ se rebus non indigeret, sic consulente Deo? A quo nisi præcederet auersio, non esset peccaminosa, vel non subsequeretur ista conuersio, ex qua mox anima, quę super Deum, & diuina naturæ decreta ibat, se corpori sibi insufficiens, subdit: corpus exterioribus vilibus bonis, in quibus quasi super nihilo mendicat fallacem honorem, quem verum à prima veritate dedignatur.

Admonitio.

QVando Sapientia æterna hanc spiritui humano inserebat ex mente virtutem omnium epilogum pulcherrimum virtutum, dixit ad mentem immortalem, in qua primum virtutum semina iecit, Iure quidem punienda eris, nisi rectè vti spiritu isto scieris, tam virtuosæ intelligentiæ organo viuo. Nec tibi domandum lapides, plantasque mando: sed spiritus origine cælestes, tuarum participes virtutum, symbolum tecum facientium, & harmoniam: Nec excusabere quia & vitiorum: non enim vitiorum occasio aderit, nisi te peccante: nec illis rapientur postmodum nisi te volente: in qua volendi, nolendique libertate secundum legem meam, quam tuis in virtutibus imprimo viuam in meæ similitudinis complementum te statuo. Promptior quoque animalis spiritus ad bonum, quàm ad malum: cupit enim ens omne propriam conseruationem: ergò & probitatem, nec quod sui destructionem cupiat, erit: non enim mea factura mei imitatrix semper entis idem illud ens erit: & quia virtutes sunt via ad vitam, vitia ad mortem, illæ secundum naturam sunt, ae voluntatiæ, ista con-

tra naturam, & inuoluntaria, nisi quis malum pro bono accipiat. Ad malum enim nulla voluntas. Quod ne facias, do infallibilem lucem, equidem (ait) de fonte voluptatis meæ, in quo vestra Beatitudo consummabitur, stillas quasdam vestris in laboribus effundo: nihil autem laboriosius indiuidui, ac speciei conseruatione per alimentum, & venerem contra mortalitatem. Ideóque est in his voluptas prælibatio beatitudinis, & medicantis, non fruibilis, & beantis consummatio, sic in aliis: sed hic vehementius. Itaque cauendum ne fruentes vtendis, & vtentes fruendis, ponatis in medicina summum bonum, atque in stilla: ponendum in salute, & in fonte. Itaque inspice (ait) amorem mei, mox tui propter me: hæc enim dux rectarum in omnibus erit actionum erga cæteros. Quidquid probè vis tibi, fac & illis, & quod tibi non vis, nec illis velis, faciasque. Ames autem omnia propter me. At si meum postposueris amorem fragilium bonorum cupidini, & tuum appetitum fræno legis amoris solueris, frenum exosi timoris indues, regulam transilies, peruertetur natura, variasque induetur ægritudines: spiritus fient impuri, fuliginosique, aut crassi, stupidique, organaque prauè eis concinnata incommoda erunt: hinc in tui ignorantiam, & illorum in naturam transibis, nec quid sis, nec tuum genus, nec immortalitatem intelliges. Rarò enim fient vt puri sint, lucidique mediocres persimiles meæ prorsus Ideæ, quando experimento agnosces virtutes, ac vitia, bonum & malum: corporis mortem tibi rebellis, quod auxilio meo destituta, à quo te separabis, seruare in sua compagine non poteris, quin dissoluatur. Anima audiebat huiusmodi sermonem. Quid autem subinde fecerit, historia docet.

Secundæ Partis finis.

THOMÆ CAMPANELLÆ

QVÆSTIONES SVPER TERTIA PARTE SVÆ PHILOSOPHIÆ REALIS, QVÆ EST DE POLITICIS.

IN tertio libro tot mouendę essent Quæstiones, quot sunt Aphorismi, in quos digessimus Politicam doctrinam. At quoniam hanc materiam in libro de Monarchia Hispanorum, & in Panegyrico ad Principes Italiæ, & in duobus libris de Monarchia Messiæ, Politicè, & Theologicè conscriptis, & in Tractatu de Iuribus Regis Catholici in nouum orbem, & in libro de Regimine Ecclesiæ ad faciendum vnum ouile vnumque Pastorem in toto terrarum orbe, multisque aliis in tractatibus politicis, reduximus ad praxim, pauca hic tangenda restant. Ipsi quoque Aphorismi se se inuicem declarant, comprobant. Quapropter quæ controuertuntur ex hominum impietate, & dominandi ambitione dira, inquirimus, & nostram Remp. idealem defendemus succinctè, ac secundum naturam, & S. Scripturæ decreta.

DE DOMINIO, ET REGNO. QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum sit idem regnare, ac dominari.

ARTICVLVS PRIMVS.

1 VIdentur esse idem ex vsu vulgari, & omnium gentium. idem enim dicitur Rex, atque dominus apud omnes nationes.

2. Nemo aliquid operatur propter alios priusquã propter se: propriũ enim bonum præponderat semper alieno, & summum bonum vnicuiq; est proprium esse: qui ergo regit, prius respicit proprium bonum, quàm eorum quos regit. At Dominus dicitur, qui vtitur re aliqua ad sui vtilitatem, habetque id faciendi potestatem. Rex autem potest vti subditis, & eorum bonis ad suam vtilitatem: ergo idem est Dominus.

3. Probatur ex illis, quæ dixit Deus ad Samuelem, quod Regis ius est, vt tollat sibi aliorum substantias, & filios, faciatque sibi seruos, & ancillas: & optima quæque Regni ad suã vtilitatem conuertat. Ex quo accipiunt Politici moderni, & Machiauellistæ, omnia esse Regis, eumque esse Dominum vitæ, & mortis, & possessionum. Et Antonius Imperator ait, *Ego mundi Dominus.* ad l. Rod. de iact. l. de præcario.

4. Regis est dirigere vassallos ad bonum publicum, & priuatum, ergo & ad proprium, vti caput vtitur membris omnibus ad libitum, & Anima corpori imperat

secundum Arist. 1. polit. potest eos etiam coercere pœnis: etenim habet virtutem directiuam, & coerciuam. Item ipse est lex. *Nam quidquid Principi placuit, legis vigorem habet*, vt ait Iurisconsultus ff. de constit. Prin. l. 1. ergo est totaliter Dominus, est enim lex sua voluntas, ergo non cogitur lege, & omnes cogit: lex autem dominatur in Rep. non homo, vt vult Arist. At si voluntas est lex, ergo & Dominus.

5 Omne imperium cœpit de iure gentium. Quicunque enim plus terræ vsurpauit, plus retinuit. Romani amplificarunt Dominium armis: sic Carthaginenses, sic Turcæ, sic Hispani, sic Persæ, sic Mogori, sic Rex Tartarorum, & Rex Chinarum. Vnde Arcesilaus (teste Lactantio) probat nullam esse iustitiam. Nam si quis reddere vellet quod suum non fuerit, & rapuit: nemo esset Rex, nemo diues, & reuera per iniquitatem dixit alius, hoc est meum, alius hoc suum, teste S. Ambr. & Chry. & Clem. & Basil. & Platone, & Isidoro, Dominiumque introductum est per iniquitatem, sic & regnum, ergo sunt idem cum Dominio. Nam & vendunt, & permutant regna, vt prædia: & hæredibus relinquunt.

Sed contra est hymnus Angelicus, quo canimus: Tu solus Dominus. & Deut. 6. *Dominum Deum adorabis, & illi soli ferutes*: ergo non hominibus, nisi secundum quid. Item Christus in Euangelio ait, *Reges gentium dominantur, vos autem non sic, sed qui est maior sit minister*. Ergo qui regit ministrat aliis, non est Dominus aliorum: & hoc non solum ad Episcopos, sed Reges quoque Christianos dictum est, teste Chry. Rex enim Reip. gratia Tyrannus sui regit, vt sui, non vt caput Reip. ad bonum reciprocum. Finis autem Reip. est Dei cultus, vt Plato cognouit, non autem Rex, aut libertas, aut diuitiæ: his enim finibus positis tyrannides fiunt: & Macchiauell[illegible]ius, & Idolatria. sed cum Rex cognoscit se populum pascere Deo, non potest tyrannizare, sui gratia regnando, sed Dei, & iuxta eius leges, non proprio temerario quocunque arbitratu: propterea non est vllus princeps, Christianus, qui profiteatur Dominium despoticum supra vitas, animas, & bona vassallorum: licet, aliquis per simulationem aut vim faciat, quod non profitetur, sicut Mahometani, & Gentiles.

Item propter hoc Eccl. c. 32. dicitur. *Regem te posuerunt, esto sicut vnus ex eis.* Rex ergo non est Dominus, sed frater maior, qui fratres suos regit, & pascit, & defendit, & iustificat, & docet, sicuti in textu dicebamus.

Distinctio & quidditas. Sciendum ergo quod Dominium est potestas assumendi aliquid ad proprium vsum quomodolibet, & quidquid libet faciendi de substantia eius. Vsufructus est potestas vtendi aliqua re, & fruendi, non tamen in substantiam rei. vt qui vtitur viridario alieno, & fructibus, quos etiam dat & distrahit. Vsus autem est potestas vtendi solum, non autem & fruendi: hoc est donandi fructus: & diuiditur in vsum iuris; vt, quando hoc facit ex lege, & Domini concessione, vt cum vtor gladio alieno: & in vsum facti, homo vtitur quacumque re, quamuis nullo iure concessa, vt latro: hæc sunt vocabula legistarum. Ius autem est lex seu regula faciens iustas semper æquas operationes fini posito à Deo vel à natura vel ab Arte: & hominem homini, quatenus mutuo sunt alter alterius finis & gratia. Ius ergo est inter æquales, vel naturà vt homo homini: vel gratuito promissione, aut gratia: sicut homo habet ius (ait Amb.) petendi à Deo & impetrandi, quia Deus hoc illi concessit. Dominium autem est inter superiores & inferiores naturà, vel sorte. Naturà, anima corpori: sorte miles mancipio dominatur. Regnum autem mistum est ex iure & dominio. Et sine iure est tyrannis: sine dominio est doctrina, & exhortatio quasi Philosophica.

1. Conclusio. Nunc dico neminem esse simpliciter Dominum in mundo alicuius rei, neque sui ipsius: quoniam non potest in substantiam rei aliquid facere, neque in fructum, prout lubet, sed prout à lege Dei naturali, vel scripta conceditur: solus ergo Deus est simpliciter Dominus omnino, quoniam potest substantiam rei immutare, perdere, annihilare, in elementa conuertere. Homo autem hoc non potest, nec de facto, nec de iure. De facto potest occidere, rapere, violare, non tamen annihilare, aut facere de lapide panem, & quidquid facit Deus, cui vt verè Domino omnia obediunt ad nutum. De iure verò homo nihil potest, nisi prout à lege Dei sibi conceditur, ideo nec se nec alios potest occidere, nec arbores, nec pecudes, nisi ad vtilitatem rationabilem,

non

non temerè, vtque vult. Habet ergo Rex vsum in quædam solummodo, sicut in Solem, & Cœlum, non enim potest dare aut vendere solem, sed vti tantum: in quædam verò vsum & fruitionem: vt in seruos & mancipia & prædia, & hoc est dominium per participium non per essentiam, sicut diuinum. In homines verò nullum habet dominium inquantum homines sunt, sed in quantum peccant, aut seruiunt vt pars toti: quoniam cum sint eiusdem speciei, sunt æquales, & alter non est alterius gratia, nisi reciprocè. non ergo cedit in eius vsum. Animalia, & plantæ sunt hominum gratia. homo autem non est hominis, sed Dei solius possessio, vt docet Plato: & prius Dauid, *Nos* (inquiens) *populus eius, & oues pascuæ eius.* Quando ergo homo præficitur hominibus, præficitur ad regendum, non ad dominandum: & hoc patet, quoniam primi Reges fuerunt patresfamiliarum, qui natis iura dabant & doctrinam. Mox multiplicati cum affectu magis erga proprios natos ferrentur, aut desiperent, aut senio debiles, non poterant coercere malos, nec defendere suos ab extraneis, elegerunt sapientiorem aut fortiorem, qui eos doceret, & defenderet, & controuersias sedaret. Qui autem eligitur ab homine, propter bonū sui principaliter eligitur, non propter bonum electi, nisi ex consequentia: ergo omnis Rex electus (hic enim fuit primus titulus) est gratia regni & non regnum gratia ipsius: ergo est rex, non Dominus simpliciter vt Deus, sed participatiue, & secundum quid. hinc patet, aliud esse dominari, & aliud regere. Qui autem sibi vsurpant dominationem, quam à rep. non habent, nec à Deo patre omnium hominum, hi non sunt reges, sed Lupi, Tyrannique vocati. sic capientes homines, & vtentes tanquam Asinis, & bobus instrumentis hominum animatis, veluti reges Americani & Saraceni ex parte solent, hi peccant contra ius naturæ, sed permittitur tanquam minus malum. Non ergo Rex potest occidere vassallum, aut eius possessiones confiscare, aut filios seruos facere, aut aliquem venundare, nisi secundum legem Dei vel in bonum reip. Cuius cum sit caput potest omnia membra ad defensionem totius maxime pro Deo exponere periculis, & vti opera & opibus eorum: vel in penam peccati, ne amplius ipse peccet, vel alii eius exemplo; & tunc Rex vtitur dominio, sed medicinali, quod aliquid plus videtur quàm regimen, ex quo enim homo operatur contra rationem humanam, & patriæ, & conciuibus damnum infert, exuitur humanitate, & vestitur bestialitate. bestia autem est gratia hominis, & in ipsam homo habet potestatem. Homo enim *cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus*, propterea dicit S. Greg. quod dixit Deus, *Dominamini piscibus maris, volatilibus celi & bestiis terræ*, non autem hominibus, nisi fiant bestiæ per actus bestiales: & hoc est bonum Reipublicæ ne tota corrumpatur, nec potest fieri nisi secundum legem, ritè examinatis criminibus, & meritis, non ad libitum.

Psal. 94.

Psal. 48.

Gen. 1.

Ad 1. respondetur quod etiam in sacra scriptura reges vocantur Domini, prout vocabulum hoc dicit eminentiam, & potestatem delegatam à Deo immediatè, vt in Dauid, & Adam; vel mediatè per Remp. & hoc intelligunt omnes gentes; non autem potestatem faciendi quidquid lubet absque lege. Omnes enim Reges Hebræi secundum legem Moysi dominabantur. Christiani secundum Christianam. Romani secundum romanam. Homo enim passionibus, & ignorantia nunquam penitus expoliatur, idcircò indiget lege, quæ ratio est passionis expers, & sapientię plena. est ergo dominium participatiuum. nec solum vocantur Domini, sicuti mutuo fratres, & Amicos Dominos vocamus ob reuerentiam, sed etiam ob potestatem illam licet limitatam lege: aliquando etiam dii, quoniam Dei locum vtcunque tenent.

Ad 2. nego quod rex possit vti vassallis ad sui vtilitatem quomodolibet, sed iustè, & pro bono communi, & reciproco: ideò iure debito, etiam si non facto, spontaneis tātùm, sicut homo homini locat operam suam per iustitiam commutatiuam. Si Rex est Reip. gratia, & non Resp. gratia Regis, quantumuis potestatis accipiat, in subditorū vtilitatem accipit. vnde etiam Apost. docet se accepisse à Deo potestatem ad ædificationem tantum, non ad destructionem nostrā, sic & Papa. Verum est quod operatur propter bonum sui ea, quæ sunt propria, sed quæ operanda ab alio suscipit, propter alium habet operari. ideoque datur illi merces, & tributum, & honor. nec amplius potest vsurpari sui gratia nisi Reip. vrgente necessitate. Nam tunc si qui per

2 Cor 10.

ignorantiam aut malitiam non sunt spontanei, sunt tamen de iure spontanei, cum propter totius bonum operari coguntur. Quod si quis Rex vsurpat magis, faciunt hoc, sicuti artifices cæteri. Nam & sartor suffuratur pannum, quod das vt vestem tibi faciat; & colonus de fructibus clam vsurpat: contra tamen conscientiam si excedit. Rex autem Turcarum putat se Dominum absolutum personarũ, & prædiorum. hoc autem tyrannicum est, sunt enim dispensatores publicorum bonorum secundum S. Chrys. non magis ac Episcopus bonorum Ecclesiæ, & Rectores hominum ad fælicitatem politicam, & per hanc ad cælestem. hoc tamen interest, quoniam principes sæculares relinquunt successoribus hęredibus ex Reip. instituto: Ecclesiastici verò successoribus eligendis à Rep. vel Reip. iura seruante.

Ad 3. Respondetur quod illud ius est tyrannicum, quod dictum est ad populum, dum petebat Regem contra Dei voluntatem. Deus autem volebat populum suum regi per sacerdotes. hi enim in officio propter religionis decus magis retinentur, & à subditis

1 Reg. 8. venerantur magis in decretis suis, & Resp. melius tractatur. Nam Deus tunc regit per sacerdotem. Vnde ait Dominus ad Samuelem. *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Vide Monarch. Ales de hoc. Deus ergo absterrendo populum dixit mala quæ faciet Rex per tyrannidem, vti solent ferè semper degenerare. At ius Regni datum est in Deut. 17. vbi optimè cauetur, vt sit de gente sua tanquam vnus ex fratribus: non multiplicet sibi currus, & seruos, & superbiam; nec tributa superflua, nec à sacerdotum consilio desciscat; nec aliquid contrà legem faciat. Verbum Antonini, est gentilis Imperatoris, de quibus Christus dicit ad Apostolos, & ad omnes Reges

Luc. Christianos, vti S. Chrys. interpretatur. *Vos autem non si*: vnde Imperatores Christiani vocant se *seruos Ecclesiæ*, & S. Pontifex *seruum seruorum* Dei: seruiunt enim Reip. sanctorum in hoc ministerio. & debet ponere vitam in necessitate pro subditis suis. Quod, & Gentiles Reges fecere, vt Codrus, Decii duo, & alii Consules Romanorum.

Ad 4. Concedo Regibus vim directiuam, & coerciuam, sed secundum legem, non ad libitum. Et hoc dominium est Politicum, non despoticum. Lex autem non est Regis voluntas, sed illa in quam Resp. consentit. vt lex Moysi, lex Euangelica, lex Romana, qua ex parte Christiani vtuntur. sed murmurat S. Bern. quoniam Christi lex non Iustiniani debet causas decidere. & dictum est ad S. Brigidam, quod *in Regibus nostris nondum completa est Euangelii lex: Veniet tamen tempus, quando complebitur.* Ast vbi ab Euangelio deuiat, corrigitur per Canones sacros lex Romana. Mallem tamen omnia per Canones tractari, & hos in breuiorem redigi formam.

Dictum iurisconsulti fortè est gentilis: in bono tamen sensu intelligi potest. quod quidquid placet Principi edicere per consultationem rectam, habet vigorem legis. Lex enim non potest particulares casus, & occurrentes de nouo compræhendere, concessumque est principibus bullas, & pragmaticas nouas edere pro bono Reip. non tamen pro bono proprio, vt ipsis sint in peculium, & retia ad captandas substantias transgressorum. Arist. autem longè minorem Regibus dat potestatem, quam nos.

Ad 5. dico, diuisionem bonorum externorum factam esse de Iure gentium; gubernationem populorum de iure naturæ, & diuino: tyrannidem verò, & dominatum in populos inuitos, esse nec de iure naturæ, nec gentium, sed de iniuria gentium. Quod Regnum sit de iure naturæ, patet: dicitur enim à regendo, & dirigendo in bonum. naturale est autem vt patres dirigant filios, & senes iuniorem, & Magister discipulum, & mas fæminam: ergo primus pater orbis terrarum Adam fuit Princeps totius mundi, & omnium filiorum de iure naturæ: & in eodem fuit regnum, paternitas, & sacerdotium: & sic in omnibus Patriarchis, & in Regnis, institutis secundũ ius naturæ, vt apud Egyptios, Frigios, Lacedemones, Chaldeos, Ethiopes, & Romanos. mortuo autem optimo patre eligebatur maior ex fratribus ad gubernandum. Deinde cum ambitio cresceret vsurparunt potentiores dominium, vt Nembrot, & Chus, & alii. Inualuit malitia, & quod quisque occupare potuit, possedit vt suum, & sicut fiunt mancipia per bellum contra ius naturæ, sic etiã Resp. fiunt subditę contra ius naturæ.

Arcesilaus hoc cogitans argumentabatur. At si naturam spectes, non sic est. At si qua Natio alteri infert iniuriam, & ista se defendit, subiugatque iniuriantem, credo possidere posse super eam potestatem quamuis inuitam, in pœnam peccati, sed tamen non vti, tanquam mancipiis, sed coercere, vt boni fiant. & in hoc ius posuere Romani, & in defensione amicorum à quibus vocabantur. Tenetur quidem occupans regnum barbarorum, post iugum addere illis humanitatem, quam exuerant: ac bonos non modò seruos, sed bonos homines illos facere lege, doctrina, religione, disciplina, vt Romani. & hoc iure Hispani vtuntur in Americanos. Vide Opusc. de iuribus Regis Hispan. in nouum orbem. Fortasse eodem iure possent vendi alteri Principi, si tamen præsumitur non tyrannicè tractandos. At Regnum in quo es electus, non potes vendere, nec partiunculam eius: potius Regnum posset vendere. hoc patet in Polonia, vbi electiuè Rex perficitur. & S. Brigida idem dixit de Rege Suecorum, quod coronam alienare, aut partem, non valeret, nisi de Reip. consensu. Nec possunt hæredibus relinqui, nisi Resp. hoc ius concesserit Regibus ad tollendam interregni incommoditatem: nec filii possunt vendere: feuda tamen cōcedunt, & emolumenta quædam, non autem vassallos subiicimt dominatui. plus iuris habet pater in venundatione filii, quam Rex in vassallorum.

At dices: cum Rex sit positus ad regendum pro bono publico, potest ne à Rep. priuari dignitate, cum non benè regit. vtique si tam tyrannicè regit vt non sit spes minuendi malum. Non tamen quacunque ex causa est mulctandus neque absque assensu diuino per sacerdotes & per publicam potestatem cognito: est enim Religio Anima Reip. lex est spiritus, Princeps est caput, potest caput tolli vbi fracidum languet, & melius inferi potest ait S. Thom. si certa est melioratio, & sine fraude & sine Reip. damno magno fieri potest mutatio & per publicā potestatem. Quapropter imperatores multi per Pontificē Vicarium Dei depositi sunt, & Rex Gallorum Childericus hac solum ratione, quia regimini erat ineptus à Parlamento & Clero petentibus vt historiæ testantur, & D.Thom.3. de Regim. princip. & quidem si boni essent ipsimet melioribus renunciarent, vt fecit Papa Celestinus V. & Ozias Rex: & olim apud Æthyopiam Reges solius sacerdotis iussu se se abdicabant regno. nunc autem facta sunt regna latrocinia grandia, vt dicit Aug. & dixit Dominus ad Brigidam. *Sicut enim latro insidias tendit, tempus præstolatur, vt expoliet, & rapiat. sic isti leges ponunt, & vias quærunt, vnde impleant marsupia, decipiant populos, & libidines expleant.* Nec dominātur, vt Turcarum Rex apertè, neque regunt, vt Dauid propter bonum vassallorum, sed insidiantur, vt latrones. Hæc clamat apud Brigidam Spiritus Domini. Nota quod non licet priuato homini occidere Regem, qui factus est Tyrannus, nisi declaratum à Senatu: damnatumque vt Nero. Sed si quis inuadat regnum vi, aut dolis vt Catilina & Liuerotus, potest in ipsa inuasione à quocunque occidi iustissimè. Nos in textu de Regno, & dominio confusè locuti sumus, vt dominium dicit præeminentiam, vnde maiores dominos vocamus, quamuis amicos.

Vtrum homo hominum iure aliquo naturali, vel Diuino, possit esse Dominus. An omne Dominium est à violentia; vel ab arte.

QVÆST. I. ART. 2.

Opinio. 1. Pineda, & alii quos fotus citat.

Videtur quibusdam omne dominium in homines esse violentum.

1. Nam simile in simile agere non potest secundum naturam, sed contrarium in contrarium. Dominium autem est potestas agendi quidquid vis de eo, qui seruit, sicut de pecude, de pane, de equo.

2. Seruus natura est qui caret libertate naturaliter, vt bos, & herba, alteriusque

est gratia. At secundum naturam omnis homo est liberi arbitrii & sui gratia, ergo nullus natura est seruus: ergo seruitutem fecit violentia tyrannica, ergo nec vllus Dominus.

3. Idem fatetur S. Greg. & refertur in q. 2. quod natura omnes homines fecit liberos, ius gentium seruitutē inuexit, sed hoc per iniquitatem, vt docet S. Clemens, aut per vsurpationem, & auaritiam, vt S. Ambr. Qui & in 7. Epist. astruit seruitutem à stultitia, non à natura esse, & in ff. de sta. hom. l. libertas, dicitur, *seruitus est, qua quis dominio alieno contra naturam subest.*

4. E contra ius diuinum, quum Deus, vt dicitur Eccl. 15. fecit hominem rectum, & posuit illum in manu consilij sui. Et Dauid, omnia subiecit sub pedibus eius, non tamen homines ait Greg. sed dixit: *Dominamini piscibus, volatilibus, & bestiis.* nec vnquam legitur Deum fecisse aliquem Regem, nisi Saul permissiuè, non autoritatiuè: sic etiam meretrices permittuntur, & ad Osea dixit: *Dedi ei regem in furore meo, auferam in indignatione mea.* In furore quoque dedit Dauid, ad Saulis pœnam; & Ieroboam in Salomonis castigationem. primus autem dominatus ex Nembrot fuit contra ius diuinum.

5. Idem confirmatur, nam fuit Cham seruituti addictus per maledictionem; & Esau per profanitatem, quia vendidit primogenituram obsonio. nec tamen Iacob exercuit dominatum in Esau; nec Sem in Cham, potius autem è contrà, adeò contra naturam videtur probis hominibus in homines dominari.

6. Naturale est cuius principium est intrinsecum, aut extrinsecum consentiente passo, non reluctante. At nemo est qui seruiat sibi, sed alienis extrinsecis; nec qui sponte, sed omnes reluctantur. pone populos in libertate sua, vtrum velint subiacere principibus, annon, & statim, videbis eos liberè velle viuere, vt patuit in Italia, & in Germania, quando eis pro pecunia Imperator pollicitus est licentiam: est ergo contra naturam; nec Deus dispensat contrà naturam, teste S. Thoma, & Doctoribus præstantioribus.

Sic sentiunt quicunque in communi viuere student, Reip. amatores, inter quos inuenio Solonem, & Ciceronem, qui verba sibyllæ de Christo Mundi Monarcha execratur, timens Reip. euersionem: sic Socrates, Cato, & viri eminentissimi Stoici. nam sub dominatu vnius imperantis ad libitum, tyrannidem fieri necesse est. Igitur in Rep. à vicissim imperantibus, & parentibus, melius viuendum esse existimant, vbi iura sunt communia, vt dicebat Solon in Epist. ad Cresum, & Pisistratum. idem Arist. 7. Polit. & S. Ambr. in 6. Hex. exemplo Gruum, & Apum.

Opinio 2. Alii è contra putant dominationem esse affectandā, super homines tanquam summum bonum, ergo naturale, vt dicunt Politici Moderni, & Macchiauellistæ.

1. Nam quod maximè homo desiderat, maximè est naturale: dominari autem super homines nemo non desiderat: omnesque in seruitutem redigere, ergo naturale.

2. Præstantiores debent vilioribus imperare; qui autem potentior est, præstantior est: ergo illi de iure debetur dominatio. & quia cuilibet affectanda est præstantia propria, & eiusdem manifestatio, quæ fit in dominatu: ergo cuilibet quomodocunque est dominatio arripienda: & *si violandum est ius, regnandi causa violandum est,* vt dicebat Cęsar cum Euripide.

3. Item patet ex affectu Heroum; Alexander enim, Cæsar, Cyrus, Annibal, Pompeius, Mitridates, & quicunque heroes ingenio viribusque præstantissimi in dominatu posuere summum bonum: ergo non solum est naturale, sed excellentioris naturæ signum, & pro hac Religio, & omnia posthabenda sunt. sic ait Macchiauellus, Romulus occidit Remum, vt solus dominaretur; & Agis, qui ephoros pro dominatu non occidit, occisus est ipse; Cleonymus verò id exequutus est, quod Agis debuerat, sed extra tempus. Rex Turcarum omnes fratres occidit secundum legem, vt tutum sibi sit imperium. Rex Chinarum relegat suos, & in cunctis populis videbis dominium esse quid optimum, & potentiores eo dignos esse quacunque via potuerint peruenire. Quas fraudes non contexunt multi, vt ad Papatum, & Cardi-

nalatum ascendant? Nullum ius, nullum fas, vbi tractatur per *ragion di stato*, vt vulgatiter dicunt. Ius autem est in potentia & armis. ipsi etiam Reges Christianitatis Pontificem summum, aut veneno, aut ferro, quando de Imperio agitur, sustulerunt, & Sacramenta calcarunt: & Reges Hebræi prophetas: Regnandum ergo quacunque via, docentes. vt & de Rom. dicebamus in libro præcedenti.

4. Idem natura docet. nam elementa contra se inuicem perpetuò pugnant, & regnũ in alienas sedes, materiasq amplificant. Calor agit in frigus, frigus in calorem, perpetuisque bellis se ipsa augere, & dominari appetunt. sol autem in omnia propter suam potentiam.

5. Patet idem inter animalia. Lupus enim natura factus est carnivorus: ergo natura occidit pecudes, vt edat. Accipiter columbas, & Auiculas. Aquila super omnes aues prævalens viribus dominatur. Leo Rex bestiarũ vocatur etiã à Salomone. Regnũ eius est, vt deuoret, vt vincat, & dominetur, vt libet. *Naturale ius est, quod natura omnia animalia docuit*, dicit Iuris consultus: Nobis autem Deus exemplar posuit in animalibus: vnde Pindarus ius dominandi esse potentiam. Et consul Romanus in armis eam positam dixit ad regulum Hispanum. Videmus quoque inter asinos, & equos, & gallinas, & arietes, fortiorem dominari. & inter pisces alterum viribus, alterum astutia fretum, in alios exercere dominatum, eosque deuorare, vt S. Basilius etiam, & Amb. contestantur. quare hoc videtur esse summum ius, vt quicunque potest alios subiiciat ac dominetur inuitis.

6. Probatur Salomonis auctoritate, vbi ait, *Manus fortium dominabitur. Manus remissa tributis seruiet*. & alibi *pauperes esse* dicit *pascua diuitum* vt oues Leonum. hoc autem est dominari, assumere ad quemcunque vsum volueris. idem dixit Brennus quando relicta Gallia occupaturus exteros exibat. *omnia sunt virorum fortium*. & quidem omnia regna mundi per arma acquiruntur, & retinentur. & huic sententiæ repugnare est contra naturam & omnium sententiam ire.

7. Nemo non inuitis dominatur, quamuis probus: & quia naturale est alios preesse, alios subesse: ergo inuitis pre esse est naturale, ergo & violentia naturalis. ridiculum enim esset dicere, quod contra naturã ignis aquam deuorat & terram. *Regnum, & odium simul posuere Dii*, dicitur in Tragedia Senecæ, Octauia: ergo ex eo quod dicitur violentum, & inuitum dominium, comprobatur etiam esse naturale.

8. Naturale est hominibus bellum, nam ait Iob. *Militia est vita hominis*. & omnia animalia inter se pugnant naturaliter: eos autem, quos vicerimus, aut oportet occidi, aut seruituti subiici, aut liberari. si liberabis, occident te. moleste enim ferunt se victos fuisse, vt exercitus Romanus à Sannitibus captus, & liberatus, commentus est viam contra iuramentum se vlciscendi. si occides, est potius contra naturam. melius est ergo vt seruituti subiiciantur, sicut Lydi, Crœsusque, Cyro.

9. Probatur etiam auctoritate sacræ Scripturæ. Dixit Iepte ad Regem Mohab. Iud. 11. *Nonne ea quæ possidet Chamos Deus tuus tibi iure debentur? sic & quæ Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem*. Item Deus dixerat. *Quidquid calcauerit pes tuus tuum erit*. Sic fecerunt filii Israël in Palestina, & nunc Hispani in America, & India. Victoribus autem non dominantur, sed victis, & gallus gallinaceus victus patitur venerem victoris teste Plinio.

10. Quod secundũ naturam est, à Deo autore naturæ est, nam vel Deus ista non curat, & sic debemus dominari, prout valemus. Si curat cur animalibus istam dominationem concesserit, & non nobis? & cur non prohibet nos sequi totã rerum naturam, in qua eius ideæ, & voluntas, vt ait S. Leo, quasi in publicis tabulis nobis innotescunt. immo ipse multa huius modi imperauit contra Amalechitas, quod non executus immaniter, Saul factus est reus. Item contra Amorreos, Ferezeos, & Iebuseos, & alios populos, quos eradicandos imperauit. Iosue autem pepercit Gabaonitis, ita tamen vt serui essent. Similiter Cananeis alii.

11. Omnium legislatorum finis videtur facere Remp. fortem, & dominatricem finitimarum. laudanturque maximè Lacedemonia, Cretensis, & Romana, quæ studiis belli ciues exercentes aliarum factæ sunt dominæ. extant & laudes eorum, qui

bello vicerunt, & coronæ, & sepulcra spendida, & honores: tanquam tota virtus in Re bellica consistat. immò non videntur benè viuere in pace. Vnde Nasica Carthaginem seruandam duxit, vt Romana virtus exerceretur, nec in sua viscera conuerteretur, bella ciuilia per pacē exercendo. sic Iosue, volente Deo, plures inimicorum ciuitates seruauit, vt filii Israel haberent occasionem non dimittendi armorum vsum. quasi bellum sit naturale, & victoria desiderabilis natura siue iuste, siue iniuste. Iustum est enim potentiores dominari. quod si ita est, omne Dominium naturale est. vel in mundo omnes nationes operantur iniuste, & contra naturam, quod asserere absurdum.

Opinio 5. Arist. 1. Polit. c. 3. & 4. duplex Dominium, & seruitutem docet, alterum ,, naturale, alterum legale. sicut enim inquit, Ars habet factionis instrumenta, sic & vita ,, actionis. horum vero altera sunt inanimata, vt lima, & gladius: alia animata, vt ,, equus, & bos: instrumentum autem est, quod non est gratia sui, sed alterius. si quis ,, ergo est homo, qui secundum naturam sui ipsius non est, sed alterius, is secundum ,, naturam instrumentum est, atque seruus: & huic melius est seruire, quam non seruire. ,, Videtur autem naturale esse, & propter melius principari, & seruire: neque sola arte, ,, aut violentia, sed natura constare. Videmus autem ex ipsa natiuitate, aliquos esse tales ,, vt principentur: sicut mas, & ingeniosus: alii vt seruiant, sicut fœmina, & rudis animo: ,, omnis autem principatus, & subiectio ad aliquod opus ordinatur, illorum autem ,, melius est opus, quorum melior est vnio per subiectionem, & imperium: vt hominis, ,, quod bestiæ seruitus melior, atque opus. Homo autem naturaliter est animal politi- ,, cum: igitur naturale est opus ex subiectione, & principatu prodiens, & naturalis erit ,, seruitus, & dominatus. Hoc patet in Harmonia.

2. Item in animali: in quo anima dominatur naturaliter & corpus seruit naturaliter, estque illi melius seruire quàm non. Dominatur autem despoticè in corpus, in appetitum verò politice, & Regiè: præstat autem vtrisque obedire: damnari autem vicissim, aut æquari animæ, eisdem nocet, & toti.

3. Item expedit animalibus ferre dominatum hominis, propter eaque meliora illi seruiunt. in pluribus non sic melius seruantur.

4. Masculus imperat fœminæ, vt melius deteriori secundum naturam.

5. Ergo quicunque distant ab aliis quantum anima à corpore, & homo à bestia, & masculus à fœmina, hi natura sunt Domini, istique natura serui. Qui videlicet non habent rationem, sed sensum rationis imperantis, bruta enim visis passionibusq; reguntur.

6. Probatur ex corporum dispositione. Quæ natura producit sponte ad suos fines, alia robusta, & rustica ad seruiendum: alia recta, ineptaque seruitio, apta tamen ad sapientiam, & ciuilem vitam. Et quidem bipartiuntur, nam alii habent membra bello apta, alii rebus domesticis. licet aliquando in exterioribus natura serui habeant corpora liberorum, & è contrà: sæpe tamen ex forma aliqui videntur quasi Dii, dignique imperio: igitur & ex animo.

In Cap. 4. Alios ponit seruos secundum legem, non secundū naturam, vt qui bello capti aliis seruire coguntur: quod non est iustum simpliciter, neque iniustum omninò, cum potentior sit victor dignusque ex hoc dominari, nisi vbi casu sit seruus. est autem vtilis societas Domini & serui secundum naturam vtrique, sicut animi, & corporis, legalis autem non sic.

In cap. 8. Alio modo liber (ait) pręest, seruo & mulieri & puero. Seruus enim non habet penitus deliberandi arbitrium. mulier habet inualidum, puer imperfectum. sic etiam de virtute facit gradus.

Et in cap. 5. putat bellicam artem esse acquisitiuam: quod probat ex venatione, quæ est pars bellicæ, & acquirit multa victui, & vestitui commoda. hinc docet bellum esse naturale, nec frustra à natura datum: vtique eo oportere contra bestias, & contra homines barbaros, qui ad parendum apti nati sunt, nec volunt parere, vt natura bellum id iustum exigat.

At in 7. polit. cap. 14. Condemnat legislatores, qui Remp. instituunt ad bellum,

quoniam, ait, non sunt exercitia rerum bellicarum ob id meditanda, vt in seruitutem adigamus immerentes: sed primum ne ipsi aliis seruire cogamur: deinde vt imperium queramus gratia subiectorum, non autem omnium Dominationem: tertio vt eis dominemur qui servire sunt digni.

At in cap. 2. eiusdem libri contra Cretenses, & Lacedemones, omnia ad bellum, & finitimorum subiectionem, statuentes, inuehitur: eo quod putant dominium esse regnum, & politieam tyrannidem, dicens.

1. Non est ciuile, quod non est legitimum. dominari vicinis non solum iniustè, sed etiam iustè, est illegitimum: imperare verò est, & non iustè.

2. Sicut est in aliis scientiis, sic & in politiea. in aliis scientiis non pro suasione nec vi operamur, sed sponte secundum scientiam: Non enim medicus suadet, aut cogit ægrotum vt sanetur, sed sanat: neque nauta nauigantibus.

3. Quod in te fieri nolles, in alios facere erubescendum est: si pro te iustitiam queris, cur vis in alios iniustè dominari, cogitans esse naturale quod iniustum?

4. Conueniens est, & contra naturam illis dominari, qui secundum naturam non sunt digni seruitute, neque apti. sicuti venari homines ad mensam, & ad sacrificium: sed illud quod est venabile: ergo solum in eos, qui natura sunt serui, Dominatio, & coactio est naturalis.

Mox in cap. 3. Disputans vtrum vir bonus benè facere omnibus volens, debet accipere principatum quacumque via, vt dicunt Macchiauellistæ: & præualere, & glorificari, & Remp. illustrate, non curando patres, fratres, amicosque. respondet quod bona, quæ sequuntur, non valent quantū transgressio Iustitiæ in occupatore Reipublicæ, nisi occupator sit talis, qui tantum præstet cæteris, quantum vir mulieri, & pater filiis, & dominus seruo. si autem æquatur ciuibus, debet vicissim parere, & imperare: contra enim naturam est vt par in parem dominetur: Nihil autem bonum quod fit præter naturam. Si quis autem esset præstantissimus, illi soli parendum est ab omnibus.

Quapropter dissiliens à proposito Arist. ne videatur laudare occupatorem, concedit occupationem circumlocutione quadam, qualem Cæsar arripuit se omnium præstantissimum iudicando. Datum ego dominium naturale, ac legale: illudque accipiendum docet. Post hæc in cap. 11. omnes artifices, & mercatores, & agricolas, & nauticos natura subiectibiles facit, eisque per consequens dominari etiā si quis posset, non enim sunt apti ad virtutem, nec ad fęlicitatem, sed nascuntur vt seruiant fælicibus & virtuosis. Multa benè ex Plat. plura perperam ex suo.

Sed contra est Eccl. 14. *Deus creauit hominem rectum, & posuit eum in manu consilii sui.* Ergo nemo natura seruus, si omnes liberi sunt arbitrio. Item & Deut. 6. *Dominum Deum adorabis, & illi soli seruies*: s. vt Domino per essentiam, non hominibus, nisi, vt Dei ministris. S. Amb. in Epist. 7. *Non natura*, (inquit) *facit seruum, sed insipientia: nec manumissio liberum, sed disciplina.* & super Epist. ad col. cap. 4. ait, *Autor Deus non seruos, & liberos, sed omnes ingenuos, condidit. Sed mundi iniquitate factum est, vt dum alter alterius fines inuadit, tunc captiuos ducit ingenuos. Apud Deum autem hic solus est seruus, qui peccauit, vt Cham.* Idem docet Apost. directè contra Aristotel. ad Colos. 3. *Expoliantes veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creauit illum: vbi non est Gentilis, & Iudæus, Barbarus & Scytha, seruus & liber: sed omnia, & in omnibus Christus.* Quapropter cum omnes homines sint rationis participes; sunt & Christi, qui est Ratio prima, & omnes capaces sunt beatitudinis. nam & si per se virtuosi non sunt, legi Dei obedientes virtuosi fiunt. obedire autem seruis, & liberis est commune. nec auxilium deest volentibus. Quapropter in lege Christi, Rationis summæ, nemo seruus, nisi qui peccat, vnde dixit, *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Conuincitur autem hęc sola seruitus esse. Nam virtuosus ideò liber, quia non peccat obediendo passionibus, sed illis dominatur. Quid autem vilius quàm parere turpissimæ auaritiæ? Ratio & Deus dicit, da superflua pauperibus, tu velles dare, quoniam pulchrum est. sed Domina tua Auaritia ait, nolo, retine in arca. tunc tanquam seruus huius monstri, obedis. Ratio dicit,

vtere mensa splendida tibi, & liberis, bonum enim est vti donis Dei. Domina Auaritia dicit, nolo. Tunc tu misere cibas te, & familiam. Ratio dicit: abstine à furto, & rapina pauperum, & ab vsura. Domina tua Auaritia ait, minimè: quoniam oportet implere marsupium, vt non indigeas. Tandem obedies, donec vel ab aliis res tua diripiatur, vel tu interficiaris, vel miser, numquam ne satur, in sepulcrum descendas, & anima in infernum. Item aliis imperauit Auaricia, vt se ipsos occiderent, quia frumentum plurimum illo anno collectum est. & alii, quia vuam prædati erant latrones. Hoc pro Deo vix Abram fecisset. si benè aduertis Inuidia, Luxuria, & omne vitium deturpant vitam, faciunt infelicem, & mancipium vilissimorum monstrorum, vt S. Chry. declamat Tu ne putabis Dominum, & liberum, qui his seruiet? An qui seruit ambitioni dominandi, liber erit, quæ te ad inhonesta, infamia, crudelia, insidiosa facinora, plena suspicionibus, pænitentia, detractionibus, timoribus, te adigit tanquam seruum vilissimum? Quis infælicior Cæsare Borgia, & Absolone, & Castruccio, & Liuerotto, & Azzalino, & Nerone, & cæteris Tyrannis, à Macchiauello laudatis? Quapropter ita statuo, solum liberum esse sapientem. Sapientem dico, vel qui per se sapit, vel obedit sapientibus. Vnde femellas liberas video in Christianismo, quæ vicere tyrannos, & in rabiem deduxere, & tormenta eorum derisere. sic & rustici multi. Quapropter non est, vnde Arist. à virtute, & fælicitate, maximam partem hominum excludat, quam Deus *qui vult omnes saluos facere*, includit. Et viro insipienti imperare est seruitus: sapienti etiam seruire est libertas. Vnde Paulus *omnium*, inquit, *seruus factus sum, omnes vt lucrifacerem*. Nero autem in suis Imperiis seruiebat Poppeæ femellæ, cuius crines numerare seruiliter gliscebat: seruiebat gulæ suisque miseriis. Et Paulus in carcere Dominus erat Dominorum Neronis. Propterea dixi, neminem posse aliis dominari, qui propriis non dominatur passionibus. *Monstrosa res*, ait Ber. ad Eug. *Gradus supremus, & animus infimus*. Concedo aliquos esse naturâ aliorum instrumenta, & seruos, non tamen in natura simplici, sed impura, & corrupta post peccatum. Arist. semper considerat quod est, tàm in poetica, quã in rheth. quam in Polit. & eth. docendis. nunquam ad puritatem, & idæam transcendit, sicut Stoici, & Platonici: propterea præcepta dat impura, & indocta: ex degeneratione, non ex origine rerum deprompta. Et parcendum esset illi si Platonẽ non habuisset præceptorem. Propterea statuo, nullum esse dominium naturale, nisi illud, quo superius inferiori dominatur propter bonum etiam inferioris, quod potius regimen dici debet. sic Deus dominatur omnibus rebus propter bonum ipsorum, ex quo resultat gloria Dei accidentalis. Qui autem superiori subesse non vult, amittit bonum suum naturale, & regitur à se ipso insipienter, cum nollet à Deo sapienter, & hoc est peccatum, & seruitus, qua seruimus inferioribus passionibus: non autem voluntati nostræ. hæc enim non potest esse non recta, nisi per illos, quibus seruire vult. Vnde Ber. in lib. de diligendo Deo: *Hoc*, inquit, *ad æternam iustamque Dei legem pertinuit, vt qui à Deo noluit suauiter regi, pænaliter à semetipso regetur. sic ægrotus dum se ipsum regit, spreto medico, sibi est pœna, & mors*. Angeli autem regunt homines, non dominãtur eis, sed propter bonum hominum: custodiunt nos: resultat tamen illis gloria, omnis enim actio bona est simul gloriosa, & vtilis agenti. Homo autem neque dominari in hominem potest, quoniam & Angelus dixit, *conseruus tuus sum*, Ioanni, sed tantùm regere, & dirigere in bonum: vti tamen potest, sed vicissim vsum sui præstare. Quapropter nec pater filiis, nec mas fœminæ dominatur, nec senior iuuenibus: sed tamen regunt, & ad bonum dirigunt, suntque vtiliores Domini seruis, quam serui Dominis, in hoc viuendi genere, vt pater. Postquam enim homo peccauit in natura corrupta, seruitus, & dominatio facta sunt: sed à prauis exercetur dominatio, non à virtuosis, vt dicit etiam Arist. virtuosus enim facit homines bonos, dum eis vtitur: Docet enim & seruat, & fouet, doctrina, exemplo, oratione, correctione. Quapropter nullus in Christianismo Rex profiretur dominari ad suam solius vtilitatem, sed ad populorum salutem, nec, nisi secundum leges imperant. At dum homo peccat, fit seruus, & bestia, & tunc indiget baculo. quo tamen vtitur virtuosè tanquam medicina, non ad vindictam: est enim eius meliorare genus suum, non deteriorare. Vnde vis directiua ad bonum, videtur

detur ad regimen spectare. Vis coerciua, & punitiua, ad dominium magis inclinat. & cum sit medicinalis peccatori, & Reip. rursus Regitiuæ esse videtur. Cum. v. exitialis peccatori adhuc, etsi dominatum includat, non dicitur dominatio, nisi etiam Reip. noceat, & communi iustitiæ. cui mors ciuis iusta est medela, iniusta verò Tyrannica: sic de cæteris. Qui ergò ingenio carent, seruiunt sapientioribus, non seruitute naturali, vt Arist. vult, ita quod possit sapiens eos subiugare prorsus ad sui vtilitatem: sed seruitute ægritudinali, nata ex peccato originali. si enim in prima puritate generaremur, neutiquam post patris boni doctrinam aliis indigeremus. quoniam verò ab Idæa prima degeneramus, factum est, vt alii essent serui, alii liberi, non natura, sed corruptela. sapiens autem dominatur vt Medicus, non vt tyrannus. & sic Socrates, & Apostoli, & Prophetæ medici sunt hominum, & rectores, non Domini. vbi autem homines insaniunt, ligat eos medicus ad salutem, non tamen ipsos bonis spoliat, vt tyrannus: neque cogit sibi obtemperare gratia sui, sed illorum, & naturæ ob decorem, & Dei patris charitatem.

Qui autem bello capiuntur, sunt serui secundum legem gentium, non iubente Deo, aut natura, sed permittente; aut in pœnam peccati aut in exercitium virtutis: vnde etiam Arist. cognoscit in hac seruitute aliquid contra naturam. Bonus enim vir est Dominus Dominorum suorum, sicut dicit Amb. de Iosepho, Domino Ægypti. Vir autem bonus emet seruum, & faciet bonum, si malus est. Si bonus manumittet: si melior se, seruiet ei. Sic qui Esopum emerunt, & Diogenem, & Platonem, non seruos emerunt, sed Dominos, vt dicebat Diogenes. si autem ista mala non essent, periret exercitium virtutis. Permittitur in lege Christiana duplex seruitus legalis: vna eorum inimicorum qui bello capiuntur, tanquam minus malum, ne occiderentur. altera eorum qui sponte seruiunt pro victu & vestitu. & hæc potius est locatio operis quam seruitus. Quod autem hic modus dominandi qui dicitur naturalis dominatio, & potius Regimen dici debet, soli sapienti secundum naturam conuenit, inde patet quod mas, & pater, & senior, tanquam sapientiores dominantur naturaliter. item dicit Salomon in Sap. Quod omnis artifex est Rex in sua arte, quoniam habet particulam sapientiæ: profectò Medicus imperat regi cum ægrotat, & edit. Barbitonsor, quando indiget opera eius Rex, facit de Rege quidquid vult secundum legem artis, sicuti Rex secundum legem regni. sic optimus Nauta omnibus imperat, tempore præsertim procellæ: & Principes nauigantes in hoc se beati tunc credunt, si nautæ obediunt. Sic in cæteris artibus. Quapropter perperam Arist. virtutis & dominii & honoris prorsus incapaces facit artifices, quibus in ipsorum artis vsu etiam Reges obediunt vtiliter præcipientibus. ille autem verè Dominus, cui obedire salus est obedientis, non autem destructio, vt in tyrannide, sui gratia hominibus vtente, & non gratia hominum.

Ad primam opinionem dico, quòd si dominium vocat violentum, & contra naturam hominis in hominem, quando fit solius dominatoris gratia, verum dicit; nec vnquam Deus, aut natura id iussit. Si verò negat potestates regias sapientum, & meliorum in inferiores, errat. Nam Deus dixit. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Et Apost. ait, *omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit: non est enim potestas, nisi à Deo, & quæ sunt à Deo ordinatæ sunt*: sed hæc potestas est in bonum subditorum, vt dictum est, vnde sequitur, *Dei Minister est tibi in bonum.* ordinauit Deus, vt meliores deteriores adiuuarent, & deteriores eorum necessitatibus corporalibus subuenirent, præsertim post naturæ lapsum: vnde Apost. *Propterea illis tributa præstatis: Dei enim Ministri sunt in hoc ipsum seruientes.* Si autem Princeps est idiota, & scelestus, sufficit, ne sit tyrannus, si secundum legem, & consilium sapientum iudicat. non enim ipse tunc sed sapientia iudicat, quæ ait, *per me Reges regnant: & colla superborum, & sublimium propria virtute calcaui.* si autem proprio arbitratu temerario regit, iam tyrannus est, non Rex. nec huic Resp. est committenda insipienti. est enim seruus vitiorum: seruo non dabis dominium, sicuti neque ægrotus se committit ignaro artis Medicæ, neque pro calceis aratorem, neque pro veste argentarium consulimus: esset enim contrà naturam: sicut qui vellet colligere de spinis vuas, & de tribulis ficus, in quibus non est ars intranea ficus producendi.

Prou. 8.

Rom 13.

Ad primam rationem respondeo, quod simpliciter non agit, neque est Dominus par paris in quantum pares. Sed secundum quid agit, & est secundum quid Dominus; quatenus in aliquo fiunt impares, vt ille doctus, iste indoctus; non tamen verum dominium, sed regimen inter eos natura ponit.

Ad 2. Omnis est liber natura, sed peccato, & stultitia fit seruus. Si autem non præcessisset peccatum originale, omnes viueremus sicuti in Repu. nostra de Ciuitate Solis inscripta, licet dubium sit de vxoribus, quas communes non ponerem. At omnes essemus alter alterius membra, & bonum esset vnicuique munus sibi connaturale: & iure, quod ponit æqualitatem, non dominio, quod imparitatem, viueremus.

Ad 3. Verum est, quod omnis seruitus est contra naturam, sicuti & peccatum, & ignorantia. Seruitus autem violenta est de iure gentium permissiuè, stante peccato, non autoritatiuè. Sed sicut fæmina est mas incompletus, ità seruus homo inualidus. Tunc nascitur ius vt iste seruiat; illaque succumbat ob melius.

Idem dico ad 4. & quod nec Saul, nec Dauid accepit à Deo ius dominandi, sed regēdi, nisi secundum quid. regimen autem etiam castigationem addit. vt patet in discipulos, cum præceptor animaduertit, sed ipsorum gratia, & cōponitur ex iure & dominio.

Ad 5. respondet S. Ambr. in Epist. 7. quod propter peccatum Cham, & Esau addicti sunt seruituti. Insipiens enim peccat. iste autem si pareat sapienti, melius sibi est. Quapropter & propter melius ipsorum facti sunt serui: sicut æger sub medici potestatem, & obedientiam redigitur. Hæc Iacob impetrauit dominatione; sed disciplina, etiam cum fratrem iratum adoraret, dans illi exemplum, vt sic viuat. Medicus enim etiam excrementa ægroti gustabit, & se insanum finget, sicut est æger, & comedet amara, vt æger ipsum imitetur. nec tamen propterea ipse est æger. sic neque qui seruit est seruus, sed qui habet animum seruum, & seruilem: nec qui regnat, est Rex, nec qui pingit quandocunque est pictor, sed qui habet scientiam regnandi, & pingendi, quamuis careat instrumentis, id est vassallis, & penicillis, & coloribus.

Ad 6. concedo totum, vellet enim natura omnes esse sapientes probosque: & tunc non inuenires qui vellet imperare, nisi vt benefaciat. & vicissim functiones inirentur sicut docet S. Amb de Rep. Gruum: & sic vixisse homines probos insinuat, fierique debere. vbi mala enumerat, quæ ex regimine per successionem hæreditariā, & electionem tumultuariam fit; cupitque eum, qui secundum naturam excellit, vt Rex apum, præesse; vel omnes excellere, & vicissim præesse, & subesse. & tunc non esset reluctatio, sicut nunc. At stante peccato in pænam sic fit, vnde Salomon ait, *propter peccata terræ multi Principes eius.* Nam vnus omnium sapientissimus deberet regere, rectus ipse à Deo, vel in Rep. vicissim omnes boni. Deus autem propter scelera nostra dixit, *dabo vos in manus Dominorum crudelium, & effeminatorum*, in Isaia & Iob; *regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Sed erit tempus, ait Isaias, quando *nec scelestus erit princeps, nec qui insipiens est vocabitur maior.* Sic Turcarum Rex dominatur Græcis despoticè ob ipsorum schismata. Vide Monarch. Messiæ. concedo tamen secundum naturam rectam non esse dominatum hominis ad hominem, sed regimen; dominium autem esse pænam vel ex parte.

Prouer. 28.

Isa. 3.

Iob.

Ad Politicos, & Macchiauellistas, nunc dico; quòd omnis homo natura desiderat dominari & amari vt propriū esse amplificet fama, & beneficiis à virtute profectis: hoc autē est regimen, non dominatus & odiri. nec gratia regni cupitur, sed virtutis declarādæ, & exercēdæ. Virtus ergo affectabilior, vt in lib. præcedenti. Qui autē dominari cupiunt, vt vlciscantur se de inimicis, & possint impunè delinquere, & cupitis rebus frui, hi contra naturam appetunt regnum, sicuti qui coitum, datum ab Autore naturæ causa generationis, appetit ad libidines explendas, & generationem extinguit; aut vitiat: sic appetunt illi regnum, veluti & Diabolus, ambitione vexati: quam melius est non explere, sicuti melius est ægroto non potare frigidam desideratissimam & libidinoso non abuti venere. Regnum in manu stulti est seruitus. seruit enim vitiis abundantius, & in ruinam parentium, sicuti vbi coquus vestiariam, aut vestiarius aurificinam tractarent. quin peius, sicuti si à fonte putente potum haurires. Nec omnes affectant dominatum, nisi impuri, & serui perturbationum: neque enim ficus,

neque vitis, neque oliua noluerunt propriã fælicitatem relinquere, & regnum super arbores accipere, sed spinosus rhamnus tantum, vt Ionathan ille dicit in lib. Iudicum. sapientes, & probi in quiete viuere, sapienter, necessariis solum non deficientibus, præeligerent.

Ad 2. dico, præstantiores debent regere, non dominari; hoc est præstantiã suam manifestare benefaciendo. bonum enim est sui ipsius diffusiuum, & nullius indiget, sed dat. *Beatius autem est dare quam accipere.* Qui autem vult regnare, vt accipiat meliora quam ipse dat, hic est vilis, infælix, indigus, & miser, & seruus. Nam *& si coacta seruitus miserabilior*, ait Bern. ad Eug. *sed affectata miserior.* Deus dominatur benefaciendo, non à nobis accipiendo. Ius autem violandum esse pro dominatu dixit Ethnicus, & passionibus seruiens, non Pius Dauid, & liber. vide in lib. præcedenti q. 1. quid diximus ad Euripidem, & Cæsarem. Quando tamen vides stultos dominari, atque potes absque malo tu sapiens gubernaculum accipere, debes quidem, vt sub procella non reget herus nauim, sed peritissimus ex nautis. & dicet cum Isaia, *Ecce ego, mitte me.*

Ad 3. Tu mihi Heroes vocas, quos ego non dignor hoc nomine. non enim propriis imperitarunt passionibus: nec summum Deum agnouerunt, primamque sapientiam, qua duce imperia tractanda sunt: sed decepti propria ambitione, vel specie recti, nihil putarunt imperii causa non agendum. Ego tamen tibi è contra propono Prophetas, Philosophos, Apostolos, qui proprias cupiditates vicere, & tyrannides fregere; non armis, quod & brutis conuenit, sed doctrina, sanctitate, exemplo, miraculis, patientia: & dominantur in æternum. Nunc enim non Nero imperat Romæ, sed Petrus, & Paulus, ab eo occisi: immo mallem fuisse ego Lucanus, aut Senecas quam Nero, aut Cæsar, aut Alexander. *condemnat iustus mortuus viuos impios.* Sapientum doctrinas, & vitam pro legibus habemus, Cæsaris autem & Alexandri, & Cyri nulla lex extat, nisi vbi à Petri sequacibus probantur. Nomen illorum est illustre quatenus virtutem ostenderunt, beneficia hominibus contulerunt, barbariem exterminarunt. hoc tamen est sapientiæ, & probitatis, non dominatus officium. Scelesti enim dominatores sibi, & aliis nocuerunt. fæliciores que semper inuenies illos quam istos. quod & Macchiauellus concedit. Dauid enim & Salomon, & Ezechias, & Iosias pii, fæliciores fuere quam Roboam, Saul, Manasses, Ioacim. similiter in Romano Imperio fæliciores sunt Augustus, Vespasianus, Traianus, Theodosius, Constantinus; quam Nero, Caligula, Domitianus, Commodus, Iulianus, &c. idem videbis in Papatu. Princeps bonus à Deo regitur, & à populis custoditur? tanquam vtilis illis, & colitur tanquam amicus Dei, nec audent insidiari. Vnde nec contra Numam Pompilium finitimi bellare audebant, putantes eum sub protectione esse deorum. quanto magis si verè bonus sis? Melior Cælestinus Papa deceptus, quam Bonifacius deceptor infælix, si fabula non est, quod dicunt de Bonifacio. Nego viros bonos pro principatu fraudes, & neces, & sacrilegia posse committere, nego eos sic ascendentes fælices esse. nego occidendos esse fratres, aut Ephoros, nisi vbi deliquerint, & bonum publicum impedierint. Vnde Dauid noluit occidere Saul bis in sua manu conclusum, & inimicum, nec vt regnaret: sed moriens iussit Ioab occidi, quoniam bonos occiderat, quamuis regno Dauidico eorum mors prodesset. sic fecit de occisoribus Saulis, & Isboset. Fiat ius, & pereat mundus. non enim peribit, sed meliorabitur. Quicunque vsi sunt hac ratione Macchiauellistica, vitam, & dominatum subito in se, vel mox in filiis amiserunt, vt ex omnibus historiis ipse in antimacchiauellismo demonstraui. At eorum mentis infælicitatem nemo potest describere nisi quis Chrysostomus: nec sufficienter. Quomodo iniustus audebit iustitiam ministrare sine compunctione acerbissima? aut inuocare Deum, quem scit sibi esse inimicissimum? aut prohibere scelera, quibus ipse est plenus? aut honores captare à subditis, quos scit esse inimicos? seque ipsum intra se turpissimum videt, dignum flagris, & cæde. honoresque ab inuitis tribui sibi immerenti; seque esse seruum scit vitiorum, positumque in dominio, sicuti lapillus in numero nummorum aureorum, vt significet vnum scutatum aureum, non vt sit: & Laruatum purpura canem se scit, non hominem. melior

est histrio habitu regis vestitus in tragedia, quoniam non vt noceat se vestiuit; quam tyrannus habitu regio vestitus ad fallendum, & perdendum. ipse autem conscius quomodo fælix?

Ad 4. non valet exemplum. elementa enim sunt natura contraria, alterumque in alterum exercent sui gratia potestatem. homo autem homini natura est similis, ideo regimen non dominatus in similem sibi competit. sumus enim alter alterius gratia & finis & membrum, ait Apost. Regulamur igitur simili per doctrinam, & imitationem: destruimur autem à contrario per passionem, & violentiam. Rursus elementa non faciunt quod volunt. non enim vellent facere plantas & homines, & metalla: sed ignis ignem, & tellus tellurem. Propterea quod vt secunda faciant entia indigent dominatore cohibente vires per fatum, necessitatem, & Harmoniam ad faciendum quod dominator ipse vult. Quapropter homines si non faciunt quod iubet Deus, indigent dominatore. Si faciunt, liberi sunt, & filii, non autem serui, dicit Dominus.

Ad 5. respondetur quòd fortasse non natura, sed auaritia, & ingluuies fecit lupos carniuoros, sicuti de piscibus se se mutuò manducantibus, inquit S. Ambr. 5. Hex. cap. 5. vel, sicut idem docet, dati sunt nobis in exemplum, vt & nos deuorandos à potentioribus vindice natura caueamus. qui enim pisciculum deuorauit in alterius piscis ventrem cum præda prædator, incidere solent.

Fortasse erit tempus, vt dicit Isaias, post corruptelam seculi quando Leo comedet paleam, & habitabit lupus cum agno, quod in seculi renouatione historicè, non solum mysticè quidam expectant, vt & sibylla cecinit. At relictis mysteriis dicam imbecilliorem esse prædam potentioris inter animantes, quoniam alterum alterius est gratia. sic omnes herbæ gratia animalium, imperfecta perfectiorum: animalia autem, & herbæ, gratia hominis sunt: homines autem Angelorum; & omnia Dei. Quapropter cum homo non sit hominis gratia nisi reciproca, nequaquam potest imperare alter alteri secundum naturam despoticè, & inuitè, sed spontè tantum, & propter mutuum bonum. Prætereà dominatus hominis non fundatur in viribus secundum naturam. si enim sic foret, homo esset natura seruus Leonis, & equi, & elephanti, & aliorum quæ nos viribus præcellunt. è contra autem fit, vt equus, & elephas homini seruiat, & Leo. nonnè Leones M. Antonii triumphantis currum Romæ traxere? Nullus autem hominum Leonum currus traxit, neque eius paruit imperiis. Quapropter si non modo hominibus, sed etiam bestiis homo imperat propter virtutem, & non propter vires; manifestum est esse nobis contrà naturam rationalem arripere tyrannidem, viribus fretos, super homines. item inter feras potentior impotentiorem eiusdem speciei non deuorat, nec seruituti addicit, sed alterius: ergo neque homo homini natura imperabit. Præterea pascuntur carnibus inferiorum animalium non feræ gregales, sed soliuagæ, vt lupus, Aquila, Leo: nec iniuriam faciunt. Nam vtitur natura anima, & corpore inferiorum, vt organis ad portandum cibum superioribus, vt nos vtimur ollis, alambicchis, & coquo. neque dominatum exercent, sed cibum sibi faciunt de cæteris animalibus, sic natura paratis; quin melius his sepeliri in corpore animalis, quam telluris. dicuntur dominari, quatenus occidunt, vt cibentur. Homo autem non vt cibetur imperat, neque enim humanis vescitur carnibus, sed vt ad suas actiones edendas vtatur homine, tanquam organo. Hoc autem non potest rectè fieri, nisi sponte homo obediat. Sponte non obedit, nisi bonum sit illi obedire; si autem bonum est, erit societas, & regimen, non dominatus. Pindarus autem, & Macchiauellistæ, & ille consul, qui in potentia fundant regnum, merentur sub Leonis & equi potentioris imperio viuere, sicuti olim Dani subiecti fuere per Gothorum ludibrium Cani, teste Ioan. Magno. Inter Asinos autem, & equos, & gallinas, non dominatur fortior, licet naturale sit bestiis, & furiosis obedire propter metum semper potentiori: rationabilibus verò per rationem sapientiori, & meliori: sed viuunt per anarchiam. Inter grues viuitur iuxtà exactæ Reip. specimen, ait S. Ambr. sicut viuebant homines in lege naturali. Apes viuunt parentes optimo, omniaque animalia gregalia nobis gregalibus imitanda, viuunt per virtutem, non per vio-

lentiam obediendo imperandoque. Quapropter exempla sunt falsa à non gregalibus, & à non eiusdem speciei, & à viuentibus per metum non per rationem: sunt autem exempla contraria posita nobis vt effugiamus tyrannos in lupis, & leonibus: potius autem diabolos, qui sunt potentioris speciei, vt monet Apost. Petrus. Docuit natura vt subiiciamus ea, quæ sunt alterius speciei, & nostri gratia, non quæ eiusdem, & Dei gratia: nec cedamus potentioribus, vt bruta; alioquin, & lupis, & equis, & leonibus seruiendū foret. Præterea tyrannice dominari inter homines, non est peccatū naturale, quo accipiter columbā occidit. vnde aliud vel æquale vel maius bonum resultat, quale est vita acceptris: sed peccatum morale contra Deum summum bonum non compensabile alio vel meliori bono: quid enim melius Deo? aut bonum contra summum bonum? idcircò mala naturalia possunt esse volita non per se, sed propter aliud ad quod ordinantur: Moralia verò sunt ipsa deordinatio non ordinabilis vt sic, licet aliter videatur tyrannis: propterea nec per se, nec per accidens sunt volita à Deo.

Ad 6. Salomon ibi dicit id, quod euenire solet. non autem sic esse de iure: alioquin & ipse cum esset imbecillior Rege Assiriorum tunc temporis, debuisset de iure eidem tributum pendere. sed alibi docet consilio bella tractari. Et quod sapientia est Domina rerum, *Quæ superborum, & sublimium colla propria virtute calcauit*. Et quidem arma nihil prosunt sine virtute. omnis autem virtus sapientia est. exercitus Brenni, & Xerxis paucorum sapientum potentia confracti sunt. Nos ergo dicimus omnia esse Dei, & amicorum eius. qui *nec abiicit potentes* (ait Iob) *cum sit ipse potens*: sed potentiam sapientiæ, & probitati iunctam commendat. meretur remissa manus ex vitio pigritiæ, non ex naturæ defectu, seruire, vt dictum est. in vna primalitate bestię, & potentes tyranni fundant se. nos autem in tribus addendo sapientiam, & probitatem. Omnis enim natura perfecta ex tribus essentiatur, videlicet; Potentia, sapientia, & Amore erga nos naturaliter, illi violenter, & contra naturam procedunt.

Ad 7. nego quod inuitos bonos quis regat, sed inuitos malos, vt bonos faciat, aliquando: sic præceptor regit discipulos etiam inuitos, vt ignorantia plenos: voluntarios vero vt cupiunt ab ignorantia liberari. inuitus paret æger medico vt æger: vt verò volens sanus fieri, voluntarius. Sanus autem, vt seruari volens in sanitate, obedit voluntarius. Regnum, & odium non simul posuit Deus, vt dicit ibi Nero, non Senecas; sed dominatum, & odium simul posuit. Nemo enim odit medicum, sed homicidam; neque patrem, sed percussorem. non contra naturam ignis aquam destruit: sed aqua aquam contra naturam destrueret: sic & homo hominem si subiugaret. Octauia. In tragedia.

Ad 8. Pacem dico esse naturalem inter homines. vitam tamen esse militiam contra diabolum, & passiones, & famem, & sitim, & alia mala, quæ per virtutem oportet expugnare. huius pugnæ spectator est Deus. nec vult nos abiecto clypeo aufugere, neque arma ab hostibus contra nostros conuertere. conuertit autem qui dum pugnare debet contra Diabolum, & suas cupiditates, contra homines bellum gerit. Aufugit qui ad delitias tantum se conuertit. Verum hic potius ad inimicorum castra se conuertisse putandus, tolerabilior illo, qui contra suos pugnat. At quoniam peccata hominum sic ferunt, vt contra inuicem bellum geramus, melius est captiuare quàm occidere. hoc est minus malum. sed meliores reddere captiuos, si studueris, hoc probitatis erit.

Ad 9. Verum dixit Iepte de Iure gentium, & præsupposito peccato. Deus enim propter scelera nefanda deleuit Cananeos, deditque terram eorum Israëli. sic alios subiecit Moabitis, alios Turcis. Non autem Chamos Deus Moab fecit hoc, nisi secundum credulitatem Moabitarum: secundum quam Iepte etiam illis loquebatur ex hypotesi eorum non ex veritate. Hispani in Americam intrarunt ad vlciscendum ius naturæ violatum ab Accolis per antropophagiam, & Sodomiam, & idolatriam. nec possunt eos priuare bonis externis, sed cogere vt viuant secundum naturam. sicut insanos ligamus, & curamus. Quidquid vltra faciunt peccant: neque propria autoritate id facere possunt, sed Papæ, qui est Vicarius Christi, Rationis summæ cui Rationales

creaturę subduntur. vide de hoc Monarch. Mes. & tractatum de iuribus Regis Cath. in nouum orbem. gallus patitur venerem Victoris quia est bestia. homo autem natura liber imaginem Dei gerens à victore est iuuandus, non subiiciendus, opprimendusuè turpiter.

Ad 10. Nego esse secundum naturam dominium in homines. Dico Deum omnia curare, magis autem homines, bestias quoque propter nos. *Nunquid de bobus cura est Deo*, nisi propter nos, vt dicit Apostolus? nego quod rerum natura inter pares posuerit subiectionem. Palestini populi quia facti sunt propter peccatum bestiæ, traditi sunt Hebręis: sic Amalecitæ, de quibus supra. Gabaonitis parcitum est, ob iusiurandum, cum deberent exterminari, sicuti cæteri malefactores incurabiles in omni Republica, seruitiisque illorum à peccato, non à naturali fuit lege.

Ad 11. Propterea Resp. Lacedemoniorum & Cretensium à Platone, & Arist. repræhenduntur, quod omnes leges ad Studium belli pertinentes habebant, atque in pace viuere nesciebant. cum enim pax sit finis belli: ipsi medium pro fine habebant. Finis Reip. est conseruatio fælix in vita, ordinata ad Deum. bellum non conseruat, sed à destruentibus tutatur. posset autem Resp. in tali situ fieri, vt bello non indigeat. vt in insula inaccessibili, sicuti Athlantica, teste Platone. Resp. autem Venetorum, armis parum studens, longe fælicior, & diuturnior est, quàm Lacedemonia, aut Cretensis, aut Romana, licet non tantūdem imperii ampliauerit. Patitur tamen à mercenaria militia suspicionem. sed tam benè temperata est in se, vt felix supra omnes videatur præsentes præteritasque: exercēdam tamen virtutem militarem docuit Roma, & Iosuè. nō vt immerentes addicemus seruituti, sed ne torpescamus, & simus pręda Barbarorum, & arma exercentium. Magis tamen exercendus est animus, ne simus pręda vitiorum, ignorantiæ, & pseudoProphetarum, & consiliariorum sceleratorum: in hoc Veneti præclare exercentur. Romani autem vtrumque exercebant, teste Salustio, vt dicit Aphorismus noster. cætera ex dictis soluuntur.

Ad Arist. dicimus non esse hominem hominis instrumentum simpliciter operis, sed socium. nam, & mulier est adiutorium. teste Deo, concedo tamen non secundum naturam, sed post corruptelam naturæ, factum esse, vt homo homini dominetur secundum quid, non simpliciter, ad bonum vtriusque & non solius dominantis. Potiusquam regimen dici debere. nos diximus dominium in textu: sed intelligo politicum, & secundum quid. Inter indiuidua enim eiusdem ideę non potest esse per se, & simpliciter relatio dominii, nisi quis pręcellat quantum pastor oues. nec statim dicam Dominum. nam puer non est seruus dominabilis, licet oue ignorantior, sed regibilis. vult enim natura, vt pares natura meliore mus, vt medici; non eis abutamur vt Domini. cōpositum ex subiecto, & subiiciente facit opus bonum: at inter homines hoc non est, sed societas, & subiectio vtilis subiecto pro rata æque ac Domino. Nego semper quod naturalis sit seruitus, & dominatus, ex hoc quod politici sumus: sed sequitur quod naturalis sit societas, vt ait Amb. de gruibus nos instruens.

Ad 1. De harmonia non valet: quoniam maior chorda non dominatur: nec vlla est absque sua functione, licet alii melior conueniat. ex elementis autem arguere non licet, quoniam contraria sunt.

Ad 2. Dico, corpus non posse animam esse, nec animam corpus: propterea semper expedit illam dominari, hoc seruire. at homo semper est homo sicut alter homo. si verò viribus, & ingenio quis pollet, non dominabitur, sed reget. dominabitur autem secundum quid, & in quo melior: in quo deterior, seruiet: sicuti Barbitonsori etiam Philosophus obedit in exercitio tonsionis, & Rex medico tempore pestis. Item si corpus seruit propter melius proprium, non erit seruitus, sed societas: si propter animam, & contra se, tunc est seruitus. vt cum S. Benedictus proiicit corpus inter spinas, ne luxuriet. Et S. Dominicus catena illud flagellat, tamen frater asinus vocatur à S. Francisco, non seruus asinus.

Ad 3. Benè verum est, non tamen expediens omni animali, sed imbelli, & per se seruari nun potenti. Arist. tamen exit à ratione instrumenti. non enim propter bonum instrumenti seruit: tunc enim erit societas. Item transit ad exempla alterius speciei nobis subiectę natura.

Ad 4. Fæmina non seruit nisi apud Turcas; sed regitur politicè à mare propter vtriusque bonum.

Ad 5. Nego quod homo tantum possit excedere hominem, nisi à Deo eleuetur ad gradum diuiniorem, vel ab eo rogatus, sicut Papa à Spiritu S. & tunc neque erit Dominus, sed rector: concedo rudes habentes rationem obnubilatam debere seruire, vt meliorentur, non vt in seruitio assuescant tanquam naturali: cum contra naturam sit hoc & per accidens, & ex peccato vt sint rudes. nec sapiens vili ficabit, sed dignificabit suam speciem.

Ad 6. Totum concedo. & consultum esse à Deo post peccatum vt vel sic saltem cohætentes mutuis functionibus nos iuuemus: & qui præualet corpore, iuuet corpore, qui animo, animo: estque dominatus secundū quid, simpliciter autem societas. sic in corpore, ait Apost. sunt membra vilia, & nobilia, & omnia de corpore, alia aliis ministeriis deputata: non tamen aliquod non est de corpore, quia vilius: sed ne sit scisma, abundantiori circundatur honore. Idem dico in Rep. nec vllum membrum dicetur seruum propter hoc, sed socium, membrum de membro, & alterius membrum. hoc Aristotel. non considerauit: quamuis ipse & Plato eadem similitudine, qua Apost. vsus fuerit.

Ad Cap. 4. Dico seruitutem legalem etiam ex peccato ortam, ex quo & bellum: permittique in pœnam vel in exercitium virtutis, immo & se ipsum vendere in seruitutem licuit Hebræis, sicut patet in lege Moysi: hæc tamen non est seruitus, sed operis locatio pro tanta pecunia, vt nunc fit apud nos pro cibo, & salario. magis tamen est secundum naturam, ex quo corrupta est, vt deterior seruiat meliori: melior autem reget, non dominabitur.

In Cap. 8. Mentitur: quoniam seruus habet lib. arbitrium: immò serui principum sunt consiliarii, etiam apud Turcas. caret tamen executione, quoniam ad imperium principis deliberat de rebus publicis. de propriis autem mente capti soli non deliberant.

In Cap. 5. Perperam docet bellum esse naturale, ac causa acquirendi. Non enim est nisi causa defensionis: & propulsandi iniuriam. Venatio autem contra animalia, non contra homines, illa iusta, hæc contra naturam. Barbaros verò non venamur, vt nobis sint serui, sed vt fiant boni, neque nobis noceant. eosque armis, & facultate malefaciendi spoliare possumus, non libertate, & possessionibus, nisi Deus ita iusserit, vt contra Cananæos.

In 7. Polit. rectè procedit. vbi autem agricolas, & artifices facit seruos: non Philosophicè loquitur, sed tyrannicè. Vtrum autem quis debeat assumere principatum si aliorum est optimus; asserimus, si sit sine periculo. melius autem Apostolico modo, vt dicebamus.

QVÆSTIO SECVNDA LIBRI TERTII, CONTRA POLIT. ARIST.

Vtrum ex doctrina Arist. sequatur, omnes principes mundi esse tyrannos, quemadmodum cupit eos esse Macchiauellus, *& Macometus instituit. & an vere tyranni sint omnes. & vtrum omnes populi sint serui, & tanquam serui tractari debent secundum Arist. & an hoc sit benè, & secundum naturam.*

QVÆSTIO II. ARTICVLVS I.

1 PRimo palam est quidem omnes Principes esse tyrannos si Arist. credas. Nam ex dictis patet, omne dominiū contra naturam est tyrannicū: at secundum Arist. omne dominium, in quo Princeps non superat virtute vassallos omnes, quantum mas

2. Finget se reddere rationem tributorum, ne videatur bona publica vsurpare, sed tanquam dispensator tractare.

3. Nec thesaurum apud se retinebit ne insurgant auidi in ipsum, sed apud Ciues. sic enim nec deficiunt ei pecuniarum ordinatori, nec timebit.

4. Debet alienum à Crudelitate se ostendere, sed tamen venerabilem se ostendere per virtutes veras, vel simulatas, vt qui Philosophi, & Politici videri volunt, & prædicari.

5. Non iniuriabitur vlli palam, nec ipse, nec sui familiares, præsertim in honore pudicitiæ.

6. Faciet vt vxor sua sit familiaris, & affabilis cum vxoribus aliorum vassallorum, ad captandum amorem.

7. Comessationes, & ebrietates fugiet, simulabitque sobrietatem, ne sit contemnendus.

8. Ornabit ciuitatem turribus, ædibus, foro, pontibus, ita vt videatur communis procurator.

9. Erga religionem ostendet se zelantissimum, & diuinum, & in Dei protectione omnia reponere, & inimicos religionis statim castigare.

10. Virtuosos honorabit in actibus magnis, & fouebit, sicut ab eo magis, quam à Rep. putent se honorari.

11. Nullum virum magnificabit nimis, ne insurgere possit. sed plures magnificabit, & mediocriter: non tamen eos, qui sunt audaces, & magnanimi, magnosque, paulatim deprimet non subitò.

12. Cauebit à duabus iniuriis maximè, nec in corpus flagitis; nec in ætatem libidine insultet, præsertim ciuium honoris cupidorum. pecuniarũ soli auari amissione cruciantur, qui sunt viles animo. at honoris, magnanimi: præsertim dispositi, vt amplius non curent viuere, dum contumeliam in tyranni nece vlciscantur, propriam, vel carissimorum.

13. Factiones librabit; omnes seruabit; potentiores fouebit, vt sibi sint munimen: nec patietur alios vexari, ne insurgant: sique hi insurgent, ab illis auxilium habebit, & sic vicissim.

14. Egregios sibi familiaritate coniunget, plebem fauore, & gratia. affectabitque esse bonus, vel semi bonus, sic pluribus imperabit, & diuturnior erit tyrannis. minimæ enim durationis est. Sycioniorum ad centum annos peruenit, quia modestior erat. Cypsellidarum in Chorinto annis 73. & mensibus sex. Pisistratidorum Athenis annis 33. Gelonis apud Syracusos 18.

Hæc Arist. de vtroque modo tyrannizandi scripsit. ex quo sequitur omnes principes esse tyrannos in Mundo. Nemo enim est dispositus renunciare meliori dominatum: neque est qui prædictis artibus non vtatur. vnde, qui aperti non sunt tyranni, sicut Rex Turcarum, & M. Dux Moscouitarum, qui priores artes palam profitentur, sunt tyranni hipocritæ, qui secundas exercent, immo nec tàm sanctè viuunt, quam simulatus tyrannus Aristotelicus. Neque enim reddunt rationem administrationis, neque abstinent ab effusione in fæminas, & histriones: neque egregios familiares sibi faciunt, sed quoslibet. in cæteris simulatio est aperta. scimus enim eos nec doctos, nec fortissimos, nec sanctissimos in gradu supremo, in quo est qui natura est princeps. nolo descendere ad particularia principum nostrorum quoniam odiosa sunt. sed ex his se vident ab Arist. quem in Scholis Christianis præfecerunt, pro tyrannis haberi.

E regione verò omnes populos esse seruos, ac mancipia docet Arist. Nam si omnes principes tyranni. tyrannus autem sui gratia populos moderatur, consequens est hos omnes esse seruos.

2. Idem Arist. apertè sic esse docet in 3. Polit. c. 1. vbi vult ciuitatem esse ciuium multitudinem. Ciuem verò illum esse solum, qui participat potestatem publicè iudicandi, & decernendi. Nam ait, habitatio non facit ciuem. Sic enim serui, & ministri ciues essent. neque forum: nam peregrini habent forum vbi morantur: im-

mo, nec vbique, ſed per patronum, agunt, accuſant, defenduntque ſe; nec pueri, & ſenes non participantes ſunt ciues, niſi ſecundum quid: ergo illi ſoli, qui habent ius decernendi, & iudicandi, & principandi.

3. Item in cap. 3. docet artifices, agricolas, & mercatores non eſſe ciues, quoniam ſunt inepti ad virtutem ciuis, nec apti ad principandum: ergo habendi ſunt pro ſeruis. nam idem eſt ſeruire vni Domino, & multis: ſicut ergo qui hero ſeruit eſt ſeruus, ſic qui omnibus, eſt ſeruus ciuitatis. etenim, & merentur. ſunt enim hi viles, & ſordidi: neque virtutem exercere poteſt qui vilibus opificiis occupatur.

„ 4. Ibidem docet, quòd alia eſt virtus ciuis boni, & boni viri. vir bonus omnes „ habet virtutes, aptuſque eſt dominari. bonus ciuis habet partem virtutis, qua ſcit „ ſubeſſe. non enim eadem iuſtitia, & temperantia, & fortitudo dominantis, & obe- „ dientis: ſicut nec eadem honeſtas maris, & fœminæ. Propterea aliis ſtudiis princeps, „ aliis ſubditus. Tandem ait, quod in Rep populari eſt ciuis omnis homo, quoniam „ participat dominatu: in paucorum Rep. illi ſoli qui dominantur, & poſſunt Magi- „ ſtratus adire. in cæteris prout quiſque participat, ſed in optima Republ. bonus ciuis „ eſt etiam bonus vir: quoniam poteſt præeſſe: ergo virtute, & principis, & ciuis debet pollere, & illam diſcere obediendo, & dominando viciſſim. ſed nemo ait, opi- „ fex, aut mercator, aut Agricola poteſt eſſe ciuis in bona Republ. nec iſtorum ar- „ tes addiſcet ciuis. niſi forte gratia ſui, non aliorum: alioquin non eſſet diſtinctio ci- „ uis, & ſerui.

In 7. tandem Polit. omnes præfatos redigit in ſeruorum conditionem. Solos milites, & rectores facit partes ciuitatis, & qui naſcuntur ab eis. Idem ait ibidem, & in Eth. fœlicitatis cauſa inuentam Ciuitatem: fœlices autem ſolos eſſe qui contemplatiuam virtutem exercendo iucundantur, aut actiuam ex parte: quoniam ergo carent Philoſophia, & ciuili prudentia artifices, & agricolæ, & paſtores, & mercatores, propterea beari non poſſunt in primo nec in ſecundo beatitatis gradu, ergo ſunt aliorum gratia, & ſerui: ergo poſſunt cogi ad parendum, ſicuti bruta animalia venamur, vt nobis ſint vſui, & emolumento.

Ex his patet ſecundum Ariſt. quod in Rep. Venetorum ſoli nobiles ſunt ciues, cæteri verò ſerui. Sed nobiles ſunt tyranni, quoniam non præſtant cæteris, quantum homo beſtiis, ſub Papatu verò, & Regno Gallo, & Hiſpano, ciues erunt doctores, & clerici, qui poſſunt ad Magiſtratus aſſumi: populi autem ſerui. nam licet in comitiis habeant eligendi ius, tamen omnia fiunt ex principum voluntate. nec niſi ſindicos, & tribunos plebis eligunt ipſi. cæteros, & maiores, vt iudices, & prætores, conſiliarios princeps facit. immo feuda vendit, & vaſſallos ditioribus, tanquam Dominus. Omnes ergo populi ſerui ſunt. quod in regno Turcarum palam profitentur. Rex enim prædia, & perſonas poſſidet: apud nos vero mitius iſta tractantur. ſed ſecundum Ariſt. non modo ſunt ſerui: ſed etiam debent eſſe ſecundum naturam. immo errant principes, qui ex artificibus, & mercatoribus eleuant ad doctoratus, & magiſtratus. ſed quia ipſi tyranni ſunt, & hoc tirannicè faciunt, quia lubet, non quia congruit ſecundum naturam. O bone Deus, & talem Sophiſtam in Cathedra Chriſtianorum locauimus, qui noſtros principes tyrannos, & populos omnes beſtiarum more ſeruos, vtque beſtias, tractandos docet! Nos autem qui à tanta iniuria Rempub. Sanctorum, & Mundum ipſum, & genus humanum vendicamus, tanquam impii, & rebelles opprimimur. Age igitur ad gloriã Dei, ſicut in cæteris ſcientiis hominis iſtius fallacias aperuimus, ita & in hac.

Sed contra Ariſt. eſt autoritas S. Petri ep. 1. cap. 2. vbi Regibus & ducibus etiam gentilibus ſubdi oportere propter conſcientiam docet. & Apoſt. Paulus Rom. 13. multis rationibus diuinis & Politicis id ſuadet: quoniam poteſtates ciuiles à Deo ordinatæ ſunt. Manifeſta autem eſt Dei ordinatio in Natura, & in Sacra ſcriptura. Gen. 12. Deus promiſit Abrahæ quod Reges de ſuo ſemine orirentur, & in eo bene dicendos omnes gentes. conſtat autem quod tres Nationes magnæ profitentur de ſemine Abrahæ deſcendere, videlicet Iudæi per Iacob, Mahometani per Iſmael,

Christiani per Dauid, cuius trunco sicuti oleastrum oliuæ, Christus gentes inseruit, teste Apostolo ad Rom. successio aiit Charismatum, & donorum indicat, in quibus vera fides Dei seruatur, vt prophetia, miracula, & sanctitas. hæc primo fuerunt in Iudaismo ante aduentum Christi, tunc cessarunt, & transierunt in Ecclesiam Christi. Ab hac autem ad Macomettanam non migrarunt. Nam, & in nobis perseuerant omnia dona: & in Macomettanismo non insunt. nec miraculis, sed gladio, quemadmodum ethnici & cæteri latrones, profitentur propriam tueri sectam. Quod Macomettus docuit diffisus causæ. Propterea que isti tyrannidem Ismaeliticam exercent; faciunt vassallos ignorantes, discordantes, & pauperes, omniaque ibi sunt principis. Nullus possidet, nec hæreditat, nisi quod ipse vult. Philosophia, & omnes scientiæ contemplatiuæ exterminatæ sunt, per Iannizeros extraneos, sibi à pueritia deuinctos, & per mancipia exaltata, tuetur imperium, dominatumque tyrannicum tanquam à Deo institutum exercet: de hoc nulla questio,

Quo verò ad Iudæos: olim habuere Reges ex semine Abrahæ per successionem regnantes, non tamen tyrannos fuisse. Sacra Scriptura dicit aliquos eorum propter, hoc quod peccatores cum essent paternum possederent regnum; neque melioribus cederent, quando prophetæ sancti aderant, potuissentque melius regere. nec quia inuitis imperabant, siquidem, & præceptor inuitis imperat pueris. neque quia ignorantes, aut pueri erant; quandoquidem Ioiada sanctus Pontifex præfecit Regno Ioas de stirpe Dauid adhuc octennem, occiditque Athaliam impiam. potuisset autem præficere optimum, & sapientissimum Iudæorum. sed tunc solum tyrannidis crimine notantur, cum derelicta lege Dei ad libitum regnabant, populumque vexabat, cædibus, exactionibus, iniustitia, exemplo prauo; nec sacerdotibus, nec Prophetis, nec legi Dei se subiiciebant: Idem inuenies post sacerdotii, & regni Iudaici, euersionem in Christianismo; cuius lex nullam permittit maculam, & ad virtutes, puras, & veras trahit credentes; nec vllam dissimulat culpam; præsertim grauem, publicamque. Nunquam tamen Reges condemnauit propter hæreditatem regni, aut dominatum inuitum, sed solum quia contra legem Dei regnant in ruinam sui, & populorum. aut quia regnum inuadunt, sibi nec electione, nec successione debitum. Si enim Resp. eligit regem, conceditque illius successionis, iustè filii hæreditant. Item S. Ambros. scrupulosus in hoc negotio, nullum Imperatorem condemnat, nisi vbi tyrannicè populum tractat. & licet magis approbet electionem, quam successionem, tamen Valentinianum, & Gratianum iuuenes per hæreditatem imperium obtinentes mirè laudat. Maximum verò per vsurpationem tanquam merentem, mirè vituperat. Idem videbis apud Chrysost. Aug. Cyrillum, cæterosque patres doctissimos, sanctissimosque. Præterea dixi in textu, quod princeps debet esse aptus docere, defendere, nutrire, & iustificare populum. at vbi ista non valet, nec est Salomon, nec Dauid, tunc sperat alios sapientes, & virtuosos id efficiet, & secundum legem, optimus est princeps, nec tenetur imperium cedere alteri: laudatur Pharao quod Ægypto præfecit Iosephum, non autem vituperatur, quia etiam solium suum eidem non concessit. Multa enim sunt pericula in his permutationibus, & interregnis, quorum causa facta sunt regna hæreditaria. Idem sentit S. Thomas in lib. de Regimine principū: conditiones optimas, quas Arist à Plat. acceptas requirit, habemus in Papatu, & longè plures, ac meliores, quā Philos. excogitarunt, vt docui in lib. de Monarchia Christiana: omnes enim desunt malitiæ, vt sunt immaturitas, ignorantia, inexperientia, scelus, tumultuatio, contemptus. eligitur enim maturus & optimus ab optimis ex optimorum numero, in minoribus expertus regiminibus, semper doctus, & venerandus, & subitò absque vxoris, & liberorum affectu. Nec tamen vllus Pontifex alteri meliori cessit vnquam, excepto Cælestino, neque Episcopus excepto Valerio, qui sibi prætulit Augustinum: sed in multis, & sæpè hoc legimus. Prou. 5. Rom. 13.

Item S. Ludouicus Rex Gallorum, & S. Eduardus Rex Anglorum, multique Principes sancti in Christianismo, hæreditate Imperium adepti in posteros transmiserunt, nihil iuri diuino, aut naturali se derogasse rati. Immo & sacerdotium per

ſucceſſionem Deus in veteri lege inſtituit, licet in noua electionem prætulerit tanquam meliorem. ex his patet in quo tyrannis conſiſtat. Princeps enim pius, nunquam tyrannus erit. Quod enim non poteſt ipſe, per alios facit. impius verò, etſi doctiſſimus vti Iulianus, nec benefaciet, nec viros bonos ſibi familiares ad regni gubernacula adſciſcet: ſed timebit eos perdétque. Chriſtus Reges non ſubſtulit, ſed præfecit eis principem Apoſtolorum, vt regnent in ordine ad vitam æternam ſecundum legem Dei, non ad libitum.

Contra vero id quod Ariſt. docet, ciuem eſſe, qui participat gubernatu: & poteſt præeſſe, & ſubeſſe; ideoque habet omnem virtutem, vt præſit, eaſdemque mediocres, vt ſubſit, præterquam quod natura id negat: neque enim poſſunt inueniri tot optimi, qui integrent vnam Ciuitatem, vt ſint omnes Philoſophi, Gymnaſtæ, Muſici, & pictores, his enim quatuor artibus eos inſtruit Ariſtoteles. At etiam Apoſt. Paulus id reiicit p. Cor. 12. Comparat enim Remp. Chriſti humano corpori, dicens, *ſicut Corpus vnum eſt, & membra habet multa: omnia autem membra ex vno corpore cum ſint multa, vnum ſunt corpus: ita & Chriſtus. etenim omnes in vnum baptizati ſumus, ſiue Iudei, ſiue Græci, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes vnum ſpiritum potauimus. Nam, & corpus non eſt vnum membrum, ſed multa. ſi dixerit pes, quia non ſum manus, non ſum de corpore, num propterea non eſt de corpore? ſi totum corpus oculus, vbi eſt auditus? ſi totum auditus vbi eſt odoratus? Nunc autem Deus poſuit membra vnumquodque in corpore, ſicut voluit. Si autem fuiſſent omnia vnum membrum, vbi corpus? nunc autem multa quidem membra, vnum verò corpus: non poteſt autem dicere oculus manui, opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarii: ſed multò magis quæ videntur corporis membra infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt. Ac quæ putamus ignobiliora eſſe membra corporis, his maiorem honorem circundamus. & quæ inferiora ſunt nobis, reuerentiam abundantiorem habent. Quæ autem honeſta ſunt noſtra, nullius egent. Sed Deus temperauit corpus, ei cui deeſt ampliorem honorem tribuendo, vt non ſit ſchiſma in corpore, ſed ipſa pro ſe inuicem ſollicita ſint membra, & ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. ſiue glorificatur vnum membrum, congaudeant omnia membra, &c.* Poſt hæc diſtinguit functiones principantium: ex quibus verbis planè conſtat omnes eſſe conciues quicunque eadem religione participant & cohabitant, & habent functionem vtilem in Republ. etiam ſi non ſint dominationis participes. neque enim quia pes non eſt oculus, idcircò non eſt de corpore. Propterea ſcripſi in Aphoriſmis, eos tantum non eſſe ciues, qui otioſè viuunt, & perniciosè, nihil exercentes, vt dicebat idem Apoſt. ad Theſ. ideſt quales ſunt falſæ nobilitatis nomine glorioſi, nec literis, nec armis, nec opificiis vacantes, ſed amoribus, & circumcurſationibus, & deliciis, in quibus ſeruorum applicant etiam numerum, reddúntque eos ſceleratos, vnde reſultat peſtis quædam per totum Reipubl. corpus vagabunda, ſicut lepra. Nobiles enim ſunt pro tutela Reipublicæ armorum exercitio dediti, vel doctrinis, vt poſſint eſſe iudices, aduocati, Conſultores, rectores. Opifices verò ſunt magna Reipubl. pars: ſine qua eſſe non poſſumus. idcirco ex ciuium numero non ſunt excludendi, neque enim quia non eſt oculus idcirco pes non ſit de corpore. Argumentum Apoſtoli validiſſimum, fundatum in natura: erubeſcat Ariſt. Nam & ſi docti non ſunt ruſtici, & opifices in ſua Logica, ſunt tamen in naturali & Religione communi. Omnis etiam artifex eſt Rex in ſua arte, quatenus particeps ſapientiæ, vt dicebat Salomon. Iuſtitia autem, & temperantia magis inuenitur in plebe, quam in nobilitate: credunt enim legi, quæ prædicatur quotidie in templo: & à patribus, & matribus audiunt, & à commercio: & reuerenter obtemperant: literati verò confiſi in doctrina, & ſyllogiſmis contrariis agitati, non ſunt ſic firmi in iuſtitia, & temperantia, & fortitudine. Hoc etiam Macchiauellus agnouit. vbi iuſtiorem eſſe populum, & in fœderibus obſeruantiorem, quam principes, notauit. Accedit contra Ariſtotelem exemplum Reipublicæ Romanæ: cuius conſules ex aratro, & vinea eligebantur. & hi fuere æquitatis obſeruantiſſimi, vt hiſtoria, & Machabæi teſtantur: & Patriæ amantiſſimi, & in bello ſtrenuiſſimi. cognomina autem à leguminibus, quæ quiſque melius ſerebat, & colebat, ſortieban-

tur, vt Lentuli à lente, Fabii à Fabis, Cicerones à cicere, Cornelii &c. Vnde mirificus Cincinnatus, & Decii Pii, ac fortes, Fabii, Manlii, Camilli, Cethegi, Catones, Scipiones, Valerii, cæterique Duces Romanorum, qui nedum Heroas, ſed etiam Deos Græcorum virtutibus, & geſtis præclaris ſuperarunt, ex re ruſtica conſurgebant; iterumque defuncti magiſtratu ad colendos agros reuertebantur. Vbi autem facti ſunt diuites, & Philoſ. Ariſt. corruit virtus. & Reſp. Quid Romanos nomino? Petrus, & Apoſtoli ex piſcatione, & Paulus à Scenofactoria arte, ad Apoſtolatum vocati, eaſdem artes exercebant, & mundum virtutibus, & doctrinis illuſtrabant. & audet Ariſt. impius, naturæ humanæ hoſtis, extra ciuitatm facere artes, agriculturam, & mercaturam, & quæ maximè ſunt neceſſaria. milites autem qui per accidens neceſſarii ſunt, imò per 5. Can. nec teſtes nec accuſatores eſſe poſſunt, facit ciues. Hic Chryſ. Deo plenus exclamat. docetque, ſibi magis ſufficere ciuitatem ex artificibus, & agricolis conſtitutam, quam ex Philoſophis, & vocatis nobilibus: formatque duas ciuitates, & interrogat vtra harum indigeat altera. & Menenius Agrippa vir ſapiens inſtar corporis fingendo Remp. vix obtinuit, vt Senatores vtiliores plebeis exiſtimarentur. Taceat Ethnicus quoniam & ciuilis virtutis plebs eſt particeps, & diuinæ. Nam dum legi obtemperat, conſequitur à legum auctore Deo gratiam, & Sanctimoniam, vt ſuper Heroes aſcendat *Et hic eſt omnis homo*, ait Salamon; quod in femellis, & ruſticis Chriſtianis experimur. Benè ſcripſit Amb. quod qui non agnouit Dei prouidentiam, quemadmodum Ariſtotel. non poteſt rectè de virtutibus, & Rep. diſputare.

Approbat Teleſius exemplum corporis Reip. & Plato, & Stoici, faciuntque ciues, ſicuti & nos: inter gentiles tandem Madianitę, Spartiatæ & Etauitę, quorum fuit Iob Rex, omnes de ſtirpe Abram hæreditate regnum, & opificio Remp. poſſederunt: non damnandi propter hoc vlli, niſi ob peccata incorrigibiles.

Ad 1. Reſpondetur quod nullus homo excedet homines quantum homo beſtias niſi ſit Deo plenus, vt ſummus Pontifex à Spiritu ſancto rectus. & omnis Rex Dei Religione imbutus: at etiam Vaſſalli erunt huiuſmodi: nec propterea cedet Rex, ſed in quo ipſe non ſufficit, vtitur concilio ſacerdotũ, & ſapientũ, & legis. & ſic poterit abſque tyrannide benè regere in ſapientia Dei. Qui ſic non faciunt verè Tyranni ſunt: ſi autem cederet, continuo & quotidiana mutatio, dum ſemper melior reperitur, fieret, & exitium Reip. hæreſis Iohan. Vs eſt: quod Rex peccans non eſt amplius Rex: & quod debet cedere meliori ex Ariſt. hauſta.

Ad 2. Non ſolum requiritur vt inuitis, ſed etiam vt contra legem dominetur, quo ſit tyrannus. Neque dicitur inuitis dominari his qui conſenſerunt ſuis maioribus: ſed his, quos inuadit abſque iure ſola regnandi libidine. vt ſi Rex Angliæ non laceſſitus, Hiſpaniam ſibi ſubiugaret, ac ad placitum dominaretur: inuitis enim præceptor dominatur pueris, ſed ſecundum legem, & pro bono ipſorum. ſic Reges noſtri. & quamuis de facto inuitis, de iure volentibus dominantur.

Ad 3. Si principaliter ſui gratia & diuitiarum regnat, eſt tyrannus. ſi ſecundario, nequaquã: æquum enim eſt, vt qui pro Rep. laborat, bonis eius participet: vt dicitur Rom. 13. quoniam vt Dei miniſtris honor & tributa debentur principibus.

Ad 4. Concedo tyrannidem in gentilibus, præſertim in Rege Iaponenſium, & Monopotata: ſimiliter in Americanis olim: nam, & Vaſſallorum natis veſcebantur: itidem in Macomettanis eſt aperta tyrannis. apud Chriſtianos minimè. Cuſtode extero vtuntur, non quia diffidunt ſuis: ſed quoniam dum iuſtitiam exercent, ab amicis caſtigatorum, odio habentur & à militibus propriis, quos contingit eſſe conſanguineos, & amicos eorum, qui caſtigantur, debent diffidere in primo impetu iræ, & ne executionem iuſtitiæ remorentur: idcirco habent cuſtodiam exterorum, vaſſallis nulla ſocietate coniunctorum: habent tamen militiam ex propriis vaſſallis, vt patet in Rege Gallorum. II. tyrannus autem eſt, qui exteris armatus, aut dolis inuadit ciuitatem, & illis munitus ſe ſe in dominatu conſeruat.

Ad 5. Reſponſum eſt, quod neque ſucceſſio, neque inuoluntarium faciunt dominationem tyrannicam abſolutè, ſed contra legem, & pro bono duntaxat proprio dominari, &c.

Ad 6. Concedo artes illas tyranni manifesti esse impias, propriasque tyrannorum: haud tamen esse in principatibus Christianis. Neque quia libros quosdam prohibent, intendunt efficere populum ignorantem: sed cauere ab hæresi, & prauis moribus, qui per tales libros sæpe introducuntur. scholas autem omnium scientiarum ipsi sti pendio fouent. quod Turca, & Moscouita nolunt in suis regnis, ne quid sapiant super illos. Reges autem Christiani volunt sapientes multos, quibus in regni negotiis vtantur. *In multitudine enim sapientum est sanitas orbis terrarum*, ait Salomon. persecutiones ex inuidia mutua non desunt, quoniam sumus in mundo adhuc, nondum in Paradiso. sed nullibi colitur sapientia quantum in Christianismo. hac duce inuenimus nouam terram, noua sidera, nouos cælos, noua artificia, doctrinas mirificas. reclamant censores librorum nouorum, vt canes non agnoscentes in nocte herum. postea tamen cognito acquiescunt. conqueratur Atheus, & Aretinus. boni enim viri hanc custodiam amant. cætera non sunt in Christianismo, præter fœminarum autoritatem. quæ generationē labefactat viuens in delitiis, & fucis, & sandaliis altis, quæ non possunt mouere, & torpescunt. imperant & viris: ergo & Reip. Quid enim differt si regant per se, an per alios? non tamen à tyrannide iste fructus, sed ab iniuria. Nam & in libera Lacedemone sic delitiabantur: & in Turchismo tyrannico sunt omnes ancillæ.

Quas artes tribuit tyranno simulato Arist. non sunt tyrannicę, sed Regiæ, vtinam omnes seruarentur in omni principatu. Est tamen notandum, quod si fiant tales ostentationes ad decipiendum populum in aliis negotiis ad sui vtilitatem, ita quod deceptio sit perniciosa deceptis, vtique malæ sunt; pertinent enim ad hipocrysim. qua nihil magis damnat Dominus Iesus Christus in Principibus, & Pharisæis. si verò fiant ad deceptionem officiosam, ita vt populus reuereatur principem, eiusque amet gubernationē, neque contemnat obedire, neque scandalizetur: tunc illæ simulationes probitatis, & opera pia, & beneficientia, non sunt malæ hypocriticæ vt docet S. Thomas in lib. contra impugnantes religionem ex S. Gregorii autoritate. *Si non caste, caute.* Fiunt enim non perniciosè, sed officiosè: hypocrita est, qui simulat, vt possit impunè malefacere, non qui tegit vitia, ne alii scandalizentur. diximus etiam licere principatum hæreditarium, aut ad quem es lectus tueri, quamuis sis minus sufficiens: dum tamen lege, & sapientibus tibi sufficientiam concilies. sin secus, tyranni, & hypocritæ pœnam lues.

Ex his verò quæ addit Arist. de tyrannidis duratione, potest intelligi modicam esse inter Christianos, longissima enim fuit Sicioniorū vsque ad centesimum annum. At Gallorum regnum in familia sola de Vallois peruenit ad quatringentesimum. Atqui à Feramundo ad Henr. 4. fere 1200. Dominatio paucorum in Venetiis ad 1300. Papatus ad 1605. Gothi & Longobardi ob tyrannidem breuiori tempore dominati sunt, Regnum Turcarum vix 150. annos habet: durat autem non sua, sed Iannizerorum vi: vide de Hispanorum Monarchia quid suo loco scripsimus.

Ad ea quæ contra ciues veros Arist. opposuit, ex verbis Apostoli credo satis factum esse: neque enim quia non dominātur, non sunt ciues, sicuti neque pes non est membrum, quia non est de capite sufficit si cohabitet, & sit vtile & necessarium & functionem habet vtilem: Milites autem per accidens esse necessarios ipse quoque Arist. docet contra Remp. Lacedemoniorum disputando. & omnis Artifex est particeps sapientiæ, quam veteres dixerunt magiam: vnde Reges magi: & opifices magistri dicuntur. sapientia enim dixit: per me Reges regnant, &c.

Esse omnes ad virtutem aptos, quoniam omnes sunt obedire apti: amor enim & timor, qui obedientiæ sunt stimuli, omnibus insunt. qui autem obedire potest, omnes virtutes operatur, vt probauimus lib. præcedenti per rationes, & S. Amb. in lib. de Habr. Neque quia seruiunt non sunt de corpore, immo magis, quoniam necessariores, ait Apost. Nec oportet ad omnes virtutes esse aptos; neque enim auris habet virtutem visiuam, ait Apost. non tamen propterea non est de corpore: sufficit vnitas fidei in vnum Deum, & mutua caritas, & officia mutua sub vna lege, vt sint vnius Ciuitatis conciues. de his satis in textu, & Resp. Romana, & Florentina ex

opificibus, & rusticis habuit meliores senatores. & Franciscus Sfortia primus Dux Mediolani, Fossor erat, & ex rusticis oriuntur virtuosi, & ex virtuosis vilissimi, vt Arist. in Reth. fatetur. Quare mirum quomodo talem Remp. constituit ex seminibus diuersis, quasi semper serui seruos, & Domini dominos gignant. imperitè quidem, & impudenter, vt in suæ Rep. examine videbimus.

QVÆSTIO TERTIA DE OPTIMA REP.

Vtrum Resp. quam finxit optimam Arist. super cæteras, sit verè optima, an pessima.

QVÆSTIO III. ARTICVLVS I.

ARist. in 2. polit. cum reprobasset Remp. Platonicam, in communi omnia ponentem; & Lacedemoniam, & Atticam, & Cretensem, & Carthaginensem, & Milesiam, rationibus quibusdam bonis, ex Platonis dialogis de legibus transcriptis ex parte, ex parte verò propriis, vt solet Sophismatis, post multas de politia sermocinationes, tandem in 7. lib. propriam constituit Remp. quam vocat optimam.

1. Itaque in Cap. 12. Locat ciuitatem ad littus maris ad commeatus facilitatem. circundat mœniis ad tutelam. Ornat ædibus sacris, & duobus foris, in altero magistratus conuersantur, in altero venalia distrahuntur.

2. In Cap. 8. Sex facit necessaria ciuitati, Alimenta, artes, arma, pecunias, sacrorum cultus, & iudicia.

3. In Cap. 9. Ciues negat esse in optima Rep. agricolas, opifices, pastores, & mercatores, quoniam ait, vilis est istorum vita, ac virtuti aduersa: nec potens vacare Reip. & virtuti comparandæ. Remanent ait, duæ partes, Milites, & Iudices rectoresque: hi prudentia, illi viribus preualent. his duobus est Resp. committenda. sed quoniam vires Iuniorum, omnes iuuenes erunt milites: quoniam prudentia seniorum iidem milites senescentes fient iudices, consultores, & gubernatores. cum verò magis senuerint, ex eis fient sacerdotes. Indigent enim ocio post labores Agricolæ: ergo & opifices erunt serui perpetuò istorum: hi artes, & agros colent illorum.

4. In Cap. 10. diuidit regionem in duas partes, alteram publicam: quæ iterum partitur in duas. vna subministrabit sacerdotibus, & sacrificiis necessaria: altera verò ad comessationum impensas.

Vtile enim arbitratur, Arist. vt conuiuia publica certis solemnitatibus celebrentur, vt Italus Rex in Italia instituerat, & vnde Græci hoc didicerant, vt ipse ait. Onomocrytus enim Locrensis primus leges tulit Grecis: Zaleucus Locris (quæ nunc vocantur Ieracium, à Stylo patria mea quæ ad promontorium Lacinium supereminet, distans 30. milliaribus) alteram partem distribuit ciuibus, ita tamen, vt idem habeat duas partiunculas agri; alteram vrbi vicinam, alteram remotam in confinibus. & hoc ex Platone accepit, vt eadem sit commoditas, & animus ad exteros, singulis idem.

5. Cultores agrorum vult omnes esse seruos, non vnius generis, ne animo coniuncti rebellent. nec sint animosi. vel sint serui barbari bello capti, & in duas partes distribuantur: vt alii sint serui priuatorum ciuium cuiusque sui quot sufficiunt: alii sint serui publici, qui agros colunt publicos. & lactandi sunt spe assequendæ libertatis.

6. In Cap. 15. Contemplationem virtuosam, facit fœlicitatem, indigereque virtutibus Vt fiant virtuosi opus est natura, more, & ratione: Ad naturã dirigit matrimonia, vt vir in anno 37. mulier in 18. coniungantur. & ille vsque ad 50. generaret. & in hyeme & ad Boream. partus orbatorum non nutriendos. Ad mores, vt assuescant pueri honestis colloquiis, & virtuosis actibus, & exercitiis & disciplinis per magistros.

7. In lib. 8. exercitium nobilium ponit in quatuor, videlicet in literis, in gymnastica, in musica, in pictura. alias mechanicas abominatur: sed seruis committit. hæc ille.

Sed contra hanc Remp. proclamat scriptura Dei & rerum natura, & Ars, & ipse Arist. vt patebit examinando singula eius decreta.

In 1. Situs ciuitatis ad mare prodest solum commeatui. moribus autem obest, quoniam salaces fiunt accolæ, vnde venus dicitur orta ex spuma maris. Item facilis, & continuus est aduenarum aduentus, & conuersatio: qui corrumpunt mores Reip. vnde insulani reputantur pessimi. Item Arist. non prouidit qua ratione sunt hospites excipiendi, & tractandi, ne serpat malum in Remp. quod Plato timens, locat eam in montibus. Quod autem ait in cap. 6. ne intrent hospites, impos. est. Nam amicos habent intus, qui intro ducere volent; aut non oportebit ciues peregrinari. & sic erunt odiosi cunctis populis, & ignorantes eorum, quæ fiunt in mundo. Item facile tyrannis subiiciuntur ciuitates maritimæ vt patet, propter facilem aditum exterorum, & mollitiam accolarum. Vnde Sicilia vocatur tyrannorum nidus. Neapolis nunquam libera fuit, sed Gallis, Sueuis, Hispanis, & quibusvis subiacuit. sic Tyrii, & Aradii olim. Solam Venetiam video ab his immunē malis ob optimas leges, & inaccessibilitatem, & artem nauticam, & triremes multas; & quia res nautica à nobilibus tractatur & mare custoditur totum Adriaticum. Arist. verò imperitè, & insufficienter non tractat de re nautica; neque à quibus sit exercenda: neque nobiles natare docet. Nec quomodo ex seruis, voluntariis ne, an coactis classes armantur? & qui debent præesse: & an milites iidem sunt nautæ, an serui. & quomodo à seruis non possunt decipi, & exponi hostibus: maximè quia maior pars Reip. serui sunt nobilibus inimici. & iidem sunt nautę & remiges: qui si extra Vrbem morantur, vt ipse vult, semper insidiabuntur, & prodent illam. Nec de militia nauali tractauit. est ergo insufficiens, imperitus, & dum optimam Remp. describit, in foribus delinquit, pessimum dans situm. si autem de optima non esset sermo, excusaretur. Nos autem in nostra Rep. de his omnibus locuti sumus.

In 2. Afferto concedimus illa necessaria, si inter artes agriculturam, & nauticam, & pastoralem enumerat.

In 3. Sibi & Deo, & naturæ, & arti contradicit, sibi, quoniam, si agricolæ, & opifices sunt necessarii, & pars Reip. tunc Resp. non erit neq; ciuitas sine illis: ergo essentiatur ex eis Resp. ergo sunt partes eius, & membra. si autem serui sunt, sicuti bestiæ, absq deliberatione. vt dicebat in primo lib. tunc non erāt homines necessarii. Si quidem sine bestiis, possumus viuere, non tamen sine hominibus. Item qui sunt eiusdem speciei dum in vnum naturale compositum conueniunt, omnes essentiant, & integrant illud compositum. Agricolæ autem eiusdem sunt speciei, ergo & ciuitatis, compositæ ex eis, & nobilibus, sunt partes essentiales: naturaliter enim vtrique sunt animalia politica: & componunt politiam ciuitatis tanquam res eiusdem speciei partiales vt in Rep. Rom. cuius insignibus inscribunt. S. P. Q. R. ad hoc comprobandum. Item arguebat Apost. Paulus. *Si dixerit pes, quia non sum oculus, non sum de corpore, non propterea non est de corpore.* Pedes sunt agricolæ, manus opifices, caput rectores, oculi consiliarii. omnes tamen eiusdem corporis membra de membro: Nec quia non eundem actum habent non sunt de corpore, alioquin corpus esset vnum membrum. Quod autem ait Arist. hos non esse aptos virtuti, & beatæ vitæ, mentitur in caput suum. Iacob enim in quo S. Amb. beatam vitam describit, fuit pastor, & omnes Patriarchæ, & Moyses legislator, & Dauid, & Saul Reges, & Noë Agricola, & tota Respublica Hebræorum à Deo instituta, ex his conflatur. & ne dicas miraculosè: iam ostendimus idem in republica Rom. cuius senatores erant agricolæ, & à Leguminibus agnomina accipiebant, vt Fabii, Lentuli, Cornelii, Cicerones, Papirii, Manlii &c. & hi virtute militari, & ciuili, Mundum vicerunt & illustrarunt, quasi alter sol, dicit Plinius. Omitto Apostolos opifices, & Piscatores. Item in Rep. Florentina, Gellius & Brucchellus, & alii opifices fuere, ac poetæ, & historici non contemnendi. Præterea dicebam in alio articulo quod opifices sunt meliores bello, & legum obseruantia,

uantia, quā literati, quoniam obediunt sincero corde, syllogismis cōtrariis haud exagitato. lex autem omnes præcipit virtutes, ideoque hi ad omnes conscendunt. Deus autem vt docet Chrys. propterea his maius præstat auxilium, & facit Prophetas, & Apostolos, (cuiusmodi non fecit Arist. & Platonem, & Pythagoram) quoniam simplici credunt animo diuinis mandatis. Vnde Cato censorinus, quando Arcesilaus in senatu Romano disputauit de iustitia, pro, & contra, secundum morem Græcorum, & iuuentus Romana audiuit auidè, dixit non diu fore, quod Resp. euerteretur, quandoquidem iuuenes delectat contra iustitiam audire syllogismos: & sic euenit. Tunc enim Cęsar, Pompeius, & Crassus, iuuenculi, cępere tyrannidem meditari. si autem in rure de oleribus tractassent, melius Reip. fuisset. Horatius nostrique poetę omnes, vitam rusticam beatificant miris carminibus. Arist. autem contrariam dicit esse virtuti, quia suam logicam non attendit. Nunquid manus, aut pes contrarius est virtuti? an non habent omnia membra particulam virtutis, qua suum edunt actum? Vnde Salomon facit Regem vnumquemque in sua arte. At præterea, si tota anima est in singulis partibus: & Religio est anima Reip. & singulis ciuibus etiam rusticis colitur, immò ab his venerabilius: vtique partes sunt Reip. & beatificabiles, sicuti sunt speciei: propterea ex eis plures habemus sanctos, quam ex nobilibus vocatis hominibus.

Præterea ipse in 2. lib. arguit contra Hippodamum Milesiorum legislatorem: si agricolę, & opifices non sunt ciues, quo animo esse possunt in Remp? vtique hostili, cum videant se bestiarum loco haberi: cumque sit tanta multitudo, quę superat ciues: nam opifices, agricolæ, pastores, & nautæ, & remiges, longè excedunt simul numerum ciuium: tunc quacunque occasione rebellabunt, ipsisque rusticis armis, & artium instrumentis in vna nocte Dominos occident, fientque Domini. Vel si bellum ingruerit à finitimis, dum milites ad bellum pergunt, ipsi ciuitatem occupabunt, vel ad inimicos confugient spe libertatis. Quod euenisse Lacedemoniis tempore belli ipse Arist. testatur, deridens eos. & nunc ipse magis ridiculus apparet, omitto quod in triremes redacta potest plebs aufugere, vel in mōtes secedere, sicut bis, & ter fecit populus Romanus, à senatu deficiens, donec omnes honores nobilium adeptus est. Resp. Aristotelis suo ipsius testimonio conuicta: cum enim sit contra naturam, stare non potest. Quid autem magis cōtra naturam quàm homines eiusdem speciei, artium participes, necessaria beneficе ministrantes, pro seruis, bestiis & inimicis habere, tam ingratè? Vide Chrysost. contra Rem. Arist.

In hac partitione Arist. videtur etiam neglexisse mediam ciuitatis partem, idest mulieres, id quod ipse ac Plato obiiciunt Lycurgo. cur enim non dicis quibus artibus exerceri debent? quomodo cum seruis tractare, & ancillis. & si omnes artes à seruis tractantur, quodnam erit muliebre exercitium? & de superfluitatibus vitandis in fuco, & vestitu, & in sacris, & de ipsorum conuersatione. Præterea arma dat iuuenibus, ex quibus iudices fiant, & ex his sacerdotes. hoc videtur insufficiens, & perperam dictum. primo quoniam veterani milites peritiores consilio, & ad feriendum, & vincendum: vt patet de militibus Cæsaris, & Alex. qui senes erant, nec in cruribus, sed in Brachiis salutem, & victoriam reponebant. Debuisset saltem Arist. hos miscere, & duces senes dare. Pręterea cum militia non sit finis, nec necessaria Reip. vt ipse, cum Plat. arguit contra Lacedem. nec nisi vt propulsentur iniuriæ tractetur: agricultura verò sit necessaria: vtique illa vt fit Venetiis potius seruis, & ista Dominis, vel mistim committenda erant: alioquin artes necessariæ paulatim vilescent, & inepta inconditaque erunt opificia, vt mox dicemus. Præterea, Quomodo ex militibus facies iudices, si iuribus prænoscendis non fuerint assueti? Item cum sint belli sęuitia eruditi, erunt crudeles in iudicando: melius ergo vt legibus addiscendis assuefcant, sitque senatus, qualis Romæ, & in Rep. Iudeorum à Deo institutus. Pręterea cum ex militia per iudicium transeunt ad sacerdotium, sanguinis effusi sat rei quo pacto audes eos Dei cultui addicere? Dauid Propheta sanctus non metuit ędificare templum, quia bellator fuerat, & sanguinem humanum, licet iuste effunderat, & tu vis pollutos cædibus & vxoribus facere sacerdotes? Quid isti de Deo contemplabun-

N

tur, assueti actionibus secularibus? Aut quomodo orabunt Deum? & in hoc videtur Arist. deficere: neque enim modum colendi Deum, neque Chorum, neque sacra docet. neque Theologiam sacerdotalem. vnde videtur Deorũ cultum tanquam ludum, & ocium veteranorum & populi deceptionem, habere, sicut Macchiauellus: nam vt quiescant à laboribus dat senibus sacerdotium. Rem maximam pro minima habet. nec à pueritia vllum Deo dedicat, neque quid prosit Religio indicat, neque de pseudoprophetis, & variis cultibus, aliquid dicit. Prouidentiam Dei negat, vt S. Amb. testatur & Origenes, & ipsemet Arist. quomodo ergo nunc diis immolat? vt ocientur senes; ita ipse ait.

In 4. deficit Arist. si enim sic agri diuiduntur, vt cuilibet ciui obueniant decem iugera, quinque vicina, & quinque distantia. tunc omnis ciuis diues vendet iugera distantia, & emet alia propinqua. Quod si non vis, cur legem de hoc non posuisti? item quando attenuatus volet vendere; quam vendent portionem? si non poteſt vendere, quomodo soluet æs alienum? item si infirmitatibus, aut carceribus pauperabitur, quid prosunt agri, & serui, nisi vendantur? hæc debebas aduertere. item si filios non procreat, quis hæreditabit? Cur de legatis nihil doces? item quomodo permittes alios ditari, alios depauperari? Nonne hi fient illorum serui, & Adulatores in Rep. optima tua? Quomodo adæquabis patrimonia, sicuti disputas contra Remp. Phaleæ Carthaginensis? Et vtrum possit vendere seruos, & quot seruos vnus possidere potest, ne multitudine Remp. inuadat, cur non dicis? quomodo tam subtiliter alios Legislatores examinas, vbi nil peccant: te verò non examinas? Nec quo pacto commessabuntur serui, doces, præsertim publici, qui non sunt in agris, vbi alios vis commessari; nec etiam de ipsorum domibus. Si simul manent, conspirabunt. si in dominorum ædibus, insidiabuntur? Quid decernis ò Sapiens?

In 5. vbi manebunt serui publici? eadem difficultas te inuadet. Item dic, quæso, priuatus ciuis quot habebit seruos? num quot sunt artes? sic enim erunt plurimi; habebit enim agricolam: nec sufficit vnus huic ministerio. habebit pastorem, armentarium, calcearium, vestiarium, barbitonsorem, coquum, furnarium, lignarium, ferrarium, lapidarium, Medicum, nam ciues, nec Medicinam discunt in tua ciuitate. Sic quidem plures longè erunt serui, & vna die etiam lapillis eiicient ciues ab Vrbe. si verò quis habet duos, aut tres, quis faciet cætera opificia ei necessaria? eruntne publici: an vnus habebit plures, alter pauciores, & locabit opera serui, & negociabitur, & statim sordescet? cur ista non declaras, ô Arist. doctrina tua est tela aranearum. Præterea vult eos esse diuersi generis, & humiles animo. & hæc est tota promisio ne rebellent. ò miser. potes tu animos à Deo infusos auferre? diuersitas generis, & si sit in principio, cum post annos decem conuersantur, fiunt quasi eiusdem generis. omitto quod necessitas seruilis etiam inimicos conciliat contra tyrannos. tyranni autem sunt eis omnes ciues, licet inter se sint Politici socii, & rectores. Quid facies tempore belli de his tuis hostibus? Item cum Resp. aliqua in expeditione corruet, isti sublenabuntur. Item serui habent vxores, an non? si non subagitabunt dominas, aut sodomiam exercebunt. si habent, ipsi multiplicabuntur, sicuti filii Israel in Ægypto, & ciues bellis minuentur, & tunc insurgent contra Remp. necessariò. Nec deerit qui generosius nascatur, & cæteros animet, nec inimici finitimi non tentabunt animos eorum contra Dominos suos. Spes libertatis nulla est. nam ipsi arripient habita occasione. Item quando liberi fient, erunt ciues, an alio migrabunt? si non erunt ciues, neque liberi erunt. si migrabunt, nocebunt, & alios conseruos ad fugam inuabunt; & inimicis addentur exploratores, & ductores.

In 6. apprimè fallitur. si enim contemplatio est finis: cur ciues ab exordio contemplationi non assuescunt? cumque contemplatio fælix sit in diuinorum sapientia: cur hanc non maximè excolendam doces, sed potius omnes gymnasticæ, & musicæ, & simplicioribus litteris applicas: ponisque voluptatem ciuitatis in ocio, & musica, cum potius in Theologia ponenda sit, etiam ex tuo dogmate? Neque de inuentoribus artium, & scientiarum quidquam decernis, & de studiis, & stimulationibus, & præmiis publicis erga optimos, & magnorum beneficiorum

autores. Præterea rectè statuit à turpibus colloquiis & picturis pueros arcendos. At quomodo postea concedis turpes Deorum picturas, vt Priapum, Veneres, Ganimedes, & similia? non quidem debuisti has excipere, vt facis in cap. 17. si enim turpia in Deis adoramus, vt imitemur est necesse. Quis autem accusabit in homine, quod laudat in Deo? præsertim cum dii Aristotel. ex hominibus per talia opera in Deos translati sunt? si optimam Rempubl. instituis, debuisti optimè ad Deos eam referre. hæccine est Theologica contemplatio fælix, ò Arist. obscænitates Deorum adorare? cur transmutas gloriam veri Dei in obscænitatē falsorum, vt Apost. exclamat, cum Deum meliorem saltem agnoueris? Nec potes dicere à vulgo cogi. nam ciuitatis idæam depingis ad libitum, non ipsam locas exterius inter Nationem Deorum cultricem. Præterea si omnes artes mechanicæ à seruis solis tractantur, quomodo Domini scient rectè ne an prauè exerceantur? Item cum agricultura indigeat sapientia stellarum, ventorum, temporum, vnde poetæ Georgica scripsere, Pastoralis verò partem Philosophiæ, quæ de animalibus considerat: Vnde Virgilius, Plinius, Hesiodus, Colummella, Cato, & nobilissimi Romanorum de his tractarunt, vtique omnes hæ artes à nobilibus discendæ erant, & in publicis ædibus legendæ, & docendi eorum executores: sic de nautica, nemo ignorat quantis indigeat scientiis, si fæliciter tractari debet. omnes quoque artes mechanicæ sunt nobiles in quantum artes, licet exercitia continua abstrahant à melioribus. Quapropter longe melius nos ista prouidimus.

Circa matrimonia plurimum hallucinatur. si enim puella in decimo-octauo & vir in trigesimo-septimo coniunguntur, reliquo tempore quomodo potest esse castus homo sine doctrina Dei, præsertim cum Virginitas, & castitas Aristoteli non prosit, nisi ad salutem corporis? exercebunt ne Sodomiam: & cum doceas in cap. 16. cessandum à generatione in anno quinquagesimo quoniam fœtus seniorum, & iuniorum imperfecti sunt; sed tantum sanitatis causa coire permittis; dic quæso, quomodo coibit? non cum aliena. id enim vetas; neque cum sua naturaliter, nam generabit: ergo contra naturam. ò scelus, ista ne est sapientis prouisio? Item solum 13. annos, aut 18. das generanti. tunc vix quinque fætus viuus procreabit & hoc rarò. serui verò procreabunt semper, & multitudine superabunt ciues. si autem regulæ eidem subiiceris eos, tunc suscipient natos animosos, & virtuosos, quales non vis ab eis. nascetur & aliquis Moyses, aut Scanderbecus, qui tuam Ciuitatem subuertat. Præterea si quis non generat ex vxore, & multi tales erunt, fiet diuortium, an plures ducet? hoc tibi declarandum fuit, ne ciuitas minuatur. Tu enim non nisi ad generationem coniugia celebras; cum autem desit generatio, cur non prouidisti in hoc, sumus nunc in puris natutalibus tu, & ego. ego autem prouidi. Præterea si ciuium filii erunt animo rudes. contingit enim filios sapientum esse stupidos, & fortium furiosos, vt tu doces de Socratis, & Alcibiadis natis in Reth. addo filios Salomonis, & Samuelis; & Cyri, & Ezechiæ, & Heroum multorum, sic degenerantes, ob causas dictas in Phys. Filios autem agricolarum, & opificum, & spurios esse ingenio, & viribus validos; totam enim substantiam transfundunt, & spiritus à cerebro meliores; quam Philosophus è testiculis: Tunc oportebit secundum naturam ciues fieri seruos, & seruos ciues; alioquin peccas contra tuum dogma. Quomodo autem hos permutabis absque parentum dolore? ego autem facile, vbi communes sunt filii. Quod si non fiat, peribit tandem optima tua Resp. item quando puellis deformibus, & viris ignauis (nascentur enim ex ciuibus istiusmodi) committes optimæ ciuitatis propagationem? Item cur non docuisti, qualia corpora quibus corporibus sunt matrimonio iungenda, & sub quo sidere vt rectè generarent? Item de dotibus nullam das legem; cum per has contingat possessiones transferri, & familias euerti, & inæqualitatem inimicam Reip. suboriri? Neque mulierum & vxorum disciplinam in hac Rep. tradis. & in quibus alios incusas, te ipsum condemnas. Si legem Moysi vidisses, etiam contra illam scripsisses, vt ex his patet. Vnde etiam patet Arist. impetitia, insufficientia, & discordia secum, & cum Natura, & naturæ conditore.

SVPER TERTIA PARTE EPILGISTICA, IN APPENDICEM DE REP. QVÆSTIO IV.

DE OPTIMA REP.

Vtrum rectè, & vtiliter post doctrinam Politicam, de Rep. dialogum addiderimus pro Colophone.

QVÆSTIO IV. ARTICVLVS I.

VIdemur quidem nec rectè, nec vtiliter de Rep. ſcripſiſſe.

1. Quod enim nunquam fuit, neque erit, neque eſſe ſperatur, impoſſibile, ac vanum eſt; ſed talis viuendi modus in communi, & ſine peccatis, eſt impoſſibilis: nec vnquam viſus eſt, nec videbitur: ergo ſuperflui ſumus in illo, vt Lucianus argumentatur cont. Plat.

2. Sub Æquatore fingitur talis ciuitas irrationabiliter. Tum quia Ptolomeus, & Virgilius, & Ariſt. & veteres Phyſiologi, intrà Tropicos, & polos ponunt terras inhabitabiles propter nimium frigus, & nimium calorem: ergo complexiones hominum ſunt ibi per calidæ ſiqui ibi ſunt, & ſpiritus fiunt aſtuti, ſubtiles, & fuliginoſi, non autem ſapientes, vt dictum eſt in phyſiologia. Vnde nulla Natio ſub æquatore vnquam floruit, quæ mundi dominatum adipiſceretur; Tum quia in climatibus mediis intra Tropicas, & polares terras, Reſp. florere ſolent, & Monarchiæ, vt Ariſt. vult. & Babyloniorum regnum, & Perſarum, & Grecorum, & Romanorum, & Gallorum, & Hiſpanorum, & Turcarum, & Tartarorum in dictis locis, non ſub æquatore, magnificata ſunt. ſic & Reſp. Athen. Carthagin. Lacedem. Rom. Venetorum: ergo locus haud rectè noſtræ Reip. datus eſt.

3. Ciuitas vt creſcat rectius ponitur in littore maris, vel ad ripas fluuiorum, vt victui neceſſaria aduehantur. & hoſpitum frequentia multiplicentur ciues; & doctrinæ, vt putat Ariſt. vt verò libertas conſeruetur in Montibus placet Patoni, vnde Heluetii, Cantabri, & quicunque montes incolunt, tributis non ſeruiunt. Nos autem ab vtroque recedimus, & vtriuſque vtilitates ergo amittimus. Item nec plures capit mons, quam area eius.

4. Hæc Reſp. vnius ciuitatis eſſe poteſt, non totius regni, nam neque loci conſimiles reperiri poſſunt: ergo vel corrumpentur à populis ſubditis, commercio, vel ſeditione, inſurgentibus aduerſus diſſimilem viuendi morem.

5. Vel hæc Reſpubl. ficta eſt, vt viuamus optimè vel æterno tempore; non æterno tempore, nam oportebit illam aliquando corrumpi, vel peſte cum à ventis ob domiciliorum continuitatem non ventiletur. vel bello, vel fame, vel malis beſtiis, ſi internam tyrannidem, & ſeditionem protſus euaſerit ſemper. aut tandem numerorum viribus, vt dicebat Plato de ſua Rep. Nec, vt optimè; Nam oportet illos peccare, vt ait Apoſt. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* Item Ariſt. probat communitatem bonorum vtilium, & vxorum, vitioſam eſſe Reip. contra Platonem. & vbi videmur prouidiſſe contra vnum malum, tunc plurima emergunt.

6. Illa vita eſt magis ſecundum naturam, quæ ab omnibus nationibus vſu comprobatur: noſtra autem ab omnibus exploditur, ergo inutiliter, & perperam locuti ſumus.

7. In tanta feueritate, & obſeruantia ab omni vitio ſub pedagogiſ, nemo libenter viueret, ergo à propriis ciuibus euerteretur? vt euenit religionibus fratrum in communitate viuentium.

8. Naturale eſt homini inquirere opera Dei, peregrinari per Mundum, ſcientias vndique acquirere, omniaque experiri. viuentes autem in tali Rep. ſunt ſicut Monachi, qui libris ſolis ſtudent. & cum audiunt, quod in eis non legerunt, ſcandalizantur, & conturbantur. Vnde nunc vix credunt obſeruationibus Galilei, ſicut pridem, nec Columbo inuentori noui Emiſpheri, quod S. Auguſtinus negarat.

Sed contra eſt autoritas Thomæ Mori martyris nuperrimi, qui ſcripſit Remp. Eutopię fictitiam, vt ad eius exēplar noſtras, vel mores particulares inſtitueremus. Item Plato ideam Reip. deſcripſit. quæ licet in totum obſeruari non poſſit ſub natura corrupta, vt dicunt Theologi recentiores, tamen in ſtatu innocentiæ optimè ſeruari poterat. Chriſtus autem nos ad ſtatum innocentiæ reuocauit. Item Ariſt. ſimiliter ſuam Remp. inſtituit; & Philoſophi multi. Item principes ferunt leges, quam optimè ſciunt: non quia putent nullos ipſarum fore trangreſſores, ſed quia obſeruatores fælices ſic fieri autumant. vnde etiā S. Thom. docet Religioſos non teneri ſub pœna peccati ad obſeruandū quidquid ordinatur in Regula, ſed eſsētialiora tantū, licet feliciores ſint ſi totā obſeruent: ſed viuere ſecundū regulam, ideſt vitam ſuam quoad cōmodè poſſunt ad regulam dirigere. Moyſes leges à Deo tulit. & Remp. rectiſſimam inſtituit: iuxta cuius exemplar dum vixere Hebræi, floruerunt: cum verò legibus eius non paruerunt, corruere. & hoc ſepè. Rhetores quoque fingunt orationem quam optimis regulis. nec tamen viſa eſt vnquā oratio omnibus abſoluta numeris. ſimiliter poema depingunt Philoſophi abſque errore forſan: non tamen poetæ abſque errore poſtea ſcribunt. Item vitas Sanctorum deſcribunt Theologi, nemo tamen prorſus illos imitatur. Vitam autem Chriſti ſine peccato quænam Natio, aut homo imitari prorſus potuit? ergo ne fruſtra ab Euangeliſtis ſcribitur? minime: ſed, vt quantum poſſumus, ad illam accedere ſatagamus. Remp. Chriſtus mirificentiſſimam docuit ſine peccatis, quam vix Apoſtoli integrè ſeruauerunt. deinde ex populis in clerum ſeceſſit, mox in Monachos ſolos. Et in his nūc perſeuerat: in aliis verò per pauca illius vides inſtituta pręter Relig. Nos autem fingimus illam non tamquā à Deo datam, ſed Philoſophicis ſyllogiſmis inuentam. & quantū poteſt humana ratio. vt hinc eluceſcat veritas Euangelii eſſe naturę conformis. Quod ſi aliquibus ab Euangelio deuiamus, vel videamur deuiare, hoc non impietati ad ſcribendum, ſed imbecillitati humanæ, quæ multa putat rectè fieri ante reuelationem, quæ poſtmodum haud ſic ſe habent, vt dicemus de communitate coniugum. propterea que fingimus hanc Rempub. in gentiliſmo, quæ expectat reuelationem melioris vitæ, ac meretur de congruo ipſam habere, dum quod naturalis dictat ratio obſeruat vitæ inſtitutum. Vnde ſunt quaſi in Catechiſmo ad vitam Chriſtianam, veluti Cyrillus dicit in lib. contra Iulianum, datam eſſe gentilibus Philoſophiam, tanquam Catechiſmus ad fidem Euangelicam. Nos ergo Gentiles docemus, vt rectè viuant, ſi à Deo velint non negligi, & Chriſtianis ſuademus vitam Chriſti eſſe ſecundum naturam, hinc ſumpto exemplo, ſicut S. Clemens Romanus ex Rep. Socratica: itidem Chryſ. & Ambr.

Quod autem per hanc viuendi rationem omnia vitia tollantur patet, quoniam, & magiſtratibus ambitio aufertur, & omnes prauitates, quæ accidunt ex ſucceſſione, & electione, & ſorte, vt in Aphoriſmis dicebamus; ac Remp. S. Amb. in Gruibus celebratam, & apibus, retinemus: ex ſubditis verò ſeditionem, quæ ſolet oriri ob magiſtratuum inſolentiā, vel ob iſtorum licentiam, aut paupertatem, aut nimiam abiectionem, & vilipenſionem.

Item omnia mala quæ eueniunt ex diuitiis & paupertate oppoſitis malis, Platoni, & Salomoni inuiſis, tanquam malorum Reip. capitibus, vt periuria, adulationes, fraudes, furta, ſorditas ex paupertate: rapina, arrogantia, ſuperbia, iactantia, otioſitas &c. ex diuitiis.

Item ſubſtulimus vitia ex abuſu amoris, vt adulteria, fornicationes, ſodomias,

priapiſmos, ſuffocationes vteri, zelotypias, furores, &c.

Item omnia mala quæ nimio filiorum, & vxorum amore, & proprietate, quæ amputat vires Charitatis, teſte S. Auguſtino & amor proprius omnium malorum cauſa eſt, vt ait ſancta Catharina in Dialogo. hinc Auaritia, vſura, illiberalitas, odium proximi, inuidia diuitum, & meliorum: addidimuſque amorem communitatis & odia ſubſtulimus, quæ ex Auaritia, malorum omnium radice naſcuntur, & lites, & fraudes & falſitates teſtamentorum, &c.

Item omnia mala corporis, & animi, quæ naſcuntur ex labore nimio in pauperibus, & ex ocio in diuitibus: dum labores partimur.

Item mala ex ocio fæminarum generationem corrumpentium, & ſalutem corporis, & animorum, dum exercitiis, & virtutibus eas congruentibus addiximus.

Item mala, quæ ignorantia, & inſipientia, vt patet ex tanta doctrinarum conſuetudine in cunctis rebus. & quidem huius ciuitatis fabrica, & pictura omnes ſcientias intuentibus ſolum hiſtoricè infundit.

Item mirè prouidimus contra corruptionem legum.

Tandem cum extrema declinauerimus in cunctis, reduximus omnia ad medium, in quo eſt virtus. nec proinde fælicior Reſp. aut facilior fingi poteſt. omnia tandem vitia, quę in Rep. Minois, & Lygurgi, & Solonis, & Charondæ, & Romuli, & Platonis, & Ariſt. & aliorum autorum notantur: in noſtra Rep. ſi quis intueatur rectè, extincta ſunt. promiſſum eſt enim fæliciter, quoniam ex primaliaium Metaphyſicarum doctrina, ſub quibus nil negligitur aut prætermittitur, deducta eſt.

Ad primum reſponſum eſt, quod & ſi ad tam exactam Reip. ideam peruenire non poſſumus, haud propterea ſuperflui ſumus, dum exemplum ponimus imitandum quantum poſſumus. At etiam poſſibilem eſſe talem vitam oſtendit Chriſtianorum in principio communitas ſub Apoſtolis, teſte Luca, & S. Clem. & in Alexandria modus viuendi eiuſmodi ſub S. Marco obſeruatus, teſte Philone, & S. Hieronimo. Item vitam Clericorum vſque ad Papam Vrbanum. I. immò, etiam ſub S. Auguſtino, & nunc vita Monachorum quam tanquã poſſibilem in tota ciuitate optat S. Chryſ. & ego futuram ſpero poſt ruinam Antichriſti vt in Prophetalibus. Qui autem ipſam negant Ariſtotelizando, dicunt ſub ſtatu innocentiæ potuiſſe ſeruari, non nunc. At Patres etiam nunc ſeruabilem faciunt, & Chriſtum illius ſtatus reparatorem. ethnicus autem Lucianus Atheiſta Platonem irridet fingentem Remp. impoſſibilem, tamen eundem laudat S. Clemens & Chryſ. & Amb. doctrina, & ſanctitate mille Lucianis, quamuis, nec Atheiſtis, anteferendi.

Ad 2. Dico erraſſe prædictos Philoſophos. nam ſub æquatore perpetua eſt temperies, vbi nimirum æqua ſemper eſt nox diei: & ibi homines probi ſunt, vbi ſitus terræ & montes, & valles non variant talem temperiem: & Plinius quam optimos in Taprobana eſſe narrat, & qui vitam potius Phyſicam, quam ciuilem viuant, & Auic. & Alb. idem exiſtimant ob dictam cauſam, licet D. Thomas nec habitari putet ſequendo Ariſt. non rationem, & experientiam, quæ iam Alberto fauet. verè ſub Tropicis ſqualent omnia, & aret terra, & fuliginoſæ ſunt complexiones, ob ſolis, & diei ſtationem, & horizontis variationem. Attamen fælix æquinoctialis plaga, air Teleſius, & qui illam incolunt, nihil optimis deteriores. Et Durandus & Theologi multi ibi ponunt paradiſum terreſtrem ob temperiem: licet autem regna non occuparint extra Tropicos, nos non magnitudinem quæ plerumque ex ambitione, & Auaritia fit, ſed probitatem Reip. ſcribimus, cupimuſque. climata autem noſtra poſt æquatoris terram, ſunt meliora cæteris ex temperie: & ideo, &c. Concedo in Abbaſſia, & Perù certis in partibus ſub æquatore malitiam. ſed ex terræ ſitu, & miſtura degentium ſub Tropicis: quam in noſtra Rep. declinamus.

Ad 3. Nos non loco ſed virtute procuramus vitam fælicem, & Reip. augmentum: & procul à mari declinamus miſtionem morum exterorum. quorum gratia inſulani ſolent eſſe praui, vndique vitia addiſcentes. damus tamen vias ad mare, & vecturas faciles pro neceſſariis: nec flumina magna declinamus. Montes aſperrimos vt minus ciuiles effugimus, colles elegimus ad robur ciuitatis: ſed in Architectura eius

securitatem potius locamus, & in virtute ciuium tam sapienter, ac fortiter educatorum. Elegimus etiam ad aeris ventilationem colles, & ad capacitatem. Nec area est eiusdem capacitatis, sed minoris, quantò nimirum chorda, quàm arcus: præsertim corporum superficialium, non ab area in cacumen porrectorum: Augmentum locauimus in optima generatione, & libertatem in situ, & Virtute, sic à vitiis Platonis, & Arist. desciscimus, non ab vtilitatibus, vt patet.

Ad 4. Propterea & nos Metropolitanas tantùm tali viuendi genere insigniuimus: hos autem oppida imitabuntur. ex parte posset & ex toto vbi plures in vna Prouincia erigentur. situs autem facile inueniuntur. at vbi desunt, formam variabimus, vt in editiori monte fiat caput ciuitatis: in appendicibus semicirculi domiciliorum. si autem in planitie, vtique exemplar nostrũ bonum erit. nisi obesset lutũ. quod sternendo lateres, & lapides in viis, & cloacas infra effugiemus. Ne cõmercio corrũpatur prouisum est in textu, vt vides per Magistratus deputatos. ne ab exterorum seditione, valent arces munitæ præsidio Metrapolitanorum; & militum, excurrentium perpetuò ad tutelam imperii. & probitas ciuitatis dominantis: cui seruire est fælicitas, sicut ignorantibus benè est seruire sapienti proboque. plus probitatis opinio quam roboris, Romæ Imperium auxit: cui sub Pompilio nefas duxere hostes inferre bellum ob principis virtutem.

Ad 5. Dico vsque ad periodos generales rerum humanarum, quæ nouum seculum adducunt. Nam contra pestem, & bellum, & famem, & bestias, quam optimè fieri potest ex virtute prouidimus, vel saltem longè melius ac alibi solet vnquam venti per quatuor vias maiores vrbem purgant: vbi autem domicilia impediunt, supplent fenestræ contra positæ claudendæ noxiis flatibus, aperiendę salubribus, vt patet. De viribus numerorum vide Metap. Dico etiam hanc etiam esse vitam optimam. & id magis curandum, quam diuturnitas. peccata adetunt: sed non grauia, vt in cæteris: nec quæ saltem Remp. pessundent, vt patet ex positis ordinibus. Quæ autem Arist. contra hanc Remp. obiecit in seq. articulis diluentur.

Ad 6. Dico hanc Remp. & seculũ aureũ ab omnibus desiderari, & peti à Deo, vt fiat voluntas eius in terra sicut in cælo. Non tamen in praxi ob principum malitiam, qui sibi non summæ Rationi imperium submittunt. De vsu autem dictum est experimentoq; probatũ, esse possibilem: sicut magis secundum naturam est viuere ratione, quam sensuali affectu, & virtuosè quam vitiosè, teste Chrys. & quidē Monachi id probant, & nunc Anabaptistæ in communi viuentes: qui si dogmata Fidei recta haberent, in hoc magis proficerent: vtinam hæretici non essent, & iustitiam ministrarent, vti nos dicimus: nam exemplum facerent huius veritatis: sed nescio qua stultitia quod melius est respuunt.

Ad 7. Immò summa iucunditas est virtuosè viuere, ait Chrys. & vbi erras potius subito corrigi, quàm à fructu erroris mortificari. licentia malorum causa: fęlix necessitas, quæ cogit ad bonum. sed nobis videtur durum praue assuetis hoc viuendi genus, sicut aleatoribus, & ganeonibus vita bonorum ciuium: & his vita Monachorum. probate, & videte. Religiosi haud quamquam seueritate disciplinæ euertuntur, sed à laicorum commercio, & ambitione honoris, & proprietate pecuniæ, & veneris libidine: his autem per nostram Remp. prouisum est, obuiamque itum: ergo exemplum ab illis nullum.

Ad 8. Immò nos ex toto orbe terrarum obseruationes, & experimenta, & scientias ad nostram Remp. congregamus, & peregrinationes, & mercaturas, & legationes propterea instituimus. Nec Monachi hoc carent bono, cum ciuitates, & Prouincias permutent sæpe. neq; ignorãtia cõtra experimentatores est in melioribus Monachis, sed in vulgaribus. Prodest autem eorum murmuratio, vt omnia melius discutiantur, & elucidentur. acquiescunt tamen in fine. omnes virtuosi. & quidem doctrinas, & scientiarum conseruationem, haud inuenias vllibi magis ac in ordinibus Monachorum & fratrum. At Monachi Antropoformitæ insurgentes contra Origenem ductu maligno Theophili Patriarchæ, nihil obtinuerunt post exactum examen. Talis autem seditio in ciuitate Solis non erit, vt patet. Monachatus ad augendam sancti-

tatem & sapientiam est institutus: non ad grauandam subiectibilitatem, vt hypocritæ conantur.

Vtrum magis secundum naturam, ac vtilior conseruationi, & augmento Reip. & Priuatorum sit communitas bonorum exteriorum, vt dicebat Socrates & Plato; an diuisio, vt Arist.

ARTICVLVS II.

1 COntra communitatem vtilium arguit Arist. 2. polit. Aut in hac (inquit) communitate agri essent proprij, & fructus communes: aut è contra. aut vtrique communes. si primum tunc qui plus soli haberet, plus laboraret in eius cultura. & fructus pariter ac cæteri non laborantes perciperet. hinc discordia, & ruina: quoniam &c. si secundum: tunc negligentia cunctos in laborando inuaderet. Agri prauè colerentur. vnusquisque enim magis ad propria quam ad communia afficitur, & vbi plures serui: minus seruitium, dum alter alterum facturum præstolatur, quod ipse aggredi debet: si tertium idem eueniret. atque insuper aliud malum, quoniam quisque contenderet meliorem, & grandiorem portionem accipere fructuum, laborum verò minorem. hinc pro amicitia lis, & fraus.

2. Contra cōmunitatem honestorū bonorū arguit. requiruntur diuersi ordines ad regimen Reip. vt milites, artifices, & rectores secundum Socratem. Tunc si omnia essent communia, vnusquisque recusaret agricolatum munus, & vellet esse miles. Et tempore belli agricola vel absque stipendio non præliaretur: Item omnes vellent fieri rectores, iudices, sacerdotes. Item si alios honorarent alios onerarent, prout minorum opera indigent, & fieret iniquitas vt prius. melius ergo diuidi dominia.

3. Posita communitate tollitur liberalitas, & virtus suscipiendi hospites, succurrendi miseris. qui enim proprium nil habet, ista facere non potest nec gratus esse.

4. Est hæresis negare diuisionem bonorum, teste S. Augustino contra eos, qui vxores, & predia communia habebant, dicebantque ita viuendum secundum Apostolos: item dannatur in conc. const. Io. vs negans posse proprium possidere, ait Sotus in lib. 4. de iustitia & Iur. quæst. 3. art. 1. & Christus ait. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cesari, &c.*

Sed contra est S. Clem. Papa in Epist. 4. & ponitur inter can. à Grat. 12. quæst. 1. C. dilectissimis. vbi communis vsus omnium quę sunt in hoc mundo omnibus (inquit) esse hominibus debuit: sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, & alius istud &c. & Apostolos sic vixisse & docuisse narrat, vt sint omnia nobis communia, etiam, & coniuges. idem docent omnes patres ex primo Gen. vbi Deus nil distribuit, sed communia reliquit hominibus, vt crescant, multiplicentur, & repleant terram. vt Isidorus in capite ius naturale, docet. hanc vitam vixisse Apostolos. & omnes Christianos primitiuos, auctor est S. Lucas, S. Clem. Terul. Chrys. Aug. Ambr. Philo. Origenes, & alii &c. redactam deinde fuisse in Clericos in communi viuentes, iidem testantur, & Hieron. & Prosper & Vrbanus Papa, & alii. sed sub Simplicio Papa circa annum Domini 470. facta est diuisio per Papam bonorum Ecclesię, vt vna pars Episcopo vna Fabricæ, vna Clero, & vna pauperibus. Idem Gelasius Papa paulò post. & August. nolebat ordinare Clericos, qui omnia non ponerent in communi. Deinde ne sint hypocritæ abscondentes proprium, permisit, non libenter. Quapropter hæresis est damnare vitam communem, aut contra naturam dicere, immo S. Aug. censet amputationem proprietatis esse augmentum claritatis. ideoque

que ad pręſentem, & futuram vitam meliorem eſſe bonorum communitatem. Hanc vitam in Monachos tranſlatam docet S. Chryſoſt. & omnibus eam aptat, & inſinuat, & inculcat. Docetque in hom. ad populum Antioch. neminem eſſe Dominum bonorum ſuorum, ſed diſpenſatorem, ſicuti eſt Epiſcopus in Eccleſia. & ideo teneri ad pœnas quicunque Laicus abutitur bonis, nec communicat. S. Thomas dicit eſſe Dominos proprietatis, non vſus: nam in caſu neceſſitatis omnia ſunt communia. Quapropter ſi rectè conſideres, proprietas hæc eſt maior labor, & obligatio ad rationem reddendam de malè diſpenſatis. & hoc docet S. Baſil. in ſerm. ad Diuites. Et S. Ambroſ. in ſerm. 81. Et Chryſoſt. ſæpiſſimè inculcat in omni quaſi Homilia, præcipuè ſuper Luc. cap. 6. *nemo, ait, dicat proprium. à Deo percepimus omnia: mendacii verba ſunt Meum, & Tuum.* Idem dicit Socrates in Republ. Plat. & in Timeo ad verbum. idem Auguſt. ſuper Ioh. Trac. 8. & Poeta Chriſtianus:

Si duo de noſtris tollas pronomina rebus,
Prælia ceſſarent, pax ſine lite foret.

Et Ouid. in ſæculo aureo talem fuiſſe vitam Metamorph. 1. & Ambroſ. ſuper Pſalmum 118. in lit. het. *Dominus noſter, ait, terram hanc poſſeſſionem omnium hominum voluit eſſe communem: ſed auaritia poſſeſſionum iura diſtribuit, &c.* & in lib. de Virg. à violentia, cęde, & bello diſtributas dixit carnalibus Hebræis, non autem Leuitis præfigurantibus Chriſtianiſmum, & Clerum. S. Clem. verò ab iniquitate gentium. Item in primo de offic. cap. 28. probat ſcripturæ, & Stoicorum autoritate, omnia communia, ſed vſurpatione diuiſa. & in Hexam. V. idem Amb. exemplo Reip. ciuilis Apum, docet vitam in communi tam bonorum, quam generationis, & exemplo gruum vitam in Rep. militari etiam communem pluribus verbis ſuadet. & Dominus IESVS exemplo Auium, qui non habent proprium, neque ſeminant, neque metunt, neque paſcua diuidunt. & quidem ſicut ait Iuriſconſultus, *ius naturale eſt id quod natura omnia animalia docuit.* Quapropter certo certius eſt de iure naturæ omnia eſſe communia.

Reſpondet Scotus in 4. ſent. d. 15. communitatem eſſe de iure naturali pro ſtatu innocentiæ: ſed peccante Adamo, idem ius derogatum eſſe. ſed vana reſponſio. peccatum enim ait S. Thom. non tollit bona naturę, ſed gratiæ. Item facit iniuriam naturæ & rationi, non autem nouum ius: ergo ſi fuit de iure communitas, de iniuria fit diuiſio. & S. Thom. Vnde gloſſa ad cap. S. Clem. ait per *iniquitatem, ideſt per ius gentium contrarium iuri naturali.* At quomodo (inquit) eſt ius ſi contrariatur naturæ, quæ eſt ars Dei? ſic, & ius erit peccare. Sotus reſpondet per iniquitatem, ideſt propter peccatum originale. ſed hæc gloſ. eſt inanis. nam quomodo reſpondet Ambroſio dicenti propter auaritiam, & violentiam? Item S. Clem. ait, Apoſtolos reſtituiſſe nos iuri naturali, ergo hæc fuit iniquitas olim, quæ nunc in diuiſione. Caietanus docet fuiſſe communitatem naturalem negatiuè, hoc eſt quia natura non docuit diuiſionem: non autem affirmatiuè, quia dixerit, viuendum in communi, & non aliter. Idem Sotus exſcribit, vt ſolet. Sed tunc, quomodo (inquit) erit per violentiam, & iniquitatem, & auaritiam diuiſio, vt Sancti docent, ſi communitas negatiuè ſolum præceſſit in natura? Propterea melius Sanctus Thomas vſum eſſe communem docet de iure naturæ, proprietatem autem diſpenſandi, & procurandi eſſe de iure gentium. Et hanc naturæ non contrariari, quoniam iſta proprietas, & in caſu neceſſitatis, & in omni ſuperfluitate, eſt communitas, vt docet dum de eleemoſina loquitur: quod enim ſuper eſt perſonæ, & naturæ, erogare tenemur: alioquin non condemnaretur in die Iudicii, qui non pauit eſurientem. Verum iſta S. Thomæ doctrina licet videatur aliquid iuris dare diuiſioni, non dat niſi diſpenſandi, & procurandi. & remanet ſolida Chryſ. & Baſilii & Ambr. & Leonis Papæ ſerm. V. de collectis, iuſta doctrina, quod diuites ſunt diſpenſatores rerum non Domini; ſi autem Domini ſunt, ſolius diſpenſationis, & procurationis Domini ſunt, vti Epiſcopus rerum Eccleſiæ. portionis autem propriæ, quam victu, & veſtitu abſumunt, Domini

pendiis militat, si pro se, & filiis, & fratribus militat: nec stipendio indiget cum habeat vnde viuat, sed honore, quem à strenuis actionibus præstolatur. Romani vsque ad bellum cum Terracina absque stipendiis militarunt: & pro patria mori concertabant. at vbi proprietatis amor irrepsit, virtus paulatim defecit. & Salustius & S. August. ob amorem communitatis eos ad tantum imperium prouectos docent. Et Cato in Salustio, *publicæ opes (ait) & priuata paupertas, foris iustum imperium, intus indicendo animus liber, neque formidini, neque cupiditati obnoxius, Rem Romanam auxere?* In nostra autem Rep. hæc longe meliora per communitatem bonorum vtilium & honestorum sub ducatu naturæ conseruantur, vt patet.

Ad 3. inconsideratè loquitur Arist. & Sotus etiam, ne dicam impiè. Nunquid Apostoli, & Monachi non sunt liberales, quia proprium non possident? liberalitas non est dare quod vsurpasti, sed omnia in communi ponere, teste S. Thoma. Quomodo autem hospitibus à Rep. subuenitur, atque miseris natura, quoniam fortuna nulli sunt miseri apud nos, vbi omnia communia, & omnes fratres sumus, mutuaque officia, in quibus ostenditur liberalitas; in textu declarata sunt. vel si pergas, dicam hos liberalitatem in beneficientiam, quæ maior est virtus, permutasse. sed vide textum.

Ad 4. punico ingenio, vt solet Sotus arguit, ipse enim Augustinus 4. cap. de hær. & S. Thomas 2. 2. quæst. 66. art. 2. docent illos esse hæreticos, qui putant non posse saluari eos, qui proprium possident: Et similiter quoniam dicunt vago concubitu vxorum oportere vti, non autem quia prædicant communitatem. immo maior est hæresis negare communitatem, quam Apostoli, & Monachi seruant, quam diuisionem. concedimus ergo Ecclesiam fecisse posse diuisionem permissiuè potius quam effectiuè, & ex proposito: sed vt (ait S. Aug.) mauult habere claudos quam mortuos Clericos, idest proprietarios, quam hypocritas. immo Sotus ipse ex negligentia communium, & cupiditate propriorum, introductam esse diuisionem philosophatur, & ex mala radice, ergo bona non res est diuisio, vel solum permissa, non autē volita secundum naturā. Nunc autem quomodo audet hæreticos, facere qui ius naturæ sequuntur, & laudare eos, qui permissionem ex corruptela inuectam, cum Arist. prædicant? Dicimus Ecclesiam posse diuisionem facere, & permittere illam: & meretrices tolerare vt minus malum, sicuti claudos potius quam mortuos, vt dicit S. August. Quomodo autem proprietas conceditur in Ecclesia dictum est, quia procurationis, non vsus in superfluis, & Alex. Alen. & Thom. Valden. & Richar. & Archid. & Pan. censent esse hæreticum, qui dicit Clericos verum Dominium Ecclesiasticorum bonorum habere: sed solum vsus, concedunt. S. Thomas dat dominium portiunculæ solum propriæ, & consumptibilium. nam fundorum sunt vsuarii tantum, neque enim filiis, & amicis legare possunt Quid autem de Laicis, dictum est prius. Ignorantes statim proclamant hæreticum quem ratione vincere non possunt. Verbum Christi, *Reddite quæ Cæsaris Cæsari*, non facit illum Dominum nisi dispensationis; vel nihili. Nam nihil est Cæsaris. Quid enim habet quod non accepit? omnia ergo Dei. Cæsari autem vt ministra. Vide Monarch. Messiæ. ibi de hoc scripsimus. item ait Christus. *Reges gentium dominantur eorum: Vos autem non sic.* Sed qui maior est fiat Minister. Propterea rectè S. Thomas proprietatem Ministerii, & Procurationis, at vsus communitatem prædicat. & Papa est seruus seruorum Dei, & Imperator seruus Ecclesiæ.

Luc. 20.

Luc. 22.

Sit 2. Conclusio. communitas mulierum in concubitu, non est contra ius naturæ, præsertim quomodo à nobis posita est, sed maximè videtur ea cõgruere propter quod non est hæresis docere illam in puris naturalibus, sed tamen post ius diuinum, aut Ecclesiasticum posituum: sicut non est hæresis edere carnes quotidie in iure naturę, & docere hoc esse vtile: sed post promulgatam Ecclesię legem de dierum in cibis delectu propter sobrietatem Christianam, vtique hæresis est contra facere, ac docere. Probatur. Omne peccatum contra naturam, aut destruit indiuiduum, aut speciē, vel ordinatur ad horum destructionem, secundum D. Thom. proptereaq; cædes, furtum, rapina, fornicatio, adulterium, sodomia &c. sunt contra naturam, quia proximum lædunt, aut generationem impediunt, aut ad hoc ordinantur. sed mulierum societas, neque personas destruit, neque generationem impedit. ergo non est contra naturalem ordinem. sed è contra magis prodest indiuiduis, & generationi, & Reip. vt patet ex textu.

Vbi nota quod triplex est concubitus vagus: alter misceri cuilibet quemlibet quandocunque vult, & sicut vult. & hic est contra naturam rationalem, licet brutis aliquibus insit, vt equis, & asinis, & capris: propterea que natura prouidit, vt non nisi certo tempore ad libidinem prouocentur. homines autem quoniam semper mouentur ad libidinem, si cuilibet possent misceri, ac semper infirmarentur ipsi, & omnes ad pulcherrimas solas se conferrent. & hæ feminum confusione, & actionibus contrariis non conciperent, vt euenit meretricibus. Mulieres vero deformes zelotypia, & dolore concitæ, contra pulchras omne malum molirentur. Quapropter hæc comistio propriè videtur hæresis, & impietas contra naturam. & hæc fuit Gnosticorum, & Nicolaitarum, & quorundam modernorum hæreticorum, & religiosorum de secta Macometi in Africa. quibus licet quamlibet, & palam subagitare. Alter modus est post nuptias legales congregari certis temporibus, & misceri in tenebris quemlibet illi, quam sors obtulerit: vt in Galliæ nuper, & Germaniæ locis quibusdam. Vnde accidit, vt quidam matris, accepto signo, mistionem iniisse resciuerit. & hic modus est hereticus in natura; aut saltem in lege Dei positiua. non enim prolis gratia, sed libidinis solius fit. & quidem Mistio ferarum vaga melior est, nam generant. nec contra naturam est, dum Natura etiam fętum ex tali mistione facit. hæreticis autem per accidens est, vt sic generent: nam per se sola Luxuria est nunquid mariti non generant in domo? Tertius tandem Modus est, quem nos descripsimus in puris naturalibus quasi existentes, videlicet vt non sint generatores nisi robustiores, & meliores, & ad medicorum & Matronarum iudicium, solum in temporibus aptis generationi secundum Astrologiam cum timore, & oratione ad Deum. & solum ab anno 25. vsque ad 53. fæminis quoque tempora præscripsimus iuxta Philosophiam, & quæ cui sit apta. & sic abstulimus mistiones inconuenientes quæ fiunt solum ęqualitate diuitiarum: vnde Resp. vel caret prole exilis, vel sæpè habet vilem, & turpem, & imbecillem, vt patet. & hoc Pythagoras admonet Philosophus magnus. Item debilitationes ex nimio coitu abstulimus, & morbos, & sterilitates: quæ enim ex hoc non concipit, concipit ex illo. natura autem dictat, quia propter hoc sit mistio, vt mutetur. Quod autem lex sanxit, vt sua sola vxore quisque vtatur quamuis sterili, non potest à Philosopho facile cognosci naturaliter: propterea ego hoc vnum contendo, quod qui instituunt Remp. cum tali communitate mulierum, non peccant in naturam, antequam à lege Dei doceantur sic non faciendum esse. Vnde Durandus, & alii neque fornicationem esse contra ius naturę docent. sed de lege positiua interdici, id multi Theologi fatentur, & ratio S. Thomæ 5. quoniam generationi obest, aut educationi, est nulla, vbi scitur mulier esse sterilis: & tamen ego sum cum D. Thoma in hoc: nam ex naturalibus conclusionibus potest à longè deduci. nec tamen ab omnibus cognosci. sic neque Socrates hauriens venenum, peccat, à lege iussus, licet Theologi velint esse peccatum, quia ad agere non potest quis per legem iuberi contra se ipsum. Hanc tamen subtilitatem ex luce Euangelii ortam non dum veteres Philosophi agnouerunt: imò se ipsos posse occidere putabant, seque suæ vitæ Dominos, vt Cato, & Seneca, & Cleonimus. sic

D. Thom. in 5. pol lect. 11. ex figura cæli bonas & prauas generationes deducit.

cos, & amicorum filios amamus valde. & seniores in cænobiis diligunt nouitios omnes, præsertim virtuosiores. taceat inimicus caritatis. Physionomia fallit, nam filii non semper patri, sed extraneis, etiam sunt similes: sed quid nocet illa parua propensio, cum ex lege naturæ, & meritis cuncta gerantur in tali Rep. Iacob etiam plus dilexit Ioseph, & alii aliquos. id ergo communitati non obest: nec proprietati non enim filii coniurabunt in alios, cum omnes sub disciplina viuant: filios quoque ancillarum pro suis habuere sanctæ fœminæ, vt Rachel & Lya. hanc caritatem Arist. non nouit.

Ad 2. Negatur consequentia, quando omnia fiunt lege, & scientia medicorum, & matronarum, & Astrologorum: ex figura namque cælesti Morales inclinationes habentur & noscuntur, teste D. Thom. Polit. 5. Lect. 13. immo nefas ducerent secuscoire, isti solares, nisi ob delicias, & sanitatem: in quibus alia est promisio, vt patet. De rixis vide textum.

Ad 3. Cum omnes sint membra vnius corporis, habent minores omnes pro filiis, se seque in corpore illo æternari sciunt melius, quam in se, & propriis: præterea vita in fama per opera bona, est eligibilior, vt omnes docent, quàm in filiis. Item Philosophi faciunt filios ex semine doctrinæ non ex semine carnis. neque enim pediculi sunt filii nostri, qui nascuntur ex nobis. nec nunc Iudæus, sed Christianus est filius Abrahæ. æternitatem autem in Deo quærimus per Reip. vitam beatam, vt Amb. docet. Nec animalia norunt natos, vbi auolarint: non est hoc naturale primum, sed quasi consequenter.

Ad 4. Diximus ex S. Thoma & Caietano solum cum matribus esse incestum naturalem: (nosque vitauimus id in Rep.) cum sororibus, & aliis esse legalem: vbi autem lex ista non viget, non est vllus incestus. Neque vllum adulterium. Nam Adulterium naturale est, vel legale: naturale est inter animalia diuersarum specierum; sicut docet S. Amb. in quinto Hex. cap. 3. vt cum Asinus equam impregnat. legale verò est, cum quis vxorem alterius, lege prohibitam, cognoscit: in nostra autem Rep. non est ista lex, sed habet generatores publicos tali functioni vtiliores. non ergo est adulterium, cum nec proles adulterina, nec coitus sint exleges. sic etiam inter Monachos non est furtum, vbi omnia sunt communia, si quis edat de pane communi. Non enim adulterium consistit in libidine, alioquin Maritus ex libidine coiens, adulter esset: sed ex eo, quia non suã cognoscit: At lex nunc facit suam: est tamen iniuria Reip. vbi præter legem fieret: sicut Monachus est latro bona Monasterii communia vsurpans sine licentia. Sed quomodo D. Thomas docet omnia præcepta Decalogi esse naturalia? respondetur, stante diuisione. Nam furtum non est naturale nisi supposita bonorum diuisione. Alii tamen Doctores non omnia præcepta illa dicunt esse de iure naturæ. In Rep. verò prædicta non diuisio proprietatum, sed vsuum pro vtentium ingenio, & viribus distributorum & ad tempus. Fornicatio autem non cognoscitur ex rerum natura esse peccatum, neque in Rep. Solis est fornicatio, cum sit communitas. Turpitudines aliæ, & zelus, & contentio non possunt in hac Rep. reperiri, vbi lege, & disciplina, omnibus amabili, res tractantur: est in primo & secundo modo concumbendi, hæreticis, & bestiis proprio, talis conturbatio, non hic. vide textum.

Ad 5. Si esset naturalis iuris vnitas vxoris, non posset dispensatio fieri à Deo, secundum S. Thomam: cum autem Iacob duas sorores acceperit, & Dauid quinque vxores, & Salomon 700. & ferè omnes Patres pluribus iuncti fuerint; nec appareat dispensatio, licet sic esse credatur; manifestũ est pluralitatẽ vxorũ non esse contra naturam. immo omnia animalia, excepta forsan turture, pluribus miscentur. Columbus autem soli sorori. Nec quidem in Rep. ista, quæ ex naturalibus, non ex reuelatis gubernatur legibus, id cognosci potest. Immò, qui cum vna non generat, docet natura, cum altera illum misceri. hoc etiam Sarra tanquam naturale ab Abraham impetrauit, si non fuit reuelatũ. & Lia, & Rachel ancillas marito supposuerunt. Quomodo isti solares possunt scire hoc esse contra naturam, si nec homines, nec animalia secus doceãtur? præterea ipsi, nec vnam habent, nec plures. Sed tẽpore generationis quisque accedit ad quam lex præcipit pro bono Reip. neque enim sibi generant, sed Reip. im-

mò neque nos. pater enim apud nos non poteſt in filium, quantum poteſt Reſp. pars eſt gratia totius, & non totum partis. ſi ergo totum curat ſuam totalitatem in tali Rep. nec aliis priuatis illam committit, rectè agit. Maritus pro libidine ſe commiſcens quandocunque vult, prolem imbecillam, & degenerem ſuſcipit. equorum curat quis generationem bonam, non autem ſuam. etiam per Ariſt. eſt cōmiſtio contra naturam, ſi ſeruilis animo coniugiū generoſæ appetat, & quomodo libet illi miſceatur. Quod S. Chryſ. in lib. de Sacerdotio, contra indoctos Epiſcopos connubium generoſæ Eccleſiæ affectantes, vituperat. Dixit Dominus. *erunt Duo in carne Vna.* Verum eſt. ſic ſiunt & in tali Rep. non enim docet Dominus, vt nemo niſi vnam cognoſcat, alioquin nec duas ſimul Iacob accepiſſet, nec mortua vna liceret alteri miſceri. Fit ergo ex duobus miſtis caro vna, vt proles vna ex vtriuſque ſemine fiat: peccatum hic non cognouiſſem niſi lex dixiſſet, ait Amb. cum Apoſtolo.

Ad 6. Hæreſis Nicolaitatum fuit, quemlibet cuilibet prout lubet commiſceri. hoc autem eſt contra ius naturæ, & generationis ruina, vt dictū eſt in hoc articulo. In Rep. verè ſolari fit commiſtio tam celebris ex Philoſophia, & Aſtrologia, vt generatio ſit melior, & abundantior: ergo ſecundum naturam. ergo non eſt hæreſis. niſi poſtquam ab Eccleſia condemnatur. Hortens. ſeu Cato vir ſapientiſſimus, & doctiſſimus mutuo conceſſit vxorem ſuam Bruto: vt prolem ſuſciperet ex ea, quaſi ex natura iudicans ille rigidus Stoicus id fieri ſecundum Charitatem naturalem. Quomodo igitur poteſt Reſp. ſolaris ex puris naturalibus ſcire, quod ſola matrimonii noſtri forma non eſt peccatum, quando Iudei, & Romani diuortia habuere, & Philoſ. per mutationes & Plato, & Socrates id docuerunt? nec ex iure naturæ Ariſt. arguit illos, ſed quia non videtur ſibi vtile inuentum. immo alias Nationes ſic vixiſſe narrat. concedo igitur hæreſim eſſe id in Eccleſia Chriſti: non tamen poſſe cognoſci ex natura eſſe malum, niſi vbi fiat ſecundum vſum beſtiarum, aut Nicolaitatum. S. Thomas contra naturam dicit eſſe matrimonium, vbi proli aut Societati aduerſatur. in Rep. ſolari coniugia vtrique fauent maximè: ergo.

Argumenta quæ Ariſt. addit contra communitatem, quia eſt nimia vnitas, ſicut ſi quis carmen ex vno pede, & harmoniam ex vna chorda faceret; puerilia ſunt: & charitati aduerſa, & Reip. Monachorum, & Apoſtolorum: quam damnare oporteret, quoniam erat eis cor vnum, & anima vna, & non dicebant aliquid proprium, ſed erant illis omnia communia. Hæc enim vnitas non tollit pluralitatem, ſed fortificat per vnitatem, nec ex vno homine, ſed omnis ſtatus, & conditionis, quod Ariſt. in ſua Rep. non facit. nec ex vna chorda, ſed ex pluribus facimus vnam harmoniam: Ariſt facit diſcordiam ex diſſidentibus duobus ſuam componendo, nos ex pluribus armoniam facimus, & carmen, benè tamen conſonantibus inuicem. Ariſt. autem facit ex duobus ſolis pedibus carmen, & inimicis, & diſcordantibus: vt eius Reip. examine demonſtratum eſt. Noſtra autem tota eſt Apoſtolica ſi communitatem obſequiorum muliebrum, non coitionis efficias, vt in textu interloquuntur.

POLITICA

POLITICA

THOMÆ CAMPANELLÆ

STYLENS. ORD. PRÆDIC.

PHILOSOPHIÆ REALIS

PARS TERTIA.

IN APHORISMOS DIGESTA.

De Politicarum Communitatum Quidditate, & Causis, & occasione, & Gradibus & Vinculis.

CAPUT I.

1. MENS prima necessitatis stimulis Homines, cum nemo sibi sufficiens esset ad tuendam vitam ab externis internisque malis, nec ad speciem propagandam, copulauit in vnum fere corpus, in quo alii regerent, alii regerentur: alii scientiæ agendorum, alii agendis pro communi bono, operam darent: mutuisque officiis innumeris ob innumeras necessitates se se iuuarent in vita, ad finem, propter quem Deus Dominus dominantium creauit Hominem, ordinata. Politicæ necessitas occasio, quidditas, & finis.

2. Quoniam insuper nemò sibi soli Politicè dominatur: vix autem vnus vni: Dominium ergò requirit multorum vnitatem simul, quæ communitas appellatur, & Politia, & Ciuitas. Vnitio autem non est nisi à prima vnitate, quæ principium & finis est Politiarum, quæ violentæ & Tyrannicæ non sunt habentes Hominem, non Deum pro fine. Politiæ ratio ex dominio.

3. Dominium naturale communitatem habet naturalem: violentum, violentam. Illo Anima regit corpus & partes, & affectus. hoc quandoque affectus rationem. Naturales communitates decem.

4. Naturaliter consociantur quæcunque reciprocum bonum copulat naturale. Igitur prima communitas, vnitasue, est Maris, & fæminæ. 2. Parentum & Natorum. 3. Vnius familiæ idest Parentum & Natorum, & instrumentorum rationalium & irrationalium, & serui, & bouis, & canis. 4. Plurium familiarum in vico vno. 5. Plurium vicorum in vna Ciuitate. 6. Plurium Ciuitatum in vna Prouincia. 7. Plurium Prouinciarum in vno Regno. 8. Plurium Regnorum sub vno Imperio. 9. Plurium Imperiorum in variis Climatibus sub vna Monarchia. 10. Omnium Hominum sub specie Humana, & Papatu.

5. Communitas Dominiumque magis secundum naturam ibi sunt, vbi bonum omnibus communicatur: Violentum, vbi paucis, aut vni, aut nulli. Quod magis euenire solet vbi munia, ad quæ minus apti sunt Homines, obeunt: potiusque gratia sui, quàm Communitatis: & potius Communitatis, quam primæ Vnitatis, ex qua, & ad quam omnia. Vnde agnoscitur violentæ & naturalis Politiæ & dominiorum discrimen.

6. Potissima Communitas bono Animorum colligatur. 2. Corporum. 3. Fortunarum. Communitatem Animorum facit seruatque sapiens Religio, quæ Politiæ Anima defensioque Iustitiæ naturalis ad Deum, & ad Homines, est. Corporum co- Triplex ligamen communitatis.

habitatio; Fortunarum commercium.

7. Communitas Religionis primum vniendi locum habet arctissimum: quoniam & diuersissima copulat Nationes: qua copula Christianis Asiaticis, Africanis Europeis, ac Americanis: summus Pontifex Romanus imperat.

8. Corporum Communitas secundum colligandi locum obtinet. Per ipsam Turcarum Rex Mahomettanis, Iudeis, & Christianis imperat suo sub Imperio corpore vnitis: licet animo, Religioneque distantibus.

9. Communitas Bonorum exteriorum tertium in copulando locum tenet: per quam Rex Turcarum Turcis, & Ragusæis in eius Regno bona possidentibus, Christianisque dominatur. Et Rex Hispanorum Genuensibus, & Neapolitanis, & Hispanis; quoniam Genuenses in eius Regnis fortunas, & negotiationes habent.

10. Sunt aliæ ex his mistæ Communitates. considera.

11. Respublica non est Regis gratia; sed Rex Reipublicæ: cuius finis est Pax: Pacis autem Dei cultus per scientias, & virtutes. Deus enim solus beare potest. Quapropter omnia mala ex eo emergunt in omni Cætu, quoniam Princeps putat sui gratia se dominari: & omnia bona sibi vsurpat & vitas Hominum: & non Deo sed sibi seruiunt in Populorum Regimine: vt Achitofellistæ Politici profitentur cum Populorum ruina.

12. Nihil Principibus perniciosius, quam putare se finem esse Reipublicæ & Prudentiam Hominum principaliter gubernare posse Remp. cum videant contra prudentiam ipsorum multa euenire, nec sine prudentia Dei in legibus adhibita, posse rectè gubernare. Nec absque futurorum præuisione & fine certo dirigere Populos in finem.

De Dominio, de Iure, & Beneficio, & Regno.

CAPVT II.

1. PRimalitates distinctos in essentiatione habent actus. Potestas enim potest; Sapientia sapit; Amor amat seu vult: at dum ad exteriora ordinantur, habet actus realiter indiuisos; formaliter tamen distinguntur, nam potestatiui est dominari: Cognoscitiui regere: Amatiui iuuare quod includit bene velle, bene dicere, & bene facere, quatenus exprimit trinam facultatem trinæ primalitatis consummatam in tertia.

2. Differt ergo Ius à dominio & beneficio. Ius enim est inter æquales in quo æquales: Dominium est Superioris ad inferiores in quo inferiores. Possunt enim in aliquo esse æquales, in aliquo inæquales: Beneficium vero est inter habentem & indigentem. Beneficium ergo Caritatis, ius Rationis, dominium est Potestatis.

3. Omnia entia operantur propter bonum: bonum autem est conseruatio tranquilla in esse quod accepimus à primo ente ad finem ab eodem præscriptum. Conseruatio autem consideratur vel in se, vel in filiis, vel in fama, vel in Deo: Amor ergo ad has conseruationes aspirans beneficium præstat cum extenditur ad aliud vt ad illum finem perueniant; sic anima benefacit Corpori: Pater filiis, &c. Respubl. Ciuibus: & totum partibus.

4. Ius est ratio boni & æqui, quoniam iustificat, idest, æquat passiones, notiones, affectiones & operationes fini, id est, Bono, posito à Deo, vel à natura, vel ab arte. Ideóque triplex est ius, diuinum, naturale, & artificiale; quod Ciuile dicunt seu positiuum. ergo omnis virtus est iustitia dicta à iure & omnis lex est virtus communis: virtus autem lex priuata: ratio verò isthæc omnia: à ratione enim virtutes & leges humanæ: Ratio autem humana à diuina Ratione, cuius participio dicimur rationales, tegendi ab illa.

5. A iure diuino, id est, æterno, quo cuncta fiunt in numero, pondere & mensura, & reguntur vt ad finem suum, quod est optimum ipsorum in toto & partibus perducantur, deriuatur ius naturale, quo Cœlum Terraque regitur, & Elementa, ipsorumque operationes: fundaturque super hoc principio: *Omne bonum est sectandum: omne*

malum fugiendum. Bonum est quod conseruat. malum quod destruit. Cuncta ergo propriam conseruationem appetunt curantque natura; & destructionem auersantur, & quidquid faciunt propter hoc ius est; adæquat enim fini natura dato suas operationes & extensiones.

6. A iure naturali deriuatur ius artificiale humanum; Ars enim naturam imitatur; & hoc vel per modum conclusionis, & dicitur ius gentium. Omnibus enim Gentibus naturaliter competit conclusio, sicut suæ præmissæ. Vel per modum specificationis & determinationis, quod dicitur ius Ciuile; quoniam Ciuitati cuilibet quod vtile sit, hoc est æquum suo fini ac fœlicitati, conclusum est. Ex hac enim naturali, *Omne bonum est sectandum,* & generatio est bona ad conseruandam speciem, conclusum est apud omnes: *ergo coniugia sunt ineunda.* Mox circa modum Coniugiorum à singulis Nationibus deinde conclusum est vel vnius cum vna vxore, vel cum pluribus, vel intra parentelam vel extra; vel cum solemnitate hac vel illa, &c. Hoc enim Ciuilis est iuris variabilis ob particulares fines & commoditates; sic ad conseruationem indiuidui conclusum est de Agricultura, de Pastorali, de contractibus: ob conseruationem in fama conclusum est de honoribus, de statuis, de monumentis, &c. ab conseruationem in Deo, conclusum est, de Sacris, de Votis, de Oratione, de Sacrificio, de Templis, de altaribus, de Choro, &c. Quod autem concluditur non à iure æterno per ius naturale, vel repugnat iuri naturali, non est ius, nec lex: sed enormitas.

7. Ius etiam adæquat hominem homini quatenus mutuò sunt alter alterius gratia & finis, vnde etiam seruus habet ius sed non dominium in Dominum suum petendi salarium; imo & non obediendi si pręcipit contra ius naturę, vt ne mingat, non spuat, vel contra diuinum, ne accipiat Sacramentum. in hoc enim sunt ęquales Dominus & seruus. Item vt tantum soluat Rex pro vendilibus, quantum seruus. In commutationibus enim pares sunt.

8 Nullum enim dominium est per se & in omnibus, & ad omnia inter homines. Nam & Deus conuersaturus cum hominibus propter nimiam caritatem ius fecit, quod non erat inter finitum & infinitum; vt, si serues mandata det tibi Paradisum, cum solus esset & in cunctis Dominus natura, fecit æqualitatem aliquam ex gratia.

9. Ergo omni homini omnis homo est æqualis ad iura diuina, naturalia, & ciuilia commutatiua; subditur autem & præficitur solum in distributiuis quæ inæqualibus dant inæqualiter ad functiones varias inæquales destinatis, vt patet in corporis structura & membrorum functionibus, præfectura & seruitio.

10. Dominium est potestatiui extensio super res sibi subditas siue iure siue iniuria: sola enim potestas dominatur formaliter; materialiter enim & sciens & volens dominatur. Extensio autem iusta est naturaliter, quando adæquatur fini naturali: diuinitus quando diuino, ciuiliter, quando ciuili. Iniusta verò quando non adæquatur; sicut manducare iustum est quoniam adæquatur indiuidui vitæ; sed superfluum est iniustum, quoniam discordat vitæ, infirmitates faciendo, quæ ad mortem disponunt. Iure homo dominatur in sceleftos, iniuria punit insontes. Quid dominium.

11. Tandem non dominatur homo homini nisi inferiori, vel natura, vt mas in fœminam: vel sorte, vt miles in mancipium: vel culpa vt Iudex aut Carnifex in Reum. Et non simpliciter, sed secundum quid.

12. Verius tamen in bestias secundum naturam dominatur, quamuis se fortiores: Propterea dictum est illi: *Dominabimini piscibus maris, volatilibus Cœli, & Bestiis Terræ:* Bestiis autem super herbas dominium dedit: an etiam super inferiores? Lupus enim dominatur in Capras: & Accipiter in Columbas: non autem regnat sicut Pastor, nisi in suos filios & consortes, vt Rex Apum. Forsan nec regnum nec dominium est Lupi in Capras, sed vsus tantum: sicut vtimur Sole & Terra communi: possidemus autem viridarium: quia factum est proprium aliquo iure.

13. Dominus enim simpliciter & per essentiam est solus Deus, cui omnia subiecta sunt tanquam sua; & potest creare, annihilare, mutare quoad qualitates, substantiam, & operationes, quoniam ipse est causa & finis: eiusque voluntas rationabilissima

est erroris expers: Dominus secundum quid & participio dicitur homo, qui non est causa princeps. nec finis totalis rerū: nec expers vitii. atqui per hoc potest vti rebus & hominibus ea ratione qua sibi à Domino causa ac fine totali subduntur, fiuntque sua.

14. Vnde nullus homo est primo modo Dominus sui, neque animalium, neque herbarum, neque hominum; multoque minus Cœli & Terræ & Elementorum: sed vsuarius tantum. Neque tamen potest vti ad libitum se nec membris suis, nisi secundum finem à Deo præscriptum in lege naturali vel scripta, non ergò se ipsum occidet: nec manibus incedet, sed pedibus, nec contra amicos. nec pudendis vtetur contra generationem vsu vel dominio iusto, sed iniusto; hoc est discordante à fine, quem posuit Dominus.

15. Ergo & proprietarius, & vsuarius, & donatarius, & depositarius & commodatarius & Feudatarius, & Emtor, & Campsor, dicuntur Domini rei datæ emtæ, cambitæ, mutuatæ, infeudatæ, locatæ, &c. ea tantum ratione, & mensura, quâ facta est ipsorum propria iure vel facto; & donec ratio illa durat: mutata enim ratione legis, mutatur Lex.

16. Omnis homo vtens seipso vel aliis rebus contra finem à Deo statutum peccat & tenetur restituere saltem Deo: vel pœnas præcomminatas luere. hoc naturâ præmonet, dum sobrios præmiat salute, ebrios punit podagra: Hoc etiam Brutis accidit: non tamen aliud iudicium expectant, quoniam non exigit Deus ab illis rationem, quibus non dedit rationem, vt rationem finis & mediorum ad finem pernoscant, licet ad finem fato & passionum stimulis agantur. homo verò finis & mediorum doctus principabitur inter homines suæ speciei vt caput inter membra, quæ sunt alterum alterius gratia & finis mutuo: non autem dominabitur, nisi tanto Dominis, quantum concessum est illi, quod regnare dicemus.

Quid est Regnum. 17. Regnum enim est participium iuris, & dominii. idcirco potest esse inter æquales & inæquales simul. Absque dominatu enim est Philosophicum præceptum: absque iure Tyrannica potestas. Absque Charitate, insulsa facultas.

De Dominiorum, & Rectorum, & Populorum Functionibus, & gradibus, vndè, variæ species Rerump. & Religionum. & de ipsarum circulationibus, & augmentis, & decrementis, & agnitione, & partibus integralibus.

CAPVT III.

Vndè naturalis & violenta dominatio & seruitus.

1. NAturâ imperat qui virtute præstantior est: naturâ seruit virtute inferior, vel vacuus. vbi è contra fit, dominium violentum est.

2. Præstantia in Politicis, aut est secundum virtutem Animi, aut Corporis, aut vtriusque.

3. Melius dominatur qui in vtraque præcellit, vt Cæsar. 2. Qui solum Animo, vt Vlisses. 3. Qui Corpore solo, vt Aiax.

Successio dominiorum iuxta Primalitatum ordinē.

4. Primum dominium vsurpauit in Orbe humano Potentia: vel quia coegit sibi seruire cæteros: vel quia vt defenderentur homines à malis ad robustissimum confugerint. 2. Obtinuit sapientia eò quod potentiores stolidi, aut violentes subditos præmerent, aut seducti Regnum perderent. Sapientibusque ad Regimen pro potentia, qua carebant, dati sunt Milites, & lictores. 3. Obtinuit Amor sanctus erga Deum, & proximum: cum sapientes per Sophismata, & hypocrisim cæpissent tyrannizare: & exterorum idcircò prędа fieri. Amantibus autem probis pro potentia milites, pro sapientia lex, addita sunt. Primum patet in Nembrot. 2. In Moyse. 3. In Petro. si amas me, pasce oues meas. Tria ergo fundamenta imperii Potestas, Sapientia & Amor, quæ diuisa non bene imperant. si quidem potentia brutorum est, vt lupi in capras: Sapientia hominum est, quo elephantos & Leones domant se fortiores: Amor vnitorum beneficio, vt equus & canis & filius homini seruiunt.

Species dominiorum.

5. In Communitatibus memoratis, aut dominatur vnus vt Rex in Gallia: aut plures, vt Patritii in Venetiis: aut omnes, vt Heluetiis, & Athenienfibus: aut vnus, &

multi simul, vt in Polonia, Rex, & Electores: aut multi, & omnes simul, vt Romæ olim senatus, populusque Romanus: aut vnus, multi, & omnes, vt Lacedemone Rex, Ephori, & populus.

6. Verè tamen ille dominari dicitur, in cuius manu potestas Reip. seruatur.

Vndè agnoscitur species Dominii.

7. Summa potestas est, gladii potestas, mortis, & vitæ: quę in illo residet, ad quem vltima appellatio in capitalibus defertur. Igitur Resp. Romanorũ fuit omnium: s. popularis: ad populum enim spectabat vltima prouocatio, licet senatus etiam & consules præessent. Veneta est multorum, quamuis Dux & nobiles simul dominentur. Ecclesiastica est vnius, quamuis senatus Cardinalium vnà cum Papa simul dominentur.

8. Dominium vnius boni, Regnum, & Monarchia nuncupatur: vnius mali, tyrannis, aut multorum bonorum Aristocratia: malorum, Oligarchia: Omnium bonorum Politia: malorum Democratia.

Quæ gubernatoris functiones essentiales.

9. Non est tyrannus, qui dominatur inuitis de facto, sed qui inuitis de iure, quamuis volentibus de facto: Nam & pater filiis & Didascalus discipulis aliquãdo inuitis de facto dominatur. Et hypocrita volentibus de facto; de iure tamen inuitis. est qui in malum sui obedit quamuis volens, vt deceptus populus, de facto & qui contra suum bonum, vt ęger præcepto medici, & puer patri reluctans.

10. Regnantium munia sunt, subditos docere, defendere, alere, & iustificare. Quæ cum solus non possit Rex obire: primum facit per sacerdotes, & Doctores, & leges. 2. per Milites. 3. per Agricolas, Artifices & Mercatores. 4. per Iudices secundum leges iudicantes: tot igitur sunt partes Reipublicæ. At populus è contra debet principi duo, scilicet, reuerentiam, & obedientiam, dum bona aut indifferentia iubet.

Cur, & quomodò species dominiorũ variantur per tempora.

11. Quicunque per virtutem ad Regnum perueniunt, dominantur non in sui, sed subditorum vtilitatem: hi dicuntur Reges, quoniam priuato bono, publicum anteponunt. Ex hoc nascitur sepè tyrannus, vt ex Cyro Cambises, qui proprium publico anteponunt commodum. Aduersus tyrannos coniurant multi aut pauci sub duce prudente, vt septem Persæ cum Dario: & cum Bruto Lucretioque Romani multi. Tyrannumque vel expellunt, vel occidunt. Ex his bonis nascuntur labente tempore pauci praui, virtute in luxum degenerante, & in superbiam: sicut Romæ Decemuiri, & Athenis triginta tyranni. Aduersus hosce sub Duce aliquo bono, coniurant plebes sicut Romani sub Virginio contra Decemuiros, & Athenienses sub Transibulo contra 30. Tyrannos. Hinc fit respublica popularium omnium, ex qua non rectè gubernata, post tempus oriri solet tyrannus, sicut Athenis Pysistratus: aut Rex, sicut Cosmus Mediceus Florentiæ: aut seruitus sub extraneis, vt Pisani sub Florentinis ex hinc seruierunt. Veruntamen variantur aliis modis per circulum huiusmodi communitates sępè, nec per easdem vias, vti notum est in Florentina olim Rep. omnium variabilissima: & in Genuensi. lege historias.

Quando prosunt, & quandò obsunt in Rep. contentiones ciuiles.

12. Contentiones inter plebes ac Nobiles augent Remp. si ex honoris ęmulatione pendent: & plebs vincit, ita vt nobilium honores assequi possit, eorumque virtutibus participare, vt Romanæ contingit prospere. At si plebs ita vincit quod nobiles ad suos honores trahat, minuitur Resp. valde, vt infęliciter Florentinæ accidit. At si nobilitas vincit, subitò tyrannica fit, vt in Genua quondam, corruuntque. Cõtentiones autem de Religione varianda, aut de fortunarum participio semper Remp. pessundant, præsertim vbi pauciores euadunt: verum in Flandria, Olandia, Frisia, ob Religionis varietatem nondum ita consumpti sunt, vt Gallis, Polonis, & Anglis euenit, quoniam armis Hispanorum hostilibus stare coguntur, & plebs vtiliter vicit, doctrinatum & Dominii facta particeps. Hoc de varietatibus internis.

Externæ causæ mutationum R. rump.

13. Externæ enim vt occupatio à Dominis externis, & pestis, & inundatio, & incendinm vniuersale, sic Respubl. variant, quod sęculum nouũ exordiuntur. Quod fortè euenit numerorum fatalium vi, scilicet, Septenarii, Nouenarii, vt in mutationibus Resp. & Monarchiarum magnarum experiri licet, vel cum aduersę constella-

De fato Venetiarum.

tiones sub hisce numeris successerint, aut cælestes exorbitantiæ, & ipsarum anomaliæ affuerint. Veneta autem limo à fluuiis adducto, & arena ab aduerso mari obrui, & languere incipit morique. Ex se ipsa enim ita temperata est, vt perire nequeat. ab externis autem tutam facit mare, cui confisa, propria caret militia: timet quoque à propriis armis tyrannidem. Hinc fortè à conductis exteris ducibus fiet vt conteratur.

De Principum & Dominiorum essentia, constitutione, diuisione, comparatione: & de partium ciuitatis vsu & conditione, & functionibus secundum naturam. Et de ciuis quidditate, & non ciuis agnitione. Et de Reip. probitate, & deterioritate, ex horum causa.

CAPVT IIII.

Multiplex ratio Principatuum

1 PRincipes præficiuntur, aut electione; aut sortibus, aut successione; aut censu: aut sorte & electione simul, vt Dux Venetorum: aut censu, & successione, vt senatores Carthaginenses: aut electione, sorte, & successione, vt Rectores Grisonum: aut omnibus modis, vt Ragusæi variantur & miscentur, &c. At quis horum modus optimus?

Vnius an multorum melior Principatus.

2. Dominium vnius tempore Belli melius: tempore pacis, multorum. Idcircò Romani Dictatorem periculosis bellis vrgentibus erigebant, vt subito absque consiliorum mora multorum prouideat. In pace verò consules duos cum senatu, &c.

3. Nihilominus vnius boni Principatus, melior est semper, quam multorum, aut omnium bonorum: sed vnius mali, deterior est, quam multorum: Idcircò desiderandam potius malitiam vnius quam multorum aut omnium Principantium docui in lib. de Monarchia Messiæ.

Ordo Principandi à Deo, & in Deū

4. Nequit rectè humanam regere speciem, qui nescit Monarchiam rectè regere: neque Monarchiam nisi sciat Regnum: neque Regnum qui nescit Prouinciam: neque Prouinciam, qui ciuitatem: neque ciuitatem, qui vicos: neque vicum, qui familiam: neque familiam reget benè qui se ipsum regere non nouit rectè: neque se ipsum, nisi Ratio dominetur, & voluntas, & appetitus seruiant: neque Ratio regere potest, nisi ipsa à Deo regatur; & ipsa obediat. Ergo absque regula Diuina nemo est Princeps verè secundum naturam, sed potius flagellum Dei est dicendus & carnifex. At secundum Regulam diuinam nec Dominus simpliciter est sed Rector, Pastorque populorum, & Vicarius Dei Domini. per quem Reges regnant.

Quāta virtus Principis.

5. Princeps ergo bonus tantum debet præcellere subditos virtute, quantum Pastor Gregem, qui est superioris speciei. Homo autem hominem specie non superat, nisi diuinus sit Deique plenus, vel Angelus, vel Deus visibilis factus, vt Christus, quod optabat Plato. Qui autem tanta virtute carens fortè est Princeps, vti debet lege, quę virtus communitatis est: & opera optimorum, vt Pharao Iosephi.

Gradus Principū.

6. Principantium, alius est Pastor, qui ob Gregis bonum laborat ad Deum. Alius mercenarius, qui propter commoda propria, cuncta facit. Alius lupus, qui in Gregis detrimentum insuper omnia sibi facienda ducit.

Potentia in omnibus secundum naturā dominatur.

7. Benè igitur, ac naturaliter sola sapientia potestate imbuta dominatur, non sophistica, sed Philosophica, nōn Hæremitica, sed ciuilis: non opposita Deo, sed supposita.

A tand rationales Sapientia potens, & sancta, & quæ

8. Naturaliter dominatur Mas fœminæ: Pater filiis: senex iuueni; fortis imbecilli: Magister sapiens discipulis ignaris. Veruntamen vbi fœmina, aut iuuenis, aut imbecillis, sunt sapientiores: ibi dominatur melius, quam mas, & senex, & Pater, & fortis, &c.

9. Natura producit homines ingenio, non corpore præpotentes, vt fint facerdotes, Philosophi, & consultores Reip. Fundamentum naturale ad functiones in Rep.

Agiles, robustósque corpore, & animosos ad militiam: Crassos ingenio & manibus, ad Agriculturam.

Graues robustosque ad rem equestrem.

Industri es manu ad textrinam, & opificia:

Lingua promptos doctosque ad legationem, & conciones.

Alios solertes ad Mercaturam.

Iustos ad tribunalia:

Imbecilles corpore animaque: vt sint serui, & instrumenta maiorum.

Validos autem corpore, ingenioque, vt sint Duces, Reges, & Militię rectores.

10. Optima itaque resp. est, vbi singuli illis numeribus & Opificiis operam nauant, ad quæ natura apti nati sunt: tunc enim regit Ratio, sapientiaque. Pessima verò vbi singuli functionibus contrariis natiuæ aptitudini occupantur: tunc enim fortuna regit, casusque & ignorantiæ vis. Mista autem, vbi alii functiones sibi naturales: alii non naturales vnà capessunt.

11. Vbi ab ineunte ætate eliguntur ad functiones & honores sibi connaturales, per Magistros publicos sapientes, non formidolosos &c. ibi resp. potentissima florentissimaque erit. vbi autem casus functiones distribuit, videlicet, vt solū efficiatur Rex, quia natus est à rege; & Magistratus, quia nobilium filii, aut quia Rectorum filii; aut quia diuites, aut quia emunt honores &c. non autem quia boni sapientesque, ibi resp. semper, vel paulatim in ruinam labitur.

12. Citius igitur ruit vbi Matrimonio copulat marem & fæminam dos, & diuitiarum æqualitas; non autem valor corporum, & animorum æqualis, vndè proles optima speretur, vt Pythagorici admonent.

13. Corruptela quoque magis regnat ex generatione fortuita non obseruato tempore, & loco, & viribus concumbendi; & ex educatione praua, commissa indoctis parentibus absque curatore publico, vel Prædicatore.

14. Omnia mala grassantur, vbi mulieribus licentia viget, quidquid volunt agendi, & loquendi, & sese ornandi, & fucandi, & natos & homines quoque effœminandi; & sese prostituendi: & parum laborandi. sic enim seipsas morbis, & natos imbecillitate, & Rempub. mollitie afficiunt. Mala Reip. ex Mulieribus.

15. Ciues vocamus non modò eos qui gubernationis participes sunt; sed quicunque cohabitant & artem Reip. vtilem operantur quamcumque vt membrum in corpore functionem quamcunque: Cæteros dicimus hospites, aut reip. excrementa, quales plerique nobiles huius temporis. Quis ciuis.

16. Nobilium Ars est remp. & Priuatos defendere: Plebeorum alere: sapientium regere, & instruere. vbi nullam functionem quis profitetur, is excrementum est, & fucus. qui autem inter Deum & homines sunt mediatores, hi diuinior pars Reipublic. existimandi sunt, & sapientissimi probatissimique Religiosi. Quorum quæ munia ciuium.

De legibus, & consuetudinibus, & Ratione politica, quam vocant, de Statu.

CAPVT V.

1 VT optimi nascantur, atque ad quas nati sunt functiones applicentur, & mala externa internaque vitentur (cum Princeps ex impotentia, & omissione voluntaria ab eo quod agendum est sæpè distrahatur; neque est qui non peccet, nisi sit Spiritus Domini operans cuncta per se in illo,) indiget communitas lege semper. Necessitas legis.

2. Sicut virtus est lex priuata indiuidui: ita lex est virtus publica communitatis. Quid virtus, & quid lex.

Ergo quoniam virtus est regula operationum. & affectionum particularis hominis à rationis potentis, volentisque, decreto indicta propter bonum summum priuatum. Similiter lex est Regula Rationis communis potentis, volentisque; decreto promulgata propter summum bonum commune.

Summum bonum ad quod lex & Virtus respiciunt.

3. Summum autem bonum est conseruatio priuata, vel communis, quæ à conseruatiuis rebus & expulsiuis destruentium captatur, quantum licet. conseruare simpliciter est æternare: Ergò ab æterno summo Ente procurandum summum bonum priuatum, & publicum simpliciter. secundum quid verò à cæteris instrumentaliter, & dispositiuè per Regulas Rationis.

Qui & à quo sunt Legislatores.

4. Quapropter legem ferre non possunt, nisi Respublica, in qua est communis Ratio & consensus; vel sapientissimi, quibus à Repub. committitur communis Ratio, vt Solon, Ligurgus & Numa. Vel à Deo: qui curam omnium gerit, estque summa Ratio. Vel ab eo, cui Deus suas vices delegat, vt Moyses, & Petrus. Aut qui à Rep. eliguntur autoritate Diuina, vt Papa. Alibi loquutus sunt de Minoe & Mahometto. Qui astu, aut Dæmone impulsi se à Deo missos simularunt, vt simii verorum nunciorum eius & Moysis.

Lex æterna. Lex naturalis. Lex Gentium. Lex positiua.

5. Lex æterna primaque est omnipotens Sapientia & Ratio; qua Deus cuncta excogitauit, creauit, & gubernat, & mutat, deducitque ad fines suos etiam variabilia inuariabiliter. Ab hac deriuatur lex naturalis inserta in animis hominum & in tota natura rerum: quę est Ars Dei eiusdem directrix, nec violari potest, nisi à Deo vt Domino non vt legislatore. A naturali deriuatur per modum conclusionis gentium lex, cunctis hominibus communis. A lege gentium lex Positiua ciuilis per modum determinationis iuxtà commodum nationis deriuatur: & quatenus naturæ concordat, est inuariabilis: quatenus verò ob præsentes necessitates fit, potest, & aliquandò debet variari. Dedit etiam Deus legem Positiuam, cum homines illam ex natura prauè, perperamque deducerent: quæ inuariabilis est, vbi continet ius naturæ: mutabilis, vbi nostras necessitates: sicut lex Mosaica in decem Præceptis semper manet, non autem in prohibitione carnis porcinæ, quę propter lepram non alendam, lata est eis.

Leges tamen mutare non potest nisi qui eas tulit, aut locum eius, etiam ad hoc tenet. Neque enim Papa, aut Rex super legem diuinam, etiam positiuam, possunt dispensare, sed tamen Papa super Papales, & Rex super Regias, quisque super suas. Papa autem super omnes alias, & omnis princeps super leges sibi subordinatorum principum.

Della Ragion di stato.

6. Ratio Politica, quam vocant de Statu, olim æquitas, & ἐπιεικεια transgreditur legis promulgatæ, scripto, vel voce literam, sed non sensum, & finem, quoniam non nisi propter melius bonum, & commune, abrogat, irritat, interpretatur, & dispensat, vt quando Fabio Vibuliano Senatus Romanus vitam concessit, qui secundum legem mori debebat. Et Horatio, qui tres occiderat Curiatios pro imperio Romanorum. Non vtatur autem Epicheia, nisi propter maius bonum à Religione, vel à Rep. expetitum, vel ad Deum aut ad Remp. ordinatum.

7. Ratio autem Status hodierna, est inuentio Tyrannorum, ad æquitatis similitudinem, arbitrantium se posse pro sui status praui acquisitione & conseruatione aut ampliatione omnes transgredi leges non modo proprias, sed etiam diuinas & naturales & gentium, in quas non habet potestatem. Sed differentia est inter rationem status, æquitatemque, quoniam hæc bonum publicum respicit, verumque: illa verò priuatum apparensque dominatoris. vt autem hoc nomen iam pro impio agnitum postquam Macchiauellus Achitofellizauit, tegerent; dicunt Principes *Rationem de bono Regimine*. Quæ nomina etiam sensum bonum continere possunt, licet à prauo imposita fuerint.

Recta Ratione Status Cleonimus occidit Ephoros in Lacedemone: non recta Rex Turcarum fratres. quoniam licet ob commune bonum id facere videatur, tamen cum sit contra legem Dei, & alia via prouideri possit, ne regnum occupent, irrationabiliter operatur.

8. Princeps

8. Princeps bonus, non indiget ratione hac Status, quoniam probitate se tuetur propria. Si quis autem contra ipsum surgit, populos omnes habet auxiliatores, vt Dauid à filio priuatus regno. Principem malum nec millies mille Artes Macchiauellisticæ tutantur, quoniam & Populis odiosus est: & Deo, omnium Regi. Qui autem à Prima causa discordat, fallaciter secundis innititur, quemadmodum & Cæsar Valentinus & Absalon sub Magisterio Achitofellis prouidissimo, etiam statum amisit, & vitam. Semperque capiuntur in astutia sua Macchiauellistæ: quoniam scientiis rerum diuinarum, & Cęlestium carent, putantque propria prudentia omnia se metiri, præuidereque posse sine Prophetia, & sine Astrologia.

9. Leges optimæ sunt si breues, si faciles, paucę numero, moribus populi, & publico bono commodæ. Leges tyrannicæ sunt plures obscuręque, difficiles, quasi laquei multi, vtiles vni tantum, aut paucis; nec moribus, & vtilitatibus publicis accommodę, quo pauci earum Autores impinguentur, eleuenturque; cæterique eis famulentur. Conditores bonarum rerum.

10. Vbi sæpè leges mutantur, ruinam instantem indicant Reip. vt Florentiæ olim compertum est.

11. Vbi sunt plures punitiuæ, quam instructiuæ, indicium praui Regiminis præbent. Optima est lex Iesu Dei nostri, si quis omnia consideret.

12. Actus legis sunt, imperare bona: prohibere mala: permittere indifferentia.

13. Legum stimuli sunt præmium & pœna.

14. Legis custodes sunt Honor (idest obseruantium) Amor (idest vtilitatis, quæ in obseruantia cunctis emant) Timor (idest pœnarum violatoribus infligendarum) Qui autem contrario ordine hos tres custodes legibus apponit, prauè decernit; qui verò non omnes ponit custodes memoratos, inualidus legislator est, ignarus, aut tyrannus, aut, &c.

15. Vbi, quod erat bonum nocet, est prohibendum. vbi malum, iuuat; si pœna est non culpa; est imperandum. vbi indifferens secundum naturam, fit malum aut bonum Reip. adhuc imperari, & prohiberi potest. Superfluum inter noxia pone.

16. Lex diuina omnia vitia & mala interiora & exteriora prohibet; & omnia bona imperat. ipsaque sola facit Homines bonos simpliciter. Lex humana mala exteriora prohibet tantum, bonaque Reip. & vitæ communi tantum conferentia iubet. Facitque ciues bonos non homines bonos simpliciter. Principes tamen simpliciter boni esse debent, quoniam aliorum sunt Lux, & Lex. Discrimen inter diuinam & humanam legem.

17. Debet lex ponere æqualitatem, Reip. nutricem: tollere inæqualitatem consumptricem. Solent enim valdè pauperes esse fures, insidiosi, periuri, ignari, & diuitum prauorum Instrumenta. Valdè diuites verò, superbi, luxuriosi, indocti, contumeliosi. Valdè astuti sunt variabilissimi. Valdè obtusi, serui spontè, Moderati, stabiles in Regno. Omnium instabilissima fuit semper Resp. Florentina ob ingeniorum subtilitatem. Omnium stabilissima, Veneta, ob mediocrem crassitiem. Æqualitas & inæqualitas quid in Repub. faciant.

18. Bona consuetudo est altera lex: quæ magis Remp. seruat, quam lex ipsa. Quinque consuetudines Romam Principem Rerumpublicarum magnificauerunt, teste Catone apud Salustium. De consuetudinibus bonis, & malis.

Primo publicæ opes. 2. Priuata Paupertas. 3. Foris iustum Imperium. 4. Intus in dicendo Animus liber. 5. Neque formidini, neque cupiditati obnoxius.

Has omnes Veneta obseruat ex lege, excepto quòd formidini obnoxia est non in consulendo, sed ab externis, ob militię propriæ defectum.

Porro defectu primæ non sunt Genuenses Maris Domini, nouique orbis. Defectu quintę exteris Regibus quasi famulantur. Defectu tertiæ, Galli nunquam Imperium extra Galliam fundare potuerunt. In quo & Hispani ex parte peccant, seuerè, & ceremoniose vbique dominantes, Regionis mores nil respiciendo. Defectu quartæ corruit Reip. Florentinorum.

19. Bonas consuetudines introducunt boni Rectores: malas, mali, & fæminæ ergo. Sed nulla suprà diuinam, aut naturalem, aut rationalem legem, valet consuetudo. Lex Gentium est totius speciei consuetudo.

Quis regendi modus quibus conuenit in Regionibus.

20. Borealibus Hominibus natura ferocibus, non conuenit Imperium rigidum, sed licentiosum, cum vix Reip. ordinem pati queant. Idcirco apud illos Anarchiæ & Resp. & Principatus, tantum per electionem plerunque fiunt, sicut Tartari, Moscouitæ, Poloni, Suetii, Germani, Heluetii, indicium præbuerunt. Sique per successionem Rex ibi vsquam reperitur, haudquaquam plus potest, quam qui electione fiunt apud Nos, exigens tributa parua, multa cum Populi licentia, exiguaque illius potentia. tametsi post Romanum Cultum ad ipsos introductum, paulò seuerius viuere cœperunt. Australibus verò, præcipuè sub tropicis degentibus, non nisi despotici conueniunt Principatus, legesque seueræ; quoniam viribus debiles fraudibusque validi sunt, qua etiam ratione ceremoniosis superstitionibus semper addicti fuerunt. At sub Æquatore Principatuum, legumque temperamentum requiritur. Veluti & sub Climatibus mediis inter boreales, & tropicos, moderata Regimina, Respubl. & leges inueniuntur, prout magis minusque Tropicis propinquant, vt Grecis, Italisque probatum est.

21. Orientales quidem meridionalibus plerunque, Occidentales Borealibus, ob Maris situm, persimiles sunt; & propter, &c. Hispani tamen Africanis ob propinquitatem.

22. Leges de Matrimoniis, & ex quibus, & quandò, & quomodò copulanda sunt vt proles generosa nascatur, & species, & ciuitas non deficiat, in Oeconomicis vide, & in ciuitate solis.

23. Leges de puerorum educatione, & eius necessitate maxima, vide ibidem. nolo repetere.

De Legislatoribus.

CAPVT VI.

1. Legislator est, qui nouum Imperium, sub nouis plerunque legibus & Religione, & armis, & ritibus, auspiciisque fundat, vt Moyses bonus, & Mahomettus peruersus. Igitur legislator, vel Deus est, vt Christus; vel Dei nuncius, vt Moyses. aut astutissimus Politicus, horum imitator, vt Minos, Osiris, Iupiter, Mahomettus, Zamoxis, & consimiles: qui se se à Deo missos simularunt, vt fidem & amorem Populorum captarent. Legislator enim laudatissimus esse debet.

Quanta sapientia legislatoris.

2. Profectò omnis Artifex, qua sapiens in Arte sua, Rex est. Nam & Medicus Regi ægroto imperat: & Nauta cum tempestas, sacerdotibus, & Ducibus, Principibus edicit: sede tu hic: tu, sta illic, &c. Ergo qui leges daturus est pluribus Hominibus omnis ordinis, callere debet omnium ipsorum Artes, & functiones, vel saltem finem earum, & vtilitates, quas Reip. conferre possunt, & damna, vt posset superfluas, & noxia expellere: vtiles, necessariasque retinere, & moderari, nè in prauitatem degenerent, sicut Plato Poetas mendaces, lasciuosque & laudibus bonorum abutentes in exaltatione malorum, de sua Repub expellit. Moyses vero Pseudoprophetas, & Pictores imaginum diuinarum, & Caupones, & scortatores, &c. Debet quoque Regionum mores, & temperamenta ex Cælo & Terra pernosse. Fortunas quoque & infortunia eisdem accidere solita, vt inundationes, incendia, lepra, famem, &c.

3. Legislatores humani vix minus quàm diuini sapere debent: quoniam omnia mutare habent, excepta Religione, vt Lygurgus & Solon: quam tamen reformare, aut expurgare habent, non autem de medio tollere. Quod Papa solet facere, dum abusus repentes propellit.

4. Legislatores sunt etiam nouorum Ordinum in Christiana Religione Fundatores vt Benedictus, Augustinus, Dominicus, Franciscus, &c. Sed hi regulas à Deo eiusque de lege, non à nobis præstolantur. Fallunt autem qui subiectibilitatem non sapientiam & Sanctitatem, quibus obedientia fit spontanea, principalius curant.

Gradus in Virtute Politicorum.

5. Prima laus in Virtutibus legislatori debetur. 2. Regnatoribus sacris. 3. Regna-

toribus laicis. 4. Consiliariis. 5. Iudicibus. 6. Militibus. 7. Artificibus Quorum nobilissimi in Ciuitatibus montanis sunt Pastores vt apud Heluetios Scytasque: In planis, Agricolæ, vt in Egypto. In Maritimis, Nautæ, & Mercatores. qui quoniam plurimas vtilitates procurant, & pecunias tractant, & scientias ex pluribus Nationibus colligunt, perpetuò ferè primas partes obtinuere. vbi autem cæteræ Artes, præsertim superfluæ his præponuntur, detrimentum, ruinaque imminent.

6. Legislator diuinus ideam propriæ Reipub. habet in Cælesti curia. Humanus in gubernatu Vniuersi, & corporis humani. Qui verò his vt minus sapientes, succedunt, accipiunt Idæam ab ideata Republ. optimorum legislatorum facto edita, vt de Lycurgi Republ. vel scripto, vt è Repub. Platonis: vel facto & scripto, sicut de Rep. Moysis. à quo nemo non addiscat. Triplex Idæa Reip. in Deo, in natura, & in Arte.

7. Homo mas fœminaque Reipubl. Elementa, constant Animo, Corpore, bonisque exterioribus. Respub. habet pro Anima sapientiam, Religionemque. pro Corpore, Senatum, Conciliumque, & quicunque officio Reip. vtili funguntur: pro bonis externis, milites, mercennarios & auxiliatores, & aduenas, & Artifices aduentantes propter Opificii communitatem: pro spiritibus legem: pro Oculis sapientes inuestigatores scientiarum: pro Auribus, Exploratores & Mercatores: pro lingua, Prædicatores, Doctores, & legatos. pro manibus, proprios milites: pro pedibus, agricolas, Artificesque. sunt & Purgatores Ciuitatis pro Ano. Et ad sustentanda Corporis bona, Animique (idest Virtutes, scientiasque, & sanitatem, robur, pulchritudinem) fortunas habet idest seruos, fruges, Prædia, pecuniam. Hæc legũ conditor apprimè consideret. Item qualiter. Comparatio hominis, & Reip.

8. Secundum naturam Anima dominatur spiritui politicè: & corpori despoticè: Corpus verò fortunis iuxta regulam Animæ: sicut Religio legibus & Senatui Politicè imperat. Ar Militibus & Artificibus, & cæteris Senatus, & Lex, & Religio pro rata.

9. Bonum Animi primo loco optandum procurandumque est. 2. Corporis. 3. Fortunarum Item pluris facere debet Homo bonum proprii Animi, quam Animi Amici & Ciuis. sic & bonum corporis & fortunæ propriæ quam corporis & fortunæ Amici. Verum pluris est faciendum bonum Animi Amicorum, quam bonum proprium fortunarum. At quandò in fortunis tu perderes decem ducatos, Amicus verò lucraretur centum, præponere debes lucrum illius detrimento tuo, quoniam potest, & Remp. ex illo lucro excrescente compensare. Omnia enim bona aliorum ad nos aliquo pacto pertinent. vbi non obseruant singuli præfatas regulas, paulatim omnes labascunt. & vbi magis obseruantur, Ratio maior gubernat: vbi minus, casus plus potest. Igitur amittendum tibi est parum boni Animi & corporis, & fortunarum, vt multum lucrifacias in Amicis, & Republ. veluti Gerardus frater Sancti Bernardi obseruabat: alioquin nequaquam amicitia, sed cupiditas sui tantum regnaret in singulis. Iuxta has regulas lex instituenda venit. Quid prius & magis in Rep. & quid posterius minusque per virtutem, legésque curãdum.

De Coloniis & Ciuitate.

CAPVT VII.

1. QVi diuersorum Climatum Regionibus imperat, diuersas leges eis ferre debet, vel easdem, facta permutatione Incolarum per mutuas Colonias, & trãsmigrationes. Sic Romani ex propriis in Germaniã Colonias deduxerunt, vt Imperium tutum redderent, harumque exemplo Germanos suis legibus insuetos assuefacerent. Cur Coloniæ deducendæ sunt.

2. Coloniæ conflandæ sunt ex Ciuibus propriis Metropolis Imperii: aut ex Conuicinis, vt ex Romanis, & Latinis: locarique debent tot in Ciuitatibus, quod sufficiunt ad Prouinciam tuendam. quæ Ciuitates sint Metropolitanæ ipsius Regionis: aut aliæ nouiter ædificatæ quandò indigenæ moribus nouarum Coloniarum, aut Ex quibus.

commodis minimè conueniunt. Itaque ponuntur sub nouis auspiciis, legibus, Religionibusque. Campique æqualiter distribuuntur secundum ipsorum virturem per legem Agrariam.

Locus Coloniarum vbi.

3. Si Coloni à Republ. mittuntur, Ciuitates nouæ rectius super Montes locantur pro libertatis defensione. Si à Monarchia, melius in planirie. Si capur Monarchię est, ad mare, vri Venetiæ melius in littoribus. si in continente, melius in locis oportunis, per quos aditus ad succurrendum defendatur.

4. Ad fluuiorum ripas, & Maris littera, & in planirie. Ciuitates, vt grandescant, ponendæ sunt, vbi necessaria ad viram facilè conducuntur, & Hospites commercia ineunt. In montibus verò & scopulis, pro tuenda libertate, & lege, & virtute non eneruanda, commodiùs ædificantur. Oporter autem & Aquarum salubrium, & Aeris, & ventorum, & respectuum ad ortum, & ad alias Mundi plagas, rationem habere.

Numerus Coloniarum.

5. Incolarum numerus partiendus est in Rectores (idest Sacerdores, & Iudices) & in Defensores (idest Milires, ducesque) & in Artifices, & nutritios Reip. (idest Agricolas, Pastores) At tot esse debent, quot defensioni sufficiunt, tellusque alere potest. Idcircò indigenas quoque transmigrare illinc oporret, si tellus eorum causà ruis defensoribus alendis minimè sufficit: aut defensioni incommodi sint.

6. Vtrum maior, aut minor defensorum numerus, sicut & Gubernatorum & Artificum, ponendus sit, Regionis natura dererminabit, plana, vel montuosa: vicina, vel distans: Contermina Hostibus, an dissita: Septentrionalis, aut Meridionalis.

7. Sufficienter fortè præscriberemus Coloniæ tot Pastores, & Pecudes quanta lana requiritur ad ipsorum vestes & lac ad victum. tot Boues ad arandum in tot Campos, quot duodecim frumenti tumulos pro singulis Colonis annuatim ferre possint, præter hortilitia. Et pro quibusque mille hominibus milites centum Ducesque decem. Ast regulæ huiusmodi falluntin praxi. Porrò plus frumenti in planirie habetur; plus lanæ in montibus, &c. Idcircò permutationes, Cambia, & mercarus; inuenti sunt, & monetæ signaræ, & defectu milirum Arces & bombardæ.

De Instrumentis acquirendi conseruandique Imperia, eorumque vsu, & comparatione.

CAPVT VIII.

1. Acquirendi, conseruandi, gubernandique Regna, sunt instrumenta tria, lingua, Gladius, & pecunia. Siquidem lingua Instrumentum est Religionis ac prudentiæ idest bonorum Animi. Gladius est Corporis Instrumentum, eiusque bonorum. Pecunia fortunarum magis, quæ corpori Animoque seruiunt secundariò. Veræ tamen causæ sunt Religio & prudentia: instrumentum per se primo lingua: per se secundò gladius: per accidens pecunia.

2. Qui solo gladio vtuntur in eo potentiam suam fundantes, hi citò acquirunt, citoque amittunt Imperium, veluti Tamerlanus, Attila, Brennus, & plerunque Borcales. Qui autem sola vtuntur lingua, ciro super Animos Imperium acquirunt; paulatim verò politicum postmodum adiiciunt. At vitæ propriæ iacturam patiuntur pro ea, quam prædicant veritatem. Ipsorumque successores Politicum Principatum conficiunt. Sic Prophetæ, pluresque Prædicatores sancti infidelium in Regnis, & hodiernis temporibus Iesuitæ in Iaponis Prouincia lingua Animos capiunt; de hinc facilè erit Imperium etiam temporale, Principibus eorum ad Fidem conuersis. Huiusmodi autem dominia valida sunt, durabiliaque si Prædicatores veraces fuisse postmodum comprobantur. Itidem cum parum à vero recedunt, aliquid obtinent. Prætcrea qui nouam sectam in aliqua fundatam veritate, prædicat, acquirit lingua Imperium, contentiones ferendo inter veterem Religionem, nouamque sectam, Populorum gustui

accommodatam. Veruntamen huiusmodi Imperium parum durat per se. Neque Fundatores vitam pro dogmate suo libenter impendunt. Exemplum habemus in Hæresiarchis, qui licet primo acquirant, parum mox tuentur; vt Iohannes Leidensis, & frater Dulcinus, & Theudas. Qui autem partum dominium conseruarunt, non linguæ viribus, sed gladio sibi credentium seruarunt: nec vt ipsi dominentur, sed Principes, ipsorum in Fide asseclæ, vt accidit Luthero, Arrio, Buccanano, &c.

3. Qui autem gladio, linguaque vtuntur, Imperium longum, durabileque fundant. Quapropter si lingua veraces fuerunt, & in gladio, & in acquisitione iusti, quamuis partum Imperium amittant Politicum, permanent nihilominus ipsorum leges transeuntque in Nationes alias suæ quoque victrices. Sic Moyses iusto gladio, linguaque veraci instructus à Deo fundauit Hebraicum Imperium citò & diuturnum, ità quòd quamuis Hebrei post Imperii iacturam fecerint; permansit tamen Religio Mosayca cum superstitione in Hebreis & Mahomettanis, & cum reformatione præclarissima in Christianis. Qui autem gladio linguaque mendaci vtuntur, quamuis citò, diuturnumque conficiant Imperium, tamen fracto profligatóque Imperio, Lex, quam arma Imperii duntaxat tutabantur, aboletur, & extinguitur: sic Mahomettus occupauit Regiones multas: at eius deleto Imperio, delebitur simul & lex; sicut & lex Cyri deleta est, qui se Dei Commissariū faciebat, vt nouas leges Imperiumque fundaret: & Numæ, & Beli, & Minois, & Pythagoræ, & Zamolxis, legés eiusmodi perierunt eisdem de Causis. id Macchiauellus impius non considerauit.

4. Qui nescit victis imponere leges, citò partum amittit Regnum. Qui vero imponit, tuetur. Sic Carolus V occupatum Tunetum, & deuictam Germaniam amisit, quoniam leges Coloniasque adiicere nesciuit. Hoc & Pyrrho accidit sæpe sæpius. non sic Romanis.

5. Qui proprium dominium gladio linguaque tutatur, melius, fortiusque conseruat, quam qui vnico vtitur Instrumento.

6. Qui ingenium linguamque solummodo exercet, præda eorum fiet. qui Arma, corpusque exercent: ideóque Saturnus diuique Reges antiquissimi, cum essent sacerdotes, solo Religionis metu venerationeque Regna tuentes, Imperium nequaquam conseruarunt. Sed Iupiter eos armis deuicit; Perseusque bellator Regnum abstulit Athlanti Astrologo. Pythagoras quoque ab aliis armatis priuatus est. Pontificesque Romani quando armorum vsu carebant, crebrò præda hostium erant, at plerunque etiam amicorum.

7. Qui verò arma tantummodò exercet, non autem ingenium, linguamque ad Imperii tutamen, debiliter dominatur. vndè Germanus Imperator Populos Religione à se discrepantes habens, nil super ipsos præualet. Suntque huiuscemodi Regnatores plerumque illorum præda qui ingenium exercent: Veluti sæpe sæpius Imperatores à sanctis doctisque Pontificibus damnati, priuatique dominio fuerunt, Regesque Hebrei, à Prophetis. Propterea que *Romani nunquam ingenium sine Corpore exercebant*, ait Salustius.

8. At qui vtrunque exercet, vtrique melius diutiusque seruat Regnum, sicuti Rex Turcarum, & Rex Abassynorum & Rex Moscouitarum. Quapropter errant quicunque gladium solummodo spiritualem, non etiam temporalem Papę tribuunt. Sic enim eius Monarchia diminuta esset, cui hoc tutamen deficit, & Christus Deus legislator diminutus esset, quod imprudenter, & hæreticè affirmatur. Eius quippè nedum gladius ex Ore exit, sed ex femore pendet. Cui dictum est, dum Ecclesiæ desponsatur. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*. Philosophia quoque fabulosa idem sensit, dum Palladi Deæ sapientię codicem & hastam tribuit, vt sit inuicta: Marti vero arma tantum, sæpeque victum ipsum Poetæ canunt. *Apoc. 1.* *Psal. 44.*

9. Hinc factum est vt Septentrionales Populi quia armis ac multitudine ob ferociam fæcunditatemque abundant, semper occuparint, sicut Apes, Regna meridionalia. Meridionales verò Religione, ingenioque potentes, semper leges Septentrionalibus, quamuis victoribus imposuerint. Sic Tartari & Turcę Boreales Religionem, legesque ab Arabibus, à se deuictis acceperunt. Hunni vero, Vandali, Longo-

bardi, & Gothi, à Romanis: in quorum Regna irruerunt.

10. Porrò sic Deus, Hominum Pastor, vt meridionales prole, armisque; Septemtrionales verò Religione, scientiaque, fæcundaret; solet hos ad illos & è contra mittere, inferendo inuicem, sicut arbores, vt fiant generosiores. Destruendoque vetustatem, plantasque degenerantes: vtrobique puniendo, remunerandoque quoslibet in quo magis exuberant, deficiantue vicissim.

11. Ex filiis Iaphet descendunt Imperia: ex Sem sacerdotia, legesque: Ex Cham serui, tyrannique sicut apparet ex Mundi partitione in Boreales, Medios, & Australes: atque ex Prophetia sapientissimi Noe.

De Lingua, gladio, & pecunia.

CAPVT IX.

1. QVoniam Dominium hominis est diuinæ potestatis participatio, nemo potest fundare nec retinere Imperium nisi vere missus & authorizatus à Deo, vel creditus missus & authorizatus à Deo immediatè vel mediatè. Religio ergo quę Deo homines religat, est causa imperandi: Instrumentum vero eius Lingua: vnde Apostoli fundauerunt sola lingua signis authorizata, Imperium Ecclesiasticum in toto mundo sine gladio & pecunia. Ergo gladius & pecunia sunt Instrumenta per accidens & extrinsecus.

2. Ad acquirendum Lingua, ad deffendendum arma, ad conseruandum pecunia, videntur proficere magis.

3. Plus facit ad regnandum lingua aliena, quàm propria; & plus arma propria quàm aliena. Ad acquirendum vero plus pecunia aliena alliciens milites, quàm propria eliciens.

De Lingua. 4. Mors & vita in manu linguæ. vnus Monachus Bonifacius conuertit totam Germaniam; & vnus monachus Lutherus eandem peruertit totam; quod mille millium armatorum non fecissent.

5. Lingua Religiosorum primum locum obtinet. deinde sapientum; deinde popularium. Pontifex Religiosis vtitur; Conuentus Scholasque alit omnium scientiarum sub Theologiæ ducatu; & ex alumnis facit parochos, Episcopos, Abbates, Cardinales, qui populum in officio retinent, fidemque astruunt, non posse saluari in Regnum Dei, nisi modestè seruiant Deo, sub Vicario suo. Augustus volens se in Imperio vsurpato confirmare, Oratores, & Sapientes, etiam Græcos conduxit, qui sibi animos populorum conciliarent. Cosmus Mediceus Didascalos, Poetas, Oratores, Religiososque fouendo, factus est Pater Patriæ, & Dominus.

6. Hispani lingua tuentur Imperium, loquentium ad aures Principum & populorum, quòd qui non hispanizat non Catholice Christianizat; addunt pollicitationes & summo Pontifici & Religiosis suadent, quod per ipsos stat fides & Religio: & per alios Principes contrarios corruit & vacillat. vnde maxima pars Religiosorum etiam Gallorum & Venetorum, quamuis Hispanismum natura non amantium; pro ipso orat & concionatur palam vel clam. Nouum verò hemisphærium magis Linguæ vi, quàm gladii acquirunt & seruant, & plus pecuniæ expendunt ad emendum linguas quàm arma; & quidem prudenter.

7. Secundum locum obtinet militia non primum vt quidam putarent rectè, nisi vidissent Imperium Ecclesiasticum lingua partum, lingua conseruari: & Hispanum fato per linguam. Etenim ab Abraham vsque ad tempora nostra, dum res armis gerebatur, seruiebant exteris. Primo Lybiis sub Hercule: Deinde Tyriis, deinde Carthaginensibus: deinde Romanis: deinde Vandalis, Gothis, & Alanis: & tandem Mauris per 800. annos. E quorum seruitute emergentes Imperium adepti sunt quasi miraculosè duorum mundorum mirifica sorte, vsu potiùs linguæ quàm virium. Pos-

fident enim Imperium ex electione in Carolo V. Hispaniam, Burgundiam, & Flandriam ex matrimonio, Mediolanum ex aggregatione; Nouum Orbem ex Columbi Itali inuentione: ac paulo ante Regnum Neapolitanum ex adoptione Reginæ Ioannæ; Siculum ex spontanea deditione. Tantum Imperium gladius non fecit, licet nunc tueatur ex parte, sed potius lingua: qua ex toto. suasione enim & matrimonia, & deditiones, & adoptiones, & aggregationes confectæ sunt. Et omnis negotiatio siue fatalis, siue artificialis, lingua perficitur; & absque lingua nihil.

8. Si respicis arma & pecunias, Galli essent rerum Domini. Alit enim Gallia 20. milliones hominum, ex quorum singulis centenariis seligendo strenuissimum vnum (conuerso tributo, quod odiosos facit ministros Regis in militem) conscriberet ducenta millia armatorum stipendiatorum absque Regis labore & odio, semper paratorum continuo exercitio, & immortalem exercitū haberet, partim in Terra, partim in mari occupatū. mortuo enim vno, populus dat alterum. At quoniā lingua non vtuntur, animis dissociati sunt quamuis natura coniuncti; eiusdem quippe linguæ moris, habitus & cœli. Hispani è cōtra sępè preualēt, & si numero paucissimi: Non enim Tellus eorum alit hoc tempore tres milliones hominū. vtuntur tamen ad militiam Burgundionibus, Italis, & Germanis militibus & ducibus diuersæ linguæ & moris & cœli. Nihilominus vnitis magis, quàm Galli, Linguarum vi. Nec dicas pecunia Hispanum superare. Gallus enim exegit iam (quando istos aphorismos addimus) viginti septem milliones scutorum aureorum; & mox triginta quinque: & tandem quadraginta milliones ab vno mirificè amplissimo Galliæ Regno: Quantum nec Rex Turcarum, & Cæsar, & Hispanus, & Italus simul exigunt. Habet etiam Gallia plus panis, vini & carnium quàm Hispania & Italia & Germania, hoc tempore afflicta. Hispani verò quamuis ditissimi, vix habent dimidium in tributis: debent Genuensibus 84. milliones (periculis plenum negotium.) Et aurum quod ad Indis, & America portatur, non pernoctat apud eos, vsuris quippe destinatum, & stipendiis pugnantium manu aut lingua pro eis, rebusque necessariis ad victum & vestitum, & rei nauticæ, per quam duo hemispheria iunguntur: Terra enim ipsorum sterilis est, caret laboratoribus; quoniam Mauros & Iudeos, qui Terram & artes colebant, Religionis zelo, Pontificus gratissimo, & pro Regni securitate, quater expulerunt; & iam vix tres milliones hominum Hispania habet naturales, quæ antiquitus habebat ferè milliones vndecim, propterea quod singulis annis magnam hominum multitudinem miserunt iam pridem & nunc mittunt in Americam, in Indiam, in Italiam, in Flandriam, vbi bello perierunt pereuntque aut nunquam reuersuri peregrinantur. & quod peius Hispani nesciunt aut nolunt nationes socias aut subiectas Hispanizare, sicut Romani romanizabant: potius autem desolant. Adde quod nec sciunt thesaurizare: quæ duæ omissiones vti scripsimus in libro de Monarchia Hispanorum, Hispaniæ perditionem minantur, postvbi linguę vsus credulos pauciores inuenerit. Interea vi patientiæ & obedientiæ, ac linguæ superant omnia.

9. Armorum alia offensiuą, alia deffensiua. Offensiuis tantum vtuntur Turcę & populi Orientales. Multitudine enim confisi nil curant si multi interficiantur. Deffensiua Christianis & Europęis sunt in vsu, quoniam pauciores & prudentiores. De Gladio.

10. Arces munitę populosis regnis non prosunt, nisi pro nidis rebellium, vt in Gallia, in confinibus tamen vtiles aliquando. At minus populosis Regnis prosunt ad destinendum hostes. Expensę tamen & occupatio multorum in custodia, plura adducunt mala quàm bona.

11. Prestat magis erigere arces intra limites inimicorum, quę sint illis in fręnum, si habes succurrendi vias; præsertim in mari. Iis quippe Hispani oras Africæ, & Asiæ tenent. Expediunt suos, impediunt alienos: discurrunt per Maria tanquam rerum Domini.

12. Ars munitiua Mathematicæ praxis exercenda est cunctis, & fabricandi naues & arma: fabri ferrarii, & fabri lignarii in pretio habendi. Omnes enim artes illis indigent, nempe militaris, nautica, Agricultura, ædificatoria; quę cæteris vtilitate præceunt, valde conducit curare ac tenere loca vbi ferri fodinę, & lignorum Syluæ,

quàm vbi aurum. ab hostibus autem eripere vel comburere.

13. Triplex militia pedestris, equestris, & nautica, prima melior in locis montanis; secunda in planis, tertia in maritimis.

14. Item seminaria militum in Monarchia Hispanorum instituimus ex pauperrimis, ex spuriis, & expositis. similiter mulierum instrumenta eorum curantium.

15. Præstat milites habere proprios quam extraneos. Hi enim mercede; illi amore feruntur. Item populo sunt minus damnosi quàm extranei. At Tyranno alieni vtiliores, & serui apud ipsum nutriti à pueritia, vt mos apud Turcas & Indos. Galliæ verò meliores Galli, quàm Heluetii aut Germani, nisi cum Rex tributa augere; & populos humiliare, & Barones debilitare rebellantes, voluerit.

16. Præstat autem tributorum loco exigere milites à populo stipendiatos; & tutelam Regni Regnicolis committere quàm extraneis. Hoc enim & robur augebit & amorem: quo nil fortius ad victoriam & tutelam regni.

18. Arma nil prosunt, vbi populi non amant Principem & Ministros Regni. Nam vel detrectant militiam, vel dilabuntur antequam ad destinatum pugnæ locum vel tempus perueniant; vel præliantur segniter: vel produnt regis sui rem. Thesaurus Militiæ patientia & obedientia, fodina Amor.

18. Mirum est quomodo Hispani extranearum, & discordantium Nationum Ducibus & militia vtuntur, nec dum corruere. An quia sunt plures Hispani quam exteri in exercitu, vt mos Romanorum fuit? Nequaquam. Si enim Exercitus eorum constat ex triginta millibus, vix quatuor millia sunt Hispanorum. An quia nationes extraneæ sunt inter se discordes; ita vt non audeant inire consilium contra Hispanos, vel nesciant. Siquidem Burgundi, Itali, & Flandri non facile conspirant. At si omnes auxiliares essent Itali, vel Flandri, &c. forsan facilius coniurarent. An ex industria Ducum: seueraque disciplina, qualis in Annibale, qui Mauros, Hispanos, & Gallos tàm prudenter moderabatur. Et hoc minime: nam sæpe Duces sunt Itali, vel Galli in ipsorum exercitu, aut Germani, vt Farnesius, Spinola, Tillius, Bastius, Vvaldestainus, Sabaudus, &c. Ergo princeps causa est lingua ingenerans spem, & reuerentiam in animis auxiliariorum & mercenariorum. 2. Diuersitas Nationum auxiliantium, ideóque nescientium conspirare. 3. Ducum illectio per pecunias, & Feudorum spem: & Cruces honorificas & Tosones. his capiunt & leues animos. 4. Obseruantia vigilans in auxiliares & ligans ne conspirare queant. Interdum toxico vtuntur in eos, à quibus timent, aliquando gladio, aliquando carcere, si honestate possunt arcanam vim. 5. Obtinuerunt iura patronatus, cruciatas, & decimas à Pontifice; quibus deuinciunt fautores suos, & sanctificant causas bellorum, & tuentur, præmiantque Asseclas. Hæ sunt causæ, quibus ipsorum stat fatum. Adde exemplum pat. & ob. Reliquæ in libro de Monarchia Hisp.

19. Milites eligi debent ex Agricolis, ex opificibus & ex plebe, per physionomiam: qui habent extrema magna vt pedes & manus instar Leonum: frontem prominentem, faciem martialem, lacertos crassos, tergus quasi quatratum, ingenium modicum, vincendi cupidum, roboris & dexteritatis multum. Duces vero corpore & animo fortes, ingenio plusquam robore valentes, Mathematicæ non expertes, expugnandi & deffendendi, ambulandi & castra metandi doctos, assuetos olim bello, honoris cupidos: potiusque rapaces quam auaros: militibus amabiles, exhortandique peritos.

20. Militia sit potius robusta quàm numerosa. Hæc enim plus numorum & cibariorum consumit, & minus corrigi potest. Prima fuit Alexandri: secunda Xerxis, & Darii.

21. Vt pauci vincant plurimos in arte repositum est. Qui enim assueti sunt bello & victoriæ etiam si pauci pugnanr audacius, & prudentiùs, vt milites educati à Philippo Patre M. Alex. Item qui pro Patria, & laribus, & liberis & vxore pauci valent contra multos mercennarios & auxiliares Item in angustiis locorum: vel terræ, vt apud Thermipolas, & furcas Caudinas: vel Maris, vt ad Isthmum Corynthiacũ. Item cum tranat hostis fluuium, vel descendit è nauibus. Sed nulla certior victoria, quàm

cum

tum exercitus paucus, quasi Deo præsente pro Religione pugnat, sicut Machabeus contra Gentiles, Scanderbegus contra Turcas, & Leo 4. contra Saracenos innumeros, victores extiterunt, vt in libello dato Colunnensibus pridem scripsimus. Huic additur fortuna & virtus Ducis; qua Cæsar cum paucis innumeros prostrauit. Item magia militaris de qua in 4. De sensu rerum.

22. A vigesimo ad 55. annum bonus est miles, Dux à 30. ad 65. Consiliarius à 40. ad 70. in nostris regionibus regulariter.

23. Considerandum etiam contra quos pugnas. Hispanos enim, & qui astu rem tractant, subito aggredieris nec vnitos, sed palantes, & armis cominus non eminus; nec tempus consulendi dabis, & mouendi suos, auxiliaresque congregandi. Prudentia enim indiget tempore vt crescat & vincat. Fortitudo celeritate, vt vincat & non lentescat. Igitur Gallos lentè ad longum prorogando prælium tractabis, cum robore & alacritate polleant. vitato enim primo impetu, si non pugnant, flaccescit robur & animositas, & impatientia, inobedentiaque succedit & incuria. Germanos stabiliores in pugna, ingenio & armis eminus aggredieris, & currendo non stando vrge. primaque ipsorum consilia vide vt eludas. Non enim sunt apti ex improuiso nouas inire consultationes: Et cum primas euerteris, euertuntur; Turcas deffensiuis carentes, à longè inuades: Cum enim sanguinem in suis vestibus videnr, & non in tuis, qui thorace & galea vteris, exanimantur; & qui spe cadit, præda euadit.

24. Moderatos homines armis: ferocissimos, ingenio excipies: & incipe abeo, vbi tu certò victor eris. vt Leo primus in Attilam & Iaddus in Alexandrum, & duo religiosi fratres in Regem Tartarorum, procedentes grandiloquentia recedere coegerunt. Et nunc temporis si in Italiam irruisset Gustauus Adulphus Suecorum Rex post deuictam Germaniam, consuluerain vt oratores doctissimi eique amabiles, quorum Philosophia delectabatur, ad ipsum mitterentur, qui præ iudicio Philosophiæ victus, facile per Theologiam mox, vincendus erat. cum eidem Imperium Orbis pollicerentur, si Religionem vniuersalem illam, quæ apta est conamini vniuersali amplecteretur; quæ nimirum Deum facit patrem omnium, non partialem tyrannum ante præuisionem meritorum condemnantem; sed amantem totius generis humani. Item hominem liberum non mancipium fati: & Populos obedientes non seditiosos, vtpote iudicandos ex factis non iudicatos ex decreto temerario antecedenti. Item virtute non violentia vtendum. Hac via posse colligi totum Orbem, &c.

25. Pecunia conseruationi aptior, colligenda est tempore pacis, non belli, quando indiges populorum armis, & amore; tunc enim onere tributorum grauati oderint te; at quando res in extremo est, debes eorum animos ita præparatos incessanter facere vt ad sanguinem, & omnia bona quæ habent prætiosa, & vasa insuper sacra, expendendum, sint prompti. De Pecunia.

26. Si exigis millionem vnum, repone medium, vel tertiam partem in ærario annuatim; si plures plus seriatim, vt si decem reponas octo. Vel, &c. Cætera ad alimentum Principis, militum, Gubernatorum & ad publicas commoditates expendantur.

27. Caueat princeps, ne agnoscat Populus se profundere pecunias in parasitos, in meretrices, in homines inutiles Reipublicæ; imo & in Exploratores quamuis sint vtiles: putant enim sanguinem suum in ista pecunia gratis dilapidari. Maximè autem cum vident Regiarum gazarum Ministros nimis ditari.

28. Æs alienum conflare à tuis periculosum: quoniam machinabuntur in te vel vsuras exigendo à tributariis exsugunt sanguinem. Ab extraneis verò deterius; quoniam conspirabunt cum hostibus tuis solutione desperata, nisi retineantur negotiatione & spe, vt Genuenses ab Hispano.

29. Tributa ex superfluis collige grauia: vt ex serico, curribus, asportationibus, delitiosisque ex rebus: Ex necessariis leuia, cuiusmodi est panis, vinum, sal.

30. Nomina tributorum extraordinariorum in Donatiui & Eleemosinæ nomen transferre bonum. Sed melius ad tempus: si stas promissis.

31. Item conducibilius ex omni Prouincia exigere ea, quibus abundant per regios Thesaurarios, & dare Vassallis fœnerari ad lucrum tollendum ab vsurariis, & transferendum ad Regem.

R

32. Ærarii pecuniæ auariter expendere, & cogente necessitate, te locupletem & Populis gratum faciunt: E contra ingratum pauperem & rapacem. Ministros gazarum infidos interficere palam, vt cæteri custodiant tua populique bona.

DE CAVSIS TRIBVS REGNORVM, POLITICVS, NON PHYSICVS SERMO, ET PRIMO.

De prima Causa Politiarum: siuè de Deo, & Religione.

CAPVT X.

1. FVndant, gubernantque Imperia Causæ tres, Politicè loquendo, videlicet, Deus, Prudentia, & Occasio. Sed in aliquibus notior alia est. In Hebræorum Regno, Deus magis. In Romanorum, Prudentia magis. In Hispanorum Occasio magis in propatulo est. quamuis physicè omnium Causarum sit Causa Deus.

2. Principatus omnes agnouerunt (excepto imperito Macchiauello) prudentiam non adeò valere, quòd possit præscire, & capessere, & vitare quæcunque bona malaque imminent aliis, sibique, semper, & in omni re. Idcirco Nationes cunctæ ad Deum confugerunt, aliæ per rectam, aliæ per tortam viam. Porrò Principes Assyriorum, & Ægyptiorum, & Persarum inquisierunt Dei voluntatem, ipsumque implorarunt in sideribus per Astrologiam: Græci per Oracula Sybillarum, tenuitate spiritus Deo copulabilium. Romani in Auspicina & Auguriis: à quibus parum absunt Brasilienses: Christiani autem recto tramite ad Spiritum sanctum per Prophetas, & per Concilia, & per Vicarium Dei confugiunt; sicut & Hebrei ad miracula & signa, & Prophetas prouocabant. Omnes tamen orauere Deum, vt bona det, malaque auferat. at qui soli prudentiæ innituntur humanæ, Vitam, & Principatum subitò in se, vel in prole perdiderunt.

In Ezechiele, & Prophetis id sæpè habetur.

3. Quanquam Demones Artibus, quibus Gentes inuocabant Deum, se se immiscuerunt, nihilominus plerunque Deus, cuius nutu eorum Imperia augebantur, & deprimebantur in aliorum pœnam, & Dei gloriam, vt ex Prophetarum Oraculis scimus; existimandus est respondisse etiam per Idola, vbi sic oportere intelligebat ad mutationem, vel augmentum Principatus ipsorum iuxta Consilium suum: Veluti Pythonissæ inuocanti Dæmones Deus persuscitatum Samuelem respondit: & in ore Balaam Arioli loquutus est. Omnis namque Principatus proprio Angelo protegitur: omnisque lex in quantum bona, est à Deo; nec aliqua fundari potest totius expers bonitatis omninò, vt & Theologi & Natura docent.

De Sacerdotio.

4. Partes Dei in Imperio sacerdotium tenet, ideoque Resp. nulla, nullusque Cetus Hominũ fuit, nec fieri potest vnquam absque sacerdotio: quoniã neque sine Deo.

5. Sacerdotes debent esse sapientes, sed potius in contemplatiua: fortes; & magis in patientia. Sobrii, potius tamen ad inediam declinantes: liberales, at potius erga se auari, erga alios prodigi. Solertes; sed potius pigri, in Mechanicis præsertim: Veraces, sed potius nec ioco mentientes: fideles, nihil incertum subolentes: Hilares, potius tamen ad austeritatem, quam adscurrilitatem: Mansueti, potius molles, quam asperi. propriaque ipsorum est Religio, Sapientia, Charitas, Misericordia non ficta. Milites è contra prudentes, sed potius in praxi. fortes, sed potius audaces: sobrii, sed plus comedones, quam ieiuni. Rectores verò ex istis extremis temperentur. Ergò sacerdotes virtutes in extremum, eminentes habere, virtutibus Militum oppositas. Gubernatorum verò in istorum medio consistere,

6. Sacerdotes contemplantur agenda. Rectores iubent agi contemplata. Milites & Artifices iussa, consultationesque exequuntur.

7. Religio, per quam veneranda esse debet, non vulgaris; magisque Deo Naturæ cõnformari, quam Artis.

8. Sacerdotium vulgari minimè debet, ne dignitatem, & reuerentiam amittat. Stultissimè Caluiniani se se omnes singulosque reputant sacerdotes. Et Arist. ex hominibus militibus eos creat non minus imperitè, quam impiè; quasi Religio non natura, sed astu stet. *Sacerdotium non vulgandum.*

9. Religio, quæ Naturali Politiæ contradicit, retineri non debet. Rectè ergo Machabæi interpretati sunt tempore necessitatis in die Sabathi religioso bellandum esse, cum sub Pompeio, & sub Antiocho Hebrei eo die impetiti nihil se se defendentes corruissent. Deus non dat suis legem contrariam suis. *Nulla vera Religio contra Naturam: sed aliqua supra naturam.*

10. Secta Lutherana & Caluiniana negantes libertatem arbitrii humani ad bonum, & malum, nullo pacto retineri debent in Republ. præsertim libera. Populi enim vel in corde suo legislatori respondent, se leges seruare non posse, cum Fato inuincibili vrgeantur ad transgressionem. Hinc etiam Populi seditiosi, & Principes tyranni fiunt sub hoc prætextu, quod etiam Cicero agnouit. In Monarchia. V. paulatim exitiū minantur, quoniā illa omnium, ista paucorum dominatū sanctificant contra Monar. *Quid de sectis negantibus arbitriū libertatem.*

11. In Imperio Turcarum hoc dogma non ita nocet, quoniam rudes sunt absque literis, disputareque prohibiti & vi continetur in officio, non lege. In Germania magis nocet, vt patet ex Rusticorum bello ob hoc apud Munster. & continuis rebellionibus à suo principe, vt Olandensibus accidit: principes etiam coguntur mutare frequenter. Sed quia Populi participes sacerdotii & scientiæ, & Bibliorum vulgatorum à Luthero, facti sunt, viuuntque in Republ. absque Imperatoris iugo, nisi quantum volunt: & dum libertatem negant, libertatem tuentur: Idcircò non maximè eos propter admistum bonum pessundant. Sed Italos, si vnquam ad eos hoc dogma intrarat, exitio prorsus daret: quoniam ingenia acutiora plenius hoc rimantur; nec aliis alliciuntur eorum commodis: subitoque Libertini fierent non agnoscentes peccatum, neque legem, omniaque in Deum reiicientes, Autorem malorum. maximè autem Principes tyrannos faceret æmulatores Dei autoris malorum, subditis proprium peccatum adscribentis dolosè, vt possit eos in sui gloriam & lucrum cruciare. Quo quid perniciosius omni Reipublicæ? Monarchæ ipsorū in continuo vel clam sunt periculo.

12. Scientię Sophisticæ Religioni contradicentes, è Repub. expelli debent vt docet Plato. Multa mala Gymnasium Arist. sub Antiocho intulit Iudeis, & nunc Christianis, sicut Auer. & nobis, & suis Saracenis. Vide S. Vincentium. Idcirco autorizari debet qui contra eos scribit, Vxores alienigenas, id est scientias Gentilium cum Esdra abiiciendo. *Scientia Sophistica de Rep. expellenda.*

13. Religio repugnans Politicæ communi, quamuis vtilis foret particulari Ciuitati, aut Prouinciæ, cito mutationem Communitatis Gentibus patitur, aut reformationē. Ergò Lutherana durare nequit, sicut nec dogma Mosaycū de ciborum delectu, nec Apostolicū de abstinentia à sanguine, & suffocato. Ergò extant aut fiunt dogmata Religiosa alia tempori & loco vtilia, vt abstinentia à porcis apud Hebreos leprosos. Alia æterna cunctis Gentibus vtilia, vt honorare Parentes. Alia perniciosa cunctis locis, & temporibus, vt quod Homo fato peccat, & proficit absque sui libertate.

14. Religiones cunctæ atque sectæ habent proprium circulum veluti & Respubl. ex Monarchia in tyrannidem, indè in Aristocratiam, inde Oligarchiam, inde Politiam, inde in Democratiam, ac denuò tandem in Monarchiam reuertuntur per easdem, aliasque vias. Sic cum sectæ ad Atheismum peruenerint, extrema Populorum mala subonuntur, iræque Dei culmen: exindeque in statum bonum, sed per pænas reuertantur. Cùm verò eò deuenerint, vt Dei prouidentiam negent, aut Animorum immortalitatem, patiuntur mutationem, aut reformationem necessario: quoniam Populis Conscientiæ frenum adimitur, & à Principibus consimiliter impiis pessundantur. Ideoque quemcunque legislatorem siue bonum, siuè non bonum, priorum malorum pertæsi, amplectuntur. Similiter & cum libertatem arbitrii negant, fiunt sicut libertini iam in Germania: quibus lux noua paretur.

15. Philosophorum sectæ non transierant de opinione in opinionem vltra Epicurum, sub quo Deum prouidentiamque negante, illorum sectæ destructę sunt; & in ipso terminantur apud Laërtium. Religio Mosayca cum eò deuenisset, vt Sadduceos

haberet, negantes Animorum immortalitatem, passa est à Christo Deo, qui ipsam tulerat, reformationem. Iaponenses hodiernis temporibus sub Amidæ legibus peruenerunt ad sectam Gensus, quæ futurum sæculum, Deumque negat. Ideoque Iesuitæ ad ipsos, in hoc gaudentes, subintrarunt, vt conuertantur ad cultum Dei. Quandò Gentiles ad Atheismum declinarunt (sine Deo eratis, ait Apost.) in multas calamitates inciderunt, præsertim Romanorum Imperium ad Cæsareorum Epicureismum, teste Catone in Salustio, ac Lucano, proindeque facilè Christianismum amplexi sunt Populis suauissimum. Hodie quoque Vltra-montani cum Papæ autoritatem abrogassent, ex hinc opera fidei, quam Papa prædicat, abnegarunt. Et ex hoc libertatem benè maleque faciendi. Dehinc Sanctorum intercessionem: tandem peccatum non esse peccatum secta Libertinorum exorta ex Dogmate Caluini prædicat: simulque & prouidentiam Dei sustulerunt. Postmodum Immortalitatem Animorum, vt Transyluani plerique, & sanctam Trinitatem. Alii tandem multi Deum esse negant: feceruntque librum de tribus Impostoribus, impietates omnes exuperantem. Vulgares & fœminæ comertia Dæmonum inierunt. Quapropter necesse est hoc tempore cum Politici alii vocari velint Religionis expertes, vt ad Deum verum conuertantur per aliquem Prædicatorem magnum, Christi Logica, non Ethnicorum, vtentem. & hoc fiet, &c. Sic Africani hoc tempore in varias Mahometti sectas diuisi, & incredulitate iam affecti, reuertantur ad Turcarum sectam, aut potius ad Christianismum, consequens est.

16. Religio, cuius summus sacerdos propriis caret armis, plures principatus non admittit, nisi plures hæreses faciant. Ideoque Rex Turcarum, Rex Persarum, Rex Tartarorum, Rex Maurorum, & Serifus Rex Fezitarum, sub sacerdotio Mahomettico inermi viuentes, singuli propria dogmata habent hæretica. Et quicunque nouum Imperium eriget, nouam quoque hæresim prædicat, tueturque. At sub Papatu; armato scilicet sacerdotio, viuunt Rex Gallorum, Rex Hispanorum, Rex Germanorum, Respublica Venetorum, aliique Principes potentissimi, sub eadem Religione nil nouarum hæresum citra Principatus ruinam indigentes.

Vtilitas Politica Papatus inter Christianos Principes.

17. Papatus maioritas armata vtilissima est Christianis Principibus dominatione temperatis: quoniam ipsorum discrepantias æquat; arbiter est pacis, bellique iusti: & arma sua exercet pro illis, qui iniuriam patiuntur: nec patitur quempiam alius Christiani Principis Regnum inuadere: coniungit eos contra Hostes Fidei Christianæ: separatque ab Hostium fœdere, & per Cruciatas, & Indulgentias & Excommunicationes pro bonis, & contra malos Regnatores; Rempub. Christianam erigit, tueturque. Absque ipso iam annihilatus esset Christianismus (humanitus, & Politicè loquendo) si quis Historias consideret. Sæpe quoque Principes minores à Potentioribus iam deuorati essent, vt in libro de Monarchia Christianorum iam declaraui. Præterea iustificat Papa eorum expeditiones. Videntur enim, pro Deo, non ex ambitione, aliena Regna occupare, cum Papa spirituale Dominium simul in illis habeat. Populi autem lingua magis quam gladio mitescunt, obedientiæque se subiiciunt: sicut in nouo Hemisphærio plures Religione moti & concionibus, quam gladio, Hispanis obediunt. vniti atque tuti à se, & ab exteris forent Principes Christiani, semperque victores, si Romæ vnum Senatum efficerent, vt alibi scripsimus.

Cùr manente Religione, non potest esse Monarchâ vnus super omnes Christianos, excepto Papa, nisi Papatus ei viliter substernatur: id quod est contra regulam Dei, & naturæ.

18. Veruntamen Princeps vllus viuens sub Religione habente summum sacerdotem armatum cum superioritate super illum, non potest propriam ambitionem prorsus effrenare. Vnde nullus hactenus Christianus Princeps Monarchiam super cunctos Christianos Populos sibi conseruare potuit, quoniam Papa præest illis & dissipat, erigitque illorum conatus, prout Religioni expedit. Quæ, si Princeps ille vnicus in Hæresim laberetur, ipsa rueret: & Pontificatus eius esset lenocinium ad regnandum: & Papa Cappellanus: sicuti & Pythia olim, teste Cicerone, philippizabat.

In aliis potest regnare vnus.

19. At Hæbræorum Monarchia sub sacerdotio inermi vnicum patiebatur Principem: & cum duplicaretur, facta est hęresis sub Ieroboam. Nihilominus Reges plerunque impii fuerunt ab inermi sacerdote non timentes. Christiani verò Principes illis longe meliores sunt sub armato sacerdotio. Vnum quoque passa est secta Sa-

racena. Sic apud Chinenses vnicus est Monarcha: & apud Iaponenses, in spiritualibus & temporalibus. Itaque Christianorum Monarchia paulatim declinat quousque in Pontificis manus prorsus perueniat: sicuti alibi docuimus.

20. Porrò vt Monarchiam vniuersalem sub hac religione tuerentur: Alii se ipsos summi Pontificis ministros ac liberatores, & defensores primos declarauerunt, sicut Carolus Magnus, & Constantinus. Quorum Filii Pontifici aduersantes deleti sunt. Alii voluerunt Papam absque armis efficere, vt Henricus, & Federicus, & alii vltramontani Imperatores, & iacturam potius quam lucrum ex hoc fecerunt, factionesque exortæ sunt perniciosæ Guelforum, & Ghibellinorum, Papalium & Imperialium. Alii hæreses Arrii, & Lutheri, & aliorum erexerunt, vt Constantius & Zeno Imperatores, & Henricus VIII. Rex Anglorum & Dux Saxonum, & consimiles: & in se, aut in filiis extincti sunt. Iulianus verò Gentilismum & Hebraismum in æmulationem reuocare studuit, & in illorum corruptela etiam ipse disperiit: & Græcorum schisma Imperatorum, eos extinxit. Alii sectam nouam penitus, & in cunctis contrariã fabricati sunt, gustui Populorum conuenientem, vti Mahomettus: & hi Imperium Romanum afflixerunt, seque à Pontificis, suarumq; legum obedientia subtraxerunt. Huius tamen secta plurimos patitur defectus: quoniam & armis deficientibus deficit. Nec plures capit Principes, nisi cum sectis pluribus: Deoque repugnat in multis, estque carnificina inimicorum eius. Moscouiæ Dux Religionis & Politiæ, à nullo appetitus se tuetur, in schismate stat; vt & Turcarum Rex ex parte.

Non nisi vt Papæ defensores potuere Monarchiam super Christianos omnes arripere Christiani Reges: & alia remedia quævis euanuere.

21. Postquam sectæ omnes immutatæ fuerint Religionesque, & formæ omnes Principatuum, & Rerumpub. in omnes, oportet ad primum statum naturalem tandem omnes conuerti: vbi regnet Rex vnus, idcòque sacerdos, cum Senatu optimatum, ab optimatibus electus ex eorundem numero, sicut Deus constituit: Cum vnum solum Hominem Patrem, Regem, & sacerdotem vniuersalem creauit; & in Sacra Scriptura futurum docuit. ***Nam propter peccata terræ nunc multi Principes eius***, sicuti ego disputaui in libris de Monarchia Christianorum ex prophetia & rerum circulo cum conuertemur ad statum Innocentiæ aureum, ex quò ad Cælum Iudex vltimæ appellationis nos transfert. Quòd Christiani cæteris Nationibus rectius prædicant; tametsi omnes aliquo pacto huic sententiæ ratione & voluntate consentiant. vnde videtur Hispanorum Monarchia ad hunc finem congregare Mundum nutu Dei.

22. Totum Mundum ab vno regi posse Augusti Imperium ex parte probat. Qui si Papa fuisset, & Religionem puram tenuisset, omnibus Populis communem, & Naturæ consonantem, qualis est Christiana, Imperium vniuersale continuare potuisset per Archiepiscopos, & Duces Prouinciarum, cuncta moderando, & per Classes, & Exercitus tuendo, sicut duo Hispanus Hemispheria continet per Religionem, Animam Imperii, totam in toto, & in qualibet parte totam. Quod Arist. ignorauit, dum Regem facit Animam, vbique esse haud potentem, & negat ab vno propterea posse regi omnia: cum non bene nisi ab vno.

Posse Mundum regi ab vno Princ. per totum contra Arist.

23. Bellum, pestis, fames, inundationes, & incendia vniuersalia, & noxiæ bestiæ, Respublicas diruunt. Si autem ab vno totus regeretur Orbis, vt Alexander dicebat ab vno sole, cessarent bella. Pestes quoque per communicationem scientiarum, & medicaminum: & per transmigrationem ab aere pestifero in alterum. Inundationes, & Incendia Principis cura per transmigrationem effugit, vbi imminent. Fames quoque ea mittendo ex Regnis abundantibus ad Regna carentia, quæ ad victum pertinent, & permutando. Malis bestiis, igne, armis, & arcanis remediis scientiarum occurritur. Communicatio autem omnium bonorum, omnium Prouinciarum in omnes Prouincias, & tuta itinera Mundum fælicitate & scientia replerent. Ideò arma Romanorum alterum solem Mundi, prius in Regulos, & Barbaros diuisi, hac ratione fuisse, non ineptè Plinius prædicat. Ergò rectè Salomon ait, ***propter peccata terræ multi Principes eius***. Hæreses quoque nullæ fierent, quoniam summus sacerdos Rex veneratione & armis omnes occasiones restingueret. Cultui telluris & scientiarum inuentionibus ingenia magna occuparentur, &c.

DE SECVNDA CAVSA ACQVIRENDI, GVBERNANDIQVE IMPERIA, SIVE,

De Prudentia, & Virtutis vsu.

CAPVT XI.

1. INterim Monarchia ad acquirendum, Respub ad conseruandum, aptior existit. Facilius Monarchia deprauatur, quam multi Regnatores, &c. & hi, quam omnes.

Distinctio Regnantium, & omnis ordinis.

2. Alii Reges sunt secundum naturam rationalem, vt Socrates, & Cato. Alii secundum fortunam, vt Vitellius, & Domitianus. Alii vtroque iure, vt Alexander & Augustus, & Dauid. Alii magis natura, quàm fortuna vt Scipio, & Annibal. Alii magis fortuna, quam natura vt Tiberius, & Galba. Eadem partitio fit de Rectoribus, Artificibus, & sacerdotibus.

3. Prudentia secunda Regnorum Causa, Regibus veris propriè conuenit, eique Regnum primum post Deum debetur. Contraria est Astutiæ, quæ tyranno est propria Macchiauellistico. Prudentia consentit Deo idest sapientiæ æternæ: Astutia verò non nisi proprio arbitrio. Prudentia est magnanima, Astutia est vilis, superbaque. Prudentia sublimat sapientiores & fortiores quosque, vtiturque illis ad regendum: Astutia deprimit, extinguitque, vt ipsa regat spuria, legitimis sublatis. Prudentia thesaurizat super Animis Hominum, & super magnum eorum numerum: Astutia super pecuniis, fortibus mæniis, & diminutione subditorum, nè præualeant. Prudentia etiam amittendo vincit: Astutia vincendo amittit. Prudentia clemens est: Astutia crudelis. Prudentia bona est: Astutia bona videtur. Prudentia studet in Religione naturæ: Astutia in Religione Artis & superstitione, vt Animi subditorum sub se vilescant, dum adorant Deos falsos deteriores se ipsis. Populus verum Deum adorans, tyrannidem pati nequit. Prudentia considerat mores Populorum, & climata, & variationes, quæ sunt, ac fuerunt in toto orbe, & ipsarum Elementa & Causas vsque ad Primalitates; & quem locum ipsa tenet in Entium vniuersitate, & varietate: Astutia solum considerat: quæ res sunt in suo Viridario, & Oppido, & Domo, & quandò & ipsa regnat modò. Prudentia est principalis & Cæsaris: Astutia est seruilis, & Daui. Prudentia Clauum considerat: Astutia Remum. Prudentia oriri occasionem facit eaque rectè vtitur: Astutia viles ob respectus ipsam amittit. Prudentia imponit legem omnibus commodas: Astutia, sibi soli. Prudentia aliquam puniendo culpam, amorem suorum erga se auget, redditque Populos meliores: Astutia puniendo, remanet odiosa, eiusque punitio Populum facit deteriorem. Prudentia decipit Plebem deceptione vtili, proficuaque deceptis; ac detecta magis amatur: Astutia verò deceptione sibi tantum vtili; ac si detegitur, fit odiosa magis, inuisaque cunctis.

4. Omnium Imprudentiarum culmen est opinari, quòd Prudentia humana gubernat Principatum sola, vel potissima: Cum palam sit Deum vna pluuia dissipare consilia Principum. Propterea dictum est. *Cogitationes mortalium timidæ & incertæ prouidentiæ nostræ*. Itemque *cum defecerit prophetia, dissipabitur Populus*. Ergò lege, & Religione opus est. Et qui aliter sua disponit, Tyrannus fit, putans se, non Deum esse finem Reipublicæ, & semper amittit vitam & Regnum, in se, aut mox in Filiis, sicut Valentinus Dux, & Liuerottus, & Castruccius, & alii à Macchiauello de prudentia laudati; & Absalon, & Ludouicus Sfortia, &c. Religionem politiæ posthabentes. E contra Principes Deo subditi, vixere fæliciores, & Principatum posteris fideliorem fecere, vt Dauid, Vespasianus, Theodosius, &c.

Quæ magis acquisitioni, & quæ conseruationi virtus prodest magis.

5. Proprium Magnanimitatis, ac fortitudinis est acquirere, vt Cæsaris, & Caroli V. Iustitiæ, & temperantiæ est conseruare, vt Venetorum; & qui virtutibus cunctis ornatus est, bonus est in vtroque munere, vt Augustus.

6. Qui acquirit Dominia, debet Prudentiam habere magnanimam, fortem, liberalem, iustam, &c. sed quæ vergat in superbiam, audaciam, prodigalitatem, & seueritatem, &c. Qui conseruat, eandem debet habere Prudentiam: sed quæ inclinet ad pusillanimitatem, ad timorem, & tenacitatem, ad licentiositatem. ad &c. quia, &c.

7. Qui Prouinciam occupat, discordem sibi in Religione, debet ipse Princeps in eam sedem Imperii transferre: sicut Princeps Turcarum in Constantinopolim: aut Incolas transferre in aliam Regionem; sicut Nabuchodonosor Iudęos in Babylonem: nouasque Colonias in Metropolitanis Prouinciæ occupatæ propria Religione legibusque constituere: Prædicatores ponere: leges mutare: & Capita Populorum humiliare, sicut Cyrus fecit in Lydia, & Hispani in America. Si autem tuæ religioni mancipari voluerint Incolæ, potes eos Artifices facere, & Mechanicos, & tuæ Coloniæ seruientes. Si noluerint, seruituti eos addicare debes: & transmigrare præsertim ab Imperii sede si distantes Terrarum intercapedine multa sint. At si eiusdem tecum Religionis fuerint, vt Neapolitani cum Hispanis, debes eos sub Religione communi & amicitia cum benedictione summi Pontificis retinere, tuisque propriis Militibus præsidiare: nec subitò eorum instituta, concilia, & politiam, euertere: sed pedetentim, præficiendo supremos Iudices ex tuis: Inferiores verò ex ipsorum Prouincia: & Potentissimos æquare Plebeis. si tibi iniustè in bello, & introitu aduersati sunt. Si autem Amici, transferendi sunt extra Regionem suam, honoribus, & præmiis, feudis, & gubernationibus allecti. nunquam tamen Capita relinquenda sunt, quoniam insolescunt magis ex amicitia: & Populis te odiosiorem reddunt, vel rebellant. His de Causis patias Prouincias Pyrrhus, & Carolus V. subitò amittebant. Neminem tamen per calumnias, & fraudes deprimito: sic enim tibi ruinam, & conspirationem paras; & Animos alienas, vt quauis occasione rebellent. Nouum remedium Hispanorum est vel delere populos, vt in America, vel minuere, vt in regno Neapolitano ne rebellent, non tamen proficuum: quoniam non est Dominus, cui pereunt vassalli: nec possidet Terram, qui non habet colonos.

Occupantibus Regnum quæ agẽda.

8. Qui alienum regnum inuadit, debet memorata mala (idest Capita deprimere, leges mutare, arces diruere, stirpem regiam extinguere, vel alio transferre) debet. Incolis facere subitò, ac simul in eodem die Victoriæ, manibus & nomine Militum, & Ducum. Beneficia verò passim, cum tempore, post victoriam, proprio nomine, ac manibus propriis.

9. Nunquam Princeps malum Culpæ proprio nomine, manuque faciat in quenquam: faciat tamen malum pœnæ, sed illius tantum, quam optant Populi, vt vsurarios expoliare, & rapaces Magistratus: superfluas Artes, & mollities extinguere: inertes Triremibus addicare: Adulteros, superbosque, & peccatores enormes affligere.

Quid per se, & quid per alios.

10. Populus Annona, Milites stipendiis, Nobiles honoribus, continentur. Humilianttur verò communis vtilitatis prętextu. Maximè autem si eos separaueris, ac in gloriosis negotiis pecuniam vt dilapident satagens. nec exindè vt rapaces fiant permiseris.

De conseruandis acquisitis.

11. Ad augendas Respublicas & Monarchias obseruandæ sunt Regulæ assignatæ, videlicet, singuli functiones, ad quas Natura apti sunt, capessant; Rectores secundum naturam, non secundum fortunam fiant. Maius bonum minori anteponatur, communeque priuatis. Retineatur Communitas bonorum, & scientiæ, & religionis consors. fomentetur contentio ascendendi ad honores per virtutem, Diuina humanis præferantur.

De Augendis.

12. Hæc consequentia fit omnibus trita. Deus est; ergò sapiens; ergo bonus; ergo nostri curam gerit; ergo & iustus; & nos arbitrio liberi: ergo & post mortem præmiabit, & puniet, quæ apud nos hic non iustificantur. Quod si hoc non est: ergo neque iustus, neque bonus: Ergo neque Deus est. Cuius contrarium tota Natura, Mundi & partium constructio, & particularum vsus, ordo, & functiones, mirificè probant: & reuelationes sanctorum, & Angeli, & Dæmones, & Politica, & scientiæ omnes. Ergo & se nobis manifestauit modo nostro. Ergo, &c.

Quòd fundamentum politiæ in Religione.

De tertia Causa acquirendi, & gubernandi Dominia; siue de occasione.

CAPVT XII.

1. Ocasiones dominia acquirendi, sunt innumerabiles: sed præcipuè sunt virtutes, & fortitudo, & multitudo tua: & imbecillitas inimicorum, & extraneorum, & vitia, & paucitas.

2. Item diuisio Prouinciæ occupandæ in Regulos plures, ac Respublicas discordes. Nam discordia Gallorum & Hispanorum pro Regno Neapolitano dedit Mahometto 200. Prouincias, & Luthero 40. & Italia perditum ibit, nisi pomum discordiæ summus Pontifex ab vtrisque auferat: vel ipsi in manu eius sponte cedant: Post hæc enim Pannoniam, & Bossinam, & Græciam Turcis concessere discordiæ nostrorum principum.

3. Magis autem in sectas varias.

4. Magis autem si quis ex eis te ad sui defensionem introducat, sicut Etholi Romanos contra Achæos.

5. Item si paruulus est Regis defuncti filius.

6. Item si exosus Rex suis. Si Tyrannus: si hereticus in sua lege: si conteptibilis, &c.

7. Item si discordia in regio sanguine.

8. Item si Populi sint mutationis auidi.

9. Si potentiores venales.

10. Item si interregnum.

11. Omnia tandem externorum mala, & vitia, sunt occasiones, vndè tibi subdantur.

12. Præsertim vero Idolatria, & Antropophagia.

De casu, morte, & mutatione Monarchiarum, earumque Causis, & remediis.

CAPVT XIII.

1. Moritur, aut labascit Monarchia omnis. Primo aut defectu virtutis in successione; vti Assyria in Sardanapalo: Remedium vt sit hæres optimus.

2. Secundo aut successoris defectu; cui malo occurrit Augustus adoptando sibi successores filios.

3. Aut 3. diuisione, discordiaque successorum multorum, vt Romana in Constantio, Constantino, & Constante: ac denique in Arcadio & Honorio, & Hispana in Alfonso, Ferdinando, & Sancio. Huic male occurritur per ius gentium, vt prior tempore potior sit in iure. Propterea que regnum soli primogenito datur. Sed si primogenitus ineptus aut criminosus, corruet regnum: Tunc qui erat potior, fit minor, & minor fit maior, vt Iudas Rubeno. At si lis, quis melior ex aliis, præferendus est, quem pater eligit, aut Senatus. At si lites & bella timentur: prouidit Remedium truculentum Rex Turcarum fratres occidendo: Chinarum vero, relegando super montem: vt & Rex Abassynorum.

4. Aut 4. quia filius Regis paruulus est contemptibilisque sicut filius Scanderbeghi, Antiochi, & Alexandri Magni: & penultimi Ducis Sfortiadum Mediolani: qui Puelli omnes patruelibus, aut tutoribus, aut extraneis subiacentes, extincti sunt: aut Regno priuati. Vt autem his malis iam memoratis medeantur Populi per electionem, Reges sacerdotesque creare satagerunt: licet ibi parum augmentum Imperii procurent, nisi optimi sint, cum sciant proprios filios nequaquam regnaturos: sed ad hoc erit medela.

5. Electio

5. Electio Monarchæ si fiat à Militibus periculosa est & schismatica: quoniam ab aliis ad alios trahitur. sunt enim Gens ingenio crassa, & eorũ, qui eis stipẽdia multa nũc largiuntur, rationem habent, non autẽ publici boni; sicut accidit tẽporibus Galbæ, Vitellii, Vespasiani, Othonis, in Romano: & sub Amri in Isral, magno cum detrimento.

6. Electio ab vniuerso populo si fiat, etiam periculosa est: quippè quia occultorum tyrannorum dolos non intelligit; sed decipitur. Item ab Oratoribus separatur, trahiturque quorsumlibet: securo semper diffidet: continuò sententiam mutat. Vndè Florentia innumeris ex huiusmodi populari electione afflicta est damnis. Nec nobilibus confidunt; aduocant exteros, cuius autoritate sedentur, sicut Florentini Ducem Athenarum: à quo etiam deuorati sunt magis. Remedium est si Capita familiarium solummodò conueniant ad electionem: sed inualidum.

7. Melius quidem Senatui electio committitur prudenti: qui non eligat, nisi ex senatoribus, ne forte ignorantem, & inexpertum possint eligere, sicuti Cardinales Celestinum v. dum singuli imperare cupiunt, &c. Eligendus est ergò à senatu de Senatorum numero expertus in minoribus gubernationibus, sicut Papa eligitur à Cardinalibus ex Cardinalibus optimo ritu, nisi aliundè diuiniorem, & probatissimum habeant, vt Romani olim Numam Pompilium. Vide in fine huius libelli Animaduersionem pro electione S. Pontificis.

8. Si electio patitur schisma & intertegnum, vel sedem (vt aiunt) vacantem, ruere Imperium potest. Idcircò Imperator Germanus ante obitum successorem eligi curat: sicut & Rex Fezæ vnum ex propriis liberis antè sui obitum exaltat.

9. Quoniam verò optimus haud semper eligitur: sed quem viuens Rex plus diligit, vt Salomon Roboamum: electio post mortem Monarchæ celebranda est: hoc tamen cum moderamine, contra sedem vacantem inuento à quodam Papa. Quòd si intrà triduum successorem Senatores ob discordiam non eligunt; electio quatuor Magistratibus sorte eductis, committatur. Qui & ipsi intra triduum, &c. De quo in libro de Regimine Ecclesiastico, scripsimus.

10. Aut ruere Monarchia potest ob Natorum & Vxoris insolentiã, & prauitatem: quæ sæpè virtuosos odit, sicut Sophia vxor Iustiniani Narsetem. Qui propterea Longobardos in Italiã accersiuit ad Imperii perniciem. Et Cosdroe Regis Persarũ filii in Patrem surrexerunt. Remediũ est, vt Regnatores sint Cælibes, vt Papa Romanus, nisi & hic à Nepotibus sollicitaretur. Idcircò melius foret si propriam geneologiam ignoret, vt Monacus ab incunabulis, quod figuratũ est in Melchisedech, teste S. Paulo. Vel, vt mulieres principũ vxores humiliter tractẽtur & filii apud summũ Põtificẽ educẽtur.

11. Aut periclitatur, & ruit, propter autoritatem alicuius Prophetæ contra Imperiũ prædicantis. Prophetia enim quorsũ inclinat, Imperiũ trahit. Pro remedio, distinguẽdum est. Nam si Propheta inferiori dignitate autorizatus inuenitur, vt si sit Episcopus, potest superioris autoritate, vt Papæ, vitari. At si suprema pollet dignitate, vt summus sacerdos, si vera prędicat cõtra te, non potes illũ vllo pacto effugere, quin te exitio det: pręsertim verò cũ etiã miracula ad probationẽ habet. vndè Samuel posuit deposuitq; Reges. Papæ verò diuiserunt Imperium: deposuerunt Imperatores Henricos, Reges Neapolitanos, sępè & Gallum, & Vngarum: aliosq; substituerunt; Venerosque ditione priuauit Iulius secundus. Remedium vnicum est, illis cedere, auxiliari, & fauere.

Remedium tamen Hostes Pontificũ inuenere: Alij nouam Hæresim, sectamq; facientes, vt Ieroboam, & Henricus Octauus Rex Anglorum: quo dominatũ sibi ruerentur, sed plenũ periculis & execrationibus corã Deo, & Hominibus hoc remedium semper fuit: & perniciẽ inuectoribus aut successoribus statim attulit. Stant autẽ Angli donec Catholicorum discordia regũ vult. vel Caluinistis Monarchiã execrantibus, non datur occasio, & potestas. Alii verò penitus apostatarunt, vt Mahomettus, quod Animæ corporique damnũ extremũ est; nec nisi vt baculus iræ Dei, & Carnifex hi esse probantur. Nec remediũ prodest Principibus sub auspiciis religionis Prophetæ eiusdem, sed solũ vilioribus per pericula fortunam aucupantibus. Vide hic Dialogum contra Lutherũ. Alij pro remedio bellũ intulere Pontificibus: & hi siuè vincant, siuè perdant, semper perdunt. Quoniã cæteri Principes, religione conciti, aut zelo potẽ-

tiæ victorum, contra victores conspirant semper. Sic Federicus Sueuus, & Rogerius Guiscardus, & Manfredus, aliiq; Reges facientes, tandē corruerunt. Alii verò pro remedio concilium contra Papam conuocauerunt, vt olim contra Iulium secundum, & Eugenium 4. qui nouo altero Concilio facto, eorum conatus irritos fecerunt. Palam enim est Clericos Papæ ui ex corde fauere: Principibus verò ex fortunis: & vnumquemque in ludo & arte sua præualere, cum præsertim Papam esse super Concilium peritiores autument multi cum D. Thoma & Caiet. Non enim Petrum Ecclesiæ, sed Ecclesiā Petro regendam cōmendasse Christum legimus. Alii è contra vt Sorbonici, si Papa peccans non debet carere iudice & donec ista disputātur, volat occasio. Si verò summus sacerdos contra te dolosè etiā calumnias prædicat, hoc remedium aliquid valet. At cum non possit deponi, nisi per schisma & hæresim, melius illi quibuscunque potes modis recōciliari. Religio enim præsertim armata, semper inuicta fuit. At verò si suprema dignitate non pollet, sed te iustè vexat, melius est quoq; cedere, sicut Theodosius S. Ambrosio, quam malum retribuere, sicut Eudoxa Chrysostomo. Ille enim Imperio & pietate solidatus est: ista infamis periit. Et Elias & Eliseus posuerunt & deposuerunt Reges Damasci, & Israel. Cùm verò Prædicator dignitatis inferioris te iniustè vexat, populosque omnes post se trahit, melius est dissimulare, & per alios bonos eius malignitatem detegere, sicuti Constantinus Concilium contra Arriū cogendo. Si enim verè Hæretici fuerint, vti Lutherus & Donatus contra te: publica autoritate Principum, & Papæ & Episcoporū extinguendi sunt, eorumque fautores deponendi. Hi enim absque armorum auxilio stabiliri non possunt, sicut Dulcinus, & Iohannes Leidensis, & Fraticelli, exemplum præbent. Lutherus autem perdurauit viribus Principum Protestantium attractorum cupiditate bonorum Ecclesiasticorum: quorum exemplo stimulabatur Carolus quintus tenere Romam. Quod etiam Politicè fecissent, nisi pietas Caroli renuisset, &c. Semper à Religiosis magis, quam à laicis hoc in negotio timendum est. Nec sinè illis Mahomettus laicus quicquam fecisset. Remedium est vnicum Pontificis Maximi, videlicet, Regno sacerdotiū copulare, vt Melchisedech Solymita, & Dair Iaponensium: & Reges Romani, cæterique Antiquiores omnes; vt in Monarchia Messiæ dictum est. Contra hos enim non potest Propheta insurgere intra limites eiusdem religionis, nisi à Deo missus sit miraculis armatus, &c.

12. Præterea Religionis diuisio, quamuis nec contra Imperium prædicetur, prosternit Imperium, vt patet in Gallia, Polonia, & Germania. Diuidit enim Animos, ergò & corpora, & fortunas, & arma: & inimicos habet semper vtrasque partes: malas, quia fauet bonis; bonos, quia malos non extinguit. Remedium est vnam modò Religionem retinere, sique alios cohabitasse contingit, deprimere, & abiectos reddere, & inermes, qui tuæ contradicunt, sicut Rex Turcarum Christianos & Iudeos sub Turcis degere permittit inermes abiectosque. Veruntamen omnis diuisio semper mala, præsertim Religionis, ob dictas causas: & quia aliquando necessario consurgit aliquis Moyses aut Scanderbecus.

13. Deficit Monarchia etiam ob sui vastitatem & magnitudinem, cuius causa ab vno regi nequit: Ideoque Imperii sibi Comites adsciscit; qui postmodum per se, absque superiore viuere volunt: diuiduntque Imperium, vt sæpissimè in Romano vidimus. Remedium est Imperium intra suos limites continere, nè Duces, & Rectores distantes Dominatum vsurpent, sicuti Monarchia Iaponensium extra sua 66. Regna non egreditur, & Rex Chinarum occupare nil potest vltra limites, quos sibi parietibus, & rupibus, & syluis, & mari constituit. Vel filios, vxoresque Baronum gubernantium Prouincias Ducumque Militum, apud se retinere, eosque iuramentis astringere, & per Religiosos visitare: & Præsidiorum Duces alios, alios vero in Ciuitatibus Proreges facere: quod ex parte Rex Hispanorum obseruat. Papatus autem in toto orbe per Episcopos, & Religiosos seruatur vbique dispersos, præfectosque.

14. Aut alimentorum defectu perditur, quia solum fructiferum non habet, vt Genua, atque Venetiæ. Ideoque prouisum est per mercatores, negotiatores, & Rerum permutatores, & horrea, & munitiones.

15. Aut propter Pestilentiam, contra quam Abassynorum Monarchia Ciuitatem portatilem habet, mutatque situm pro tempore salubriorem, quod Tartari, & olim Veientes, & Arabes quoque obseruant: nobis autem Magistratus sanitatis instrui solent, & Medici præseruatores.

16. Aut quia inuaditur à Regibus externis præpotentioribus, sicut Regnum Persarum ab Alexandro Macedonę, & Sultania Ægypti à Selim Turcarum Rege. Remedium est, amorem subditorum valoremque procurare: militiā optimam paratam habere: fœdera cum multis Principibus Emulo tuo potentioribus coniungere: sicuti Machabei cum Romanis ab Antiocho timentes, & Veneti cum Gallis, timentes ab Hispanis. Præterea schismata & odia inter Potentatus, à quibus times, tenere prodest: sicuti Hispani inter Turcas, & Persas, & Abassynos, & Moscouitas, & Polonos, & Transyluanos in circuitu, &c. At inter Barones Gallorum sui æmulatores hoc non liceret.

17. Aut quoniam Barones, potentia, & diuitiis crescentes, rebellare audent, sicuti Barones Iaponenses: sæpè etiam Neapolitani, & Galli, & Germani propriam Monarchiam prostrauerunt, cupientes quisque per se viuere. Remedium est nè feuda transeant ad Hæredes, nè stabiliantur, sicuti Turca facit: propugnacula solo æquare: vel tuis Militibus committere, illosque sub honoris specie humiliare. .

18. Aut quia princeps vni se totum potestatemque dat, cuius consiliis suorumque omnia tractat: ideóque Senatores Barones, & sapientes consiliorum ac Regiminis exortes facti, reputant se se pro mancipiis & bestiis haberi: ideoque in amicos Regis & aliquando in ipsum quoque regem armantur, populosque concitant. Remedium est non exaltare quempiam ad Tui gradum nisi sit alter Ioseph. Aut exaltatum, si malus est, ablegare; si times ab eo; iræ populorum tradere, vt Assuerus Amanem: vel, si verè bonus, inuidia eximere. Promulgabis ergo, Te non obligare proceres illius causa: sed vbi tractantur Arcana, non pandenda, oportere cum paucis conferre. Et ne videaris alios excludere, ordinabis, vt bis in anno in singulis ciuitatibus quicunque aliquid pro salute regni meditati fuerint, coram Episcopo & proceribus reuelent, scriptoque dent. Omnia autem scripta, si Autores nolint accedere, Regiæ Ciuitatis Senatoribus exhibeantur. Senator seu Parlamentum Regi per Cancellarium abbreuiata, & Consilio secreto dabit. Tunc Rex abundabit consiliis: ad se totam trahet prudentiam & amorem Vassallorum: & secreta animorum per hoc penetrabit: & delicta & necessitates regni, & suorum intelliget: & simul à meditandis conspirationibus contra Remp. ad cogitandum pro Rep. inuitabit, & à communicatione arcanorum cum aliis periculosa ad communicandum secum honorificè reuocabit: nec potentia minuetur, sed augebitur prudētia & vires & Amor: Cui nullus thesaurus ęquari potest.

19. Aut perditur ob propriorum Militum proditionem, sicuti Antiochus. Remedium est, Artibus eos in officio retinere: & corpore diuisos: teque ipsum præsidio amicissimorum, beneficiis continuis obligatorum, munire: vt Turca Ianniſſerorum.

20. Aut propter repentinas Barbarorum incursiones, vt Vltramontanorum, tuis ferociorum. Remedium est opponere sapientem, & Religionem Barbaris fatuis, vt Leo Papa contra Attilam, & Iaddus Pontifex Ierusalem Alexandro magno venerandus sacerdotalibus vestibus occurrit, leniuitque. Hodierno tempore propugnacula, fossas, & arces cum bombardis contrà huiusmodi incursiones in Confinibus.

21. Aut defectu propriorum Militum, & abundantia auxiliariorum, & mercennariorum, vt accidit Ludouico Sfortiæ Mediolan. Duci, &c. Remedium est, delectus militum ex tuis semper paratos habere: tuos armare & vnire: & extraneos armis spoliare, & diuidere. Itē ob hoc Primogeniti soli sint heredes: cæteri verò milites, aut sicut Turca, scholas claustratas puerorum, militiam addiscentium, facere, qui patrem alium non agnoscunt, quàm ipsum Monarcham.

22. Aut propter insolentiam Victoris exercitus post victoriam, aut post fœdera, sicut accidit Carthagini post primum punicum bellum sub Amilcare. Remedium est subitò partiri exercitum in distantes sedes: nec colligere, nisi vna cum Duce, quando iam instat prælium.

22. Aut pecuniarum defectu militibus distribuendārum, dum belligeratur, vti ac-

cidit Maximiliano Augusto sub Patauio. in remedium facta sunt publica æraria. Insuper Religione, ac pœnis in eiusmodi necessitatibus diuites adigendi ad ponendum in communi ærario omnes pecunias, & vasa aurea, & argentea: sic enim rebellare non poterunt: principatumque tibi confirmant, quod Romanis, & Venetis vsitatum est. Insuper Ecclesiarum vasa conflare tandem, si opus fuerit: Insuper virtute, & spebus bonis auro expoliatos, ipsosque milites retinere: sicut Cesar olim in principio ciuilis belli & hodie Henricus 4. Rex Gallorum. Item inimicorum fortunas diripiendas dare. Item monetam cudere plumbeam, & autorizare, donec bellum perdurat, vt Veneti fecerunt aliquando. Instat ex hoc malum Hispanis, vt dixi in ipsorum Monarchia, quod nesciunt thesaurisare. Debent 84. milliones aureorum Genuensibus; & quotidie augentur; donec inuadendi Hispanorum statum non inuenerint viam sociosque certos armorum, cum præsertim plurima oppida nomine feudi iam habeant: aut Hispani illos semiuoratos prorsus deuorent: vt accidere solet. Remedium posui in lib. de Monarch Hispan.

24. Aut luxuria victoris exercitus præda se & delitiis occupatorum Regnorum eneruantis, sicut contigit Longobardis, Gothis, Hunnis, Gallis, qui Meridianas regiones deliciosas occupantes, ferociam amiserunt, & imperium; quod etiam cunctis Regibus Neapolitanis euenit ob cœli, solique mollitiem. Remedium Iosue dedit, non extinguere penitus inimicos, vt habeas in quibus tuorum exerceas virtutem, sicut Nasica consuluit, ne Carthago euerteretur, quò Roma mollis non euaderet. Rex Turcarum solus ex Septentrionalibus occupantibus Australis plagæ Imperium, validè conseruauit, quoniam seminaria meliorum Iannisserorum sibi constituit ex omni natione captiua, liberaque.

25. Aut conglutinatione commerciorum, negotiationum, & feudorum cum principibus præpotentiotibus, quorum gratia Ragusæi Turcis seruiunt, & Genuenses Hispanis. Remedium inuenere Veneti.s.ne nauigarent sui cum Hispanis: neque mercimonia, & feuda in ditione Hispanorum haberent.

26. Aut tributorum grauitate, & vectigalium, ex qua populus seditionem, & rebellationem facit, sicuti sub Roboam Regnum Hebraicum afflictum est, diuisumque vt etiam Flandria contra Ducem Albanum insurrexit, &c. Remedium est minuere tributa, & in populi vociferatione tollere. Deinde paulatim augere sic, vt populus vix aduertat, & nomina tributorũ mutare, &c. Item exigere ex omni regione bona, quibus abundat, ex Calabria sericum, ex Apulia frumentum, ex Flandria milites, &c.

27. Aut quia crudeliter à Rectoribus Prouinciarum per insolentiam, & auaritiam populi tractantur. Remedium est, solemniter crudelissimum quemque interficere ad populi satisfactionem, sicut Cæsar Borgia Orcum Cæsenæ. Porrò pœnæ gladio, tributa linguis, Militia ambobus instrumentis exigenda sunt.

28. Aut perditur quoniam proles Regis, cuius Imperium occupasti, amicitia aliquorum subleuatur, sicut Ioas contra Ataliam à Sacerdotibus adiutus. Remedium est stirpem Regiam penitus extinguere, si impietatis scelere execrabilis est, sicut Iehu stirpem Acab, quod etiam Turca facit. Aut alio transferre, sicut Cyrus Cresum, & filios, & Ferdinandus Rex Aragonorum filium Federici Regis Neapolitani, cui Regnum subripuit. Aut procura, vt humilietur mutato familiæ nomine, sicut Veneti erepto Patauio Ducibus Carrariensibus, cognomen eis Pappafaba imposuerunt.

De Coniurationibus.

29. Aut perditur propter coniurationem Virorum fortium, vt Tarquinij Reges à Bruto, Lucretioque eiecti; & Magi Persarum à Dario; & complicibus expulsi. Remedium homines prudentes, fortesque separare in diuersas regiones sub specie honoris, & dignitatis: Beneficiisque adstringi debent, non extingui, sed in partem Dominij assumi, sicut Ioseph à Pharaone, & Gratianus à Tiberio. Nam certior pernicies imminet vbi ignaui, indoctique ad regimina subleuantur. Item periculosius est vbi virtus à Tyranno metuens occultatur. Nam occasionem quamque nacta, contra ipsum armatur sicut Brutus & socij. Semper valor, & lux super candelabrum est erigendus. Ignis absconditus nocere plus potest: & re vera nocet magis: At si coniurati sunt nequiores ipso Principe, timere nequaquam debet. Si Princeps deterior, non effugiet. oportet exploratores stipendiatos in foro, in templo, in portis, & in poten-

tum domibus habere, nedum in principum conuicinorum aulis.

Præmia & pœnas, & indulgentiam reuelantibus polliceri bonum, si tu bonus, potest quoque quisque sceleftus bonos sic accusare, & contra falsam conspirationē aliorum, veram cum suis similibus facere, vt sæpe Cornelius Tacitus testatur.

Coniuratio vnius cum se solo est ineuitabilis, vt Aod contra Regem Edom, & Pausaniæ contra Philippum Maced. & Clementis contra Henricum III. Gallorum Regem. Multorum autem vix euitantur, nisi vt dictum est: sola ergo probitas, & populi amor benè tuetur Principem.

29. Aut quia ciues etiam victores bellis minuuntur, deficientibusque defensoribus periculo principatus patet, vti nunc Hispania. Remedium est exteros etiam Ciuitatis participes facere, vt Romani Latinos; & tuorum numerum sic reficere: & connubia gratiis fouere. Dixi in Monarch. Hispanorum, hunc defectum esse quia nesciunt Hispanizare, vt Romani romanizabant.

De Morte, casu, Mutatione Rerump. in quibus plures gubernant, deque ipsarum causis, & remedijs. Caput XIII.

1. Respub. multorum periclitatur eisdem modis & causis communiter: Insuper propter contentiones inter nobiles, & plebeos. Remedium est vt omnes pro nobilibus habeantur, sicut Cantabri hoc tempore. aut vt fundentur Respub. in gente eiusdem consanguinitatis, sicut Hebraica super duodecim filiis Israel, & ad gradus regimines Cōmunitatis optimos assumere. puto idem fieri in Ordeis Tartarorū. Plures ergo causæ corrumpūt Remp. multorum, quàm Monarchiam.

2. Aut quia contendit cum plebe Nobilitas de honoribus, & Magistratibus, & tributis, & de lege Agraria, & de Matrimoniorum in inuicem copula, & de cæteris huiusmodi, &c. Sique Nobiles vicerint, Resp. perditur. Nam Tyrannide premere populum suspiciosum necesse habent, ac proinde corruunt. Si verò plebs vicerit, deteriora sequentur: Nobiles enim aut exulant, aut exteros aduocant, populusque remanet præda cuiuscunque ciuis astuti, aut Potentatus externi, fortisque Ducis. Si nobilitas plebibus se aggregat, quò possit gubernationis esse particeps, vilescit enim illa, ac Resp. proinde labescit, vti semper Florentinæ accidit reip. nec raro Genuensi. Remedium est, si vincat populus medius inter nobilitatem, & minutam plebē victoriaque populi adhue ita fit, quod populus particeps honorum, & Magistratuum, qui nobilibus conferebantur, esse quæat. Aut quod inter vtrosque diuidantur, vel alternentur honores, & similiter campi, & regiones, & prouinciæ, creentur Tribuni, & præcipuè Ædiles, annonæ curatores, ad quam populus plus respicit. Hi sanè modi populum nobilitant ipsamque Remp. nec nobilitate vilificant, sed augebunt. Ideoque Romana Resp. ex talibus contentionibus aucta, magnificataque est, victoria plebibus concessa: Florentina è contra ex eisdem contentionibus imminuta deiectaque est, etiam plebibus victoriam obtinentibus: quia, &c.

3. Perditur sæpè Resp. dum leges feruntur quidem nobilibus proficuæ, populo graues. Remedium est Tribunos plebis creare, qui curent, ne quid contra ipsorum iura, & libertatem decernatur.

4. Aut quia rectores supremi dominationem vsurpant lictoribus sese armantes, vti Romæ decemviri, & Athenis triginta Tyranni. Remedia sunt Magistratus perpetuos non fieri, aut contra eos populum armare; Duces Tribunosque pro necessitatibus paratos habere. Item ne Rectores possint lictores, & custodes, qui de populo proprio non sint, habere: Nec extraneos conducere. Item potestatem ferendi leges absque omnium consensu illis adimere, vtque vltima appellatio in causis grauioribus ad consilium magnum totius vniuersitatis feratur.

5. Aut quoniam nobiles luxu mollescunt, armaque negligunt, deliciisque occupantur, fiuntque populo contemptibiles; qui nactus occasionem quamcunque ex insolentia, vel iniustitia eorum se se armat, atque in statum popularem Remp. mutat. Remedium est, ne nobiles seorsum habeantur, sed possit nobilium numero quicunque fortis, sapiensque aggregari, & per matrimonia plebem meliorem nobilitati miscere:

ficut C. Canuleius Romæ consuluit.

6. Aut quia potentiores, fagacioresque patritii valde diuitiis, & auctoritate augentur, ac fubinde de primatu contentiones emergunt: & quicuuque ex eis victor erit, patriæ quoque Tyrannus erit, ficuti Sylla deuicto Mario, & Cæfar perempto Craffo victoque Pompeio, quibufcum æmularionem pro Imperio exercebat. Remediū eft, vt nemo poffit vltra certos limites diuitias parare, & ad hoc cenfores creare, & cum ad primas contentiones deuenerint, poffint per Tribunos eorum bona confifcari, ipfique in exilium mitti, vel relegari per Oftracifmi legem Atticam. fic Scipio Roma exulauit, & Iacobus exuperantius Venetiis.

7. Aut quia eorum quifpiam principi externo adhæret, feudumque fub eius ditione adipifcitur; Deinde in Senatu omnia decerni procurat ad nutum externi principis: vt Andreas Doria Genuæ Ductor Claffis Hifp. facere poffet. Remedium eft ne in Senatu confulere, neque decernere poffit, vel à Rep. difcedat, vt Venetiis moris eft, quicunque externo principi obligatur.

8. Aut quia potens quis populum fibi conciliat famis tempore, aliufuè occafionis, nobilefque apud populum accufat; illumque laudat: moxque armat contra nobiles: quibus extinctis Rex populorum ipfe deinde remanet. Remedium eft vt Nobiles habeant Tribunos libertatis pro ipforum cuftodia, ficuti & populus Tribunos fuos: ac huiufmodi incentores aftutos fubitò opprimere, ficuti Roma Melium frumentis populum allicientem. Quod Dauid contra Abfalon negligens, periclitat; & nec nobilitas, nec populus ducibus Tribunis, Militiaque carere debent, ac fi carent, vtrique careant, vt in Venetiis.

9. Aut corruit quando Militia caret, dum populus patritios, patritiique populum viciffim formidant, accerfuntque Ductores Militum externos, vt Venetiis mos eft, qui poft victoriam aliquam infignem occupant parta occafione Remp. (ficuti Sfortia Mediolanum cuius Ductor erat fubiugauit. Idem Bartholomæus Colionus in Venetos facere potuiffet) aut externis produnt principibus vt Malatefta Florentiam. Remediū eft, Nobilitas, & plebs armetur, nec fupremam in Militia authoritatē extero Duci cōmittas: fpe tamen bona, veraque aggregandi ipfum Senatui, lactes. nec principes, fed milites, prælijs affuetos Ductores exercitus adfcifcere & curatores addere.

10. Aut in factiones diuiduntur Ciues, exterorum factionibus dum pro affectione fauent, ficuti omnes Italiæ Refp. olim factę funt Guelfæ, aut Gibellinæ, aut quod peius, miftæ. Item alii Papam, alii Imperatorem fequentes, vnde ftrages dira, & calamitofa tempora fubfecuta funt: fimiliter ex Alborum & Nigrorum diffidio. Remediū eft, vt omnes eamdem factionem amplectantur: omnefque aliarum Retump. hac de caufa expulfos ciues fibi aggregāre, & vnum corpus efficere curent: cæterofque mox deuorare. Aut potius ftatim puniendus effet quicunque factiones exterorum introducit: & Concilium vniuerfale congregare, ac vnam modo partem fequi ob publicum bonum decernere, fi fecus fieri nequit, &c. Nunquam tamen Refp. debet neutralis remanere, quoniam Victoris præda neceffario erit, nec amicis, nec inimicis fota.

11. Aut quia plebs nobilitati nil confidit, nec plebi nobilitas, ideoque arbitrium externum aduocant (ficut Florentia Robertum Regem, & Ducem Athenarum) qui vtrofque deuorat, fubiugatque fibi. Remedium eft arbitros exteros non accerfire, fed Religiofos eiufdem patriæ viros, facerdotumque decreto contentiones committere, ficuti Moyfes diuinitus docet.

12. Mutationes funt innumerabiles, earumque caufæ, lege Florentinam hiftoriam: hæc enim Ciuitas omnes perpeffa eft varietates: & Romanam eidem oppofitam etiā in confimilitudine.

De Morte, Cafu, & Mutatione rerum Popularium, in qua videlicet omnes participant in regimine, & de caufis atque remedijs eorumdem malorum. CAP. XIIII.

Pluribus ergo fubjacet morbis Relp. popularis quam multorum.

1. RESpub. omnium, quam diximus popularem, eifdem de caufis variatur, perditurque. Præterea verò perditum it, dum plebes ignaræ regunt, nec inuicem

conueniunt, & casu, affectúque cuncta non consilio decernunt. Remedium est, vt Senatum habeat optimorum, qui prospiciant accidentibus, & legibus, & doctrinis, & Prædicatoribus populorum animos imbuant, ne ab exteris, nec à ciuibus subdolis decipiantur.

2. Aut quia in electionibus non conueniunt tanta multitudine obstrepente, & venire detrectante, conturbanturque. Remedium est sortibus educere tot electores ex singulis familiabus, vel pagis, vel oppidis, aut tot numero eligere: Istique tantum ad comitia conuenire habeant.

3. Aut quia in comitijs quicunque præualet lingua populos decipit, séque eligi facit quamuis scelestissimum, & iustitiā violando crescit. Remediū est, vt ciuiles causæ iudicentur in quolibet vico ab vno optimo eiusdē artis opifice cū iudicādis; sicuti Heluetiorū, & Grisonū mos est. Criminales verò à duobus Magistratibus cōmunibus singulis oppidis qui à populo ad certum tempus eligantur. Causæ verò ad Reip. regimen domi, militiæque spectantes, à Senatu tractentur, ita quod Magistratus illius populi, qui est Imperij caput, qualis fuit Atticus, Romanusque & Prouinciarum Rectores sorte educantur de illorum numero, qui ex omnibus ciuitatibus electi fuerunt, quorum nomina in vrnam immissa sunt.

4. Aut quia populorū pauperrimi per Magistratus functiones ditari volunt: Ditissimi verò tanquam Tyranni supereminere. Remediū sit nè particeps gubernationis sit, nisi qui certā census quantitatē habet intra quosdam limites: quos qui excedunt vltrà citraque ad functiones publicas nequaquam admittantur, vt nec supra mille, nec infra 300. aut externum iustitiæ administratorem conducere vti Florentia solebat. Sed hoc Argumentum est inter se Ciues discordes esse, nec coalescere Remp. posse: & sæpè ruinam affert. Aut vt defuncti Magistratu rationem rigidæ administrationis reddere cogantur.

5 Aut quispiam locuplex populos pascens animos eorum sibi subiugat, at mox corpora & Rempub. Remedium est, ne quis horrea, nisi Resp. congreget teneatque. Vel quidquid frumenti & frugum singulis familiabus supersit vendendū in publico horreo, recondantur, & lucrum auaris auferatur: & Reip. accumuletur, in minori tamen quantitate, vt pauperes commodiùs viuere possint.

6. Aut quia dum populus bellum gerit contrà exteros eius Dux prælia & victorias ad longum tempus prorogat, ipséque interim autoritatē, vt in bellis solet, maiorem exercet, beneficiis Centuriones & Milites ita obligat, quod dōmum reuertitur ipsorum Rex, sicuti Sfortia Mediolanum, & Cæsar Romam. Remedium est, vt Dux à Consilio Magistratuum bellicorum pendeat; sed non satis validum. Credo equidem Respublicas Populares huic malo subiacere omnes: ideóque Mauritiū Nassouium fore Regem in Flandria, si bellum cum Hispanis restinctum fuerit. Sed noua Reip. forma obest huic periculo ex parte.

7. Aut qui Reip. multa contulit beneficia auctoritatem nactus contrà suos æmulatores Populum afficit, sépue per inuidiā & propter beneficia eis collata ad mortem peti fingit. Dehinc pro custodia corporis sui lictores poscit contrà accusatores, accusatósque, illisque fretus tyrannidem occupat, sicut Pysistratus Athenis. Remedium est, vt nobiles quoque suos tribunos habeant, & Populus sapientum patrocinio & Religiosorum muniatur, quibus præstet omninò fidē; Athenienses, enim Soloni Philosopho Animum Pysistraticum detegenti fidem non præstiterunt, ideóque libertatem amiserunt.

8. Aut quia Gentes occupatarum Regionum Populari Reip. subesse indignātur: potius enim Principibus magni nominis, quàm plebeis obediunt. Remediū optimum est, victas gentes ac ciuitates victoris populi iuribus donare. Sic enim libentiùs dominari cum populo victore, quàm seruire Principi cuicunque eligent. Propterea Batauorum Resp. hoc tempore fortissima reperitur. Romani Colonias & socios Reipub. propter hoc instituebant.

9. Aut quia vbi periculum graue subitaneumque contigerit, Populi ad deliberandum tardiores sunt: sic dum Romani consilia ventilabant, Saguntum illis

periit:& Cyprus, dum Veneti de succursu pigrè deliberant. Remedium est tunc temporis Dictatorem statim eligere, qui proprio Consilio omnia regat expediatque: & peracta expeditione abdicet se Magistratu. Optimus Reip. Dictator esse deber. Necessitasque coget nonnisi optimum eligere: vt Romanorum mos testatur.

10. Aut quia quispiam ex ciuibus ditissimus fouet, nutritque Poetas, Oratores, Religiosos, Grammaticos, & quoscunque lingua ingenioque potentes diuitiis suis, Academiasque propria in domo facit. Hi verò miris laudibus ipsum ad Populum extollunt, tantamque auctoritate & fidem illi conciliant, quod facile Princeps & Pater Patriæ acclamatur, præsertim si beneficia illi contulerit aliqua. Sic Cosmus Mediceus, factus est Florentinorum caput & Dux. Remedium est vt scholæ sint publicæ, viuantque stipendiis publicis Doctores communes, illorumque deprimatur autoritas, qui pro pecunia docent; Doctrinas, & Compositiones, & Prædicationes vendunt, & scientias cauponantur. vtque Populus scientias vernacula lingua in scholis publicis addiscat, & in Templis doctrinas sanctas: solisque religiosis præstet fidem qui de superiorum licentia prædicant, nec veritate Patriæ Religionis adulterare audent, sublata Pedagogorum Sophisticorum & hæreticorum autoritate, necnon & nebulonum. Et circulatores & Comici tollantur; eorumque loco Conciones & actiones sacræ succedant: nec in Senatu qui doctrinam & linguam locat, partem habeat: libertate concionum collapsam esse Græciam, Cicero autumat. Idem vidimus in Germania & Gallia. Serò Heluetij Medicinam huic morbo parauerunt: *Captiuus ductus est Populus meus, quia non habuit scientiam*: dicit Dominus in Isaia, & alibi Scribarum dolis, dicentium, *Pax vbi non erat*, captum fuisse Prophetæ conqueruntur.

11. Doctores publicos stipendiis magnis optimos vndique conducere oportet in Academia & in Templo: ne optimi cogantur à principalibus Ciuibus mendicare & rempub. suo priuati honore dolentes prodere. Peiora tamen accidenr si ponantur in publica cathedra Sophistæ.


12. Quæcunque tandem fiunt in Repub. aut Regno, mutationes etiam exiles, antiqui status, inditia sunt, aut causæ, aut præparationes mutationis vniuersalis animorum. Ergo & totius reip. seu Principatus à suis principiis recedentis: sicuti cibi noui & noua exercitia, &c. in corpore humano. Nã etiã Darius Macedonico vsus ense præsignauit Macedonicis armis eius Regnum subiugatum iri. Igitur & Musicæ præsertim in Templis mutatio, & conuiuiorũ & matrimoniorũ, & nouæ fœminarum consuetudines, & disciplinæ nouæ religionis antè omnia, & adolescentulorum prauitas, vt notauit Censorinus, & leges nouæ tributaque noua vitari debent, si in malum finem. Nam vel subitò, vel passim Principatum euertunt: vndè nec vestimentorum originalium formam Veneti mutant: *Nam si minima neglexerimus paulatim defluemus*, teste Salomone. remedium est, mutationes in melius facere, doctrinas sanctas, & speculationes Cœlestium & terrestrium nouas, & morum correctiones introducentes fouere, & ad sua principia Regimen reformare per vniuersalia Comitia Conciliaque vt religiosi consueuerunt. Nullasque mutationes auspiciis fundamentisque regni oppositas admittere, sed proficuas: qualis est Astronomia Galilæi, & nostra ex Patribus Philosophia, Gentilismo, Religionis perniciei, opposita, Calpo vnus maledicus execrabilibus cantionibus contrà Clericos per iocum delectans Epulones, introduxit Hæreses in Gallia. Lutherus vulgando Biblia & Chorum, eas stabiliuit. Bene ergo cecinit Ennius Calaber.

„ *Moribus antiquis stat res Romana virisque.*

Corollar. 13. Verumtamen omnis mutatio siue in bonum, siue in malũ, à Principibus in Remp. statim grassatur. Hos enim imitari vbiq; studet Populus. si enim mille Ciues delectẽtur, alea aut venatione, aut Religiositate, nõ statim vniuersa hisce rebus delectabitur. At si Princeps, statim omnes. Itẽ si mille Homines adulterantur, non subito ex eorum peccato tota corruit Respub. At si Princeps Mulierem impudenter construpauerit, ex templo ruinæ patet. Siquidem Lucretiæ stupro Tarquinios Reges Roma expulit: & Cavæ Reges Gothos ab Hispan. & Virginię, Decemviratũ Roma. Nec remedium Dauid profuit occidendo Betsabeæ maritum Vriam, quo minus periclitaretur vel à suis, Idem dicendum de cæteris enormibus peccatis contra honorem, aut vitam, aut priuilegia populorum. Sicut è contrà Principis virtutibus præclaris tota Respublica refloresit: vt patet sub Salomone, Iosia, & Ezechia. Virtus custodit Regem, Populosque, non autem indocta, Achitofellistarum astutia, omnis enim virtus diuinæ virtutis est flos.

F. THOMÆ CAMPANELLÆ.

APPENDIX POLITICÆ, CIVITAS SOLIS Poetica.



IDEA

Reipublicæ Philoſophicæ.

CIVITAS SOLIS
VEL
DE REIPVBLICÆ IDEA
DIALOGVS POETICVS,
INTERLOCVTORES.

Hoſpitalarius Magnus, & Nautarum gubernator Genuenſis Hoſpes.

HOSP.

Defenſio huius dialogi eſt in Politicis qq. quarta quæſtio vbi oſtenditur eſſe Catechiſmum Gentiliũ ad politiam & fidem Chriſtianam purè Apoſtolicam.

Figura & exſtructio Ciuitatis.



I A quæſo, memora tandem quæcunque tibi hac in nauigatione contigerunt. G E N. Narraui iam quo pacto totius orbis Terrarum peragrauerim gyrum: ac demum in Taprobanam peruenerim: coactuſque fuerim in Terram deſcendere, vbi incolarum metu ſyluam adierim: ex qua tandem egreſſus in planitiem magnam prorſus ſub æquatore conſtiterim. H o s p. Hic quid tibi accidit? G e n. Extemplò in agmen frequens virorum, ac mulierum armatarum incidi: quorum multi noſtrum callebant idioma: ſimul atque in Solis Ciuitatem me conduxerunt. H o s p. Dic, qua ratione iſthæc Ciuitas fabrefacta eſt, quaque gubernetur? G e n. Attollitur ex ampliſſima planitie collis ingens, ſuper quo maior pars Ciuitatis fundata eſt: At multiplices illius ambitus exponuntur ad multum ſpatium extra montis radices, qui ea conſtat magnitudine, qua Ciuitatis diameter duo, & plus milliaria continet, vt circuitus ſit ſeptem. At ex gibboſitate plura capit, quàm ſi in planitie foret. Diſtincta eſt in ſeptem gyros ambituſue ingentes, à ſeptem planetis nominatos, & ab altero in alterum per quatuor ſtrata viarum intratur, perque portas quatuor ad mundi angulos quatuor ſpectantes. Et profectò ſic ædificata eſt, vt ſi quis ptimum expugnaret gyrum, neceſſe habet duplicato labore expugnare ſecundum; & maiori tertium, ac ſemper geminare vires, laboreſque. Quapropter ſepties expugnanda eſt volenti eàm ſubiugare. Ego tamen iudico nec ptimum poſſe occupari ambitum, ita craſſus eſt, terra plenus, munitus propugnaculis, turribus, bombardis, & foſſis

Ingreſſus igitur per portam Aquilonarem (quæ ferro operta eſt, ſic fabrefacta, vt poſſit eleuari ac demitti, & facile, & forniter obſerari, proceſſibus ſuis in poſtium robuſtorum ſinubus decurrentibus mirifico artificio) interſcapedinem planam vidi 70. paſſuum inter prima ac ſecunda mœnia. De hinc viſuntur Palatia ingentia muro ſecundi gyri copulata omnia, vt vnum eſſe omnia dicere queas. Porriguntur ex media altitudine palatiorum fornices continuati per gyrum totum, ſuper quibus ſunt deambulatoria, & ſubſtentantur columnis ab imo craſſis, formoſiſque, ſubporticus quaſi ſepientibus, ſicuti periſtilia, ſiue Clauſtra Monachorum. Infernè autem introitus non habent, niſi ab interiori pariete in ſui parte concaua, & intratur in ædes inferiores planè: in ſuperiores vero per ſcalas marmoreas ad interiora conſimilia deambulatoria, & ex illis ad ſuperiores ædes, quæ formoſæ ſunt, & feneſtras habent ad concauum, & conuexum parietem: & gracilibus diſtinguntur parietibus. Quippe murus conuexus, id eſt, exterior craſſitiem habet palmorum octo: concauus vero trium: intermedii vnius, & forte cum dimidio. De hinc peruenitur ad ſecundam pla-

nitiem angustiorem prima passibus fere tribus. Atque secundi ambitus primus conspicitur murus, consimilibus ornatus deambulatoriis superne, & inferne, & ab interiori parte alius est murus interior palatia intercludens; secunda mæniana & peristilia habet consimilia, columnis suffulta inferne: superne vero picturas egregias, vbi sunt ædium ianuæ superiorum. Itaque deinde per consimiles ambitus & muros duplices intercludentes palatia, ornatos deambulatoriis, porrectis exterius, fultis columnis, itur vsque ad supremum: ac continuò per planum æquale: Attamen quando per portas transitur, quæ duplices sunt, hoc est exterioris interiorisque muri, scanditur per gradus sed ita formatos, quod vix discernitur ascensio: quoniam obliquè incedıtur: & quasi inuisibilibus distinctæ sunt scalæ elationibus. In montis cacumine Area est plana bene spatiosa; & in medio eius templum adsurgit mirifico constructum artificio. Hosp. Perge nunc; perge, dic, oro per vitam. Gen. Templum absolutæ rotunditatis forma decoratur: non circundatur muris, sed super columnis hæret crassis pulchrè cõcinnatis. Testudo maxima, mira arte extructa in centro, vel polo sui, testudinẽ editiorem habet paruã, & in hac spiraculũ, quod Altari imminet: quod vnicum est, ac in centro Templi, columnis circumseptũ: Templũ. v. excedit 350. passus. Capitellis forinsecus columnarum innituntur fornices porrecti quasi octo passus extrorsum: vnde aliæ columnæ ipsos sustinentes, attolluntur: inhærentes crasso muro fortique erecto passibus tribus: inter quem ac priores columnas deambulatoria sunt inferiora, pauimentis constrata pulchris: & in muri concauo crebris distincti portis amplissimis, sedilia sunt immobilia, tametsi inter columnas interiores templum sustentaotes, non desint sellæ portatiles plurimæ decoræque. Super Altare nihil conspicitur nisi globus magnus, in quo totum depictum est Cœlum, & alter globus in quo depicta est Tellus. Porro in Cœlo testudinis magnæ omnes Cœli stellæ à prima vsque ad sextam magnitudinem depictæ cernuntur, propriis notatæ nominibus, ac virtutibus, quas terrestribus influunt rebus, in tribus quæque versiculis. Adsunt poli; & circuli maiores minoresque iuxta rectum horizontem ipsorum in templo adnotati, sed non perfecti, quoniam deficit murus infernè. At videntur perfici in relatione ipsorum ad globos, qui sunt in altari. Pauimentum pretiosis lapidibus collucet. Lampades aureæ septem continuo igne accensæ pendent, septem planetarum nomina gerentes. Super templo circumdant testudinem paruam cellæ quædam pulchræ ac paruæ: & post planam intercapedinem super claustris seu fornicibus internarum, & externarum columnarum multæ sunt cellæ, ac grandes, decoræque, vbi Sacerdotes, & Religiosi habitant quasi quadraginta nouem. Super minorem testudinem quasi vexillum volubile omnino eminet ostentans ventos: quos signant vsque ad 36. Ac norunt qualem ferant annum venti singuli; & quales in Mari ac Terra mutationes; sed non nisi sui Climatis. Ibidem sub vexillo codex adseruatur literis inscriptus aureis. Hosp. Rogo te generose Heros, edissere mihi totam regiminis ipsorum rationem. Huc enim te præstolabar. Gen. Princeps magnus inter eos est sacerdos quem vocant suo idiomate HOH: nostro autem diceremus Metaphysicum. Hic est omnium Caput in temporalibus ac spiritualibus; omniaque negotia ac causæ in ipsius iudicio postremum terminantur. Tres illi assistunt Principes collaterales, Pon, Sin, & Mor, quod nostra lingua sonat Potestas, Sapientia, & Amor. Potestati curæ sunt negotia belli ac pacis; artes militares; estque supremus in re bellica, at non super O. Ipse regit magistratus militares, milites, curam munitionum gerit, fortificationum, & expugnationum, & machinarum bellicarum, & fabricarum, & artificum huiusmodi res tractantium.

Templi structura in cacumine.

Moses iuxta vniuersi exemplar, consimile describit Templum & Lampades.

Idea regiminis.

Cura potestatis triumviri.

Sapientiæ vero curæ subiacent artes liberales & mechanicæ, & scientiæ omnes, & magistratus illorum & doctores, & disciplinarum scholæ. Sibique subiacent tot magistratus quot scientiæ. Est Magistratus qui vocatur Astrologus, item & Cosmographus, Arithmeticus, Geometra, Historiographus, Poeta, Logicus, Rhetor, Grammaticus, Medicus, Physiologus, Politicus, Moralis, vnumque modo volumen habent, quod vocant sapientiam; in quo omnes sunt Scientiæ compendio ac facilitate mira conscriptæ. Hunc legunt ad populum iuxta ritum Pythagoreorum.

Cura Sapientiæ triumviri.

Scientiarum faciles per picturam disciplinæ.

Hic Sapientia, totius Ciuitatis parietes internos, externosque inferiores ac Superiores picturis præstantissimis adornari fecit, omnesque scientias in eis designari mirifico ordine. In muris templi exterioribus, & in cortinis, quæ demittuntur cum Sacerdos concionatur, ne vox dispersa præteruolet auditores, pictę sunt stellæ, ipsarumque magnitudines, virtutes & motus, tribus versiculis notatę singulæ.

In interiori muro primi ambitus conspiciuntur depictæ omnes figuræ Mathematicæ longè plures quàm Archimedes, & Euclides inuenerunt: & ad parietis proportionem grandes & decorè signatę cum breui declaratione, versiculo contenta in singulis: Sunt & definitiones & propositiones, &c. In exteriori conuexo est primo descriptio integra per magna simul totius Terræ: hanc consequuntur tabulæ peculiares cuiuslibet Prouinciæ. Vbi & ritus, & leges, & mores, & origines, & vires incolarum breui prosa comprehenduntur: & Alphabeta quibus vtuntur Prouinciæ omnes, visuntur super Alphabeto Ciuitatis Solis.

In interiori secundi gyri domiciliorum scilicet secundorum cernuntur omnia Lapidum genera pretiosorum & communium, & mineralium, metallorumque pictorum, at & verorum quoque frustula: cum declaratione apposita singulis in duobus versiculis. In exteriori omnia Maria signata sunt, & flumina, & lacus, & fontes, quæ sunt in mundo: & vina, olea: & liquores cuncti: ipsorumque origines, qualitates, & virtutes: Adsuntque ampullæ super fornicibus muro consabricatæ, diuersis plenę liquoribus à centum & trecentis annis, quibus varias curant infirmitates: Sunt & grandines, & niues, & tonitrua, & quæcunque in aere fiunt suis expressæ figuris, versiculisque. habent artem etiam faciendi intra cubiculum omnia Meteorologica. i. ventos, pluuias, tonitrua, iridem, &c.

In interiori tertii gyri sunt omnes arborum & herbarum species depictæ. aliquę autem sunt in testis viuæ super fornicum sunt, exteriori pariete. Cum declarationibus, vbi primo inuentæ sunt: quæ sint ipsarum vires, & qualitates, & similitudines ipsarum cum rebus cœlestibus, & metallis, & cum partibus corporis humani, & cum rebus marinis, & ipsarum vsus in medicina, &c. In exteriori omnia piscium genera fluuiorum, lacuum, & marium, ipsorumque mores, & virtutes, generationis ratio, vitę, educationis, & vsus, quem habent ad mundum: & ad nos, ipsorum quoque similitudines cum rebus cœlestibus & terrestribus à natura & ab Arte productis, ita quod obstupui cum viderem piscem, Episcopum, & Catenam, & Loricam, & Clauum, & Stellam, & vepam, & simulacra istarum rerum apud nos existentium, omnino referentes. Visuntur echini, conchilia, spondili, &c. Et quidquid scitu dignum mundus aqueus habet, mirabili pictura ac Scriptura ibi patet.

In quarto interiori Auium genera omnia depicta visuntur, ipsorumque qualitates, magnitudines, mores, colores, vita, &c. ac phœnix verissima illis habetur. In exteriori omnia reptilium animalium genera patent, Serpentes, Dracones, Vermes, & insecta, & muscæ, culices, tasani, scarabei, &c. Cum ipsorum conditionibus, virtutibus, venenis, & vsibus, &c. Ac longè plura sunt quàm nos existimare possimus.

In quinto interiori habentur animalia perfecta terrestria, tot generum, vt obstupescas Nec nos millesimam nouimus partem: & cum sint plurima & ingentis magnitudinis in exteriori quoque depicta sunt gyri ambitu. hem' quot Equorum genera modo? papè, quę figuratum pulchritudo, doctè declararetur.

In sexto interiori depictæ sunt omnes mechanicæ artes, ipsarumque instrumenta, & quibus modis apud diuersas nationes tractantur, & iuxta dignitatem suam locatæ, ac declaratæ apparent: & simul inuentores ipsarum. In exteriori verò sunt depicti omnes inuentores scientiarum, & armorum, & legumlatores, vbi vidi Moysem, Osirim, Iouem, Mercurium, Lycurgum, Pompilium, Pythagoram, Zamolhim, Solonem, Charondam, Phoronæum, aliosque plurimos, quin & Mahomettum depictum habent; quem tamen vt fabulosum, ac sordidum legislatorem oderunt. At in loco dignissimo IESV-CHRISTI vidi effigiem, ac duodecim Apostolorum quos dignissimos reputant, magnique faciunt: vt supra homines. vidi Cæsarem, Alexandrum, Pyrrhum, & Annibalem, aliosque bello & pace præclaros heroas, præcipue Roma-

nos in inferioribus sub porticibus depictos. Cumque admirando quærerem, vnde ipsi nostrorum nossent historiam, indicarunt, apud se omnium linguarum peritiam extare; ac de industria per orbem totũ continuò sese mittere Exploratores & Legatos: qui mores & vires, & regimen, & historias nationum perdiscerent, bona ac mala cunctarum, ac deinde ad Rempub. suam referrent, & in hac valde oblectantur. Vidi apud Chinenses inuentas esse bombardas, & Typographiam, antequam apud nos. Sunt magistri harum picturarum declaratores, & pueri sine labore quasi ludendo addiscere consueuerunt scientias omnes, Historico tamen modo ante primum decennium.

Amor generationis primum curam gerit, vt ita copulentur masculi fœminis, quod optimam edant prolem. Ac irrident nos, qui generationi canum & equorum studiosam nauamus curam, humanam verò negligimus. Item ipsius regimini subest educatio natorum, Medicina Pharmacopolæ, satio, & collectio frugum, & fructuum, agricultura, pastoralis, mensarum apparatus, coquinaria: & quoquid pertinet ad victum, & vestitum, & coitum venereum, multosque magistros ac magistras his artibus dedicatos, ipse regit. Cura Amoris triumviri.

Metaphysicus autem hæc omnia cum his tribus tractat principibus: absque ipso enim factum est nihil; omniaque negotia Reipublicæ inter quatuor hosce pertractantur; & quò inclinat Metaphysicus, concurrunt pari consensu omnes.

HOSP. At dic sodes; magistratus, officia, functiones, educationem, genus viuendi, vtrum sit Respubl. an Monarchia, an Aristocratia.

GEN. Hoc genus hominum ab India illuc conuenit, effugientes à clade Magorum Regionem depopulantium, & Prædonum & Tyrannorum, statuerúntque Philosophicam vitam ducere in communitate; licet Mulierum communitas non sit instituta inter cæteros ipsorum prouinciæ accolas, apud ipsos in vsu est: hac ratione. Omnia illis communia sunt. Ac dispensatio in Magistratuum est ditione. Scientias tamen honores & delitias communes ita habent, vt nemo sibi quidpiam appropiare queat. Origo & Necess. Reip. optimæ.

Aiunt omnem proprietatem eo fieri ac foueri, quod propria domicilia seorsim singuli habemus, & liberos, & vxores proprias. Ex quo oritur proprius amor: namque vt filium ad diuitias, & dignitates sublimemus, & hæredem bonorum multorum relinquamus, euadimus quisque aut rapax publicæ rei, si quis timorem ex diuitiarum & generis potentia excussit: aut auarus, & insidiosus, & hypocrita, si tenuis est viribus, opulentia, & genere. At cum proprium amorem amiserimus, remanet tantummodo amor communitatis. HOSP. Ergo nemo laborare volet, dum vt alii laborent, vnde ipse viuat, expectat sicuti Arist. arguit in hoc Platonem. GEN. Ego disputationi inseruire non noui. Verumtamen dico tibi, eos tanto patriæ amore flagrare, quantus vix credi potest; & tanto quidem magis quàm de Romanis, vltrò pro patria occumbentibus, narrant historiæ, quanto proprietatem hi abiecerunt magis. Credo equidem & fratres, & Monachos. & Clericos nostrates, nisi consanguineorum & amicorum amore, aut ad dignitates maiores ascendendi ambitione labefactarentur, longè sanctiores fuisse futuros, & minus proprietatis amantes: & plus charitatis redolentes erga omnes, sicut erant tempore Apostolorum, & nunc plerique. Vide q. 1. huius pol. libri pro hac Rep. contra Arist.

HOSP. Hoc videtur dicere S. August. at inquam ergo inter hoc genus hominum amicitia nil valet, qui non habent vnde mutua beneficia sibi conferant.

GEN. Imo maximè. Nam operæpretium est videre munera nulla quidem alterum ab altero accipere posse; quidquid enim necesse habent, à communitate accipiunt, Ac benè cauent Magistratus, ne quis plusquam mereatur accipiat: at nihil necessarium denegatur vlli: Amicitia verò dgnoscitur inter eos in bello in infirmitate, in scientiarum comparatione, vbi mutuis auxiliis ac doctrina sese iuuant: interdum laudibus, verbis, functionibus, & de suo necessario se mutuo colunt: omnes contemporanei se vocant inuicem fratres: qui autem viginti duos annos plures habent, vocantur ab eisdem patres, qui pauciores 22. filios: Porrò & magistratus benè intendũt, ne quis alter alteri in confraternitate iniuriam inferat. De accusationibus.

Hosp. Ecquomodo. Gen. Quotquot apud nos sunt virtutum nomina, apud illos sunt magistratus, est enim qui vocatur Magnanimitas, qui Fortitudo & Castitas, & Liberalitas, Iustitia criminalis, & ciuilis, & Solertia, & Veritas, Beneficētia, Gratitudo, Hilaritas, Exercitium, Sobrietas, &c. ad eiusmodi munera eliguntur quisque ad illud, ad cuius virtutem magis à pueritia in scholis prænoscitur aptissimus. Quapropter cum inter eos nequeant latrocinia inueniri, nec cædes insidiosæ, nec stupra, incesta, adulteria, aliaque facinora, in quibus nos inuicem accusamus, ipsi se accusant ingratitudinis, malignitatis, quando quis honestam negat alteri satisfactionem, & pigritiæ, & tristitiæ, & iracundiæ, & scurrilitatis & detractationis & mendacij, quod magis atque pestem abominantur. Ac rei in pœnam priuantur communi mensa, aut mulierum commercio, aliisque honoribus, donec, & quando videtur iudici ipsorum congruere correctioni.

De veste & educatione parentum & electione.

Hosp. Dic rationem qua Magistratus eliguntur.

Gen. Hoc non ritè intelliges, nisi prius ipsorum vitam addiscas. Primò quidam vt scias masculi, & fœminæ, idem ferè vestimenti genus induunt, bello aptum, licet mulieres toga sub genu, viri autem super genu vtuntur. Ac mistim omnes in omnibus educantur artibus: transacto primo, & ante triennio pueri linguam addiscunt & Alphabetum in parietibus circumambulando, quorum sunt agmina quatuor, & senes quatuor, duces eorum, doctoresque supra omnes probatissimi.

Post paululū gymnastica, cursu, disco, & cęteris exercent eos, ludisque, quibus omnia membra roborentur æquè: semper tamen nudos pedes, ac caput vsque ad septimum annum. Conducunt simul illos ad officinas artium, Sutoriæ, coquinariæ, ferrariæ, lignariæ, picturæ, &c. Vt ingenii propensionem cuiusque perpendant, post septimum annum prælibatis terminis Mathematicis in parietibus, conferuntur ad lectionem omnium scientiarum naturalium; Quatuor sunt lectores eiusdem lectionis, & in quatuor horis, omnia quatuor exinde expediuntur. Namque alii exercent corpus, aut publicis seruiunt vsibus functionibusque, alii lectioni operam nauant. De hinc abstrusioribus, Mathematicis, Medicinæ aliisque dedicantur omnes scientiis, & continua inter eos est disputatio, & altercatio studiosa. illique posteà Magistratus fiunt illarum scientiarum in quibus proficiunt magis, aut artium mechanicarum, sequuntur enim quisque Ducem ac iudicem suum; & in campos egrediuntur ad opera agrorum, & bestiarum pasturas inspiciendum, discendumque, & illum reputant nobiliorem ac præstantiorem, qui plures dedicerit artes, ac sapientius exercere nouit. Quapropter irrident nos in eo, quòd artifices vocamus ignobiles, ac eos habeamus nobiles, qui nullam addiscunt artem, viuunt ociosè: & tot seruos suo ocio & lasciuiæ dedicatos detinent: vnde sicut ex vitiorum schola prodeunt in Reip. perniciem tot nebulones, ac malefici: cæteri verò officiales eliguntur ab illis quatuor Primatibus O, Pon, Sin, Mor. & à Præceptoribus illius artis, cui perficiendi sunt. Qui probè norunt quis aptissimus sit arti, aut virtuti, in qua Rector pręficiendus est. Et in Concilio quidem proponuntur à Magistratibus nil ipsi more candidatorum petentes: & opponit, quicunque scit aliquid contra eligendos aut pro eis. Attamen nemo O dignitatem conscendit, nisi qui omnes gentium norit historias, & ritus, & sacrificia, & leges, & Respubl. & Monarchias: & inuentores legum, & artium, & rationes, & historias cœli & Telluris. Item necesse habent nosse omnes artes mechanicas (nam biduò ferè vnam addiscunt, licet non bene operari; sed vsus & pictura eis facilitatem ad hoc præbet.) Item & scientias Physicas, Mathematicas, & Astrologicas. Non tanta linguarum cura est notitiæ; quoniam interpreres habent plures qui sunt in Republ. Grammatici. Sed præ cæteris oportet callere Metaphysicam: & Theologiam: pernosse radices, & fundamenta, & probationes omnium artium & scientiarum: similitudines ac differentias rerum, Necessitatem; Fatum, & Harmoniam mundi: Potentiam, Sapientiam, & Amorem rerum & Dei: gradus entium: ipsorumque symbola, cum cœlestibus, terrestribus & marinis rebus: & cum idæalibus in Deo; quantū scire mortalibus licet, studuisse quoque in Prophetis & in Astrologia oporter. Ergo norunt longè ante quis futurus sit O. Et verò nisi 35. annum attigerit, ad tantam non erigitur dignitatem. Hoc

Electio O.

munus perpetuum est, quousque non inuenitur qui sapientior sit illo, aptiorque ad regendum. Hosp. Ecquis tantum sapere potest? quin scientiis operam nauans, regimini ineptus esse videtur. Gen. Hoc ipsum & ego illis opposui: Qui responderunt, Certiores profectò nos sumus, tam literatissimo viro sapientiam inesse regnandi; quàm vos qui viros præficitis ignorantes; proptereà idoneos reputatos. quod ex Principibus nati sunt: aut à factione præpotente electi. At ☉ noster, licet imperitissimus regiminis, non tamen crudelis vnquam erit, nec scelestus, nec Tyrannus, quippe qui tantum sapit: veruntamen hoc insuper vos non lateat idem argumentum apud vos posse, vbi putatis doctissimum esse, qui plus Grammaticæ, aut Logicæ Aristotelicæ, aut alterius authoris nouit: cuiusmodi ad sapientiam vestram requiritur tantum seruilis memoria & labor, vnde efficitur homo iners, quoniam non contemplatur res, sed verba librorum, & in mortuis signis rerum animam vilem reddit. Nec proinde intelligit qua ratione Deus entia regat. Nec naturæ mores & vsus, neque Nationum. Quod nostro ☉ contingere nequit. Non quidem enim tot artes ac Scientias perdiscere potest, qui solertissimo non pollet ingenio ad omnia aptissimo. Igitur & ad regnandum maximè. Nos quoque non latet, qui vnam modò profitetur scientiam, illam non verè scire, nec alias. & qui aptus est vni modo Scientiæ, ex libris haustæ, rudem atque inertem esse; Ast id non contingit ingeniis promptis expertisque in omni scientiarum genere, & ad considerandas res natura idoneis: veluti necesse est nostrum esse ☉. Prætereà & in Ciuitate nostra ea facilitate addiscuntur scientiæ (vt vides) qua plus proficiunt discipuli hic in anno vno, quam apud vos in decem aut quindecim. Fac, quæso, periculum in his pueris. Qua in re ipse vehementer obstupui propter sermonem veridicum ipsorum, & propter experimentum illorum puerorum, qui & meam linguam benè callebant. Siquidem tres ex eis oportet esse peritos nostræ linguæ, & tres Arabicæ, & tres Polonæ: & tres aliarum singularum, & nullum ocium eis datur, nisi quo etiam Doctiores fiunt. Nam & ideo in Campestria egrediuntur, gratia scilicet cursitandi, sagittas & lanceas iaculandi, archibugiis reboandi: feras persequendi: herbas agnoscendi & Lapides, &c. Agriculturam, & pastoralem discendi, modo agmen vnum, modo aliud.

Num sapientes sint apti Regno.

Tres quidem Principes ☉ assistentes, non necesse habent scire, nisi artes ad suum pertinentes regimen; itaque norunt historicè tantum artes communes omnibus: proprias verò exquisitè, quibus nimirum alius alio dedicatur magis. Ita Potestas eruditissimus est in arte equestri, in ordinando Exercitu: in Castrametatione: in fabrica armorum omnis generis, & machinarum bellicarum, & stratagematum: & in tota militari Re. &c. Sed propter hæc, huiusmodi Principes necesse habent fuisse Philosophos, Historicos, Politicos, & Physicos. Idem dic de aliis duobus Triumviris.

Hosp. Equidem publica munera omnia dicas velim, ac distinguas: & educationem communem luculentius narres.

Gen. Ædes communes sunt illis, & dormitoria, & grabata, aliaque necessaria. At post quoscunque menses sex, secernuntur à Magistris, qui dormituri sunt in hoc circo, quique in alio, & alio: & qui in primo cubiculo, & qui in secundo: quod per Alphabetum notatum habent in superliminio. Sunt & artes communes mechanicæ & speculatiuæ masculis & fœminis, hac cum discretione: quod artes operosæ magis, & vbi iter requiritur, tractantur ab masculis; sicuti arare, seminare, fructus legere, in area laborare, forte & in vindemia. At ad mulgendas oues, & caseum formandum solent & Mulieres destinari; Itidem & ad hortos prope Ciuitatis pomerium ad colligendas herbas, & excolendas similiter vadunt. Artes vero quę sedendo, & stando tractantur ad mulieres spectant, veluti texere, nere, suere, tondere capillos, & barbas. pharmacopia & omnia vestimentorum genera conficere: Excluduntur tamen ab arte lignaria, & ferraria, & fabrica armorum. At si quæ picturę est idonea, non prohibetur. Musica tamen solis est data mulieribus, quia delectant magis, quin & pueris: non tamen buccinarum & tympanorum vsus. Item epulas parant, & mensas sternunt: Sed mensis ministrare proprium est puerorum munus & puellarum vsque ad 20. annum. sunt in quolibet circo propriæ culinę, horrea, & promptuaria vtensi-

Communitas vitæ & artium & distributio fœminis & maribus.

lium, esculentorum & poculentorum, & cuilibet functioni præest senex compositus, & anus altera, qui simul imperant ministris, ac potestatem habent verberandi, vel iubere vt verberentur negligentes, & inobedientes, ac perpendunt notantque singulos & singulas, quibus in ministeriis præstent magis. Vniuersa iuuentus seruit senioribus præter gressis 40. annum, sed magister & magistra curant vesperi cum eunt dormitum, & mane mittendos ad ministerium eos, quibus ex ordine incumbit, vnum vel duos in singula cubicula. Iuuenes vero mutuò sibi ipsis ministrant: væ autem recusantibus. habent primas & secundas mensas, vtrinque sunt sedilia: hinc recumbunt mulieres, inde viri, & veluti in refectoriis Monachorum strepitus fit nullus: & dum comedunt legit è suggestu iuuenis canendo distinctè, ac sonore in codice; ac sæpe Magistratus interloquuntur sub aliquo lectionis loco notabiliori. Et quidem suaue est cernere, quo pacto illis ministret tàm pulcra iuuentus in veste succincta, tàm opportune: ac simul iuxta inuicem tot amicos videre, fratres, filios, patres, & matres, viuere tanta honestate, decore, & charitate: cuilibet sua mappa datur, patina, obsonium, & ferculum. Medicorum cura est edicere coquis, quo die quæ dapes parandæ sunt: & quę senibus, & quæ iuuenibus: & quæ ægrotis. Magistratus portionem accipiunt grandiusculam, & pinguiorem: hi de portione sua semper aliquid distribuunt pueris in mensa, qui mane se se studiosiores ostenderunt in lectionibus & in disputationibus de Sapientia, & armis. Hoc autem inter præclarissimos honores reputatur. In festis verò diebus musice cani etiam in mensa volunt, sed paucis, vel vna voce in cythara, &c. & quum omnes pariter ministerio manus porrigant, nunquam aliquid deficere inuenitur. Seniores compositi præsunt rei coquinariæ, & ministris refectoriorum, & magnifaciunt munditiam in stratis, ædibus, vasibus, vestibus, & Officinis, & portibus.

De refectione.

De vestimentis.

Alba interula vtuntur ad Carnes: cui adhæret vestis, quæ simul thorax ac caligæ est, absque crispis, fissa à summis lateribus vsque ad imum crurum, & similiter ab vmbilico ad nates inter coxendices: & globulis hinc porrectis, exceptis vinculis illinc, obserantur fixurarum oræ: cruralia caligis continuata ad talos vsque descendunt: mox vdonibus pedes vestiunt grandibus quasi semicothurnis, fibulis adstrictis: quibus calceos superponunt, ac tandem toga, vt diximus amiciuntur: & ita aptæ concinnatæ sunt vestes, quod quando toga spoliantur, discernuntur partes effigiei totius distinctæ prorsus, & nihil fallentes. Mutant vestes quater in anno varias, hoc est cum Sol ingreditur Arietem & Cancrum, & Libram, & Capricornū; & iuxta conditionem ac necessitatem in Medici arbitrio est, ac vestiarii singulorum gyrorum eas distribuere. & mirum est quod eodem in tempore quot opus sunt vestes simul habent, rudes, & graciles, pro tempore. Albatis vtuntur omnes: & lauantur singulis mensibus lixiuio, vel sapone, &c. inferiores omnes sunt officinæ artium & culinæ, & cellariæ, & horrea, promptuaria, armamentaria, refectoria, & lauacra. Quamuis ad pilas peristiliorum lauentur, & aqua deiicitur per canales, in cloacas deferentes. In qualibet Platea singulorum circorum sunt proprii fontes, qui per canales iaculantur aquas attractas ab imo ferè montis sola agitatione artificiosi manubrii: sunt aquæ fontales, & in cisternis, quo pluuiales per aquæ ductus arenosos ex tegulis domiciliorum collectæ perferuntur: lauant & corpora sæpe sua, prout Medicus ac Magister iubēt. Artes mechanicæ exercentur omnes sub peristiliis. Speculatiuæ verò supernè in deambulatoriis & mœnianis, vbi sunt picturæ nobiliores, & in templo leguntur diuiniores. At in Atriis & pinnis gyrorum sunt horologia solaria, & companularum & pendones, quibus horæ & venti dignoscantur.

Hosp. Dic de generatione.

De generatione, & educatione parentum.

Gen. Nulla fæmina Mari supponitur, nisi decimum nonum attigerit annum. Nec mas generationi dedicatur nisi vigesimum primum attigerit, & vltra, si niueæ est complexionis. Ante hoc tempus licet quibusdam concubitu mulierum vti, sed sterilium aut prægnantium; ne illicitum vas expetere cogantur. Ac Matronæ Magistræ, & seniores Magistri prouident illis venereis vsum, qui salaciores sunt, ac stimulantur magis, prout clàm ab eis norunt petentibus, & in palestra prenoscunt. Attamen licentiam

tiam à magistro primo generationis qui magnus est Medicinæ Doctor, & subest Amori Principi triumviro, si capiuntur in Sodomia vituperantur, & biduò gestare in pœnam coguntur collo ligatos calceos significando, quod peruerterint ordinem: & pedem in capite posuerint. At si reciderint augetur pœna donec in capitalem desinat; At quicunq; abstinent à coitu, prorsus vsq; ad 21. annum, magis autē si ad 27. celebrantur honoribus & cantilenis in publico cætu. Quoniam dum exercentur palestra more priscorum Lacædemonum, nudantur omnes masculi ac fœminæ; Magistri inspectantes notunt qui potentes sint; quique flacci ad coitum. Et quorum membra quibuscum fœminis congruunt membris, & ita post vbi benè loti sunt, veneri operā dant, tertia quaque nocte, & non copulant fœminas grandes ac pulchras nisi grandibus ac studiosis viris, & pingues macribus, & macras pinguibus, vt benè temperentur & vtiliter Vesperi pueri accedunt & sternunt Thalamos. Dehinc dormitum vadunt sicuti eis iubet magister & magistra. Nec coitu perfruuntur generatores antequam digerant cibum, & orent Deum. Sunt in cubiculis formosæ statuę virorum illustrissimorum quas inspectant mulieres, mox per fenestras conuertentes cęlum rogant Deū, vt prolem concedat pręstantem, in duabus cellis seorsum dormiunt vsque ad horam coitus: & tunc surgens Magistra vtriusque ostium deforis aperit. Hanc horam Astrologus & Medicus determinant: ac nituntur captare tempus, quo Venus ac Mercurius sint à Sole Orientales in domo benigna, in bono aspectu Iouis similiter & Saturni, & Martis, vel in nullo horum. Præsertim Sol & Luna, quę sępissimè Aphetę sunt. Virginem in horoscopo amant, sed benè cauent ne maleficę sint in angulo, quoniam omnes inficiunt angulos quadrato, & oppositione: Ex quibus radix vis vitalis & fortunę ab harmonia totius & partium vniuersi pendet: non satis expetunt satellitium, sed bonos aspectus. Satellitium quęrunt in fundatione ciuitatis, & legis cuius tamen non sit Princeps Mars & Saturnus, nisi interdum optimè dispositi. Aliis vtuntur constellationibus & ad fixas. Et nefas ducunt genitores non esse mundos à semine tribus diebus ante coitum: & ab actionibus prauis, vel non esse summo Deo conciliatos, deuotosque. Cæteri qui per delitias aut necessitate Medicinæ, aut stimulo, vtuntur Venere sterilium, aut prægnantium, aut fœminarum vilium, hos ritus non obseruant. Magistratus verò, qui omnes Sacerdotes sunt, itemque sapientes Magistri, non fiunt generatores apud eos, nisi pluribus diebus multa obseruarint. Ipsi enim ex multa speculatione debiles habent spiritus animales. & virtutem ex cerebro non transfundunt, eo quod semper aliquid pensiculant: idcircò prolem flaccam edunt. Ergo in hoc benè animaduertitur. Et copulant hos sapientes fœminis natura viuidis, strenuis, & formosis. Homines etiam peracutos celeres, argutosque, & quasi furentes, fœminis pinguioribus, & blandis moribus. Et dicunt puritatem cōplexionis, vnde virtutes fructificant, non posse studio acquiri. Et homines natura prauos timore legis benè operari; vel Dei quo cessante, vel clàm, vel palàm Rempubl. pessundant. Idcirco totum studium ac principale in generatione adhibendum esse: & naturalia merita perpendenda esse, non dotes, & nobilitates fallaces generis. Si quid istarum fœminarum non concipit ab aliquo viro, copulant ipsam aliis: si tandem sterilis inuenitur, fit cōmunis, sed non datur illi Matronarū honor in Concilio generationis, & in tēplo, & in mensa. & hoc obseruant, ne ipsa sterilitatem procuret, luxuriandi gratia. Quæ autem conceperunt quindecim diebus non exercent corpora. Deinde lentis exercitiis vtuntur, ad roborandam prolem: & aperiendos meatus nutrimenti ad illam, ac paulatim semper maiori exercitio roborantur. Nec edere nisi proficua ex præscripto Medicorum permittuntur. Post vbi pepererint, ipsæmet lactant, educantque fœtus in communibus ædibus destinatis: duobus annis lac præbent & vltra, vti iubet Physicus. Deinde ablactata proles traditur curæ Magistrarum, si fœmina est, vel Magistrorum si mas. Et tunc cum aliis infantibus ludicre exercentur in Alphabetis, & picturis noscendis, & in cursu, & ambulatione, & luctamine: & historiis figuratis, & linguis: & veste decora, & varia ornantur, Post 6. annum scientiis naturalibus assuescunt. Deinde cæteris prout Magistratibus congruum videtur. Ac deinde mechanicis. At pueri ingenio abiectiores, mittuntur in villas. Et cum perfectiores euaserint

D Thom. in 5. polit lect. 13. docet a figura cœli hominū incl nationes ad mores sequi. Ergo &c.

aliqui recipiuntur in ciuitatem. At plerumque cum sub eadem constellatione generentur, contemporanei sunt virtute consimiles, & moribus, & effigie, & hinc concordia stabilis magna in Repub. suboritur, & mutuo amore & auxiliis sese prosequuntur.

De impositione nominum.

Ipsorum nomina imponuntur non casu, sed arte à Metaphysico iuxta proprietatem vt priscis Romanis mos fuit: quapropter alius vocatur pulcher, alius Naso, alius Crassipes: alius Toruus, alius Macer, &c. At cum euaserint præstantes in suis artibus, aut quid magni facinoris in bello, aut pace præstiterint: additur cognomen illis ab arte, veluti, Pulcher, Pictor magnus: Aureus: Excellens: Strenuus: aut ab actione dicendo Naso fortis. Astutus, Victor magnus, maximus: & à deuicto hoste, vt Aphricanus, Asianus, Etruscus: vel si superauit Manfredum, aut Tortelium dicetur, Macer Manfredius: Tortelius, &c. Hæc autem cognomina adduntur ab superioribus Magistratibus, & sæpius cum corona conueniente Actioni vel Arti, &c. Et cum applausu à Musica. Aurum enim & argentum ipsis nihili æstimatur, nisi sicut materia vasorum aut ornamentorum communium cunctis.

Hosp. Dic quæso estne zelotypia inter eos, & dolor ei, qui non electus est in Magistratum, aut in aliud quod ambit?

Gen. Minime. Nemini enim deest quod necesse habet, nec ad delitias. Generatio autem religiose tractatur in bonum Reipubl. & non priuatorum. Et necesse est Magistratibus obedire. Et quod nos dicimus naturale esse homini ad prolem cognoscendam, & educandam, propria vti vxore, & domicilio, & liberis, negant, dicentes generationem esse ad conseruationem speciei, vt dicit S Thom. & non indiuidui. Ergo spectat prolificatio ad Rempubl. non ad priuatos, nisi quatenus sunt Reipubl. partes; & quia praue generant, ac praue educant depriuari plerumque prolem in Reipub. perniciem, ideo Magistratuum curæ illam tanquam primum elementum Reipubl. Sacro-sancta Religione committunt. Et certitudo est communitatis non particularitatis. Distribuunt ergo generatrices & generatores præstantissimæ indolis iuxta Philosophiam. Plato hanc distributionem putat sortibus faciendam esse, ne à formosis mulieribus vidētes se arceri aliqui, & zelo & ira in Magistratus insurgāt: putatque eos, qui non merentur in formosioribus seminare decipiendos esse dum sortes educuntur astu à Magistratibus sic, vt semper illis obueniant quæ congruunt, non quas appetunt. Ast hæc astutia solaribus necessaria non est, vt desormes viri deformes sortiantur mulieres: Nam inter eos deformitas non inuenitur; Cum enim exerceantur mulieres, fiunt coloribus viuidæ, mēbris robustæ, & grandes, & agiles, & in proceritate ac strenuitate consistit pulchritudo apud eos. Idcirco pœna capitali punitetur si qua faciem fucaret, vt formosa fiat, aut altis scandaliis vteretur, vt appareret magna, aut vestibus caudatis, ad tegendos ligneos pedes. Sed nec vllam si cuperent facultatem talia faciendi haberent. Quis enim præberet illis? & aiunt huiusmodi abusiones apud nos suboriri ocio, & desidia mulierum: quo decolorantur, pallescunt, flaccescunt, & paruescunt: Idcirco indigent appositis coloribus, & sandaliis altis, & pulchras fieri non ex robore, sed ex teneritudine ignaua: Itaque propriam temperiem, naturamque & prolis simul pessumdant. Præterea si quando aliquis amore ardenti capitur mulieris cuiuspiam: licet eis colloquium, iocus, serta ex floribus aut frondibus mutuò largiri, & carmina. At si generatio periclitatur, nullo pacto coitus inter eos dispensatur, nisi quando mulier iam grauida fœtu fuerit (quod mas expectat) aut sterilis. Cæterum vix agnoscitur in eis amor concupiscentiæ ardentis, sed amicitiæ tantum. Res familiaris, & comestibilis parui penditur, quoniam cuilibet datur prout opus habet, nisi honoris signum sit. Porrò Heroibus, & Heroidibus largiri solet Resp munuscula honoris gratia in solemnitatibus, dum conuiuantur, aut serta formosa, aut cibum suauem, aut vestes decoras. Tametsi omnes albis in die vestibus, & in Ciuitate vtantur: noctu vero & extra Ciuitatem rubris, siue laneis siue sericeis: abominantur colorem nigrum sicuti fæces rerum: idcirco oderunt Iaponenses, atri coloris amicos. Superbiam vitium execrabilissimum ducunt, & superbus actus castigatur abiectione sæuissima: Quapropter nemo reputat vilitatem ministra-

Pulchritudo mulierum in quo consistit.

De colore vestiū.

Contra superbiā

re in mensa, vel in culina, aut ægris, &c. Sed vocant disciplinam omne ministerium: & aiunt ita honorificum esse pedi ambulare, & culo cacare: sicut oculo videre, & linguæ loqui: nam ille lacrymas, & ista sputum, excrementa excernunt, cum opus est. Idcirco cuicunque quilibet ministerio deputatus operatur illud tanquam honestissimum. Non habent mancipia fœdantia mores. Ipsi enim sibi ipsis sufficiunt, & superant. At nos, heu, non ita 70000. Animæ Neapoli commorantium: & ex eis vix laborant decem aut quindecim millia; & hi nimio labore macerantur continuo, & diuturno, & destruuntur. Ociosi quoque cæteri perduntur desidia, auaritia, ægritudine corporis, lasciuia, vsura, &c. plurimamque gentem contaminant, & peruertunt, detinendo illam in ipsorum seruitium sub paupertate, & adulatione, ac impartiendo propria illis vitia; ergo deficit publicum seruitium, & vtiles functiones. Campus, militia, & artes non nisi prauè coluntur: & cum fastidio multo paucorum. Ast in Ciuitate solis dum cunctis distribuuntur ministeria, & artes, & labores, & opera: vix quatuor in die horas singulis laborare contingit: reliquum licet tempus consumatur in addiscendo iucundè, disputando, legendo, narrando, scribendo, deambulando, exercendo ingenium, & corpus & cum gaudio. Nec permittitur ludus illis, qui fit sedendo, neque talorum, neque alearum, neque scacchorum, aut similium, &c. Ludunt pila, folliculo, trocho, lucta, iaculatione pali, Sagittæ, Archibusio, &c. Afferunt insuper paupertatem asperam efficere homines viles, astutos, dolosos, fures, insidiosos, exules, mendaces, testes falsos, &c. Diuitias vero insolentes, superbos, ignorantes, proditores, præsumentes quod nesciunt, fallaces, iactabundos, sine affectione, contumeliosos, &c. At communitatem efficere omnes simul diuites ac pauperes, diuites quia omnia habent: pauperes quoniam nihil possident; ac simul rebus non seruiunt, sed res ipsis, & in hoc valde laudant religiosos Christianitatis: maxime autem vitam Apostolorum.

Communis labor quid profit.

Hosp. Hoc pulchrum sanctúmque videtur: at communitas mulierum ardua nimis. Sanctus Clemens Romanus dicit & coniuges iuxta institutum Apostolicum communes esse debere, & laudat Platonem ac Socratem ita docētes: sed glossa intelligit hanc Communitatem, quoad obsequium non quoad Thorum. Ac Tertulianus consentit glossæ, priscos Christianos omnia communia habuisse, præter vxores: quę tamen & in obsequio communes fuerunt.

C 12 q 1. de Com. c dilectissimis.
De mulierum cōmunitate Disp.

Gen. Isthæc ipse vix noui. Hoc vidi Solaribus communes esse mulieres obsequio & Thoro: sed non semper neque more belluarum, quamcunque oblatam fœminam subagitantium, sed nisi gratia & ordine generationis vt dictum est. Credo tamen hos decipi posse in hoc. At ipsi tuentur se iudicio Socratis, Catonis, & Platonis, & S. Clementis, sed, vt dicis, male intellecti. Aiunt S. Augustinum communitatem approbare magis, sed non fœminarum quia est hæresis Nicolaitarum, in Thoro. Ecclesiam autem nostram permisisse, vt maius malū vitaret, & non vt maius bonū introduceret, proprietatē bonorū. Fieri posset vt quandoque hunc morem deponerent: nam in ciuitatibus subditis non sunt communia nisi bona alia: mulieres verò minime, nisi quoad obsequium, & artes. At solares id adscribunt imperfectioni aliorum, quia Philosophati minime fuerint. Nihilominus mittunt ad explorandum mores nationum: & meliores semper amplectuntur. Consuetudo quidem aptas bello mulieres facit, & aliis vsibus: Itaque Platoni consentio ex quo istas vidi: & rationes Caietæ nostri non satis approbo: minime verò Aristotelicas. Hoc egregium est illis, imitatione dignum: quod nullus defectus ociosos reddit homines, excepta decrepita ætate, quando etiam ad consulendum adhibentur. At qui claudus est seruit in excubiis speculans oculis, quos habet: Qui cæcus est carminat manibus lanam, exspoliando plumas pilis, quibus replentur anaclintéria, & puluinaria. qui caret oculis, & manibus, vsum autem Reipubl. commodat, vel vocis, &c. & tandem si vnum modò membrum habet, cum illo seruit vel in villis, & bene tractantur, & sunt exploratores Remp. admonentes quæcunque audierint.

Vide super hoc q. 4 & in lib de Monar Messiæ, contra Sotum, putantem hæresim esse communitatem, cum potius cō.rariū sit hæresis ex S Tho. August & Conc. Const. malè intellectis ab eo vide etiam antimachiauellismum vbi ista q. etiam tractatur. Caieta Consentinus in Dialogo de pulcro

Vigor euangelii non potest totus naturaliter nosci.

Hosp. Dic quæso nunc rem bellicam: deinde enim artes, & victum dices, & scientias, & postremo ipsorum religionem.

De rebellica.

Gen. Poteſtas triumvir ſubſe habet magiſtrum armorum, magiſtrum artilleriæ, & equitum, & peditum, & Architectorum, & ſtratagematum, &c. & horum cuilibet parent magiſtri, & artifices primarii multi eiuſdem artis. Inſuper Athletis præeſt: qui militare exercitium docent omnes; & hi prouecti ætate prudentes Duces ſunt; à quibus exercentur pueri poſt duodecimum annum: quamuis ante aſſueti ſint luctæ, curſui, iaculationi lapidum, &c. ſub magiſtris inferioribus. Nunc autem docentur ferire hoſtem, & Equos, & Elephantos; tractare enſem, lanceam, ſagittas, fundas, equitare, perſequi, fugere, manere in ordine militiæ, adiuuare commilitonem, arte præuenire hoſtem, ac vincere. Mulieres quoque has docentur artes ſub magiſtris & magiſtrabus propriis vt poſſint ſi quando opus foret, opem ferre maſculis in bello propinquo ciuitatis, &c. ac mœnia tueri, ſi quando inſaſio impetuoſa repente inundaret; & Lacedæmonas & Amazonas hic laudant. Quare bene norunt pilas ignitas archibugio iaculari; illas ex plumbo formare: iacere lapides ex pinnis, obuiam impetui ire. ac penitus adſueſcunt omnem abiicere metum, & quidem magna puniuntur pœna, qui timiditatem oſtenderint. Mortem nil timent, quoniam omnes credunt immortalitatem animorum: ac de corporibus exeuntes aſſociari ſpiritibus probis, aut prauis iuxta merita præſentis vitæ. Quamuis ipſi ſint Bracmani ex parte Pythagorici, tranſmigrationem animarum non aſſerunt niſi ex aliquo interdum iudicio Dei. Nec abſtinent à lædendo hoſtem Reip. & Religionis, humanitate indignum. Secundo quoque menſe exercitum luſtrant: & quotidianum eſt armorum exercitum, aut in campo equitando aut intra mœnia. Nec deeſt lectio de arte militari vnquam, curant legendas hiſtorias Moyſi, Ioſue, Dauid, Machabeorum, Cæſaris, Alexandri, Scipionis, Hannibalis, &c. Ac deinde ſententiam ſinguli dicunt propriam: hic bene fecerunt, hic male, hic vtiliter, hic honeſtè, & deinde reſpondet Præceptor, & decernit.

Hosp. Quibuſcum bella gerunt, & quas ob cauſas, cum ſint ita fœlices?

Gen. Etſi nunquam bella contigerent, nihilominus in arte militari exercentur, & in venatione, ne fortè molleſcant: atque omnem in euentum ne ſint imparati. Præterea quatuor ſunt regna in Inſula, quæ ipſorum fœlicitati inuident valde, eo quod Populi cuperent viuere more horum ſolarium ac potius his ſubeſſe, quàm propriis Regibus: quapropter ſæpè bellum in hos mouetur cauſando, quod confines vſurparint & impiè viuant, propterea quod non habeant Idola, nec ſectentur ſuperſtitiones Gentilium aliorum, nec Bragmanorum priſcorum. Et tanquam in rebelles inſurgunt alij Indi, quibus prius ſubditi erant: & Taprobanenſes, quibus primo indiguerunt. Nihilominus victores ſunt ſemper ſolares: Porrò hi cum primum patiuntur inſultum, aut dedecus, aut prædam, vel ipſorum amici vexantur, aut ab aliis Ciuitatibus tyrannide oppreſſis tanquam liberatores aduocantur, repentè in Concilium eunt conſultum. Vbi primo coram Deo genuflectunt, vt inſpiret conſilium optimum. Deinde examinantur merita negotiorum, & ſic indicitur bellum. Mittitur ſtatim Sacerdos, quem vocant Forenſem. Hic petit ab hoſtibus prædæ reſtitutionem, aut vt ſoluant oppreſſione ſuos amicos, aut deponant Tyrannidem: Quibus negantibus indicit bellum, inuocando Deum vltionum, Deum Sabaoth, in exitium eorum qui iniquam tuentur cauſam. Si vero detrectant reſpondere hoſtes, Sacerdos dat illi terminum reſpondi horam vnam, ſi Rex eſt, tres verò, ſi Reſp. ne illudere queant. Ac ita ſuſcipitur bellum contra contumaces Iuris naturalis & Religionis. Indicto bello, omnia exequitur Vicarius poteſtatis. Poteſtas autem quaſi dictator Romanus omnia proprio agit conſilio, & voluntate, vt tarditas noxia vitetur. At cum res magni momenti fuerit, conſulit O & Sapientiam & Amorem. Sed ante in conſilio magno proponitur à Prædicatore belligerandi occaſio, & iuſtitia expeditionis faciendæ: & intrant omnes in concilium à 20. annis, & ſupra, ac ita ordinantur neceſſaria. Scire liceat, apud ipſos omnia armorum genera in armamentariis adſeruari: quibus ſæpe vtuntur ad experimentum in prælis fictis. Singulorum circorum parietes exteriores pleni ſunt bombardis, & miniſtris ipſorum paratis: habent & alia huiuſmodi tormenta bellica, quæ Cannones vocantur, quæ ferunt in prælium ſuper Mulis, & Aſinis, & Carucis: & ſic vbi fue-

De modo belligerandi.

rint in aperto Campo, intercludunt in medio commeatus, & tormenta, & currus, & scalas, & machinas: & simul diù animosè præliantur. Mox pedem referunt sub vexillis quisque suis. Hostes vero decipiuntur putantes eos loco cedere, aut parare fugam: ergo insectantur: at solares in cornua & agmina vtrinque diuisi resumunt halitum & vires, iubentque artilleria pilas iaculari igniias, ac deinde reuertuntur ad pugnam contra perturbatos hostes. Et multa huiusmodi obseruant. Stratagematis & machinis, cunctos superant mortales: castrametantur more Romano; tentoria figunt, muniuntque vallo & fossa, celeritate mirifica. Adsunt Magistri operum & machinarum, & tormentorum: ligone & securi milites cuncti vti norunt. Habent & duces quinque aut 8. aut 10. consulentes in negotio bellico, ordinem & stratagemata docti, imperantes suis agminibus provt ante consuluissent. Solent & conducere agmen puerorum armatorum in equis, vt bellum discant, ac assuescant quasi catuli luporum, & leonum in sanguine: qui periculi tempore in tutum se recipiunt, & mulieres multæ armatæ cum eis. Ac post pugnam ipsæ mulieres & pueri bellatoribus blandiuntur, medicantur, seruiunt, amplexibus & verbis corroborant. Mirum quantopere proficiat hoc vnum. Milites quidam vt sese strenuos ostendant vxoribus ac natis, ardua aggrediuntur, & victores facit amor. In certamine qui primus scandit hostiles muros, accipit post conflictum coronam gramineam honoris ergo cum militari applausu à mulieribus & pueris. Qui socio auxilium præbet, coronam ciuicam, quercinam, qui Tyrannum occidit optima spolia templo sacrat, & ab O recipit cognomen facinoris. Alij alias coronas accipiunt. Equites gerunt quisque lanceam vnam, & duas ex ephippijs pendentes pistulas, validæ temperaturæ; angustas in orificio magis; qua de re penetrant omnem ferream armaturam. Macheram insuper habent & pugionem. Alij vero Clauam ferream, qui sunt leuis armaturæ milites. Nam si nequeat ferrea armatura hostilis, machera, nec pistola forari, aggrediuntur hostem claua, sicut Achilles Cignum: & conquatiunt, deiiciuntque. Duæ catenæ ex claua pendent sex palmorum; & in extremo illarum ferreæ pilæ, ita quod proiectæ in hostem circundant collum eius, trahunt deiiciuntque, prosternunt. vt .a. faciliùs vti claua possint, non tenent manu equi habenas, sed pedibus: Si quidem lora super ephyppijs sellæ decussatim permutantur. & staffis extrema innodantur fibulis, non autem pedibus. Staffæ autem exteriùs sphæram habent ferream, inferiùs verò triangulum. Idcirco permutante pede latus in triangulo contorquendo, in gyrum trahuntur sphæræ, provt fibulis pendent è staffilibus itaque contrahunt vel laxant frænum mirabili celeritate: & dextro pede torquent equum ad sinistram, sinistro verò ad dexteram. Hoc arcanum Tartaros quoque latet: nam licet pedibus regant habenas, nesciunt tamen torquere, attrahere, & extendere per trocleam staffarum. Equites leuis armaturæ primo committunt prælium Archibugiis, deinde phalanges hastis, deinde fundibularij qui in pretio habentur magno, & consuerunt pugnare intercurrentibus quasi in textura filis, aliis procedentibus, aliis sese recipientibus vicissim. Habent acies firmantes exercitum sarissis; ensibus autem postremum tentatur periculum.

Secretum de Equo gubernando pedibus.

Post bellum celebrant triumphos militares more Romanorum, & pulchriores: & supplicationes Deo in gratiarum actionem, & tunc Dux in templo se præsentat, & narrantur bene, ac male gesta à Poeta vel Historico, qui secum de more in expeditione fuit. Et Princeps maximus coronat Ducem laurea, & singulis strenuis militibus munuscula, & honores impartiuntur, qui & plures dies vacant à laboribus publicis. quod nec illis placet nimis: quoniam nesciunt ociosi esse: Itaque opem ferunt amicis. è contra enim qui propria culpa victi sunt, aut victoriam amiserunt, vituperio excipiuntur, & qui primus fugam arripuit, mortem euadere nullo pacto valet, nisi cum totus exercitus eius vitam poscit, & singuli partem pœnæ in se recipiunt. At rarò admittitur ad hanc indulgentiam, nisi vbi rationes multæ illi fauent. Qui verò socio aut amico non tulit oportunam opem, virgis cæditur. Qui inobediens fuit traditur bestiis deuorandus intra quoddam vallum, daturque baculus in manu eius; & si vicerit leones & vrsos, qui ibi sunt, quod fere impossibile est, recipitur denuo in gratiam.

Ciuitates subiugatæ aut vltro illis datæ, confestim omnia in communi reponunt

præsidium, & magistratus solares accipiunt, ac paulatim assuescunt moribus Ciuitatis solis, magistræ omnium: ad quam etiam filios docendos mittunt, nihil pro expensis contribuendo.

Operosum esset narrare de exploratoribus, & magistro ipsorum, & excubiis, & de ordinibus, ac ritibus intra & extra Ciuitatem; quæ ex te potes cogitare: quia eliguntur à pueritia iuxta inclinationem, & constellationem in ipsorum genituris inspectam. Quapropter singuli operantes iuxta naturalem propensionem suam, bene tractant ministerium suum, & iocundè, quia naturaliter. Idem dico de stratagematis & aliis functionibus, &c.

Excubiæ fiunt in Ciuitate diuque noctuque in quatuor portis & in extremis mæniis septimi gyri super propugnaculis & turribus, & aggetibus intrinsecis. In die quidem à fœminis, in nocte vero à maribus. & hoc ne pigrescant, & ob fortuitos casus: vigilias partiuntur sicut milites nostrates horis ternis. Et in solis occasu ad sonum tympani, & symphoniæ armati custodiæ distribuuntur. vtuntur venatione vt belli imagine, & ludis, pedes & equites in plateis quibusdam in festiuitatibus. Deinde sequitur musica, &c. libenter culpas & offensas inimicis condonant: & post victorias benefaciunt illis. si muros diruere aut capita hostilia interficere decretum est. Hæc omnia vno eodemque die victoriæ faciunt. Deinde beneficia non cessant illis conferre, & dicunt, non esse pugnandum, nisi vt victos reddant meliores, non autem vt extinguant. Si inter eos concertatio est de iniuria, aliaue de re; (nam ipsi vix nisi de honore contendunt.) Princeps eiusque magistratus castigant reum clanculum, si in iniuriam factis proruperit post iram primam. Si verbis expectant decisionem vsque ad prælium, dicendo iram euomendam esse contra hostes. qui autem in bello gesta præclariora ostenderit, ille in contentione causam meliorem deffendisse & veritatem reputatur. Alter vero cedit. At circa Iustum pœnæ sunt. Veruntamen ad monomachiam venire non datur: tum quia tollitur virtus Tribunalis: tum quia iniusta sæpè apparet, quando iustior succumbit. qui autem se meliorem ostendere profitetur in publico bello id agat.

De opificio.

HOSP. Operæpretium, ne factiones foueantur in Patriæ perniciem, ac Ciuilia bella extinguantur, ex quibus oritur Tyrannus sæpè, veluti Roma, & Athenæ admonent. Nunc ipsarum, rogo, dic opificia, &c.

GEN. Audisse te credo, quo pacto communes sunt illis ars militaris, agricultura, Pastoralis: quilibet enim has nosse tenetur, quas in primo nobilitatis gradu celebrant. Attamen, qui plures callet artes, nobilior habetur, & ad discendam artem is addicitur, qui aptior est ad ipsam. Artes operosiores sunt apud eos laudabiliores, veluti Ferraria, ædificatoria &c. ac nemo aggredi ipsas detrectat, eoque magis, quod in ipsorum Genesi propensio patet: & inter eos ob laborum distributionem, nemo laborem adit destructiuum indiuidui, sed conseruatiuum modo. Artes operosæ minus, fœminarum sunt. Nosse natare omnes tenentur. & hanc ob rem sunt piscinæ extructæ extra mœnia Ciuitatis, & intra propè fontes. Mercatura illis exiguum præstat vsum. Agnoscunt tamen pretia monetarum, & cudunt pecuniam legatorum & exploratorum gratia, vt pecunia victum comparent. Ex variis mundi Regionibus accedunt ad Ciuitatem ipsorum Mercatores empturi superflua bona Ciuitatis. Solares autem renuunt pecuniam accipere, sed merces rerum, quibus ipsi carent, accipiunt in communicatione & sæpe emunt pecunia. Ac pueri Solares in risus prorumpunt, cum vident pro paruo pretio tantam mercium copiam elargiri: At non ita senes ridént. Nolunt a mancipiis & aduenis Ciuitatem prauis moribus labefactari. Ideirco mercantur in Portis, & vendunt quos bello capiunt, aut excauandis fossis, aut operosis laboribus extra Ciuitatem ipsos destinant. Quo perpetuo quatuor militum agmina mittuntur ad custodiam agrorum, ac simul laboratores: ex quatuor portis, quæ vias habent lateribus constructas vsque ad mare, vt faciles res conducantur, & aduenæ non impediantur. Quibus sanè iucundi sunt ac munifici. Tribus diebus publicis expensis alunt eos, lauant pedes ipsorum primo. Ostentant Ciuitatem, & ordinem ipsius, concilio & mensa publica eos secum dignantur, & sunt viri deputati ad hospitum curam

De custodia agrorum.

De hospitio exhibendo.

& custodiam At si velint fieri Ciues in Rep. solis probant eos per mensem in villa: & alterum mensem in Ciuitate: deinde decernunt & recipiunt eos certis ceremoniis, & iuramentis, &c. Agricultura plurimi fit: non est Terræ palmus absque fructu. obseruant ventos Stellasque propitias. paucis relictis in Ciuitate exeunt omnes armati in camposad arandum, seminandum, fodiendum, sarculandum, metendum, colligendum, vindemiandum, cum Buccinis, Tympanis, & vexillo, & omnia expediunt paucissimis horis perficiuntque labores, ex arte. Carris vtuntur velis superspársis, quæ vento feruntur etiam contrario, artificio mirabili rotarum contra totas, & cum ventus deest, bestia vna plaustrum magnum trahit, pulchrum visu. Custodes territorij discurrunt interim armati semper per vices. Stercoratione non vtuntur ad campos impinguandos, & lutis putantes, quod semina quid marcoris contrahant, ac vitam breuem manducata efficiant, & flaccam, veluti mulieres fuco & non exercitio pulchræ prolem pariunt languidam: quapropter nec tellurem ipsi fucant; sed benè exercent, & arcanis vtuntur remediis, vt citò nascantur semina, & multiplicentr, nec perdantur, librum habent ad hoc opus, quem vocant Georgica. Pars territorij quanta sufficit, aratur, reliqua remanet in pascua animalium. De agricultura. De Carris. De custodia agrorum.

Porrò generosa ars procreandi educandique equos, boues, pecudes, canes, omnéque genus bestiarum domesticarum, & cicurum, in summô est pretio apud eos, sicuti fuit in tempore Abrahæ. & ita perducuntur ad coitum, vt bene generare queant. Apponuntur picturæ nobiles boum, equorum, pecudum, &c. Emissarios equos equabus non associant ad pastum, sed opportuno tempore copulant eos in atrio stabulorum campestrium: obseruant Sagittarium in horoscopo, in bono aspectu Marris & Iouis. Pro bobus Taurum, pro pecudibus Arietem, &c. Secundum artem. Habent gregem Gallinarum sub pleiadibus: Anates, Anseres, ductas ad pastum à mulieribus propè Ciuitatem, non sine ipsarum oblectatione. vbi & loca sunt, quibus clauduntur: & vbi caseum, butyros, & lacticinia conficiunt. curant capones castratos multos, & fructum, &c. Extat liber de hac re, quem Bucolica vocant, Omnibus abundant rebus, quoniam quilibet esse primus cupit in labore. quia paucus est, & fructuosus. ipsique benè dociles sunt: & quicunque inter eos caput est aliorum in huiusmodi ministeriis appellatur Rex Dicunt enim hoc esse nomen proprium ipsorum & non ignorantum. Mirum quomodo gregatim mulieres ac viri incedunt, ac nusquam præter obedientiam Regis: nec ab hoc fastidium contrahunt, vt nos quoniam agnoscunt illum vt patrem aut fratrem maiorem. Habent nemora & syluas ferarum, quibus sæpè exercentur. De Arment.

Ars nautica dignificatur valdè apud eos, & habent rates & triremes quasdam, absque remigio, & absque ventis, miro artificio mare perambulantes: alias verò ventis & remis agitatas. Benè norunt stellas, ac fluxus refluxúsque maris. Nauigant gratia cognoscendi gentes, & Regiones varias, & res. Nemini iniuriam inferunt, nec inferri patiuntur, non præliantur nisi lacessiti. Dicunt orbem terrarum eo venturum totum, vt viuat iuxta mores ipsorum, idcirco semper perscrutantur, num alia sit natio, quæ probatiorem & præstantiorem viuat, vitam. Admirantur Christianã institutionem: & vitam Apostolicam in se & in nobis expectant. Federa habent cum Chinensibus, & cum populis multis, insulanis, & continentis, Siam, Caucacinæ, Calicuti, per quos explorare modo possint. Habent quoque & ignes artificiales ad pugnas nauales, & terrestres, multaque stratagematum arcana: Ideò nunquam ferè non sunt victores. De Nautica.

Hosp. Pergratum esset nunc audire quibus nutriantur cibis, & potibus, & quomodo & quanta est ipsorum vita. De vita & victu totius & partium Resp.

Gen. Ipsi docent prius consulendum esse vitæ totius deinde partium. Idcirco quando Ciuitatem extruxerunt signa fixa posuerunt in quatuor mundi angulis. In horoscopo Leonem & Iouem à Sole Orientalem. Mercurium verò ac Venerem in Cancro, sed propè quod facerent Satellitium. Martem in Sagittario in quinta fœlici aspectu Aphetam & horoscopum roborantem. Lunam in Tauro, quæ bene aspiciebat Mercurium & Venerem, nec tamen quadrato feriebat Solem, Saturnus quartam appetebat domum, nil tamen lædens Solem & Lunam, sed stabiliens fundaméta erat

Fortuna cum Algol erat in decima, ex quo ipsi augurabantur sibi dominatus firmitatem, & excellentiam. Porrò & Mercurius in bono virginis aspectu, & absidis à Lina illustratus malus esse non potest: & cum Iouialis sit, ipsorum scientia non mendicat, parum curant in Virgine ipsum præstolari, & coniunctionem, obseruant quoque ad robur & diuturnitatem vitæ singularum positionem stellarum in conceptione, vt dictum est. Dicunt enim Deum causas dedisse rerum, quibus sapiens vti non abuti debet.

De Cibis. Cibus ipsorum sunt carnes, butyrum, mel, caseus, dactyli & olera varij generis, & à principio nolebant animalia occidere, eo quod crudele videretur: at considerantes postea crudele quoque esse herbas occidere quæ sensum & ipsæ participāt: vnde fame perire opus erat: intellexerunt res ignobiles nobiliū gratia factas esse ideoq; nunc omnibus vescuntur. non tamen libenter occidunt animalia fructuosa, vt boues & equos. Distinctionem obseruant ciborum vtilium & noxiorum, & ex Medicinæ scientia vtuntur eis. Ter cibum perpetuo mutant: primò manducant carnes. Secundò pisces. Tertiò herbas, deinde reuertuntur ad carnes, ne grauetur nec extenuetur natura. Senes vtuntur cibis digestibilioribus & manducant ter in die & parum. Communitas verò bis, pueri quater, vt Physicus dispensat. Viuunt vt plurimum ad centum annos: plerique verò ad ducentos.

De potu. In potu temperatissimi sunt. Vinum iuuenibus non conceditur vsque ad decimum nonum annum nisi necessitas sanitatis vrgeat. Post hoc tempus diluto aqua vtuntur. Ita & mulieres. senes quinquagenarij aquam plerumque non apponunt. Manducant pro anni temporibus vtiliora: & omninò, vt à Prothomedico, qui hoc curat consulitur. Nihil noxium tunc reputant, quando à Deo producitur, nisi quantitatis multæ abusus adsit. Idcircò in æstate fructibus vescuntur, quia humidi sunt, succique pleni & frigidiusculi, contra æstus ardorem & ariditatem, in hyeme siccis rebus, in autumno vuis, quoniam contra atrambilem, & tristitiam datæ sunt à Deo, vtuntur plurimum odoribus. Manè surgentes pectunt caput, lauantur vultum & manus in aqua frigida omnes. Deinde dentibus masticant mentam, aut petroselinum, aut maratrum, vel manibus confricant: Seniores Thus, & orant Orientem versus breui oratiuncula per simil orationi quam nos docuit IESVS CHRISTVS. Et egrediuntur alii ad ministrandum senibus, alij in chorum, alii ad functiones Reip. Deinde se conferant ad lectiones primas. Deinde in templum. Deinde ad exercitiū corporale. Deinde quiescunt parumper, sedendo: & tandem ad prandium accedunt.

Nota.

De morbis Solarium & cura. Inter eos non est podagra, neque chiragra, nec catarrhi, nec schiatica, nec colici dolores, nec inflationes & flatus: hi enim morbi à distillatione oriuntur, & ab inflatione: ipsi autem frugalitate, & exercitio dissoluunt humorem omnem & flatum. Quapropter dedecus & magnum si quis spuere & excreare conspicitur: aiunt enim hoc signum esse vel pauci exercitii, vel ignauæ pigritiæ, vel crapulæ & ingluuiei. potius inflammationibus laborant, aut spasmo sicco: quibus copia succulenti probique cibi succurrunt. Hecticas verò dulcibus curant balneis; & lacticiniis, & habitatione amœna in villis, & lento, lætoque exercitio. lues venerea præualere non potest inter eos, quoniam crebro lauacro vini corpora mundant. oleisque aromaticis leniunt, & sudore exercitij dissoluunt vaporem fœtidum à quo putrescit sanguis, & medulla. Phthysin minus patiuntur, quia distillatione carent ad pectus, minime autem asthma: cuius constitutioni crassus humor requiritur Curant febres ardentes frigido aquæ potu. Ephemeras verò odoribus, & brodio pingui, aut somno, aut sonis, aut exultatione. Tertianas emissione sanguinis, & Reubarbaro, aut persimili attractiuo, aut decocta aqua in radicibus herbarum purgatiuarum & acetosarum. Sed raro medicinam purgatiuam bibunt. Quartanas facile curant, repentinum improuisis metum incutientes & herbis humori quartanæ oppositis, aut persimilibus: & ostenderunt mihi arcana contra ipsas.

Diligentiori opera curant continuas, à quibus pauent magis, & obseruatione stellarum, & herbarum, & precibus ad Deum contra ipsas dimicant. Quintanas, sextanas, octanas, &c. fere nullas vides, vbi crassi humores desunt.

Vtuntur

Vtuntur balneis, ideò & thermas habent ritu Romanorum; & oleis, ac longe plura remedia arcana inuenerunt, ad munditiem, sanitatem, & robur seruandum. His aliisque modis dimicant contra morbum sacrum quo crebro infestantur.

Hosp. Signum mirifici ingenii, vnde Hercules, Scotus, Socrates, Callimachus, & Machomettus eodem laborarunt.

Gen. Dimicant autem precibus ad Cœlum: corroboratione capitis: & rebus acidis, & exquisita exultatione & brodiis pinguibus insparsis flore farinæ triticeæ. In condiendis ferculis peritissimi sunt: apponunt macim, mel, butyrum, aromata multa valdè corroborantia: & pinguedinem acetosis temperant, ne vnquam respuant. Non bibunt frigidum niue potum, nec calefactum ex arte, vti Chinenses; non enim indigent auxilio contra humores in caloris natiui subsidium, sed hunc roborant contuso allio, aceto, serpillo, menta, basilico, in æstate, & lassitudine præsertim. Norunt & arcanum ad renouandum vitam quolibet post septennio, absque afflictione, & ex arte suaui, ac mirifica quidem.

Hosp. Adhuc de scientiis, & magistratibus non dixisti.

De Magistratuum electione, & regimine, & concilio iterum ac prestius.

Gen. Vtique: sed quoniam ita curiosus es, plura annectam. Quolibet in nouilunio, ac plenilunio congregant concilium post Sacrificium. Huc admittuntur omnes à 20. annis & supra, & interrogantur vna singuli, vt referant, quid desit Reip. qui magistratus suo munere rectè fungantur, & qui prauè. Item post octauum quemque diem omnes magistratus congregantur, videl. O. primus, & cum eo Potestas, Sapientia, & Amor, Quorum quisque tres sub se magistratus habet, qui simul sunt 13. iique functiones artium sibi conuenientium habent. Potestas militiæ, Sapientia scientiarum, Amor, victus, vestitus, generationis & educationis. Conueniunt & omnium agminum magistri, qui sunt decuriones, quinquagenarii, centuriones, cum mulierum, tum virorum, & tractatur de his, quæ Reip. intersunt, & eliguntur magistratus, qui tantummodo nominati antea fuerant in concilio magno. Itidem quotidie consilium ineunt. O, & tres viri Principes, de rebus occurrentibus: & corrigunt, & confirmant, & exequuntur quæ decisa sunt in electionibus; alia prouident necessaria. Non vtuntur sortibus, nisi vbi sunt omnino dubii quo pendere debeant. Hi Magistratus permutantur iuxta populi voluntatem. At priores quatuor nunquam: nisi ipsimet de Consilio inter eos habito cedant dignitatem illi, quem pernouerint sapientiorem seipsis, & ingenio clariorem & puriorem; profectò ita dociles, ac probi sunt, quod libenter cedunt sapientiori, & ab eo discunt. Sed hoc raro accidit. Principalia scientiarum capita subiiciuntur Sapientiæ triumuiro, præter Metaphysicum, qui est ipse O, qui omnibus scientiis imperat, sicut Architectus: & pudet illum quippiam possibile mortalibus ignorare; sub sapientia ergo est Grammaticus, Logicus, Physicus, Medicus, Politicus, Moralis, Oeconomicus: Astrologus, Astronomus, Geometra, Cosmographus, Musicus, Prospectiuus, Arithmeticus, Poeta, Rhetor, Pictor, Sculptor. Sub Amore triumviro est Genitarius, Educator, Medicus, Vestiarius, Agricola, Pastor, Armentarius, Cicurarius, Magnus Coquinarius, Farctor, &c. Sub Potestate triumviro sunt Stratagemmarius, Campionista, Ferrarius, Armarius, Argentarius, Monetarius, Architectus, Magister exploratorum, Magister Equitum; & Peditum, & Equorum: Gladiator, Bombardarius, Fundibularius, Iustitiarius. Ac hi omnes sub se habent particulares artifices.

Hosp. De Iudicibus autem quid?

De iudicãdi modo & iudice.

Gen. Hoc dicere cogitabam, singuli iudicantur à Magistro primo suæ artis, ergo omnes Artifices primates sunt iudices, & puniunt exilio, flagellis, vituperio, priuatione mensæ communis, interdicto Ecclesiæ, commercii mulierum. At cum casus accidit iniuriosus, morte punitur, & oculum pro oculo soluunt, nasum pro naso, dentem pro dente. &c. Iuxta legem talionis; si casus est voluntarius, & præfuit consilium. Quando verò rixa est, ac nullo præeunte consilio accidit, sententia mitigatur: non tamen a Iudice, sed à triumuiratu, à quibus etiam prouocatur ad O non per Iustitiam, sed per gratiam. Hic autem potest condonare. Carceres non habent, nisi turrem vnam ad includendos rebelles hostes, &c. Non scribitur libellus causæ, quem vulgo

dicimus processum. Sed coram iudice ac potestate accusatio & testes producuntur, & reus respondet defensionem; & statim absoluitur aut condemnatur à Iudice, & si prouocat ad Triumvirum, sequenti die absoluitur aut condemnatur. Tertio vero die ab O aut gratis dimittitur per indulgentiam, aut sententia inuiolabilem accipit firmitatem: & reus accusatori conciliatur & testibus, tanquam medicis suæ ægritudinis, amplexu, osculoque, &c. Nec quispiam moritur nisi manibus populi occidatur aut lapidetur, primo tamen incipientibus accusatore ac testibus: Carnifices enim & Lictores non habent ne fædetur Respub. Aliis verò datur electio mortis, qui sibi pulverem bellicum in sacculis circundant & supposito igne cremantur, assistentibus hortatoribus ad bene moriendum. Tota autem Ciuitas collacrymatur, & precantur Deum vt sedetur ira sua, dolentes quod eò deuenerint, vt membrum Reip. putridum habeant resecandum. Et quidem rationibus ipsum reum conuincunt & sermocinantur donec ipsemet acceptet cupiatque sententiam capitis, alioquin nec moritur. At si facinus commissum est contra libertatem Reip. aut contra Deum aut contra Magistratus supremos, absque misericordia fit subito animaduersio. Hi tantummodo morte puniuntur. Qui autem moriturus est coram populo cogitur ex religione dicere causas, quibus non deberet mori, & peccata aliorum qui mori & ipsi deberent: & culpas magistratuum: asserendo quod hi deteriis supplicium merentur, si tamen ita videtur illi in conscientia. Ac si vicerit rationibus, mittitur in exilium: & expiant Ciuitatem precibus, Sacrificiis, & emendationibus. Non tamen nominatos à Reo vexant sed admonent. Peccata fragilitatis & ignorantiæ puniuntur tantummodo vituperiis, & coactione ad consuetudinem continentiæ, aut ad disciplinam illarum scientiarum aut artium, contra quas peccauit. & ad se inuicem ita se habent, quòd videntur omnino esse eiusdem corporis membra & alter alterius. Hic scias velim quod, si quis peccator non expectata accusatione vltro magistratus adit accusans se ac petens emendationem, liberatur à pœna occulti criminis, quæ commutatur in aliam, dum accusatus non fuisset. Magnopere cauent ne cui quispiam calumniam struat: si quidem in pœnam talionis incidat est opus. & quia semper turmatim ambulant & operantur, quinque testes ad conuincendum peccatorem requiruntur: alioquin præstito iuramento liberatur cum comminatione. Sin secunda & tertia vice accusatur sub duobus aut tribus testibus geminatam pendet pœnam. Ipsorum leges paucæ sunt, ac breues, & claræ, descriptæ omnes in tabula ærea, pendente ad valuas templi, hoc est in columnis: & quidem in singulis columnis inscriptæ cernuntur quidditates rerum Metaphysico stylo ac breuissimo. Quid videl. est Deus, quid Angelus, quid Mundus, Stella, Homo, Fatum, Virtus, &c. Magno quidem sale: & omnium virtutum definitiones ibi sunt delineatæ, & iudices omnium virtutum sedile habent, hoc est tribunal, quilibet sub ea columna, in qua virtutis, cuius sunt Iudices, definitio extat: & cum iudicat ibi sedet dicens. Fili tu peccasti contra hanc sacram definitionem, beneficientiæ, vel magnanimitatis, vel, &c. Lege. ac habita discussione, condemnat ipsum ad pœnam, cuius est reus, videl. maleficientiæ, abiectionis, superbiæ, vel ingratitudinis, vel pigritiæ, &c. Condemnationes autem sunt certæ veræque medicinæ, & quidem suauitatem redolentes magis, quàm pœnam.

Leges. Iudicium.

HOSP. Iam te dicere oportet de Sacerdotibus, sacrificiis, & Religione, ac fide ipsorum.

De sacerdotibus & Religione, sacrificio, & oratione.

GEN. Summus Sacerdos est ipse O & omnes Magistratus, at primiores tantum, eorum munus est conscientias expurgare. Itaque vniuersa Ciuitas clancularia confessione, qua vtimur & nos, peccata sua pandunt magistratibus, qui simul purgent animas, ac addiscant quæ peccata grassentur in populo. Deinde ipsi Magistratus sacri confitentur peccata propria tribus Principibus supremis, & confitentur simul aliena: neminem tamen nominando, sed confusè, præsertim grauiora, & noxia Reip. Ipsi tandem tres viri eadem peccata ac propria simul confitentur ipsi ☉, qui proinde agnoscit, quæ peccatorum genera grassantur in Ciuitate, & succurrit opportunis remediis. Tunc offert sacrificium Deo, & preces: ac prius confitetur peccata totius Populi coram Deo, publicè in templo super altari, quotiescunque necesse fuerit cor-

rectione, neminem tamen peccatorem ex nomine declarando. Itaque absoluit populum commonendo vt caueat ab huiusmodi criminibus; deinde sacrificiū offert Deo, vt Ciuitati condonet, & ipsam à peccatis absoluat, & doceat, & defendat: semel in anno quoque Principes supremi singularum Ciuitatum subditorum quisque suorum fatentur peccata coram ☉. Vnde nec mala prouinciæ ignorat, & humanis, & cœlestibus remediis, proinde consulit omnibus, &c.

Sacrificium est huiusmodi. ☉ interrogat populum, quisnam ex eis velit se sacrificium Deo dare pro membris suis, & qui sanctior est seipsum offert. Tunc super quadrata tabula ceremoniis & precibus prælibatis ponitur, quæ nimirum per fibulas quatuor funibus quatuor alligata, pendentibus ex quatuor trochleis testitudinis paruæ, & clamant ad Deum misericordiarum, vt acceptum habeat sacrificium illud humanum voluntarium, non ferinum inuoluntarium, quod Gentiles faciunt: mox funes trahi iubet O, sacrificiumque sursum eleuatur ad centrum testitudinis paruæ, ac ibi orationibus se dedicat feruentissimis: & cibus subministratur illi per fenestram à Sacerdotibus circum habitantibus, sed parce, donec Ciuitas expiata fuerit, ipseque oratione & ieiunio precatur Deum Cœli, vt spontaneum acceptet sacrificium sui, & post 20. aut 30. dies placata ira Dei, fit sacerdos, aut (sed rarissime) reuertitur deorsum, sed exteriorem per viam Sacerdotalem. Et hic vir in posterum honore & beneuolentia tractatur multa: eo quod ipse se in mortem obtulit pro patria. Deus autem mortem non vult. Insuper 24. Sacerdotes super templo commorantur, qui in media nocte, & in meridie, & in mane, & in vesperi, quater videl. in die psalmos canunt coram Deo, eorumque munus est inspectare stellas & Astrolabiis earum motus notare & effectus in res humanas, & vires pernosse. Idcircò norunt in qua Regione orbis quænam fuerit mutatio, aut futura sit, & in quo tempore, & mittunt exploratum si ita se res habeat, & notant prædictiones veras, & falsas, vt possit ex experientia rectissime prædicere. Hi decernunt horas generationis, & dies sationis, & messis, & vindemiæ, ac sunt veluti internuncii, & intercessores, & copula inter Deum, & homines, & ex his vt plurimum sufficiuntur O: scribunt præclara & scientias inuestigant. Deorsum non descendunt nisi ad prandium, & cœnam, vti spiritus ex capite ad ventriculum & iecur: mulieribus non commiscentur, nisi rarò ob corporis medicinam. singulis diebus O ascendit ad illos, & ratiocinatur cum eis de his quæ nouiter inuestigauerunt in beneficium Ciuitatis, & omnium mundi nationum.

In templo infernè perpetuo vnus de populo adsistit orans corā altari, & alius singulis horis sibi succedit, sicut nos consueuimus in supplicatione solemni quadraginta horarum, & hunc orandi modum vocant iuge sacrificium. Post refectionem referunt gratias Deo in Musica. Deinde canuntur gesta heroum Christianorum, & Hebræorum, & Gentilium, & omnium nationum, & hoc delitiosum est illis. Nemini quippè inuident. Canuntur hymni de Amore, de Sapientia, & de omni virtute sub Magisterio Regis sui. Assumit quilibet quam magis amat mulierem, & chorea exercentur honesta formosaque sub peristiliis. Mulieres gestant prolixos capillos consertos collectosque in nodum vnum omnes in capitis coronide eductos, tamen in contextum cincinnum vnum: homines verò vnum modo cincinnum attonsis circum reliquis crinibus, vnum velum, & vnum desuper Capucium rotundum parum excedens capitis formam. Pileis in campestribus vtuntur, domi vero biretis albis, aut rubris, aut variis iuxta artem aut ministerium quisque suum, Magistratus vero grandiusculis & pomposioribus. Ipsorum festiuitates magnæ sunt, quando sol quatuor mundi cardines intrat, hoc est in Cancrum, in Libram, in Capricornium, & Arietem. & doctas formosasque exhibent actiones, quasi comicas, & singulis pleniluniis, & nouiluniis festum celebrant: & in diebus quando Ciuitatem fundauerunt aut victorias reportrauerunt, aut, &c, & cum musica vocum fœminearum, & cum tubis & tympanis, & bombardis. Ac Poetæ canunt laudes præclariorum ducum & victorias. Veruntamen qui mentitur, etiam in alterius hæroïs laudem, punitur. Non potest poëtæ munus exercere, qui mendaciter fingit, hancque licentiam iudicant esse orbis humani perniciem: eo quod auferat præmium virtutibus, ac aliis præbeat sæpe vitiosis, ex metu, vel adu-

De festis diebus.

De Poetarum vsu.

latione, ambitione, & auaritia. In nullius gloriam erigitur statua, nisi post eius mortem. Attamen viuens inscribitur in libro hæroum, quicunque inuenisset nouas artes aut arcana vtilissima, vel beneficium ingens siue domi siue militiæ in Remp. contulerit. Non humantur corpora defunctorum, sed cremantur, vt pestis non suboriatur, & ipsa conuertantur in ignem, rem tam nobilem ac viuam, quæ à Sole venit, & ad Solem regreditur. Item & ne idololatriæ detur occasio. Remanent tamen statuæ ac picturæ Heroum: ipsasque inspectant formosæ sępè mulieres, generationi dedicatæ, à Rep. Orationes fiunt ad quatuor mundi angulos horizontales, & quidem mane ad Ortum Solis, deinde ad Occasum deinde ad Austrum, deinde ad Septentrionem, è contra in Vespere primo ad Occasum, deinde ad Orientem, deinde ad Septentrionem, & deinde ad Austrum, & replicant vnum modo carmen, quo postulant corpus sanum & mentem sanam sibi ipsis: omnibusque gentibus, & beatitudinem: & concludunt, veluti Deo videtur optimum! Cæterum Publica oratio prolixa est: & in Cœlum effunditur. Idcirco altare rotundum est, & ad angulos rectos decussatim diuisum interviis, per quas O intrat, post quatuor repetitiones, ac rogat suspiciendo Cœlum: hoc illis obseruatur vt mysterium magnum. vestimenta Pontificalia sunt formositatis, & significationis instar Aaronis. Imitantur naturam, & mirificant artē.

De orandi ritu.

Tempora partiuntur iuxta annum tropicum, non autem sidereum: sed quotannis notant quantum temporis illud anticipet istud. Opinantur solem perpetuo deorsum appropinquare: ideoque peragrando circulos angustiores peruenit hoc anno ad Tropicos & Æquinoctia, antequam præterito: aut videtur peruenire eo quod oculus humilior cernendo ipsum in obliquo, prius quoque peruenire ac obliquare conspicit. menses lunari metiuntur cursu, annum vero solari. Ideoque hunc illi non concordant vsque ad 19. annum, quando etiam caput Draconis suum perficit cursum. Qua de re nouam condiderunt Astronomiam. Laudant Ptolomeum, admirantur Copernicum: & si Aristarcum ac Philolaum ante illum. Sed dicunt alterum motuum notare calculis: alterum fabis: neminem vero ipsis rebus numeratis mensisque. ac satisfacere mundo in moneta, significatoria, & non reali. Idcirco ipsi summo conatu hoc negocium perscrutantur, necessarium enim est valdè ad cognoscendam mundi constructionem, & fabricam: & num periturus sit, neene, & quando. & prorsus verum esse credunt. IESV CHRISTI ORACVLVM, de signis in sole, & luna, & stellis: quæ stultis nostratum multis non ita apparent: quos mundi interitus sicut fur in nocte comprehendet. Ergo expectant illi seculi renouationem, forte & finem. Aiunt dubitationis plenum esse num factus sit mundus ex nihilo, aut ex ruinis aliorum Mundorum, aut ex Chao, sed verisimile existimant, imo certum quod factus fuerit, & non ab æterno. Idcirco valde in hoc Aristotelem oderunt, quem Logicum appellant, non philosophum. Et ex anomaliis rationes contra æternitatem eliciunt plurimas. Solem & stellas tanquam res viuentes ac statuas Dei, & Templa, A tariaque cœlestia viua, honorant, non autem adorant. Præ cunctis verò venerantur Solem. At Creaturam nullam latriæ adoratione dignantur, hanc soli Dei exhibent: ideoque illi soli seruiunt, ne incidant in Tyrannidem, & miseriam seruiendo Creaturis in pœnam Talionis. Et sub solis signo Deum contemplantur, & cognoscunt, illumque vocant insigne Dei, vultum, & statuam viuam, per quam lux, calor, vita, & rerum productio in inferiora defluit, & omnia bona. Idcirco altare instar solis exstructum est. & sacerdotes Deum in sole adorant & in stellis tanquam altaribus, & in cælo tanquam templo, & implorant bonos Angelos tanquam intercessores, qui morantur in stellis, viuis domiciliis ipsorum. Nam & pulchritudines suas longe magis ostentasse Deum in Cœlo, & in Sole suo tropheo, ac statua, fatentur. Negant excentricos & epicyclos Ptolemaicos, & Copernicianos. Asserunt vnum esse modo Cœlum, Planetasque à se ipsis moueri, & eleuari, quando soli appropiuquant & coniunguntur. Ideoque & pigrius in ampliori circulo ad anteriora ferri: quorsum omnes ire contendunt: cum vero apponuntur soli, paulatim inclinari ad recipiendam lucem ab eo, & breuiorem curriculum assumere, quia terrę propinquiores sunt, itaque & celerius in anteriora ferri, & quando ęquali velocitate cum fixis gradiuntur, dici stationarios, quando

De Astronomia in sacris temporibus ciuilibus.

celeriori, retrogrados secundum vulgares Astronomos: quando pigriori, directos ob maiorem lucem, quam excipiunt, eleuanturque &c. nam ex quadraturis, & in oppositionibus humiliati, vt ab illo non elongentur. Lunam vero & in oppositione, nedum in coniunctione eleuari, eo quod sub sole fit. Itaque stellas omnes quamuis ab ortu in occasum ferantur, videri è contra moueri: qnoniā stellarum Cælū velociter conuoluitur totū in 24. horis Ipsęque nō ita velociter, sed relinquuntur in itinere: proptereaque pręuentas à Cœlo, videri retrorsū cieri. Lunā tamen nobis citimā, non videri in oppositione, & coniunctione retrorsum currere vnquam, sed parum modo in in anteriora tunc præferri quando lumine multo, aut supernè, aut infernè repletur. Nam primum Cœlum est tantæ velocitatis præ ipsa, quod non videri potest in anteriori ita ferri, vt excedat grad. 13. quibus ab illo deficit: ergo nec retrocedere: sed solum tardari, aut accelerari ante & retro. vnde patet Epicyclos, & excentricos non requirere, vt eleuentur, & deprimantur, & repedent, & pigrescant. Profectò hoc affirmant, sidera errantia in certis mundi partibus sympathiam nancisci cum rebus supernatibus. ac ibi immorari propterea magis: ideoque dici in absidem erigi. Porrò quare Sol in Septentrionali plaga plus immoretur quam in Australi, Physicam reddunt causam, videlicet ibi eleuari ad terram comburendam vbi ipsa vires plures sortita est dum ipse excursitauit in meridiem, quando ortus est simul cum mundo. Quapropter in Autumno nostro & vere Australis plagæ mundum incepisse asserunt, cum Chaldæis, & Hebręis antiquiotibus & non sicut recentiores opinantur. Itaque eleuatus, vt reficiat quod amiserat, plures immoratur in Septentrione, quam in Austro, dies, ac in excentricum scandere videtur: cum hoc tamen incerti sunt an sol sit centrū inferioris mundi & an fixa sint aliorum centra planetarum, & an planetę aliis lunis, sicut tellus nostra, ambiantur, sed inuigilant adhuc inuestigationi huius veritatis.

Duo autem principia Physica rerum inferiorum asserunt. scilicet solem patrem, & tellurem matrem. Aerem verò esse portionem cœli impuram ignemque omnem à sole deriuari. Mare autem sudorem esse Telluris, vel fluorem combustę fusæque Terræ in visceribus: ac vinculum aëtis atque Terræ, sicuti sanguis spirituum, & corporis animalium. Mundum animal esse ingens. Nosque in eius ventre viuere, sicuti vermes in ventre nostro. Idcirco non pertinere nus ad stellarum, & solis & Terræ prouidentiam, sed Dei tantum: quoniam respectu illorum aliud intendentium nihil, quam sui amplificationem, casu nati sumus, & viuimus: respectu vero Dei, cuius illi sunt instrumenta, præscientia, & ordine conditi sumus & ad finem magnum destinati. Idcirco soli Deo obligati sumus vt Patri, & omnia ab eo recognoscere tenemur. Proculdubio credunt immortalitatē animarū: hasq; post mortē associari Angelis probis, aut prauis, prout illis, aut his in actibus præsentis vitæ sese similiores reddiderūt. Omnia enim sibi similia petere. De locis pœnarū, & præmiorum parum à nobis discrepant. In ancipiti versantur, num alij mundi extra nostrū sint, ac furotis esse arbitrantur asserere, nihil esse: quoniam inquiunt, nihil neque intus neque extra mundum est Deus que ens infinitum non compatitur secum nihilum. infinitum tamen corporeum dari negant. De Physica.

Principia metaphysica duo ponūt, ens scilicet, qui Deus est sūmus, & nihilū quod est defectus entitatis, & Terminus à quo fit aliquid physicè, non enim fit quod est, ergo nō erat quod fit: Itē ex Nihilo & ente illis essentiatur metaphysicè finitū ens. Item à propensione ad non esse nasci malum, ac peccatū. Et peccatum habere causam deficientē, sed non efficientem. Deficientem autem intelligunt defectum potentiæ, vel sapientiæ, vel voluntatis. In hoc vltimo ponunt peccatum: qui enim scit ac potest benefacere, debet et.ā velle: voluntas enim ab illis nascitur, & non è conuerso. hic stupere est, quod & ipsi Deum adorant in Trinitate, dicentes, Deum esse summā potentiā, & ab hac procedere summā sapientiam, quæ simul idem Deus est, & ab ipsis Amorē; qui & potestas, & sapientia est; neque enim procedens non habeat naturā eius à quo procedit & non recedit. Veruntamen non agnoscunt personas distinctas nominatas, vt in lege nostra Christiana: eo quod careant reuelatione: sed norunt in Deo esse processionem & relationem sui, ad se, in se, & à se. Itaque omnia entia essentiatur eis metaphysicè quidem ex Potentia, sapientia, & Amore, in quantum habent esse; & ex Impotentia, Insipien- De Metaphysica.

X iij

tia,& Disamore,in quantum participant non esse: & per illas merentur,& per has peccant, aut peccato naturæ ex primis duobus: aut moris, & artis, in rotis tribus, vel in tertio. Quippe & natura particularis peccat ex impotentia aut ignorantia faciendo monstrum. Cæterum hæc omnia à Deo omnis nihilitatis experte, pra cognoscuntur,& ordinantur tanquam à potentissimo, sapientissimo, & optimo. Quare in Deo ens nullum peccat, extra Deum peccat. At extra Deum non itur, nisi nobis & respectu nostri, non autem sibi, & respectu sui. Namque in nobis est deficientia, in ipso vero efficientia, Idcirco peccatum actus Dei est in quantum entitatem & efficientiam habet. At in quantum habet nō entitatem & deficientiam, in qua consistit quidditas ipsius peccati, est in nobis, & à nobis: qui ad non esse per deordinationem declinamus.

HOSP. Papè quam arguti sunt.

GEN. Profectò si memoria tenuissem: & cura discedendi non sollicitarer,& metu, mirabilia profunderem: at Nauim amitto nisi properè discessero.

HOSP. Per fidem rogo, hoc vnum ne cæles, quid dicunt de peccato Adæ?

De causa mundanorum malorum

GEN. Ipsi plane confitentur multam in orbe corruptelam grassari: hominesque regi non veris superioribus rationibus, probos cruciari, & male audire, prauos dominari; quamuis infœlicitatem vocent horum vitam beatam: Nam annihilatio quædam est, ac ostensio essendi quod non sunt, videl. Reges, sapientes, strenui, Sancti, quod in veritate non sunt: ex quo argumentantur magnam in rebus humanis ex quopiam accidenti perturbationem subortam esse. Et primo quasi eo pendebant, vt dicerent, cum Platone, orbes cœlestes in priscis sæculis reuolutos esse ab occasu præsenti eò, vbi nunc orientem dicimus: ac posteà contrarium assumpsisse cursum. Dixere etiam possibile fuisse: ab aliquo inferiori numine res inferiores regi atque à primo numine sic permitti: sed hoc assertum stultum reputant. Ac stultius, quod Saturnus primo bene regnarit, ac deinde Iouem minus bene. deinde vero cæteros successisse planetas: quãuis fateantur mundi ætates ordinari secundum seriem planetarum. Creduntque ex absidum mutationibus post 1000. annos, aut 1600. res variari insigniter.

Hanc nostram ætatem assignandam videri Mercurio, tametsi à magnis coniunctionibus interuarietur; & Anomaliarum regressus fatalem vim possideant. Demum affirmant hominem Christianum esse fœlicem, qui credere contentatur, quod ex peccato Adæ tanta contigerit perturbatio; Opinantur etiam ex patribus deriuari in filios potius pœnæ malum quam culpæ.

A filiis autem ad patres culpam reuerti, quatenus neglexerunt generationem, & celebrarunt ipsam præter tempus, & locum, & electionem genitorum, aut educationem neglexerunt, aut praue Natos docuerunt, instruxeruntque. Idcirco ipsi sedulam nauant operam generationi, & educationi, & aiunt pœnam ac culpam redundare in Rem p. tam filiorum quam parentum: idcirco omnes hoc tempore in miseriis versari Ciuitates: & quod peius est, vocare pacem & beatitatem ipsa mala quoniam bona non sunt experti: videtque mundum casu regi. At verò qui constructionem mundi contuetur, & hominis anatomiam (quam ipsi in condemnatis ad necem experiuntur sæpè) & Planetarum & belluarum, & vsus partium ac particularum earundem, cogitur Dei sapientiam ac prouidentiam altis acclamationibus confiteri. Itaque debere hominem Religioni se totū dare, propriumque auctorem venerari semper. hoc autem non bene perficere posse vel non facile, nisi qui Dei opera perquirit, & pernoscit, eiusque obseruat Leges, & probè philosophatus in operibus suis, *Quod tibi non vis al eri ne feceris: & quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Vnde sequitur quod sicuti nos à filiis, & ab hominibus requirimus honorem & bona, quibus parum elargimur, plura nos debeamus Deo, à quo totum recipimus, totum sumus, & vbique in eo, laus illi in sæcula.

HOSP. Profectò cum hi, qui naturæ tantum legem norunt tantopere propinquent Christianismo, qui nihil addit supra leges naturæ, nisi Sacramenta conferentia auxiliũ ad obseruantiam illorum, ego argumentum validum sumo mihi pro Religione Christiana, quod sit omnium verissima, quodque sublatis abusionibus Domina sit futura in toto Terrarum orbe, vt præclariores Theologi docent, & sperant. Aiuntque id-

circo Hispanos nouum Orbem inueniſſe (quamuis inuentor primus ſit Columbus maximus heroum noſter Genuenſis) vt omnes nationes in vnam legem congregentur. Ergo hi philoſophi erunt teſtes veritatis, electi à Deo. Hinc agnoſco nos neſcire quid agimus: ſed eſſe Dei inſtrumenta. illi cupiditate auri & diuitiarum, nouas quæritant Regiones: Deus autem finem altiorem intendit. Sol Terram exurare contendit, non quidem producere plantas, & homines, &c. ſed Deus vtitur ipſorum pugna ad horum productionem. Ipſi laus & gloria.

Gen. O ſi ſcires quid per Aſtrologiam dicunt, & ex noſtris quoque Prophetis, de ſæculo venturo, & quod ſæculum noſtrum plus hiſtoriæ habet, in annis centum, quam Mundus totus in 4000. pluresque libri editi ſunt in hoc centenario, quã in 5000. & de inuentione mirifica Typographiæ, Archibugiorum, & vſus magnatis: præclaris ſignis, ſimulque organis congregationis Mudigenarum in vnum ouile. & qualiter dum fiebant Synodus magnæ in trigono Cancri, abſide Mercurij Scorpionem procurrente, Hæ mirabiles inuentiones acciderunt à Luna & Marte, potentibus in hoc trigono ad nauigationem nouam nouaque Regna, & arma noua. At cum mox intrauerit Saturni abſis in Capricornum, & Mercurii, in Sagittarium, & Martis in Virginem poſt primas Synodos magnas & viſionem nouæ ſtellæ in Caſſiopea, Monarchia noua inſurget: & reformatio legum, artium, & Prophetæ: & renouatio, & aiunt nationi Sanctę emolumentum magnum inde portendi. At prius quidem euelli, & extirpari, deinde ædificari, & plantari &c dimitte me, quoniam habeo, quæ agenda mihi ſunt. Hoc tamen non te lateat, eos iam inueniſſe artem volandi, quæ vna mundo deeſſe videbatur, & in proximo ocularia expectare: quibus occultæ ſtellæ videantur, & auricularia, quibus cœli audiatur harmonia.

Hosp. Hem? ah, ah, ah, perplacet quidem, ſed Cancer eſt ſignum Veneris fœmineum & Lunæ, quid potuit benefacere in aere, cum ſit aqueum? & quomodo ſtellæ hæc ſciunt faciuntque: Omnia ſunt à Deo ſuis diſpenſata temporibus. Nimis Aſtrologizant.

Gen. Hæc etiam mihi reſponderunt, rerum omnium cauſam eſſe Deum vniuerſalem immediatè, non immediatione particularis cauſæ ſed vniuerſalis principii & virtutis: non enim Deus manducat cum Petrus manducat, nec mingit, nec furatur: licet eſſentiam & virtutem det manducandi, mingendi, & accipiendi, vt cauſa immediata quã nulla prior, ſed quã omnis alia particularior, modificans immenſitatem actionis diuinæ. Hosp. Oquàm bene: idem dicunt Doctores noſtri ſcholaſtici, præcipue Diuus Thom. contra Philoſophos Mahometanos, aſſerentes operationem primæ cauſæ immediatiorem in attingentia quàm ſecundæ, in 3. con. Gen. cap 70. & 2. diſt. 37. & pot. q. 1. art. 3, & 5. & epiſt. 9. q. 38. vbi immediatione principii non attingentiæ, cuiuſmodi eſt particularis cauſa, docet agere vniuerſalem. ſequere. Gen. Igitur aiunt, Deus dedit cauſas omnibus futuris effectibus & vniuerſales & particulares, quæ particulares operari non poſſunt, niſi & vniuerſales operentur. Non enim Planta floret niſi Sol propinquè caleſaciat. Tempora autem ab vniuerſalibus ſunt cauſis. Scil. à cœleſtibus, omnia ergo Cœlo operante operamur. Cauſæ autem liberæ vtuntur tempore, & in ſe, & erga alia interdum. Nam & igne cogit homo florere arbores, & Lucerna illuſtrat domum, abſente Sole. Cauſæ verò naturales aguntur tempore. Igitur quemadmodum alia, fiunt de die, alia de nocte, alia in hyeme, alia in æſtate, vel vere, vel Autumno, tam per cauſas liberas quàm per naturales, ita & alia in vno ſæculo, alia in alio. Et ſicut cauſa libera non cogitur dormire quando fit nox, nec ſurgere quando manè, ſed operatur ex ſuo commodo, ſic vtendo vicibus temporum: ita neque cogitur inuenire Archibugia & Typographiam cum fiunt ſynodi magnæ in Cancro, & Monarchias cum in Ariete, & ſic de cæteris: cum ſeminat in Septembri, cum putant in Martio, &c. Nec poſſunt credere quod Põtifex ſapientiſſimorum Chriſtianorum prohibeat Aſtrologiam niſi contra abutentes ad diuinandum actus liberi arbitrii & ſupernaturales euentus, cum ſidera ſupernaturalium ſint tantum ſigna, naturaliũ vero cauſæ vniuerſales, voluntariorum ſolum occaſiones inuitamenta, & inclinationes. Nec enim Oriens ſol cogit nos ſurgere de lecto, ſed inui-

tat & commoda præstat, vti nox incommoda ad surgendum & commoda ad dormiendum. Cum ergo agant in liberum arbitrium indirectè & per accidens dum agunt in corpus & in sensum corporatum corporalique organo affixum: Mens excitatur à sensu in amorem vel odium vel iram & cæteras passiones. Et tunc potest adhuc excitatæ passioni assentire & dissentire: Hæreses ergo & bella & fames, quæ significantur per sidera, plerumque veniunt, quoniam plerumque homines à sensuali appetitu potius quàm à ratione Regi se permittunt, vnde faciunt hęc quæ accidunt contra rationem. Aliquando etiam assentientes passioni rationabiliter, vt iustam iram concipiendo iustum bellum moliuntur. Hosp. Bene quidem & hoc etiam D. Thom. asserit: & Pontifex noster. Nam ad Medicinam & Agriculturam & nauigatoriam concedit Astrologiam, & cum omnibus suis scholasticis qui de actibus arbitriis etiam coniecturalia prognostica permittunt: verum excrescente malitia, & abusu permissionis vetant non coiecturas, sed prognosticum coniecturale, non vt semper falsa, sed vt plerumque vel semper periculosa. Principes enim & Populi in Astrologia confisi mala innumera moliuntur, & bona aggrediuntur non successura, sicuti patet in Albace, Agatocle, Druso, Archelao, & tandem consimilia expectamus in aliquo duce Phinlandiæ propter Ticonis prognosticon, & in Pontifices nostros multa audent Principes his in coniecturis confisi à nebulonibus decepti.

Idem D Thom. p.p.& 3. Con 5.

Gen. Sic etiam solares aiunt alia prohiberi vt falsa, alia vt periculosa, quatenus ad idololatriam aut ad destruendam libertatem aut ad Politicam conturbandam possunt conuerti. Imo dico tibi inuenere iam Solares rationem fati sideralis vitandi, neque enim ars datur à Deo nisi ad vtilitatem. Quando igitur imminet Eclipsis non salubris, qualis est cum interregnant beneficæ, sed infausta cum maleficæ, vel Cometes dirus, vel directio praua in aphetico loco; illum cui malum minantur sidera, intra ædes albas claudunt, odoribus & aceto roseo conspersas: accendunt faces septem ex cera aromatis confecta, ædificatas, & adhibent iouialem musicam, & lætas conuersationes vt semina pestilentialia per circunfusum aerem à Cœlo dimissa dissoluantur.

Hosp. Pape! medicinalia sunt hæc omnia & sapienter applicata: Cœlum enim corporaliter agit, & corporalibus impeditur antidotis, sed obstat numerus Candelarum quasi in numero ponatur virtus, quod olet superstitionem.

Gen. Profecto ipsi se se tuentur Pythagorica doctrina de viribus numerorum nescio an superstitiosè; nec in solo numero, sed in Medicina cum numero fundantur.

Hosp. Nulla superstitio. nullus enim Canon nec scriptura Dei vim numerorum damnauit: Imo Medici vtuntur ipsa in morborum periodis & crisibus. Et scriptum est; quod *omnia Deus fecit in numero, pondere, & mensura*, & in septem diebus creationis mundi, in septem Angelis tuba canentibus, in septem fialis, in septem tonitruis, septem candelabris, septem sigillis, septem Sacramentis, septem donis spiritus, septem oculis in lapide Zachariæ numerorum mysteria commendantur. Vnde S. August. S. Hilarius, & Origenes quam multa de numerorum viribus Philosophantur, præsertim de Septenario, & Senario. Non ergo damnarem ex hoc Solares ex quo se medicos cœlestium & defensores arbitrii demonstrant.

Iudices fuerunt P. Tontolus & M. Io. Bapt. Marinus.

Imitantur enim Cœlum in septem planetis per 7. faces, sicut Moyses per 7. Lucernas, & Romæ iudicatum est non esse superstitionem nisi vbi solis numeris & non rebus numeratis datur vis, quæ debetur Deo, & in quo non habent vsum & vim. Sic qui Cœlo aut herbis vbi nil operantur, tanquam si operarentur, vtitur: Est enim vana obseruantia quam Diabolus Dei simius imitatur Deum numerorum authorem. Et numero impare gaudet apud Virg. Imò cum vis naturalis Rebarbari datur Agarico per ignorantiam non est superstitio: Sed si virtus Dei detur Agarico, vel numero, superstitio est: Vide Theol. Nunc prosequere sermonem vnde digressi sumus. Gen. Igitur Solares fæminina signa fæcunditatem Regionibus, quibus fæminina sunt adducere putant, & minus robustis dominatum rebus afferre inferioribus: causando occasionando, commoditates & incommoditates præbendo aliis, aliis auferendo: vt dictum est. Vnde scimus in hoc sæculo muliebre Regnum præualuisse, sicuti Amazones nouæ inter Nubiam & Monopotapam & apud Europæos regnauit Russa in Turchia:

Turchia: Bona in Polonia: Maria in Vngaria: Elizabeth in Anglia: Catharina in Gallia: Blanca in Etruria: Margarita in Belgio: Maria in Scotia: Isabella in Hispania, inuentrix nouis Orbis, & Poeta huius sæculi à mulieribus orditur.

Le donne, i Caualier, l'arme, & gli amori, & quidem maledici poetæ, & hæretici grassantur, ob Martis trigonum, & hospitium Mercurii Apogeo præstitum; & ob Venerem & Lunam loquuntur semper de re meretricia, & pathica, & viri omnes effœminari cupiunt in sexu, & voce: nam vocantur Vossignoria. Et in Africa vbi Cancer & Scorpio præualet præter Amazonas extant in Fez & in Marocco lupanaria publica effœminatorum, aliæque spurcitiæ innumeræ, ad quas temperies mundialis inuitat, non cogit. Non tamen ideo trigonus Cancri (quia Tropicus est, & exaltatio Iouis & Apogeum Solis & Martis triplicitas) veluti per Lunam & Martem, & Venerem nouam inuentionem hemispherij exhibuit, ac mirum circumeundi totum Orbem iter, & muliebre imperium & per Mercurium & Martem Typographiam & Archibugium, non etiam in causa fuit potius occasio hominibus, vt fiat magna legum mutatio, sub prouidentia Dei semper ad bonum inclinantis: nisi nos inclinationẽ peruertamus. Hic mihi dixerunt mirifica de consensu cœlestium cum terrestribus: & moralibus, & de Christianæ legis amplificatione in nouum Orbem, & de eius permanentia in Italia & Hispania. Et de vacillatione in Boreali Germania, Anglia, Scandinauia, Pannonia: quarum prognostica nec recitare volo, quoniam sapientiss. Papa noster iustis de causis vetuit. At nec de Xerifi, & Sofi mutationibus in Africa & Perside quo tempore Vuiclef, & Vs, & Lutherus Religionem labefactarunt apud nos, & Minimi ac Cappuccini illustrarunt: & quomodo eadem Cœli motione alii vtuntur in bonum: alii abutuntur in malum: quamuis hæresis inter opera Carnis ab Apostolo memoretur, ac proinde passionibus sensui illatis à ♂ ♄, & ☋ ob subiectam sponte voluntatem. Hoc tamen narrabo quod Solares iam artem volandi inuenere, aliasque artes ex Lunæ & Mercurii constitutione, adiuuante Solis abside. Nam in aere hæ possunt stellæ ad artem volandi: etenim quod aqueum in Regionibus nostris ac narans, sub æquatore est aereum ac volitans ob situm terræ ad Cœlum apricum magis. Namque nouam condidere quidem Astronomiam, vt in altero hemispherio ab æquatore ad Austrum Domus Solis sit Aquarius, Lunæ Capricornus, &c. Et omnia signa & potestates inuertunt: & sub æquatore intra Tropicos aliter signa nominantur & aliter planetis distribuuntur quam extra: & quàm in suppolaribus. Et ita necesse est ex vi naturæ. Euax. et quantum didici ab his sapientibus de mutationibus Absidum, & excentricitatum, & obliquitatis, æquinoctiorum, & solstitiurum & Polorum & figurarum Cœlestium confusione in spatio immēso mundi machina nutante, & de Symbolis rerum nostrarum cum eis, quæ sunt extra mundum nostrum. Et quantum mutationis sequatur post synodum magnam in Ariete & Libra signis æquinoctialibus in restauratione Anomaliarum quæ stuporis plena sequantur post magnam coniunctionem in confirmatione decreti eius & mutatione, & renouatione Orbis. Sed tu quæso, ne me amplius detineas: facienda restant multa: & scis, quibus sollicitor curis. Alias. Hoc tamen non omittam quod ipsi libertatem humanam prorsus adstruunt & dicunt, quod si quadraginta horæ, quibus cruciatus est Philosophus magnus inter eos ab hostibus, crudelissimè, non potue eillum cogere ad confitendum ne verbulum quidem de his quæ requirebant, eo quod silere statuerat ex animo; nec stellas ergo, quæ a longe & suauiter mouent, posse cogere nos ad operandum contra decretum nostrum, nec Dei decreto cogente nos regi: quoniam homo est adeò liber quod etiam blasphemat Deum. Deus autem nec se ipse, nec alios cogit aduersum se. Nunquid diuisus est Deus? At quia in sensum mutationem insensibilem, suauemque faciunt astra, qui plus sensum quam rationem sectatur diuinam eis subiugatur. Nam & constellatio; quæ de hæreticorum cadauerosa mente vapores fœtidos eduxit, eadem eodem in tempore ex fundatoribus Iesuinæ Religionis, & Minimorum, & Cappuccinorum, exhalationes fragrantes virtutem eduxit. Et sub eadem Columbus & Cortesius diuinam in altero hemispherio Christi Religionem propagauit.

Quę autem mundo nunc imminent plurima, alio in sermone complebo tibi. Hosp. Hoc saltem refer, qua ratione mouent naues absque vento & remigio? Gen. Flabello super puppim edificato amplo quod desinit in pertica vna ad quam pondus appensum facit ęquilibrium, ita quod vnus puer vna manu potest eleuare, & deprimere. In principio autem alæ magnæ, axis supra duas furcas illud sustinet facile volubilis. Præterea quædam nauigia mouent rotis duabus in aqua giratis per funes quæ de rota magna, supra proram posita, decurrunt, & decussatim cingunt rotas puppis. Rotam magnam facili negotio conuoluunt, quæ paruas in aquam impositas trahit, sicuti accidit in organo, quo mulieres Calabræ & Gallæ filum aduoluunt, parant, aut nent.

Hosp. Expecta, Expecta modicum, &c. Gen. non licet, non licet. FINIS.

F. THOMÆ CAMPANELLÆ

QVÆSTIONES IN QVARTAM PARTEM PHILOSOPHIÆ REALIS:

Quæ ſunt œconomicorum ſeu de re familiari.

PROOEMIVM.

NON videbantur addendæ quæſtiones œconomicæ, quoniam nihil de his dixere priſci Philoſophi, & in textu noſtro conuincuntur ſtatim, in quo à nobis diſcordat ſententia ipſorum. Quoniam tamen alia eſt œconomica aliarum nationum: & ne quid deſit laboribuſque noſtris, has adiungimus quarto libro Philoſophiæ noſtræ realis controuerſias.

Vtrum ſit idem finis Politicæ & œconomicæ.

QVÆST. I. ART. I.

1. VIdetur non eſſe idem finis Politicæ & Oeconomicæ.

Siquidem quorum ſunt diuerſa ſubiecta & Artifices, & viuendi modus, eorum eſt alius finis: ſed ita eſt in Republica, & Oeconomica, vt Ariſt. docet primo Oecon: illius enim ſubiectum eſt Ciuitas: & gubernatores multi. Ideſt Senatus, Conſules, Tribuni: huius vero ſubiectum eſt domus, & gubernator vnus videlicet Paterſamilias: ergo alius finis.

2. Præterea Ariſtoteles primo Ethic. primo ait. Cum multi ſint actus, artes, & ſcientiæ: fit etiam, vt multi ſint fines: Nam medicinæ ſanitas: Nauiculariæ nauigatio: Rei militaris victoria. Oeconomicæ vero, diuitię.

In primo autem Oecon. dicit finem Ciuitatis eſſe bene viuere, & ſubſtan[illegible]ci, quæ eſt ad finem, ſumi oportere ab ipſo fine: ergo ſubſtantia, & finis Oeconomicæ ſunt diuitiæ. Politicæ vero beata vita: &, vt ait Politianus interpres, finis Oeconomicæ eſt acquirere, & conſeruare diuitias.

3. Pręterea Ariſt. in primo Polit. probat ſpecie differre Ciuitatem, & domum. Ergo & Oeconomum, & gubernatorem, & dominum: & non paucitate, & multitudine, ſicut alii Philoſophi putabant. Nam, inquit, conuinctio maris, & fœminę eſt elementum domus ſecundum naturam abſque electione: ſimiliter etiam ſerui naturaliter ſerui, cuiuſmodi non eſt mulier, niſi apud Barbaros, ſeruus enim non habet arbitrium: filius habet imperfectum: mulier verò inualidum. At elementa Ciui-

tatis sunt domus non secundum naturam, sed gratia viuendi, & beneuiuendi, secundum electionem. dicitur tamen secundum naturam, quoniam domus sunt secundum naturam: ex quibus est Ciuitas. Et quoniam domorum est etiam finis ciuitas: finis autem natura est: Ergo ciuitas natura est, & quoniam cuius gratia, & finis optimum: sufficientia vero finis, & optimum. Hæc autem est propria Ciuitatis: non enim domus vna sibi sufficit ad victum, & vestitum, & definitionem. Consequens est, vt etiam secundum naturam sit maxime. Est enim homo animal sociabile plusquam apes.

Sed contra est quod Math. 24. & Luc. 12. idem est dispensator, seu œconomus, quem constituit Dominus super familiam: atque princeps Ecclesiasticus, & tota Ecclesia vocatur familia, & domus Regnum, sicut dixit Angelus, Regnabit in domo Iacob in æternum. Ergo familia, seu domus, & Regnum non differunt, nisi paucitate, & multitudine: aut idem est finis Oeconomi, & principis. Propterea sciendum est, quod finis alius supremus, & extrinsecus, qui est Deus, & vita æterna in Deo, & hic finis communis est hominis, & familiæ, & Ciuitatis, & regni, & toti speciei humanæ; Alius est finis generationis, vt forma nauis, est finis nauifactoris. Alius rei genitæ, vt nauigatio est finis nauis, vt cytarizatio cytaræ Primus finis vocatur perfectio: secundus propter quem res est. Si loquamur de fine generationis sunt tres. Singularis enim hominis est forma totius perfecta. Oeconomici est forma familiæ: constans ex vxore marito, seruis animatis, & inanimatis: rationalibus, & irrationalibus. Forma verò Reipublicæ, est finis Politici, constans ex rectoribus, defensoribus, & nutritoribus. Organicum enim corpus est nec vnum simplex: & sic differunt specie analogica potius, quam disparata. Si autem loquamur de fine cuius gratia, adhuc duplex est. Sicut cythatiste bene, consideratur, vt finis & vt ad voluptatem auditorum, qui cytharisτe ad lucrum referuntur. tunc dico homines omnes, siue soliuagos, siue ciuiles esse propter seruitium Dei, quem agnoscant, colantque. Vnde finis supremus est ipse Deus. Si verò propter se tunc conseruatio est finis rei factæ. Omnia enim entia sui conseruationem, vt summum bonum curant: destructionemque, vt summum malum, auersantur. & quia non possunt singuli conseruare se bene in indiuiduo, nisi consocientur, facta est societas domus: & societas domorum; & prouinciarum: quia quo plures sunt, eò magis sibi inuicem sufficiunt ad nutritionem, & defensionem, nisi confusio oriatur ex inopia sapientiæ in gubernanre, ad tantam multitudinem non sufficientis. Vnde quidam Regnum maximum, aut totius mundi, non esse secundum naturam imperitè arbitrantur, ad corruptelam, non ad sanitatem naturæ respicientes. Cum igitur omne ens proprie seipsum maxime diligat colatque: ipsum sibi est finis. Igitur œconomia, & ciuitas sunt formæ conseruationis. Item quoniam conseruatio indiuidui non potest perpetuari, nisi in Deo: commendatur natura conseruatio speciei per generationem. Et quia familia potior est ad generationem, quam ciuitas, ibi enim elementa sunt mas, & femina, hic verò familia & ciues: videtur magis secundum naturam œconomia quàm politica, illa enim vtrique vtilis conseruationi: hæc autem soli indiuiduorum. Cum quo tamen fit, vt species etiam melius conseruetur: vtriusque ergo idem finis est conseruatio, sed non idem modus, & forma.

Ad 1. quod totius, & partis vnus est finis gratia cuius, & rei genitæ, de qua loquimur, licet non generationis: & propterea idem finis Reipublicæ, & familiæ. vtraque enim ad conseruationem speciei, & indiuidui. Licet illa prius indiuidua respiciat: quę congregat, aliquando etiam sine fœminis, vt Romuli Ciuitas ante raptum Sabinarum: nec verò prius congregat marem & fœminam ad speciei tutelam. Non tamen est ciuitas, nisi habeat fæminas: nec familia sine coniugio: Nam nec seminariũ, scholaque, hec militum cętus, sunt ciuitas, aut familia, vt dictum est. Vnde Amazones fœminæ rapere masculos, & Romulidæ, & Beniamini rapere fœminas ad complendam ciuitatem secundum naturam, coguntur.

Quod dicit Arist. de subiectis vtriusque scientiæ, nihil probat. Domus enim, & ciuitas, non differunt subiecto, nisi paucitate, & multitudine. Quod de gubernatore: neque probat. Nam vnus est in ciuitate, & vnus in familia Rector, & vnus in ho-

mine animus, vel caput, vt Apost. docet. Senatus autem, & consules, & Optimates instituuntur defectu vnius boni Rectoris in statu naturæ corruptæ, & si in vnum non coeunt, non potest ciuitas rectè gubernari: nec aliquid pro salutè definire; vt patet eum dissentiunt Senatores: aut consules, aut, &c. Sic in familia, defunctò, aut delirante patre, gubernant filii fratres.

Ad 2. bene Arist. finem medicinæ non medicari, sed sanitatem posuit: & militis non militare: sed victoriam: respiciendo finem gratia cuius, non quo. Sed perperam addit finem œconomię esse diuitias; diuitiæ enim sunt medium ad finem, sicut pharmacum medium ad sanitatem, & arma ad victoriam. Quapropter non rectè Politianus & alii Aristotelici sentiunt. Melius D. Thomas instrumenta posuit diuitias 22. q. 51. art. 3. sic interpretans Arist. licet non ex contextu Aristotelis.

Ad 3. Nequaquam differt specie familia à Ciuitate, sicut manus, aut pes, & corpus, & pars etherogenei totius. neque conuenit specie, sicut pars totius homogenei: vti gutta aquæ cum tota amphora aquæ. Sed sicut paruus à magno cætu. Etenim habet quidquid habet ciuitas proportionaliter, videlicet, marem, fœminam, seruum animatum, & inanimatum, habitationem: sicuti Ciuitas; & modus regendi idem, quoniam ab vno. Ergo sunt eiusdem speciei analogicè, & proportionaliter. Differt tamen speciei absolutè schola, & cœtus militum, & familia, & cœnobium; Quoniam alios habent fines, & subiecta alia; Non autem familia, & ciuitas.

Quod autem ait, constare familiam natura, & Ciuitatem electione: nihil probat. Nam vtraque est natura, & electione. licet ibi natura magis, hic electio magis. Non enim homo ad copulam venit sicut brutum. Præterea non solum copula facit familiã. Alioquin copula meretricis cum scortatore esset familia; aut quod naturalior familia, quia minus prudentiæ, & electionis habet, quàm Ciuitas, sicuti copula brutorum, quorum exemplo naturaliorem facit familiam. Cum autem addit, quod Ciuitas est prior natura, quàm familia, bene dicit secundum intentionem: sed tamen hoc condemnat ipsum Aristotelem, qui ex natura, & electione potiori distinguebat.

Vtrum Cœnobia Monachorum & conuentus fratrum apud Christianos, & Marabutorum apud Mauros, sint familia.

ARTIC. I.

1. VIdetur quòd cœnobia, & quicumque cœtus alii sunt familiæ; etenim omnes isti vniuntur propter conseruationem speciei, & indiuidui. Ergo sunt familiæ.

2. In præfatis cætibus est ordo imperantium. & seruientium; & ad functiones varias ordinatorum, ad vnum finem, ergo in eis est familia.

3. Domus est familia, omnes autem isti cœtus habent domum, imò vocantur familiæ, & domus in sacris literis, & profanis, & vulgò.

Sed contra est, quod Moses semper facit familiam, ex viro, & muliere, & per colonias deducit, sicuti Plato in libro de legibus, etenim ait *relinquet homo patrem & matrem, & adherebit vxori*, & hoc ad societatem & procreationem, & educationem liberorum, vt Theologi docent. Propterea dicimus domum sumi aliquando pro ædificio in quo habitant, vt dicitur Luc. 14. intrauit in domum Pharisæi: Aliquando pro substantia & opibus, quibus alitur familia, vt dicit Poeta, domus est mihi tota vorata: Aliquando sumitur pro consanguinitate, vt Christus dicitur de domo Dauid. Aliquando pro ipsa familia, id est cœtu, habitantium in domo, vel pertinentium ad domum. Serui enim tuti degentes sunt pars familiæ, & domus sumpta pro familia. Hic autem sumitur domus, & familia pro cœtu plurium primo coniunctorũ ad conseruationem indiuidui, & speciei: Et ideò non posse fieri dicimus, ex marito. & vxore & liberis seperatis saltem, familiam propriè, nisi bos, gallina famulus ancilla, & plures, aut pauciores pro familiæ magnitudine, & perfectione(etenim nisi habeant fundum,

& animalia,& seruos,non est perfecta familia. sicuti pauperculorum coniugum deducta colonia in domum aliam à parentum domibus, qui proprio viuunt labore, non est perfecta familia,donec genuerit liberos,& acquisierit fundum, vnde alantur. Sunt tamen mas & fœmina prima familiæ substantialia elementa.

Ad primum respondetur, quod cœnobia, & Conuentus sunt familiæ analogicæ, id est,instar familiæ,nō vniuocè,Nec enim ex natura:sed electione constant,alioquin etiam scholæ,& cœtus Mercatorum, & militum, sunt ad similitudinem familiæ, & propter familias,& Ciuitatem conseruandas, non autem familiæ, nisi impropriè: & quamuis in Monasteriis sit indiuiduorum & speciei conseruatio,non tamen ex ipsis, sed ex aliorum liberis,quos generant ex virtute sibi,non ex natura. Vnde nec cœnobium,in quo sunt mares,& fœminæ vetita copula carnali, sunt familiæ, quoniam habent finem aliam supernaturalem. Conuentus verò Marabutorum, quoniam & ad generationem respicit. est familia, sed repugnans fini suo supernaturali, ad quem vniuntur,scilicet,contemplationi diuinorum,vt in textu probatum est.

Ad 2.concedo esse ordinem ibi,& in mari,& in bello;sed non ad finem familiæ, nec qualis in familia,nisi analogicè.

Ad 3.Concedo vocari domum, & familias, & maxime, & scholam, & cœtum, & Ecclesiam: sed impropriè & analogicè.

Monasteriū enim benè est Ecclesia, id est congregatio ad finem supernaturalem. At domus est analogicè: est schola propriè:sed supernaturalis,& familia impropriè. Idem dic de cæteris cœtibus, aliud enim sunt impropriè,aliud similitudinariè.

QVÆSTIO SECVNDA, DE MATRIMONIIS.

Vtrum expediat vnam tantum vxorem ducere, An plures secundum naturam, omissa lege.

ARTIC. I.

VIDETVR expedire plures ducere vxores. Sic enim Habraham, Iacob, & Dauid,& alii Patriarchæ plurimi duxere plures vxores,DEO approbante: similiter Salomon hominum sapientissimus,qui & concubinas, & vxores habuere DEO. auctore, vnde Mahometus quatuor vxores permittit,& tot concubinas, quod potest castigare,& alere,siue emptas,siue bello captas. Id Orientales,& Affricani ita faciunt, & animalia,natura duce.

2. Præterea cum vna vxor impregnatur,non potest homo coire cum ea voluptuosè,nec fructuosè:quoniam illa minus capit voluptatis,& semen non fructificat, ac si iactaretur in terram,,aut in vas non naturale.Ergo prouidendum est de vxoribus, & ad voluptatem & ad vtilitatem.

3. Præterea contingit vxorem esse sterilem, aut leprosam: vel cum marito primo non generare. Ergo debent plures vxores accipere, vt à suo fine naturæ non fraudetur: nec Respublica: quæ orbata natis citò labascit, & corruit. Vnde Turcæ multiplicantur, & Christiani diminuuntur numero: propter quod ab illis priuati sunt ditione, & imperio in plura regna,& prouincias.

4. Præterea Isaias ait: Apprehendent septem mulieres virum vnum in sæculo fœliciori, quod prænunciat.

1.* Sed contra est vsus Ecclesiæ Christi sapientiæ Dei; quæ matrimonium cum pluribus non admittit, & contractum superuiuente vxore, prima dirimit. Idem obseruarunt Romani, aliarum gentium sapientiores, & multiplicationi etiam prospicientes propter imperii amplitudinem, similiter & Græci scientiarum cultores.

2. Præterea idem videtur ex instituto diuino. Siquidem ex primo homine pri-

mam eduxit mulierem, iunxitque vni vnam, & per os Adæ dixit. *Hæc os de ossibus meis, & caro de carne mea, propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna.* Et Salomon ait: *vna est columba mea, vna dilecta mea*: & Apost. dixit, Episcopum debere esse vnius vxoris virum: & semel: laicos verò plures & nubere pluries, sed non viuente vxore priori, & multi Theologi Poligamiam dicunt esse contra naturam.

Respondeo coniugii finis principalis, vt docet D. Thomas in 4. sent. est generatio prolis, & educatio per se huic annexa, est mutua fides, & consociatio: & coadiutantia. *faciamus*, ait Dominus, *Adæ adiutorium simile sibi.* Homo enim natura fortior, aptior que negotiis externis, & acquisitioni bonorum, vnde alantur. Fœmina timidior, & blandior, aptiorque domesticis, & prolis educationi, & bonorum conseruationi, vt in textu diximus, exque duobus fit compositum vnum sufficiens toti œconomię. Nam & mulier particeps dominij est, alioquin domestica nō rectè gubernabit. Igitur si respicis generationem, & educationem prolis, non est contra naturam primario, neque secundario vxorum multitudo. Siquidem, & plures generant, & facilius inuicem sese adiuuantes educant: sicut experientia docet, & Theologi boni etiam intelligunt. Si autem respicis cohabitationem & fidelitatem, & societatem sic secundario, & aliquo pacto Poligamia aduersatur naturæ. Nam inter mulieres multas grassatur inuidia & zelotypia, nec potest ex æquo vir omnes diligere, minus autem dilectæ insidiabūtur dilectis, & coitu inter se & exterius aliis hominibus, quādo potuerint, copulabuntur, & eunuchorum curæ mancipiantur, vti faciunt proceres Turcharum. In quo valde peccant in mulieris libertatem, & masculorū orbitatē, faciēdo contra naturam de masculis fœminas, & generationi dū studēt generationē conterendo. Nō quidē pauperes, sed diuites tantum possunt vxores plures alere, & in his infidelitas, zelus, crudelitas, & seruitus regnat. Diximus etiam oportere mulierem esse domini participem quoad interiora. plures autem dominari non possunt, nec simul, nec vicissim, altera enim alterius opus impediunt; aut deinde ex odio destruerent. Propterea apud Barbaros vxores quasi ancillæ sunt omnes. Præterea generationi non sufficeret vnus. Nam plurium delectatio, & permutatio libidinem exacuit, & semen continuò allicit, nec multum, & bene coctum elaboratumque elicit, quantum qualeque generationi requiritur, robustæque proli. Vnde Mahometus in concupiscentiis fœminarum assiduus & plurimarum, non nisi filias, & quatuor tantū ex tanta multitudine suscepit. Præterea homo, vt animal rationale, & plus mentis, quàm corporis habet, Corpore enim vix septem palmos terræ occupat in longum, & vnum in latū; at Animo cœlum cœlum & sidera, & sistemata, & quæ sunt extra mundum, complectitur. Ergo magis cura animæ quàm corporis illi à natura demandatur: Coniugium autem & Venus corporibus nos iungit. & animum reddit bestialem in illo actu. Contemplatio nos diuinis iungit, & animum facit diuinum, corpus vero nobilitat, nisi nimis ipsum negligat. Igitur est secundum naturam hominis, quod minus dat corpori quam animo. Sed illud præstat Monogamia: contrarium poligamia, igitur naturalior Monogamia.

Ad primum Resp. quod Patriarchis licuit plures vxores habere ad multiplicationem cultorum Dei, & in sæculo priori, vbi pauciores erant homines, & minus spiritualibus, & plus carnalibus incumbebat. At sub Christo plus datur animo, quam corpori vnde & virginitas illis ignota nobis commendatur: exempla eorum indicant non esse contra naturam hominis Poligamiam: Non autem non plus esse secundum naturam hominis Philosophi monogamiam. Mahometus autem, & bruta plus naturæ animali, quam rationali indulgent. Non tamen omnes: Turtures, & columbæ Monogamia, in exemplum nobis viuunt. Concubinæ patribus ex diuina permissione ad propagationem, & mysterium concedebantur. Non autem post vbi sapientia Dei facta homo cum hominibus conuersatus est.

Ad 2. Respondeo, quod voluptas non propter se datur in cibatione, & coitu; sed vt ad indiuidui, & speciei conseruationem alliciamur. Subdola enim Venus non natis, sed nascituris prouidet, ex illorum substantia, & labore, & minutione istos propagans.

Quapropter non eſt cur veneris delicias adeò curemus, cum nos à ſpiritualibus abſtrahat. Nec cum prægnans eſt vxor, alia quærenda: Alioquin tot vxores, quot ſunt anni dies, ducendæ eſſent. Sed extinguenda libido in conceſſo vaſculo, donec pariat, & aſſueſcendum eſt corpori minus deferre. Semen autem non eſt tunc in vas non naturale, aut in terram proijciendum, ne aſſueſcat homo peruerſa libidine contentari.

Ad Tertium. Natura non fraudatur fine, quia aliqua indiuidua non generat. Alioquin, & monachatum, & multa bona oporteret deſtruere. Nec Reſpublica labeſcit ex Monogamia. Siquidem Romani, & Græci Monogami non minus imperauere, & valuere apud nationes, quam Barbari Poligami. Turcæ autem ſuperant Chriſtianos non ſua ipſorum virtute & numero, ſed noſtrorum diſcordia, & ſocordia: quando enim vniuntur, & ſolerter, fortitérque operantur, ſemper victores euadunt. Nec illa multiplicatio iuuat, niſi bona, ac benè fiat. Lupi plures edunt catulos, oues vnum fœtum: & tamen illi pauciores numero: iſtæ plures, quamuis in cibum etiam hominibus cedant. Quare præceptum illud, *Creſcite, & multiplicamini*: non derogat huic: *Qui habent vxores, tanquam non habentes*, &c. ait Tertul.

Ad 4. Iſaias non præcipit Poligamiam: ſed contra luxuriam Iudæorum loquens, dicit quod tempus erit, quando non luxuriabuntur amplius: Sed 7. mulieres vno marito contentabuntur: non ſecundum rem, ſed ſecundum effectum, & præparationem animi. Apoſtoli enim Iſaiæ concordes Monogamiam, & Virginitatem commendarunt magis. Et ſicut Iſaiæ vaticinium ſatisfacit vxoribus pluribus in vno viro Chriſto: ſic Apoſtoli dogma virginitatem conſulens, & monogamiam iubens, ſatisfacit nobis in eodem: licet aliud videatur terrena, & carnalia ſapientibus.

Vtrum Maritus vxori dotem an vxor Marito debeat conferre.

ARTICVLVS II.

QVoniam in Imperio Mahometano vxor emitur à Marito, & in multis regionibus idem obſeruatur: apud noſtrates autem è conuerſo dotem fœmina Marito, quaſi emptrix dat. Quæritur vtra lex melior.

Reſpondeo quòd vbi mulier habet partem in dominio, rationabilius eſt, vt dotem ipſa conferat, quoniam imbella eſt ſecundum naturam, nec acquirere, aleréque poteſt ſe, nec familiam, niſi ex parentum ſuorum domo aliquid afferat. Vbi autem vxores ſunt ſeruæ, ibi emuntur à Marito. Vtrum autem melius ex iam dictis compertum eſſe queat.

Vtrum dotibus fortunæ, an animi ſint matrimonia copulanda.

ART. III.

RESPONDEO, Non videri rectum, vt ditiori Marito ditior mulier coniugatur ſecundum fortunam. Nam qui diuitiis abundat, indiget, aut ſapientia, aut nobilitate, & rectius erit, ſi ab vxore ea, quibus caret, exigat.

Præterea, Nec rationale eſt pulchram deformi, & pinguem pingui copulare per rationes in textu dictas, & in libro de Ciuit. Solis. Idcirco formoſa formoſo, & procero danda eſt viro, vt generatio melioretur, & amor mutuus interſit. Nec committenda eſſet deformibus generatio, niſi vt ſeruos procrearent. Pulchros autem voco ſtatura proceros, parum pingues, robuſtos, agiles, vt in textu declaratū eſt: Igitur & corporis, & animi, & fortunæ dotes compenſandæ. Non autem pulchra imbecillo, deformique cum generationis damno iungenda.

Vtrum Maritus in vxorem, & parentes in liberos, verum habeant dominium vti in seruos.

ART. IIII.

1. VIDETVR quod non sit dominium marito ad vxorem. Nam inter quos non est iustitia, non est dominium. Dominium enim iustum esse debet: sed inter virum & vxorem non est iustitia, secundum Aristotelem. Nam iustitia est ad alterum, & debitum, & æqualitatem requirit. Sed vxor, & vir faciunt vnum compositum, dicente Adamo, & Apostolo, *Erunt duo in carne vna*: &, *iam non sunt duo*: *sed vna caro*. Præterea nec est æqualitas inter eos, potiora enim præstat viro, quàm reddat vxor.

2. Eadem ratio valet inter parentes, & filium. Siquidem inter eos non est iustum, quia filius est pars patris & matris. Ergo non alterum. Imo nec æqualitas: quia parentibus & magistris & DEO par reddere non possumus.

3: Lege cautum est, ne possit pater mutilare, aut carcerare, aut occidere filios: Ergo non habet dominium in illos.

4. Omnis seruitus est violenta. Ergo nec quiuis alius, nedum filius, iure naturali, vnde omnia iura emanant, seruus fieri potest. Minimè autem filius imago patris substantialis.

5. Nemo sibi ipsi dominatur. Ergo nec filio, qui est patris pars, aut substantialis imago.

Sed contrarium dicitur ad mulierem Gen. 3. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, & Apostol. *præcipit subditas esse, non dominari in virum, prim.* Cor. 14. & Tim. 2. Et Princeps Aposto. 1, epist. 3. laudat Saram, quia vocabat Habramum *dominum*. Item, Leuit. 25. Pater propter necessitates potest venundare filium, & verberar e, & c. idem in lege ciuili habes.

Respondeo, quod iustitia est generalis virtus: & omne opus virtutis dicitur iustum id est, æquale: quoniam passiones, notiones, & affectiones virtuosi æquat suo fini recto, & non exorbitat ab eo: quamobrem omne dominium ei est bonum, virtuosum, & iustum. Duplex autem iustum. Aliud naturale, quod natura dictat propter melius, eiusque transgressio est naturaliter culpabilis. Aliud ciuile, cuius transgressio non est natura culpabilis, sed ex lege ciuili: & hoc ponitur super res ind.fferētes: vt ne manduces carnem porcinam, non vtaris equo ad trahendum currum. Ciuilis enim lex facit de indifferenti virtuosum & iustum, quatenus fini politicæ ciuilitatis conducit, qui consonat fini naturali: alioquin non lex, normaque; sed enormitas esset, si dissonaret, aut nugacitas, si non consonaret, nec dissonaret, vt si ex libito iuberet Princeps, ne occidas muscas, sed tantùm abigas.

Porrò dominium est facultas potestatiui, agendi quod rectè libet in rem aliquam secundum legem, siue naturalem, siue positiuam: & aliud quidem simpliciter, & absolutum est, & hoc solius DEI. qui potest in substantiam rerum, & actiones, & fructus quidquid vult: & nihil non rectè vult. Idcirco res generat, annihilat, si est opus, mouet, dissociat, vnit, solidat, prout rerum vniuersitati à se creatæ congruum iudicat. Alium dominium modificatum, seu secundum aliquid, & participatum, vt dominium brutorum in herbas ad pascendum, & se mutuo vorandum, & hominis in bruta & herbas, & res alias. Sed non in ipsorum annihilationem, aut mutationem naturalem. Hoc enim solus DEVS facit: & hæc iusta sunt: quoniam æquantur fini ipsorum, qui est conseruatio: quam Deus vnicuique enti mandauit. Ac horum dominorum, aliud est naturale, aliud ciuile. Naturale est quo anima dominatur corpori, mouet membra ad quemcumque sibi placitum situm: & dicitur naturale dupliciter. Primò, vt distinguitur contra morale, seu ciuile. Secundò, vt distinguitur contra violentum. Est enim violentum

violentum quod non confert seruo, sed nocet: corpori autem prodest obedire animæ ad vtriusque conseruationem: naturale, quod vtrisque proficit. Dicitur etiam naturale, quoniam à natura id factum est DEI ordinatione non ciuili additum ratione per quam Princeps vassallis, & carcerarius carceratis dominatur. Rursus naturale aliud despoticum: in quo nihil reluctari audet vt seruus voluntarius, sed ex impotentia tantum quale est inter mentem & corpus, quod obedit in cunctis cum potest, & statim sicut patet in motibus arbitrariis. Aliud dicitur politicum, quoniam instar politiæ exercetur, vt quo mens rationalis dominatur sensitiuo spiritui, qui sæpè reluctatur, & agit, prout lubet, vt in vitiosis accidit, & furiosis, vbi mens fit serua. Similiter dominium ciuile, aliud est absolutum, & quo ad omnia possibilia seu despoticum: aliud moderatum quoad quædam. Absolutum est dominium quoad omnia super prædia, arbores, & fructus. Possumus enim manducare, dare, vendere, occidere de iure gentium, licet non annihilare, & mutare arborem in aurum: hæc enim solius DEI sunt. Moderatum est de iure gentium, & positiuo: quo Rex super vassallos potest, videlicet occidere, in bellum mittere, bonis spoliare, verberare, relegare, carcerare, quantum lex iubet & permittit propter bonum communitatis. Ad libitum enim ista non facit, prout vult, nisi Tyrannus: totalis ex toto: partialis ex parte. Nec Rex ista potest in quemcumque hominem, sed tantum in vassallos proprios. Nec enim Hispanus in Gallos hoc vtitur dominio: Igitur ad dominium requiritur proprietas. Vnde nec Anima Petri operatur dominium in corpus Pauli, sed in sui ipsius Petri, secundum naturam. Et idem ergo fit secundum artem politicam. & quo magis aliquid est proprium, eò magis in ipsum possumus: sed tamen non in cunctis: sed in eo tantum, in quo est proprium. Nec enim seruitus transit in totum hominem, & in totam rem, vt bene Seneca aduertit. Non quidem potest Dominus imperare seruo, ne mingat, ne tussiat, ne manducet vnquam: horum enim natura nullus homo tenet imperium.

Dominium hominis in hominem, aliud est naturale, quo sapientes ignorantibus ad ipsorum, & istorum vtilitatem mutuam imperare debent: vt Romani barbaris, quos coegerunt ad benè viuendum. Sed hoc dominium est de iure non de facto. Requiritur enim auctoritas diuina, vel illius, cui Deus commisit curam hominum. Quapropter Moses inuadit Cananeos iura naturæ violantes, iubente Deo. & Hispani Americanos concedente Vicario Dei: sicuti Medicus ligat furiosum concedente patre furiosi, vel Rege. Et præceptor verberat discipulos ex patris potestate. Est ergo ius Sapientis in ignorantes. Sed non dominium, nisi sponte, aut potentioris potestate communicatum. Neque enim Anima corpori imperat, nisi naturà illi copuletur, & subdatur.

Aliud est dominium hominis in hominem, vocatum politicum: & hoc duplex, vel Spontaneum, vel coactum. Spontaneum est cum quis se sponte alicuius Magisterio subdat: vt Monachus Abbati, & populus Regi Sauli: & homo liber alterius seruituti se addicit. Et hoc vel per venditionem, vt dicitur Exod. 21. & Leuit. 25. Aut per obligationem, vt famulus, qui aulici, & curiales dicuntur. Horum seruitus ad tantum se extendit, ad quantum se subiecerunt. Vnde Ber. ait, *quod Prælatus non potest augere votum, & obligationes Monachorum.* in lib. de dispens. & præcepto. Nec Rex vassallorum. Nec qui se subdit alicui in officium Secretarii, aut Maiordomi, potest compelli ad verrendas aulas, & purgandas cloacas, & qui vendidit se ad seruitium, non potest occidi, aut mutilari, aut verberari à suo Domino, nisi hoc in pactis fuerit. Alia seruitus est coacta: qua capti bello seruire coguntur etiam meliores deterioribus, sicut Plato, & Diogenes. vtraque seruitus licet ex peccato in natura corrupta, vtraque seruitus in ratione fundatur præpostere, ad maius scilicet malum euitandum. Si quidem vir inops vt seruet vitam, vendit libertatem, & Monachus, vt seruet se in vitam æternam, subdit suas p[illegible]tiones, & officia Rationi Abbatis, non passioni: nec meliorem rationem propt[illegible] m[illegible] eteriori rationi, aut passioni illius. Similiter bello capti iusto, cum possint occidi, [illegible]ntur ad minus malum, idest, ad seruitutem de iure gentium, & horum seruitus est [illegible] quoniam nihil habent sui præter naturalia: & quidquid sunt.

aut acquirunt, Domini sunt, & propterea Aristoteles inter seruum, & Dominum huiusmodi non ponit iustitiam; quoniam non est ad alterum. Sed profecto non rectè: quandoquidem altera est persona serui, & altera Domini · & tenetur hic ad alimenta, & disciplinam ex iustitia: ille ad seruitia. Neque enim iustitia requirit vtrinque æqualitatem, nisi debitam rectè & proportionaliter. Sola commutatiua iustitia in contractibus requirit vtrinque æqualitatem etiam inter inæquales: quoniam in illo actu vendendi, & emendi, æquales sunt, licet non in cœteris. His habitis. dico, inter virum, & vxorem esse æqualitatem, & vnitatem, quoad actum generationis: & alterius alterum esse in inuicem Dominum vt ait Apost. quod *mulier non habet sui corporis potestatem; sed vir: nec vir habet sui corporis potestatem, sed vxor.* Quoad regimen verò vxor est sub viri potestate: quoniam vir est sapientior & potentior: & melior etiam in volitiuo: non adeò affectibus prauis obnoxius: *Dicente Ecclesiastico. Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.* Et Salomon se vidisse bonum de viris millibus vnum, mulierem verò nullam. Idest quantum, & prout oportet. nisi per gratiam diuinam.

Participat tamen mulier erga liberos, & familiam regimen: quatenus est viri compars, & comprincipium, & sapientior seruis, ac natis: in cæteris vero non est compars: ideo subdita, vt imbecillior, & ignorantior. Est ergo dominium moderatum, non absolutum viri ad mulierem, nisi apud Barbaros aliud obseruetur. Non quia mulier non est viri: Sed quia non in totum.

Erga filios verò habent parentes dominium, quantum natura, & lex permittunt: siquidem non possunt filios occidere, nec mutilare, sed tantum verberare & ligare: Non quia deest potestas naturalis, sed ciuilis. Homines enim patresque omnes suum dominium transtulerunt in communem patrem & Regem, ne propria passione coecati irrationabiliter agerent dominium in filios, nimis amando, aut nimis odiendo. Sic Monachus dominium sui transfert in Abbatem, vt passiones propriæ Abbatis ratione regantur, vt dictum est in Ethicis. Si enim omnes ratione viueremus, nemo indigeret Domino, nec præceptore: Hoc autem permisit Deus, vt etiam mutuò sese iuuarent, & sibi inuicem seruirent. Si enim omnia membra oculus, non esset corpus multiformiter vniforme, sed homogeneũ, potestas naturalis ergo non deest parentibus. Nam si Reges non essent, ipsi patres familiarum punirent morte puniendos, vt Adam, & hoc poterant. Imò probauimus in Monarchia Messiæ quod regnum paternitas, ac sacerdotium, secundum naturam magis sunt in vno, quam non in vno.

Ad primum negatur dominium absolutum inter virum & vxorem: asseritur autem moderatum, & secundum quid. Nego quod non sit iustum, aut iustitia inter eos. Neque enim iustum est vno modo, vt in commutationibus, sed pluribus modis, & quidquid fit virtuosè, iustè fit ad finem; est etiam debitum, & æqualitas proportionis inter vtrumque. Et ratio hæc nihil valet, alioquin nec nos essemus Deo serui cum æqualitas desit. Nec dominium iustum fundatur in æqualitate. Meliores enim deterioribus dominantur, æqualis autem in æqualem non habet potestatem sed ius. At in quo sunt æquales, id est in coitu, neuter est dominus, & vterque est dominus. Vxor scilicet & maritus, vt docet Apost. etenim sunt vnum duo corpora, & comprincipia, & compartes ad prolem.

Ad 2. filij sunt subditi, quia effectus principiis suis subiacent, & corpus subditur animę, quamuis componant simul vnum indiuiduum personale. Nec quia suum non seruum: imò in proprietate fundatur. Nemo enim dominatur alienis, nec iis, qui foris sunt, vt ait Apost. Nec imperat sibi ipsi res simplicissima vt Deus, & Angelus. Sed composita habent partem meliorem dominantem, & deteriorem seruientem.

Ad 3. hoc accidit ex lege Ciuili, non autem ex lege naturali: quæ ne per affectus erret, ciuili se armauit. Natura enim arte iuuatur.

Ad 4. Nego seruitutem esse violentam post lapsum naturę. Sed naturale esse meliores deterioribus dominari, & qui vitam seruare volunt maximum naturæ bonum, libertatis iacturam pati; minoris nimirum boni. Quapropter nulla serui-

tus violenta prorsus, nisi tyrannica, qua quis suos ciues abutitur ad proprium commodum, quomodocumque libet.

Ad 5. Vnum simplex aut compositum non dominatur sibi ipsi per potentiam essendi, aut existendi, aut operandi, aut agendi: sed vnum compositum dominatur sibi ipsi per potentiam agendi.

Nam Petrus est vnum compositum, & persona, & tamen eius anima dominatur corpori eius per potentiam agendi: Non essendi, & existendi, vt patet ex Metaph. natura enim quidquid est de mundo mentali ius habet dominandi iis, quæ de mundo corporali. De facto tamen non dominatur nisi, cui applicatur, sicut Hispanus dominatur Americano, propter applicationem à Pontifice: & Hebræus Chananæo propter applicationem diuinæ iussionis. Parentes filiis, quoniam DEVS corpus ab eis, & animas corporibus ex se applicauit, vt sint eorum filii, & imago substantialis est distincta à suo imaginato substantialiter, & personaliter, propterea potest ei subiici, non autem diuina, quæ est vnita substantialiter, & personaliter. Vnde in diuinis Filius non subditur Patri. Quapropter oportet dominium moderatum, plenè considerare, quoniã alibi ad plura, alibi ad pauciora se extendit. Aliter enim proprietarius, aliter possessor, aliter vsuarius, aliter vsufructuarius, aliter depositarius, & cõmendatarius, dominantur: Et plus, & minus in rem. Sic Dominus, & pater, & maritus, & princeps, & consul, & dux: habent enim omnes portiunculam imperii, nec totum, vt DEVS, quantum res illi subiacet, ex DEI, vel naturæ, vel ciuilis artis, auctoritate ex præscriptionibus modum adhibente.

QVÆSTIO TERTIA, DE DIVITIARVM ACQVISITIONE ET CONSERVATIONE.

Voniam Oeconomum diximus oportere philosophari, Philosophia autem repugnat labori œconomico in acquirendis, & conseruandis diuitiis, quibus vita iuuatur: Propterea quæritur quibus artibus ditandus est Philosophus, diuitiæque conseruandæ. Dictum est enim in textu potissimas esse agriculturam, & pastoralem, easque, quibus exercetur. Non autem perditur, qualis metallorum fodinæ. hæc autem videtur pugnare inter se: vnde accersendæ videntur artes minus laboriosæ in domum Philosophorum. Propterea quæritur

---

An Oeconomo Philosopho viuendum sit ex vsura aliisue industriis, labore vacuis, & lucro plenis.

QVÆST. III. ARTIC. I.

VIDETVR quòd Oeconomo, aut non est Philosophandum, vel ex vsuris viuendum vt Speron docet in dialogo proprio. Non enim Philosophia, & labor externus, possunt coire. Quod si Philosophiæ danda est opera, viuendum est ex diuitiis prius acquisitis, vt ait Aristoteles oportere prius ditari, & postea Philosophari, vel ditari ex alieno Rusticorum, & laborantium prudentia allectorum, vt pro Philosopho laborent. Nulla autem prudentia maior quàm dare pecuniæ quantitatem laborantibus, pro cuius vsu sibi annuatim rependant tantum, ex quanto potest Phi-

losophus sustentari, & hoc est vsura.

2. Præterea. Nec valet Aristotelis dogma. Quod oportet prius ditari, & postea Philosophari. Quoniam diues nisi incumbat diuitiis seruandis, depauperatur. Incumbet autem si dederit ad vsuram. Nec tempus vitæ ditato non per Philosophiam relinquetur Philosophiæ.

3. Præterea arguebat Speron in dialogo de vsura. Non modò hic licere philosophantibus, sed etiam natura, & Deo auctore: etenim Christus dantibus sibi obolum, centuplum promittit in hoc sæculo, vt explanat Marcus Euangelista; & vitam æternam in alio. Tellus etiam cui grana frumenti committimus, reddit decuplum, & vigecuplum, & quigecuplum: & quò gratior, eò plus.

4. Præterea si hoc non liceret, propterea non liceret quod in proximorum vergit damnum: at proximus vtendo pecunia Philosophi ditatur, & suas commoditates habet, pro quibus se sponte offert rependere quantum das cum vsura. Cum ergo nec danti, nec accipienti ad vsuram, noceat, sed prosit: non modò licita, sed laudabilis videtur.

5. Præterea Moses diuinus legislator Deut. 23. concedit saltem fœnerari, non fratribus, sed alienis, vt si quid damni accidat, non tuis accidat. quoniam autem omnis plebeus est alienus Philosopho: vt air Arist. nec debet beari. Sed, &c. ergo, &c.

6. Præterea ars negotiatoria est vtilis Reipublicæ, qua œconomus emit bona terræ, vel aduentitia tempore messis, aut cum aduehuntur, nec omnes habent, vt possint tunc emere: Negotiator verò conseruat empta, vt reuendat aliquanto maiori pretio. Ergo multo vtilior est vsura, qua datur vsus bonorum compensandus non modò conseruatio, qualis est in negociatoria.

7. Præterea. Nummularia, campsoria, sunt vbique licitæ: quibus transmutatur, aut transfetuntur pecuniæ cum lucro permutantis, & transferentis. Si ergo sola permutatio, aut translatio tuæ pecuniæ meretur præmium, multo magis vsus.

8. Præterea adeò inualuit lucrum citra laborem: vt chimica, & monetaria pro exercitio viuendi accipiantur: imò circuncisio monetarum non videatur culpabilis: remanet enim signum regium, & in eodem valore moneta perseuerat. Ergo nulli accidit damnum: vbi autem lucrum, & nullius damnum, ibi non est culpa. Ergo, &c.

9. Præterea idem probatur. quoniam licet viuere ex industria Astrologica, & ciuili: qui enim præuidet penuriam vini, potest omnia vina venalia emere, vt inde lucretur, sicut fecit Thales de Oleis. Et qui præuidet abundantiam potest vendere multo currenti pretio: ne deinde vili cogatur vendere. Sic etiam qui vexit naui frumentum sciens aliud quam cito affuturum, potest vendere carò, ne deinde aduenientibus nauibus vendat modico. Ergo licet magis vsura, & nummularia, & negociatoria, & monetaria. Præsertim cum liceat contrahentibus se inuicem fallere, vt dicitur in lege ciuili.

10. Præterea lusus taxillorum, & alearum permittitur, per quem ex alieno lusores viuunt, & in hoc licet fallere sociũ, multo magis, quam in contractu. Ergo multo magis permittenda vsura, & nummularia, qua, cum commoditate accipientis lucrum accedit donanti.

11. Præterea iuxta decreta Martini V. Pontificis, & Calixti 3. licet censuaria vsura, Ergo & mutuaria. Nihil enim interest vtrum ex pecunia data, an ex fundo aliquo lucrum acquiratur. Imò census donanti tutior; & vbi non interuenit periculum, contrahentis vtriusque, ibi minor iniustitia.

In contrarium est Dominus IESVS in Luc. 6. *Mutuum donantes, & nihil inde sperantes,* & Dauid virum bonum dicit, *qui pecuniam suam non dedit ad Vsuram.* Et Apost. 1. Thes. 4. *Ne quis in negocio circumueniat fratrem suum; quoniam Vindex est Dominus de his.* Præterea ratio iustitiæ commutatiuæ ponit æqualitatem inter optimos, & pessimos. Distributiua enim sola est, quæ respicit merita Philosophi, & principis, & plebei. Ergo non potest homo Philosophus plus exigere, quam dedit si velit esse iustus.

Respondeo, Vnusquisque magis & prius afficitur ad bonum proprium quam in bonum commune: ex illo enim est quod amet hoc, sicuti magis, & plus cognoscit se ipsũ, & deinde cætera, quatenus scilicet sentit se immutatũ ab eis, quibus cognitis & singularibus, mox cognoscit ex eis vniuersale, séq; cõtineri sub ipso: vnde magis cognoscit vniuersale: deindéque se indiuiduũ. Illud enim magis, & sæpius noscet, & repræsentat ideam totius diuiniorem. Sic amando se, amat res alias, quatenus sibi bonas. Quod si sibi, & aliis bona, erunt amabilia magis, cum ritè omnia consideraueri. Sic viri boni magis amant patriam, quàm seipsos, & magis humanum genus, quàm patriam. Totum enim melius & maius suis partibus est. Viri autem modicæ virtutis, tanquam vix sibiipsis sufficientes, plus curant seipsos, quam totum: igitur proprium procurant bonum cum alterius, & omnium damno. Quapropter nec furari, nec adulterari, nec superbire desinunt, nisi quatenus timent sibi ipsis. Sed si sperant forè clàm, nihil non admittunt mali. Alii verò mediocres inter bonos & malos, licet pluris faciant seipsos quàm totum: tamen conseruandos esse alios propter bonum commune, vt eis appropriatur intelligunt: nec aliis malefaciunt: tamen putant se posse ditari, & frui cum damno aliorum aliquantulo. Ex multis enim iactura modica singulorum manans est eis lucrum: & eleuatio super cæteros: quibus cognoscunt se se ex parte meliores. Optimi autem viri, qui totum parti anteponunt: nequaquam in aliorum detrimentum etiam modicum machinabuntur propter lucrum proprium: Etenim & si modicum videatur malum, aliorum tamen cum cognoscant esse malum, cauent: Tum quia in autorẽ boni DEVM peccant. Tum quia, quod modicum ignorantibus apparet, sapientibus apparet magnum. Sciunt enim paucos esse viros, qui non nisi coacti seruent iustitiam, propterea que putare omnes alios, sic etiam se habere ad iustitiam, sicut ipsi: & cum exemplum habuerint in existimatis bonis, quod faciant idem, quod eis placet procedere ad vlteriora mala: & sic Resp. pessundatur: Oportet ergo bonos esse lucernam aliorum, & non propter bonum suum dare occasionem, causamque ruendi. Si enim posset vir Philosophus hoc facere: posset etiam vti coitu masculino, & rapere de alieno furtim: vnde ipse viuat. Quoniam melior est aliis: & posset vti omnium bonis, tanquam propriis, Non enim vnius, aut quatuor, aut decem proborum, nutritio ex alieno Rempublicam destruit. Nec si vnus non generat, aut decem peribit generatio. Sed si hæc faciet, tanquam licita, cum omnes sint Philosophis deteriores, exẽplo erũt, vt omnes idem faciant: & sic verè peribit. Respondeo. Quoniam ipsi qui lucerna erãt aliorum facti sunt decipula: & laqueus & præcipitium. Oportet ergo, quoniam omnes sumus mali ex amore proprio, nimioque; viros bonos ita viuere, vt alii ex pudore, & honore, & amore boni communis exacto, quem in eis inspiciunt, sic viuant, vt aliis sint commodi, totumque corpus Reipublicæ ita coalescat, vt omnia membra sint proficua, consonentque omnibus mẽbris. Neç negligenda minima: Sic enim paulatim defluemus: Naturã enim comparatum est, vt mala inuisibiliter serpant, sicuti mors cuius operatio quotidiana caloris natiui alteratiua, & humoris radicalis imminutiua tandem deducit ad finem, id quod magnis laboribus factum, perfectumque fuerat. Propterea Chrysostomus plus curæ impedendum iudicat ad cauendum minima, quã magna. Hæc enim per se fugiuntur statim, vt mala, illa verò non nisi multa sedulitate: qua non adhibita inaduertenter perditum imus. Quapropter arbitramur œconomos omnes debere philosophari, secundum aliquam philosophiæ partiunculam. Aut enim viuit ex propria arte: & tunc necesse habet scire philosophiam illius artis. Rusticus Georgicam, Armentarius bucolicam: Nauta nauticam: coquus coquinariam. Nec enim pauca requiruntur ad perfectam artem: quando coquus assare, torrere, frigere, elixare, & artocreas, & farcimina & alia huiusmodi scire debet: & quanto sale, quibus aromatis, & quanto tẽpore, & quo quantoque igne, & quibus præparationibus, & purgationibus, carnes cuiusque generis & legumina, & olera, & fructus parantur in cibum, non modo suauem, sed etiam vtilem, proficuumque, pernosse opus habet. Nec potest ita scire nisi particula philosophiæ imbutus: quam & si non ex scholis, quemadmodum ex ciuitate Solis faciendum præcepimus, tamen ex vsu & doctrina communi addiscit.

Quid dicam de nauta? quem & ventorum situs,& vires,& qualitates,& quid faciant in quocumque mari, & tempore anni, & ipsas anni partes,& sidera fauentia, & impedientia nauigationem oportet scire: & nautica instrumenta directoria, qualis ad polum magneticæ vis ratio,& temonis magisterium. Item quales remi, vela puppis proreque differentia non modò situalis, sed etiam erga agitationis principium. Item quale lignum, & quanto tempore leue est in aquis, & ad nauigandum idoneum, & quale ponderosum, ineptumque, siue cursui, siue ictibus maris, & procellarum. plus Philosophiæ in Rustica, & Bellica,& in multis inuenies, præsertim in Medicina: Quapropter nolo omnem œconomum totam Philosophiam scire, sed quanta suo ministerio, de quo viuit in Republica, opus est. Sic enim lucrosior sibi, & Reipublicæ vtilior, & honorabilior vtrique.

Præterea indiget Philosophia communi omnis ciuis:& quidem triplici, quoniam ex tribus constat videlicet, Anima, corpore, & fortunis, seu bonis exterioribus. Animi bona curat Theologia: corporis Medicina: exteriora Moralis scientia, seu prudentia: quæ distinguitur in Ethicam, Politicam, œconomicam, militarem, & mechanicam. Et harum trium sunt doctores publici, & priuati, scilicet parentes. Non enim omnia spectantia ad Theologiam, aut ad Medicinam, aut ad Moralem, scire debet ciuis. Sed quod finis noster & origo est Deus, & quomodo colendus, orandus, & conciliandus nobis; & quæ sunt præcepta eius, & quid à nobis vult. Id docent parentes à principio: & prædicatores verbi Dei: deinde difficilliora in templis declarat.

Medicinam communem docent parentes. Nam pane, vino, & aqua, & certis carnibus, & oleribus coctis nos alunt, docentque, quæ sunt venenosa sanitatique noxia, & coctioni repugnantia: Et quomodo dormiendum in grabatis, & in casis, ne à frigore, & calore, & hostilibus, lædamur. Item quibus vestibus indui oportet; & quidem mollioribus internis ad carnes, grossioribus exterius ad aeris, & aliorum nocentium rerum iniurias propulsandas: & cum ægrotamus à quibus abstinendum, & alia notiora. Cætera verò difficiliora curant Medicinæ Doctores. Vnde in morbis vehementioribus ipsos aduocamus.

Similiter Moralem scientiam nos parentes docent, & obseruantia communis Reipublicæ, quod videlicet sumus omnes membra Reipublicæ, mutuis vsibus copulata. Propter eaque, neque sibi, neque alteri iniuriari debet homo, & viuendum de proprio labore, non de alieno. Et iustitiæ custodes ad hoc deputatos esse, iudices vocatos: & dignos esse morte, aut exilio, aut verberibus, qui aliis nocent. Exercent etiam patres in familia prima iuris elementa. Item quod pugnando pro patria: quod viuendum arte, & labore. Cætera grauiora his minus nota ex doctoribus publicis hauriuntur.

Quapropter nemo homo est, qui Philosophiæ communis circa animæ, & corporis, & exteriora bona, non habeat fundamenta, quasi naturaliter, dico natura ciuis, non hominis, nisi prout Ciuilis est.

Bonus autem ciuis proficuus commodúsque est sibi, & omnibus est seorsum, & toti Reipublicæ simul, vt omnia membra corpori singulis membris. hoc autem non erit, nisi opificio, exercitiore viuat, tot vsus habente. Qui autem viuit exercitio sibi soli proficuo, malus est ciuis, non membrum, sed excrementum, sicut pediculus, aut lumbricus in corpore nostro: quales sunt lænones, assassini, lusores, vsurarii, monetarum adulteratores, meretrices, pathici, latrones, circulatores, & qui ipsis instrumenta præstant, vel Reipublicæ ad malum. Hi omnes exercitio viuunt, non arte: & eo quidem noxio & perniciali: licet ad maius malum vitandum in Republica permittuntur lusores, & meretrices, & circulatores. Sed si aliunde illis malis maioribus obuiari posset, consultius esset. Non enim facienda mala, vt veniant bona, nec permittenda mala, vt vitentur mala, si aliunde eis prouideri potest.

Qui autem viuunt nulla arte, nulloque exercitio ex propriis redditibus acquisitis solertia parentum: ij quidem periculosi sunt. Etenim vocantur nobiles & sunt ignobilissimi, nulla enim particula Philosophiæ ornantur, excepta communi, quam etiam

otio pessundant. Siquidem tempus habent occasionemque vacandi delitiis, & sibi instrumenta parent delitiarum & seruos: meretricantur, ludunt, ociantur, curiosa non studiosa perquirunt, & cum desunt consuetæ delitiæ, fiunt rapaces, vsurarii, contumeliosi, aleatores, & filii ipsorum impudici, & perfidi: quoniam artibus non assuescunt, putantes se beatos esse natos.

Propterea Deus ex sudore vultus viuendum intimauit, & Ieron. ait. Non facile capitur à tentatore, qui bono vacat exercitio. Isti ergo diabolorum sunt esca, & organa semper, & prauo exemplo corrumpunt laboratores, qui propterea putantur ignobiles, quia sciunt aliquid de Philosophia, ignotarum à vocatis nobilibus, inertibus, & sic assuescimus falso iudicare, & operari falsius Alunt etiam seruos scelerosa vita, & ex ipsorum schola tota Respublica inficitur. Nobiles Neapolitani huiusmodi malis laborant, propterea que serui erunt vitiorum, & exterorum.

Qui autem viuunt ex artificio, & exercitio: vel ex communi cunctis proficuo, vel ex particulari: Si ex communi, hi aut docent, & operantur, quæ ad animorum salutem spectant, vt Theologi, vt Sacerdotes: aut ad salutem corporum, vt Medicinæ Doctores, & operatores aut ad bonorum exterorum salutem, vt legislatores, & legis periti, & ethicam, & politicam, & militarem, docentes & operantes, & hi quidem omnes verè nobiles sunt vtiles Reipublicæ & singulis, & omnibus: & quoniam exercitio manuali, & altari simul vacare non possunt, aluntur stipendiis communibus, aut eleemosynis. Sic enim in omni Republica antiquitus, & nunc factum est, & fit.

Considerandum etiam, quod horum alii sunt doctores in publicis gymnasiis & templis: alii operatores doctrinatum, vt Iudices, Aduocati, Procuratores, Medici, Pharmacopolæ, & illi quidem præclariores, isti vtiliores. Sed nobilissimi, vtrumque munus habent. Nec istos decet viuere artificio mechanico, sed stipendio publico, aut eorum, qui emolumenta, & vtilitates ex eis accipiunt quotidianis temporibus.

Qui autem viuunt ex artificio particulari, vt sutores, latomi, ædificatores, Mercatores, tonsores, cantores, vestiarii, cloacarii, fullones, textores, sunt quidē ociosis anteponendi. Etenim habent particulam philosophiæ proficuam sibi, & aliis.

Oeconomus igitur noster arte communi, vel propria viuet, & ex tellure communi matre captabit victum absque aliorum damno immediatè. Si rusticus, artes, & pastorales exercet per se, & per instrumenta rationalia, siue irrationalia immediatè. si Vrbanus calceariam, aut fabrilem, aut tonsoriam, aut aliam quamcumque exercet, quas artes in ethicis, & in Metap. P. P. lib. 2. enumerauimus.

Et quoniam omnis ars imitatio est naturæ, quæ magis, & vtilius imitatur eam supra alias laudauimus, siue imitatio sit cognoscitiuæ entitatis naturæ, siue volitiuæ, vt sibi declaratum est. Non enim magis imitatur pictura in cognoscitiuo genere, quam militaris in potestatiuo, aut coquinaria, vel purgatoria in volutiuo, si quis non ex prima, & vulgi apparentia, sed ex naturæ inspectione philosophetur.

Notandum quod, qui artes communissimas docent, non possunt familiam facere, vel non debent: studio enim ipsorum amplissimo, assiduo, & profundissimo obest res vxoria, & familiaris, propterea viuunt de cōmuni stipendio, aut eleemosyna, quoniam quasi super homines sunt: hic autem non quærimus de cunctis artibus, sed de œconomum ornantibus ad œconomiam rectam. Hinc apparet, quanta philosophia ad œconomum spectat vt scias, qua arte & exercitio viuere debeat: Non enim omne exercitium est ars, sed illa tantum, quæ aliquam formam in materia, quam tractat, introducit: omnis enim ars natura est extrinseca: natura vero ars intrinseca.

Ad primum Respondeo, Philosopho communitatis omnium scientiarum appetenti arcana, non conuenire remuxoriam, & familiarem: nisi ditissimus sit, qui habeat vnde alat familiam, nec in suis studiis impediatur: sicut Telesius maritus, & pater, profundissimam etiam adiit Philosophiam, cum esset diues. Alii putant diuitias esse impedimentum Philosophiæ: Tum ex cura nimia in eis seruandis: Tum ex occasione deliciādi. Propterea proiectis diuitiis, & coniugio Philosophati sunt, ex modico dato viuentes non commodè. At Socrates etiam pauper, & sub vxoris, ac na-

torum onere philoſophatus eſt,quamuis Plato, & alii hoc onere caruerint. Aſt hoc ex ingenii abundantia Socrati contingit: & poſtquam ſcientias acquiſiuit, generationi operam dedit. & ex coniugio etiam philoſophatus eſt plurimum. vir enim pollens ingenio quidquid operatur illud Philoſophatur,vnde ex Xantippe ſe patientiam diſcere aiebat Socrates, & ex generatione, multa, & plura diſcuntur, quam ex chimica; ſi quis actus ſuos ipſe conſideret. Veruntamen puto Socratem in cunctis ſcientiis magis profecturum fuiſſe, ſi coniugii expers fuiſſet. Quapropter ſolum in moralibus,quæ etiam operando prænoſcuntur ſupra mortales profecit: nec quippiã ſcripſit. At quidem melius in Chriſtianiſmo conſultum eſt: vt vacantes Philoſophiæ in Monaſteriis concludantur, communibuſque bonis, & eleemoſynis alantur: ſic enim cura vxoris,& rei familiaris, & publicæ, exonerati, ſublimiſſimè philoſophantur,niſi propria abutantur profeſſione. Porrò expertus ſum eos,qui ſolitudinem non adeunt,vix aliquid altum ſcire, niſi grammaticaliter ex dictis aliunde. Hinc Franciſcani plerumque Doctiores ſunt Ieſuitis in negotio verſantibus:ſed prudentiores Ieſuitæ. Franciſcanis verò ſapientiores eſſent Carthuſiani, ſi philoſophari vellent circa ſcientias, & non totos ſe cultui exteriori, & officiis occuparent Eccleſiaſticis: Sed cœleſtia,& terreſtria, & maritima explorarent, & codicem D E I, qui eſt rerum vniuerſitas, cum codicibus Prophetarum, & codicem naturæ codici ſcripturæ coniungerent,legendo,experiendo, & meditando.

Oeconomus autem noſter potius mechanicè philoſophabitur. Nec coniugium iniet,niſi dotatus,aut per coniugium ditandus,niſi velit ex opere manuali viuere.diuitias verò conſeruabit non vſuris,ſed telluris cultu: ſi diues eſt,vel artificii excellentia:in cunctis enim artibus excellentia ditat.Nec alieno ex incommodo,& malo,ſed commodo ſuo,& alieno,& Reipublicæ: vſura autem facit homines inertes, & fraudulentos, & alios depauperat. Nec prudentia eſt viuere ex aliorum labore cum ipſorum damno,ſed aſtutia, quæ etiam ſi corpori aliqualiter proficit, Animo meliori, quam corpus, officit, & Reipublicæ, vt dictum eſt in Ethicis. Qui autem philoſophantur in paupertate, nec diuitiis impediuntur, iis parantur monaſteria: niſi velint & poſſint Cleantem imitari.

Ad 2. dico,quod diuitiæ ſibi; & Reipublicæ non ſeruantur ex vſuris, ſed telluris cultu,& artibus. Quapropter licebit œconomo emere villas,prædia ex nummis,quibus abundat,& in eis conſtituere colonos, qui bona conſeruant, & augent. Plus enim reddit vſura telluris,quam mutuo datarum pecuniarum,ſi benè colatur.

At Genuæ,& Venetiis, vbi tellus inſufficiens,proderit mercatura. Quæ quamuis ars non ſit: eſt tantum honeſtum exercitium. Siquidem neceſſe habet Reſpublica aſportare ſuperflua bona,& importare,quæ deſunt. Non enim omnis Regio omnibus abundat rebus,D E O ſic volente,vt conſocientur nationes, & doctrinæ & artes,& diuinus cultus amplificentur. Mercatoris ergo erit hoc munus. Præterea vbi deeſt copia rerum, affluit copia ingeniorum, & viuunt artibus manualibus, quæ veſtiariam curant,& aromata,& vaſa,& alia vtilia. Vnde Veneti, vitrariã, & quæ ſaccharo, & ceram perficiunt, & veſtimentorum & lanæ, & ſerici negotium melius, quam alibi in Italia tractant. Calabri verò, apud quos eſt lac,vinum & ſericũ, & ferrum,& frumentum,& oleum,& glans,aliique fructus abundanter,nec texere, & laborare in ſericeis, nec ſaccharum perficere norunt. Nec arma fabricari, ſicut Mediolani,& Scarpariæ ferramenta. Quapropter, vt optimè Socrates apud Platonem docet; Nemo, qui labori & artificio indulget, vacat bonis, nec arte, vnde viuat, & bene viuat. Pictura etiam,& ſcriptura,& ſculptura, ocularia,multaque huiuſmodi nõ deſunt,& quæ ſalat piſces & quæ piſcatur,& tranſmittit. Nullibi ergo deeſt Ars proficua: Inuenitur hoc tempore pyratharum Ars, qua Turcharum bona diripiunt: quod poſſunt facere in communi,quoniam noſtra fuerunt, & per vim occupata: Sed non priuatim. Non enim vni homini debentur, quoniam non ab ipſo ſolo capta ſunt: niſi cum incontinenter poſt deprædationem repetuntur.

Ad 3. fallitur Speron. Deus enim nihil poteſt à nobis accipere,cum ipſe det omnia, & ſit pater & dominus omnium: & poteſt dare cui vult quidquid vult. Quapropter nos

nos ei non damus ad vsuram propriè, sed similitudinariè. Dixit enim, quod sicut damus pauperibus, & seruis eius, ipse rependet datum in hoc, & in alio sæculo ex beneplacito suo, non ex debito vsurario. Sicut Pater filiis dans aliquid, promittensque quod si bene vtantur dato, longe plura dabit.

Tellus vero mater communis est, multiplicans fœtus naturali ratione, non vsuraria conditione, pecunia enim non parturit sicut tellus, & propterea Deus posuit hominem in Paradiso terrestri, vt operaretur, & custodiret, & deinde exeunti dixit: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*: sic enim & corpus, & ars exercetur, & salus corporis ex labore, & victus simul acquiritur, & ars, & scientia ampliatur. At cum das alteri ad vsuram, fraus, & ocium occupant animum, & corpus, & damnum proximis irrogatur.

Ad 4. Respondeo, quod pecunia vsuraria danti etiam nocet: quoniã potest emere fundum, vnde viuat, vel diuitias augeat. Quod si non vult augere, nisi ex vsura, peccat in se, & in Remp. & in amicum recipientem. Nec enim quia pecunia est sua lucrum recipientis erit suum. Pecunia enim de sui natura non fructificat, sed ex industria vtentis. Tu vero non potes alteri vendere industriam eius. Sed teneris iure naturali commodare id vnde ipse lucretur. Quod si tu partem lucri vis: cum omnis pecunia negotiationi, & arti exposita, veniat in periculum amissionis, oportet te in partem damni, æquè ac in partem lucri venire, & sic non est vsura, sed societas, in qua tu pecuniam, ille labores committit fortunæ, seu potius diuinæ ordinationi ad lucrandum & perdendum. Prudentia autem Philosophi œconomi erit, committere mari non irato, per constellationes præcognito, merces: & terræ præcognitæ fertili illo anno per prudentiam Physicam, & Astrologicam: non autem in alieno damno se tutum conseruare: facilè enim est sapienti ditari citra alienum damnum. tu etiam melius consules, si emes prædium, aut aliud fundum, vnde tibi, & colenti prædium æqua pars fructuum aut dimidia, prout pactum rationale fert, tibi perueniat. Prædiũ autem si perditum ibit, pecunia etiam tibi perditum ibit secundũ naturale ius. Quod si tu vis etiam pecuniam, qua emisti, vsurarius esse conuinceris, iniustus contra iustitiam commutatiuam. Et in hoc fundatur Pontificum concessiones: qui dare pecuniam soluturo decem in centenos volunt: si ad emendum fundum dantur, & propterea, tributa fiscalia illius prædij, non ab accipiente, sed ab vtroque pendi debent prorata. Alioquin pactum iniustum. Pallianturtamen vsuræ multæ his venditionibus, & emptionibus. Si tamen fiant realiter absque dolo, malæ non sunt, sicut nec societates cum periculo, & lucro cõmuni: oportet enim valere fundũ quanta est data pecunia, pluris: & si perit, illi perire, qui dedit, quasi emptor, pecuniam: & deinde prædium quasi locatur: est enim iste contractus ex locatione, & emptione compositus: & si ex parte perit, vtrique pars lucri perit prorata. Alioquin vix centesima, ne dum decima pars dati centenarii rependenda est secundum iura Romanorum longe iustiora. dare enim centum, & exigere quotannis decem, excedit vsuras gentilium impias nouẽ partibus. Propterea putarem non valere hos contractus: nisi fundus etiam reddat plus quàm decem pro centum. Alioquin non esset emptio, & locatio, sed mutuatio vsuraria palliata, in qua acceptor pecuniæ laborat pro donante ad vsuram, quasi mancipium, non quasi socius lucri conseruando eius fundum, & fructus curando pro eodem. Similiter etiam vendere pluri pretio, expectato tempore, quam præsenti, vsuræ iniustitia est, nisi damnum donanti pecuniam aut rem aliam ex hac donatione certum & præuisum intercedat. Tunc enim tenetur instaurare damnum, qui accepit mutuum, si pactum interfuit, maximè autem quod acciderit post præstitutũ tempus redditionis, nec reddita sibi fuerit data pecunia. Nec enim pecunia est vendibilis pretio, cum sit ipsa pretium: nec tempus eum non sit vendibilis res. Sed damnum euidens in tempore, est resarciendum. Non tamen lucrum cessans inter damna est computandũ, præsertim si fuisset dubium, & à donatore non applicatum ad lucrosum negotium: tunc enim ex quo sibi incommodat, vt alii commodet, aliquid de iure supra datum pacisci potest, vt mercatores faciunt: Non autem alia ratione, excepto si ditatus pecunia aliena, ex sua liberalitate sine pacto etiam mentali per gratitudinis rationem vo-

luerit aliquid vltra sortem dare principalem suo benefactori.

Ad 5. Moses, & Psaltes, & Ezechiel vetant vsuras semper: concedit tamen semel Iudeis vsuras non à Iudeis, sed à Gentilibus, quorum terram, & bona terræ Deus dederat Iudeis. Vnde Ambrosius. *Cui iure inferuntur arma, huic legitime auferuntur vsuræ.* Aut forsan permittitur Iudeis Saturninis, & auaris vsura cum alienis, tanquam minus malum ad euitandum maius in fratres: sicut & libellus repudii: vel forsan, nec est permissio: sed ironia, si fœneraberis: sed nullus est alienus. omnes enim homines fratres. Quidquid dicant Theologi, semper scriptura DEI damnauit vsuras, & nunc nostro œconomo, qui profitetur non modo sibi, sed toti natum se credere mundo: Quare nec cum hostibus fidei vsuras committet: sed virtute eos lucrabitur Deo, sicut Paulus omnia factus omnibus, vt omnes lucrifaceret.

Hoc etiam nota, quòd Moses adeò vsuras damnat, quòd iubet Leuit 25. vt venditor prædium venditum cum pacto retinendi vt locatum, & rependendi quotannis portionem aliquam pecuniæ, sicut hodierno fit tempore; & redimendi cùm potest, non amplius soluat emptori cum pecunia exacta per aliquos annos veniebat ad summam dati pretii: sed percepti fructus reciperentur in sortem, & prædium remaneret in manu venditoris: & hoc fieri deberet nostro tempore, quando redduntur deni pro centenis saltem cum conduplicata fuerit redditio. perpetua enim videtur vsuraria sæpe. Vnde census vitalitii conceduntur, quoniam in morte mutuantis extinguntur, vt vterque contrahens periculo se exponit. In contractibus verò dictis perpetuantur ad hæredes: itaut qui centies soluerit datam pecuniam, tanquam perpetuum mancipium in tota generatione sua: Non permittendum quidem nisi liquida sit venditio, & locatio non coacta.

Ad 6. conceditur negotiatoria, quoniam conseruat bona, vt reuendat iis, qui non potuerunt ab initio emere: aut importat quæ desunt. sed abusus eius damnatur quando propterea emit omnes fruges, aut pannos, vt penuriam faciat, cogatque homines vltra iustum pretium ab ipso emere. Alteratio enim pretii ex abundantia & penuria nascitur: & si enim bona est lucri cupiditas, vt docet Plato in Hipparcho, non tamen abusus tyrannicus: Propterea que etiam, qui nolunt vendere ea bona quæ soli habent ipsi, vt cogant homines ad soluendum plus: Ii nihil vsurariis sunt minus praui, aut venditoribus iniquis, minuentibus pondus & augentibus siclum, & quisquilias frumenti vendentibus, sicut conqueritur Propheta. Quanta iniquitas hoc anno regnauit Neapol. quando Magistratus accepturi pecunias ipsarum valorem minuebant: daturi deinde augebant: longe publicis latronibus deteriores. Nec (vt ad rem redeamus) vsura melior negotiatione. Per vsuras enim venditur industria aliena: vsus enim pecuniæ per se non parit pecuniam. In negotiatione venditur propria industria & labor. Cum autem res emptæ meliorantur, vt pluris reuendantur, sicuti Veneti faciunt de saccaro & cera: tunc proprius labor, & artificium venundatur. At quoniam solum lucrum negotiatores facit, ideoque improbos; Res necessariæ cum abundant, aut aduehuntur, nomine ciuitatis emendæ essent, vt reuendantur, & non ciuis particularis. Sic enim multa vitantur mala: & ditatur ærarium publicum.

Ad 7. Cambiorum lucrum non damnatur, quando est reale, non fictum: vt si das hic centum, vt tibi rependam Lugduni nonaginta: translatio enim & periculum & laborem habet, pecunia vendibilem. Item quia moneta pluris est in vno loco, quam in alio potest compensari cambio. Item si aurum aut argentum melius do pro deteriori, possum accipere plus. Item cambium minutum si vis aurum, vt possis transportare, & das argentum, ista commoditas potest aliquantulo pretio compensari. Non autem vbi intercidit temporis aut alienæ industriæ venditio palliata cambiis. aut cambium fictum, vt si dem Neapol. centum, vt Lugduni accipiam nonaginta, & non accipio Lugduni, sed Neapoli soluendo pretium cambii, quasi Lugdunensis, quod verè non fit, sed fictè, tunc vsura interest damnabilis. Sic nobiles bona propria fictis cambiis pessundant: aut quando volunt paratam pecuniam, vt nunc & hic habeant, tanquam habituri alibi, vt alio tempore.

Ad 8 Qui ex pecunia adulterata vel circoncisa viuunt, Reipublicæ iniuriam fa-

eiunt: quoniã pretio res permutãtur, & commercia feruantur, & vnitio Ciuiũ, quæ est ipfa Ciuitas, continetur. Hæc autẽ omnia pretio deprauato diffoluuntur, itaut nõ fit Ciuitas. Et primò non poteft ciuitas ifta cũ aliis ciuitatibus commertia inire: nisi det centũ Ducatos pro triginta, vt contigit Neapoli hodierno tempore. Quamuis enim cambia ad fexagenos pro centenis afcenderint hinc Romã: tamen hinc in Hifpaniam ad ducentenos pro centenis offerebãtur. Nos quoque põderauimus centum vix pondus triginta nummorũ reddidiffe. Secundò pretia rerũ exaltabantur, at pro vefte, quã decẽ ducatis in bona moneta mercamur, non poffumus emere foluẽdo minus quadraginta. Sic etiam fruges, & frumenta: ita quod pauperes fame peribant tantam pecuniam non adipifcentes fuo labore, quanta victui, & veftitui mifero fufficeret. Quartò fcelerati homines monetarum cæfores, & adulteratores, accipiebant pro falfa, & truncata pecunia multas, pecunias bonas, & plenas: iftafque adulterabant, & circuncidebant, & excoriabant iterum has vendituri, & empturi alias bonas, & prædia, & cafas, ita quod alterabant pretia, & pecunias, & commercia diffoluebantur. Vnde redactum eft regnum Neapolitanum ad extremam paupertatem. Adde quod pecuniæ bonæ afportabantur: & prauæ importabantur; & bona terræ, quibus abundat regnum, ad exteros tranfibant pro pecunia falfa & modica aduecta a mercatoribus fcientibus in regno oportere recipi vt bonam. Scripfit hæc Autor Neap. io Arcedecenus.

Nec remedium in hoc reperiri poteft. Tum quia nolunt, qui aliorum ex prauitate lucrantur. Tum quia etiã fi remediũ ne adulteretur pecunia inuenias, vt plures pollicentur monetarii, vt ne circundantur appofuerint circulum extimum, quo rupto pecunia non fit amplius receptibilis, non potetit regnum amplius ditari. Etenim feuda plurima funt in manu Ianuenfium & gabellæ, & cambia, & negotiationes. Cumq; regnum hoc extrahat bona valoris fex millionum, & tantum in moneta debeat accipere, vt antiquitus eueniebat: nunc nihil accipit: fed ipfi Ianuenfes extrahunt bona terræ & ipfimet accipiunt pecunias, & afportant, aut retinent, itaut regnum noftrum det multa, & accipiat nihil: & omnes Ianua folertiffima ad fe trahat ab inertibus Neapolitanis diuitias. Prouideat ergo DEVS.

Quapropter mentiuntur, qui monetarum adulterium, & circoncifionẽ nulli damnofam faciunt: cum & Reipublicæ, & priuatis hominibus, & pauperibus, & optimis fit perniciofiffima, maximè autem Regi: folumque fcelerofis paucis fit proficua hic & nunc: Alibi enim, & tempore labente etiam in caput ipforum reuertitur damnum.

Ad 9. Refpondent Theologi, quod & fi venditor teneatur vitium mercis patefacere, non per præconem, vt Cicero irridet, fed clàm, nec Regem per præconem, licet hoc cumulatioris effet iuftitiæ actus: haud tamen tenetur dicere affuturas alias merces, aut oleas non exuberaturas, vti per prudentiam, & artes nouerat. Vitiũ enim reddit mercem deteriorem, nec vitiofum pro bono vendi debet. Sed tẽmpus nihil minuit de rei bonitate. At cum vbertas expectata, aut penuria minuant, bonus œconomus non declarabit, fed de pretio minuet dum vendit, quod fcit abundaturum; at non auget dum emit, quod fcit carius futurum. Hæc enim eft prudentiæ humanæ prorogatiua: vt excitentur inertes, & imprudentes ad Philofophandum. Sed quod non ex prudentia fcit philofophia, fed ex fenfata fcientia, vti frumentarius ille Rhodius apud Cic. 3. de officiis: debet quidem aliquantulum de pretio minuere aut augere, fi confummatæ vult effe iuftitiæ, quod autem fecus fit de vfuraria dictum eft. Similiter, & in quo valet negotiatoria. Nummularia autem ad campfores fpectat: & ad vulgo dictos Bancos. Ifti enim alienam feruant pecuniam cum proprio lucro, & periculo etiam proprio: Propterea lucrari poffunt. fceleroſi autem funt, cum dicunt fe non effe foluendo, ceduntque bonis: quæ tamen abfconderunt.

Cum autem dicitur in lege ciuili, quod licet contrahentibus fe inuicem fallere, non vltra medietatem iufti pretii, non comprehendit vfurarias, & negociatorias fraudes: Sed cum impoffibile fit pretia rerum omnium taxare, & confuetudo conuictufque requirat continuos inceffantefque contractus, permittitur vt vendant, & emant quanto poffunt pretio: Cum quo ftat, quòd iuftum taxatur à magiftratu iuxta monetarum, & rerum venalium abundantiam, & penuriam; & qualitatem. At qui-

dem hoc præceptum tutam reddet conſcientiam contrahentium: Videlicet, *quod tibi non vis fieri, alteri non feceris*, & *quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis*. Quapropter deceptio iure naturæ exploditur.

Ad 10. conceditur ludus taxillorum, & alearum citra fraudē. Quoniam vterq; colluſor exponit periculo bona ſua, ſed tamen illiberalitas eſt lucrari ociosè, & appetere alienum, & tam facile iacturam, aut lucrum rei familiaris facere, & nobilitatem labefactat: ignobilius enim hoc lucrum, quàm ex nummularia & negotiatoria. Fouet ignorantiam & animi vilitatem, vt nunquam de Rep. & ſapientia cogitent. Gallorum nobilitatem iam eneruat: Hiſpanos aſtutiis auget. Idcirco apud bonos viros iſte ludus male ſapit, etſi abſque fraude. In vſura verò aliter res ſe habet. Nam vſurarius non exponit periculo pecuniam, ſed in tuto ponit, & vult etiam lucrari: ſed quid de ludo, & ſortibus ſenſimus in 9. libro Theologicorum docuimus.

Ad 11. Reſponſum eſt in quarti ſolutione, cenſuaria enim pecunia cum periculo dantis pecuniam, & locantis mercem, permittitur, non autem cum lucro abſque periculo.



OECONOMICA
THOMÆ CAMPANELLÆ
STYLENS. ORDINIS PRÆD.
PHILOSOPHIÆ REALIS
PARS QVARTA.

IN APHORISMOS DIGESTA.

De Elementis, Essentia, Fine, Diuisione, & varietate Familiæ, ac comparatione cum toto, & partibus.

CAPVT I. ART. I.

1. 
VONIAM Familia Ciuitatis, siuè Reip. pars est: Pars autem quatenus pars eundem cum suo toto finem habet. Existimandum est, haud rectè finem Familiæ, & Oeconomici, diuitias, Ciuitatis verò ac Politici vitam fœlicem Peripateticis esse positam. Vita igitur fœlix vtriusque finis esto. Idem finis Oeconomicæ & Politicæ.

2. Homo viuit in se ipso; in Filiis; in Fama; & in Deo. Quoniam verò omnes tandem deficiunt Vitæ præter illam, qua in Deo æternamur: asserendum est Politicum hosce fines omnes respicere: sed tamen omnes fines vitæ postponere æternæ. Itemque ad hanc omnes viuendi formas dirigere. Sic & œconomum bona vtilia vitæ in se, & in fama, & in Filiis procurare. At quidem hæc omnia ad summum æternum dirigere Bonum. Omnes conseruationes ad supremam.

3. Quanquam commodius in Familia, & in Repub. plures gubernent, nihilominus in hac & in illa plures possent Gubernatores præesse: at melius vnum cum consilio multorum, participioque regiminis. Igitur Vxor in Oeconomia partem habet gubernationis, & Architriclinus, & filii maiores, & alii; sicut in Repub. Rex, Regina, Prorex, Iudices, &c. Possessiam in œconomia plures principari.

4. Patet etiam sic institui Ciuitas in Communitate, vt sit tota quasi Familia vna, quemadmodum Socrates docet, & S. Clemens, & nostra Ciuitas solis: quam in quæst. 3. & 4. super 3. libro defendimus. Ciuitas in tar familiæ.

5. Quemadmodum Ciuitas est Conciuium & familiarium vnio ob communem conseruationem indiuidui, & speciei, diuersis distributorum officiis ob diuersos vsus, necessitatesque, quibus necessaria, vtiliaque bona præsenti, ac futuræ vitæ procurent, sublataque Officiorum diuersitate, non esset amplius Ciuitas: & sublato fine, qui est Definitio familiæ ex definitione Ciuitatis.

Aa iij

vita aut conseruatio fœlix, nequaquam esset amplius ciuitas: ac denique sublatis necessariis, vtilibusque bonis, quibus seruatur, perditur ciuitas: Sic Familia (regulariter loquendo) est vnitas Maris, & fœminæ, & seruorum rationalium, & irrationalium, variis distributorum Officiis ob vsus, necessitatesque varias indiuidui, atque speciei, ità quod sublata officiorum varietate, non est amplius Familia. At sublatis tandem bonis exterioribus, quibus conseruatur, perditur familia: sublato quoque fine, qui est fælix conseruatio, non est familia. Quapropter Milites plures in vna Domo non faciunt familiam, eo quod sunt quasi membrum vnum: vtque Apost. ait, *si totum Corpus est oculus, non erit Corpus*. Neque scholares plures cum suo Præceptore in Domo vna, efficiunt familiam. siquidem finis ipsorum non est conseruatio sui ipsorum congregationis, & communitatis, sed addiscere scientias. Item si qua societas in vnum constet ex Marito, Vxore, filiis, seruisque, quæ pane, ac vestimentis & domicilio ad habitandum carent, quanquam sit familia huiusmodi, subitò tamen dissoluitur singulis abeuntibus ad victum, cæteraque necessaria sibi comparandum, vbicunque inuenerint.

Congregatio Militum, & scholarium non est familia.

An Monachorum cætus sit familia

6. At verò quid de Mendicantium Monachorum Monasteriis dicemus? Hi namque Vxoribus ad conseruationem speciei carent, nec bona possident, vndè indiuidua nutriantur: nec officia habent varia, victui comparando destinata. Item si etiam domicilio, quemadmodum Zingari carent, sicut olim Monachi & Hæremitæ multi vixerunt, multò minus Familiam efficere dicendi essent. Nihilominus tamen pars Reipub. sunt. ergò, &c.

An Marabutorum

7. Sunt autem in Regno Fezæ, & Marochi quidam Mahomettani Religiosi, Morabuti vocati, habentes Monasteria vndique clausa muris: in quorum singulis vnus principatur Monarcha cum Vxoribus quatuor & plusquam 40. Concubinis, suis quoque cellis conclusis, & filiorum multitudine ibidem. Mortuoque Monarcha, Primogenitus in Regimine succedit. Quid de his dicemus? Suntnè Familia, an non? Alii extant viuendi partiales cætus etiã in Regionibus mundi diuersis, videlicet, Bracmani in India, Bongi in Iappone, Amazones mulieres intrà Nubiam & Monopotapæ Regnum, quæ absque masculis degunt. Vndè videntur, nec de omni familiæ forma loquuti esse Philosophi, præcipuéque Arist. aut ex præfatis formis familias minimè confici.

8. Responsio. Quemadmodum Corpus humanum extare nequit, in quo omnia membra sint manus tantummodo, aut oculus, veluti Apost. rectè demonstrat: sic neque ciuitas fieri potest, in qua omnes sint actiui: Constat enim Homo Anima, corporéque. Ad Corpus autem seruandum, actiua indiget vita: quæ cibum, vestitum, & tectum procurat. Ad conseruationem verò Animæ, indiget Religione, doctrina, scientiisque variis: quæ etiam actiuæ conferant vitæ: vt nimirum sciat qua ratione propter bonum Corporis operari debeat. Actiua quoque contemplatiuæ confert, dum Corpus contemplantis Animæ vas, gubernat, curisque exteriorum bonorum Mentem exonerat. Quapropter in ciuitate sunt familiæ nonnullæ contemplationi solummodò dicatæ, quales Religiosorum cætus, doctrinarum scholæ, ac templa: Sunt & familiæ actioni tantummodò incumbentes, vt Milites, & Agricolę. Aliæ tandem ex ambobus sunt commistæ partibus, quemadmodum Philosophorum domus. Sed profectò Elementum Politicæ familia verũ est, si sufficiens indiuidui, ac speciei cõseruationi. Quãobrem Monachi speciem per se conseruare non valentes, aggregant sibi quasi per adoptionem, ac successionem filios aliorum. Porrò bonis quoque carentes, quibus indiuiduum seruent, ab aliis petunt victum vestitumque, quibus spiritualia ipsi bona communicant. Sic ergò consulunt familię propriæ excludendo necessitates habendi Vxores speciei gratia: ac simul publicis vtilitatibus per contemplationem operam nauant, perque doctrinam, quam verbo, & exemplo propagant. Porrò & per orationem ad Deum, eius nobis adsciscunt auxilium, nostramque deificant plusquam egregiè naturam. At Morabutarum familia à nostris longè differt. nam licet speciei naturaliter prospiciat, haud tamen etiam proficit, ad quem instituta est, fini. siquidem manere cum fęminis pluribus intrà septa Monasterii clausum, ac quotidiè earum amplexu & consortio delitiari, nunc hanc, nunc illam ad cupidinem accersiendo

omnem contemplationem scientiamque euertit. quas ob res ignorantissimi sunt Morabiti omnes, superstitione pleni, porcinamque viuunt vitam. nec pars Reip. dici sic possunt, vt membrum corporis, sed sicut vermis intrà membra, vel ventrem natus, qui Corpus vorat, nec toti prodest, sed obest, illum infestando, cibumque eidem subtrahendo. quod sanè ex hoc probatur, quòd inter illos nulla est Religiositas, scientiaque, sed superstitio ignorātissima, putantque sibi licere quancumque etiam non suam in Plateis obuiam habuerint mulierem, brutorum more subagitare. Porrò sicut olim Homines Elementa, ac bestias adorauerunt, sic Populi Africani hosce ignauos, bestialesque Homines colunt. De sectis, familiabusque aliis, quæ sunt in Mundo, aliquid melius legimus in Historiis: ac profectò cum nec Animæ à corporibus, nec corpora ab Animabus seorsum in Repub. humana viuere queant, fit vt in cunctis præfatis familiis functiones actiuæ, & contemplatiuæ, & mistæ, & variæ reperiantur, suppleturque speciei, indiuiduoque per Artem, vbi natura sequestratur. Sic Amazones; Bongi, &c. sibi consulunt.

9. Familia igitur, cum pars Ciuitatis sit, instar humani corporis formatæ, habet & ipsa loco Animæ virum & mulierem: loco Corporis, domicilium: loco exteriorum bonorum, seruos, Animalia, & villam. Quemadmodum Ciuitas Ciues pro Anima haber: habitationes & Mœnia pro corpore: territorium, Animalia, seruosque, bonorum exteriorum loco.

De instructione Familiæ, ac gubernatu: qui in acquisitionem, conseruationem, fruitionem, & dispensationem partitur; iam dicendum esse.

CAP. II. ART. I.

1. POlitia Hominis est, Familiam priùs instituere: deindè verò gubernare.

2. In institutione, Vxorem, Domicilium, seruos, aliaque exteriora bona comparare oportet. *Quid institutio familiæ, & quid gubernatio requirit.*

3. In Gubernatione exequi debet, prout institutum est: & quoniam gubernare, est conseruare, ac in finem suum rem gubernatam perducere: idcircò necesse habet conseruatiua bona acquirere, acquisita conseruare, & tandem eis vti, & dispensare. Deque hisce actibus nunc nos manet Oratio.

De habitaculi institutione.

ARTIC. II.

1. BOnus Oeconomus priùs Habitationem parat: veluti Natura priùs format corpus, in quo habitatura est Anima.

2. In Domus ergò fundatione plura considerabit.

Primò vt Aer sit salubris, & hyeme solem intus excipiat multum, & in æstate, cæterisque temporibus salubres ventos, quales sunt in Regione nostra Boreales, Occidentalesque. Nec in loco humiliori ciuitatis situetur, vbi crassus pigrescit Aer; ac pluuię, & immunditiæ ciuitatis iacent, congeruntur que. 2. Locus est eligendus, in quo possit Domus in seditione se defendere, cum euenerit: & introitum facilem rebus ad victum spectantibus, præbere: sitque vicina salubribus Aquis, vel intus scateat fons. Itē foro, & templo, cæterisque principalibus locis. Item, si fieri potest, vbi absint malleorum ictus, & Artificum rumores: quibus licet attenuetur Aer: tamen sensus, & contemplatio infestantur. 3. Vt commoda cunctis officiis domesticis, rerumque necessariarum conseruationi ædificetur. Igitur Portam magnam vnam habebit, quà importentur necessaria, & cunctis introitus pareat. Alterumque Ostiolum falsum, occultumque vtilitet. Item Cortem amplam. Bonumque videbitur, si peristilia, quasi Mo-

nasteriorum claustra, vulgo vocata, intrinsecus exornent muros. Hic verò in maximè ima domicilii parte, quæ aliquando sub terram conditur, rerum liquidarum, vt olei, vini, & huiusmodi, ædiculæ parentur. Hæc enim vmbram, frigusque ad sui conseruationem requirunt. Adsit Equorum habitatio, sed minus humida. Itemque canum altera vtilium: & ad Meridiem, vel occasum versæ; liquidarum verò ad Boream. Porrò ad Planitiem, vel paulo superius propè Portam ædes fient seruorum ignobilium: & custodum Domicilii totius. Interius verò instrumentorum rusticorum, & Equestrium, & Armorum. Omnia autem sic distincta iacebunt, vt subitò quærentibus offeratur. Paulò superius post aliquorum graduum ascensum Dominorum ædes superstruantur. At, Mariti, Vxoris, & liberorum, ad omnem plagam Cæli, æstiuæ ad Boream, hyemales ad Austrum: Autumnales, & vernales ad ortum vel occasum: prout Aeris, & loci opportunitas decernit. Aulæ quoque Maiores inter illas formentur. Idcirco figura quatrata huic domui congruens erit. In suprema Palatii parte Ancillarum, & Puerorum ædes superstruantur; ità tamen, vt super tectum herile pro tempore non incedant: & aliquorum Armamentorum sedes, & rerum humiditati crassæ inimicarum fiant, veluti leguminum, frumentorum, pulueris bellici, & sericorum. At vbi commoditas id negat, in inferioribus locabuntur cubiculis, propè pistrinum, & culinam, in horreis importationi exportationique idoneis: ità tamen, vt aridæ res in humidis non condantur Aedibus: nec, quæ frigus amant, in calidis. Aulæ totius Magister, & serui nobiliores in secundo ordine ædium aut in eodem cum herili habitabunt: sic tamen, vt ad fæminas aditus, & ad heros intercludatur: præterquam his, qui secretiora tractant herilia negotia domestica. 4. Necesse est, Cisternam intrà Cortem, aut fontem habere, vel fluuii transitum per aquæ ductum communem, quem Neapolitani Formalem appellant. Item lauatoria loca, proindeque machinas artificiosas, per quas Aqua Aquæductibus æreis in ædes omnes, sed præcipuè in Refectoria, seu cænacula, maximè autem in culinam, exili vnius manubrii agitatione feratur: vt Mechanici recentiores re ipsa ostendunt. In culinam autem non nisi coquus, eiusque discipuli, & quorum interest, intrent vnquam. Pueri autem per fenestrellam in parietem, vel ostio culinæ fabrefactam, excipiant dapes. Fiat & fenestrella fæminis, ne in communem Aulam egredi opus habeant, qua per interstructam Rotam ligneam, quali sanctæ Moniales in suis Monasteriis vti solent, accipiant à seruis, exhibeantque necessaria.

3. Vbi tot requisita haberi nequeunt, & qui Pauper est, domum sibi paret, quam potest meliorem, iuxtà iam descriptæ imitationem. Vbi autem portatiles sunt domus, quemadmodum apud Abassynos, & Tartaros, & olim apud Veientes in Italia, locus, tempus, & commoditas habitaculo legem præbebunt.

De Vxoris, & Coniugii institutione.

ARTIC. III.

Qualia elementa Reip.

1. CVm Mas, & fæmina sint prima Reipublicæ Elementa, ex quibus omne fermè bonum, malumque ciuitatis dependet, consulendum coniugiis esset, vt non nisi secundum naturalem conuenientiam Matrimonia celebrentur, quo proles generosa fiat. Conuenit v. g. macro viro crassa, pinguisque mulier: & è contrà iracundæ fæminæ mansuetus mas. vtque sint corpore prægrandes, ad generandum apti alios. vnde Resp. successione meliori æternetur.

Quid matrimoniũ, & quibus, & qualibus constare debeat. Maris & fæminæ distinctio vndè, & propter quid.

2. Est siquidem Matrimonium Sacramentum, vinculum à Deo institutum, tum ad propagandam speciem: tum vt mas, & fæmina mutuo se se adiuuare possent, & cum gaudio, & honestate viuere. Quapropter diuisit Deus sexum, fecitque mulierem, blandam, mollem, timidam, cautam, piam, tenacem, videlicet, & vt lemen exceptum foueret, generaret, educaretque domi. Masculum è contra robustum, confidentem,

dentem, pugnacem, prudentem, videlicet: & vt feminaret, generaret, instrueret, defenderetque prolem, atque vxorem: & vt compararet rem familiarem foris: & imperaret. Quamobrem ij modò, qui ad præfatos fines idonei sunt, copulandi essent matrimonio, ex physicorum, prudentumque senum consultatione; non secundùm dotes, exterioresque diuitias: sed secundùm animi, corporisque bona. sic Rex, verbi gratia melius consuleret sibi, ac Reip. si natum suum mulieri, quæ sub ditione eius sit, quàm optima, prudens, formosa, fæcundaque, quàm Reginæ alteri ignauæ, deformi, imbecillæ, ad prolem ineptæ coniungeret. Idem dico de ciuibus cunctis proportionaliter. Vide Ciuitatem solis, Natura enim naturale vinculum fecit: politica illud honestauit: Autor gratiæ Sacramentauit. Propterea nec contra naturam, nec contra politicam, nec contra Religionem debet celebrari.

3. Fæmina Matrimonio est bona, non minor annis decem & nouem lunaris fæminei cycli: Ante enim ætatem hanc non est ad prolem robustam progignendam idonea: semen habet debile, & cum intumuerit, ventris exterior pellis disrumpitur, sæpéque & vulua incommodatur, nec gubernationi familiæ est apta. nec si ætas adest, & aptitudo, ad generandum deest, matrimonio aptabitur. nec si insana, gubernatui. Tempus nubendi.

4. Masculus conueniens erit post vigesimum septimum annum: quamuis Plato, & Arist. trigesimum sextum assignent: sed regula eorum nostris temporibus ardua est, potiusque congruit Borealibus frigidis nationibus, quàm Climatibus nostris. Necesse est omninò, marem ætate prouectiorem esse, quoniam tardiùs maturatur, quàm fæmina secundùm naturam: sicut plantæ robustiores, quàm debiliores. Item virtus actiua potentior, & maturior, quàm passiua requiritur. Item vt sit aptus ad prolem gignendam robustam, & ad familiam regendam. quibus demptis, dic vt supra. At in aliis regionibus prius, in aliis posterius fiunt coniugio idonei.

5. Arist. cum Hesiodo dixit, vxorem puellam accipere oportere, vt tuis moribus illam assuefacere possis à principio: nec alium amorem prægustet: hoc dictum profectò verum est, vbi Venereæ voluptatis, & iucundæ societatis ratio modò habetur: sed quando coniugii principalior finis est liberorum generatio, educatioque, quod nulli compertum non est: hoc ante omnia reputandum venit: Quin ipsemet Arist. secum pugnat, quippe qui in primo Oeconomicorum optat cum Hesiodo puellam vxorem: in septimo autem Politicorum, non nisi decem & octo natam annos: quod à Platone accepit, sicut eius moris est, exscribere, & suffurari decreta Auctorum contrariorum, nec rationem, qua concordentur, inuenire valere. Porrò Hesiodus de ancilla, non de vxore loquebatur, & sic eius rationes currunt: Plato autem de vxore, cuius rationes in Politicis Arist. sunt meliores videlicet generationis melioris gratia oportere iuuenem, non puellam accipere: Vtque à principio Venereis non assuescat, ne incontinentiam, & meretricios mores ebibat. Contradictio, & error Arist. de ætate puellæ.

Dotem non exiges ab vxore, viribus corporis, animique ornata: At si & hoc habere poteris, melius tibi consultum puta: Apud alias Nationes masculus dotem fæminæ exhibet. Sed rationem naturalem sequentes dicimus, habentem non habenti, siuè mari, siuè fæminæ dari oportere, vt Resp. æqualitatem, sui conseruatricem vndique procuret. Pernicies, vbi diues diuiti, quamuis ad matrimonii finem inepto, copulatur: nec ætatis, nec virtutis, nec virium habetur ratio. Vide librum 3. Videtur tamen consuetudo Romana melior. Vir enim si fæminam vt sociam tractare debet, non vt ancillam, & hoc oneri sibi est, non autem vir vxori, soluat vxor dotem, qua conditionis suæ inertis onera sustentari queant. Dos an sit expetenda, & cui.

De Villæ institutione.

ARTIC. IV.

1. POst vxorem, conuenit familiæ perfectioni rus, seu villa, vndè victus, vestitusque comparatur; Porrò ex cunctis artibus optimæ sunt Agricultura, ac Pastoralis: cum ad bona animi: quoniam distrahit animus à fraudulentis Artibus, quales sunt nummularia, & negotiatoria; & à vilibus, qualis cauponaria, cupidinaria, & consimiles; tum ad bona corporis, quoniam efficiunt hominem sanum, robustum, pulcrum, virilem, non effæminata pulcritudine, aptumque ad acquirendum, defendendumque domum. Præterea naturale est homini, nutrimentum ex propria, quæ tellus est, accipere matre; Ideoque ipsam colere; quoniam cibum, aquam, vinum, oleum, & liquores alios, tanquam lac ex mamillis, subministrat. Non autem effodienda, eviscerandaque, vt metalla, & saxa vtilia solummodò naturæ humanæ affligendæ, eruantur. Quapropter Religione Romani Italicam tellurem per metallicas artes exenterari vetuerunt, ne, quasi Nero matricida, quid in ventre gerat mater, introspiciendi cupidi viderentur, omnes porrò artes Reip. vtiles sunt, sed vir sapiens eas præoptabit, quæ naturæ, iustitiæ, & corporis, animæque saluti vtiliores existunt.

Tellus non euiscerãda

2. Rus ergo tuum tantæ erit amplitudinis, quantùm familiæ tuæ sufficienter frumentum dare queat, & aliquid plus: Item vt diuidi queat in partes, quarum altera hoc anno fructificet, altera otiosa sit; in sequenti verò anno è contrario ista fructificet, illa vacet. Item seorsum intra rus sepies hortum duplicem, in quorum vno medicinales herbas omnes plantabis, in altero verò quascunque vtiles victui humano tuæ familiæ sufficienter. Aliam terræ portionem vineæ aptam, & collibus ornatam eliges, Baccho aut arbustis consitam. Necesse est quoque, syluestrem portionem nemoribus occupatam habere, bobus, cæterisque Agriculturæ dicatis animalibus, proficuam. Itemque aucupio, & venatione. Erit etiam, quæ vacat, portio pasculum bobus, & pecudibus: Sic enim vtilitas non deerit omninò, ac sequentem in annum fæcundabitur eorum stercoribus longè meliùs. Habebis quoque sepes portatiles pastorales, viminibus contextas, ponendas, auferendasque in annuis terræ distributionibus, & ad animalium congregationem, & tutamen. Oliuetum quoque in sicrioribus, lapillosis, & editioribus locis facies; fructiferisque plantis terram distingues, & ornabis: Habeant Calabri nostri sycomoros ordine positos in campestribus, ad sericorum nutrimentum.

Horti duo.

Vinetum.

Nemus.

Oliuetum

3. Ædificabis in villa domicilium, vbi custos, & serui, & canes molossi, & arma rustica seruentur: Item horrea, in quibus fructus aliqui recondantur, & quæ ad rusticorum victum, & vestitum, & dormitionem pertinent: Ibidem equorum quoque, & asinorum stabulum habebis. Item sacellum, in quo diebus præcipuè festiuis conueniant, intersint sacris, Deo sese, operaque sua commendent. Nec huiusce rei obliuisci patiantur: seque inuicem moneant, doceantque. In palatii fastigio quasi vexillum habebunt, signum quoddam ventos omnes ostendens: Vndè sciant, quis ventus, quibus rebus prosit, & obsit, & quibus solent spirare temporibus.

Stabulum

Scellum

4. Pars ædium superior, formosiorque ritè concinnata fiet heri causa, & natorum: si quando voluptatis gratia, aut venationis, aut vtilitatis, Rus videre cupiuerint. Necessarius est etiam fons, aut cisterna, aut riuus in atrio domus: omniaque fiant iuxtà regulas superius expressas, prout habitus rerum permittit.

Quæ requiruntur ad rusticæ domus perfectionem.

5. Bonum quoque fuerit pro qualitate soli, regionisque equorum armentum, ac boum: Item pecudum, pecorumque greges alere, fructuumque eorum conseruationi casas facere, cæterisque rebus necessariis.

De Seruorum rationalium, irrationalium & naturalium institutione.

ARTIC. V.

OPtima Oeconomi possessio sunt serui; sunt enim instrumenta eius rationalia, & per ipsos, & ab ipsis virtus eius in omnes diffunditur Oeconomicas actiones. Etenim Dominus immediatè rationale mouet instrumentum, qui est seruus. Rationale autem mouet instrumenta animalia, videlicet boues, equos, canes, pecudes: Instrumenta vero animalia mouent instrumenta artificialia, quæ sunt aratrum, currus, trapetum, pistrinum, &c. Instrumenta postmodum artificialia mouent naturalia instrumenta, eorumque obiecta, quæ sunt tellus, frumentum, oliuæ, vites, aliæque plantæ, & res ordine quodam mirifico. possunt tamen instrumenta rationalia in omnes effectus, absque aliis instrumentis; præterquam plerumque artis. Quas ob res summo iudicio Oeconomus rationalia instrumenta, quibus sua virtus cunctis communicatur effectibus, adsciscere curabit. De serie instrumentorum.

2. Serui tot numero erunt, quot domesticis, rusticisque functionibus, exercitiisque sufficiant. Rusticorum erit partitio, vt Alii pecora custodiant; Alii lacticinia curent: Alii Agriculturam, Alii bestias: sitque vnum caput, & Magister ipsis, qui in Ruris palatio habitet, sciens scribere in libro expensas, introitus, exitus, & fructus, qui colliguntur: singulisque Kalendis hero rationem reddat, puniatque alios, præsertim mancipia, & puellos in minimis: In magnis verò, & grauioribus hero referat: notetque, qui segniter, & qui strenuè laborant: & qui, & quare ab opere desistunt, nec nisi de consilio, vel testimonio aliorum duorum intet eos optimorum, hoc, & alia quampluta capessat, tractetque. De seruis rusticis, ex functionibus.

3. In vrbana etiam domo numerum seruorum numerus functionū constituet. Sit ergo vnus, vel pures, pro familiæ magnitudine, qui dapes paret, cibariaque omnia: Alius, qui emat, quæ ad victum: & idem in familia parua erit coquus, & expensor. In exiguis pauperibus ancilla, vel ipsa vxor. Alius scriba requiritur, qui sumptuum rationem habebit; hic etiam in paruis domibus est heri secretarius, epistolarum scriptor, & conseruator. Alius, quem Dispensatorem vulgo vocant, claues officinarum olei, vini, frumenti, leguminum curabit, aut plures, pro familię quantitate. Cubicularius etiam necessarius videtur, qui vestimenta heri, atque personam curet, sed vbi mulieres cohabitant, meliùs fortasse curabunt vestes, & vxoris personam: Cubicularius vero Domino operam nauabit. Necessarius quoque videtur, qui equorum curam gerit, sicut & currus Neapoli, & Gundulæ Venetiis. In magna vero domo vnus est pręfectus stabulo, pluresque in eo. Addantur pedissequi, qui Staffieri vocantur, qui herum præcedunt, tanquam annunciantes eum, parantesque viam, & defendentes. Et pueri, qui subsequuntur, heri tractantes seruitia. Id tamen videtur merę vanitatis specimen: sufficit enim puer vnus ad eiusdem tutamen, & curam equi. In Rep. autem benè ordinata superfluitates huiuscemodi non admittuntur. De ciuilibus seruis.

4. Illud autem valdè cauere debet familiæ princeps, ne superfluat seruorum numerus: & vbi vnus vni functioni, seruitioque sufficit, duo non applicentur: nam & deterius functionem promouebunt, altero in alterum curam reiicente: & plerunque otiosi sunt: domum implent lasciuia, lenocinio, ludis, mendaciis, dicteriis, ociositate, aliisque vanitatibus, sceleribusque familiam pessundantibus. Superfluitas seruorum, quæ mala.

5. Ex vxoris parte necesse est, mulierem vetulam, bonorum morum exemplar, ex propria consanguinitate habere, quæ in iuuentute honestè vixerit: hæc sit quasi custos vxoris, & ancillarum Magistra, & exercitiorum earumdem curatrix. Item fæminam vilem emptitiam seruam, quæ vilia seruitia tractet. Item vnam, vel duas ancillas nobiliores, aut plures, pro familiæ magnitudine, ac nobilitate. Harum enim Ancillarum numerus, ac munia.

est, Dominæ operam nauare: in suppellectili laborare, texere, filare: sicut hodierno tempore Calabræ mulieres, & Romanæ olim. Quod & Salomon, & Homerus in illustribus fœminis commendant: nunquam verò in ocio degere: Alioquin amoribus operam dabunt, ipsos quoque equorum seruos sollicitabunt, nihil enim deterius, quàm otiosa puella.

6. Præterea quemadmodum fœminarum Magistram, sic & seruorum Magistrum habere conuenit, quem vulgò Maiordomum vocant. & in illustribus familiabus Pincerna, & pistor, & qui in mensa secat in frusta carnes, & epulas porrigit: & Magister aulæ habentur. Præterea qui seruos litteras doceat, seruiendique artes, earumque fines, & bonos mores, puniatque defectus, culpasque. Alius solet adhiberi magister saltandi in choreis: Alter equitandi: Alter arma tractandi: Aliique aliorum exercitiorum nobilium. Proinde curandum, ne ludis taxillorum, & alearum, aliisue huius generis assuescant, qui auaritiam generant, rapacitatem, per iuria, fraudes, malosque mores: sed ij sint ludi, qui virtutem, & robur addant.

Qui liceant, quique non liceant seruis ludi.

Qualitas seruorum, & mores, & vndè.

7. Habito seruorum numero, de eorumdem conditione dicendum videtur: Nec nimis timida seruorum genera instituit Arist. quoniam non ferunt laborem: nec nimis fortia, eo quod his non commodè imperatur. Nec eiusdem linguæ, præsertim Barbaræ, ne factiones in domo faciant. Equidem puto, conditiones huiusmodi optari posse, non autem facilè haberi: Quod diuersarum sint linguarum, facile, vtileque puto, ne vna cuncti, ignotaque loquentes lingua, herum, liberosque fallant, seque inuicem moneant, te inscio, si quid mali facere, aut effugere decreuerunt: nec inter ipsos, aliosque tuos familiares contentio, & secta fiant. At quo ad mores, dicerem, quarumlibet conditionum esse vsui, vtendumque illis, sicut pecuniis, in eo, quod valent. Timidiores ergo vtiles erunt ad custodiam ianuarum, & rei familiaris: hi enim nec furari audent, nec prauam admittere gentem: at vigilantes sunt præ timore. Robustiores autem, & audaces stafferi erunt, & Ruris custodes, & Venatores probi. Agilis quisque, & velox, non ineptus erit cursor, aut tabellarius: fide pollentes sint hero à latere, & custodia. Ingeniosiores præficientur cæteris. Heluetii igitur, & Belgæ in custodia rei familiaris, in prandiis, obsoniis, in expensis, & mulierum custodia, non autem vini, boni sunt plerumque. Hispani Præfecturę aliorum, vigilantes sunt, exploratoresque sagaces, & oratores: non autem rem familiarem, aut mulieres, aut vbi plurima fides exigitur, negotium illis, quamuis taciturnis natura, committes. Calabri gladioribus, & vbi robur & labor, non autem ceremonię requiruntur. Lombardi aularum magistri optimi reperiuntur. Florentini, & Genuenses lucris incumbant. Sic igitur consideratis nationum moribus incedes: sed fallunt interdum, propterea indiuiduorum rationem per physionomiam, & commercium cognitorum, habere oportet.

De Mancipiorum delectu.

8. Mancipia emptitia pueriilis ætatis, qui patriam, atque parentes non nouerint, aut obliuiscantur, habere præstat, quàm iuuenilis, aut virilis: Item melius est, emere seruos, quàm mercede conducere: illos enim, vt libet, tractare poteris: hos nequaquam: Item ad negotia fide indigentia, & rei custodia, Turcæ aptiores sunt: vbi opus est astutia, & exploratione aliorum, Mauri Nigros in operosis negotiis tractare poteris, prout lubet: plurimo cibo, modico, nulloue vino pasces: At bonum est, variis ex nationibus linguisque mancipia habere, mistaque tuæ nationis seruis. Qui autem excellentiores sunt, aliis præficientur: cibique, & virga vilibus: honor, & dignitas melioribus, libertas omnibus stimuli ad benè seruiendum sunt, vt sequentes docebunt sermones.

OECONOMICORVM, QVÆ EST DE GVBERNATIONE FAMILIÆ, CAPVT III.

De Patrisfamilias dominio secundum naturam, ac Politicam.

ARTICVLVS I.

1. POSTQVAM quæ forma,& quot, quæque essentiales partes familiæ institutioni conueniunt,declarauimus,nunc de eiusdem simul gubernatione, singulariumque partium, sermonem exactum adiungere oportet.

2. Idem est pater in familia, ac Rex in ciuitate; possidétque naturale dominium super vxorem liberosque,super seruos Politicum, despoticum super pecora,arboresque, villam,ædificiaque sua.

Quanto iure pater mater, & vterque natis dominatur.

3. Naturaliter mas fœminæ,& parens, filiis dominatur, tribus de causis. Primo, Quoniam præcellit,vt sapientior, sapientia autem naturalis dominii est fundamentum,quemadmodum & Apostolus docet: proptereaque facultatem prædicandi, & docendi regulariter fœminis aufert.

Secundò, Quoniam fortior:natura enim consueuit debilius fortiori subiicere, non tamen vbi debilius sapientius esset.

Tertiò, Quoniam aliquid eius sunt, mulier siquidem ex viro originem habet,estque quasi eius pars,licet ad filios sit quasi compars, & comprincipium: ex masculo enim, fœminaque fit vnus homo perfectus,potens homines generare:id quod vna tantùm pars sola non potest.Super filios autem,tanquam super rem propriam, & partẽ fructuum sui ipsorum, vterque parens dominium habet,licet vxor longè minùs.

Quapropter Arist.peccat, cum patrem super filium,& vxorem perfectum habere dominium negat:Immò perfectius reputare debuisset, quam quod Rex super vassallos habet: vt ex causis dominii paterni iam dictis, patefit. Siquidem vassalli sunt quidam sapientiores, & fortiores Rege. Insuper vassalorum nemo est Regis aliquid, vt vxor, & filius est patris, secundùm naturam, sed secundùm ciuitatis constitutionem tantum est principis. Quæ ciuitas est multæ familiæ in vnum collecta: vt que possent commode viuere, præficiunt sibi ipsis patrem vnum communem, dictum Regem à regendo, non à dominando. Et licet pater minorem teneat potestatem, quàm Rex, cum nequeat, vxorem, liberosque occidere, quando morte dignum facinus committunt:hoc non accidit patri ex naturalis dominii defectu, sed Politici. Constituerunt enim homines in vnum conuenientes, quod Politia Grecè dicitur, vt in enormibus delictis, non ad vnius familiæ, sed ad omnium patrem iurisdictio pertineret, in quam propriam contulerunt, & transtulerunt potestatem. Siquidem particularis patris pietas paterna iudicium rectum non semper admittit: quia plerunque, aut semper vxorem natosque accusatos absolueret: aut ita in eos fureret ira, quod subitò præter legem crudeliter animaduerteret. Propterea Archita, nec seruum, donec iræ æstus detumesceret, castigare voluit: Propterea propriis in ægritudinibus ad Medicum refugimus omnes, non quia omnes aliquid eius sumus, aut non Medici, sed ne nobis propria affectione deceptis minus rectè medeamur. Præterea ipse quoque Deus vxorem marito subiecit, dicens. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Idem docet Apostolus, qui & filios parentum ditioni subiicit, sicut & olim Moyses, qui etiam, vt filios venundare possint, legẽ tulit. Sed cum Arist. contrarium argumentatur, ex eo, quod iustitia est inter duos diuisos, similiter & dominium. Et filius est sicut pars patris, seruus vero sicut instrumentum nihil probat, nisi

Perfectius dominiũ paternum Regio: & hoc ab illo pendere.

Cur Politicè pater non quantum Rex potest in filios.

Gen. 2.

quod paternum dominium non est acquisititium, nec despoticum, nec ciuile à ciuilitate, seu politia institutum: sed naturale à natura, quod fundamentum est dominorum omnium, & regula, & robur. Quapropter Senatores Reip. capita patres vocantur, Patritiique, & Reges antiquitus patres dicebantur, & tota scriptura Dei, & Philosophorum meliorum Patres, ac Pastores eos esse docet. Ita nulli dubiū est, animam corpori imperare, ac dominari, quamuis vnio maior sit inter hoc, & illam, quàm inter patrem, & filium, & vxorem: iustitiaque seruatur inter animam & corpus: qua nō seruata, compositi, seu indiuidui ruina subsequetur. Propterea in Aphorismis Politicis dicebamus, haudquaquam verè Regem eum esse, in quo anima corpori nō dominatur, & sensualitati ratio, sicut dixit Dominus: *Sub te erit appetitus tuus, & dominaberis illius.* Præterea quāuis non dicatur ratio rationi dominari, sed voluntati, nec anima sibi ipsi, sed corpori. Vnde in dominatione requirit diuisionem inter dominantem, & cui dominatur: nihilominus diuisio, seu potius distinctio, hæc debet cum communione esse, & vnione. Quilibet enim dominatur illi rei, quæ est sua in quantum sua, non in quantum aliena, & extranea: Vnde Apost. *Quid mihi* (inquit) *de his, qui foris sunt?* & quidem de Dominii & iudicatus ratione tunc loquebatur: & profectò potestas, & ius nascitur ex duarum rerum communione, quæ habitudinem inter se habent excedentis, & excessi.

Vxorem, vbi est vnica, participem esse œconomici dominij: vbi plures, nequaquam; ac magis secundùm naturam esse coniugium cum vna, quàm cum pluribus.

ART. II.

1. VBI viget lex, vnam modò habendi vxorem, sicuti Christiana, & Romana prisca, ac Græca decreuerunt: ibi mulier particeps gubernationis est magis, ac honorata magis, & tamquam pars viri, & comprincipium habetur: idque videtur probasse Deus, dum mulierem ex costa viri ædificauit, ex quo vno vnam: & scriptura dicit, *non sunt duo, sed vna caro*, idque quo ad sexuum finem, qui est alios homines progignere, in vnum conueniendo principium, seu comprincipiationem.

2. Vbi vero lex plures permittit vxores, ibi tanquam ancillæ tractantur, & non tanquam prolis comprincipium, sed tanquam vas, in quo deponitur semen, quod de se fit fructus, nihil conferente vase: quod non nisi cæpis conuenire videmus. Opinio autem Aristot. quòd fœmina semen prolificum non habeat, licet suis videatur habere quid imperfectum, vana reperitur. Igitur si semen habet, debet tanquam comprincipium reputari, & non sicut saccus: in quo, veluti Turcæ dicunt, quod reponis modò, id inuenies: & partem enim materiæ, & virtutis dat, vt in primo libro dictum est.

Vtrum Naturæ cōsentanea sit magis monogamia quam poligamia.

3. Propterea magis secundum naturam est matrimonium cum vna, quàm cum pluribus: & præter iam dictas causas, maius amoris, arctiusque vinculum inter maritum, & vxorem vnam, & filios colligatur. Quapropter vxorum multitudo apud Barbaras magis, quàm ciuiles nationes in vsu habetur. Haud propterea damnamus, quasi contra naturam vxorum multitudinem, præsertim si quis insterilis copulam impegit: quandoquidem Dauid, & Patriarchæ plures habuere vxores, & concubinas. Verum enimverò ex animalibus, quę sunt mansueta magis, ac communem generationis, & educationis, & eruditionis natorum, mas, & fœmina curam gerunt, non nisi vnus vni copulatur: vt columbarum & turturum exemplo docemur. At in quibus non est communis cura prolis, sed orta matri relinquitur, vago mares cum pluribus vtuntur coitu, sicut canes, & muscę: quoniam verò ad hominem spectat educare, ac instruere filios, nec mulier sola in nostra specie huic muneri idonea est: naturalius videtur, vt vnus vnam habeat, quàm multas. Item vt zelus, & discordia inter multas, vti solet, tollatur.

Leges Viri ad Vxorem in œconomica gubernatione.

ARTIC. III.

1. VIR vxorem tanquam vitæ ſociam, ac generationis comprincipium, per quam vtriuſque æternatur vita, tractare debet. Item ex charitate diligere, & honorare: cumque ex ignorantia peccauerit, admonere clàm, nec vnquam, niſi ob grauiſſimas culpas baculo caſtigare. ſed verecundia, ſobriiſque verbis. ſi autem contumax, ac procax foret, laſciuaque, commoditatem peccandi ei auferre, multaque diſſimulare: nec matrimonium polluat aliarum amore fœminarum vel deteriori. Id enim exemplum, licentiaque vxori eſſet faciendi idem: Nec grauior fœminæ dolor, quàm vbi in amore defraudetur, ex hac inſuper ſpurii naſcentur filii, qui iniuriam vxori, ac legitimis natis, atque patri vituperium afferunt. *Cur ex æquo mulier tractanda, & qualiter, & in quo.* *Quomodo vtendum coitu vxoris.*

2. Sit præterea in coitu cum vxore honeſtas, ac prius à prauis cibis, vitioſiſque abſtineat actionibus, malignisque cogitationibus, vt ſoboles oriatur bona: docebitque vxorem actum Venereum non eſſe à Deo voluptatis cauſa datum, ſed generandorum ſimilium ſibi: quod ſacratiſſimum eſt negotium, & cum reuerentia tractādum, ſic enim probam ſuſcipies prolem, tuæque vxori meretricios coitus, impudentiam, libidinem effrænem, & ſine regula, diſſuadebis, extingueſque. *De Poteſtate vxoris.*

3. Poteſtatem dabis vxori ſuper omnes domeſticas fœminas, ac ſuper rei familiaris conſeruationem: non tractabis cum ea inhoneſtè: nec genrem adulteram, & impudicam in domum introduces: nec ancillarum inſtar deprimes: nec zelotypiam oſtentabis, ſed confidentiam in illa. Cum autem quod ſuſpicaueris prauum in ea corrigere volueris, in alterius perſonam ſermonem figurabis. Quod videlicet quiſpiam luxuriæ cauſa vxorem interfecit, & quam dignas iſta luerit pœnas, crimen exaggerabis: & quod ſi tu loco illius eſſes, longe ſeueriorem exigeres pœnam: ſed præſtabit aliquando, huiuſmodi multa diſſimulare, & in eo ſeſe conſolari, quod ſcis, omnes ferè mulieres impudicas eſſe: ac Rinaldum Arioſti imitari, qui experiri noluit in incantato vaſe, an vxor ſua pudica eſſet ſicut ipſe putabat, nec ne ſic etiam conſulit Bern. Syluester.

4. Quid fœminæ agant, frequenter explorare, animi eſt exigui, otioſique: & qui huiuſmodi explorationi operam dat, perpetuò eos incurret in dolores, quos Medicus deturbare non valet. Præterea nec de domeſticarum regimine, nec de familiari ſatis cogitat, ſed de zelotypia tantum, mox odio ſeruas habere, & amicos ſuſpicione proſequi pergit: & ex zelo odium, ex odio diſcordia, ex diſcordia ruina domus ſuboritur: ſicut Bernardino Sanzeuerino Principi Beſediatum poſtremo accidit. *Non exploranda nimis mulierum negotia.*

5. Mulieri veſtes habenti, & veſtes petenti, non dabis: ſobriè ornatam, & honoratam, non autem deliciis affluentem, & cultu nimis incedere permittes. Alioquin aut te velle ipſam vendere, aut animi leuitatem oſtendes. Idem ages cum filiis, aliiſque domeſticis proportionaliter. *Quo ad veſtes.*

Leges Vxoris ad Maritum, & familiam, in œconomico gubernatu.

ART. IIII.

MVlier cogitare debet, ſe emptam viro eſſe, & quia minoris eſt valoris, dare ipſam pretium, ac mercedem viro vt ſibi ſit præſidium, ac tutela: nam & vxores dant viris dotem, vbi mancipiorum loco non habentur: Alibi verò vir emit meliores, vt apud Chinenſes, & Mahometanos. Mulier ergo ſumma ope niti debet ne ſeruili ſubiectione digna ſit, ſed amabilis ſocietatis. Præterea conſociationem *Vxor licet tanquā ſerua ſit ad maritū debet ſe dominatu dignam præſtare.*

maritalem, non voluptatis causa institutam intelligat, sed vt filiorum tributum Deo, ac Reip. ferant, sibique immortalitatem. & senectuti recompensationem, auxilium, defensionem, alimentum à filiis, & honorem in cœlo, & in terra.

Cur institutum est coniugium.

2. Vxoris officia Raguel, & Anna depinxerunt, quando Saram Tobii iunioris in matrimonium coniunxerunt, vt testatur in Historia sacra, dicens. *Apprehendentes filiam parentes, osculati sunt eam, & dimiserunt ire, monentes eam.*

Tob. 10.

Primo honorare soceros. 2. Diligere maritum. 3. Regere familiam. 4. Gubernare domum. 5. Et seipsum irreprehensibilem exhibere.

Cur, & quomodo soceri honorandi vtrimque.

3. Debes quidem, ô mulier, ex lege naturæ honorem senioribus, ergò multò magis soceris tanquam parentibus: cum tui mariti parentes sint, quo cum es vna caro. Idem debet maritus parentibus vxoris. Ac vicissim vterque omnibus consanguineis, affinibusque. Siquidem inter virtutes matrimonii non mediocris reputatur illa, qua discrepantes colliguntur familiæ: & discordantes conciliantur, & semina inseruntur ad generosam sobolem. Quapropter si mulier mariti genitores minus honorat, cóntra matrimonii virtutem it. Consueuit etiam inter socrum, & nurum zelus suboriri, quoniam filii amor in hanc transfertur ex matre: sic etiam inter generum, socerumque, at non tantus. Quapropter hac in re amor patiens, humanus, prudens ad discordiæ semina suffocanda, tollendaque, requiruntur.

Qualis amor in maritum.

4. Quò ad secundum, debet post Deum super omnia diligere maritum, huiusce voluntatem, tanquam legem à Deo sibi datam in bonis, & in indifferentibus reportare, non autem in vitiosis, si quid mali imperaret. Sic enim & Deo, & Marito melius satisfaciet, qui, cum affectus prauus abscesserit, diliget magis vxorē propter hoc, quod prauitati non consenserit. Præterea quātò magis se à viro amari experitur, tanto magis virum revereri debet: nimius enim amor parit contemptum, contemptus odium, odium discordiam, & contentionem: ex quibus ad vituperamen, & ruinam famæ, rei familiaris, & domus tandem deuenitur. Item ratione nulla matrimonio insidiabitur. Hoc enim principale est in matrimonio, videlicet certitudo prolis ex vna vxore, nulli cognita nisi viro, sic suam immortalitatem, qua potest certitudine procuranti. Quapropter si suspicetur aut sciat, alium in sua copula partem habere posse: Matrimonii perditur finis, & desperat in eo vir. Non ergo defraudabit eum, nec zelotypiæ occasionem vllam dabit, & quò zelotypia laborantem magis agnoscit virum, eò magis sanctitatem seruet, inque eius præsentia ab omni intuitu, & verbo, & actu, qui marito non arridet, abstineat; zelotypo enim & musca (vt in Prouerbio est) caballus apparet. Prudentiaque vxoris vera est, si efficiat vt cor mariti totum se credat sibi, cogitetque quod vbi abest in ea consolatio, nulla est grata siue domi, siue foris: Præterea, non admittet in domum gentem, quam maritus non introduxerit. Id benè Arist. adnotauit ad suspiciones tollendas, & si qua copula oriretur, non imputaretur vxori. Amplius non amare modo, sed etiam timere virum, non exigendo ab eo timeri, sed amari tantum: quemadmodum Paulus ad Ephes. concludit, & Petrus alter Princeps Ecclesiæ *Laudans Saram in eo quod maritum vocaret Dominum suum.* Idque non voce tantum vt tempore hodierno, sed re perficiebat.

De thori immaculati obseruantia.

1. Pet 3.

Quomodo in viri aduersitatibus.

5. Præterea si qua viro aduersa contigerit fortuna, tunc sese illi diligentiorem, beneuolentiorem, condolentem, & seruientem exhibebit magis. Infortunium enim amoris veri, prudentisque periculum facit. facile est in prosperitate amare: sed in aduersitate etiam heroicum: Rectè propterea Sanctus Chrysost. Saram laudat, quod Abraham tot in laboribus, & aduersitatibus secuta, tot periculis pro eo sese exposuerit, etiam honoris iacturæ in Ægypto, & in Palestina. Mulieris quoque is debet esse amor, qui etiam post viri mortem sui experientiam præbeat: non equidem dicam, vt se viuas sepeliant cum maritis, sicuti Scytharum vxores: nec vt se cum eo vno in rogo comburant, vt in Narsinga moris est: sed imitentur Iudith, quæ vidualem custodiuit castitatem, & gloriosa inde fuit: & Penelopem, quæ, absente marito, nullam admittit copulam, vel voluptatem, quamuis à procis sollicitaretur, & à patre, soceroque secùs suaderetur: Vnde meruit, vt Vlysses oblatam à Circe immortalitatem pro ipsa respueret. Nec absimile descripsit in Isabella Ariostus exemplum,

quæ,

quæ, vt fidem defuncto seruaret Zerbino, mortem propriam astu impetrauit, antequam appetentis se voluntati consentiret. Secundas tamen nuptias turturibus, damnatas, nequaquam condemnamus, dum pro fide muliebri lubrica erigenda certamus.

6. Tertium Raguelis præceptum fuit, regere familiam: in quo multa requiritur vxoris prudentia, vt videlicet rationem introitus, & exitus rei teneat, & marito referat: & seruis, atque ancillis dispenset: & singulis propria officia iniungat: imperetque sic, vt non contemnatur. Ante omnia verò filios enutriat in timore Dei: interdicat viles, vitiosæque gentis consortium, magistrasque probas eis præficiat: cæterisque se ipsam præbeat exemplum, aggrediendo antè omnia exercitia quæcunque honesta, at mox seruis, & ancillis executionem committendo. Quomodo in regimine.

7. Quartum fuit, gubernare domum, videlicet, si quid deest ad importandas, & asportandas res, & conseruandas considerare: commoditates cunctis functionibus procurare, tàm in parietibus, quàm in scriniis, cæterisque locis, prout opus esse intellexerit: omniaque marito significare. Præterea inspicere, quid rerum deest, iubere, vt ematur: quod superfluit, & curare, vt vendatur: pauperibusque portiones suas elargiri: Item quantum editur, bibiturque in diem, rationem habere, & quantum quotidianæ requirunt expensæ: ac metiri, num censui æquetur, an excedat, vel minus sit: efficereque, vt sit minus semper, quò possit filiarum dotibus, & domesticis, ægritudinibus; & infortuniis, & extraordinariis sumptibus consulere. Curare insuper, vt ematur linum, lana, bombix, sericum: & filatricibus committere, vel, vt domi filentur, prouidere: suppellectilem augere: vestes, lectos, mantilia, manutergia, cæteraque huiusmodi à se sufficienter, & promptè habere. Vndè Salomon Prou. vltimò hæc omnia forti, generosæque mulieri in sua domo facienda committit, laudatque: sicut & suere, laborare, ornare, acuque pingere vestes, & cætera. Idem legimus à Lucretia Romana fieri apud Titum Liu. & de Illustrissimis Reginis etiam apud Homerum. Quapropter opificibus hæc non committet mulier prudens extraneis, nec ab eis facta emet; cum ad euitandum maiores sumptus: supra duplum enim lucratur, qui domi ista facit; tum ad declinandum otium: otium enim mulieres corrumpit, subministratque eis flagitia, libidines, maledicentias, risus vanos, dicteria, detractiones, desiderium aspectandi per fenestras, contemplandi viatores, exercendi amores, inueniendi delitias nouellas, fucandi vultum, capillosque. Præterea rès omnes domesticas distinctas in locis, & officinis, & archis tenere debet: vt statim, vbi sint, quando opus fuerit, singulæ, non ignoret, easque expolire, mundare, reuidereque crebrò. Quid in domus gubernatu conuenit vxori. Otii mulierum mala.

8. Quintò addit, irreprehensibilem se exhibere in omnibus; hoc est, in castitate, sicut dictum est, & honestate, & præcipuè in moderamine proprii cultus, domusque. Haud igitur affectabit delitiosas vestes, ac pulchras magis, quàm lex permittit: immò semper minùs, sicut rectè Plato, & Arist. docuerunt, sed longè rectius Petrus, Paulusque Apostoli prohibentes mulieribus aurum, argentum, vestes pretiosas, capillorum incrispationes: multò ergo magis fucationem, vt flauescant: hoc autem plures ob causas. Primò quoniam multa pecunia, multumque tempus consumitur, vbi nil prodest, sed obest, patrimoniumque sic pessundatur. 2. Quoniam occasionem libidinibus, aditumque præbent: suntque superfluæ illæ concinnationes, & fucationes, quasi circulus laureus ante tabernam, qui transeuntibus dicit. Hic venditur vinum; sic in eis. Hic venditur vinum luxuriæ, & impudicitiæ, estque quædam ad malum inuitatio. 3. Quoniam ex huiusmodi excitatur in marito zelotypia, cui vni placendum erat. 4. Quoniam reuera deformiores ex tali cultu apparent mulieres, & quasi fictitiæ, sicut qui laruatus est, quamuis formosa larua, statim dicitur, fictitius est. Ac nauseam, iramque generant, dum videntur quasi hominibus illudere, imponereque, ac per fraudem ad sui allicere amorem, qui spontaneus, purusque super cunctas res esse debet. Irreprehensibilitas in quo. 1. Pet 3. 1. Tim. 2. Quæ mala ex mulierum luxu.

Iste profectò ornatus minùs noxius esset; at super sandaliis incedere altis palmum vnum, & magis, ac vultum reformare, decorando ipsum litargirio, fucando- Mala ex fuco.

que ſtibio, rubrica, & albo pigmento, cæterisque vnguentis, & ſordibus: non modò diabolicum eſt quemadmodum Chryſoſtomus, Ambroſiuſque docent, quoniam diuinam picturam emendant; ſed inſuper in ſe ipſis fœtidum ingenerant anhelitum, dolores capitis, dentiumque nigredinem, & debilitatem, & vexationem; fiuntque pallidæ, ſquallentes, inſtar cadaueris: vndè coguntur, colores oppoſitos, falſoſque iterum, iterumque augere, efficereque, vt mulier non ſit ipſa mulier, id quod fuimet annihilatio eſt. Adde, quòd oſculantes maritos, venenatam pigmentis faciem, inficiunt, labra commaculant, & nauſeam prouocant. Præterea ſandaliorum craſſities, pondus, & altitudo efficit, ne mulier exercere poſſit corpus; & dum ſe mouet aliquorſum, indiget ſeruo, cui innitatur, ac ſi paraliſi laboraret, idque aſpicientibus contemptum ipſarum, & auerſionem, & torporem ingenerat: quemadmodum cum morticinium, & turpe quid, & inualetudinarium ſpectamus. Hinc exercitii defectu fit mulier pallidior, vndè nouis colorationibus opus habet: ſic ſeipſas marcentes, putridaſque reddunt, ſobolemque paruam, morboſamque, Remp. contaminant, ac degenerem reddunt paulatim. Vndè fucari, faltique mores ſequuntur, & in familia, & in Rep. exempla turpia: dumque ſe pulcros corpore homines, & moribus oſtendere ſatagunt, per fucum fiunt turpiſſimi, exigui, putridi, parui, inertes corpore, animoque in vtroque ſexu: E contra vides Calabras mulieres, quæ craſſa ſandalia, & fucos, & ocium non habent, corpore grandes, agiles, robuſtas artubus, coloribus, & voce viuaces. Quas ob res materfamilias huiuſmodi peſtes ex ſua domo eliminabit, ob tot, tantaque beneficia, quæ ſibi, domui, filiis, & Reip. deinde ſequuntur. At qui omnibus hiſce malis occurretur vnico remedio; faciendo, vt mulieres exerceantur continuis, vtilibuſque artibus, nec ocioſè nunquam viuant.

9. Mulier tandem taciturna eſſe debet, arcanorum tenax, crimina, defectuſque viri non diuulgabit: nec quæ de ipſo nouit, nec quæ domi geruntur, nec quæ in Ciuitate fiunt, curioſè perſcrutabitur: ſed propriæ domus cura ſedula contenta eſto.

18. Item dum laborant filiæ, ancillæque, leget ipſa, aut narrabit pulcras, motataſque hiſtorias, vtileſque fabellas: vt cum virtute tempus omnes tranſigant, & leniatur labor. Non admittet fœminas infames, aut nequam in domum ſuam: nec ipſa in domos, vbi parum vigent honeſtas, intrabit. Ante omnia timorem Dei ſibi proponet: & pauperibus erogabit eleemoſynam animo libenti. Haud tamen arcana commercia, diuturnaſque confabulationes cum Monachis, aut Clericis habebit, ne ipſos emolliat: colloquatur in Eccleſia, & vbi quantùm opus eſt: ne, ſcilicet, reuerentia erga religionem ex nimia familiaritate eneruetur, nec in malitiam conuertatur, aut ſcandalum ſuboriatur. Vtile eſt etiam mulieribus, à vino abſtinere: vt nunc Calabris, & Romanis olim in vſu fuit; vbi tamen valetudo contrarium non requirit.

De Liberorum generatione, & educatione.

CAP. IV. ART. I.

Quæ generatoribus ſeruanda ad prolem optimam.

1. CVram ſobolis plurimam eſſe debere, dictum eſt in ſuperiori ſermone. Tempore igitur conceptionis non conueniant maritus, & vxor, niſi priùs à coitu ſex, aut ſeptem diebus ad præparandum fœcundum, multum, robuſtum, virtuoſumque ſemen, vacauerint. eiſque diebus bonis veſcantur cibis, non delicatis ſacchariis, ſed carne vitulatum grandiuſculatum, & animalium fortium, generoſorumque vt in lib. 4. De ſenſu rerum docuimus. Coibunt deinde, ſed completa digeſtione, & bona ſub conſtellatione. Hoc etiam tempore orationibus ad Deum, eleemoſynis, piiſque operibus operam dabunt, de virtute colloquentur. ſpiritus enim animalis transfunditur in ſemine cum generantis imaginatione. Vndè Iacob Patriarcha fœtus eo, qui ſibi placebat, coloratos naſci colore facit, pecudum imaginationem coitus tempore per obiectos colores, quos cupiebat, immutando. Sunt & aliæ hiſtoriæ huiuſmodi apud Albertum. Quapropter Heroum, atque ſanctorum imagines domi habere vtiliſſimum erit.

2. Postquam conceperit mulier, aliquot dies quiescat: deinde exerceat paulatim corpus ad prolem roborandam: eatque pedester post ortum solis in templum: tractet de virtutibus, & probitate, sua enim imaginatio in prolis temperamento potens est: Vndè etiam desideratarum rerum speciem in ea exprimit. Animo ergo hilari, virtuosoque vt sit, curet; probisque cibis potiùs crassiusculis, quàm delicatis sanguinem, alimentumque ingeneret. Quæ mulieri prægnanti.

3. Editum deinde fœtum ipsa mater, si generosa est, lactabit: sin secus, generosæ alendum dabit nutrici, nam cum lacte quoque ebibuntur, vt Crysippus ait, mores. Sanctus Thomas verò morales dispositiones diceret. Vtile insuper est, ab initio duritiei, & frigori fœtum assuefacere, vt roboretur. Propterea mos Germanis ulim fuit, in fluuium immergere recentes natos: nec delicatis vestibus corpus, nec caput bitero teges, ne flaccescat. Immò sine calceis ad quintum annum educare fœtus, præstaret: Cauebis etiam, ne membra torqueantur, aut laxentur; & cum ambulare cœperint, machinas, quibus pueli recti absque periculo retinentur, adhibebis: ac stuppeo circulo caput cinges, ne cadentibus vulneretur. De prima educatione prolis.

4. Post hæc infantulos in Dei timore continuò educabis, postque sexennium leui punies percussione, si quando crimen facto, vel verbo incurrunt, aut sacras preces, religiososque actus addiscere nolunt. Cauebis, vt mox sub præceptore constituti: ne cum fœtuis, nec cum lusoribus, nec cum fœminis nimium conuersentur: nec cum vetulis dormiant: quoniam, & mores, & temperies sic deprauantur, & quidquid in pueritia addiscitur, in perpetuum retinetur: quemadmodum Plato animaduertit, atque Horatius. De Infantia, & pueritia educanda.

5. Porrò Paulus Apost. vetat, pueros nimis verberari, & maletractari, & terreri, ne timidi, ac pusillanimes fiant: haud tamen propter hoc castigandi non erunt, vbi castigatio necessaria est, vt virtuosiores fiant: Alioquin, vt idem alibi docet, non liberi, sed serui erunt. Quos tunc modò verberamus, cum non benè seruiunt, non autem cum contra propriam animam peccant.

6. De corporis, animique exercitiis, deque tota eruditione puerorum, volumen iustum aliud proprium requiritur: cum maximi momenti negotium sit in Rep. Quapropter sufficiat hic, quæ iam scripsimus, & quæ in Politicis, & Solis ciuitate scripseramus.

De Rationalium seruorum gubernatione.

ARTIC. II.

1. SEruorum alii emptitii sunt, mancipiaque, alii spontanei mercede ad seruiendum aliqua conducti: horum alii honestis functionibus dicantur: sunt enim aliorum magistri, & natorum. Item à cubiculo, à secretis, & huiusmodi: atque hos honorificè tractabis, & ab humilioribus domicilio, mensaque discernes, nisi Ecclesiasticus princeps fueris, qui vnà cum seruis in humilitatis exemplum escam sumas. Cumque fidelem inueneris seruum, tanquam fratrem, aut filium habeto. Qui in gradu seruiunt inferiori, pro ipsorum conditione tractantur. Mancipia autem licèt duriùs tractari queant, in hoc tamen herilis charitas, & prudentia, ne quis Æsopus, aut Plato, aut Iosephus sit inter eos, vigilabit. Ex his enim nec immerito Turcarum Rex exaltat. Gradus seruientium.

2. Domus Patrisfamilias quasi schola quædam reputanda est, in qua domestici eius humanitatem, modestiam, solertiam, seruiendi, ac imperandi rationem addiscant. Alioquin familiæ finis qui est Reipublicæ videlicet totius conseruatio, sibi ipsi contrariabitur, in vitiorum scholam, & Ciuitatis ruinam conuersus. Quapropter detestabiles sunt familiæ, in quibus ludere taxillis, aleisque, lenocinari, ligurire, pathicis, & meretriciam artem exercere, contumeliare aliis, impetere inualidos, dicteriis vacare, assassinio, & procacitate, & maledictis & iniuriis præpotentem fieri, docentur familiares: Herique ipsarum luent apud Deum atrocissimas pœnas peccatorum, quæ ipsorum exemplo, aut ductrina, tum in sua ipsorum domo, cum postea in ciuitate, Domus quasi schola & Resp.

vbi ab ipso separantur, commissa fuerint. Flagitiosos huius negotii effectus Neapoli comperimus, vbi serui alium non habent finem, quàm vitia addiscere, & per peccata hero se gratos reddere. Meliùs olim fuit, cum seruorum loco Neapolitani proceres quatuor aut decem robustos alebant iuuenes, quibuscum deinde suo Regi in militia seruiebant. Præfatos igitur ludos, moresque prauos noster vitabit œconomus.

Quæ doceri serui debeant à communi magistro.

3. Habeat insuper domi præceptorem communem seruorum omnium, à quo bis in die lectionem petant, discant quid est seruire, & quis finis eius, & quæ vitæ probitas, & qualiter Deo seruiant in hero dato ipsis, vt Dei Vicario, sicut Apostolus docet, officiumque suum non ad oculum, sed ad simplicitatem cordis faciant, retributionem à Domino Dominorum veram sperantes: & denique quidquid in suis quisque functionibus obseruare tenetur.

Qui serui eiiciendi.

4. Seruum eum non retinebis, in quo mendacium inueneris, nec quem mendaciis, nisi iocosa sint, aut delectationibus vanis, & distractoriis delectari agnoueris, nec qui te coram te laudat præsertim mendaciter. Cum in latrocinio seruum deprehenderis è tua familia statim eliminabis. Illud etiam cogita quod ludus, & scortatio seruos ferè semper fures, mendacesque efficiunt.

Cautio inter fœminas & masculos seruos.

5. Masculos seruos in fœminarum seruarum cubicula intrare non sines, sed exercitia seorsum habeant: res necessarias per rotam ad eas introducant. Ancillam imi gradus, (vulgò la vaiassa) cum masculis negotiari vetabis, nec cupidinis verba ad fœminas referat. Castileonus magnus Aulicus permittit, suadetque amores inter seruos, atque seruas, vnde, & coniugia tandem sequantur, sed sic ponitur lupanar etiam in vxore, & filiabus herilibus, propterea mihi non arridet.

6. Herus masculorum, hera fœminarum in familia curam gerant, sed ab hero instituantur vtrique.

Quæ ex ætate sunt eligenda mancipia

7. Mancipia domi ab infantia educata erunt tibi meliora: sed filiali disciplina educabis, quo tibi obsequentiora, & gratiora fiant.

8. Tria conueniunt seruo, in quantum seruus est, labor, castigatio, & cibus: & sicut Eccles. 33. dicitur, *Cibaria, & virga, & onus asino: panis, & disciplina, & opus seruo*: absque cibo enim sufficienti laborare non valet. Absque labore fit ociosus, discolus, superbus, læno, & cæteris supradictis vitiis imbuitur. Absque castigatione vero longè deterior erit, dominumque contemnet, & impetet. Quapropter oportebit aut dimittere, si spontaneus est, aut si mancipium, efficere de ipso id, quod Eccles. docet, videlicet, *seruo maleuolo tortura & compedes. Mitte illum in operationem, ne vacet. Multam enim malitiam docuit ociositas*: Idem ferè dixit Terentius, & Arist. Dehinc addit, *si est tibi seruus fidelis tracta illum vt animam tuam*. Exemplum est Tindarus apud Plautum in captiuis.

Qua ratione retinendi in officio sunt serui.

9. Bonum est etiam, spe libertatis gratos, officiosos que eos facere: Item coniungio deuincere, filiorumque procreatione: sic enim de fuga non cogitabunt. Hique quasi rectores aliorum erunt in villa in viridario in armentis, &c. Sed à pueritia tecum educati, quasi filii, fient obsequentes, quemadmodum Regi Turcarũ Iannizeri.

Qualis Ianitor palatiorum.

10. Ianitor domus, qui importanda, exportandaque obseruat, in familiis magnis senex, aut ad cætera inhabilis, vt mancus, vtilis reputatur: timidus enim est, ergò cautus, huiusmodi nihil negliget, nec sicarios admittet.

De seruis rusticantis.

11. Rus incolentes seruos fideles esse oportet, ingenio exiguos, robore validos, suis quemque functionibus per communem Magistrum distributos, vt dictum est priùs. Habebunt in villica domo propriam culinam, cellarium, armentarium, cæteraque necessaria loca, vt de institutione loquentes nouimus.

Nullum seruum exaltandum ad metas, nec vltra metas heriles.

12. Cum seruum habueris optimum, te ipsum, omniaque illi non trades, ita ut ab ipso omnia pendeant, multo ergo minus, si non optimus fuerit homo, nec seruus optimus. Quod si feceris, tunc cæteri ab eo pendebunt serui, & cum à te auxilium, aut gratiam desiderant, illum rogabunt, munerabuntque, non te. Tum etiam in contemptum, odiumque seruorum tuorum incurres: similiter & is cui te dedisti, ipsaque vxor tua, vt obtineat à te gratiam, se illi subiiciet: & cum punire ipsum volueris, non valebis: omnia enim sunt in manu eius. Item sæpè quidquid ei placet, sua-

debit tibi, consiliariosque bonos à te fraudulenter separabit, aures tuas, ne quis ad te non per eum accedat, obsidebit: & tandem in ruinam te detrahet, perducetque. Quas ob res te seruis neutralem ostendito. At eis fauebis magis, qui probi, vtilesque tibi ac domui sunt magis: sic enim non peccabis in te nec in tuos. Cum autem amor te vnius valdè cœperit, cælandus est illi, saltem in cæterorum præsentia. Alioquin aut tu, aut ille perditum ibitis. Carolus Magnus cum Gano, & Aman cum Assuero exempla contraposita sunt.

Arenatum Marchio consuluit me, quidnam Domino agendum erit, quando iam seruum quempiam nimis exaltasset, & hic dominatum arripuisset: Arcana Domini cuncta nosset, eiusque negotia, & rem in sua teneret manu: si voluntas postea in amorem, & exaltationem alterius Dominum ferret; quomodo (inquam) procedendum, ne prior seruus Domino nocere queat, nec Dominus ipsum huic secundo posthabere absque damno, ignominiaque sua? Equidem respondi, nequaquam adeo exaltandum esse seruorum quempiam, quod absque metu alterum postea ei æquare non posses: At cum in hoc incideris erratum, sub honoris prætextu abs te decoratum officio aliquo eum ablegabis: ac interim apud te alterum sublimabis, aut plures, ne de te conqueri possit: Atque vt rediens nidum pro aliis iam factum inueniat. Item cunctis serenum ostendes vultum, nec arcana tua, magnique momenti negotia illis credes. At vero tui maiores natu filii aptiores ad repressionem præpotentis illius serui erunt. Arcana, negotiaque quæ illi credita erant, filiis aut nepotibus tuis committendo: sic enim inuidia, itaque illius sedantur, cum non conseruis se posthaberi, sed dominis agnoscet.

Consultatio quà humiliandi sint ratione serui nimis exaltati qualis Dux Lermæ à Philippo 3 Hisp Rege

Verumtamen si eiusmodi seruus præstans vir, téque ipso melior esset, si eum indignè tractaueris, perniciem tibi paras: quemadmodum Pharao, dum Moysem persequitur, & Saul fidelem, magnanimumque Dauid. Rectiùs tibi consules, eius opera in regimine prudenter vtendo, sicut alter Pharao Iosephi, & Augustus Agrippæ virtutibus vsi sunt. Alioquin si incendium insufflas, augebitur magis.

De animalium plantarumque vsu & gubernatu œconomico.

ARTIC. II.

DE instrumentis seruisque irrationabilibus, déque agricultura ac pastorali volumen proprium faciendum foret. At de his Virgilius Georgica scripsit, Bucolicaque, vtiliter magis illa, poeticè ista magis, Hesiodum imitatus, Theocritumque.

Georgica & Bucolica œconomo necessaria.

2. Sufficit dixisse, hanc scientiam œconomo necessariam esse: nam & Principes qui equorum curam gerunt, de hac peculiarem codicem habent. Antiqui etiam Reges ibant, mittebantque filios ad armentorum curam, sicuti de Priamo, eiusque liberis legimus: Non ergo pudeat œconomum, has nosse artes, sed ignorare.

3. Canes armentorum ruris, & domus custodes vtiles sunt. Canes parui, qui delitiarum gratia habentur, argumentum leuis, inertisque animi sunt, nec retineri debent. Quin contra naturam est cura, quæ in eorum genere paruificando impenditur: ac seruitus, quæ erga ipsos exercetur. Multo vtiliores contra animalia noxia sunt cati. Gallinarum greges, anserum, anatum, & pauonum vtilissimi sunt, cum domi, tum ruri; & quidquid habere potes absque pecunia, stultum est negligere. Ergo sicut dictum est, prius pecudes, vaccas, equos, asinas, secundùm artem, prout commodum fuerit educabis: enitere autem, vt pecora tua sint aliis generosiora. Quod efficies, generationis, & educationis rationem habendo, quemadmodum diximus in humana sobole loquentes hic, & in ciuitate Solis abundantiùs.

Quæ animalia sunt educanda.

Obseruabis per Astrologiam tempora generandi, seminandi, arandi, colligendi: & cum commodam deprehenderis constellationem, rem illam, cui commoda est, curabis. Potest etiam penuria & vbertas prænosci, & sic ditari, quemadmodum Thales ex oleo. Vide igitur, quid de hoc in 7. libro Astrologicorum iudiciorum scripsimus.

Vtilitas Astrologiæ œconomo.

5. Cogitabis sedulò de animalium, plantarumque victu: etenim esuriunt, sitiuntque, nec petere norunt, nec aliud præter hoc præmium.

De Oeconomia Patris familiàs, eiusque fine, arte, & exercitio.

CAP. V.

Princeps œconomus quis, & quis finis, & studium.

1. OEconomus Princeps est ipse paterfamilias: ad quem omnes domesticas, & rusticas artes, earumque vsus, & inutilitates spectat scire. Intelligit is, se Regem esse in domo vna, vt ipsam ad finem Reip. immediatè perducat, qui est communis fœlicitas, & per hanc ad Deum summum bonum, omnium fontem bonorum nos conseruantium, summumque conseruatorem, æternatoremque.

Ignauia Patris familias quid mali ferat.

2. Patresfamiliàs quicunque proprium munus ignorant, persuasumque habent, proprium finem esse, in ocio deliciisque viuere, omnemque rei familiaris curam in seruos, ac dispensatores reiiciunt: hi quam citò rei, & dignitatis iacturam faciunt: Venietque super eos egestas, tanquam vir armatus, ait Salomon: spernentur, & vilipendentur à propriis seruis, nedum à ciuibus: & ab amicis destituentur: exemplum postremum sit horum Princeps Bisediarum, & Marius del Tufo.

Functiones Patris familias.

3. Eius artis functiones tres sunt. Primò acquirere. 2. Acquisita conseruare. 3. Acquisitis conseruatisque frui, eaque benè dispensare.

4. Distinguat igitur rem, prediaque sua fructuosa ab infructuosis, consideretque, ex quibus lucrosior emergit negotiatio.

Functio inutilis tollenda.

5. Distribuat seruis officia, functionesque: ita tamen, vt functio nulla sit domesticæ vtilitatis vacua: superfluas ergo inutilesque exterminet omnes.

Exercitium Regiminis Oeconomia.

6. Præ oculis Persicum teneat prouerbium. *Oculus Domini præ cunctis cibis saginat equum*: Aliudque Lybicum, *Vestigia Domini præ cunctis sterquilinijs saginant agrum*. Quæ si œconomus seruet, nec à seruis defraudabitur, furta euitabit, nullaque seruitia negligenter tractabuntur. Quapropter singulis mensium Kalendis, aut cum serui de hoc nihil cogitant, officinas, officiaque visitabit, quid desit, & quàm sedulò, & aut negligenter fiant, inspectabit: sic etiam rus, rusticosque interrogabit omnes in vnum conuenientes, dehinc singulos seorsum, an rectè seruitia tractentur: quid desit, quid supersit in singulis officiis: quis negligens, quis sedulus in eis: prouideat mox prudenter: Admoneat omnes cum grauitate: propriaque sedulitate cæteros sedulos efficiat.

7. Quoniam verò membra omnia caput natura imitantur, existimet, quòd si negligentem seipsum propria in re præstabit, multò negligentiores erunt serui in aliena. Mercenarius, & qui non est pastor, videt lupum venientem, & dimittit oues, dictum est in Euangelio. Ipse ergo cæteris exemplar esto. Non ineptè quidam dicunt oportere Dominum posterius ire cubitum, quàm seruos, expergisci verò prius. Id enim vtile est corporis saluti, familiæ, diuitiis, & securitati: studio etiam Philosophiæ naturalis, aut Moralis, historiarum, aliarumque scripturarum, quas Patrifamilias scire conuenit. Puto etiam, claues palatii apud Dominum in nocte reponi oportere, sicut & Arcis: quanquam contendant, aulæ magistro, alii, committendas esse: fœminarum verò apud Dominam, vel earum magistram, si per aliam portam, quàm vbi habitat Domina, esset aditus ad illas.

8. Curet etiam Dominus res domesticas, fruges, liquores, arma, cæteraque omnia, rustica, domesticaque distincta suis in locis quæque habere, vt statim sciat, vbi singulæ res iaceant, & quæ manent, & quæ perierint: eum ne sibi subripiantur, cogaturque crebrò ea reficere: tum vt, eum opus fuerint, præsto sint, nec frustra requirantur. Principes autem magni has functiones in paruis per alios fidelissimos imbunt: in magnis per se ipsos.

De Oeconomica acquiſitione.

CAPVT VI. ART. I.

1. IN lucroſa acquiſitione conſiderabis, primo, quantum in cenſu annuo habes: ſi enim duo millia aureorum, non niſi mille pro victu veſtituque familiæ, aliiſque prouiſionibus expendes: aut ad ſummum mille, & quadringentos; computando id, quod procuratoribus, curialibus, pauperibus, aliiſque extraordinariis datur, aliosque ſexcentos minimè te habere putabis, ſed induſtriis, ac lucris applicabis ex tellure, & animalibus; lucraque repones pro filiorum, & infortuniorum neceſſitatibus; ſemperque augendæ rei incumbes, neſcius, quid futura pariat dies. Vera propoſitio eſt, quicunque tantum rei facit exitum, quantum habet introitum, ditari non poteſt, at depauperari certus eſt. *Partitio cenſus ad lucrum; & extra ordinarias neceſſitates.*

2. Conſideret, quantum victui quotidiano impendere poteſt: emptori præſcribat, qui in libro ſumptus diurnos notet. In noctibus ſingulis Domino, vel domus magiſtro videndum offerat, an fraus ſit in emptione, & diſpenſatione. Herus tamen vel ſemel in menſe rationem ſumptuum totius menſis coram cunctis honeſtioribus ſeruis, & vilioribus faciat: Ipſi enim benè, aut melius norunt, an tanto emptor prætio res comparauerit: ipſumque condemnabunt, nec tu odioſus remanebis. Qui autem hoc facere contemnit, ſtultus, propriæque calamitatis amicus. Plus rei negligentia in domo conſumit, quàm incendium in ſylua, aut hectica in corpore humano. *De ſumptuum rationibus, & reddituum.*

3. Omnes induſtrias tuas pro tempore reuiſes, conſiderabiſque in qua fortunatior exiſtis, illamque proſequeris; pecuniam dormire non permittas, nam licet ipſa non fructificet, fructificantia tamen organa mouet. *De Induſtriis.*

4. Rerum familiæ neceſſariarum, & in tempore comparabis ſufficientiam, in quo abundantia ipſarum eſt maior, vt vini in Autumno, frumenti in æſtate, carnis porcinæ in hyeme, olei in menſe Nouembris, ſic de cæteris nec in dies emere præſtolaberis, nam duplo ferè plus pecuniæ ſic expenditur, & minus iucunditatis ineſt, reſque minùs electa. Verumtamen ex proprio rure omnia habere præſtabit. *Quo tempore emenda neceſſaria.*

5. Quod tibi ſupereſt vini, olei, frumenti, &c. vendes cum carius fuerit, & in hoc per Aſtrologiam iuuat præuiſio ſed penuriam non optabis, nec rem, poſtquam ſtacida fuerit, vendere expectabis: nec ex pecunia tua exercebis vſuras. Melius eſt, paruo pretio vendere vicinis, quàm magno diſtantibus: Sic enim beneuolentiam, & ſecuritatem, & tamen lucraberis præſtatque habere commodos vicinos, quam incommodos, egenoſque. Præſtat etiam, vendere pauperibus, quando pecuniam habent, paruo pretio, quàm quando non habent, multò. *Quid, & cui, & quando vendendum eſt.*

6. Fructus prædiorum ſuorum vendere conſueuerunt Athenienſes, ac mox à quibus venditi ſunt portionem domui propriæ neceſſariam emere vel aliunde dietim. Idque vtile videtur, vt furta ruri euitentur, ſi audeſque: & cenſus ſit certus, & in tuto; ac domi prodigalitas non graſſetur. Quod enim non emitur, libentius profunditur. Hoc bene ex parte ſe habet, cum prædium à Ciuitate longè diſtat, nec ſatis cuſtodiri poteſt: ſed cum propè eſt, beneque cuſtoditum, domui affluentiam præbet: & ex meliori portione fructuum impletur domus, inſtituiturque penus, cætera venumdantur. Quapropter non expedit emere in dies, nec ſequeſtrare in menſem, ſicut Ariſt. placet: ſed vtilior eſt prouiſio, ſeu inſtitutio penoris eo tempore, quo neceſſaria exuberant, vt dictum eſt priùs, ſiuè de tuo, ſiue de alieno rure. *An præſtet, vendere fructus omnes propriorum, & vtere dietim ex emptis, necne.*

7. Nummis, quos annuatim ex ſumma cenſus ſeponis, præſtat, rem fructificantem emere: qualia ſunt predia, pecoraque, quàm merces, terra, marique periculoſas. Curabis emptas ſecundum Philoſophiæ, & Aſtrologiæ leges: vtque pecunia aliqua in promptu numquam deſit. *Quid de ſepoſitis nummis.*

Virum proprietas vendenda, an vsuris subiacendum. 8. Si quando venundare cogeris, nunquam patrimonium, aut eius portionem vendito, sed fructus: Ast vtilius erit, hereditatis partem vendere, quàm vsuris subiacere; cum vsura nihil aliud, quàm latro sit, qui tibi malum prædicit, quod facere intendit: & certo faciet.

Ex docta fabula est cautio. 9. Potentiori te non vendes, nec eum eo lucrosa commercia inibis: ne sicut pecudi, quando venatum cum lupis iuit, tibi contingat.

Ante mortem non donandum. 10. Donationem irreuocabilem bonorum tuorum, aut legale regimen filiis tuis, aut vxori, aut amicis ante mortem ne facias. Alias eorum mancipium, pauper derisus, & in te ipsum continuò iratus, & pænitens facti, miseram vitam duces; sicut Lauelli Marchio recens exemplum præbet.

De rei familiaris Oeconomica conseruatione.

CAPVT VII.

Ad conseruandum quæ facienda. 1. NOn minor est virtus, quàm quærere, parta tueri, Ouidius canebat; videtur etiam necessaria magis conseruatio, igitur diligentiam postulat, qua inspectes crebrò res animatas, inanimatasque quas possides, vt paulò ante dicebamus. Item vt censum totum non expendas: Introitus, exitusque rationem habeas. Superfluos sumptus in victu, & vestitu, & parasitis, & inutilibus rebus non facias: & Salomonis tibi prouerbium insideat animo. *Qui amat vinum, & pinguia, non ditescet.*

2. Acquirere, & non seruare, est aquam cribro haurire, aut sicut Ægeus Propheta inquit, *ponere in sacculum pertusum.* Quod non accidit, si abs te duo mala ablegabis, Prodigalitatem, & negligentiam. Oculos in futurum magis, quàm in præsens diriges. Pecuniam, & rem iactatæ periculo non expones: periculosis, incertisque negotiationibus addicendo. Cauebis rixas, meretricios amores, cæteraque vitia, tuum amorem totum in Deum dirigendo, in vxorem, natos, ac familiam, cuius es Rex, custos, & Vicarius Dei.

Quomodo cum inimicis. 3. Inimicos beneficiis magis, quàm gladio, aut litibus tibi subdere curabis.

Magistratus Oeconomo capessendus, & quomodo, propter quid. 4. Ciuitatis regimen non optabis, nec capesses, nisi coactus: mox tuo fungeris officio sedulus, & ab auaritia, furtoque inimicus: tanquàm Deo seruiens visibiliter. Sic Deus eo in tempore tuorum bonorum curam geret: At eam, quam potes, tu vtrique muneri operam nauabis; alias tentare Deum videris: Nemo sibi soli nascitur, ait Plato ad Architam; sed ortus nostri partem sibi patria vendicat, partem parentes, partem amici. Apostolus autem meliùs: Nemo sibi viuit, & nemo sibi moritur; sed siuè viuimus, siuè morimur, Domini sumus. Quod qui cogitat, cuncta rectissimè geret.

5. Rem familiarem pessundare quodcunque vitium, licèt lucrosum Macchiauellistis appareat, aptum est: conseruare autem virtus quæcunque, quantumuis inutilis appareret, sed alia plus, alia minùs.

De acquisitorum, conseruatorúmue bonorum dispensatione, & fruitione in vita, & morte: & de cura Oeconomi, cum sibi mors natura intimatur.

CAPVT VIII.

Finis œconom. 1. ACquisitorum conseruatorumque bonorum dispensatio, fruitioque maximum est in Oeconomica: est enim ipsorum finis.

Auaritia & Prodigalitas Oeconomo cur vitandæ. 2. Auaritiam, tanquam extremum alterum declinabis; est enim auaritia timor paupertatis, faciens hominem continua in paupertate viuere, ac seruitute. Dominus est, & diues, qui fruitur, seruitque sibi de diuitiis, non qui seruit diuitiis; Fugies alterum extremum Prodigalitatem, quæ est, seipsum in medio hostium armis denudare:

dare: sunt diuitiæ arma, ac sustentatio vitæ. Qui ipsas nihili pendit, statim in paupertatem, derisum, vituperamen, famem, nuditatem, desperationem, & in mortem interdum ruit. Propterea quidam Marchio dicebat, viro nobili melius esse mori, quàm pauperem fieri. Quod Eccl. 4. etiam habetur. Alius verò scriptor, præstare principi pro dignitatis, & imperii conseruatione, in auaritiam, quàm in prodigalitatem propendere.

3. Nuptiæ magnorum sumptuum damnum absque honore afferunt, sumptus in hastiludiis, & ostentationibus theatricis, & plausibus mulierum, & populi, & coram Principe, sunt vnius diei honor, & centum annorum vituperium. Parasitis, & sicariis largiri vituperium est apertum, larua honoris, etiam destitutum: venatio falconum, & canum delicatorum, est multi sumptus, modicique lucri: qui largitur pauperi fœneratur Deo. Qui sumptus parum probantur.

4. Potiùs pasces familiam, cui à Deo positus es curator, & rector, quam Monachos & Clericos parùm egentes. In morte priùs creditoribus, & seruis, qui pro te laborant, quàm Ecclesiæ, cui te committis, legata facies. Quod autem sanctis, ac Deo vouistis soluere ne detrectes, ab ipso enim accepisti. Cum tibi exuberant diuitiæ, priùs, libentiusque in Dei honorem, sacrorumque locorum, quàm in ludos, & ostensiones, quas Libræas vocant, expendes. Transeunt enim ista, & sicut fumus non relinquunt fructum. Quis cui præponendus in sumptu.

5. Pretiosæ vestes splendentesque indicium leuitatis animi præbent: inuidiam, & fastidium vicino afferunt: obligationemque idem faciendi suo cum damno, atque tuo. Vitandus vestium luxus.

6. Si splendorem in tuis, aut vxoris vestibus ostentare cupis, ornatus iste non excedat morem: addes ei aurum, & argentum solidum, quod permanet, non ductile, filatumque, quod disperditur. Catenæ & globuli, & fibulæ aureæ, non autem res inauratæ persistunt. lapilli prætiosi minus tuti sunt, eorum namque valor Principum existimationem sectatur, & vbi pecunia abundat: sed in necessitatibus, & casibus, & apud populum ferè nihil prosunt, aut minuuntur prætio. De auro in vestibus, & de pretiosis lapillis.

7. Verumtamen vnum pro hyeme, alterũ pro æstate sufficiunt: sed duplicando, ita vt alterum in festis diebus alterum in ferialibus induas, quatuor erunt. Quòd si addas alia duo, autumnale, & vernale? Septimum poteris adiungere rusticanum, vt cum rus, aut venatum vadis, aut aliò migras. Idem dico de vestibus fœminarum, sed pro censu ratione tibi consulueris. Vestium numerus.

8. Impendere pecuniam in prætiosas seruorum vestes, & libræas, est mera vanitas: quæ quando communis est, necessitatem infert, quemadmodum Neapoli, vbi communis error fuit perpetuo lex. Quapropter coguntur nobiles in suas vrbes secedere, & vassallos deglubere, ac mox miserorum pelle adornati, Neapolim redire vicissim. De libræarum vanitate.

9. Non te pudeat, esse primum ad introductionem frugalitatis modestiæque, & prauarum, inutiliumque consuetudinum eliminationem: vnde conditione, ac moribus melior fias; Nam licet in principio absurditas id videatur: postmodum tamen cuncti laudabunt te. Hoc vnum caueto, ne prauas introducas consuetudines, quamuis honestæ, iucundæ & gratæ viderentur. Bonus vir est imitandus, nõ imitans

10. Familiam grossis potius quàm delicatis pasces cibis: Nam sic & minus pecuniæ expenditur, & corpus robustius, aptiusque labori, luxuriæque verò minus aptum reddunt. De familiæ alimẽtis.

11. Seruos in communi refectorio pascere, conducibilius est, quàm seorsum alios ab aliis, damnosius erit tibi, pecuniam quotidianam pro victu distribuere: sic enim tu plus impendis: ipsi verò manducant minus, cupientes pecuniam se ponere accumulareque, exque tua extorquere mensa necessarium tibi nedum superflua pro suo ipsorum victu. Ac quotidie suadere conabuntur tibi, plus obsonii tuam desiderare mensam.

12. In festis diebus vberiorem non delicatiorem eis largieris cibum, & domi, & ruri: cessareque à laboribus seruos, & animalia iubebis, quemadmodum præcipit Dominus Deus: cum vt diuino cultui dent operam, tum propter ipsorum, tuámque vtilitatem: neque continuus labor conseruationis instrumenta destruat.

De mensa herili.

13. Tua in mensa exquisitos cibos non aggerabis, semel carnibus, semel piscibus, semel leguminibus, aut herbis cum aliquo ouo vesceris. Idem enim semper, & affluenter manducare, nec sanitati, nec marsupio commodum est; semel benè, semel mediocriter, semelque miserè vesci, sanitati plurimum confert, vt in prouerbio est.

Lis inter marsupium, & gulam quomodo iudicanda.

14. Fac vt marsupium cum gula litiget, tuque huius, aut illius patronus non fias, sed Iudex: non tamen sæpius pro marsupio sententiam feras. Gula appetitiones producit testes, non quidem iuratos: marsupium testes euidentes habet, cellarium, horreum, & arcam, vacua, vel breui euacuanda. Tu igitur prudenter examinabis vtrosque. At cum gula testes adducit infirmitates, aut debilitates, tunc victrix eat. Qui enim in ægritudine, aut necessitatibus parcit pecuniæ, is plus iacturæ facit, consequentibus experimentis.

De Conuiuiis.

15. Sumptuosa conuiuia non celebrabis, his enim parasiti pascuntur: qui autem prudens est, tibi detrahet, etiam cum de tuo saturatus fuerit: Nemo paupertatis, quæ te mox apprehendit, sicuti aliorum infortuniorum, miserebitur. Marius del Tufo nostri æui sit exemplar, qui eis, quos Danthes celebrat, prodigis annumerari potest: Qui Gariopholorum & cinnamomi carbonibus perdices & phasianos assabant.

Haud tamen negem, amicos splendida excipiendos esse mensa, sed frugaliter, & cum opus habent: eumque amicum potiùs reputabis, qui tibi pecuniam suam, quàm qui vitam suam offert. Veluti mirificus Fabritius Dominus de Perese, Gallorum decus, & Philosophorum, & clarorum virorum Mecenas, & perennis hospitalarius. Exemplar est Mundo.

Vsus vini.

16. Vini vsus tibi sit parcus: seruis emptitiis non nisi festis diebus, aut quando non satis rectè valent, vinum dabis, & tanquam medicinam; fœminis parum, aut nihil: pueris nunquam nec modicum: personis robustioribus, grauioribusque moderatio: liberis ante duos viginti annos, nisi infirmitas coegerit, vinum non concedes. Iuuenibus licebit, sed aqua temperatum vsque ad quadragesimum quintum annum. Post hoc tempus poterunt liberiùs potare: modicum vinum acuit ingenium, corpori salubre est; multum verò obnubilat, stupefacitque ingenium; corpori verò grauedinem, podagras, chiragras, calculum, & obstructiones, &c.

17. Afflictis, mærentibusque vinum vsque ad ebrietatem propinabis; sicut enim Salomon, & Plato docuerunt, datum est à Deo pro pharmaco contra miserias humanas, vtque corda mæsta lætificet, ait Dauid, & dolorum, ac molestiarum obliuionem adiiciat. quemadmodum Homerus in Thelemaco per Helenam ostendit.

De Testamento.

18. Dum viuis sanus corpore, animoque, testamentum bonorum tuorum facies filiis tuis. si nobiles sunt, hæreditatis partitio noxia est. Idcircò maiori totam legabis, qui cæteris alimentum proportionaliter tribuat: si laboratores sunt, diuisio fiat, prout lubet: facile enim illis est, rem laboribus conseruare, augereque. Si mercatores fuerint, diuisio vtilis erit, ne alterius infortunium alteris noceat, nec vlla pars à lucris vacet.

De Tutore.

19. Pupillorum tuorum curatorem, aut tutorem non rectè aliquem ex consanguineis, aut affinibus instituet, præsertim si & hic filios habeat: sed amicum extraneum, & religiosum; consanguineos autem conseruatores pupillorum, & legatorum bonorum institues, non administratores. Sic enim nec consanguinei, nec tutores bonis pupillorum, & personis insidiari poterunt, sicut in dies faciunt. Exemplum sit Sfortiadum domus sub Ludouico Sfortia, & Comes Casalduni, à suis consanguineis tutoribus oppressus, expoliatusque.

De viduis quid.

20. Si tua vxor ante te mortua fuerit, atq; absque hærede, & diues viduus remanes, bonum est vxorem ducere; sed caue, ne tu senex iuuenculam accipias, cuius satisfacere libidini non valeas, ne fortè adulteros admittat. Satage etiam, vt fæcunda sit, atque solers; Si liberos iam habes minoris ætatis, præstabit, in viduitate relictum ipsorum curam gerere: sin adultos, Monasterio tuam senectutem in cultu diuino consumabis.

De natorum coniugiis.

21. Connubia filiorum tuorum iuxtà regulas priùs dictas celebrabis: enitere

autem, vt fœminæ, & dotem habentes pinguem, de sua parentela maritos accipiant, masculi verò de aliena vxores.

22. Vxor tua, cum prior obieris, si iuuenis est, liberisque careat, vtilius Monasterium, quàm secundas appetet nuptias; præstatque illi, nubere orbam filiis, quàm cum filiis. At si vetula est, malum erit, si nubat, Detque illi Deus adolescentem maritum, quo omnium peccatorum suorum pœnas luat. De Vidua.

23. Non committas animam tuam diligenti te, sed diligenti animam suam. Pro anima tua.

24. Restitue ante mortem omnibus, quidquid debes, nec, nisi pro te tu ipse satisfeceris, credas filios pro te satisfactum ire.

25. Deo animam immaculatam, terræ corpus integrum, mundo famam illustrem, filiis hæreditatem splendidam si reliqueris, benè tibi futurum spera in nouissimo die, futurorum principio sæculorum.

Rogitas, quid præsens doctrina iuuat, vbi fortuna contrariatur? Respondeo, vnumquemque propriæ fortunæ fabrum esse plerumque. Cum verò negligentiæ, aliorumque vitiorum causa in erumnas inciderit, in fortunam reiicere culpam. Sed profectò rarò infortunium diligentiæ, ac virtuti coire videbis: rariùs autem à negligentia, vitioque disiunctum: fac tu, quod debes, tuaque commenda Deo. Dubitatio & Resp. pro œcon.



THOMÆ CAMPANELLÆ DE REGNO DEI CONSIDERATIO.



VONIAM vniuerſalis fœlicitas toti generi humano per Scientias procurata & à ſæculo deſiderata, non inuenietur; neque mala cunctis exoſa, ceſſare poſſunt, niſi in Regno Dei, nil diuidente, atqui omnes nationes complectente, omneſque Regiminum formas, ſub Meſſia: à quo fruſtra timebat Cicero, tanquam Rempub. euerſuro, myſterium regni in Sybillinis verſibus parum intelligendo; fruſtraque timent Principes, tanquam ipſorum regna, & non ſolas abuſiones tyrannicas impiaſque pro ipſorum fœlicitate ſub Chriſtianis Principibus, Meſſiæ brachiis, vt vaticinatur Iſaias, contrituro, ſicut lapis exciſus de monte ſine manibus ſtatuam regnorum confringere, & totum implere in mundum Nabucodonoſoro in Daniele apparuit: in vanum autem laborauerunt ac laborabunt quicunque vniuerſale Regnum ſibi, & non Deo, facere ſatagerunt: At deſiderium vniuerſale non poteſt eſſe vanum, nec Scriptura Prophetarum non adimpleri, propterea nunc, Phyſicis & Moralibus & Politicis & Oeconomicis diſciplinis humanis, pauca de Regno Dei, quod in Euangelio, & domui & familiæ & Ciuitati & Regno, & Naui, & conuiuio, & Theſauro, & Sagenæ, ex omni genere piſcium congreganti, nulli nocituro, omnibus profuturo, ſicut decet Deum ſaluatorem factum in nobis, & vſque ad finem ſæculi nobiſcum Emanuelem permanſurum, dicere ad conſolationem omnium populorum & ad Principum concordiam ſpem & inſtructionem ad opus Dei communiter curandum, iam libet.

Iſa. 51. Dan. 3.

De Regno Dei, euangelizato: incœpto: & complendo.

1. NEc Deus nec Natura promittunt aut faciunt pacem niſi ſub vno. Pax enim influxus eſt vnitatis. in pace omne bonum, extra pacem omnia mala, quæ genus humanum & rerum ſæcula, perturbant, diſſociant, in ſectas & principatus inſœliciter diſcordantes. Neceſſe eſt ergo reuertamur ad vnitatem.

2. Mala quæ in mundo humano graſſantur, bellum, fames, Peſtis, non ceſſabunt niſi *Regnum Dei adueniat*; in quo *fiat voluntas Dei in Terra ſicut* fit *in Cælo*. Propterea ſicut Adam fuit vnus Pater hominum, Rex, & Sacerdos à principio; ſic erit in fine, ab eo, *qui poſuit fines tuos pacem*, tranſactis ſæculorum perturbationibus; Cum *euacuatis Principatibus, & poteſtatibus* diſcordantibus: *Conuenient omnes populi & Principes in vnum vt ſeruiant Domino:* Nam *propter peccata Terræ multi Principes eius*, in quantum multi, non ſub vno. Regnum enim hominum partiale: Dei vniuerſale eſt comprehendens omnia regna. Et Chriſtus Deus homo *heres vniuerſorum*. In quo *qui non colligit diſpergit*, vt ſchiſmatici ſolent: non *memores teſtamenti ſui, vt det nobis hæreditatem gentium*.

Mat. 6. 1. Cor. 15. Pſal. 101. Prou. 28. Heb. 1. Luc. 11. Pſal. 111.

3. Abrahamo enim promissum est, & *semini eius qui est Christus, quod benedicen-* Gen. 12. Gal. 3.
tur in ipso omnes tribus terræ, &c, vt hæres esset Mundi Rom. 4. Propterea scriptum est.
Ego constitutus sum Rex ab eo super Sion, &c. & Dominus dixit ad me, dabo tibi gentes hæ- Psal. 2.
reditatem tuam, & possessionem tuam terminos Terræ, & Reges eos in virga ferrea, &c. Et
ad *Reges. intelligite & erudimini, &c.* Seruite Domino in timore, &c. ne, &c. *pereatis* Psal. 71.
de via iusta, &c. Et rursus. *Adorabunt eum omnes Reges Terræ: omnes Reges seruient ei*, & Ezech. 34. & 37.
dominabitur à mari vsque ad mare, &c. Et alibi. *Erit Rex imperans omnibus vnus; & pas-*
centur omnes à Pastore vno; seruus meus Dauid (suscitatus in Christo) *pascet eos: qui faciet* Ier. 23.
Iustitiam & Iudicium in Terra: & Amos. *Suscitabo Dauid, &c. vt possideat tabernacula* Am. 9.
Idumeæ, & omnes Nationes. Et Tobias. *Omnes Reges Terræ adorabunt Regem Hyeru-* Tob 14.
salem.

4. Hæc omnia incœperunt in Christo *qui regnat super sedem Dauid Patris eius*, cu- Luc 2.
ius Regnum temporale & particulare cadens in Sedecia, iuxta promissa Propheta-
rum, (Sicut in lib. de Monarchia Messiæ, probatum est) surrexit in Christo vniuersa- Psalm. 109.
le & Sacerdotale *secundum ordinem Melchisedech*, vt dicit Paulus, at post turbationes Heb 7.
multas sicut interpretatur S. Petrus, quod *Prophetæ prædixerunt priores eius passiones, &* 1. Pet. 1.
posteriores glorias non modo cœlestes, sed etiam in Terra, sicut dixit Zacharias. *Ha-* Zach. 13.
bitabitur Hyerusalem in loco suo in Hyerusalem. & erit omnis domus (S. Principum) *sicut*
domus Dauid, & domus Dauid (idest Messiæ vicarii) *sicut domus Dei*, & Hieremias. Ier. 23.
Suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit, &c. & *faciet iudicium & iustitiam in Terra:*
Et Psaltes *conuertentur ad Dominum vniuersi fines Terræ: & adorabunt*, &c. *quoniam Do-* Psal. 22.
mini est Regnum. S. vniuersale, & non hominum. Et licet transferendum in cœlum;
tamen prius conflandum in Terra ex toto Mundo, iuxta Prophetiarum meliores in-
terpretes, præcipuè S. Ber. in Ser. ad Milites Tēpli. & iuxta Textus sensum genuinū.

5. Christus iure Creationis est Rex Regum; *Domini est Terra & plenitudo eius*, &c. Psal. 8.
Omnia enim *per ipsum facta sunt.* Et iure redemptionis vt dicitur Esaiæ 53. Et propte- Iohān. 1.
reà Mathei 28. post resurrectionem dixit. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in*
Terra, & hanc dat Apostolis, vt dicitur in Apocalypsi 5. *Redemisti nos in sanguine tuo,*
& fecisti nos Deo nostro Regnum & sacerdotes. Et Esaias. *Stabunt alieni & pascent pecora* Isa. 61.
vestra: & filij alienorum vinitores, & Agricolæ vestri erunt. Vos autem sacerdotes Domini
ministri Dei dicetur vobis: fortitudinem Gentium comedetis & in gloria eorum superbietis,
vti iam verificatur in Papatu.

6 Cum dominabitur vnus Dei Vicarius, & *erit vnum ouile & vnus Pastor*, cessa- Io 10.
bunt bella, sicut scriptum est, *non exercebuntur vltra ad prælium &c.* Non enim habent Ezech. 37.
contra quem pugnent, & *conflabunt gladios suos in falces, &c.* Item cessabunt schisma- Isa. 2.
ta & hæreses quoniam omnes *seruient Deo humero vno.* Nemo nunc potest scissuras fa- Mich. 4
cere nisi Principum auxilio, vt Lutherus Germanorum, Arrius Constantii Impera-
toris, Samaritanus error Ieroboami armis, Apostasia Græcorum Constantinopoli-
tani Imperatoris violentia, steterunt, & sic de cæteris. Vbi enim non immiscetur *ra-*
gion di stato non potest ad momentum durare sophista, vel hæresiarca, vt patuit in
Io. Leidensi, & F. Dulcino, & Abialardo, carentibus auxilio Principum: ideoque sta-
tim deletis. Cessabit etiam fames quoniam non potest in omni climate simul fieri ste-
rilitas. ergo Princeps vniuersalis communicabit bona Terræ abundantium carenti-
bus. Cessabit & Pestis per transmigrationem ex locis corruptis ad incorruptos, & per
communicationem scientiarum & medicinalium remediorum. Et hæc omnia prædi-
xit Isaias & Prophetæ alii palam omnes, à quibus Poetæ acceperunt sæculum au-
reum.

7. Quidquid cecinere Poetæ de sæculo aureo, & Philosophi scripserunt de statu
optimæ Reipublicæ nondum viso; & Prophetæ de sæculo fœlici post casum Babylo-
nis & de gloria Hyerusalem instauranda, & quidquid Populorum desiderium quæri-
tat, vt simus absque bello, peste, & fame, & malis bestiis, in sæculo Christiano ratio-
nabiliter à multis expectatur, non tamen cum errore Cheliastarum, vt in prophetali-
bus ostendamus.

8. Quamuis Arist. neget mundum totum sub vno Pastore vel Imperatore conti-

neri posse, quoniam Rex anima est Regni, nec vnus homo potest animare omnia regna) ratiocinatur ex corruptela sæculi: nec viderat Augusti Imperium vniuersale & pacificum præparatorium ad Regnum Christi, vt aduertit S. Leo, & S. Thomas: nec Hispanum cingens totum Orbem; nec agnouit quod Religio est anima Regni tota in toto & in qualibet parte tota; omnes enim singulique eosdem fidei articulos totosque credimus: putauitque Regem esse animam Regni, qui non potest esse in toto, & vniuersali Regno, nec nouit istam animationem sub Papatu in duobus hemisphæriis per Episcopos & Principes, ramos vnius arboris Christianæ, cuius Truncus Romæ, Rami per totum Orbem, vt inquit Cyprianus.

9. Quatuor sunt magnæ mundi nationes, Gentilis, Iudaica, Christiana, & Mahometana.

10. In Gentilismo non potest esse vnus Princeps Gentilium, multoque minus aliarum nationum omnium, quoniam non colunt vnum Deum: nec ad vnum omnes referuntur, & quot sunt Principatus, tot sunt sectæ. Vnde Roma volens fieri omnium domina, omnium errores, & Deos omnes acceptabat: sed corruit vero Deo apparente, cui & obedit. Item prophetia Gentilismo contradicit. Psal. 58. *Ad nihilum deduces omnes gentes*, nisi conuertantur ad Dominum. Psal. 21. *Etenim conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna.* Psal. 45. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* Psal 46. idem apud omnes Prophetas.

11. In Iudaismo non potest Rex fieri totius mundi quispiã: quoniã non modo amiserunt Regnum & Sacerdotium, sed insuper lex ipsorum erat partialis & ad tempus, qualis de lepra, de carne porcina, & delectu ciborum & lauacris: & de Circoncisione, quæ ipsos ab aliis populis distinguit, non communicat: vt patet ex signo & difficultate signi. Vniuersale autem regnum vnitiuum est. Vnde Iudaismo promittitur translatio Sacerdotii de Aaronico in Melchisedecheum, & regni. Psal. 109. & Heb. 5. 6. & 7. in nouo Dauid, Am. 9. Ezech. 34.

12. In Mahometismo nec potest vnus sortiri Principatũ orbis, nam regnũ ipsorũ non est Sacerdotale cum vtroque gladio, nec habent vnũ summũ Sacerdotẽ, sub quo conueniant Principes Mahometani: sed quilibet propriã sectam habet, non conuenturam cum aliis, vt patet in Rege Turcarum: in Serso Rege Persarum, Rege Zagatainorum & R. Fezarum, &c. Præctereà Circuncisio, delectus ciborum, & abstinentia à vino & porcina, repugnant vniuersalitati Regis & Imperii nationum in toto orbe. Item, quæ Mahomet scripsit de cælo, de terra, de partibus mundi, & de Deo, & de Scripturis sacris, tàm fabulosè, non possunt, nisi per vim & ignorantiam à quibusdam, non autem ab omnibus nationibus acceptari. Prophetia quoque ei refragatur, quamuis enim Ismaeli à quo descendit Mahometismus, promittatur multiplicatio in *Gentem magnam.* Gen. 22. tamen *in Isaac*, ait, *Vocabitur tibi semen.* Cui & benedictiones & hæreditas mundi additur. Gen. 26. & Rom. 4.

13. In Christianismo autem cui tanta fœlicitas promissa est diuinitus, omnia quæ spectant ad Regnum vniuersale Dei reperiuntur, primò charismata Dei Regis Regum, quæ cessauerunt in Iudaismo, & de Christianismo non migrarunt in Mahometismum. Item, ceremonia Baptismi in aqua cunctis possibilis & facilis. Item, lex compendiata in dilectione Dei & proximi, breuis, facilis secundum naturam valdéque iucunda omnibus. Item, Principum vnitas conuenientium sub vno Pastore & Patre omnium, qui possit per gladium spiritualem, qui exit ex ore capitis communis, & materialem qui ex fœmore pendet Christi, Psal. 44. Qui sunt Reges pro Ecclesia pugnantes, sustentare vnitatem fidei & Politicæ. Nam licet multi hæresiarchæ Principum auxilio fecerint scissuras, tamen possunt vniri, quod aliis in nationibus est impossibile, & consolidari, dum pascit certus Pastor vnus de iure, per secula & charismata auctorizatus: sicuti nauigantes passi naufragium donec in Portu lumen affulget, possunt reuerti ad locum salutis: propterea ambulant Gentes in lumine Messiæ, & Reges in splendore vultus sui, vt non pereant: vnde vidimus sub Artio, Sabellio, Pelagio, facta schismata quasi irremediabilia, iam sub Papatu deleta: idemq; erit de schismate Anglicano & Germano post Lutherum. Item, quoniam hoc Regnum congre-

Apoc. 1.

Isa. 60.

gatur Deo,& non hominibus, vnde Pontifex Maximus, & Principes sacri non habent filios,neque hæredes particulares,nec pro priuato,sed pro communi bono laborant,acquirunt,seruant,regnant,regno non vnius familiæ sed omnium.Item Regnum hoc non gladio & pecuniis vel violentia aliqua congregatur, & sustinetur, quæ non permanent, vt patet ex nationum historia, sed amore communi semper durabili, quod non contingit violenter regnantibus, vnde Petro dictum est, *Quia diligis me ter plus his, pasce oues meas.* alii enim quia potuerunt magis aut sapuerunt magis. Petrus autè quia plus cæteris amat Deū, pascit Dei oues. Oues autem Christi sunt omnes homines, & Principes & vassalli, neque enim potuisset misisse Apostolos per totum mundum,ad congregandos omnes comminando pœnas illis qui non receperint eos & non obediuerint, nisi esset Messias Dominus vniuersalis: quapropter omnes cum Psalm. dicimus: *Nos autem populus eius & oues pascuæ eius.* Et propterea Petrus pastor primus iubetur totum cum Apostolis, mundum congregare Psal. 94.
in regnum Dei,eiusque *Euangelium prædicare omni creaturæ.*

14. Necessaria ergo est potestas Pastoralis & paternalis ampla & non diminuta, Mat. 16.
vniuersalis & non particularis, sicuti tradita est Petro in illis verbis vniuersaliter: *pasce oues meas:* & in illis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni Cælorum: & quodcunque ligaueris aut solueris super terram erit* Ioan. 21.
ligatum, aut solutum, & in Cælis: tum ad congregandum omnes populos per claues Mat. 16.
cœli & Terræ. Matth. 16. Nam & per Claues Christi Dauid, Isaiæ. 22. Apocalip. 3. tum ad discordias tollendas, & iudicandum inter populos & populos Principes & Principes, & inter Principes & vassallos, mirificum remedium ad tollenda dissidia, & bella, & vniendum sub vna fide Reges Christo Deo Super quem ait Propheta, *Continebunt Reges os suum.* Hæc autem potestas aliis nationibus tantumque remedium non est datum, nisi Christianis, quibus promissa est hæreditas mundi. Quando hoc Principes intelligent fœlix erit orbis totus, nec Principes principatus sui iacturam pati poterunt, sicuti hucusque passi sunt multi. Nec audient pseudopoliticos, nec Iezabelis Prophetas.

15. Ecclesia Dei sub Papatu nihil acquirit gladio vel pecunia, sed tamen omnia per hæreditatem accipiet etiam temporalia quasi additamentum ad spiritualia. Christus enim Filius Dei, homo Deus, *hæres est vniuersorum*: propterea dictum est Apostolis: *Primum, quærite Regnum Dei, & cætera omnia adiicientur vobis*: sic obuenere Religiosis & Episcopis & Papæ bona omnia: *Quia nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis* Heb. 1.
confortatus Principatus eorum: Omnes Principes ante aduentum Christi, qui est virtus Matt. 6.
Dei, participantes Christi dominium regnauerunt: qui dixit, *per me Reges regnant*, veniens autem in mundum non abstulit eis regnum temporale, sed confirmauit & addidit cœleste: Posuitque super eos Pastorem & Patrem in bonum ipsorum: Potestas enim Psal. 138.
Apostolica data est, *ad ædificationem, non ad destructionem*: vt dicitur 2. Cor. 10. & *pro veritate, non contra veritatem*: vt dicitur ibidem, vlt. in bonum ipsorum. Falsò timent potentiam Patris Reges, qui exaltauerunt Ecclesiam, sicut scriptum erat: *ædificabunt peregrini muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi: & mammilla Regum lactaberis, &c.* Isa. 60.
Remanent enim Principes in sua possessione & potestate tuti magis ab internis externisque hostibus vniti (quam olim diuisi) Nunc sub Patre vno ac pastore orbis habente potestatem, sed non proprietatem super bona cōmunia: quam potestatem & Seneca, & Stoici philosopho etiam conuenire volunt. Richardus autem Sancto, vt quid ergò negatur patri patrum Vicario illius à quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur? Verè mendacium operatur Stylus mendax Scribarum, dicit Dominus.

16. Quidquid enim habet in bonis temporalibus Pontifices à Principibus acceperunt non quidem dantibus, sed ponentibus in communitate quod habebant in proprietate, vt pro bono communi dispensentur: non enim Pontifices possunt dare hæredibus, nec populi aut Principes priuantur cum dant, nam & ipsi possunt fieri Episcopi, Cardinales, Pontifices, eorumdem bonorum dispensatores.

Et tempora venient, in quibus omnia regna conflabuntur in vnum regnum Dei:

quemadmodum incœpit in Constantino, & confirmatum est euidentiùs in Carolo Magno, & cæteris Principibus optimis, qui intelligentes mysterium regni Dei & quod legebant scriptum, *Erunt Reges nutritii tui*, considerauerunt communem Patrem communibus opibus esse vallandum, ne cogatur sicut Pythia olim philippizare, atque posset omnes in officio continere & vnitatem fidei regni cœlestis custodire, ne circumferamur omni vento doctrinæ. Vt hæretici hoc negato capite, habent quot capita, tot sententias: & æterna iurgia.

Psalm. 21. 17. Tunc ergo complebitur mysterium regni Dei, *cum reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines Terræ*, per virtutem verbi agnoscendo Christum esse summam rationem, à qua secundum naturam dicimur omnes rationales, & secundũ Psalm. 101. gratiam Christiani, & propterea laborat Ecclesia, *In conueniendo populos in vnum, & Reges vt seruiant Domino*: & fiet in nostra Ierusalem Romana Senatus omnium, sicut in Zach. & Prophetis cæteris innuitur: In quo per Rationem, non per gladium omnia ipsorum dissidia & certamina communi decreto terminabuntur: & omnes Principes habebunt in eo votum præsertim si Principes omnes fuerint Cardinales, & sacri, licet coniugati, sicut quidam prædicant: tunc cessabit Pestis, fames, bellum omninò.

Psalm 149. Da mihi nunc omnes sub patre patrum principes Christianos vnitos: Et statim tibi dabo omnes terræ Reges sectarios in manu *eorum alligatos in compedibus, & nobiles eos in manicis ferreis.* Sicut scriptum est. *Gloria hæc erit omnibus sanctis eius*, etenim *Gens & regnum* (Isa. 60.) *quod non seruierit tibi peribit.* Sicut per Principum discordiam amisimus 200. Regna ab Apostolorum Verbo acquisita, iam Mahometismi gladio occupata, & 40. ferè à Luteranismo, dum filii discordant contra voluntatem Patris. nec contra infideles illi obediunt hortanti. Et continuis malis & maioribus exagitamur, Mal. 4. *donec conuertantur corda filiorum ad patres, & patrum ad Filios*, Per veros Elias, quos pseudeliæ auerterunt. quicunque scilicet scribunt de Papatu & de regnis Christianis tanquam de oppositis, & non tanquam de vno toto & partibus, & membris Christi.

18. Intereà summus Pontifex est Pater Orbis, omnes Reges sunt filii eius de iure, si non adhuc de facto omnes: Cardinales sunt fratres eius quasi discipuli adsistentes Ex S. Antonino. Christo, sicut prima Cœli Hierachia apud Dan. Episcopi verò sunt fratres sicut ministrantes instar Angelorum aliarum hierarch. propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.

18. Potestatem Pontificis tam necessariam propterea omnes omnium sæculorum hæretici tollunt, quoniam sciunt se non posse condemnari nisi ab ipso. Alii in remedium sceleris introducunt in Ecclesiam oligarchiam cum Caluino, alii Democratiam cum Luthero, vt non sit regnum Dei. Principes verò aliqui minuunt, postquam Pontifices passi aliquid humani, non pro communitate, sed pro Nepotibus visi sunt sollicitari: & potius vni Regi quam alteri fauere: propterea glossauerunt potentiam vniuersalem, alii circa spiritualia non temporalia: alii indirectè non directè. alii pastoraliter non Monarchicè & tamen vidimus Pontifices Sanctos Patres s. bonos, nunquam glossatos fuisse à bonis filiis, sed super illum continuisse Reges ob suum. Imò Carolus magnus etiam testamentum suum à Papa confirmari voluit: Pontifices vero malos non solum glossatos, sed etiam obedientia orbatos saltem ex parte vidi- 1. Cor. 10. & vltimo. mus. Et videbimus, donec & Pontifex & principes reuertantur ad glossas Apostoli. Omnia possumus ad ædificationem vestram: nihil ad destructionem. & nihil contra veritatem; sed pro veritate.

Isa. 49. 20. *Intereà stat oraculum Dei in Isaia; erunt Reges nutritij tui & Reginæ nutrices tuæ: vultu ad Terram adorabunt te, puluerem pedum tuorum lingent.* Id verificatur dum osculantur pedes Pontificis & incæpit à Magis. agnitum sub Constantino, & aliis Regibus. & Imperatoribus & Græcis teste D. Thom. vsque ad schismæ tempus. At semper pietas Gallorum Regum viginti quatuor vicibus in Italiam progressorum ad defensionem Ecclesiæ contra Tyrannos, & infideles, supra omnes, in hoc oraculo enituit, quamuis multi alii Principes & Reginæ communem Patrem studiosè coluerint & defenderint & Ecclesiam ditauerint tanquam communem Ciuitatem Dei, non tanquam

tanquam Papæ proprietatem & dominium: Nemo tamen excepto Constantino tam ex animo nutriuit, ditauit, & fouet Ecclesiam & Papatum quantum Rex Gallorum, & quia *honorat Patrem suum longæuus erit præ aliis super terram*: dixit Dominus: propterea & Charisma publicum habet in signum, quod salus à Gallia est. Hispania dilatationi tantum vacat. Manebunt ergo Principes & filii. Spurii autem & infideles peribunt: contra illos enim dicit Dominus ad Ecclesiam, *Gens & Regnum, quod non seruierit tibi, peribit.* Isa. 60.

De Republica Ecclesiastica, eiusque à cæteris Regiminibus differentia & quod in ea splendet promissæ vniuersalis fælicitas, arcanum, & via.

1. Respublica Ecclesiastica quoniam ad imperium totius generis humani congregandum sub Deo, instituta est, aspiratque; virtuosorum totius generis humani Imperium continet facitque: in ea enim soli virtuosi sunt magistratus & hæredes, cuiuscunque sint ordinis atque conditionis in toto mundo. Ac nullam viuendi formam rationalem tollit, imo Resp. & Reges & Principes laudat, tuetur, decorat tanquam filios Dei, & Ecclesiæ suæ membra potiora. Ac tam sublimis tamque mirabilis viuendi forma vt Philosophi, nec intelligere, nec imaginari meliorem nec æqualem potuerint: vtque nec excogitari, nisi à Deo quiuisset, & propterea negant ab vno posse regi Mundum: qui tamen non benè, nisi ab vno.

2. Continet in se Monarchiam in Papatu: Aristocratiam in Cardinalibus, Episcopis & Prælatis, & Conciliis: & Politiam in populis, eiusdem Religionis litteratis omnibus sacri Imperii capacibus: vnà cum omnibus commodis vtilitatibus, & libertate ipsarum; excluditque incommoda, imperfectiones ac stultitates earundem.

3. Finis enim verus Reipublicæ est cultus opificis, gubernatorisque rerum; (ait Plato) qui solus beare potest Rempublicam; omniaque ei bona largitur. Medium verò non carnale, sed dona Spiritus Dei: ac triplex libertas, videlicet à peccato, à miseria & à subiectione: qua quis statuitur alterius non Dei, neque sui gratia, vnde nec potest esse Dei, ad quem rite Respub. ordinatur; sed Principis ad quem non ritè.

4. In Ecclesiastica autem finis est Deus beatificatione nostri consequendus: non autem vnus homo, Summus Pontifex vt in tyrannide: neque multi vt in Oligarchia; neque populus minutus, vt in Democratia. Vbi non ponitur Deus pro fine, populus fit seditiosus, quia non libenter obedit Principi, nisi vt Deus, ait Varro, aut Vicarius Dei: & Princeps fit Tyrannus, pro suo lucro, non pro Dei Patris honore populos regens, vt filios Dei, cui redditurus sit rationem: qui solus per se est Dominus; & cui soli seruiendum. Ecclesia autem non potest ponere alium finem quin statim desinat esse nec palam nec clam, vt accidit Laicis potestatibus.

5. Libertas à peccato omnium augustissima, ac maximè necessaria. Ex culpis enim omnia Reipublicæ mala suboriuntur. Et pro hac libertate statuenda iuuenta sunt tribunalia, Iudicia, testes, carceres, exilia, lictores, milites apud nationes. Sed in Ecclesiastica, præter tribunalia castigantia culpas manifestas & iniustitias in proximum, & in Rempub. datur tribunal secretum, omnia vitia omnesque culpas iudicans: in quo non expectato accusatore & testibus, spontè confessus absoluitur: sicut è contra in aliis confessus punitur. Et cum infinita Reipublicæ vtilitate peccata extirpantur.

6. Libertas à miseria vulgarior. hanc omnes hominum cætus affectant. Et eius seruandæ gratia inuentæ sunt artes, Agricultura, Pastoralis, Medicina, Vestiaria, Mercatura, ædificatoria, Nauigatoria, Militaris, & cæteræ Mechanicæ & speculatiuæ illarum fundamenta. Scientiæ autem & artes nullibi magis quam in Papatu excoluntur, honorantur, & publicantur: ita vt nemo studiosus ad omnes artes & scientias, & magistratus possit non exaltari. Et propterea Romæ & vbique Scholas & collegia

scientiarum omnium & pro omnibus nationibus, Ecclesiasticis opibus gratis instituta sunt & aluntur à S. Pontifice, similiter in ordinibus Religiosorum videmus. Præterea cędes non fiunt Romæ in vno anno, quot Neap. & alibi in vna hebdomada. Ambulabis de nocte cum auro in manibus tutus à latrone: alibi etiam vestibus spoliabere. Contra pestem quam sedula sunt remedia in regno sacerdotali euentus docet, & comparatio.

7. Libertas à subiectione sub Papatu sola & semper viget: quoniam, sicut Plato & Arist. monent, Tyrannus vult subditos, pauperes, & ignorantes, & discordantes, ne possint, aut sciant, aut audeant rebellare, & seruis & mulieribus libertatem dat vt pro ipso vigilent, & fortes, sapientes per calumniam reos Maiestatis diuinæ & humanæ facit, vt timeant, & alienorum armis & mancipiorum se contra suos custodit. E contra in Papatu omnes & soli virtuosi possunt esse non modo graduum inferiorum participes quales sunt Parochiæ, Abbatiæ, Episcopatus, Patriarchatus, Cardinalatus, sed etiam Papatus, qui super totum mundum Sacer est Principatus. Ad quem nobiles & ignobiles virtute præditi scandere possunt: quod in aliis Principatibus non licet. 2. Item omnes viuunt Deo & sibi, non autem hominibus in peculium. 3. Item ab iniuriis magis vindicantur, quam quocunque sub alio Principatu. 4. Item virtutibus solis premia statuuntur: nec enim nisi docti, & sapientes, & probi regulariter fieri possunt in spiritualibus & temporalibus Rectores. Quod in cæteris non fit, sed furiosus quisque & indoctus ascendit præsertim in Democratia, & Monarchia. At in Oligarchia, solum diuites & nobiles, cæterique seruiunt. At qui his in cætibus non potest particeps esse dominij, potest esse sub Papatu. Vt qui Venetiis est seruus, Romæ fit princeps. & iterum Venetiis potest fieri Princeps in Sacris, quatenus Venetiæ sunt Romanę. Extendit ergo Roma Ecclesiastica libertatem suam etiam ad exteras Regiones, quod Politia nulla facere potuit. 5. Habetque præmiandi plus facultatis quàm quęvis Respubl. & Monarchia: quoniam & Cardinalatus, & Episcopatus, & Pręebendas, & commendas, & Parochias, &c. innumera beneficia vbique terrarum confert. 6. Item quoniam scientias omnes liberales communicat facitque liberos, non seruos, quos regit: Sicut Tyranni scientias & arma suis vetantes. nec modo Romæ Scholas & Collegia habet vbi docentur Grammaticam, Logicam, Philosophiam, Naturalem, & Moralem, & Theologiam & Leges, &c. Sed vbique terrarum alit gymnasia pro diuitibus & pauperibus, & mittit doctores religiosos ad docendum in omnes Nationes. Neruusque Imperii sui est sapientia: falsitates euellit, veritates docet. 7. Item Ciuibus suis licet vagari per Orbem, addiscere, negotiari, matrimonia inire, litteras dare & accipere, quæ alibi absque licentia Principis; aut soluta pecunia minimè licent. 8. Item à suis armis defenditur, nec curiosa indiget custodia, quoniam de beneuolentia eorum quos probè gubernat, minime dubitat. bona subditorum & sanguinem extra suam ditionem ad occupandum aliena regna non expędit, eum sit Rex pacificus: nec depauperat suos Vassallos imò & à nationibus omnibus ad suos trahit emolumenta & pecunias vndique terrarum, lautè ergo ac abundanter suos alit. Idcirco nec falsatores monetarum, nec latrones, nec enormes & inuerecundi scelerosi sub eius ditione satis sicut in cæteris reperiuntur. Licet magis appareant in Papatu vbi profitentur virtutem & sanctitatem: quoniam opposita iuxta se posita magis elucescunt. Hinc cæcorum maledicorum & hæreticorum grassatur eloquentia dum non totum sed partem & Romæ non in mundo scrutantur.

9. Præterea omnis Princeps aliorum Principum libenter regnum & vires deiicere sibique subdere desiderat: At Papatum è contra omnes profitentur defendere & ditare, quoniam Christi Dei potestas, & Schola, & fides in Papatu seruatur, & est omnium lucerna, exemplar, & tutamen, & res, & communis Patris virtus omnibus principibus opem ferens, ne dum spiritualem, sed etiam temporalem, vbi opus est, tenetque principes vnitos fide & amore: contraque mala interna externaque armat. Abusus multos corrumpit dum sumus in Mundo: institutio tamen diuina semper elucet, & emendat, & tandem vincet.

Consideratio circa differentiam Imperii Ecclesiastici & Laici.

1. ERratur valdè Ecclesiæ Rectoribus, dum eandem politiam Ecclesiæ & sæcularis Imperii putantes, eisdem vtuntur artibus in perniciem: cum valdè differant, & in acquirendo & conseruando Remp. Imperiumque.

2. Laici Principes non possunt totum mundum congregare sub vnum imperium quoniam non habent vtrumque gladium, nec pro Deo & communitate tantum, sed pro vxore & filiis Regnum affectant. Papatus verò vxores abiicit, filios non nouit sicut Melchisedech sine Patre & Matre, & sine genealogia, propterea electione constat, & celibatu: caretque impedimentis à coniugio & filiis emergentibus, & pro vxore agnoscit Ecclesiam, pro filiis Reges, Principes, & cunctos populos, maximè autem virtuosos, propterea non habet hæredes carnales, nisi virtuosos, qui in Papatu & in Cardinalitatibus, & Episcopatibus succedunt: & propter hoc alit scholas ingeniosorum, & Conuentus, & Cœnobia & Collegia, cuiuscunque nationis & generis & conditionis: & sic fœlicites regit. At cum præfert Carnales, Nepotes & sorores suas, Ecclesiæ & natis eius, infœliciter regit, & auctoritate minuitur. Potest tamen consanguineos exaltare sicut & alios, nam Christus, Iacobum, Iudam, & Ioannem suos fratres Apostolatu decorauit: quoniam erant idonei: sed magis & ad maiora Petrum quia magis idoneus, licet non consanguineus. Laicus Princeps suos tantum exaltat ad Regnum & munia magna ex institutione: Sacer non sic.

3. Papatus incipit Regnum ab animis, quibus obediunt corpora naturaliter, corporibusque fortunæ, ac per consequens trahit omnia ad seipsum: princeps laicus à corporibus, vel à fortunis, remanetque quod principale est extra fasciculum, quod deinde dissolutionem parturit.

4. Ecclesiasticum Imperium lingua comparatur, laicum gladio: principalis enim causa Imperii per se est Religio; instrumentalis per se lingua: per accidens verò gladius; & pecunia, ergo essentialior est Papatui congregatio de propaganda fide, Necessarior, quæ de tuenda & purganda, quam dicunt S. Officium: hoc magis agnoscunt philosophi, quàm illud. Vnde Plat. de legib. post primam & secundam correctionem punit morte impietatem. Plus nocet Papatui prohibere libros Philosophicos non nocentes, quam permittere nocentes ex parte.

Fundatur sacer principatus in dogmatibus & promissis diuinis. Politicus in iuribus, & bonis humanis: sacer in Theologicis virtutibus. Politicus in Moralibus stat. Ille eminet ad Morales: iste participat ad Theologales.

5. Ecclesiasticum passione perfectiua acquirentis, laicum actione magis: illud prudentia magis, hoc astutia & vi magis.

6.. Ideoque Papa Pater est Sacerdos & Rex, non autem Dominus, nisi impropriè, laicus vel solum Rex, vel tyrannus.

Regnum sine dominio, est præceptū vel schola Philosophica: sine iure est tyrannica potestas, sine beneficentia est insulsus & onerosus cœtus. Quapropter potestas, sapientia & amor constituunt optima regna: maximè autem Papatum: *Si amas me plus his, pasce oues meas,* Dixit virtus & sapientia Dei.

7. Papatus in exterioribus vincendo, & perdendo vincit: laicus perdendo perdit, & vincendo vincit. Tyrannus, & vincendo & perdendo perdit.

8. Si Papa laicis vtitur Politicorum artibus, plus iacturæ quàm lucri facit: si laicus vtitur artibus Papalibus plus lucri facit. hoc ex instinctu norunt Hispani.

9. Durabilior, conseruabiliorque Ecclesiasticus Principatus quam Laicus: ille enim animos colligatos Religione tenet, quamuis loco distantissimos: hic verò corpora tantummodò, qui nec potest nisi vicinissima. Idcirco Papatus Principatum Laicum sustinet, seruatque: & non è conuerso. Nec Hispania nouum emisphærium cum veteri nisi per Papatum tenere posset colligatum.

10. Cum tria sint ligamina Reipublicæ, Religio, quæ colligat animos: cohabitatio quæ corpora, commercium quod fortunas, Religio primatum gerit,

11. Religio enim est tota iu toto, & in qualibet parte tota velut anima. Politica virtus est pars in parte, & in toto tota, at non semper, nec omninò & intrinsecus: sed extrinsecus modo. id non intellexere Philosophi.

12. Papatus nunquam iacturam facere potest, quoniam animos tenet à quibus corpora & arma, & fortunæ dependent: ideoque Cristiani Principes non permittunt ab alio Principe Christiano ipsum infestari tum Religionis ob venerationem: tum ne Princeps ille potentior fiat ipsis occupato Papatu. Nec infideles Principes Papatum pessundare possunt, quoniam Principes Christiani omnes, & diuina ratione & Politica simul auxilium ferre obligantur, vt patuit temporibus priscis, præsertim Gallorum pietate Regum semper coruscante.

Papatus à suis dumtaxat potest iacturā pati, maximè autē ab ipso Papa cū humanis artibus, & pro se, nō diuinis, & pro Rep. Christiana, vtitur. Ab aliis si bonus, nihil timet

Isaia 51. eique dictum est. *Quis tu, vt timeas ab homine mortali?* Isa. 51. Etenim etiam moriendo viuit, & vexatus reescit.

13. Si quis infidelium citò perire ac beneficium ingens Christianismo præstare cupit, Papatum inuadat.

14. Papatus amore conseruatur, ac veneratione: Principatus, Laicus, timore & iustitia.

15. Papatus duos habet gladios, vnum in ore Patris, alterum in manu filiorum, propterea Papa vngitur in capite, Reges in brachiis: habet & Papa duo tribunalia, Laicus Principatus, vnum: ergo in Ecclesiæ Hierarchia Papa est caput corporis my-

Isaia 51. stici. Principes brachia: sicut scriptum est, *Egressus est Saluator meus: & brachia mea populos iudicabunt.* Gallus congregat, Hispanus dilatat.

15. Præstat Papatui subditos habere diuites, potentes, & sapientes, & vnitos sanctósque, quoniam viuum corpus est Religione animatum, anima sanè tota in toto, & in qualibet parte tota: ideoque omnia membra sua mirifico nutu maxima cum vtilitate mouet quotsum vult. Principatui Laico sæpè nocent subditi potentes, interdumque & sapientes, probique, quoniam corpus de se mortuum est, nec ab intrinseco sua membra magna mouere potest, sed Religione dumtaxat viuit, quæ est anima Papatus (& quasi aliena dum desciscit) Vt ab eo absque ruina alienari non posset. Hic arcana cælantur multa. Sicut Corpus Petri viuit de Anima Petri, ita Ecclesia tota cum capite & membris, cum sit corpus Christi mysticū, viuit de Spiritu Christi, Domino & viuificante, vt dicit Aug Beati erunt Principes & inuicti cùm hoc ritè perceperint.

16. Papatus in expeditionibus, & contentionibus, & bellis lucratur si neutralis & vt arbiter, atque Pater sedet: cæteris Principibus neutralitas perniciosa est, quoniam victoris siue amici, siue inimici præda erunt.

17. Arma Papatus Religione animata, inuicta sunt, atque semper: Arma laicorum absque Religione inualidissima sunt: & primò impetu modò valent.

18. Papatui plus nocet lingua hostilis, præsertim religiosa, quàm arma: & plus Schisma, qua hæresis: conciliabulum statuit schisma, sed durare non potest absque hæresi, nec hæresis absque Principum armis. Item Papæ plus nocent sui; quàm extranei: illi enim quasi semper petunt pro se, & suadent, quæ vtilia sibi: nec exequuntur quæ procommunitate iubentur. Extranei verò quæ omnibus vtilia: nec executiones boni Pontificis dilatione audent eludere.

Bonorum Ecclesiasticorum fructus permittere laicis conducibilius est quam collationem dignitatum concedere.

Cardinales & Episcopos ad petitionem nepotum, aut principum facere, sine ingentibus meritis, est adsciscere sibi hostes & exploratores, & insidias.

19. Papatus omnia imperia, omnesque nationes tandem sibi subiciet, vt testatur Prophetia, atque Politica ratio, post præsentis sæculi tempestatē, cum omnes agnoscent Christum esse sapientiam, & rationem Dei (à quo omnes homines sunt natura rationales & per gratiam sancti Diuinique) & non vnius modo sectæ caput, sed totius mundi.

APPENDIX.

Cætera in libello de gubernatu Ecclesiastico ad faciendum vnum ouile sub vno Pastore, per regulas Principum contradictioni non obnoxias, diximus. Probationes autem istorum in lib. de Monarchia Messiæ. Fundamenta in politica habes. & in Theol. lib. . de Regno Christi.

PRO CONCLAVI.

Admonitio ad Electores Summi Pontificis, ac præcipuè Capita Factionum.

1. CAro & sanguis contra spiritum, commune & priuatum gerunt bellum: quod tamen perniciosius, ac turpius est in Papatu. Rogo igitur electores per spem futuri sęculi, vt audiant. Ex Papæ enim probitate pendet salus Regum & populorum & gloria Regni Dei. Propterea nil odiosius hereticis, nil amabilius fidelibus, quam Papatus.

2. Capita factionum, ac Principum, & Pontificum Nepotes rationem seruant non modò Ecclesiæ Christi perniciosam, sed etiam sibi ipsis: nec tot post exempla resipiscere norunt.

3. Omnes enim satagunt eligere ad Papatum aliquem de numero seruorum suorum, quicunque sit etiam absque splendore meritorum, quo deinde possint suo nutu ad faciendum quidquid volunt, illum mouere.

4. Regula isthæc vera esset quando personam exaltares aliquam, sed non supra te nec ad æqualem gradum: At fallax est quando ad æqualitatem: fallacior vero quando & ad superioritatem.

5. Etenim qui factus est tibi æqualis, ab æquali amplius dependere non vult, tanta est generositas, superbia, & libertas Animabus indita humanis. Quapropter necesse est ab intrinseco tibi acri ingratum quem exaltasti, ac valere velle quantum tu, vel potius supra te. Animus enim humanus infinitus est in intelligendo, & appetendo, nec æqualitatem nec mensuram sponte patitur. Prætereà te fastidiet. non enim videri vult non ex propria virtute, sed tuo ex fauore in altum ascendisse. mox vellet mortuum proprium videre exaltatorem. Item quia videt se non posse par reddere, magis vritur, ideoque aspicit te cum verecundia, & inferioritate, quæ naturaliter odiosa est.

6. Eatenus igitur quis non propriis meritis ad Cardinalatum, sed solo beneficio nepotis Pontificii, euectus, non desciscit ab eo palam, quamuis clanculum odio ipsum prosequatur tanquam testem minoritatis valoris sui (cum omnis minoritas odiosa sit) quatenus sperat etiam adhuc eiusdem Nepotis opera ad Papatum ascendere. timor autem non ascendendi absque illius fauore reddit animum illi seruilem. Omnis enim timor aliquam inducit seruitutem. At Papatum adeptus abiiciat laruam, oportet, vnde Horatius.

,, *Naturam expellas furca, tamen vsque recurret:*
,, *Et mala perrumpet furtim fastidia victrix.*

7. Igitur factus te maior, ac per te Pontifex, non modo intrinsecis sed etiam extrinsecis te prosequetur odiis, quo mundus, qualem in suo ipse imaginatur phantasmate, non amplius crederet se tuo ex fauore, & non propriis meritis ad tantam altitudinem ascendisse. Quapropter & persequetur te; primò vt testificaretur ita esse. 2. Quoniam putat te velle in ipsum exercere Imperium quemadmodum ante, quando tuus erat seruus; Igitur nunc tuus Dominus factus, abominabitur te, & aduersabitur tanquam hominem, qui non solum cupis maior esse illo in sua minoritate, quod odiosum est: at etiam in summa maioritate, quasi per se non valeat esse tantus nisi

per te; quod odiosissimum est. 3. Quoniam quæ tu ab ipso beneficia speras, vellet aliis conferre, quibus natura est similis, ac debitor, non autem tibi, cui ex obligatione: ex qua sibi videtur adhuc tuum quasi mancipium, ac proinde odit te. 4. Quoniam quæ beneficia ab illo optas, scit tibi ex obligatione deberi. Obligatio autem ligamen est natiuæ contrarium libertati, propetereaque ligamen hoc valde odit cum tantopere superiorem te videt, tantâque in libertate, quod nec maiorem nec parem habet in terra; nec proinde ampliùs ligabilis est, vnde nec vellet vnquam ligabilem fuisse. Itaque ingratus minimis ac fictis ex occasionibus tibi erit, & persequetur & odio habebit te, nec coram oculis suis videre te vult, quemadmodum nemo exactorem tributi, aut vectigalis, aut sibi mutuatæ pecuniæ libenter videt. Idcirco Pontifices ferè omnes, eorumque nepotes sequentes inimici sunt antecedentibus.

8. Prætereà omnibus persuasum esse vult, melioris esse regiminis tempus suum, quàm prædecessoris: hæc autem quilibet Princeps & magistratus etiam vilis appetit, non modò summus Pontifex. Si quidem magnus Alexander Clitum sibi amicissimum propterea occidit, quod regimen Philippi Patris plusquam ipsius Alexandri filii laudare præsumpsit. Quapropter Papa, si quis non optimus, eiusque nepotes, ostentare volent Regimen ipsorum fœlicius tuo, tuique Patruelis: idcirco quæ tu statuisti, euertent, & contemnent, & odio habebunt te atque Patruelem tuum palam; quatenus palam omnis homo credat aut credere se dicat sic esse: eoque magis, si tu res à te gestas vel tui Patruelis tanquam bonas defendere volueris.

9. Prætereà si, quem tu humili ex conditione ad Papatum exaltas, animi est superbi, ingentisque, eo magis te odio habebit, dum vis dependeat à te, & dum scit prætereà te ipsum exaltasse, vt ipsi imperares: aut ab ipso exigeres hoc ligamine odioso quidquid lubet: prædictisque malis te, odiisque prosequetur. Sin verò vilis est animo, cum ab aliis propter suam vilitatem dependere pronus est, potius dependet, à Rege Hispanorum aut Gallorum, quàm à te, illisque se humiliabit, vt Nepotes Gentemque suam magnificet: te autem contemnet tanquam non amplius idoneum ad sibi benefaciendum, sed idoneum ad petendum vt tibi benefaciat, détque tibi, quę aliis dare vellet: propter hoc etiam fastidiet te.

10. Quapropter ignorantissimi sunt, qui exaltare satagunt, non merentem, vt sibi obligatum teneant, ac simul supra se.

Remedium. 11. Igitur verum est remedium eligere Papam mundi totius optimum scientia, moribus, & sanctitate, cuiuscunque sit generis & conditionis, etiam si parum tibi esset parum amicus, qui sanè tibi sit gratus, ex Philosophica natura, & virtutis amore, non autem seruili obligatione: profectò enim nunquam poterit hic homo odisse te, dum considerat te tanquam conscium meritorum suorum, ac virtutis ipsum sublimasse. Quemadmodum impossibile est quemquam propriarum gloriarum testem, aut qui virtuosè tecum se gessit, tuasque virtutes honorauit, odisse: Prætereà nec potest fieri vt tibi ingratus sit, imò plus ab eo obtinebis, quàm ab aliis, in quibus sperabas magis. Si quidem natura, ingenium, & virtus gratissimæ res ad hoc ipsum inclinant, non autem obligatio, vinculum, & exactio: vel odiosissimæ. Recens est exemplum Pii V. gratissimi, Paulo IV. atque suis. Item Sixti V. Pio V. ac Nepoti: propterea quod & Sixtus, & Pius docti etant, sapientes, dignitatisque merentes.

12. Quapropter & Reges falluntur dum conantur quempiam ex seruis à se dependentem, aut vilem animo ad Papatum erigere: hic enim inimicus illis, dictas ob causas in secreto cordis erit, potiusque adhærebit Regi contrario benefactoribus suis, vt ostendat se liberum, nec illorum fauore exaltatum, vtque seruitutis iugum, & exactionis odiosæ simul excutiat.

13. Hinc apparet præfatas rationes valere, ad cogendum te vt efficias Papam hominem optimum ex toto mundo, ideoque permittere Deum, quod omnis Papa deterior optimis, ingratus sit illis, qui ad Papatum ipsum erexerint: quatenus ingratitudo, punitio est malè collati beneficii.

14. Easdem considerationes Papam tangere debent, vt optimos quosque Cardinalitia ornet dignitate; alioquin non auxilium, sed scandalum Nepotibus, & sangui-

nis relinquit, & iam cum suis mores gerent, nedum quando aduersabuntur.

DOCVMENTVM APOLOGETICVM.

Pueriliter & perperam scandalizantur Catholici, hæretici autem etiam impiè, quòd in electione Pontificis fiunt tumultus, rixæ, monopolia, deceptiones, mendacia, circumcursationes, pollicitationes, minæ: Quod in Concilijs œcumenicis etiam accidit si quis legat Historias: vnde vt Concil. Tridentinum eneruarent, historiam in pluri-mis falsam scripserunt: quibus non fortiter responsum est. At quidem inspice naturam, quoniam elementa conturbat, ad bellum vocat, cælum Terramque variat, calorem, frigus & alias pugnantes qualitates, & ventos, & procellas & pluuias excitat, ita vt tu homo nil boni inde sperandum putes: nihilominus ex tanta turbatione, metalla, plantas, animalia tam affabre elaborata, tam sapienter constructa, vt nihil melius, vnde tu nil boni sperabas, oriri vides. Aspice artes: videbis in Ferraria, ignem, ferrum vri, malleos, incudem, limas contundentes, eonterentes, rumores, fumos, strepitus. At mox ex tanta pugna oriri vides gladium, forficem, sclopetum, claues, horologium, Astrolobia, &c. mira sapientia, ornatuque prædita. Sic cogita in Politica, lege Romanos quot turbationibus Rem suam gubernabant: & sic intelliges Spiritum Dei Ecclesiam regere tunc, cum tu minus credis: & magis scandalizaris.

FINIS.





Index.

TABVLA TEXTVS
TOTIVS PHILOSOPHIÆ REALIS.


Rœmium ad Academicos del primo Senno. 1
Cap. I. art. 1 Cur Deus creauit mundum, essentias ad existentias educendo. 2
Art. 2. De loco & tempore, existentiarum cum principiis. 3
Art. 3. De Materia. 4
Art. 4. Principiis actiuis, & Elementorum origine. 5
Art. 5. De origine stellarum fiatum & errantium. 7
Cap. II art 1. De rerum natura. 8
Art. 2. De diuina prouidentia in Physicis, cuius instrumenta fuut necessitas, fatum, & harmonia. 9
Art 3. De Tempore. 10
Art. 4. Diuersitas rerum ab Elementis iuxta ideam primam. 11
Cap. III. art. 1. De stellarum motibus & vsu. ibid.
Cap. IV art. 1. De operatione.
Art. 2. De actione & passione.
Art. 3. De mutationibus.
Art. 4. Ordo communicationis primorum contrariorum agentium in passiuas causas.
Cap. V. art. 1. De rerum differentiis iuxta entitates, ac conditiones earum.
Art. 2. Gradus inter rarum & densum.
Art. 3. De differentiis actionum caloris blandi robustique.
Art. 4. De dispositionibus secundarum materiarum in actu generationis cuilibet secundorum entium signatarum, coaptatarumque.
Art. 5. Nam alia genera rerum ab his quæ conspiciuntur in muodo fieri poterrnt.
Art. 6. Ab vno calore multipliciter remisso auctoque: & ex vna materia variis in mutata modis, posse entium multitudinem oriri, ac fine frigoris mistione.
Art. 7. Agnitio mirabilis successus rerum in particulari omnisque varietatis earum.
Cap. VI. art. 1. De mari, & aquis, & fontibus, & fluuiis.
Art. 2 De motibus maris.
Art. 3. De aquis pluuialibus, & de tonitruo, & fulgure.
Art. 4. De inundatione Nili, aliorumque fluuiorum.
Art. 5 De Grandinibus.
Art. 6 De Niuibus.
Art. 7. De rore & pruina.
Art. 8 De Manna & melle.
Cap. VII. art. 1. De aliis rebus ex vapore, & in vapore genitis, & primo de ventis, eorundemque vsu.
Art. 2. De Etesiis.
Art. 3. De ventorum qualitatibus, situbus & nominibus.
Art. 4. De Terræ motibus.
Art 5. De fulminibus.
Art 6. De stellis cadentibus & ignibus qui in aere apparent.
Art. 7 De Cometis.
Art. 8. De Arca & Pareliis.
Art. 9 De iride.
Art. 10. De circulo lacteo.
Cap. VIII. art. 1. De lapidibus & mineralibus.
Art. 2. De lapidibus imperfectis.
Art. 3. De lapide grando.
Art. 4. De lapidibus perfectis.
Art. 5. De metallis.
Art. 6 De augmento lapidum ac metallorum.
Cap IX De his, quorum materia est lentor, fluor, liquor, & Spiritus.
Art. 1 De Plantis
Art 2. Quod Plantæ sint analogicè animalia.
Art. 3. De fructificatione.
Art. 4. De fructibus.
Cap. X. De animalibus.
Art. 1. De origine & structura animalium organica generatim.
Art. 2. De gradibus animalium, & ratione eorum ex motu, & structura percepta.
Art. 3. Rationes vniuersales quod omnibus in rebus sensus in sit, extractæ ex 1. libro nostro de sensu rerum.
Art. 4. De origine hominis.
Art 5. De perfectorum Animalium origine, & modo multiplicationis, & aliorum differentia.
Art. 6 De propagatione prolis animalæ, & fœtus formatione mirifica, & vsu partium.
Cap XI. Recapitulatio de organis speciatim.
Art. 1. De potestatoriis & potestato.
Art. 2. De sustentatiuo potentatu, & sustentatorio.
Art. 3. De potentatu Calligatiuo, & colligatoriis.
Art. 4. De potentatu contentiuo, & contentoriis.
Art. 5. De munitiuo potentatu, & munitoriis.
Art. 6 De pognatiuo potentatu.
Art. 7. De vitalitio potentatu.
Art 8. De potentatibus non organicis.
Cap XII. art. 1. De sensibus exterioribus sensoriisque in communi.
Art. 2. De Tactu.
Art. 3. De Gustu.
Art. 4. De Odoratu.
Art 5. De à Visu.
Art. 6. De Auditu.
Art 7. De loquutione & sermone.
Cap XIII. art. 1. De modo sentiendi verè, & fallaciter, & corrigendi sensationes.
De sensu non organico.
Art. 2. De memoria & Reminiscentia.
Art. 3 De fide assentiente, & dissentiente, & de opinione, & suspicione.
Art. 4. De discursu.
Art. 5. De abstractione & intellectione.
Art. 6. De Iudicio.
Art 7. De Imaginatiua.
Art. 8. De Insomniis & prophetia.
Cap. XIV. art. 1. De Appetitiui facultatibus absolutis & organicis.
Art. 2. De Ingestionis appetitu seu fame, & siti.
Art, 3. De fame & siti cuiusque membri post ventriculum.
Art. 4. De coctionum speciebus, & digestione ingestorum.
Art 5. De Egistiuo.
Art 6. De Generatiuo.
Appendix de pulchritudine obiter.
Art. 7. De appetitatibus non orgauicis.
Cap XV. art. 1 Dicendum fuisse de operatoriis post potestatoria, sensoria, & appetitoria, at differri oportere hunc sermonem donec de diuino animali absolutur sermo.
Cap. XVI. De hominis mente & vnione essentiali illius cum sentiente spiritu, & humido & solido, mutuisque officiis comprobatio.
Cap. XVII. art. 1. De Natiuitate hominis, & sexus ratione, & figure immutabilitate, & vitæ scorsum exordio.
Art 2. De vita extra vterum.

Index.

Art. 3. De Infantia.
Art. 4. De Pueritia.
Art. 5. De Adolescentia.
Art. 6. De Virilitate.
Art. 7. De Senectute.
Art. 8. De Senectute.
Art. 9 De Ætate decrepita & morte.
Cap XVIII.art.1. De Passionibus, Notionibus, & Affectionibus quatenus sunt exteosiones potestatiui, cognoscitiui, & volitiui ad opera & obiecta.
Art. 2. De Risu, admiratione & Despicientia.
Art. 3. De Planctu.
Cap XIX.art.1 De Somno, & vigilia, exequutionum origine, & de exequutione, seu operibus organicis.
Art. 2 De organicis exequutoribus.
Art. 3. De Delatiuo.
Art. 4. De Contrectatiuo.

INDEX TEXTVS PHILOSOPHIÆ MORALIS.

Cap. I. art. 1. DE essentia virtutis, & Principiis eius, & passionibus, & operationibus, quarum regula est ipsa virtus. pag 1
1. De libertate hominis, & moralitate, & caetera. 5
2. De beatitudine & summo bono; & bonorum summorum distinctione: & de operatione virtutis, & vitii. 8
3. De virtutum distinctione & numero. 12
Cap. II. art. 1 De Sanctitate & vitio opposito. 13
2. De probitate & suis oppositis, & ramis. 15
Cap. III. De acquisitionis mediorum finium ad vltimum finem notitia adipiscenda. 17
1. De studiositate & suis oppositis. ibid.
2. De prudentia & vitiis oppositis. 18
§. De vitiis oppositis prudentiæ. 19
3 De vigilantia. 20
4 De disciplinabilitate. ibid.
5. De solertia & oppositis. De arte & Natura. 22
§ De Oppositis vitiis solertiæ. ibid.
6. De moderatione vel sufficientia. 23
Cap. IV. art. 1. De parsimonia, & magnificentia, & munditia & oppositis. ibid.
2. De liberalitate, suisque contrariis. 24
3. De sobrietate vitiisque oppositis ibid.
Cap. V. De virtutibus comitantibus operationes, actus & affectus. 25
1. De virilitate. 26
2. De spe & fiducia. ibid.
3. De alacritate. ibid.
4. De strenuitate. 27
5. De longanimitate. ibid.
6. De cunctatione. ibid.
7. De perseuerantia. ibid.
8. De diligentia. ibid.
9. De comprehensione. 28
10. De zelo & securitate. ibid.
11. De tolerantia. ibid.
12. De fortitudine & Clementia. 29.
§. De temeritate ibid.
§. De Duello. 30
§. De timiditate. ibid.
Cap. VI. art. 1. De exercitio suisque oppositis. 31
Cap VII art. 1. De secunda conseruationis virtute. 32
1. De Castitate & oppositis. ibid.
Cap. VIII. De tertiæ conseruationis virtutibus, quæ est in fama. 33
Art. 1 de beneuolentia, & suis partibus, & oppositis. ib.
§. Vitia opposita. 34
Art 2. De Æmulatione & oppositis. ibid.
Cap. IX. art 1. De benceloquentia & suis partibus. 35
Art. 2. De eloquentia. ibid.
Art 3. De benedicentia 36
Art. 4. De veracitate & suis partibus oppositis. 37
§ De vitiis oppositis. ibid.
5. De credibilitate, & oppositis. 39
§ De oppositis. ibid.
6. De rogatione, & suis oppositis. ibid.
Cap. X. art 1 De beneficentia & oppositis. 42
2. De gratitudine suisque contrariis 43
Cap. XI. art. 1. De æquabilitate suisque contrariis. 44
Art. 2. De protestatione suisque speciebus, laudatione, honorificentia, cultu, fama, Gloria, &c. & oppositis. 45
Art. 3. De mansuetudine & oppositis. 54
Cap XII. De Hilaritate & oppositis. ibid.
Cap. XIII. An sint aliæ virtutes & de modestia. 55
Cap XIV. art. 1. De correctione seu verecundia, & oppositis. ibid.
Art. 2. De pœnitentia perfecta, seu correctione. 57
Art 3 De humilitate & obedientia. ibid.
Cap. XV. De conseruatione politica, & iustitia eius virtute. 59
Cap XVI. De Sublimitate, virtutum, apice, & epilogo. 64

INDEX TEXTVS POLITICÆ.

Cap. I. DE politicarum communitatum quidditate, & causis, & occasione, & gradibus & vinculis. 513
Cap. II. De Dominio, de Iure, & beneficio, & Regno. 514
Cap. III. De Dominorum, & Rectorum, & Populorum functionibus, & gradibus, vnde variæ species Rerumpubl. & Religionum, & de ipsarum circulationibus, & augmentis, & decrementis, & agnitione, & partibus integralibus. 516
Cap. IV. De Principum & Dominiorum essentia, constitutione, diuisione, comparatione; & de partium Ciuitatis vsu, & conditione, & functionibus secundum naturam. Et de Ciuis quidditate & non ciuis agnitione; Et de Reipublicæ probitate, & deterioritate ex horum causa. 518
Cap. V. De legibus & consuetudinibus, & ratione politica, quam vocant de statu. 519
Cap. VI De Legislatoribus 522
Cap. VII De Coloniis, & Ciuitate 523
Cap. VIII. De Instrumentis acquirendi, conseruandique Imperia, eorumque vsu, & comparatione 524
Cap. IX De lingua, gladio, & pecunia. 526

De causis tribus Regnorum, Politicus, non Physicus Sermo, & primo.

Cap. 10 De prima causa Politiarum, siue de Deo & Religione. 530

De secunda causa acquirendi, Gubernandique Imperia, siue.

Cap. 11. De prudentia, & virtutis vsu. 534
Cap. 12. De tertia causa acquirendi & gubernandi dominia: siue de occasione. 536
Cap 13. De casu, morte, & mutatione Monarchiarum, earumque causis, & remediis. ibid.
Cap 13. De morte, casu, Mutatione Rerump in quibus plures gubernant, de que ipsarum causis & remediis. 541
Cap. 14 De morte, casu, & mutatione rerum Popularium, in qua videlicet omnes participant in regimine, & de causis atque remediis eorundem malorum. 542

De Ciuitate Solis.

Hospitalarius Magnus, & Nautarum gubernator Genuensis Hospes. 546

INDEX TEXTV OECONOMICÆ.

Cap. 1. *Art.* 1. DE Elementis, essentia, fine diuisione, & varietate familiæ ac comparatione cum toto & partibus. 189

Cap. 2 *art.* 1 De institutione familiæ, ac gubernatu: qui in acquisitionem, conseruationem, fruitionem, & dispensationem partitur, iam dicendum esse. 191

Art 2 De habitaculi institutione. ibid.

Art. 3 De vxoris, & Coniugij institutione. 192

4. De villæ institutione. 194

5. De seruorum rationalium, irrationalium, & naturalium institutione. 195

Cap. 3 Oeconomicorum quæ est de gubernatione familiæ. 197

Art. 1. De patris familias dominio secundum naturam ac Politicam. ibid.

Art. 2. Vxorem vbi est vnica, participem esse Oeconomici dominij, vbi plures nequaquam, ac magis secundum naturam esse coniugium cum vna, quam cum pluribus. 198

Art 3 Leges viri ad vxorem in œconomica gubernatione. 198

Art. 4 Leges vxoris ad Maritum, & familiam in œconomica gubernatu. ibid.

Cap. 4. *art.* 1. De liberorum generatione, & educatione. 202

Art. 1. De rationalium seruorum gubernatione. 203

Art. 2. De animalium plantarumque vsu & gubernatu œconomico. 205

Cap. 5. De Oeconomica Patris familias, eiusque fine; arte, & exercitio. 206

Cap. 6 *art.* 1 De Oeconomica acquisitione. 207

Cap. 7 De rei familiaris Oeconomica cõseruatione. 208

Cap 8. De acquisitorum, conseruatorumve bonorum dispensatione, & fruitione in vita, & morte, & de cura, Oeconomi, cum sibi mors natura intimatur. ibid.

De Regno Dei Euangelizato, in cœpto, & Complendo.

De Republ. Ecclesiastica, eiusque à cæteris Regiminibus differentia, & quod in ea splendet promissæ vniuersalis fœlicitas, arcanum, & via. 217

Consideratio circa differentiam Imperii Ecclesiastici & Laici. 216

Pro Conclauii.

Admonitio ad Electores summi Pontificis ac præcipuè capita factionum. 221

Documentum apologeticum. 223

INDEX QVÆSTIONES AD QVARTA PARTES PHILOSOPHIÆ REALIS.

Quæst. I. VTrum Physiologia sit prima Philosophia, & Scientia Scientiarum vt dicunt Democratici: an scientia vt Aristoteli, placet non primaria, sed de vniuersalibus: an etiam de particularibus; & an sit tantum modo opinio, vt Platonici docent: & quod illius subiectum. pag. 3

Quæst. II Vtrum rectè à Deo originem Physicarum rerum auspicati sumus. 6

2. Vtrum Mundus in cœperit: & quomodo; & à quo. 7

3. Vtrum in rerum productionibus misceatur actio diuina & ritè à nobis ponatur Autor constructionis rerum, ordinisque, & finis earum Deus. 10

4. Vtrum rectè & non contra Mosis ordinem rerum productionem explicauerimus. 12

Quæst. III. De causis Vtrum sint quatuor genera causarum, vt ponit Arist. an quinque vt Plato, an sex vti nos: an duo sicut Seneca 13

Quæst. IV. De natura. Vtrum rectè diximus, naturam esse diuinam artem rebus creatis inditam, an Aristoteles, naturam esse motus, & quietis principium, in quo est primum per se, & non secundum accidens. 15

Quæst. V. De Tempore. Vtrum Tempus sit numerus motus secundum prius & posterius, vt dicit Arist. vel rerum vicissitudo, vt nos. 18

Quæst. VI. De loco. Vtrum locus sit spatium incorporeum, immobile, aptum ad recipiendum corpora, vt diximus in textu: ideoque longum, latum, & profundum, vti sunt locanda Corpora, & nulli, neque sibi contrarium. 20

2. Vtrum detur vacuum. pag. 21

3 Vtrum locus sit extrema superficies immobilis corporis circumdantis immediate vt Aristoteles dixit. 23

Quæst. VII. De materia. 1 Vtrum materia sit pura potentia vt dicunt Peripatetici, vel sit ens substratum causis agentibus, & corpus informe, sine numeris inners, aptum ad recipiendas omnes formas, & numeros, actiones, sicut nos in textu probauimus. 26

2. Vtrum materia sit moles corporea, vel potentia incorporea 28

3. Vtrum de potentia materiæ formæ educantur; an ab agentibus principiis effundantur imprimanturque. 32

4. *Appendix ad Quæst* 7. Vtrum Corpus materiale componatur ex superficiebus, superficies ex lineis; lineæ ex punctis; vt Platoni placet: an linea ex lineis semper diuisibilibus in infinitum: & superficies ex superficiebus, & corpus ex corporibus in infinitum diuisibilibus. 33

Responsio. Non dari punctum omnino indiuisibile: nec in mundo corporali; nec in Mathematico, nec in mentali, & ex punctis lineam, motum ex momentis Tempus ex Nunc. 34

Qui fiat constitutio ex indiuisib. 35

Quod partes & puncta insunt actu. 36

An possit cogitari infinitum maius infinito, & plura infinita. 37

De terminis successiuorum, & permanentium, à quo & ad quem. 38

Responsio. Ad principales rationes Aristotelicorum. 39

Occurritur obiectioni imperiti aeli 41

Quæst. VIII. De Principiis actiuis rerum naturalium. 42

1. Vtrum principia actiua sint plura, an pauciora duobus. 43

2. Vtrum Calor, & frigus sint prima contrarietas, ad quam omnes aliæ reducuntur. 44

3. Vtrum Calor, & frigus habeant aliunde Physicam originem, ac proinde nequeant esse prima principia. 46

4. Vtrum Calor & frigus, sint organa Elementorum, an formæ actiuæ principales. vtrum Calor, & frigus sint accidentia, an substantiæ, 49

5. Quænam substantia suscipit magis, & minus. 52

Quod substantiæ actiuæ sunt contrariæ. ibid.

6. Vtrum etiam Aristoteli sicut nobis sint calor & frigus, & materia naturalium principia 54

7. Vtrum frigus sit nihil, vt Heraclito ponitur, & aliis à Plutarcho nominatis, puraque priuatio. 56

8. Vtrum forma, materia, & priuatio prout ponuntur à Peripateticis possint esse Physicarum rerũ principia 58

9. An Ocellus & Arist. definierint Elementorum principia ac differentias essentiales: scilicet Calorem, frigus, humorem, & siccitatem, rectius quam nos, & constitutionem Elementorum.

Quæst. IX. De primis Corporibus, Elementis vocatis.

Index.

Vtrum Elementa sint numero duo, vt nobis, an quatuor vt Aristoteli placet. 64
Quod elementa sint duo. ibid.
Quod Aer & Aqua non sint Elementa. 67
Quod humiditas, & siccitas passiuæ sint non actiuæ qualitates. 68
Quod ignis siccus non sit. 69
Quod Aer non sit summè calidus, vt ignis, neque imperfectè humidus vt est aqua. ibid.
De Aqua quod non sit frigida, ne Elementum. 70
Terram esse summè frigidam, siccamque, nec posse ratione Symboli in aquam, & ignem verti, vt putat Aristoteles. ibid.
Quod anni tempora non sint quatuor, sed duo. 72
1. Vtrum Elementum sit vnum, aut tria, aut infinita. 72
Quæst. X. 1. De Cœli & Terræ natura: vtrum Cœlum & quæ in eo sont sidera, præcipue Sol, sint à Calore constituta: vel sint quintæ essentiæ, Elementis non communis: & vtrum Terra à frigore. 76
Quod Sol sit igneus, & fons omnis ignis & Caloris. 79
Quod lux sit in sole ipso, & non fiat ea aeris attritione. 80
Quod Calor in sole perperam ab Aristotele negetur, & Sophisticè attritu aere fiat etiam à suis asseclis. ibid.
Quod perperam etiam lumine non calido, & contra Arist. & sensum, & rationem Peripatetici calefaciunt ea astris. 83
Quod Terra a frigore constituta sit 86
Responsiones ar argumenta primæ Classis. 87
Ad argumenta secundi ordinis. 89
Ad argumenta tertii ordinis contra frigus Terræ, responsio. 98
2. Vtrum præter visus, & causas motus solis præsertim obliqui ac Planetarum, assignatas in textu, arbitrandum sit etiam vaporibus solem saltem nutriri, sicut omnes flammæ fumo, ac maculas quæ in sole visuntur a Galilæo pabulum esse. 91
De maculis Solis. 94
3. Vtrum dato quòd sidera sint Systemata, hominibus & animalibus nostratibus habitentur, & videtur Plutarcho. 99
4. Vtrum posito & non concesso, sicut nouus facer indica monet, quod veræ sint conclusiones Pythagoricorum, & quas tandem Copernicus, & Galilæus ex suis obseruationibus tradiderunt: permaneat adhuc nostra Philosophia, an corrigenda, & in quibus, & qua ratione. 100
Quæst. XI. De motibus Cœlestium 1. Vtrum Cœlestia corpora moueantur circa medium in peripheria mundi, Tellus verò quiescat in medio. 105
2. Vtrum Planetæ naturali motu ab occasu in ortum, violento vero abortu in occasum rapiantur: an, &c. 108
Quod per excentricos & epicyclos non rectè, vt nos, reddit causas apparentiarum Ptolomeus.
Quod motus cœli sit sonorus contra Aristotelem. 117
Responsio ad rationes oppositas etiam. ibid.
Quod grauitas & leuitas non sunt naturæ verum particularium, sed cuiusque rei propensiones, & appetentiæ impetus, contra Arist. 118
3. Vtrum cœlestia corpora a se ipsis moueantur, & Terra per se quiescat, an illa moueantur ab intelligentiis, vt Arist. putat, aut vi, vt Democritus, aut ab anima, vt Platonici: hæc vero quiescat vi coercita, vel quia torpet mortua, vel quia natura illa moueatur, & ista quiescat, vt in textu. 122
Quæst. XII Vtrum Cælum sit vnum continuum, vel distinctum in sphæras plures contiguas, sicut Cepa, similiter de Terra quærimus 125
Quæst. XIII Vtrum Cælum sit tenuissimum, ideoque humidissimũ, tellus vero crassissima, ergo & siccissima. 127
Quæst. XIV Vtrum Cœlestia corpora sint rotunda, similiter & de Terra quærimus. 128
Quæst. XV Vtrum Cœlestia corpora sint candida, lucentiaque: Tellus vero tenebrosa. 130
Quæst. XVI. De transmutationibus Elementorum, & Elementatorum in communi. Vtrum motus sit actus mobilis, vt putat Arist. An alteritas, aut inæqualitas, aut nonens, vt antiquis videbatur, (quos ipse non rectè arguit) vtque in Parmenide Platoni placuisse videtur. 133
2. An aliquid possit transmutare se ipsum. 134
3. Vtrum omnis motus sit passio, & actus mobilis, seu entis in potentia quatenus potentia vt Arist docet: vel adhuc sit motus qui est actus entis in actu. 135
4. Vtrum causa omnium mutationum, & rerum sublunarium sit motus cœli obliquus: perennitatis vero mutationum & rerum per successionem, sit motus primi mobilis, vt Arist. vel opifex mundi per Calorem, & frigus solis Terræque. 136
5. Vtrum cessante motu Cœli, omnis motus & actio, & passio, & operatio inferiorum cessaret, vt Aristoteles putat. 138
6. Vtrum agens & patiens debeant se mutuo tangere. 139
7. Vtrum omne agens in agendo repatiatur. ibid.
8. Vtrum actio sit effusio similitudinis agentis in patiens. Passio vero perditio propriæ entitatis, & receptio alienæ, vt nos diximus. An vero sit actio secundum quam agere dicimur in subiectam rem, vt Peripatetici dicunt: Passio vero receptio actionis. 140
9. Vtrum actio & passio sint idem motus secundum rem. ibid
10. Vtrum actio & passio fiat inter similia, vel inter contraria. 143
11. Vtrum mutationes ab Elementorum actionibus factæ, sint alteratio, generatio, & corruptio, augmentum, & decretum, & loci mutatio vt Arist ponit. ibid.
12. Vtrum rectè Arist. definierit præfatas mutationes. pag. 142.
13. Vtrum agere & pati in Physicis fiant per amplificationem & communicationem agentis naturæ in patientem: sicut, in textu dicebamus: an ea eo quod potest aliud agere, aliud pati, sicut Arist docet: an ex intrusione illius in hoc per meatus, vt Empedocles. an solo tactu corporali, & agitatione vt Democritus docebat. 145
14 Vtrum species mutationis sufficienter in textu enumeratæ sunt; ac rectè videlicet. Generatio, & Corruptio, augmentum & decrementum, vectatio, & impulsus, Transformatio, & denique Alteratio, An Aristoteles, & alii de his meliora tradiderint. 152
Quæst XVII. Postquam mutationes in communi perquisiuimus, nunc de Transmutatione elementorum in inuicem dicendum restat: Deinde vero quomodo in elementata transmutentur. 157
2. Vtrum elementa in inuicem transmutentur, qua placet Aristoteli ratione, an quemadmodum in textu explicauimus.
Quæst XVIII. De Mistione vtrum Elementa ad Elementatorum productionem misceantur & fiat contrariorum mistio ita, vt maneant in misto, & in dissolutione misti separentur, vt putat Arist. an vero non detur mistio contrariorum. 159
Quod Elementa non possunt venire ad mistionem, neque manere in misto, neque esse in eo vllo pacto expositis à Peripateticis. 161
Quod Calor natiuus non est compositus ex quatuor Elementis. 165
Quod frigus non intrat opus naturæ. 166
Vtrum elementa sint mistorum Corporum, sal, sulfur, & hydrargirium. ibid.
Quæst. XIX De causis omnibus rerum secundarum. Vtrum præter maximũ passiuum principiũ cum spatio & Calorem & frigus causas actiuas duas, ex quib. elementa facta sunt, requirantur alia causarum genera ad rerum naturalium productionem 172
2. Vtrum entia naturalia fiant à casu, & fortuna, & contingentia: an a consilio propter finem, an vtroque modo. 174
De casu, sorte, & fortuna corrigitur Aristoteles
Quæst XX De secundis Corporibus singulatim sequitur inquisitio, & primo de Aquis & de Mari. Vtrum mare sit æternum, nullis ea causis natum, nec ortum ex fontibus, vt Aristoteli videtur: an natum sit ex primis corporibus, perpetuoque propriis ex fontibus instauretur. 179

Index.

Vtrum Mare sit primum inter secunda Corpora, calidum, salsum, amarumque: origine sua, ex Terra adusta liquefactaque natum caloris vi, vti nos docemus, Terra longe minus: an Corpus primum decuplo maius terra frigidum, humidumque, sed violentia, calidum, siccum, amarumque salsumque, immuurumque vt putat Arist. 181

De causa Salsedinis maris contra Aristotelem. 183

De magnitudine maris errant Aristotelici 185

3. Vtrum omnes aquæ sint natura calidæ, vt nobis videntur, an frigidæ vt Aristoteli: idem quærimus de niue, glacie, grandine. 186

4. Vtrum maria moueantur à borea in Austrum vt putat Arist. an ab oriente in occidentem vt dictum est in textu. 188

5. Vtrum æstus maris bis in d e bis tumescentis, ac bis detumescentis, sit tribuendus Terræ arctanti, & libranti, vel casui, & resilitioni aquarum, vt Arist putat: an vero Lunæ vt Plinio, & Astrologis placet: an tandem solis calefacientis, rarefacientisque præsentiæ, & opposito concursui, vt nos in textu docuimus 189

6. An Galilæus verè demonstrauerit opinionem nostram de fluxu & refluxu Aquarum esse falsam: & meliorem antiquos ex Telluris motu concepisse. 192

Fundamenta opinionis Antiquorum de motibus maris ex motu Telluris, Galilæi sagacitate agnita: & à Plutarcho attributa Seuleuco Philosopho. ibid.

Examen opinionis Galilæi. 193

Opinio propria 195

2. Vtrum inundatio Nili sub Canc, & Eufratis, & Gangis, & Menan & diuinæ sit à ventis, vel à Niuium liquefactione, vel ab imbribus, vel à sole, vel à Canicula, vt multi varie opinantur. 198

Appendix ad Articulum de Nili incremento. 199

8 De ortu fontium, & fluuiorum. Vtrum flumina & fontes è Mari, an ex Terra, an ex aëre, an ex pluuiis originem habeant.

9. Vtrum ex vapore calido, humidoque, à vapore condensato, expulso calore, fiat pluuia: ex pluuiæ guttis mollibus coactis nix, & conglaciatis, grando, vt Aristoteli & Plinio ex parte videtur: an sola condensatio faciat pluuiam non expulso calore: grando vero ex condensatione non pluuiæ, sed Vaporis crassi tenuibus priuati: nix autem ex vapore crassiusculo, calido, non amisso calore neque tenuitate, fiat, prout in textu docuimus, sed ligaris. 209

Quæst. XX I. Vtrum enim Mel & Manna de Cœlo remane, vt placet Peripateticis, & medicis: an vero plerumque succus arborum sit purissimus, vt in textu dicitur 211

Appendix ad quæstionem de Manna. 212

Quæst. XXI. Vtrum venti & tonitrua fiant ex sicca, calidaque exhalatione, pluuia vero & nix ex calido humidoque vapore, & Aristoteli placet: an omnes impressiones in aere ex vapore calido humidoque vt nobis 213

2. Vtrum tonitrua & fulgura fiant extinctione ignis desidet bus cadentis in nube aquea, vt Plinius putat cum Anaxagora; vel luctatione eiusdem intra Nubem, & eruptione accendantur, vt Aristoteli videtur. An vero exhalatione accensa intra nubem ideoque erumpente vt nobis videtur 214

3 Vtrum fulminis substantia fiat ex fuligine vt nos docuimus, an ex lapidibus per ventos sursum elatis, vt Aristoteli placet 215

Quæst. XXII. De fulgetris & coruscatione, & luminosis speciebus.

1 Vtrum fulgetra omnia sint ab accensione exhalationis, alteriusue materiæ in aere. 216

Quæst. XXIV. De Cometis. 219

1. Vtrum Cometes fiat sub lunari in regione, ex incrassata accensa per motum exhalatione: ac post modum nutrita quemadmodum Aristoteli placet. 220

2. Vtrum Cometes sit errantium stellarum congressus, vti Anaxagoras & Democritus opinantur. 223

3 Vtrum Cometes sit vna de stellis errantibus in aliis systematibus supra fixas, quæ ad nos aliquando descendunt vti Pythagoricis videtur multis. 224

4. Vtrum Cometes fiat ex incorruptibili Galaxia, moueaturque per circulum magnum circa solem, accipiatque à venere refractionem lucis: & incurruetur aliquando, quia quæ pars minus distat, videtur curua, vt docet Thyco brahæ in libro de Cometis & in progymnasmatis. 226

5. De sententia Telesii, Santuccii, & Galilæi de Cometis. 229

Vtrum Cometes fiat ex luce reflexa, vel transiliente vapores soli aduersos, vt Telesio & Galilæo placet 230

De motu Cometarum 234

6. An omnis Cometa sit ad solem vespertinus. ibid.

7. An possit omnibus Cometis rectus modò aptari motus. ibid.

8. Vtrum Cometæ significationem habeant super res humanas, ac naturales. 235

Quæst XXV. De iride. Vtrum omnis iris sit reflexio 241

§ An in Nube tantum opposita fiat Iris. 242

2. Vtrum colores iridis appareant, quia visus reflectitur de nube ad solem, vt putat Arist: an quia. Lux de nube ad visum, an quia tingitur lux atque offertur visui: & cur duplex aliquando iris 245

Cur mediū inter duas irides spatium spectetur simplex 247

3 Cur iris circularis fiat, & matutina, ac vespertina semicirculum complet, meridianaque minor: an aliquando etiam totum. 248

4. Vtrum Aristotelici potuerint causam reddere cur iris matutina minoris circuli portio apparet, meridiana maioris. 249

5. Vtrum colores irini sint tres modò, aut quatuor, aut plures, & cur. 250

Ratio inquisitiua de nouis Iridibus à me consideratis. 253

Dubitatio suprema & solutio non suprema. 255

Quæst. XXVI De Galaxia vtrum Galaxia in Aere fiat ex reflexione lucis in collectis vaporibus, an ex accensione, vt Aristoteli placet, an in Cœlo sit stellato, ipsique coæua: & quid. 255

Quæst. XXVII. De ventis Vtrum exhalatio sicca materia ventorum sit, vt Aristoteli placet: vel vapor quicunque & qualis. 256

2 Vtrum ventus ab aere circumferatur, an ab appetitu spatii sibi vitalis. 257

3. Vtrum Etesiæ oriantur sub ortu Caniculæ ex niuium liquefactionibus, vt Arist placet, an è mari. 258

Quæst XXVIII. Vtrum stellarum viribus specialibus ventorum, & aliorum entium, sublunarum, ortus, & conseruatio, speciatim tribui debeant. 259

Quæst. XXIX. De lapidibus. 263

1. Vtrum perfectiorum lapidum materia proxima sit crassus fluor, calore vel frigore, vel vtrisque vicissim, & mali fuga indurescens in formam lapidum; an exhalatio, vt Aristoteli placet; an Paracelsi Elementa. ibid.

2. Vtrum lapides fiant ex quatuor elementis ea, quâ Platoni Timeoque placet ratione, nimirum ex Terra aqua mista per ignem euaporante, aereque in vaporantis igneia intruso, Terram, Aquamque comping. nte: an sicut nobis placuit, ex concreto fluore, & aggenerato & nutrito. 265

3. Vtrum Plato de lapidum speciebus meliores atque nos reddiderit, sufficientioresque rationes. 266

4. Vtrum transpicuitas lapidum, & aliarum consistentiasum sit à calore vti nobis, an à poris rectis, vti Aristoteli, an ab æqualitate vti Platoni placet 268

5. Vtrum sit opacior aqua, quam Tellus, vt Aristoteli placet. 269

6. Vtrum induratio lapidum, sit à frigore per se, & a calore per accidens, & ab amore primaliter: vt nobis apparet: an etiam à Calore congregante homogenea; & disgregante etherogenea per se fit induratio, vt Arist docet An à triangulis penetrantibus sit solutio vt Platoni placet induratio vero ab impulsu aeris, vel abscessu ignis, vel gelu, vt idem docet. 270

7. Vtrum lapides, & metalla fiant generatione nedum concretione, crescantque etiam nutritione: an sola concretione, & appositione fiant, & augeantur, vt Arist Plat. videri potest. 273

Quæst XXX. de Metallis. 1. Vtrum metalla ex lentore, fluore, viscositate, & spiritu compactis, vti nos docuimus, fiant, an ex solo vaporoso halitu, seu spiritu, vt Arist. docet. 275

2. Vtrum ex Aqua fusili Plato rectè generet metalla. 277
3. Vtrum metalla in inuicem transformari possint natura, & arte, sicuti in textu diximus, vnde ars chimica comprobatur, an sint transformabilia. 278
4. Vtrum metalla excrementorum purgatione, & euaporatione transformantur, an animatione nobilioris in ignobilius intrusa; & cum multiplicatione, & vtrum etiam ignobilia è conuerso fiant ea nobilibus. 282
5. Vtrum Mercurius possit coagulari, & affixari, vt dicunt Alchimistæ, fierique argentum optimum, & aurum. 286
6 Vtrum metallorum nobilissimum, optimumque sit aurum, superetque lapides omnes virtute. 287
7. Vtrum vitrum per artem fieri possit, flexibile, infrangibile, & ductile. 289
Quæst. XXXI. De secundis differentiis secundorum Corporum, sequentibusq; lentorem, mollitiem viscositatem, fluorem, lubricositatem, & fumum, & tenuitatem, mirifica explicatio Chimicis gratissima. 290
1. Vtrum sufficienter, rectéque Arist. enumeret secundas differentias passiuas Corporum. 291
2 Vtrum rationes, & causas dictarum differentiarum Arist. bene docuerit. ibid.
§ De concretili & Inconcretili. ibid.
§. De liquabili & inliquabili. 296
§. De mollificabili, & immollificabili. ibid.
§. De tingibili & non tingibili. 297
§ De flexibili & inflexibili. ibid.
§. De frangibili, & friabili & oppositis. 298
§ De impressibili, & formabili, & horum contrariis. ibid.
§. De pressibili & non pressibili. 299
§. De trahibili & non trahibili. ibidem
§. De ductili & non ductili ibid.
§. De fissibili, & non fissibili, secabili & non secabili. ibid.
§. De viscoso & fragili. 300
§. De commassabili & incommassabili. ibid.
§ De combustibili & incombustibili, exhalabili, & inflammabili Carbonabili. ibid.
3. Vtrum omnes differentiæ primæ materiales procedant à calore & frigore actiuis, & primis passionibus, constrictione videlicet summa, summaque expansione. 303
Quæst. XXXII. De Natabili & submergibili. 1. Vtrum dentur Corpora, simpliciter grauia, & alia simpliciter leuia vt putat Arist. An omnia sint grauia, leuia autem dicantur minus grauia, vt Platonicis, & Democriticis, & aliis videtur. An è contra, an tandem nihil sit graue, & leue absolutè. 304
2. Vtrum figura solidorum natura mergibilium, possit esse causa ne mergantur, sed natent, vt Arist. docet, quia non diuidunt medium, an quia retinentur ab effluentibus igneis atomis ab Aqua, vt Democrito videtur: An quia contactu aeris vt Galilæo: an à sensu conseruationis medii & mobilis, vt ex nostro sequitur dogmate. 311
§ Corollarium addit acutius noster Galilæus. 314
3. Vtrū excessus grauitatis corporis mobilis specifica super grauitatē aquæ sit submersionis causa, vt putat Archimedes, defectus vero natabilitatis. an figura mobilis & resistentia aquæ minor, vel maior vt videtur Aristotelicis. An densitas, & raritas vt dictum est in textu, an plenitudo maior & vacuitas, vt videtur Democrito. 319
Quæst. XXXIII. De Plantis 1. Vtrum ex terra tam diffotmes in res immutata coeuntesque, plantæ fiant à sole: an à Deo vt docent Theologi, an ex quatuor elementis, vt Aristoteles. 325
2. Vtrum plantarum generatio possit fieri absque semine, aut ramo deciso, aut propagatione, aut insitione ex sola Terræ per solem conformatione ad ipsarum naturam.
3. Vtrum plantis præter vegetatiuam insit etiam sensitiua facultas: animaliaque inuersa dici queant.
4. Vtrum plantarum anima insit instar, vt agens causa, an vt forma, & vtrum inter corticem & ossum vti nobis, an inter germen, & radices vt Aristoteli placet.
5. Vtrum causæ longitudinis vitæ maioris in plantis quam in animalibus sint, quas Arist. tradidit, an quæ visæ sunt nobis in textu.
6. Vtrum quia non putrescunt lapides, ac metalla, ideo non generatur: Plantæ autem quia putrescunt & corrumpuntur, generantur, vt dictum est in textu 335
7. Vtrum putrefactio sit crassioris substantiæ ab innato calore aucto, colliquatio; & mollioris attenuatio? vt dictum est in textu. 336
8. Vtrum fructus Hyemem attingentes requirunt etiam frigus vt maturescant, vti dictum est in textu; an solo calore. Et de coctione maturatione, elixatione, & assatione, & mediis, & oppositis. 339
De origine & generatione animalium in communi. 341
Quæst XXXIV. 1. Vtrum rectè scripserimus, primam mentem primis elementis, & rebus sensum largitam esse, vt animalia vnde sint ostenderemus & vtrum sancti Patres, & Philosophi aliter senserunt. ibid.
2. Vtrum ex non sensatis elementis sentientia animalia fieri queant, & physiologi quid de hoc senserunt. Nec harmoniam esse animam brutorum: nec à Deo ea sui substātia, nec ea nihilo, nec ab anima mundi. 345
3. Vtrum omnia animalia perfecta, imperfectaque possint ex elementis absque semine generari: & vtrum sint eiusdem speciei, quæ sponte, cum his quæ ex semine nascuntur 352
4. Vtrum sint quatuor genera animatorum videlicet, nutritiuum, sensitiuum, loco motiuum, & ratiocinatiuum, vt Arist ponit. 354
Quæst. XXXV De propagatione animalis 1. Vtrum semen ex quo Animal generat animal sit animatum, vt in textu diximus: an inanime, vti Aristoteli apparet, possitque nec ea in animatis seminibus produci animal. 356
2. Vtrum ex semine masculi fiant partes albæ, & exangues, similiter ex fœmineo; & vterque concurrat actiuè ad prolis propagationem, vt dictum est in textu: & ex sanguine matris puro partes sanguineæ, An mas solus actiuè, ita vt eius semen non fiat materia fœtus, sed deperdatur, mulier vero passiuè: ita quod careat semine & ex sanguine menstruo omnes partes fœtus motu seminis virilis efformentur, animaque similiter ex eo educatur, sicuti Arist ponit. 359
Quæst. XXXVI. De principe animalis membro, in quo anima omnis insidet, & partes corporis, & functiones earum originem habent.
1. Vtrum cor præcedat omnia animalis membra tempore, dignitate, & causalitate, sedes totius animæ: & quo animal est animal, vti Arist. docet: an vero caput, vt in textu diximus.
2. Vtrum ab vna substantia animæ, vti nos: an à tribus vniuersum animal gubernetur, vt Plato, & medici voluerunt: & an Aristoteles meliora de hoc tradiderit. Item de origine neruorum, venarum, arteriarum, ossium, & de facultatibus, quibus exercentur. 369
Quæst. XXXVII. Apologetica pro Philosophis antiquis. Vtrum omnes & singuli Philosophi meliora tradiderint de anima brutorum, quam Arist consentiantque omnes esse spiritum tenuem, mobilem, sensitiuum, non autem formam Corporis. 376
Quæst. XXXVIII. De motiua vi, & modo contra Arist. & Galenum. 376
1. Vtrum substantia animæ mouentis sit Corpus subtilissimum mouens corpus crassum, vt veteres dixerunt: an incorporea forma corporis crassi organici vt Arist. 380
Defensio Antiquorum. & Platonicorum de motu, &c.
3. Vtrum anima motrix Corporis, sit per se mobilis, an immobilis vt Arist. opinatur. 385
4. Vtrum motus animalis secundum locum sit à spiritu tanquam principe causa, an tanquam organo alterius causæ, similiter Generatio, & Nutritio, & Sensificatio. 391
5. Vtrum ratio, quo Aristoteles ab immota forma corporis organici mouet corpus organicum per imaginationem calefacientem, & frigefacientem, & per membrum immotum, sit possibilis. 393
6. Vtrum Aristoteles rectè definitiones Animæ nobis tradiderit. Quod videlicet sit actus primus corporis physici organici organici potentia vitam habentis: & id quo viuimus, & sentimus, & mouemur, & intelligimus primo. An rectius alii. 397
Quæst. XXXVIII. De potestatiuis. 1. Quæritur primo, an potestatiua sint seorsum ponenda à sensoriis, & appetitotiis. 402
2. Vtrum potestatiui organa sint sufficienter, ac Formaliter, ac formaliter distincta in sustentatiuum Colligatiuum, Defensiuum, & Offensiuum. 405

Quæst XXXIX. De potentatu sustentatiuo, Vtrum animal positũ extra systema suum indigeret potestatoris. 404
2. Vtrum facultas sustentatiua sit in spiritus Animalis calore, vel in tenuitate, vel in vnione, vel in mobilitate, vel in luce, vel in participio Primalitatum. 405
3. Vtrum organa sustentatoria duritie sustentent, an alia vi ibid.
4. Vtrum ossa sint plura numero in homine ac in brutis ibid
5. Vtrum pedes ad sustentationem pertineant, an ad executionem. ibid.
6. Vtrum pondus sit ipsa grauitas deorsum trahens, vel aliorsum. 406
7. Vtrum detur graue & leue simpliciter, an respectiuè tantum. ibid.
8. Cur non sunt eiusdem ponderis in Aqua & in Terra, & & in Aere. & in Cœlo. ibid.
9. Vtrum ponderis sit pes sosare id, in quod ponderat ibid.
10. Vtrum gradus ponderum sint a gradibus densitatis & leuitatis & vnitionis. ibid.
11. Vtrum centrum ponderis sit idem cum centro molis in systemate communi, & in statera, & in leua. 407
12. Cur grauat magis aliquando & quoties, & vbi minus ponderosum quam magis. ibid.
Quæst. XL. De Colligatiuo. 1. Vtrum vis colligatiua sit in spiritu libero, vel implantato & quæ ibid.
2. Vtrum colligabile omne sit solidum, & diuisum. ibid.
3. Vtrum colligantur omnia à cingente solido, molliori, vel à viscoso, vel ab vtrisque.
Quæst. XLI. De contentiuo. Vtrum virtus contentiua sit animastica, vel corporalis. ibid
1. Vtrum vis contentiua, sit in spiritu ù primalitatibus, vel ab actiua & passiua vt. ibid
2. Vtrum ossa, membranæ, neruι, & vasa, omnia simplicia & mista sint contentoria. ibid.
3. Vtrum solius solidi sit continere vel formari. 409
4. Vtrum obiectum contenibile sit solum lubricum, fluidum, humidum, vaporosum, & tenue, vt & inconstans & fluens est. ibid.
5. Vtrum continens semper vnitius contento sit, & colligans colligato. ibid.
Quæst. XLII. 1. Vtrum vis munitiua sit in spiritus virtute, an solum in organo: & quo. ibid.
2. Vtrum pili, squammæ, Corium, Caro, Cortex pertineant ad defensiuum modo, seu munitiuum ibid.
3. Vtrum adeps, & sebum, glandulæ & misenterium, sint defensoria, vel, &c 410
4. Vtrum caro constet ex fibris rectis, obliquis, & transuersis, sicut contextum vas. ibid.
5. Vtrum obiectum munitiui, sit munibile, vel potius nociuum. ibid.
6. Vtrum nociua sint corporea, vel incorporea, vel vtraque & quibus ibid.
7. Vtrum vtilius ad resistendum nociuis, sit molle vel durum: circulare, vel angulosum, vel planum munimen. ib.
8. Vtrum omnia artis defensoria munimina respondeant naturalibus. 411
Quæst XLIII. De potentatu offensiuo seu pugnatiuo.
1. Vtrum vis pugnatiua sit in spiritu animali, quo calidus, an quo subtilis, an quo primalitates participat ibid.
2. Vtrum dentes, rostra, cornua, spinæ, vngues pertineant ad pugnatoria, seu offensoria. ibid.
3. Vtrum robur pugnatiui sit in impetu pugnantis, vel in duritie, & acutie instrumenti. ibid.
4. Vtrum venenum pertineat ad pugnatiuum. 412
5. Vtrum omnia arma artis ex naturalibus exemplar habeant. ibid.
6. Vtrum obiectum pugnatiui sit hostile. ibid.
7. Vtrum hostile à nociuo distinguatur, & quomodo. ibid.
8. Vtrum hostile & nociuum sint secundum naturam vel contranaturam. ibid.
9. An sint plures pugnandi modi & quot. ibid.
10. Vtrum natura cunctis plantis, & animalibus dederit organa offensoria sicut dedit defensoria. 413
Quæst XLIV De anima sentiente. 1. Vtrum sensus sit passio perfectiua, & vis sentiens sit pura potentia incorporea indiuisibilis, sensibilium formis, absque ipsorum materia, sitque sentire, vt Arist. putat. An vero sit spiritus ens actu, seipsum motum a sensibilibus cognoscens, ac proinde mouentia scibilia, vt in textu. ibid.
2. Vtrum sentire fiat per informationem, ita quod species obiecti informet sentientem potentiam, requiranturque potentia, obiectum, & medium, vt fiat: An sola motione modica animæ sentientis ab obiecto, ac metientis ex illa totum, celebratur, & intus. 418
13. Vtrum sensitiua potentia sit forma sensorij, an alia per se substantia in ambulans, vtensque sensorio. 422
4. Vtrum sint quinque sensus particolares, & vnus communis, an vero vnus communis, & plura sensoria particularia. 423
5. De sensibili proprio, & communi, & per accidens contra Peripateticos. 425
Quæst XLV. De tactu. 1. Vtrum tactus sit vnus, vel plures sensus specie. 429
2. Vtrum possint duo corpora solida se mutuo tangere immediatè, in Aqua, vel in aere. 432
Quæst XLVI. De gustu 1 Vtrum gustus sit quidam tactus gracilior, latentes vires natiuas rerum, nedum manifestas, vti tactus, percipiens. 433
2. Vtrum sapor sit caloris natiui cum propria mole crassa, linguæ poros ad sentientem spiritum subeuntis, actio, vt in textu explicauimus. 434
3. Vtrum sapor sit passio à sicco terreo in humido aqueo, vti Arist putat. 437
4 Vtrum extremi sapores, ex quibus medii componuntur, sint dulcedo, & amaritudo, an insipiditas & salsedo. 440
5. Vtrum numerus, & ordo, & generatio saporum sint ritè ordinata, &c. de hoc alias. 443
Quæst. XLVII. Vtrum organum odoratus sit nasus, aut cor, aut cerebrum, aut Neruuli è Cerebro in nares porrecti aut aures. ibid.
2. Vtrum odor sit qualitas passiua vt Arist. videtur. s. sicci-tatis sapidæ lotura in humido. 444
3. Vtrum sit duplex genus odorum, vt Arist vult 445
4 Vtrum odor sit caloris in tenuitate subeuntis ad odorantem spiritum actio, vt in textu. 447
5. Vtrum odor ab odorabili exhalans realiter perueniat, sique ad spiritum odorantem, an intentionaliter ibid.
6 Vtrum odore nutriatur animal, & inspirato aere quædam, vel omnia 449
Quæst. XLVIII De visu Vtrum visio fiat vidente anima aliquid extramittendo, an intro admittendo, an excitatione & sympathia. 451
2. Vtrum visio fiat in cornea, an in vitreo humore an in Crystallino. 452
3. Vtrum lumen sit obiectum visus, per se, solumque; an color: an aliquid innominatum 460
4. Vtrum lux causet speciem, vt visionem, an solum modo disponat medium, quando sentitur color, vt possit color speciē suam producere: an vero actuet potius colorē 461
5 Vtrum lux, color, & transpicuitas sint eiusdem naturæ in cunctis corporibus pendeantq; à calore ita vt lux sit eius vultus, color sit lux opacata: & languens: & transpicuitas sit candor à calore factus vincente opacitatē materiæ. An vero differant in Cœlo, & igne, & aqua sint diuersæ essentiæ secundũ definitiones quas tribuit illis Arist 463
6. Vtrum lux sit corpus, an virtus in corpore, & substantia ne, an accidens 467
5 Vtrum lux generetur, & quomodo moueatur. 468
6. Lux essentialis soti naturæ & igni. 469
7. Vtrum lumen, & color recipiantur in medio realiter, an intentionaliter. ibid.
8. Vtrum optici nerui sese intersecant, ne obiecta videantur duplicia. 472
Quæst XLIX. De auditu. 1. Vtrum sonus sit motus aeris, an alia qualitas: & de sono siderum 473
5. Vtrum sidera Cœlumque, sonum edant. 474
2. Vtrum voces brutorum sint cum imaginatione, & desiderio significandi conceptiones an mæ 477
Quæst L. De Respiratione. 1. Vtrũ vsus respirationis sit principaliter immutatio, & refrigeratio caloris cordis, vt videtur Arist. ac medicis ex parte: an potius retentio, & auctio caloris, & spirituum sicuti in textu docuimus. 480
Quæst LI. Vtrum pulsus sit calefacti humidi inflatio, vt Arist. putat, an vitalis insitæ facultatis cordis functio, vti Galeno placet: an vero sentientis spiritus in arteriis, qua ratione in textu.
Quæst. LII. De vigilia. 1. Vtrum somnus sit vinculum & immobilitas cordis tanquam primi sensorij communis, ad

quam sequitur quies sensuum particularium, facta ab infrigidatione vaporum descendentium ex cerebro: propter quam fit contentus caloris iutra ad interiora & inferiora: vt Arist docet, an Cerebri infrigidatio, vt placet Galeno, an tandem collectio spiritum in suam vniuersitatem ad se restituendum, & vapores oppugnandum, & à vigiliæ laboribus feriandum. 490

Quæst. LIII. De sentientis animæ operationibus interioribus 1. Vtrum de sensibus interioribus, vel sentientis animæ operationibus in obiecti absentia, sufficienter loquuti sumus, in textu & rectè 495

2. Vtrum imaginatiua, intellectiua, discursiua, reminiscitiua, & memoratiua differant à sentiente, & quo modo Aristotelici putant: an sint eiusdem animæ operationes, & facultates, & actus. 497

3. Quod imaginatio nō scientia, neq; intellectus probat 498

Quæst. LIV. De anima humana à Deo immissa, & de immortalitate animorum. 1. Vtrum verè ac sufficienter Arist. demonstrauerit intelligentis animæ humanæ immortalitatem, alterumque genus à sensitiuo, separabile re, & ratione à magnitudine, & an rectè agentem super addiderit intellectum. Idem quæritur de Arist. asseclis. 508

§ De intellectu agente Aristotelico examen. 519

§. Examen opinionum peripateticorum multarum, de vnico intellectu, & animabus 522

2 Vtrum rectè, ac sufficienter extra Peripateticismum possimus nos probare animam aliam à sensitiua communi nobis cū brutis inesse hominibus immortalē, cuiq; suā 524

3 Vtrum mens a Deo immissa, sit forma, seu Entelechia corporis organici, an motor, & habitator, an aliquid medium, & quomodo vniatur. 535

4. Vtrum rationale sit differentia hominis vltima, qua differt a brutis & angelis. 541

Quæst. LV. De somniorum causis. 1. Vtrum sint tres tantum somniorum causæ: fiantque omnes in phantasiā, & in corde: an plures, & in intellectu etiam & in capite, & per notiones, an per simulacra. 545

Quæst. LVI. De appetitoriis. 1. Vtrum organa appetentis animæ sint quatuor tantum, videlicet ventriculus, Anus, Iecur, Genitale. 547

Quæst. LII. Vtrum definitiones famis & sitis traditæ a Platone, Arist. & Galeno, & Telesio, sint veræ & sufficientes: & quis ipsorū meliores tradiderit, an nos veriores. 549

2. Vtrum calidus potus fuerit in vsu, apud veteres & modernas Nationes tanquam salubrior, & voluptuosior 552

3. Vtrum salubrior sit, suauiorque potus frigefactus niue, quam calefactus igne, in corpore sano, secundum naturam temperato. 553

Quæst. LVIII. Vtrum nutrire, augere, diminuere, & generare, sint opera naturalia, an animastica: & si animastica vtrum sentientis, an solum vegetantis, & qua ratione. 556

2. Vtrum in coctione ope vegetantis animæ generentur quatuor humores, quatuor elementes correspondentes. An vnus tantum, pluraque excrementa. 562

Quæst. LIX. De Natiuitate hominis 563

2. Cur alij nascantur Patri similes, alij matri, alij consanguineis, alij extraneis, alii monstrosi sunt partus; & alii fœminæ, alii hermaphroditi. ibid.

Quæst. LX. De iuuentute, senectute, vita, & morte.

1. Vtrum de generatione, iuuentute, senectute, vita, & morte rectè Arist. definierit: ac præcipuè vtrum omnis mors sit corruptio. 564

2. Vtrum aliquod mortis genus sit naturale: an omne violentum 566

Quæst. LXI De exequutiuo. 1. Vtrum organa exequutoria sint duo, Pes, & Manus. 568.569

2. Vtrum obiectum pedis sit commodum, & incommodum: Manus vero Tractibile seu operabile. ibid.

DE SVMMO BONO. QVÆSTIONES IN ETHICAM.

Quæst. I. Vtrum Summum Bonum hominis sit gloria, an imperium, an voluptas, an lucrum, an contemplatio, an fruitio: an virtus, vel viuere secundum naturam: vel Deo assimilari. 2

§ Responsio ad Argumenta 1. Classis facta pro Romanis. 10

2. Vtrum rectè posuerimus in textu Summum Bonum esse conseruationem; eiusque gratia esse virtutes, & omnia appeti. 21

Quæst. II. De Libero Arbitrio. 1. Vtrum homo sit liber voluntate & Arbitrio. 24

§. Distinctio libertatis. 26

Quæst. III. De Virtutibus. 1. Vtrum virtus sit habitus acquisitus: an naturalis potestas, an puritas, an scientia. 33

2. Vtrum diuisio animæ, & virtutum in practicas, ac speculatiuas, rectè assignetur ab Aristotele 50

3. Vtrum virtutum numerus accipiendus sit ab actibus, vel ab obiectis, vel à materia circa quam, vel a modis, & vsibus, an à subiectis. 55

4. Vtrum Epiheiæ sit solum interpretari, an etiā dispensare, irritare, abrogare, & permutare, quę legis positiuæ sunt. 59

QVÆSTIONES POLITICÆ.

Quæst. I. art. 1. De Dominio & Regno. 1. Vtrum sit idem regnare, ac dominari. 71

2. Vtrum homo hominum iure aliquo naturali, vel diuino possit esse Dominus. An omne Dominum est à violentia, vel ab arte. 75

Quæst. II. Vtrum ex doctrina Arist. sequatur, omnes Principes mundi esse tyrannos, quemadmodum cupit eos esse Macchiauellus, & Mahometus instituit, & an verè tyranni sint omnes. & vtrum omnes populi sint serui, & tanquam serui tractari debeant secundum Arist. & an hoc sit bene, & secundum naturam. 87

Quæst. III. De optimo Republica 1 Vtrum Resp. quam finxit optimum Arist. super cæteros sit verè optima an pessima. 95

Quæst. IV. Super tertia parte epilogistica in appendicem de Republ. Quæstio 4. de optima Rep. 1. Vtrum rectè & vtiliter post doctrinam politicam, de Republ dialogum addiderimus pro Colophone. 100

2. Vtrum magis secundum naturam, ac vtilior conseruationi, & augmento Reipub. & Priuatorum, sit communitas bonorum exteriorum, vt dicebat Socrates, & Platos an diuisio, vt Arist. 104

3. Vtrum communitas mulierum sit conuenientior secundum naturam, ac generationi vtilior, quam proprietas vxorum, & natorum: ac proinde simul toti Reipublicæ. 118

QVÆSTIONES OECONOMICÆ.

Quæst. I. Vtrum sit idem finis Politicæ & Oeconomicæ. 170

2. Vtrum Cœnobia Monachorum, & Conuentus fratrum apud Christianos & Marabutorum apud Mauros, sint familia. 172

Quæst. II. De Matrimoniis.

1. Vtrum expediat vnam tantum vxorem ducere, An plures secundum naturam omissa lege. 173

2. Vtrum Maritus vxori dotem, an vxor marito debeat conferre. 175

3. Vtrum dotibus fortunæ, an animi sint matrimonia copulanda. ibid.

4 Vtrum maritus in vxorem, & parentes in liberos verum habeant dominium vti in seruos. 176

Quæst III. De Diuitiarum acquisitione & conseruatione.

1. An Oeconomo Philosopho viuendum sit ex vsura aliisue industriis, labore vacuis, & lucro plenis

FINIS.

